SCRIPTORES HISTORIÆ ROMANÆ.

TOMUS TERTIUS.


Quas
RUDOLPHO I.
Habspurgico
Restauratore
gloriosior

SCRIPTORES
HISTORIÆ ROMANÆ
LATINI VETERES,
QUI EXTANT OMNES,
NOTIS VARIIS ILLUSTRATI,

A

CAROLO HENRICO DE KLETTENBERG ET WILDECK,

E BIBLIOTHECA

PERILLUSTRIS ET GENEROSI DOMINI

BERNARDI FRANCISCI
S.R.I. LIBERI BARONIS DE HALLBERG,
DYNASTÆ IN FUSGENHEIM, RUCHHEIM,
GELSDORFF & IPPLENDORFF &c. &c.
CONDOMINI GANERBINATUS MOMERNHEIM & BECHTOLSHEIM &c. &c.

IN UNUM REDACTI CORPUS,
TRIBUS TOMIS DISTINCTUM.

EDENTE ET ACCURANTE

BENONNE CASPARO HAURISIO.
TOMUS III.

CUM FIGURIS ÆNEIS.

SCRIPTORES IN HOC TOMO CONTENTOS DOCET SUBJECTA ICON.



CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

HEIDELBERGÆ,
TYPIS JOANNIS JACOBI HÆNER TYPOGRAPH. AULIC. ACADEM.
ANNO CIƆ IƆ CC XLVIII.

PRÆFATIO
AD
ERUDITUM LECTOREM.

HAbes hic, Erudite Lector, Tomum ſecundum Scriptorum Hiſtoriæ Romanæ, quorum numerum & nomina, prima ſtatim facies hujus Tomi in Icone oculis exhibet. De ordine eorum, quo poſiti ſunt, ne ſis ſollicitus, rogamus; exponemus enim ejus rationem, quamprimum omnes fuerint abſoluti, ut appareat, non ſine ratione Scriptores hoſce hoc ordine poſitos fuiſſe. Fuſius vero recenſeamus hujus Tomi Scriptores neceſſe eſt. Continentur igitur illo

Scriptores hujus Tomi recenſentur.

Ut ſervetur Præfationis Tomi primi inſtitutum, ſequuntur dicenda de Scriptoribus in genere, tum ſimul ſingulorum Chronologiam & Genealogiam abſolvemus.

SECTIO I.

De Scriptoribus hujus Tomi, eorumque Chronologia & Genealogia.

Membrum I.

DE MESSALLA CORVINO.

De Meſſallæ Corvini familia.

MEſſalla Corvinus, vel ut integro nomine eum appellemus, M. Valerius Meſſalla Corvinus, è familia Valeria oriundus, cognomen ducit à M. illo Valerio, eidem familiæ originem ſuam debenti; qui ſibi & familiæ ſuæ ex prodigio à corvo cognomen peperit, quoniam, cum Gallo, magnitudine & armis inſigni, manus A.U.C. 406. conſerenti, corvus, alis, roſtro & unguibus auxilio fuerat. (*a*) Orator fuit diſertiſſimus tempore Cæſaris Auguſti, cum quo Conſulatum geſſit A. U. C. 722. (*b*) & à quo primus Urbis Præfectus creatus eſt, ut ex *TACITO Lib. VI. Ann. Tomo III. horum Scriptorum* diſcemus.

Honoribus.

Explicatio Iconis & litteræ initialis pag. 3.

Intelliges nunc, Erudite Lector, quæ in vicem effigiei Meſſallæ Corvini ſubſtituimus, in Icone & littera initiali pag. 3. Meſſallæ enim, ſub Equitis Romani forma ſedenti, familiæque inſignia, ex prodigioſo illo certamine, quod è longinquo pariter conſpicitur, proficiſcentia, contemplanti, adſtat Mercurius Oratorum fautor.

Meſſallæ Corvini ſcripta.

Ex ſcriptis ejus ſervamus tantum, (volumina enim, quæ teſte *PLINIO Lib. XXXV. Cap. II.* de familiis condidit, ad nos non pervenerunt) præſentem libellum ad Octavianum Auguſtum de progenie ſua; in quo ſimul & prima Urbis regimina ab exordio breviſſime exponuntur. Cujus Genealogiam & Chronologiam pari brevitate, qua ipſe libellum conſcripſit, ſequentibus proſequimur.

(*a*) *LIVIUS Lib. VII. Cap. XXVI. Tom. I. Scriptor. Hiſt. Rom. p.* 150.
(*b*) *CASSIODORUS Chron. hoc Tomo pag.* 234.

Genea-

Genealogia & Chronologia ROMULI & REMI deinde Regiminum Urbis Romæ usque ad Augustum Imp.

secundum Messallam Corvinum.

Genealogia & Chronologia Regum Albanorum & Romanorum. O.C. 2794. a. U.C. 454. a. C.N. 1206.

LATINUS Rex Aboriginum in Italia. — ANCHISES Dux Trojanorum.

LAVINIA. Mar. ÆNEAS. Filius ANCHISIS. — ÆNEAS. Dux Trojanorum. Venit in Italiam. Rex Latinorum. Ux. I. CREUSA Trojana. II. LAVINIA Filia LATINI.

1\. ASCANIUS. Albam condit. Unde successores ejus Reges Albanorum dicti.

2\. SILVIUS, qui & Julus dictus. Unde Gentis Juliæ origo. Post mortem Ascanii Rex Albanorum.

ÆNEAS SILVIUS. Rex Albanorum.

ALBA SILVIUS. Rex Albanorum.

ATYS SILVIUS. Rex Albanorum.

CAPYS SILVIUS. Rex Albanorum.

CAPETUS SILVIUS. Rex Albanorum.

TIBERINUS SILVIUS. Rex Albanorum.

AGRIPPA SILVIUS. Rex Albanorum.

ROMULUS SILVIUS. Rex Albanorum.

* * *

AVENTINUS, Ex eadem stirpe. Rex Albanorum.

* * *

PROCA SILVIUS. Rex Albanorum.

NUMITOR SILVIUS. Rex. A fratre Amulio regno pulsus; à nepotibus Romulo & Remo restitutus. — AMULIUS SILVIUS. Rex. A pronepotibus ex fratre occisus.

Habuit filios à patruo Amulio interemptos. — RHEA SILVIA Virgo Vestalis. Ex qua.

1\. ROMULUS & REMUS Fundatores Urbis Romæ. — O.C. 3248. Ol. 7. a. C.N. 752.

* *

2\. NUMA POMPILIUS. Rex Romanorum. — U.C. 38.

* *

3\. TULLUS HOSTILIUS. Rex. — U.C. 81.

* *

4\. ANCUS MARCIUS. Rex. — U.C. 113.

Duo filii à quibus TARQUINIUS PRISCUS interfectus.

* * *

5\. TARQUINIUS PRISCUS. Rex. — U.C. 137.

6\. SERVIUS TULLIUS Rex. — U.C. 175.

7\. TARQUINIUS SUPERBUS. Rex. Ux. TULLIA Servii Tullii filia. — U.C. 219.

TULLIA. Mar. TARQUINIUS SUPERBUS Rex.

SEXTUS TARQUINIUS. Ob stuprum Lucretiæ illatum familiæ suæ exitium contrahit. — O. C. 3490. U. C. 243. Ol. 67. a. C.N. 510.

Inde secuti:

CONSULES ANNUI. O. C. 3490. U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510.
TRIBUNI PLEBEII. O. C 3506. U. C. 259. Ol. 71. a. C. N. 494.
DECEMVIRI. O. C. 3548. U. C. 301. Ol. 82. a. C. N. 452.
TRIBUNI MILITUM. O. C. 3556. U. C. 309. Ol. 84. a. C. N. 444.
CONSULES iterum. O. C. 3654. U. C. 387. Ol. 10?. a. C. N. 366.
IMPERATORES. O. C. 3969. U. C. 722. Ol. 187. a. C. N. 31.

Mem-

Membrum II.

DE LUCIO ANNÆO FLORO.

De Lucii Annæi Flori Familia.

LUcius Annæus Florus ex familia Romana ortum traxit, an vero ex Annæa, Aquillia, Cestia vel Julia, quarum cognomen hoc fuit, non certo constat. Quamvis enim Senecæ & Lucani agnatus appelletur, (c) tamen exinde nondum liquet cujus gentis fuerit, cum Senecæ cognomen in gente Annæa usitatum, Lucani vero cognomine appellati Annæi, Claudii & Terentii. (d) Senecis tamen è gente Annæa annumerandum Florum, putant, qui pro Lucio Annæo Floro, ut veteres quidam libri, legunt: Julius Annæus Seneca: teste SALMASIO, quem citat, FREINSHEMIUS *in not. ad Florum pag.* 2. Plebejum tamen fuisse, ex versibus Imperatoris Hadriani ad Florum, cujus temporibus vivebat, non incongrue conjicitur. Scribenti enim Floro ad Hadrianum:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas:

rescripsit:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos. (e)

Explicatio Iconis & litteræ initialis pag. 11.

E quibus cum Florus quoque poëta appareat, eundem in Icone laureatum exhibemus pag. 11. cum flore, quem in littera initiali repetimus, à quo Flori cognomen fluxit, & qualem L. Aquillius Florus, Triumvir sub Augusto in denario argenteo expressit (*f*). Verum non de nomine tantum, quam de ipsius Epitome Rerum Romanarum impræsentiarum solliciti sumus. In ejus editione DOMINUS DE KLETTENBERG sequutus maxime GRÆVIUM, qui Florum Anno 1680. Ultrajecti aliquot nummis edidit; deinde BEGERUM, qui Anno 1704. priores duos Flori libros in Folio numismatibus, notis Criticis atque Historicis illustravit. Quid D. DE KLETTENBERG præ his duobus præstiterit, Tu judica, Erudite Lector. Ipsa Epitome Res Romanas eleganter & succincte refert ab Urbe Condita usque ad Augustum Imperatorem. Cum vero Florus Res Romanæ Reipublicæ non ordine Chronologico annuo, absolvat, nos modo recensebimus.

(c) *VOSSIUS de Script. Lat. I.* 30.
(d) *PIGHII Annales Romanorum T. III. p.* 662. 682. & 715.
(e) *ÆLIUS SPARTIANUS in Hadriano Cap. XVI. hoc Tomo pag.* 281.
(*f*) *PATIN. Fam. Rom. pag.* 36.

Res

Res Romanas à FLORO in Epitome propositas Ordine Chronologico.

Ante Urbem Conditam.	Olympiades.	Ante Christum natum.		Chronologia Flori.
18	2	770	ROMULUS & REMUS nati.	pag. 12.
U. C.				
1	7	752	ROMA condita.	ibid.
38	16	715	NUMA POMPILIUS. Rex Romanorum.	pag. 13.
81	27	672	TULLUS HOSTILIUS. Rex Romanorum.	ibid.
113	35	640	ANCUS MARCIUS. Rex Romanorum.	ibid.
137	41	616	TARQUINIUS PRISCUS. Rex Romanorum.	ibid.
175	50	578	SERVIUS TULLIUS. Rex Romanorum.	pag. 14.
219	61	534	TARQUINIUS SUPERBUS. Rex Romanorum.	ibid.
243	67	510	Reges abrogantur.	ibid.
			CONSULES PRIMI creantur.	ibid.
245	68	508	Bellum Etruscum cum Rege Porsena.	pag. 15.
256	70	497	Bellum Latinum.	ibid.
257	71	496	Prima seditio ob impotentiam fœneratorum.	pag. 20.
261	72	492	MARCIUS CORIOLANUS.	pag. 19.
266	73	487	SPURII CASSII supplicium	pag. 20.
275	75	478	FABII à Vejentibus ad unum omnes cæsi.	pag. 16.
279	76	474	VOLERO PUBLIUS fasces Consulis frangit.	pag. 19.
294	80	459	L. QUINCTIUS Dictator.	pag. 15.
303	82	450	Secunda seditio ob Decemvirorum libidinem.	pag. 20.
308	83	445	Tertia seditio ex connubiis Patrum cum plebejis.	ibid.
315	85	438	SPURII MÆLII supplicium.	ibid.
339	91	414	POSTUMIUS lapidibus obruitur.	pag. 19.
357	96	396	Vejentes victi.	pag. 16.
362	97	391	Bellum Gallicum.	ibid.
363	97	390	Galli Urbem Romam capiunt.	ibid.
370	99	383	MANLII CAPITOLINI supplicium.	pag. 20.
383	102	370	Quarta seditio ob Magistratus plebejos.	ibid.
392	104	361	T. MANLIUS TORQUATUS.	pag. 17.
406	108	347	M. VALERIUS CORVUS.	ibid.
412	109	341	Bellum Samniticum.	ibid.
415	110	338	Bellum Latinum.	ibid.
433	115	320	Romani ad Caudium sub jugum mittuntur.	ibid.
434	115	319	Samnites ad Caudium vincuntur.	ibid.
439	116	314	Bellum Etruscum & Samniticum.	pag. 18.
457	118	306	P. DECIUS Cos. se Diis Manibus devovet pro exercitu Romano.	ibid.
469	124	284	Galli omnes delentur.	pag. 17.
471	124	282	Bellum Tarentinum.	pag. 18.
472	124	281	Prima pugna cum Pyrrho.	ibid.
473	125	280	Secunda pugna cum Pyrrho.	ibid.
478	126	275	Tertia pugna cum Pyrrho.	ibid.
480	126	273	Triumphus de Tarentinis & Pyrrho.	pag. 19.
484	127	269	Bellum Picenum.	ibid.
			Bellum Sallentinum.	ibid.
487	128	266	Bellum Volsiniense.	ibid.
488	128	265	PRIMI PUNICI BELLI Initium.	pag. 21.
492	129	261	Classis prima Romæ fabricatur.	ibid.
			Prima Romanorum victoria maritima.	ibid.
493	130	260	Prima Romanorum in Sardiniam & Corsicam expeditio.	ibid.
494	130	259	CORNELIUS ASINA Cos. à Pœnis fraudulenter occiditur.	ibid.
496	136	257	Romanorum in Africam prima navigatio.	ibid.

Poſt Urbem Conditam.	Olympiades.	Ante Chriſtum natum.		
497	131	256	Xanthippo duce Romani à Carthaginienſibus vincuntur	ibid.
502	132	251	Carthaginienſium ad Panormum clades	ibid-
503	132	250	Romani à Carthaginienſibus vincuntur	pag. 22.
507	133	246	Navale prælium apud Ægimurum	ibid.
510	134	243	PRIMI PUNICI BELLI finis.	ibid.
514	135	239	Bellum Liguſticum.	ibid.
517	136	236	JANI templum clauſum.	ibid.
525	138	228	Bellum Gallicum.	ibid.
527	138	226	Galli vincuntur.	ibid.
530	139	223	VIRIDOMARUS vincitur.	ibid.
532	139	221	Bellum Illyricum.	ibid.
533	140	220	SECUNDUM BELLUM PUNICUM.	ibid.
534	140	219	Romani ad Ticinum ab Annibale vincuntur.	pag. 23.
			Iterum ad Trebiam vincuntur.	ibid.
535	140	218	Tertio ad Thraſymenum vincuntur.	ibid.
536	140	217	Quarto ad Cannas vincuntur.	ibid.
			MARCELLUS Nolam liberat.	pag. 24.
537	141	216	P. & Cn. Scipiones Pœnis in Hiſpania bellum inferunt.	pag. 28.
538	141	215	PRIMUM MACEDONICUM BELLUM.	pag. 25.
540	141	213	Syracuſæ expugnatæ.	pag. 24.
			SCIPIONES in Hiſpania opprimuntur.	ibid.
542	142	211	SCIPIO AFRICANUS Carthaginem novam expugnat.	ibid.
541	142	212	Idem Hiſpaniam debellat.	pag. 29.
545	143	208	ASDRUBAL tranſit Alpes.	pag. 24.
548	143	205	SCIPIO bellum in Africam convertit.	pag. 25.
549	144	204	ANNIBAL Italia diſcedit.	ibid.
550	144	203	Idem à Scipione vincitur.	ibid.
551	144	202	SECUNDI PUNICI BELLI finis.	ibid.
555	145	198	PHILIPPUS vincitur.	ibid.
556	145	197	PRIMI MACEDONICI BELLI finis.	ibid.
			GALLI à Romanis vincuntur.	pag. 22.
557	146	196	CATO Celtiberos debellat.	pag. 29.
561	147	192	ANTIOCHI Regis Bellum Syriacum.	pag. 25.
563	147	190	ANTIOCHUS vincitur.	pag. 26.
			Ætolicum bellum.	ibid.
			Bellum Gallocræcum.	ibid.
563	172	190	In Bello Sociali Romani ſuperiores.	pag. 39.
571	149	182	M. BÆBIUS Ligures vincit	pap. 22.
572	150	180	FULVIUS ſimiliter	ibid.
			POSTUMIUS itidem	ibid.
574	150	179	Hiſtricum bellum.	pag. 26.
581	152	172	SECUNDUM MACEDONICUM BELLUM	pag. 27.
			Bellum Illyricum	ibid.
583	152	170	MARCIUS PHILIPPUS Coſ. Macedoniam intrat	ibid.
584	152	169	PAULLUS Perſeum vincit.	ibid.
			Illyrii ſe Romanis dedunt	ibid.
602	157	151	TERTIUM PUNICUM BELLUM	ibid.
604	157	149	TERTIUM MACEDONICUM BELLUM	ibid.
605	158	148	Ejus finis	ibid.
606	158	147	CARTHAGINIS excidium	pag. 28.
			CORINTHI excidium	ibid.
			Bellum Achaicum	ibid.

VIRIA-

Post Urbem Conditam.	Olympiades.	Ante Christum natum.		
612	159	141	VIRIATHUS Dux Lusitanorum à Fabio Maximo opprimitur & à Pompilio vincitur & occiditur.	pag. 29.
615	160	138	Bellum Numantinum	ibid.
617	161	136	Bellum Servile	pag. 39.
619	161	134	Seditio Tiberii Gracchi	pag. 38.
620	161	133	Perperna post victos servos ovans Urbem ingreditur	pag. 40.
			Numantini à Scipione vincuntur	pag. 29.
			ATTALUS rex Pergamenorum Populum Romanum hæredem scribit	pag. 30.
626	163	127	Expeditio Romanorum in Insulam Cypron	pag. 35.
629	164	124	Bellum Balearicum	ibid.
			Seditio Caji Gracchi	pag. 38.
631	164	122	Bellum Allobrogicum	pag. 32.
638	166	115	Romani male adversus Scordiscos pugnant	pag. 33.
641	167	112	Scordisci funduntur à Didio, Druso & Minucio	ibid.
642	167	111	Bellum Jugurthinum	pag. 31.
646	168	107	Bellum Cimbricum, Theutonicum, & Tigurinum	pag. 32.
647	168	106	Jugurtha captus	ibid.
649	169	104	Novum bellum servile	pag. 40.
650	169	103	Aquilius cum servis debellat	ibid.
651	169	102	Cimbri ad Athesin veniunt	pag. 32.
652	169	101	Seditio Apuleji Saturnini.	pag. 38.
659	171	94	Bellum Mithridaticum	pag. 33.
660	171	93	Seditio LIVII DRUSI	pag. 38.
662	172	91	Bellum Sociale	pag. 39.
664	172	89	Bellum civile Marianum	pag. 40.
665	173	88	CINNA Cos. Urbe pellitur	pag. 41.
669	174	84	SYLLA ex Asia contra Marianos in Italiam redit.	ibid.
670	174	83	Marii Junioris & Carbonis furor in Senatum	ibid.
673	175	80	Bellum Sertorianum	pag. 42.
674	175	79	Bellum Civile cum Lepido	ibid.
676	175	77	CN. POMPEJUS contra Sertorium mittitur	ibid.
679	176	74	Bellum Spartacium	pag. 40.
680	176	73	LENTULUS à Spartaco vincitur	ibid.
681	177	72	C. CASSIUS similiter	ibid.
			LICINIUS CRASSUS Spartacum vincit	ibid.
684	177	69	Bellum Creticum	pag. 35.
685	178	68	Bellum Piraticum	pag. 34.
688	178	65	POMPEJUS vincit Mithridatem	ibid.
689	179	64	Bellum Catilinarium	pag. 42.
690	179	63	CATILINA ab Antonio opprimitur	pag. 43.
694	180	59	Cæsar Helvetios vincit	pag. 36.
695	180	58	Item Belgas	ibid.
696	180	57	Navale bellum cum Venetis.	ibid.
697	181	56	CÆSAR in Britanniam trajicit	ibid.
			Cæsar primum Germanos aggreditur	ibid.
698	181	55	Bellum Parthicum	pag. 37.
699	181	54	CRASSI mors & ludibrium	ibid.
700	181	53	CÆSAR componit motus Gallorum	ibid.
703	182	50	BELLUM CIVILE inter Pompejum & Cæsarem	pag. 43.
			POMPEJUS fugatur	pag. 44.
704	182	49	PUGNA PHARSALICA, in qua POMPEJUS vincitur & paullo post occiditur	pag. 45.
705	183	48	Bellum in Ægypto	ibid.
707	183	46	Pompejani in Hispania vincuntur	pag. 46.
708	183	45	CÆSARIS cædes	pag. 47.

TRIUM-

Post Urbem Conditam.	Olympiades.	Ante Christum natum.		
709	184	44	TRIUMVIRATUS inter AUGUSTUM, LEPIDUM & ANTONIUM	pag. 48.
			BRUTUS & CASSIUS in provincias ſuas abeunt	ibid.
			AUGUSTUS Antonium ab obſidione Mutinæ repellit.	ibid.
710	184	43	BRUTUS & CASSIUS interficiuntur	pag. 49
711	184	42	Antonius ab Auguſto Peruſiæ obſidetur	pag. 48.
714	185	39	Bellum Parthicum duce Ventidio	pag. 49.
			Parthi vincuntur	ibid.
			Bellum cum SEXTO POMPEJO	ibid.
716	185	37	Sicilia pellitur Sextus Pompejus	ibid.
			Antonius pacem cum Parthis frangit	ibid.
717	186	36	Pannonii ab Auguſto vincuntur	pag. 51.
718	186	35	AUGUSTUS Illyrios bello petit	pag. 50.
720	186	33	Bellum Civile inter Cæſarem & Antonium	ibid.
721	187	32	ANTONIUS vincitur	ibid.
			OCTAVIUS Cæſar Janum claudit, Dictator perpetuus,	
725	188	28	. . . . Pater Patriæ, & AUGUSTUS vocatur.	pag. 53.
726	188	27	AUGUSTUS Cantabros bello petit & vincit	pag. 52.
733	190	20	Indorum legati ad Auguſtum	pag. 53.
737	191	16	Cl. Druſus Rhætos vincit	pag. 50.
741	192	12	Thracæ à L. Piſone vincuntur.	pag. 51.
743	192	10	DRUSUS GERMANICUS moritur.	ibid.
		Post Christum natum.		
753		1	Ad meridiem variæ gentes à Coſſo & Curinio victæ	pag. 52.
			Bellum cum Armeniis	ibid.
760		8	CLADES VARIANA IN GERMANIA.	ibid.

Membrum III.
DE
C. VELLEJO PATERCULO.

De Familia Velleja.

Vellejam Familiam, quamvis de ea ſcriptores, qui ſe in inquirendis familiis Romanis occuparunt, de ea taceant, tamen extitiſſe, non eſt, quod dubitemus. Quibusnam enim familiis inſeremus C. Vellejum Epicureum, & M. Vellejum quorum CICERO meminit *libris de Nat. Deorum.* Quo referendus Vellejus Blæſius, cujus mentionem facit PLINIUS *Lib. XI. Ep. ultima.* Quo tandem Vellejus Celer, cujus Epiſtolam ad Hadrianum Imp. laudat PRISCIANUS *Lib. XI.* & tandem ille Vellejus, cui SCtum Vellejanum debetur? Qui poſtremi forſan è poſteris fuere noſtri Velleji ejuſque fratris. Factum enim Senatusconſultum A. U. C. 805. p. C. N. 53. viginti annis poſt exceſſum Auctoris noſtri, qui cæſus eſt propter amicitiam Sejani A. U. C. 785. p. C. N. 33.

Verum mittamus hos Vellejos, atque ea nobis ſufficiat notitia de Majoribus Velleji Paterculi, quam nobis hiſtoria ejus diverſis in locis ſuppeditat. Collegimus huc ſpectantia in ſequenti Schemate.

Decius

Genealogia Velleji

DECIUS MAGIUS. Hujus nepos erat Minatius Magius, Atavus Velleji noſtri. Vellej. Lib. II. Cap. XVI. p. 67.

DUO FILII PRÆTORES. Vellej. loco citato.

MINATIUS MAGIUS. Atavus Velleji noſtri loco citato.

\- - - - - - - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - - - - - - -

C. VELLEJUS Præf. Fabrûm ſub Tib. Nerone. Seipſum transfixit. Vellej. Lib. II. Cap. LXXVI. p. 81.

\- - - - - - - - - - - - - - CAPITO. Patruus Velleji noſtri. Vellej. Lib. II. c. LXIX. p. 80.

C. VELLEJUS PATERCULUS. Auctor noſter. MAGIUS CELER VELLEJANUS. Vellej. Lib. II. Cap. CXV. p. 90.

De Prænomine Velleji.

Cajus itaque Vellejus Paterculus, qui ſeipſum Cajum appellat, cum alii Marci, alii Publii, prænomen ipſi fuiſſe autumant, & domeſtici ſanguinis gloriam non reticuit, veſtigia Majorum ſuorum tali fervore preſſit, ut honoris ſui gradus, ad quos virtute ſua aſcendit, ipſe quoque recenſere potuerit. Fecit hoc in Hiſtoria ſua Romana, quam denuo nunc inter reliquos Scriptores hujus Hiſtoriæ in lucem proferimus. Sic *Lib. II. Cap. CI. pag.* 87. A. U. C. 752. Tribunus militum factus. Deinde A. U. C. 758. Præfectus equitum. *Lib. II. Cap. CIV. pag.* 88. Poſt A. U. C. 760. Quæſtor & Legatus Tiberii. *Lib. II. Cap. CXI. p.* 89. Demum A. U. C. 767. cum fratre Prætorem in urbe egit *Lib. II. Cap. CXXIV. pag.* 93. Proprætorem quoque A. U. C. 774. in Thracia fuiſſe, PIGHIUS *Annal. Rom. pag.* 552. ad hunc annum refert.

C. Velleji Paterculi honores.

Explicatio Iconis pag. 57.

Hinc jure, in Icone pag. 57. nomen ejus Famæ divulgandum in manus dedimus, quia ipſius imaginis fieri compotes non potuimus, idque non ob honorum gradus modo recenſitos, ſed ob Hiſtoriam ſuam Romanam, quam A. U. C. 783. in honorem Conſulatus M. Vinicii, qui eodem anno illum geſſit, & cujus ſeriem Chronologicam hic ſubjicimus, quamvis eruditiſſimi DODWELLI Annales Vellejani, ſeu vita M. Velleji Paterculi, pro temporum ordine, diſpoſita, jamdudum proſtet.

Chronologia Hiſtoriæ Romanæ ſecundum

C. VELLEJUM PATERCULUM.

C. Velleji Paterculi Hiſtoriæ Romanæ Liber primus ἀκέφαλος eſt, in cujus parte amiſſa, Hiſtoria populorum ante captam Trojam quod extiterit, præſumitur, uti in reſidua diſperſio ducum Græcorum poſt excidium Trojanum continetur. Mox, poſtquam Romam conditam eſſe meminit, raptus Virginum Sabinarum iterum abrumpit Hiſtoriæ Romanæ ſeriem Vellejanam uſque ad finem belli Macedonici ſecundi, quo Anno

Post Urbem Conditam.	Olympiades.	Ante Christum natum.		
584	152	169	L. ÆMILIUS PAULLUS Perseum vincit &	pag. 59.
585	153	168	Eundem in triumpho ducit.	ibid.
600	156	153	Pseudophilippus in Macedonia à Q. Metello superatur.	pag. 60.
606	158	147	Bellum Achaicum.	ibid.
			CARTHAGO funditus evertitur.	ibid.
			CORINTHUS similiter.	pag. 61.
607	158	146	Bellum cum Viriatho duce latronum qui à Cæpione interimitur.	pag. 63.
			Bellum Numantinum.	ibid.
614	160	139	Bellum in Hispania.	pag. 64.
619	161	134	Seditio Tib. Gracchi.	pag. 62.
620	161	133	NUMANTIA capta & excisa.	pag. 64
621	162	132	Aristonicus Asiam armis occupat.	ibid.
629	164	124	Seditio C. Gracchi.	ibid.
642	167	111	BELLUM Jugurthinum.	pag. 65.
647	168	111	JUGURTHA captus.	pag. 66.
648	168	105	C. Marius in Cimbros & Teutones mittitur.	ibid.
650	169	103	Clades Cimbrorum.	ibid.
661	172	92	M. Livius Drusus occiditur.	ibid.
662	172	91	Mors Drusi bellum Italicum excitat.	ibid.
664	172	89	MITHRIDATES Rex Ponti occupata Asia Romanos omnes necat.	pag. 67.
665	173	88	CINNA patriæ bellum infert.	pag. 68.
			Marius Cos. obit.	ibid.
666	173	87	Sylla Mithridati victo leges imponit.	pag. 69.
669	174	84	Sylla redit in Italiam.	ibid.
			Cinna moritur.	ibid.
670	174	83	C. Marius filius occiditur.	pag. 70.
679	176	74	Bellum Spartacium.	ibid.
684	177	69	Creta à Q. Metello victa.	pag. 71.
685	178	68	Bellum Piraticum.	ibid.
686	178	67	Manilius lege Pompeji Mithridaticum bellum confert.	ibid.
			MITHRIDATICUM bellum.	pag. 72.
			Mithridates à Pompejo vincitur.	pag. 73.
689	179	64	Bellum Catilinarium.	pag. 71.
			D. AUGUSTUS nascitur.	pag. 72.
695	180	59	TRIUMVIRATUS C. Jul. Cæsaris, Cn. Pompeji & Crassi.	pag. 74.
699	181	54	CRASSUS interficitur.	pag. 75.
703	182	50	BELLUM CIVILE inter Pompejum & Julium Cæsarem.	ibid.
704	182	50	PUGNA PHARSALICA, in qua POMPEJUS vincitur & paullo post occiditur.	pag. 76.
705	183	48	Juba vincitur.	pag. 77.
706	183	47	Bellum Hispaniense.	ibid.
708	183	45	CÆSARIS cædes.	ibid.
709	184	44	C. Octavius Augustus venit Romam &	pag. 78.
			Antonium ab obsidione Mutinæ repellit.	ibid.
			TRIUMVIRATUS inter Augustum, Antonium & Lepidum.	pag. 79.
			CICERO proscribitur & occiditur.	ibid.
710	184	43	BRUTUS & CASSIUS interficiuntur.	pag. 80.
711	184	42	Perusia capta & incensa.	pag. 81.
714	185	39	Parthi à Ventidio vincuntur.	pag. 82.
			BELLUM cum Sexto Pompejo.	ibid.
716	185	37	Pompejus Sicilia pellitur.	ibid.

M. Lepidus

Post Urbem Conditam.	Olympiades.	Ante Christum natum.		
			M. Lepidus ab Augusto exercitu & imperio exuitur.	pag. 82.
			Antonius Parthos vincit.	ibid.
717	186	36	Sext. Pompejus interficitur.	ibid.
718	186	35	Antonius Artavasden Armeniæ regem dolo capit.	pag. 83.
721	187	32	ACTIACA pugna.	ibid.
722	187	31	ANTONIUS & Cleopatra seipsos interimunt.	pag. 84.
725	188	28	CÆSAR Octavius AUGUSTUS vocatur.	pag. 85.
741	192	12	L. Piso bellum Thracicum comprimit.	pag. 86.
742	192	11	M. Agrippa Juliam Augusti filiam ducit.	pag. 85.
743	192	10	DRUSUS Germanicus moritur.	pag. 86.
747	193	6	Tiberius Rhodum secedit.	ibid.
752	194	1	C. Cæsar Agrippæ filius in Orientem mittitur.	pag. 87.
		Post Christum natum.		
755		3	Tiberius Nero Rhodo Romam revertitur.	ibid.
758		6	Tiberius Nero ab Augusto adoptatur.	ibid.
760		8	CLADES Variana.	pag. 91.
			Pannonia rebellat & Dalmatia.	pag. 89.
			Tiberius Pannoniam pacat.	pag. 90.
761		9	Dalmatæ subacti.	pag. 91.
766		14	AUGUSTUS moritur.	pag. 93.

Membrum IV.
DE
SEXTO AURELIO VICTORE.

Sexti Aurelii Victoris ortus & studia.

DE ortu SEXTI AURELII VICTORIS notitiam pleniorem non habemus, nisi quam ipse dedit in vita Imperatoris SEVERI *pag.* 132. *hoc Tomo*, quando scribit: *Quo bonis omnibus ac mihi fidendum magis, qui rure ortus, tenuique indocto patre in hæc tempora vitam præstiti, studiis tantis honestiorem.* Quod equidem gentis nostræ reor (cetera perierunt.) Ex gente itaque Aurelia fuit, quam Plebejam dicit PATIN. *Fam. Rom. pag.* 43. Tempora vero Sexti Aurelii Victoris, quibus floruit, sunt Imperatoris CONSTANTII, quod ex variis locis colligitur.

Floruit tempore Constantii Imperatoris.

Hic Constantius Imperii gubernacula ab U. C. 1089. usque ad Annum 1112. gessit, qua regiminis periodo continetur annus 1100. quo queritur Victor, neglectos fuisse ludos seculares verbis in PHILIPPO Imperatore *de Cæsaribus cap. XXVIII. pag.* 135. *Et quoniam nomen admonuit:* NOSTRA QUOQUE ÆTATE *post mille, centesimus, Consule Philippo, excessit, nullis, uti solet, solennibus frequentatus: adeo indies cura minima Romanæ Urbis.* Pariter sua ætate Nicomediam terræmotu collapsam memorat in COMMODO Cæsare, *de Cæsaribus cap. XVI. p.* 131. *Asiæque Ephesus, inquit, ac Bithyniæ Nicomedia constratæ terræmotu, æque ac* NOSTRA ÆTATE *Nicomedia Cereali Consule*, qui Cerealis vero secundum CASSIODORUM *p.* 241. *hoc Tomo* Consul fuit Ao. U. C. 1107. Suum denique Principem nominat Victor Constantium in ejus vita *de Cæsaribus cap. XLII. pag.* 141. cum dicit: Quod maxime cognitum è NOSTRO PRINCIPE.

Ejus honores.

Utut Sextus Aurelius Victor humili genere natus, in altiora tamen, merita ejus eum evexerunt, testante AMMIANO MARCELLINO *Rer.*

Rer. Geſt. Lib. XXI. cap. X. pag. 501. *hoc Tomo* ſequentibus: *Imperator* (Julianus ſcil.) *revertitur Næſſum copioſum oppidum, quo impræpediite cuncta diſponeret ſuis utilitatibus profutura. Ubi* VICTOREM *apud Sirmium viſum* SCRIPTOREM HISTORICUM, *exindeque venire præceptum, Pannoniæ ſecundæ Conſularem præfecit, & honoravit ænea ſtatua, virum ſobrietatis gratia æmulandum, multo poſt Urbi Præfectum.* Dicta Marcellini in Icone pag. 99. exhibemus, ubi non ſolum ſtatua Victoris, ſed & ipſe Victor habitu Romano è muſeo curam in provinciam dirigit, in quam modo Victori non ſequimur, ſed cum eo adhuc paullulum in muſeo moramur. Prodiit ex hoc Sexti Aurelii Victoris, de quo hactenus locuti ſumus Origo Gentis Romanæ, cujus Editiones priores SAMUEL PITISCUS in ſua editione *de Ao.* 1696. *Trajecti ad Rhenum pag.* 434. recenſet. In illa Victor agit de Regibus Italiæ ante & poſt adventum Æneæ in Italiam, quos ſequenti ſchemate ſecundum Victoris ſententiam damus.

Explicatio Iconis. pag. 99.

De ſcripto ejus, cui titulus: Origo gentis Romanæ.

Genealogia Regum Italiæ ante Romulum.

Reges Italiæ ante & poſt adventum Æneæ in Italiam, ſecundum Sextum Aurelium Victorem.

Reges Italiæ ante adventum Æneæ in Italiam.

SATURNUS p. 99.
JANUS p. 100.
PICUS. ibid.
FAUNUS. ibid.
LATINUS. p. 102.
LAVINIA.
Mar. ÆNEAS.

Reges Italiæ poſt adventum Æneæ in Italiam.

ANCHISES. p. 102.
Æneas. p. 102.
Ux. I. CREUSA.
II. LAVINIA Anii ſacerdotis filia. p. 102.
III. LAVINIA filia LATINI. p. 103.

ASCANIUS Rex Latinorum, qui & JULUS dictus eſt. p. 103.
JULUS. p. 104. — JULIA. p. 103.

SILVIUS Rex Albanorum. p. 104.
TIBERIUS Silvius Rex. p. 104.
Aremulus Silvius. Rex. p. 104.
Aventinus Silvius. Rex. p. 104.
Silvius Procas. Rex. p. 104.
Numitor. p. 104. — Amulius. Rex. p. 104.
Habuit filium ab Amulio interfectum. p. 104. — Rhea Silvia. p. 104.
Romulus & Remus. p. 104.

Præmiſſis hiſce quaſi in Prodromo, hiſtoriam Romanam aggreditur, illamque duabus abſolvit partibus. Earum prima agit de Viris Illuſtribus, quorum rebus geſtis Res Romanorum ita crevit, ut Dominos Orbis ſe dicere non erubuerint. Inter primos horum Virorum illuſtrium occurrunt primi Reges Romanorum, de quibus ſequens eſt.

De ſcripto Victoris in quo agit de Viris Illuſtribus.

Tabula

Genealogia & Chronologia Regum Romanorum.

Tabula partim Genealogica partim Chronologica. Secundum AURELIUM VICTOREM.

ROMULUS. Rex Romanorum †. A. U. C. 37. p. 110.

* *

NUMA POMPILIUS. Rex. A. U. C. 38. p. 110.

* *

TULLUS HOSTILIUS. Rex. A. U. C. 81. p. 110.

FILIA. Ex qua p. 110.

ANCUS MARCIUS. Rex A. U. C. 113. pag. 110.

FILII. A quibus Lucius Tarquinius Priſcus interfectus. pag. 110.

* * * *

LUCIUS TARQUINIUS PRISCUS. Rex. A. U. C. 121. pag. 110. Ux. TANAQUIL. pag. 110.

SERVIUS TULLIUS. Rex. A. U. C. 175. pag. 111.

TARQUINIUS SUPERBUS. Rex. A. U. C. 219. pag. 112. Ux. TULLIA. Servii Tullii filia. pag. 111.

FILIUS alius. Uxor. altera filia Servii Tullii pag. 111.

TULLIA pag. 111. Mar. Tarquinius Superbus. Rex Romanorum pag. 112.

FILIA alia pag. 111. Mar. Filius alter Tarquinii Priſci pag. 111.

SEXTUS TARQUINIUS. Ob ſtuprum Lucretiæ illatum, familiæ ſuæ exilium contrahit. A. U. C. 243. pag. 112.

Ejectos Reges apud Aurelium Victorem ſequuntur Viri Illuſtres proprie ſic dicti, quos ſubjicimus ordine Chronologico ſequenti, quem Victor in recenſione ſua adeo accurate non obſervat.

Viri Illuſtres Romanorum poſt ejectos Reges uſque ad Auguſtum Imperatorem ab Aurelio Victore recenſiti.

Poſt Urbem Conditam.	Olympiades.	Ante Chriſtum natum.		
243	67	510	L. JUNIUS BRUTUS	pag. 112.
245	68	508	Porſenna Tarquinios reſtituere conatur	ibid.
			HORATIUS Cocles	ibid.
			MUTIUS Scævola	ibid.
			CLOELIA	ibid.
256	70	497	A. POSTUMIUS Dictator	pag. 113.
258	71	495	MENENIUS AGRIPPA	ibid.
261	72	492	CAJUS MARCIUS CORIOLANUS	ibid.
275	75	478	FABII trecenti occiduntur	pag. 112.
294	80	459	Q. MINUTIUS Dictator	pag. 113.
301	82	452	DECEMVIRI creati	pag. 114.
303	82	450	DECEMVIRI abrogati	ibid.
315	85	438	Q. MINUCIUS Dictator Sp. Mœlium occidit	pag. 113.
357	96	396	Fidenates Romanorum legatos interficiunt	pag. 114.
363	97	390	M. FURIUS CAMILLUS	ibid.
			M. MANLIUS CAPITOLINUS	ibid.
370	99	383	M. Manlius Capitolinus de ſaxo Tarpejo præcipitatur.	ibid.
377	101	376	LICINIUS STOLO.	pag. 113.
389	104	364	Licinius Stolo alter è plebe Conſul fit	ibid.
392	104	361	TITUS MANLIUS Torquatus	pag. 115.
406	108	347	M. VALERIUS cum Gallo dimicat	ibid.
415	110	338	P. DECIUS MUS	pag. 114.
			T. Manlius Torquatus filium ſecuri percutit	pag. 115.
430	114	323	L. PAPIRIUS Curſor	ibid.
433	115	320	SP. POSTUMIUS	ibid.

Post Urbem Conditam.	Olympiades.	Ante Christum natum.		
455	120	298	P. DECIUS filius uti pater se Dis Manibus devovet	ibid.
461	122	292	ÆSCULAPIUS Epidauro arcessitur	pag. 114.
471	124	282	PYRRHUS Romanis bellum infert	pag. 116.
478	126	275	MANIUS CURIUS DENTATUS	pag. 115.
480	126	273	Pyrrhus in Græcia prosternitur	pag. 116.
492	129	261	C. DUILIUS classem fabricat	ibid.
497	131	256	M. ATILIUS REGULUS à Carthaginiensibus captus	pag. 117.
498	131	255	M. ATILIUS CALATINUS	ibid.
510	134	243	C. LUTATIUS CATULUS Pœnis victis pacem concedit	pag. 117.
534	140	219	APPIUS CLAUDIUS CAUDEX Carthaginienses Messana expellit, & Hieronem capit	pag. 116.
			Annibal Saguntum evertit	pag. 117.
541	142	212	M. MARCELLUS triumphat in Monte Albano	ibid.
542	142	211	P. CORNELIUS SCIPIO AFRICANUS Carthaginem novam capit.	pag. 118.
543	142	210	Q. FABIUS MAXIMUS CUNCTATOR Annibalem vincit.	pag. 117.
545	143	208	Asdrubal in Italiam trajicit	pag. 118.
548	143	205	P. SCIPIO NASICA	pag. 117.
			CLAUDIA Virgo Vestalis, falso incestus suspecta, matrem Deûm è Pessinunte arcessitam movet.	pag. 118.
			P. Cornelius Scipio Africanus in Africam trajicit.	ibid.
			M. LIVIUS SALINATOR.	ibid.
550	144	203	Q. FABIUS RULLIANUS MAXIMUS moritur	pag. 115.
554	145	199	T. QUINTIUS FLAMININUS	pag. 118.
557	146	196	M. PORCIUS CATO Matronis ornamenta disputat.	ibid.
561	147	192	Antiochus Syriæ Rex, bellum Romanis infert.	pag. 119.
562	147	191	L. SCIPIO ASIATICUS	ibid.
563	147	190	C. MANLIUS VULSO	ibid.
			Annibal veneno se ipsum absumit	pag. 117.
569	149	184	P. Cornelius Scipio Africanus in exilio voluntario moritur	pag. 118.
583	152	172	TIB. SEMPRONIUS GRACCHUS	pag. 119.
585	153	168	L. PAULLUS ÆMILIUS duos filios amittit	pag. 119.
604	157	149	Q. CÆCILIUS METELLUS Macedonicus	pag. 120.
606	168	147	PUBLIUS SCIPIO ÆMILIANUS Carthaginem delet.	pag. 119.
			LUCIUS MUMMIUS ACHAICUS	pag. 120.
612	159	141	Viriathus Lusitanus à corruptis satellitibus perimitur	pag. 121.
615	160	138	CAJUS HOSTILIUS MANCINUS	pag. 119.
			TIBERIUS GRACCHUS	pag 120.
619	161	134	M. ÆMILIUS SCAURUS	pag. 121.
620	161	133	Publicus Scipio Æmilianus Numantiam delet	pag. 119.
624	162	129	Publius Scipio Æmilianus exanimis invenitur	ibid.
631	164	122	Cajus Gracchus interficitur	pag. 120.
650	169	103	L. APPULEJUS SATURNINUS	pag. 122.
653	170	100	Q. Cæcilius Metellus in exilium agitur & revocatur.	pag. 120.
661	172	92	MARCUS LIVIUS DRUSUS	ibid.
666	173	87	CAJUS MARIUS voluntaria morte decedit	pag. 121.
			L. LICINIUS LUCULLUS	pag. 122.
			Mithridates, Rex Ponti, à Sulla vincitur	ibid.
668	173	85	LUCIUS CORNELIUS CINNA lapidibus occiditur	pag. 121.
			C. FLAVIUS FIMBRIA semet occidit	ibid.
670	174	83	CAJUS MARIUS filius jugulandum se Pontio Telesino præbet.	ibid.
672	174	81	QUINCTUS METELLUS PIUS	pag. 120.
674	175	79	L. Cornelius Sulla Phthiriasi interit	pag. 122.
689	179	64	Mithridates Rex Ponti occiditur	pag. 123.
704	182	49	Cn. POMPEJUS Magnus à Cæsare in Pharsalia vincitur	ibid.
707	183	46	CATO PRÆTORIUS semet occidit	pag. 124.
708	183	45	C. JULIUS CÆSAR occiditur	pag. 123.
709	184	44	CÆSAR OCTAVIANUS Marcum Antonium debellat	ibid.
			M. TULLIUS CICERO occiditur	pag. 124.
			MARCUS BRUTUS occiditur	ibid.
			CAJUS CASSIUS LONGUS occiditur	ibid.
717	186	36	SEXTUS POMPEJUS occiditur	ibid.
721	187	32	MARCUS ANTONIUS in Actiaca pugna ab Augusto vincitur	ibid.
722	187	31	M. Antonius semet occidit	ibid.
			CLEOPATRA admotis aspidibus interit	pag. 125.
725	188	28	Cæsar Octavianus à Senatu DIVUS AUGUSTUS appellatur	pag. 123.

Post-

Postquam Populus Romanus uni cœpit parere, uni illi amplior & magnificentior titulus quoque est attributus. Non erat ille titulus Dictatoris perpetui, sed Divi Augusti. Dictator enim in perpetuum factus quoque à Senatu Julius Cæsar, uti & Cæsar Octavianus, hic vero etiam ob res gestas appellatus est DIVUS AUGUSTUS, postquam nimirum Imperium Romanum auxerat ultima, ex diviso Magno Imperio Græco, parte, Ægypti regno, illudque in provinciam Romanam redegerat. Admiranda in hoc quoque providentia divina, quod Romani tamdiu uni Imperium denegaverint, donec Monarchia græca in regno Ægyptiaco devicto, plane fuerat deleta. Retinuerunt hunc titulum successores Divi Augusti, ut numi omnes fere, effigies illorum referentes, loquuntur, usque ad Augustum Nervam, qui Hadrianum adsciverat ad Imperium. A quo tempore divisa nomina *Cæsarum* & *Augusti*, inductumque, ut duo, seu plures summæ potentiæ dissimiles, cognomento ac potestate dispari essent. Sanctius vero erat nomen Augusti, cum & alias appellarentur Imperatores. De his sub titulo Cæsarum agit Aurelius Victor parte altera, quam historiam abbreviatam dicit. Hos ut ordine partim Genealogico partim Chronologico subjiciamus, cœptus à nobis mos expostulat. Sequuntur igitur

Transitio ad Cæsares.

Au-

Genealogia & Chronologia Auguſtorum, Cæſarum ſeu Imperatorum Romanorum.

Auguſti, Cæſares ſeu Imperatores partim genealogice partim chronologice, ab Octaviano Auguſto, uſque ad Julianum, ſecundum Sextum Aurelium Victorem.

C. Julius Cæſar.
Ux. Aurelia.

CAJUS JULIUS CÆSAR. p. 126.

Julia. Mar. M. Acolus Balbus p. 126.

Accia. Mar. C. Octavius p. 126.

1. C. JULIUS CÆSAR OCTAVIANUS AUGUSTUS. Imp. U. C. 725. †. A. C. 14. p. 126. Ux. I. SCRIBONIA p. 144. II. LIVIA p. 144.

Tiberius Claudius Nero.
Ux. LIVIA.

2. CLAUDIUS TIBERIUS NERO. Imp. A. C. 14. †. A. C. 37. p. 126. 127. 144.

Nero Claudius Druſus p. 127. 144.
Ux. Antonia. Filia Agrippæ. p. 127.

GERMANICUS Cæſar. p. 144.

4. TIBERIUS CLAUDIUS. Imp. A. C. 41. Veneno interimitur. A. C. 54. p. 127. 128. 145. Ux. I. MESSALINA. p. 127. 145. Ux. II. AGRIPPINA fratris filia. p. 145.

BRITANNICUS. Cæſar.

Agrippina. p. 145. Mar. Cn. Domitius Ænobarba. p. 145.

3. CAJUS CALIGULA. Imp. A. C. 37. Occiſus A. C. 41. p. 127. 144.

5. L. DOMITIUS NERO. Imp. A. C. 54. ſemet ictu transigit. A. C. 68. p. 128. 145. Ux. I. SABINA. p. 145. II. POPPÆA. p. 145.

* *

6. GALBA. E gente Sulpiciorum. Imp. A. C. 68. Cæſus eodem Anno. p. 128. 145.

* *

7. SALVIUS OTHO. Imp. A. C. 68. mortem ſibi conſciſcit eodem anno. p. 129. 146.

* *

Lucius Vitellius Conſul. p. 146.

8. AULUS VITELLIUS. Imp. A. C. 69. Confoditur eodem anno p. 129. 146.

* *

9. T. FLAVIUS VESPASIANUS. Imp. A. C. 69. †. A. C. 79. p. 129. 146.
Ux. DOMITILLA. p. 140.

10. TITUS VESPASIANUS. Imp. A. C. 79. Veneno interit. A. C. 81. p. 129. 130. 146. Amica. Berenice. Cæcinæ Conſularis Uxor. p. 146.

11. DOMITIANUS, Imp. A. C. 81. Interficitur. A. C. 96. p. 130. 147. Ux. DOMITIA p. 147.

12. NERVA. Cretensis. Imp. A. C. 96. Imperio se abdicat. A. C. 98. pag. 130. 147.

13. ULPIUS TRAJANUS. Imp. A. C. 98. † A. C. 117. pag. 130. 147.
Ux. PLOTINA. p. 130.

14. ÆLIUS HADRIANUS. Imp. A. C. 117. † A. C. 138. p. 130. 148.
Ux. SABINA. p. 148.

LUCIUS ÆLIUS. Adoptatus ab Hadriano. Cæsar dictus A. C. 136. † A. C. 138. pag. 131.

Filia. p. 149.
Mar. 15. AURELIUS ANTONINUS Fulvius seu Bojonius PIUS. Ab Hadriano post mortem Lucii Ælii adoptatus. Imp. A. C. 138. † A. C. 161. p. 131. 149.

FAUSTINA. p. 131.
Mar. 16. M. Bojonius Aurelius ANTONIUS PHILOSOPHUS Imp. A. C. 161. † A. C. 180. p. 131. 149.

LUCIUS ANNIUS VERUS. Ab Antonino Pio adoptatus, ab Antonino Philosopho in societatem potentiæ acceptus; hinc Cæsar vocatus. † A. C. 170. pag. 131. 149.

17. AURELIUS COMMODUS ANTONINUS. Cæsar A. C. 176. Imp. A. C. 180. Interfectus A. C. 193. p. 131. 132. 149.

18. AULUS HELVIUS PERTINAX. Imp. A. C. 193. Jugulatus eodem anno. p. 132. 150.

19. DIDIUS vel Salvius JULIANUS. Imp. A. C. 193. Obtruncatus eodem anno. p. 132. 150.

20. SEPTIMIUS SEVERUS. Imp. A. C. 193. † A. C. 212. p. 132. 133. 150.
Ux. I. MARCIA.
II. JULIA. p. 133.

21. PESCENNIUS NIGER. Imp. A. C. 193. à Severo victus & mori coactus A. C. 194. pag. 132. 150.

22. CLODIUS ALBINUS. A. C. 193. à Severo victus & mori coactus. A. C. 198. p. 132. 150.

23. ANTONINUS BASSIANUS CARACALLA. Imp. A. C. 211. † A. C. 217. p. 133. 150.

24. GETA. Imp. A. C. 211. Interiit. A. C. 212. p. 133. 150.

26. MARCUS Aurelius Antoninus Varius HELIOGABALUS. Caracallæ, ex Semea consobrina occulte stuprata, filius. Imp. A. C. 218. Oppressus A. C. 922. p. 133. 134. 150.

25. OPILIUS MACRINUS. Imp. A. C. 217. Interfectus eodem anno. pag. 133. 150.

DIADUMENUS Antoninus. Cæsar A. C. 217. Interfectus eodem anno. p. 133. 150.

MAMÆA. p. 151.

27. AURELIUS ALEXANDER SEVERUS. Imp. A. C. 222. Trucidatus A. C. 253. p. 134. 150.

28. Cajus Julius MAXIMINUS Thrax. Imp. AC. 235. Occisus A. C. 238. p. 134. 151.

Cajus Julius MAXIMINUS. Cæsar. A. C. 235. Occisus cum patre. A. C. 238. pag. 134. 151.

29. ANTONINUS GORDIANUS. I. Imp. A. C. 237. Manus sibi infert eodem anno. p. 134. 151.

ANTONINUS GORDIANUS II. Cæsar A.C. 237. In prælio periit eodem anno. Hunc Gordianum II. Aurelius Victor non recenset. p. 151.

FILIA. p. 151. Ex qua.

30. GORDIANUS III. Imp. A. C. 238. Insidiis Philippi perit. A. C. 244. p. 134. 151.

CLODIUS PUPIENUS. Cæsar. A.C. 237. Cæsus A. C. 238. p. 134. 151.

CÆCILIUS BALBINUS. Cæsar. A.C. 237. Cæsus A. C. 238. p. 134. 151.

E triginta tyrannis & aliis Anti-Cæsaribus ab Aureliano Victore & in Epitome ejus, sequentes nominantur.

Lucius Priscus. p. 135.
Julius Valens. ibid.
Valens Licinianus. ibid. & 151.
Regallianus vel Regillianus. ibid.
Cassius. p. 151.
Labienus. p. 151.
Postumus. p. 136. 151.
Ælianus. p. 151.
Æmilius Æmilianus. p. 135. 151.
Valens. p. 151.
Lollianus. p. 156.
Marius. p. 136.
Victoria p. 136.
Victorinus. p. 136. 152.
Tetricus. p. 136.
Tetricus. p. 136.
Aureolus. p. 136. 151.
Celsus. p. 137.
Septimius. p. 152.
Saturninus. p. 152.
Proculus. p. 152
Bonosus. ibid.
Sabinus Julianus. ibid.
Achilleus. p. 139. 152.

31. MARCUS JULIUS PHILIPPUS Arabs Thraconites. Imp. A. C. 244. Occisus. A. C. 249. p. 135. 151.

32. PHILIPPUS. In Epitome p. 151. nominatur CAJUS JULIUS SATURNINUS. Imp. A. C. 244. Occisus A. C. 249. p. 135.-151.

33. DECIUS. Imp. A. C. 249. Periit A. C. 252. p. 135. 151.

ETRUSCUS DECIUS. Cæsar A. C. 249. Cum patre perit A. C. 252. p. 135. 151.

34. HOSTILIANUS Decius Perpenna. Imp. A. C. 252. † eodem anno. p. 135. 151.

35. VIBIUS GALLUS. Imp. A. C. 252. In prælio perit A. C. 253. p. 135. 151.

VOLUSIANUS. Cæsar. A. C. 252. Occisus A. C. 253. p. 135. 151.

36. LICINIUS VALERIANUS Colobius. Imp. A. C. 253. Perit in captivitate A. C. 259. p. 135. 151.

37. GALLIENUS. Cæsar. A. C. 253. Imp. A. C. 259. Occisus A. C. 268. p. 135. 136. 151.
Ux. SALONINA. p. 136. 151.
Amica. PIPA. Attali Germanorum vel Marcomannorum Regis filia. p. 136. 151.

CORNELIUS VALERIANUS. Cæsar à Valeriano dictus. p. 151.

SALONINUS. Cæsar. A.C. 261. † in juventute. pag. 136. 151.

38. CLAUDIUS. Imp. A.C. 268. † A.C. 270. p. 137. 151. 152.

Aurelius. pag. 152.

39. AURELIANUS. Imp. A. C. 270. Occisus A. C. 275. p. 137. 152.

40. TACITUS. Imp. A. C. 275. † Eodem anno. p. 137. 152.

41. FLORIANUS frater Taciti. Imp. A. C. 275. Interficitur eodem anno. p. 137. 152.

42. PROBUS. Imp. A. C. 276. Occisus A. C. 282. p. 137. 138. 152.

43. CARUS. Imp. A.C. 282. Fulminis tactu conflagrat. A.C. 283. p. 138. 152.

44. CARINUS. Cæsar. A. C. 282. Imp. A.C 283. Suorum ictu interit. A. C. 285. p. 138. 152.

45. NUMERIANUS, Cæsar. A.C. 282. Imp. 283. Soceri insidiis extinguitur, A.C. 284. p. 138. 152.

46. VALERIUS DIOCLETIANUS Jovius. Imp. A. C. 284. Imperium ponit. A. C. 305. pag. 138. 139. 152.

VALERIA. Filia naturalis Diocletiani. p. 139.
Mar. 49. GALERIUS MAXIMIANUS Armentarius. Cæsar A. C. 291. Uxorem primam dimisit. Imp. A.C. 305. † A. C. 311. p. 139. 140. 152.

* SEVERUS. Galerii Maximiani Sororis filius. Cæsar A.C. 305. † A. C. 307. p. 340. 153.

* MAXIMINUS. Galerii Maximiani sororis filius. Cæsar A. C. 305. † A. C. 313. p. 140. 153.

* MARTINIANUS. à Licinio ad Imperium cooptatus A. C. 325. Occisus eodem anno p. 141. 153.

* VALENS. Imp. creatur, sed à Licinio morte mulctatur. p. 152.

* MAGNENTIUS. Imperium arripit. A. C. 351. A Constantio victus, sibi manus infert. A. C. 354. p. 141. 154.

* DECENTIUS à fratre Magnentio Cæsar appellatus A. C. 351. laqueo vitam finit A. C. 354. p. 141. 154.

* ALEXANDER. Dominatui incumbit in Africa A.C. 308. Occiditur A.C. 312. p. 140. 152. 153.

* VETRANIO. Dominationem occupat A. C. 351. sed à Constantio dejicitur, & ad privatam vitam redigitur. pag. 141. 154.

* SILVANUS. Imperium invadit, sed paucos post dies trucidatur. p. 142. 154.

47. MAXIMIANUS HERCULEUS. Imp. A.C. 286. Necem sibi infert A. C. 310. p. 139. 152.

THEODORA Privigna Maximiani Herculei. pag. 139. 152.
Mar. 48. JULIUS CONSTANTIUS. Cæsar A. C. 291. Imp. A. C. 305. Hujus uxor prima, quam dimisit, erat HELENA Britannica. † A. C. 306. pag. 139. 152. 153.

52. MAXENTIUS. Imp. A.C. 306. Occisus A.C. 312. p. 140. 153.

* 51. LICINIUS Cæsar A. C. 307. Imp. cum Constantino I. M. A.C. 312. Occisus A. C. 325. p. 140. 153.
Ux. CONSTANTIA. Constantini I. M. soror pag. 140. 153.

LICINIANUS. Cæsar. A. C. 317. Occisus. A. C. 325. p. 140. 153.

CONSTANTIA. p. 140. 153.
Mar. LICINIUS. Imp. vide à latere.

50. FLAVIUS CONSTANTINUS I. M. Imp. A. C. 306. in Britannia. Cum Licinio A.C. 312. Solus occiso Licinio A. C. 325. † Ao. 337. pag. 140. 141. 153. 154.
Ux. FAUSTA. pag. 154.

CRISPUS. ex concubina Minervina. Cæsar. A. C. 315. Jussu patris occisus A.C. 325. p. 141. 153.

53. CONSTANTINUS II. Cæsar. A. C. 315. Imp. A. C. 337. In prælio cum fratre Constante cadit A. C. 340. p. 141. 154.

54. CONSTANTIUS II. Cæsar. A. C. 326. Imp. A. C. 337. Solus Imp. occiso Constante A. C. 350. † A. C. 361. p. 141. 142. 154.
Ux. EUSEBIA. p. 155.

55. CONSTANS. Cæsar A. C. 336. Imp. A. C. 337. Occisus à Magnentio A. C. 350. p. 141. 154.

CONSTANTINA. p. 154. Mar. GALLUS. vid. à latere.

FLAVIUS CONSTANTIUS.

GALLUS. Cæsar. A. C. 350. Occisus A. C. 354. pag. 142. 154.
Ux. CONSTANTINA. Constantini I. M. filia. vid. à latere.

56. CLAUDIUS JULIANUS Apostata. Cæsar. A. C. 355. Imp. A. C. 361. Occisus A. C. 364. p. 142. 155.

ANNIBALIANUS p. 154.

DALMATIUS. Cæsar A. C. 336. p. 141. 154.

EUTROPIA. p. 154.

NEPOTIANUS. Augusti nomen rapit, sed à Magnentio opprimitur A. C. 350. p. 154.

Hucusque Sextus Aurelius Victor de Cæsaribus, ultimum enim, quem nominat, est Julianus Apostata. Eosdem quoque recensuit Auctor Excerptorum ex libris Sexti Aurelii Victoris, de Vita & Moribus Imperatorum Romanorum, à Cæsare Augusto usque ad Theodosium Imperatorem. Sequuntur hæc Excerpta in Tomo hoc secundo Librum de Cæsaribus sub Titulo Generali, Sexti Aurelii Victoris Epitome.

pag. 142. De Epitome Sexti Aurelii Victoris. pag. 143.

A quo hæc Epitome sit conscripta, non constat, hoc vero certum, non conscripsisse eam Sextum Aurelium Victorem. Præprimis hoc nobis persuadet, præter diversitatem styli; hinc inde personæ ab Epitomatore nominatæ, quas Victor præteriit. Sic exempli loco apud illum reperimus, Eutropiam Julii Constantii filiam, Constantini I. M. sororem, matrem Nepotiani; Constantinam, filiam Constantini I. M uxorem Galli Imp., & uxorem Constantii II. Quas omnes apud Victorem, cum uxore Constantini I. M. Fausta, frustra quærimus.

Illius Auctor.

Exinde vero non putandum, ac si Epitomator excerpta hæc traxerit ex Victoris libro de Cæsaribus, sic enim Epitome, operi ex quo contracta, magnitudine accederet, cum & ipse Victoris liber de Cæsaribus jam sit Historia abbreviata. Ceterum ubi conveniant vel discrepent, facile conferentibus inter se libros, secundum allegatas in tabula præcedente paginas, patebit. Protendit vero Epitomen suam Auctor incognitus usque ad Arcadium & Honorium juxta sequentis tabulæ tenorem.

Unde excerpta.

Continuatio Augustorum, Cæsarum, seu Imperatorum, secundum Epitomen Sexti Aurelii Victoris.

* * * * * *

57. JOVIANUS. Imp. A. C. 364. † anno eodem. p. 155.

* *

FIRMUS. Regnum invadit, sed extinguitur.

* *

MAXIMUS. Tyrannidem arripit, Gratianum fugat, & extinguit A.C. 383. p. 156.

VICTOR à patre Augustus factus, sed à Theodosio I. M. necatus. p. 156.

* *

EUGENIUS. Tyrannus, à Theodosio superatus. p. 156

* *

ARBOGASTES tyrannus pariter à Theodosio superatus. p. 156.

GRATIANUS Funarius, post Præfectus Prætorio. p. 155.

58. VALENTINIANUS I. Imp. A.C. 364. † A.C. 375. p. 155.

59. VALENS. Imp. A.C. 364. à Gothis concrematus A.C. 377. p. 155. 156.

60. GRATIANUS Imp. A. C. 367. Occisus A. C. 383. p. 155. 156.

61. VALENTINIANUS II. Imp. A.C. 375. Interfectus A. C. 392. p. 156.

*

Honorius. p. 156.
Ux. Thermantia. p. 156.

62. THEODOSIUS. I. M. Imp. A. C. 376. † A.C. 393. p. 156.

63. Arcadius p. 157. 64. Honorius p. 157.

PROCOPIUS. Tyrannidem invadens, extinguitur. p. 155.

His utramque Rempublicam, Orientalem scilicet & Occidentalem, quietam reliquit Theodosius I. M. Cum quibus etiam definit Auctor Epitomes Sexti Aurelii Victoris. Hinc progredimur ad

Membrum VI.
DE
SEXTO RUFO.

DE Sexti Rufi particularibus plura dicere non poſſumus, quam quæ in titulo Breviarii ſui ſuppeditantur, ubi Vir Conſularis; Dictator & Magiſter Militum prædicatur. Quo tempore vixerit & ſub quo Imperatore, declarat Breviarii Dedicatio facta Pio, perpetuo Domino VALENTINIANO Imperatori & ſemper Auguſto. Hujus juſſu conſcripſit Breviarium ſuum, quod ſtatim ſub initio ſequentibus fatetur: *Brevem fieri clementia tua libellum præcepit. Parebo libens præceptis, quippe cui deſit facultas latius eloquendi: ac morem ſequutus calculatorum, qui ingentes ſummas ære breviori exprimunt, Res Geſtas ſignabo, non eloquar.* Brevitatem promittit, quam & fideliter obſervavit, ut opus non ſit, ex Breviario rerum geſtarum Populi Romani ſeptem paginarum, breviariolum unius paginæ congerere. Methodus tamen ipſius & ratio ſcribendi non prætereunda, de quibus rurſus ipſum audiamus. *Intimabo,* inquit, breviter, *quantum Roma profecerit ſub tribus imperandi generibus, hoc eſt Regio, Conſulari, & Imperatorio.* Hic eſt primarius finis Sexti Rufi, unde in ipſius Breviario vix ullam provinciam devictam ſub hoc triplici Imperio à Romanis, in tribus mundi, partibus, Europa, Aſia & Africa, prætermiſſam deprehendes, & id quidem ab Urbe Condita uſque ad Imperatorem Jovianum, cujus ſucceſſoris Valentiniani factorum deſcriptionem paucis hiſce promittit: *Quam magno deinceps ore, tua, Princeps invicte, facta inclyta ſunt perſonanda: Quibus me licet imparem dicendi niſu, & ævo grandior præparabo.*

Sextus Rufus quis. Quando vixerit. pag. 161. De Breviario ipſius. Methodus & ratio ſcribendi. pag. 167.

Membrum VII.
DE
EUTROPIO.

NIſi Eutropius de ſeipſo *Lib. X. Cap. VIII. pag.* 197. hujus Editionis ſcripſiſſet, ſe Parthicæ expeditioni, ab Imperatore Juliano ſuſceptæ, interfuiſſe, eumque GEORGIUS CODINUS *in Selectis de Originibus Conſtantinopolitanis* GEORGIO DOUSA interprete, Sophiſtam nominaſſet, ac PETRUS LAMBECIUS *in animadverſionibus ad prænominatum Codinum num. XVII.* teſtatus fuiſſet, in Codice Vaticano legi, Εὐτρόπιον ἐπιςολόγραφον Κωνςαντίνε, ſolum nomen haberemus Eutropii, Viri Conſularis; fuit enim ſub Valentiniano Imperatore Conſul, teſte CASSIODORO *Chron. pag.* 244. *hujus Edit.* Ad hujus fratrem Valentem Imperatorem ſcripſit Breviarium ſuum Hiſtoriæ Romanæ, quod à pagina 171. uſque ad paginam 197. hoc Tomo denuo erudito Orbi exhibetur, uti per ELIAM VINETUM integritati ſuæ reſtitutum, atque Amſtelodami Anno 1625. una cum aliis Romanæ Hiſtoriæ Breviatoribus editum fuit. Incipit Breviarium hoc ab Urbe Condita, atque in recenſione Regum Romanorum plane non differt à Sexto Aurelio Victore; pergit deinde narrando Res Romanas ſub Romanis ordine Chronologico, quem in margine diligenter annotavimus, & hic denuo repetere ſuperfluum duximus, quoniam, cum præcedentibus ſcripto-

Eutropius quis. Ad quem ſcripſerit Breviarium. Contenta Breviarii. pag. 171.

ſcriptoribus, collatione facta, omnia convenient. Libro VII. p. 186. verſo regimine Conſulari in Imperatorium pergit Eutropius in conſignatione Imperatorum Romanorum ipſorumque rerum geſtarum. Non diſſentit, genealogica quod attinet, à Sexto Aurelio Victore uſque ad Imperatorem Jovinianum. Quapropter hoc loco ſufficiat

Series Chronologica Imperatorum Romanorum ab Octaviano Auguſto, uſque ad Jovinianum, ſecundum Eutropium.

Poſt Urbem Conditam.	Ante Chriſtum natum.		Pag.
722	31	OCTAVIANUS AUGUSTUS.	186
	Poſt Chriſtum natum.		
766	14	TIBERIUS.	187
789	37	CAJUS CALIGULA.	
793	41	CLAUDIUS.	
806	54	NERO.	
820	68	SERVIUS GALBA.	
820	68	OTHO.	
821	69	VITELLIUS.	188
821	69	VESPASIANUS.	
831	79	TITUS VESPASIANUS.	
833	81	DOMITIANUS.	
848	96	NERVA.	
850	98	ULPIUS TRAJANUS CRINITUS.	
869	117	ÆLIUS ADRIANUS.	189
890	138	T. ANTONINUS FULVIUS BOJONIUS PIUS.	190
913	161	M. ANTONINUS VERUS.	
913	161	L. ANNIUS ANTONINUS VERUS.	
932	180	COMMODUS.	
945	193	PERTINAX.	191
945	193	SALVIUS JULIANUS.	
945	193	SEPTIMIUS SEVERUS.	
946	194	PESCENNIUS NIGER.	
950	198	CLODIUS ALBINUS.	
963	211	MARCUS ANTONINUS BASSIANUS CARACALLA.	
963	211	GETA.	
969	217	OPILIUS MACRINUS.	
970	218	M. AURELIUS ANTONINUS.	
974	222	AURELIUS ALEXANDER.	
987	235	MAXIMINUS.	
989	237	PUPIENUS.	192
989	237	BALBINUS.	
989	237	GORDIANUS I.	
989	237	GORDIANUS II.	
990	238	GORDIANUS III.	
996	244	PHILIPPUS PATER.	
996	244	PHILIPPUS FILIUS.	

DECIUS

Post Urbem Conditam.	Post Christum natum.		Pag.
1001	249	DECIUS.	
1004	252	GALLUS.	
1004	252	HOSTILIANUS.	
1004	252	VOLUSIANUS.	
1005	253	LICINIUS VALERIANUS.	
1005	253	GALLIENUS.	
1020	268	CLAUDIUS.	193
1022	270	QUINTILIUS.	
1022	270	AURELIANUS.	
1027	275	TACITUS.	
1027	275	FLORIANUS.	
1028	276	PROBUS.	
1034	282	CARUS.	
1034	282	CARINUS.	
1034	282	NUMERIANUS.	
1036	284	DIOCLETIANUS.	194
1038	286	MAXIMIANUS HERCULIUS.	
1057	305	CONSTANTIUS.	195
1057	305	MAXIMIANUS GALERIUS.	
1058	306	CONSTANTINUS I. M.	
1089	340	CONSTANTINUS II.	196
1089	340	CONTANTIUS II.	
1089	340	CONSTANS.	
1113	361	JULIANUS.	197
1116	364	JOVIANUS.	

Membrum VIII.
DE
PAULLO DIACONO.

Paullus Diaconus quid scripserit.

UBi pedem sistit Eutropius, ibi Paullus Diaconus pergit de Gestis Romanorum, in libris ad Eutropii Historiam additis. Est hæc additio, seu appendix ad Eutropium germana & primigenia Paulli Diaconi, ut loquitur Clarissimus ANTONIUS MURATORIUS *Tom. I. scriptor. Rer. Italicar. Præfatione ad Historiam Miscellam*, cujus priores undecim libri Eutropio, reliqui vel huic Paullo Diacono, vel Landulpho Sagaci, tam incerto vero fundamento, vulgo adscribuntur, ut idem modo laudatissimus Muratorius in citatione Historiæ hujus Miscellæ, prætermisso auctoris nomine, meliori consilio citare velit *Auctorem Miscellæ* quam *Eutropii Historiam Miscellam* vel *Appendicem Paulli Diaconi ad illam.* Varia scripta historica confecit, nimirum præsentem *Appendicem ad Eutropium, Gesta Episcoporum Metensium. Vitam Gregorii Papæ primi. Vitam S. Arnulphi. Vitam S. Benedicti metrice, & tandem Gesta Langobardorum.*

Hæc postrema edidit MURATORIUS *Tom. I. Scriptorum Rer. Italicar. p.* 395. *sqq.* quorum *Lib. IV. Cap. XXXIX. p.* 467. Genealogiam suam recenset, quo Lectorem Eruditum remittimus, hoc unico saltem addito, ex ea recensione apparere, Paullum nostrum Diaconum, Warnefridum dici, quod pater hoc nomen gesserat.

Verun-

Veruntamen cum Diaconus audiat, (qui poſtea Caſinatibus Monachis ſe adjunxit, in eoque monaſterio circiter annum Chriſti 799. obiit) illum litera *pag.* 201. in pontificali habitu, hiſtorias ſcribentem exhibet. Exhibemus porro

Explicatio literæ. pag. 201.

Seriem partim Genealogicam, partim Chronologicam Imperatorum Romanorum tum Orientis tum Occidentis, à Valentiniano I. uſque ad Leonem, ſecundum Paullum Diaconum.

GRATIANUS.

58. Valentinianus I. Imp. A. C. 364. †. A. C. 375. p. 201.
Ux. I. . . . .
II. Juſtina. p. 202. 204.

59. Valens. Imp. A. C. 364. Concrematus. A. C. 378. p. 202.
Ux. Dominica. p. 202.

1. 60. Gratianus. Imp. A. C. 375. Occiſus A. C. 383. p. 202.

2. 61. Valentinianus II. Imp. A. C. 375. Interfectus A. C. 392. p. 202.

2. Grata. p. 202.

2. Juſta. p. 202.

2. Galla Placidia. p. 202. 204. Mar. Theodoſius I. Imp. vid. à latere.

Theodoſius. p. 203. Ux. Thermantia. p. 203.

62. Theodoſius I. M. Imp. A. C. 379. †. A. C. 395. p. 203. 204. 205.
Ux. I. Flacilla. p. 204.
Ux. II. Galla Placidia. Valentiniani I. Imp. filia. p. 204. vid. à latere.

63. Arcadius. Auguſtus in Oriente A. C. 395. †. A. C. 408. p. 204. 205.

Honorius. Auguſtus in Occidente. A. C. 395. †. A. C. 423. p. 205 - 207. Ux. I. Maria. II. Hermantia. filiæ Stiliconis p. 207.

Placidia poſtea Galla dicta. p. 204. 206. 207. Mar. I. Athaulfus. Rex Gothorum. p. 206. II. Conſtantius. Comes Honorii, poſt Cæſar. p. 207.

65. Theodoſius II. Imp. A. C. 408. †. A. C. 458. p. 207. 208.

Pulcheria. Mar. 67. Marcianus Imp. Orientis. A. C. 450. p. 209. peremptus. A. C. 457. p. 211.

Johannes. Imperium Occidentale invadit, ſed à Valentiniano oppreſſus. p. 207.

2. Valentinianus III. Cæſar A. C. 423. Imp. A. C. 425. †. A. C. 455. p. 207. 208. 211.
Ux. Eudoxia. Theodoſii II. Imp. filia. p. 208. vid. à latere.

Honoria. p. 210. Mar. Attila. p. 209. 210.

Eudoxia, p. 208. Mar. I. Valentinianus III. Imp. vid. à latere.
68. II. Maximus. Cœpit imperare in Occidente A. C. 455. ſed occiſus eod. an. p. 211.

69. Avitus. Imp. Occidentis A. C. 455. Renuntiavit imperio. A. C. 457. p. 211.

Placidia. p. 211.

Eudoxia. p. 211. Mar. Traſimundus. Filius Genſerici. p. 211. 215.

Hildericus. Rex Wandalorum in Africa p. 215.

Tyranni.

Thirmus. Regem ſe in Africa conſtituit, ſed à Valentiniano II. per Theodoſium patrem victus. p. 202.

Maximus. Tyrannus A. C. 382. Occiſus Ao. C. 388. p. 203.

Victor. Imp. à patre dictus. p. 204.

Eugenius ab Arbogaſte tyrannus creatus A. C. 391. ſed interfectus. A. C. 394. p. 204.
Theodorus tyrannus. p. 204.
Gildo.
Stilico. p. 205. 206.

Eucherius. p. 205. 206.
Gratianus. Conſtantius. Conſtans. Maximus. Jovinus. Sebaſtianus. Tertullus. Attalus. Heraclius. Sabinus. — p. 206.

* *

Aſper cum filio & germano oppreſſus. p.222.

* *

70. Leo Thrax. Imp. Orientis A.C. 457. † A.C. 474.
A.C. 457. † A.C. 474. p. 211.

76. Leo. Imp. 211. Poſt à matre Clericus factus. p. 212.

Ariadne
Mar. I. 77. Zeno. Imp. Orientis. A.C. 474. †. A.C. 491. p. 212. 213. 214.
II. 80. Anaſtaſius. Imp. Orientis A.C. 491. Ictu fulminis perit. A.C. 518. p. 215.

* *

N. N.

81. Juſtinus. Imp. Orientis A.C. 518. †. A.C. 527. p. 215. 216.

Filia. p. 216.

82. Juſtinianus I. M. Imp. A.C. 527. †. A.C. 565. p. 216. 217. 218.
Ux. Theodora p. 217.

Vigilantia.
Mar. Dulciſſimus.

83. Juſtinianus Minor. Imp. A.C. 565. †. A.C. 578. p. 218. 219.
Ux. Sophia. p. 218.

Anaſtaſia.
Mar. 84. Tiberius Conſtantinus Thrax. Imp. A.C. 578. †. A.C. 582. p. 219. 220.

Conſtantina. p. 220.
Mar. 85. Mauritius. In p. A.C. 582. à Phoca occiditur cum filiis A.C. 602. p. 221.

Theodoſius. p. 221. — Tiberius. p. 221. — Conſtantinus. p. 221.

* *

71. Majorianus. Imp. Occidentis. A.C. 457. p. 211. Occiſus A.C. 461. p. 211.

* *

72. Severus. Imp. Occid. A.C. 461. †. A.C. 465. p. 211.

* *

73. Antemius. Imp. Occid. A.C. 267. Occiſus A.C. 472. p. 211. 212.
Ux. . . . . Filia Ricimeris à quo Antemius occiſus. p. 212.

* *

74. Olimbrius. Imp. Occid. A.C. 472. †. eod. anno. p. 212.

* *

75. Licerius. Imp. Occid. A.C. 473. A Nepote dignitate Auguſtali exutus A.C. 474. Epiſcopus factus in Dalmatia. p. 212.

* *

78. Nepos. Imp. Occid. A.C. 474. Imperio exutus A.C. 475. p. 217.

* *

Auguſtulus. Imp. Occid. A.C. 475. ab Odoacro victus. A.C. 476. p. 212. 213.

FINIS IMPERII OCCIDENTALIS.

* *

Servandus. Imperium tentat invadere, ſed ab Antemio in exilium truſus. p. 212.

* *

Romanus. Similiter p. 212.

* *

Ricimer. pariter p. 212.

86. Phocas. Imp. Orientis. A. C. 602. Occiſus ab Heracliano. A. C. 610. p. 221.

* *

Heraclianus. Præfectus Africæ p. 221.

87. Heraclius. Imp. Orientis. A. C. 610. †. A. C. 641. p. 221.
Ux. Martina. p. 221.

88. Heraclionas. Imp. A. C. 641. in exilium pulſus. p. 221.

89. Conſtantius. Imp. A. C. 641. †. A. C. 642. p. 221.

90. Conſtantinus vel Conſtans. Imp. A. C. 642. Occiſus A. C. 668. p. 221. 222. 223.

* *

Mezentius. Imperium affectat, ſed occiditur. p. 223.

91. Conſtantinus. Imp. A. C. 668. †. A. C. 685. p. 223. 224.

92. Juſtinianus. Imp. A. C. 685. Imperio privatus à Leone A. C. 695. Reſtitutus A. C. 705. Occiſus à Philippico A. C. 711. p. 224.

* *

94. Tiberius. Imp. A. C. 698. Interfectus A. C. 705. p. 224.

* *

Leo. Imp. A. C. 695. à Tiberio detruſus A. C. 698. Interfectus A. C. 705. p. 224.

95. Tiberius. Imp. A. C. 705. cum patre, cum quo etiam occiditur. A. C. 711. p. 224.

* *

96. Philippicus vel Dardanes. Imp. A. C. 711. Imperio privatus. A. C. 713. p. 224.

* *

97. Anaſtaſius qui & Arthemius Imp. A. C. 713. Coactus abdicavit. A. C. 715. p. 224. 225.

* *

98. Theodoſius. Imp. A. C. 715. †. A. C. 717.

* *

99. Leo. Imp. A. C. 717. p. 225.

Cum hoc Leone Appendicem ad Eutropium abrumpit Paullus Diaconus. Immiſcuit etiam prædictis Imperatoribus Reges gentium exterarum, à quibus Imperium Romanum & in Oriente & præprimis in Occidente fuit vexatum atque turbatum. Sic mentionem facit Regum Gothorum RADAGASI *p.* 205. ALARICI *ibid.* ATHAULFI, cujus uxor erat GALLA PLACIDIA filia Theodoſii I. M. *p.* 206. porro GENSERICI & WALLIÆ *p.* 206. ATTILAM quoque ejusque res geſtas recenſet *p.* 201. tum & ODOACRIS Regis Herulorum. *p.* 213. 214. Deinde in medium profert Reges Oſtro-Gothorum Theodericum. p. 213. 213. Athalaricum p. 216. Theodatum. p. 216. Viti-

gen

gen p. 216. Ildebrandum p. 217. Errarium ibid. Badjulam vel Totilam p. 217. Tandem nec Regum Langbardorum in Italia obliviscitur Autharis nimirum & Luitprandi pag. 210. & 225. Nil amplius quia de hoc Paullo Diacono restat, progredimur ad

Membrum IX.
DE
M. AURELIO CASSIODORO.

MARCUS AURELIUS CASSIODORUS tantum apud Theodericum Regem valuit, ut omnes fere dignitates emensus fuerit, & ad Patriciatum, proximum post Principem gradum, pervenerit. Spretis tamen omnibus honorum titulis, qui omnes pag. 229. legi possunt, monachus factus est. Testantur id *AUCTOR Historiæ Miscellæ* ap. *MURATORIUM Scriptor. Rer. Italicar. Tom. I. pag.* 179. & *PAULLUS DIACONUS de Gestis Langobardorum ibid. pag.* 421. Qui duo iisdem plane verbis sic scribunt: *Hujus temporibus*, (Justiniani Imp. scil.) *CASSIODORUS, apud Urbem Romam tam sæculari, quam divina scientia claruit, qui inter cætera, quæ nobiliter scripsit, psalmorum præcipue occulta potentissime reseravit. Hic primitus Consul, deinde Senator, ad postremum vero Monachus extitit.*

Impræsentiarum ex reliquis Cassiodori scriptis, Chronicon ipsius venit considerandum, quod ad Theodericum scripsit, quam ob rem littera pag. 229. eum sistit offerentem illud Regi. In illo recensitis annis ab Orbe Condito usque ad diluvium, deinde Regum Assyriorum Latinorum & Romanorum, Consules Romanos usque ad Imperatorem Anastasium in ordinem digerit, atque hinc inde quædam notatu digna adeo tamen breviter inserit, ut vere cum ipso ex Præfatione dicere valeamus, blando eum compendio mundi percurrisse ætatem. Hinc similiter uti apud Sextum Rufum hic loci à nobis nihil amplius exspecta, Erudite Lector.

Membrum X.
DE
JORDANE SEU JORNANDE.

De nomine Jornandis.

VArie nomen hujus Scriptoris legitur. In postrema Editione Operum Cassiodori à P. Garetio Benedictino peracta, inscribitur: *JORNANDES* sive *JORDANUS Episcopus Ravennas.* *SIGEBERTUS GEMBLACENSIS Chronographia* apud *PISTOR. Scriptor. Rer. Germanicar. T. I. p.* 737. *ad ann.* 551. scribit: *Hucusque JORDANIS Episcopus historiam contexuit.* Ipse de quo loquimur *JORNANDES* scribit *Cap. L. de rebus Geticis*, apud *MURATORIUM Scriptor. Rer. Italicar. T. I. p.* 217. sequentibus: *Ego item (quamvis agrammatus) JORNANDES, ante conversionem Notarius fui.* E quibus omnibus simul discimus, Jornandem Gothum fuisse, qui & post conversionem suam ad Christianam fidem ad Episcopalis dignitatem Ravennatensem usque pervenit. Hanc quamvis Clarissimus Muratorius Jornandi in dubium vocet, quod in nullo Syllabo Præsulum Ravennatensium vestigia quæ-

An Episcopus fuerit.

quædam reperiantur alicujus Jordanis vel Jornandis, tamen inficiari non vult, Episcopatus munere Jornandem apud Gothos functum esse. Hac freti auctoritate in littera pag. 250. Jornandem, ut Episcopum, Historias contexentem, præsentavimus. Contexuit autem, præter Historiam *de Getarum, sive Gothorum origine, & Rebus Gestis,* quam MURATORIUS loco paullo ante notato iterum in lucem protulit, præsentem Historiam *de regnorum & temporum Successione.* Orditur eam ab Origine Orbis, & annos saltem, cum denominatione Patriarcharum ante & post diluvium usque ad Abrahamum colligit. A Patriarchis ad quatuor illa summa Imperia tractationem dirigit, quæ ex Sententia Scripturæ Sacræ, & Historia comprobante semper fuerunt Maxima, ut & hoc sensu κατ' ἐξοχὴν hucusque appellati fuerint Monarchiæ. Sunt illæ Assyriaco - Medica, Persica, Græca & Romana. Hanc Regnorum successionem facile sic concipiemus, si dixerimus, Jornandem absolvere Historiam de successione Regnorum & temporum quinque Periodis.

De Scriptis Jornandis.

Præsertim de successione Regnorum & temporum. pag. 250.

Hujus operis dispositio.

pag. 250. Prima est ab Orbe Condito usque ad vocationem Abrahæ.
ab Adamo usque ad Abrahamum.
Ab Ao. M. 1 - - - - 2008

ibid. Secunda ab Initio Monarchiæ Assyriaco-Medicæ usque ad translationem hujus Monarchiæ ad Persas.
A Nino usque ad Arbacem præfectum Medorum, qui Monarchiam Assyriacam ad se, Sardanapalo occiso, rapuit, hincque audiri cœpit Monarchia Assyriaco - Medica. Deinde
pag. 251.
Ab Arbace usque ad Cyrum Regem Persarum, qui Monarchiam Assyrico-Medicam ad Persas transtulit.
Ab Ao. M. 1757. - - - - - 3207. Deinde
Ab Ao. M. 3297. - - - - - 3468.

pag. 252. Tertia à Translatione Monarchiæ Assyriaco-Medicæ ad Persas, usque ad translationem Persicæ Monarchiæ ad Græcos.
A Cyro usque ad Alexandrum M.
Ab Ao. M. 3468. - - - - - 3674.

pap. 252. 253. 265. Quarta à translatione Monarchiæ Persicæ ad Græcos usque ad translationem Monarchiæ Græcæ ad Romanos.
Ab Alexandro M. usque ad Octavianum Augustum.
Ab Ao. M. 3674. - - - - 3969.

pag. 253. & 265. 270. & 272. Quinta à translatione Monarchiæ Græcæ ad Romanos usque ad irruptionem exterarum gentium in Italiam.
Ab Octaviano Augusto usque ad Augustulum, ultimum Occidentis Imperatorem, & Justinianum I. M. Imperatorem Orientis.
Ab Ao. M. 3969. usque ad Ann. Christi 475. & 527.

pag. 253. Res Romanas, ut præcedentes Scriptores Historiæ Romanæ, ab Origine Urbis Romæ reeptit, atque primorum Regum Romanorum seriem recenset, deinde Administrationem Reipublicæ per Consules explicat, & tandem Imperium Romanum prosequitur.
pag. 255.

Quid

Quid vero præstiterit Jornandes in Historia Romana, de eo audiamus jam sæpius laudatum *MURATORIUM in Præfatione ad Jornandis Historiam de rebus Geticis* sic ait: *Ubi de Romanorum Imperio sermo est, Annæum Florum pene totum expilat, quem tamen insalutatum, atque innominatum, illaudabili, imo inurbano silentio, dimittit, uti & reliquos Scriptores, per quos profecerat ad hanc Historiam exornandam.* pag. 256.

Atque ita, Erudite Lector, omnino est; hinc à nobis ulteriorem enucleationem, ut in præcedentibus, non desiderabis, cum in minimis ab illis haud discordet. Hinc ad

Membrum XI.

DE SCRIPTORIBUS SEX HISTORIÆ AUGUSTÆ.

I. DE ÆLIO SPARTIANO.

NOn infimæ sortis virum fuisse Ælium Spartianum, facile conjicitur ex inscriptione, ad Ælii veri Vitam, *pag.* 284. in qua se Diocletiani quasi proprium dicit, scribens: *Diocletiano Aug. Ælius Spartianus SUUS, Salutem.* Vixit vero non solum sub hoc Diocletiano, sed & adhuc sub Constantino I. M. ad quem *pag.* 330. Antonini Getæ vitam dirigit, sequentibus verbis: *Scio, Constantine Auguste, & multos, & clementiam tuam, quæstionem movere posse, cur etiam Geta Antoninus à me tradatur.*

Quis fuerit Ælius Spartianus. Quando vixerit.

Non hujus solius vitam descripsit Ælius Spartianus, sed aliorum Sex adhuc, quamvis non omnes fuerint Imperatores. Id enim proposuerat sibi, uti in vita Ælii Veri *Cap. I. pag.* 284. fatetur: *In animo mihi est, Diocletiane Auguste, inquit, tot principum maxime, non solum eos, qui principum locum in hac statione quam temperas, retentarunt, ut usque ad Divum Hadrianum feci, sed illos etiam, qui vel Cæsarum nomine, appellati sunt, nec Principes aut Augusti fuerunt, vel quolibet alio genere aut in famam, aut in spem principatus venerunt, cognitioni nominis tui sternere.* Sunt autem illi, quorum memoriam nobis annotavit

Quorum vitas descripserit.

1. HADRIANUS à pag. 277 usque ad pag. 284.
2. ÆLIUS VERUS pag. 284 - - - - 286.
3. DIDIUS JULIANUS pag. 313 - - 315.
4. SEVERUS à pag. 315 - - - - - - 321.
5. PESCENNIUS NIGER. à pag. 321 - - 324.
6. ANTONINUS CARACALLUS à p. 328 - 330.
ANTONINUS GETA. à pag. 330 - - 332.

Qui recensentur.

II. DE JULIO CAPITOLINO.

COætaneus Ælii Spartiani fuit Julius Capitolinus, dedicavit enim Antoninorum, Veri, & Opilii Macrini vitas Diocletiano, Clodii Albini vero, Maximinorum & Gordianorum Constantino I. M. Augustis. Dedit nobis de cetero duodecim vitas, quæ sequentibus nominibus insigniuntur:

Julius Capitolinus quando vixerit. Quorum vitas descripserit.

 1. AN-

III. DE VULCATIO GALLICANO.

Unici Avidii Caſſii vita ſupereſt à Vulcatio Gallicano deſcripta. Qui vixit tempore Diocletiani.

QUamvis ex verbis Vulcatii Gallicani in vita Avidii Caſſii *Cap. III. pag.* 302. *Propoſui enim, Diocletiane Auguſte, omnes, qui Imperatorum nomen ſive juſte ſive injuſte habuerunt, in litteras mittere, ut omnes purpuratos Auguſtos cognoſceres;* præſumere poſſimus, plurimorum illum vitas compoſuiſſe, unici tamen AVIDII CASSII vitæ deſcriptio nobis tantum ſupereſt, quam ad Diocletianum Auguſtum, cujus adeoque floruit ætate, dedit, & quæ hoc Tomo à pag. 301. uſque ad paginam 304. continetur.

IV. DE ÆLIO LAMPRIDIO.

Ælius Lampridius quando vixerit.

INter alios viros eruditos, quos ætas Diocletiani & Conſtantini I. M. tulit, ÆLIUS quoque LAMPRIDIUS prædicatur. Priori enim, Commodi Antonini vitam dicat, poſteriorem vero in vita Antonini Heliogabali *Cap. II. pag.* 339. ſic alloquitur: *Nomen Antoninorum, Conſtantine ſacratiſſime, ita veneraris, ut Marcum & Pium inter Conſtantio Claudioſque, velut majores tuos, aureos formaveris, adoptans virtutes veterum tuis moribus congruentes, & tibi amicas caraſque. Et in vita Alexandri Severi Cap. LXV. pag.* 358. ita ad eum ait: *Soles quærere, Conſtantine Maxime, quid ſit, quod hominem Syrum & alienigenam, talem principem fecerit, cum tot Romani generis, tot aliarum provinciarum reperiantur improbi, impuri crudeles, abjecti, injuſti, libidinoſi.*

Quorum vitas deſcripſit recenſentur.

Quatuor habemus ab Ælio Lampridio deſcriptos, nimirum

V. DE TREBLLIO POLLIONE.

Trebellius Pollio quando vixerit

NUllus è ſex Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ, de quibus modo loquimur tot principum Romanorum vitas collegit, TREBELLIO hoc POLLIONE, qui tempore Conſtantii Chlori Imperatoris, patris Conſtantini

ſtantini I. M. claruit. Hujus enim intuitu ſe ſcribere dicit, *in vita Claudii Cap.I. p.* 396. *Feliciter ventum eſt ad Principem Claudium, qui nobis intuitu Conſtantii Cæſaris, cum cura in litteris digerendus eſt.* Collegit autem vitas

Cujus intuitu ſcripſerit.

Quorum vitas deſcripſit recenſentur.

1. Valeriani patris à pag. 378. uſque ad pag. 379.
2. Valeriani junioris à pag. 379 - - - 380.
3. Gallieni patris à pag. 380. - - - 384.
4. Gallieni filii à pag. 384 - - - 385.

Triginta tyrannorum.

1. Cyriadis. pag. 385.
2. Poſtumii. ibid.
3. Poſtumii junioris pag. 386.
4. Lolliani. ibid.
5. Victorini. ibid.
6. Victorini junioris. pag. 387.
7. Marii. ibid.
8. Ingenui. ibid.
9. Regilliani. pag. 388.
10. Aureoli. ibid.
11. Macriani. pag. 389.
12. Macriani junioris. ibid.
13. Quieti. p. 390.
14. Odenati. ibid.
15. Herodis. ibid.
16. Mæonii. pag. 391.
17. Baliſtæ. ibid.
18. Valentis. ibid.
19. Valentis ſuperioris. ibid.
20. Piſonis. p. 392.
21. Æmiliani. ibid.
22. Saturnini. ibid.
23. Tetrici ſenioris. p. 393.
24. Tetrici junioris ibid.
25. Trebelliani. ibid.
26. Herenniani. p. 394.
27. Timolai. ibid.
28. Celſi. ibid.
29. Zenobiæ. p. 395.
30. Victoriæ. ibid.

His accedunt.

Titus. pag. 396. & Cenſorinus ibid.

5. Divus Claudius. pag. 396.

VI. DE FLAVIO VOPISCO SYRACUSIO.

Flavius Vopiſcus quando vixerit.

SYracuſium fuiſſe FLAVIUM VOPISCUM cognomen clare indicat, vixiſſe autem ſub Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, ex variis colligere poſſumus, quæ de ſeipſo ſcripſit. Prætermittimus tamen illos brevitatis amore, ne prolixiores ſimus in deſcribendis Scriptoribus, quam Scriptores in vitis Principum. Adeat interim, cui illos legere placuerit, *MARTINUM HANCKIUM* cujus diligentiæ, ipſi plura debemus, *de Romanorum Rerum Scriptoribus, Part. I. Cap. XXVIII. Art. I. p.* 146. Hic ſufficiat nomina apponere Principum; quorum vitæ à Flavio Vopiſco ad nos venerunt. Sunt illi:

Quorum vitas deſcripſit recenſentur.

1. DIVUS AURELIANUS. à pag. 401. uſque ad pag. 411.
2. TACITUS. à pag. 411 - - - - 414.
3. FLORIANUS. à pag. 414 - - - 415.
4. PROBUS. à pag. 415 - - - - 420.
5. FIRMUS. à pag. 420 - - - - 421.
6. SATURNINUS. pag 422.
7. PROCULUS. ibid.

8. BO-

Membrum XII.
DE
AMMIANO MARCELLINO.

De Ammiano novi aliquid proferri non potest, nisi quod jam ab aliis dictum.

Cum multi jam eruditissimi Viri de Ammiano Marcellino tanta dixerint, ut frustra tentaremus novi aliquid de ipso proferre, nisi vel ipsorum verbis uteremur, vel verbis aliis eadem narraremus; rectius nos putavimus facturos, si ea huc transferremus, quæ HADRIANUS VALESIUS in Præfatione ad Ammianum Marcellinum eleganter protulit. Sunt autem illa.

Hadrianus Valesius de Ammiano Marcellino ejusque officiis. *Patria.* *An Christianus fuerit.*

Ammianus Marcellinus, Protector Domesticus, cum Ursinico Magistro militum à Constantio A. in Orientem missus: postea eum in Italiam, deinde in Gallias, variasque orbis Romani partes secutus est: demum cum eodem in tractus Orientis revertit: ubi quid Ursicinus, quid ipsemet rerum egerit, & post mortem Constantii expeditionem Juliani in Persas cui interfuit, fuse enarrat. Eum patria Antiochensem fuisse, prolata Libanii ad ipsum epistola ita frater meus, (HENRICUS VALESIUS) ut nullus dubitationi locus relinquatur. Petrus Pithœus ad latus Ammiani sui manu sua notavit, eum Christianum fuisse, propterea quod in libro XXVII. scripsit, *Antistites quosdam provinciales*, id est Episcopos Christianorum, parco victu, vili veste, & demissis oculis, *perpetuo numini verisque ejus cultoribus ut parcos commendari & verecundos.* An ideo Ammianus Christianus habendus est, quod Deum Christianorum *perpetuum numen*, id est Deum æternum, & Christianos *Antistites*, *veros perpetui numinis cultores* appellat? Quasi non *veros perpetui numinis cultores* Ammianus vocaverit Gentiles ipsos ac sui similes, quibus quidam etiam Christianorum Episcopi in provinciis sanctitate vitæ & verecundia commendarentur ac placerent. Ita tamen de Ammiano sensit & Claudius Chifletius, cum verbis ejus supra laudatis, tum aliis levissimis conjecturis adductus. Sed qui attente legerit, quæ præter cetera in fine libri XIV. de Adrastia vel Nemesi, quæ in libro XVI. de Mercurio, quæ in libro XXI. de numine Themidis, de Haruspicina, de Auguriis, variisque artibus futura prænoscendi, veteres Theologos suos & Physicos ac Mysticos secutus scripsit: profecto fateri cogetur, eum cultui Deorum addictum ac devotum fuisse. Certe de Diis Gentium tamquam de suis semper loquitur; de Christianis sacris Mysteriisque non item.

Numquam Christianis se adjungit; numquam & nusquam eorum se numero adscribit: & Julianum A. quem suum heroa fecit: hanc præcipue ob causam mihi videtur toties & tantopere laudare, quod à Religione Christiana ad numinum cultum desciverit. Qua tamen erat prudentia, adeo modeste atque sincere, ac nonnumquam etiam benivole de Christianis rebus commemorat, ut aliqui unum ex nostris putaverint. Nimirum sicuti existimo, vir bonus, integer & sapiens Religionem Christianam non sequi, tuto se posse intelligebat: eamdem Principibus suis acceptam & toto fere orbe Romano diffusam palam damnare non audebat. Sed & forsitan religionum diversitates non improbavit persuasumque habuit (sicut ait de notitia Dei Symmachus) una via non posse perveniri ad tam grande secretum.

Militiæ renuntiat A. Marcellinus, & domum redit.

Valentiniano & Valente imperantibus Ammianus M. militiæ renuntiavit, & Antiochiam domumque rediit. Ubi post Theodori conjurationem patefactam atque oppressam, iniquo Judicum Advocatorumque colludio litibus inquietatus ac vexatus videtur fuisse, non sine aliqua rei familiaris jactura. Sic enim explicanda judico verba hæc A. Marcellini in libro XXX. ubi in Orientalium Rom. caussidicinam fuse invehitur. *Ergo absolutis super ejus indignitate paucis, quam in illis partibus* (Orientis) *agens expertus sum, ad cæptorum cursum regrediar institutum.* Quapropter indignatus, Orienti ac patriæ valedixit jam ætate profectus, & Romam secessit Gratiano, Valentiniano & Theodosio Principibus, ut frater meus credit: ut ego malo, vivo adhuc Valente A. tanta in Urbe Ammianus cum domicilium constituisset, multos Senatores qui Clarissimorum titulo & Nobilium appellatione censebantur, sibi amicos adjunxit: quos Magistratu aliquo, in primis Præfectura Urbana egregie functos, ex occasione in sua Historia laudare consuevit. Hos inter primas tenuit Hypatius, vir Consularis, frater Eusebiæ Augustæ, ac Eusebii similiter Consularis, qui ex Oriente in Occidentem quoque transierat, & Romæ sedem ceperat: quem in libro XXIX. eximie laudat, & amicitiæ causa *nostrum Hypatium* appellat. Adnumerandus est & magnis amicis A. Marcellini Eutherius, qui Constantis A. Cubicularius, deinde Juliani Præpositus Cubiculi fuerat, ac Romæ domicilium fixerat: cujus virtutibus in libro XVI. enarrandis vacat. Nec tum etiam defuere Urbi viri doctrina præstantes, quibus

Romam secedit. *Hypatius amicus A. Marcellini.* *Eutherius similiter.*

quibus A. Marcellinus familiariter uteretur. Igitur ut erat homo nobilis & locuples, otii ignobilis impatiens, in tam jucundo ſuavique ſeceſſu totum ſe litteris dedidit: atque ut miles quondam & Græcus linguæ Latinæ ac Hiſtoriæ Romanæ magis aſſueſceret, Catonem majorem vel Cenſorium, Cæſaris Commentarios, Salluſtium, M. Tullium Ciceronem, alios utriuſque linguæ Auctores diligentiſſime evolvit: quos & paſſim in Hiſtoria ſua laudat. Talibus & tantis præſidiis inſtructus, Hiſtoriam Romanam ab exortu Nervæ uſque ad Valentis A. interitum XXXI. libris Latine ſcribere aggreſſus eſt. Et priora quidem à Nerva ad Conſtantinum Maximum aut omiſſa maxima ex parte, aut negligenter & nullo rerum ac temporum ordine ſervato ſcripta hactenus fuerant, quæ XIII. libris fuſius ac multo diligentius expoſuit, qui pridem magno Reipubl. litterariæ damno deſiderantur. Cetera à Magnentii cæde ad Valentis mortem, quæ vidit, quibus ipſe interfuit, & quorum etiam aliqua pars fuit, aut quæ ex amicorum relationibus didicit, XVIII. voluminibus narravit. Hæc ut notiora & oculis animiſque æqualium inſerta, aut memoriæ infixa, latiſſime explicare conatus eſt. Sed præ ceteris in rebus Juliani A. prope nimius haberi poteſt: in quo nonnulla quidem laude digna, multa nihilominus (quemadmodum ipſemet Hiſtoricus nonnumquam fatetur) vituperanda fuerunt. Certe ſcriptor alioquin diligens & veri ſtudioſus, XI. fere libros Juliani laudibus implevit: reliquos ſuæ ætatis Imperatores, Conſtantium, Jovianum, Valentinianum & Valentem, ceu invidos & detrahentes ejus Principis memoriæ, non raro deterit arguitque: pæne ut mihi perſuadeam, Ammianum unius Juliani cauſa tantum Opus ſuſcepiſſe, ne quam amplificandæ virtutis herois ſui quem ſummopere mirabatur omnibuſque præferebat, occaſionem præteriret. Hiſtoriam autem ſuam non continuo labore compoſuit: ſed ut erat plures in libros, diviſa, per partes eam vulgavit, & nunc unum volumen, nunc alterum frequenti auditorio, ac amicorum ſuorum & doctorum hominum judicio commiſit, magnamque inde laudem eſt conſecutus: ut docet epiſtola Libanii à fratre laudata. Recitationes porro (ſicuti & declamationes) duorum generum fuere: publicæ aliæ; aliæ privatæ. Publicæ recitationes erant ac nuncupabantur, quæ aut in certaminibus publice propoſitis præmiis, aut in aliquo loco publico citra ullum certamen fiebant. Ejuſmodi exſtitere Oratorum ac Poëtarum certamina, quotannis in Albano à T. Flavio Domitiano edita. Ubi Statius ſe præmio ter donatum ſcripſit. Tale Lugduni ad aram Auguſti certamen Græcæ Latinæque facundiæ, editum à Cajo Caligula, in quo victi victoribus præmia conferebant. Sic Nero orationis carminiſque Latini coronam omnium conſenſu ſibi conceſſam recepiſſe dicitur à Tranquillo. Publice quoque Statius Romæ Thebaïdem ſuam plaudente populo recitavit: uti Juvenalis in Sat. VII. prodit his verſibus:

Litteris ſe dedit.

Hiſtoriam à Nerva uſque ad Valentem ſcribit.

In qua Julianum nimium laudat.

Et quam diverſis temporibus vulgavit

De Recitationibus publicis.

> *Curritur ad vocem jucundam & carmen amicæ*
> *Thebaidos, lætam fecit cum Statius Urbem,*
> *Promiſitque diem: tanta dulcedine captos*
> *Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi.*
> *Auditur.*

Durabant adhuc Romæ circa annum Chriſti D. LXXX. publicæ orationum & carminum recitationes: & ibi in foro Trajani magnifica poëmata ab Auctoribus recitata Senatus Populuſque Romanus audiebat: ut teſtatur fortunatus Italus in libri III. Carmine XXIII. de opuſculis & epigrammatis cothurnatis ac tumidis Bertechramni Burdigalenſis Epiſcopi hiſce verbis, indicans & Poëtis qui placuiſſent, à Senatu calceos filis aureis ornatos dari conſueviſſe.

> *Vix modo tam nitido pompoſa poëmata cultu*
> *Audit Trajano Roma verenda foro.*
> *Quod ſi tale decus recitaſſes aure Senatûs:*
> *Straviſſet plantis aurea fila tuis.*

Studioſi & docti quidquid compoſuerant, Proceres quidem ac locupletes domi nunc per ſe, nunc per lectorem coram amicis invitatis recitabant: mediocres vero ac tenues in ædibus Optimatum, conductis ſubſelliis & Anabathris pulpitiſve. Privatarum recitationum mentionem facit Suetonius Tranquillus in Claudio capite XLI. Cajus Plinius Secundus paſſim in libris Epiſtolarum, & Juvenalis in Sat. I. & VII. qui Frontonem recitantibus Poëtis porticus ſuas marmoreas commodaviſſe ſcribit, & in his conſeſſibus quoſdam ſolitos eſſe diſponi, qui plauderent & magnis vocibus acclamarent. Et in Sat. III. ipſe Aquini ubi natus erat, ſatiras ſuas præſentibus amicis quos convocaverat, recitaviſſe ſe ait: & magna frequentia magnoque ſucceſſu ter auditus eſt: quod & in ejus Vita à veteri Scholiaſte ſcriptum invenio. Ammianus igitur famæ gloriæque dulcedine ſimiliter ſuccenſus, & experiendi amicorum doctorumque virorum judicii cupidus, Romæ ex more ſuam per partes recitavit Hiſtoriam, prout librum quemque compoſuerat. Hinc oratione numeroſa & bene ſonante, plena pompæ & majeſtatis eſt uſus, qualem recitationes iſtæ poſtulabant, ut aures & animos auditorum impleret. Ad pompam recitationum pertinent, dictorum factorumque ætatis ſuæ memorabilium cum priſcis, hominum cum hominibus comparationes, ad commovendos animos amplificatæ rerum imagines, tragicæ fortunæ compellationes, crebritas figurarum ac tranſlationum, deſcriptiones prœliorum & obſidionum nonnunquam luſibus laſcivientis ingenii lociſve communibus quam Hiſtoriæ legibus convenientiores. Eamdem ob cauſam A. Marcellinus ubique omnis generis doctrinæ famam

Quos imitatus eſt recitando ſuam Hiſtoriam per partes.

mam affectavit. Cui rei indicio sunt laudationes tot veterum Auctorum, laudatæ sæpius Ciceronis sententiæ, Virgilii, Menandri & aliorum versus inserti: tot & tanti excessus narrationem rerum interrumpentes, de Adrastia vel Nemesi in libro xiv. de origine doctoribusque Gallorum, & de Alpibus Gallicanis in libro xv. de Obeliscis, & de notis hieroglyphicis, & de variis terræ motibus in libro xvii. de causis ac generibus pestilentiæ in libro xix. de defectibus Solis & Lunæ, deque variis Lunæ mutationibus & figuris, nec non de arcu cœlesti in libro xx. de variis artibus futura prænoscendi, & de Geniis libro xxi. de Nilo, de Crocodilo, de Ibi, ac de Pyramidibus in libro xxii. descriptiones v. muralium machinarum, nec non xviii. majorum Provinciarum Regni Persici, item de ortu margaritarum in libro xxiii. de cometis, & de facibus cœlo decidere visis in libro xxv. de ratione Bissexti in libro xxvi. de caussidicina, deque Jurisconsultis, & variis Advocatorum generibus in libro xxx. Descriptiones quidem variarum provinciarum Imperii Romani, apud A. Marcellinum longe lateque diffusæ sunt: quæ apud Sallustium de bello Jugurthino, apud Cæsarem & Livium aliosque Historicos multo breviores reperiuntur. Sed non omittendi sunt duo maximi excessus de vitiis Senatus Populique Rom. in libris xvi. & xxviii. quos qui attente mecum consideravit, facile sibi persuadebit, tum lenes admodum atque patientes fuisse Romanos. Si aut bravi, quorum vana studia & vitia in Ammiani libris describebantur, æquo animo tulerunt à peregrino Græculo in Historia palam traduci se ac derideri: aut boni existimarunt liberas eorum reprehensiones ac notas nihil ad totius amplissimi Ordinis ac universæ civitatis dedecus ulla ratione pertinere.

Variæ & magnificæ ipsius descriptiones.

An quædam in libris Ammiani qui supersunt, desint.

Petrus Pithœus in margine Ammiani sui, cum codice Valentino collati, manu sua scripsit, præter xiii. priores libros qui desiderantur, in libris xviii. qui supersunt, *multa etiam deesse videri: quandoquidem Ammianus sæpe plures annos indictos transmittit: quod ex Consulibus quos notat ordine, in Fastis intellectum iri.* Ita Petrus Pithœus loquitur & sentit. Sed ei respondere possumus, Ammianum quidem Consules aliquot in xviii. voluminibus quæ supersunt, omisisse: non tamen eorum annorum res gestas omisisse. Omisit quidem Ammianus in rebus annorum xxv. paria Consulum ix. videlicet Lupicinum & Jovinum, Valentinianum II. & Valentem II. & Valentinianum Nobilissimum Puerum & Victorem, Gratianum Augustum II. & Probum, Modestum & Arinthæum, Valentinianum IV. & Valentem IV. post Consulatum Gratiani III. & Æquitii; Valentem A. V. & Valentinianum juniorem A. Valentem A. VI. & Valentinianum A. II. Coss. Sed quæ his Consulibus hisve annis acta sunt, nihilominus exposuit: cum aliquando bella duobus aut etiam pluribus annis gesta continua oratione enarret, ne seriem rerum interrumpat. Exempli causa translatos in Thraciam Gothos, & Valentis A. cum eis pugnam ac mortem fuse in libro ultimo commemorat: quibus utrumque Coss. factum sit, non commemorat. Vir doctus, qui codicem Regium manu sua descripsit, in libro xxiv. post hæc verba de Arinthæo Persas persequente, *latebræ texere notissimæ*, ad marginem adnotat suspicari se, plurima heic deesse: cui conjecturæ meus frater merito accedit. Deest enim (ut ipse observavit) legatio Saporis Persarum Regis ad Julianum A. Libanio & Socrati non indicta: deest relatio rerum ab Arsace Rege Armeniæ & à Procopio ac Sebastiano in Mesopotamia gestarum; & quæ fuerit causa, quare Juliano in Assyria Arsaces, Procopius ac Sebastianus, sicut jussi erant, cum suis copiis occurrere non potuerint: cujus rei *causas* à se *prædictas*, paullo infra ipsemet Ammianus in fine ejusce libri prodidit. Desideratur in eadem lacuna & dolus transfugarum Persarum, quorum fraude deceptus Julianus suam classem incendit: quos ibidem Historicus *infaustos ductores* appellat, & in tormentis fraudem confessos esse tradit. Sed post obitum Valentiniani A. qui libro xxx. enarratur, plurima eaque maxima ac memoria dignissima in Historia Ammiani desidero, quæ scriptor diligens plane videtur nec omittere debuisse, nec vero ulla ratione omissurus fuisse. Scripsit quidem Ammianus in fine libri xxx. Valentinianum juniorem tum quadrimum in Pannonia, post Valentiniani patris sui repentinam mortem, ab exercitu ex Optimatum sententia Augustum consalutatum esse. Sed quæ secuta sunt, apud Ammianum qualem nunc habemus nusquam reperiuntur: videlicet quomodo Gratianus A. Imperium Valentiniano fratri se insciente delatum, cum Valente patruo sua auctoritate confirmaverit: qui & quando Imperium Romanum in Occidentis partibus, & Comites ac numeros militares cum fratre partitus sit; & Gallias, Hispanias, ac Britannias sibi retinuerit; Italiam & Africam cum parte Illyrici Occidentalis, & Frigeridum Ducem ac Sebastianum Comitem præ ceteris ei attribuerit: quemadmodum communem amborum patrem Valentinianum cum Valente fratre collega suo totius orbis Romani provincias, legiones quoque, ac Comites seu Magistros militum divisisse refert Ammianus in libro xxvi. Jam damnato ac supplicium Maximini Præfecti Prætorio, & Simplicii ac Doryphoriani sub Gratiano, apud Ammianum desideratur: de quorum tamen mortibus & merita pœna *postea tempestive se dicturum* in libro xxviii. pollicetur. Desideratur apud eundem mors Theodosii Magistri militum, Theodosii postea Imperatoris patris, viri Britannicis Africanisque victoriis illustris, & de Republ. optime meriti, ac *plurimorum Nobilium*, hoc est Senatorum, quos *una occisos* anno Domini ccc. lxxviii. tradit Hieronymus in Chronico. Desiderantur & multa alia in Oriente & Occidente domi forisque gesta toto triennio, quod inter Valentiniani & Valentis mortem intercessit. Theodosium quidem post Britanniam & Africam Imperio Rom. restitutas, sua gloria invisum aulicis reddiderat: à quibus insimulatus rerum novarum apud Gratianum, ac jussus interfici, post Baptismum acceptum, Carthagine percussori ultro jugulum præbuit: sicuti in libri vii. capite xxxiii. tradit Orosius. Quare errant Socrates in libri iv. capite xix. & Paullus Diaconus Aquilejensis, & qui ambos secutus est Chifletius in Vita Ammiani: quum Theodosium, quem *Theodosiolum virum fortem*

fortem ex Hispania Socrates appellat, propter nomen suum in conjuratione Theodori jussu Valentis A. morte affectum tradunt. Nam Carthago Africæ caput ubi Theodosius jugulatus est, non Orienti sed Occidenti adscribebatur; non parebat Valenti, sed Valentiniano juniori, cujus curam ac tutelam cum matre gerebat Gratianus: qui fratrem maxima *pietate dilexit & educavit*, ut in libro xxx. loquitur Ammianus. Nihil agitur Valenti Imperatori Orientis in Theodosium Magistrum militum licere potuit: qui semper in Occidentis provinciis bella gessit, semper Occidentis Principibus subjectus fuit, nec umquam Ortivi Imperii fines ingressus est. Præterea Theodorus Notarius cum conjurationis conSciis jussu Valentis damnatus, Antiochiæ periit Gratiano A. II. & Probo Coss. anno Christi ccc. lxxi. hoc est toto fere ante cædem Theodosii sexennio. Non itaque Theodosio quatuor priores nominis sui litteræ, nec Theodori conjuratio, sed aulicorum & inimicorum calumniæ causa cruentæ mortis fuerunt: neque à Valente, sed à Gratiano fraude invidorum Palatinorum decepto cædes ista tam iniqua mandata est. Hæc igitur omnia quæ nunc apud A. Marcellinum non leguntur, persuasere Chifletio, ut in Vita Ammiani scriberet, eum in libro xxxi. qui nobis desit, cuncta ista supradicta narrasse, & librum qui nunc xxxi. vocetur, xxxii. fuisse, atque ita appellandum esse: quam opinionem verisimillimam judico. Ceterum inter Epigrammata Græca reperiuntur nonnulla cum in pagina iv. tum alibi, quibus nomen præfigitur; Historici, an alius cujusquam incertum est: sicut nec constat, an Historicus noster fuerit, qui sub Gratiano, Valentiniano & Theodosio *Comes rerum Privatarum Ammianus* vocatur in libro xii. Codicis Theodosiani: quibus imperantibus A. Marcellinum Romæ vixisse, & Historiam Romanam scripsisse indubitatum est.

Sunt, qui A. Marcellinum plurimum damnent & aspernentur, tamquam passim Grammaticos canones excedentem. Certe nonnumquam declinationes ac terminationes nominum mutat: ut in libro xv. *G. & T. sævium tyrannorum:* in libro xxix. de Theodosio, *suppliciorum sævium repertorem*: in libro xvii. de terræ motuum generibus, *climatiæ qui limes ruentes & obliqui:* in libro xx. *limibusque oculis eos a. m. contuens m.* Ibidem. *c. f. lapidum madore etiamtum infirmium.* Quamquam Caper Grammaticus dici asserit *infirmus* & *infirmis*, sicuti *imberbus* & *imberbis*, *inermus* & *inermis*. Ita in libro xx. *sonus* & *soni*, *sonu* item pro *sono* in veteribus membranis & in editionibus reperitur. *Iterata magnitudine sonus Augustum appellavere.* Item, *Exclamabatur undique vocum terribilium sonu.* Initio libri xxvii. *Dum cedentes objectu corporis & vocis jurgatorio sonu audentius pertinet.* Ubi & *pertinet* sumitur active pro retinet: quemadmodum scriptum præfert codex Colbertinus. In libro xxi. *Hi genii animis connexi mortalium, eas tuentur.* In libro xix. *Animis in ventum solutis projiciebantur exstincti. Animis* pro animabus. In libro xvi. *Circumdata retiis busta*, pro retibus. In libro xxv. *Ductore eorum aliæ turmæ apposito.* In libro xvii. *Ablatum uno templo miraculum.* In nominibus iv. declinationis morem veterum præsertim Poëtarum sequitur, & iii. casum non aliter quam littera *u* terminat. In libro xxvi. *impetu*, necnon *ictu:* in xxix. *accessu.* Interdum & significationes nominibus novas Ammianus attribuit. Ergo *pruinam*, quam vulgo gelu canum vocitamus, sumit pro glacie in libris xvii. xxiv. aliisque, eique *crustas*, *acumina*, ac *congeriem* tribuit. In libro xiv. ex turba *turbelam* facit, & Hermogenis meminit, *apud CP. populari turbela discerpti.* Ex *turbela* orta est vox Francica *trouble.* Jam apud Ammianum M. in verbis præteritorum mutationes aut potius depravationes aliquando reperio. In libro xvi. verbo *pello* dat præteritum *pepuli*, uti facere debuit; in libro xxx. etiam *pulsi: percello* similiter nunc *perculi*, in libro xvii. nunc & *perculsi* in xvii. & xxv. Verbum *fodio* ex tertia conjugatione in quartam transfert Marcellinus in libro xxiv. *Id a. Trajanus egesto solo fodiri in m. c. a. curaverat.* Gaudet etiam mutationibus temporum. In libro xxii. *Poterantque miserandi homines Christianorum adjumento defendi, ni Georgii odio omnes indiscrete flagrabant:* ubi Critici adversantibus codicibus edi curant *flagrassent.* Quin etsi priscis membranis major quam editis libris fides habetur, *æstimare* passim ponit Ammianus Marcellinus pro *existimare:* ut Sulpicius Severus de Vita S. Martini, Aurelius Victor in Cæsaribus, aliique facere consueverunt. Ne de Nostris loquar, qui utrumque verbum uno eodemque reddunt, *estimer.* Utitur etiam sæpissime sine causa verbis frequentativis, sed novis & inusitatis; ut prisci codices testantur, & in Notis non semel observare memini. In libro xxvi. *vastitatis propinquioribus locis*, pro vastatis. Circa finem libri xxxi. *Portatis scriptis & recitatis, atque decebat contemptatis:* ubi aliæ editiones excusum habent *contemptis*, aliæ *contemplatis.* In his aliisque ejusmodi, si quando peccavit A. Marcellinus, si nonnumquam à legibus Grammaticæ recessit: facile æqualium ætatis suæ ac supparium Auctorum exemplo defendi potest, qui eadem ratione, aut certe non multo melius locuti sunt ac scripserunt: cum jam Imperium Romanum à pristino splendore ac potentia, ac simul lingua latina à veteri elegantia degenerare cœpisset. Ut omittam Ammiano homini Græco linguam Latinam minus notam esse debuisse, quam Italis & ceteris Occidentalium Provinciarum incolis, quibus Latinus sermo erat innatus.

An Grammaticos canones excesserit.

In quo tamen excusatur.

Membrum XIII.

DE

JUSTINO.

IN Recensione Justini recurrimus ad GERARDUM JOANNEM VOSSIUM *qui Lib. I. de Hist. Lat.* sic de illo scribit: Justini, qui

Trogi epitomen fecit, (id quod exhibemus in Icone pag. 609. ubi ex Philosophi Trogi Pompeji magno volumine, Justinus Epitomen excerpit) nec nomen, nec ætas, dubitatione caret. In Ant. Arnoldi libro nominabatur Justinus Frontinus: At in codice bibliothecæ Mediceæ dicitur M. Junianus Justinus. Atque hoc verius censeo, ob libri ejus antiquitatem: cujus argumentum non leve est, quod literis Longobardicis scriptus sit. Quod vero ad ætatem, Trogi ejus, cujus epitomen scripsit, filium fuisse tradit Gualterus Burlei Anglicus lib. de vita philosophorum, qui anno CIↃ CCCC LXXII. editus ab Arnoldo Terfforen. Sed hoc seculo illi condonemus, quo vixit. At eruditissimos etiam viros video esse, qui suspicentur vixisse, postquam imperium translatum fuit Constantinopolin: idque ob verba illa lib. VIII. [Græciam etiam Nunc & viribus, & dignitate, orbis terrarum principem.] Sed Nunc istic non signat tempus, quo Justinus scribit, sed de quo scribit; Quomodo idem paullo post ait: (Et hæc potissimum facere Thebanos, Lacedæmoniosque, antea inter se imperii, nunc Græciæ imperantis æmulos.) Ubi Nunc itidem valet, Hoc tempore, quod exponimus. Plane vero vixisse arbitror sub Antonino Pio, atque huic epitomen suam dicasse. Id colligo ex verbis istis præfationis, (Quod ad te, imperator Antonine, non tam cognoscendi, quam emendandi caussa, transmisi.) Ita enim habent editiones antiquæ, quæ, quin MSSorum fidem secutæ fuerint, nullus dubito. Sed objiciunt, in optimis libris legi: [Quod ad te non tam cognoscendi magis, quam emendandi causa, transmisi.] Quam MSSorum lectionem etiam Bongarsius retinuit. Sed nihil manifestius, quam non ita scripsisse Justinum. Nec enim Tam & Magis satis conveniunt. Quid ergo? num dicemus Magis, tanquam superfluum, tolli oportere? Atqui non videtur de nihilo esse, quod in optimis libris legitur. Quare puto, scriptum primo fuisse, [Quod, Antonine Imp. non cognoscendi magis, quam emendandi caussa transmisi.] Nempe ex [Antonine Imp.] fecere, [Ad te non] Ac quia sic Non geminabatur, librarii hunc errorem existimantes, alterum omisere. Et sane Justinum hunc sub Antonino vixisse, ante seculum Philippus Bergomas, ac Joan. Aventinus tradidere: imo idem jam ante annos trecentos in chronico suo scripsit Martinus Polonus: sed quod idem Justinum hunc cum Justino martyre confudit, fœdus error est, cum hic, qui epitomen scripsit, in iis, quæ lib. VI. & XXX. de Mose, Josepho, & Israëlitis, tradit, plane Scripturis adversetur: unde liquet, hominem fuisse Gentilem: aperteque inter eos ab Orosio numeratur: Ut de eo nihil dicam, quod beatus Martyr nihil Latine scripsisse videtur: item quod Eusebius, Hieronymus, Photius, nusquam historicam hanc epitomen inter Martyris illius scripta reponunt. Nec tamen ea ignota fuit B. Hieronymo, qui illius meminit prœmio in Daniëlem: Uti quoque Augustinus facit lib. IV. de civit. Dei cap. VI. & Orosius lib. I. cap. VIII. & X. qui & Justinum passim exscribit. Post quos ejusdem mentionem fecere, Isidorus, Jornandes, alii. Etiam quæ Lupus Ferrariensis Abbas epist. XX. ad Altuinum ex Trogo Pompejo citat de iis quæ Mithridatis excellentiam portenderint apud Justinum, ad verbum ex Justini lib. XXXVII. Sed apud Lupum nunc paulo comptius leguntur, ut in Justino debeant emendari. Est Justinus scriptor tersus & elegans, ut de eo scribit Raimundus Lullus lib VII. de orat. cap. IV. Quam turpiter autem in rebus Judaicis aberrarit, ostendit Benedictus Pererius in Daniëlem c. XI. MSus exstat in bibliotheca publica Academiæ Cantabrigiensis, & Oxonii in collegio corporis Christi. Ac nescio quid sibi velit quod (ut est apud Th. James) Oxonii in bibliotheca Collegii Novi exstare dicatur Epitome historiarum per Trogum Pompejum lib. IV.

Membrum XIV.

DE CAJO SALLUSTIO CRISPO.

PETRUS CRINITUS *de Historicis ac Oratoribus Latinis* de Cajo Sallustio Crispo sic loquitur: C. CRISPUS SALLUSTIUS Amiterni natus traditur in agro Sabino, quo anno Atheniensium urbs à L. Sulla devicta, atque vastata est, ut Romani annales referunt, ex nobili Sallustiorum familia ortus est, quæ diu in secundo ordine dignitatem servavit. Idem in urbe educatus creditur, & à teneris annis operam, ac studium impendisse optimis disciplinis. sed cum in ea tempora incidisset, quibus corrupti civium mores variis partibus, atque factionibus forent, neque virtuti præmia, aut bonis ingeniis adessent, in tam depravata civitate, quod idem Sallustius fatetur, victum ejus ingenium voluptatibus, facile succubuit. Itaque cum ad remp. pro ætate foret delatus, propter civium improbitatem & factiones, multa adversa pertulit. Nam tum præcipue Sullanis partibus infecta civitas æstuabat. Constat ex veterum commentariis, Sallustium ipsum ingenio fuisse acri, & in studiis literarum accurato, tum maxime in scribenda historia. Præceptorem habuit inter alios Atejum Prætextatum, qui Philologum se appellavit, & ab eo edoctus est de ratione recte scribendi, ut à Suetonio Tranquillo traditur, qui & Asinium quoque Pollionem scribit ab eodem Prætextato eruditum, atque instructum. maxime autem M. Catonis studiosus fuit: ex cujus commentariis, verba excerpsit, & velut breviarium ad usum proprium habuit: quod Octavius quoque Aug. in epistola ad M. Antonium refert, in qua ipsum Antonium, ceu insanientem increpat, quod ea scribere vellet, quæ mirentur potius homines, quam quæ intelligant.

telligant. Sed interim ad Salluſtii commentarios. Hiſtoriam compoſuit de L. Catilinæ conjuratione contra R. Senatum, & item de bello Jugurthæ, qui Numidiæ rex factus, diu contra Romanos ſtrenue rem geſſit. Hiſtoriam præterea de Romanorum geſtis, ut de Mario, & Sulla, nec non de Pompejo contra regem Mithridatem: quod opus libris aliquot à Salluſtio abſolutum traditur, & adhuc ſuperſunt quædam, veluti abſolutiſſimi operis reliquiæ, in quibus Salluſtii diligentia in hiſtoriæ deſcribenda, atque gravitas appareat. In parte operis de rebus Punicis, tanto animi ſtudio incubuit, ut à quibuſdam ſcriptum ſit, eum regionem adiiſſe, ac maxima ſolertia perluſtraſſe, quo majore fide atque officio veritatem exploraret. Avienus certe Rufus plurimum Salluſtii diligentiam, atque ſtudium commendavit: ſed & Gellius, vir Romanus, qui veterum eruditionis Ariſtarchus habebatur, ita de Salluſtii oratione diſſerit: Elegantia, inquit, Salluſtii verborumque facundia, & novandi ſtudium, cum multa prorſus invidia fuit, plures non mediocri ingenio viri conati ſunt reprehendere pleraque, & obtrectare, in quibus plura inſcite, aut maligne vellicant; quin & hunc proprietatis ſervantiſſimum vocat. Titus autem Livius tam iniquus Salluſtio fuit, ſicuti ab Annæo Seneca ſcribitur, ut quædam ex hiſtoria Thucydidis tranſlata, & eleganter aſſumpta, velut depravata, & corrupta illi objecerit, idque ipſum non in Thucydidis gratiam effecit, ut Aurelius Fuſcus dicebat, verum putavit ſe facilius Salluſtium vincere, ſi prius Thucydidem ipſum præferret. Aſinius quoque Pollio librum ſcripſit, quo Salluſtii ſcripta reprehenderet, quod in iis nimia quâdam affectatione antiquitatem ſequeretur. Fabius vero Quintilianus, vir maturo, & gravi judicio, aſſeruit, oratione Salluſtii, atque brevitate nihil fieri poſſe perfectius, præſertim apud vacuas & eruditas aures, neque veritus eſt idem Fabius, Thucydidi, in ſcribenda hiſtoria apud Græcos principi, Salluſtium ipſum opponere, ſicuti T. Livium Herodoto: quo factum eſt, ut cum plures voluerint dicendi genus Salluſtianum ſequi, minime ſint aſſecuti. Eſt enim ejus oratio tam abſoluta, tam caſta, innocens, ut merito ab eruditis divina brevitas cenſeatur. Nam & Arruntius, qui belli Punici hiſtoriam ſcripſit Salluſtio tantum conceſſit, ut ejus orationem maximo ſtudio ſequeretur: quod alibi diximus. Nec illud ignoratur, conſueviſſe Salluſtium magno labore ac ſtudio ſcribere, ut nihil non abſolutum, atque perfectum videri poſſet, quod ex ipſa lectione facile colligitur. Amicos in primis doctrina, & ingenio nobiles, habuit, ut Cornelium Nepotem, Meſſalam, & Nigidium Figulum, qui periiſſe in exſilio traditur; Julium præterea Cæſarem magno ſtudio dilexit, à quo etiam, ut creditur, dignitate præfecturæ honeſtatus eſt. Illud item à Suetonio refertur, Lenæum grammaticum, Pompeji libertum, ſatyras contra Salluſtium compoſuiſſe, eumque mordaci à virulento carmine laceraſſe, ut qui lurconem illum, popinonemque, & nebulonem, ac laſtaurum appellarit, tum vita ſcriptiſque monſtroſum, ac M. Catonis verborum furem ineruditiſſimum: quod ipſum non alia ratione à Lenæo factum creditur, quam ut ſtudium ſuum, atque officium erga patronum Pompejum probaret: quem virum Salluſtius ore improbo, animo autem inverecundo eſſe ſcripſerat. Itaque mirandum non eſt, ſi tam acerbe, atque ſatyrice libertus Lenæus contra Salluſtium aciem ſtyli exacuit. Quantum odii, atque inimicitiæ inter hunc & M. Ciceronem exſtiterit, notiſſimum eſt: quod utriſque violentæ, atque acerrimæ orationes ita demonſtrant, ut neuter videri poſſit ſatis ſui rationem habuiſſe, dum alteri male diceret. Qua in re non ſunt multa referenda, cum ex Hieronymi, ac Fabii authoritate conſtet, eos homines longe aberraſſe, qui confictas magis orationes ab aliis, quam à Salluſtio & Cicerone habitas crediderint. Et ſane tam corruptis moribus Salluſtius, ingenio tam proclivi ad luxum fuit, ut paternam domum, vivente adhuc patre turpiſſima ratione venalem haberet, quod illi inter alia vitia à M. Cicerone exprobratur. Sed à Varrone etiam & Gellio traditum eſt, eundem fuiſſe in adulterio deprehenſum ab Annio Milone, loriſque cæſum, ac data pecunia dimiſſum, qua ratione factum eſt, ut M. Cicero appellare illum non dubitaverit, menſarum aſſeclam, cubiculorum pellicem & adulterum. Dignitates publicas geſſit, & quæſturæ, & tribunatus honorem aſſecutus eſt, ſed nulla quidem laude, aut commendatione, adeo lubidine magis, quam ratione, & publice & privatim vixit: nam & ad judicum ſubſellia abſtractus, fortuna extrema (ut inquit Cicero) ſtetit. Scribunt autem grammatici ea de cauſa ſenatu ejectum fuiſſe à cenſoribus, quod ingenti libidine matronas conſectaretur. Illud quoque de Salluſtio relatum eſt, patrocinio & favore C. Cæſaris conſecutum fuiſſe præturam Africæ inferioris, (Hinc in Icone pag. 705. ſcribit quidem Hiſtorias, ſed oculos quoque ſimul dirigit ad provinciam ſibi demandatam) ex qua dives factus, cum in urbem rediret, pretioſiſſimos hortos in regione ad Malum Punicum comparavit, ac Tiburti villam, quæ à Cicerone itidem illi objiciuntur. Neque deſunt, qui ſcribant Terentiam M. Ciceronis uxorem ab eo repudiatam, Salluſtio nupſiſſe, ac deinceps Meſſalæ Corvino, viro in eloquentia clariſſimo: quod etiam ſuo loco ſcripſimus. Sciendum eſt fuiſſe plures Salluſtios: nam & Cneus à M. Tullio celebratur in Salluſtiorum familia inſignis, & M. Ciceroni, ac Cn. Pompejo maxime familiaris: quod ex iis epiſtolis colligitur, quas Cicero ad Pomponium Atticum ſcribit. Qua in re imprudenter quidam decepti ſunt, cum Salluſtii Empedoclea ignorarent, ut alibi demonſtravi. Sunt, qui tradant, ad annum ſecundum & LX. eum vixiſſe, & in patria annis aliquot poſt obitum C. Cæſaris diem extremum obiiſſe: quod ex veterum commentariis colligitur. Illud præterea de hoc ipſo Criſpo Romæ circumlatum eſt, ut multi teſtantur: *Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum, Criſpus Romana primus in hiſtoria.*

Sectio II.

De Iconibus ſculptis, ſingulis libris ab initio præpoſitis, & in fine appoſitis.

Uti priorem Tomum Antiquitatibus Romanis exornavimus, ita non minori ſtudio & huic Tomo ſecundo nitorem addere conati ſumus, Iconibus ab ingenioſiſſimo in hac arte D. Egellio inventis. Harum Iconum, ad Res Romanorum Civiles, Litterarias & Militares ſpectantium, brevem dabimus explicationem, eo ordine, quo conſpectui ſe exhibent.

pag. 8. Primo loco apparet curia Hoſtilia, à tertio Rege Romanorum Tullo Hoſtilio ita dicta, de qua loquitur LIVIUS *Tom. I. Scriptor. Rer. Romanar. Dec. I. Lib. I. Cap. XXX. p.* 14. *Templum ordini ab ſe aucto curiam fecit, quæ HOSTILIA uſque patrum noſtrorum ætatem appellata eſt.*

pag. 30. Sequitur hanc curiam conſeſſus Senatorum Romanorum. pag. 31. Sequenti vero pagina Rex Romanorum, habens circa ſe trecentos juvenes robuſtiſſimos, & duodecim lictores, litera vero huic Iconi ſubjecta Regem ſacrorum ſacrificantem oſtendit. pag. 53. Juvenes modo dicti robuſtiſſimi, appellabantur.

Celeres, quibus, quod in tres diſtributi erant Centurias, totidem Centuriones, & unus Præfectus, qui vocabatur *Tribunus Celerum*, præerat.

pag. 57. Poſt memoriam Velleji Paterculi Litera T. Conſulem ab officio recedentem recenti electo juramento prælegentem oſtendit.

pag. 95. Conſul hic poſtea tunica & prætexta indutus, incedit præeuntibus duodecim lictoribus, ſequentibus famulis & Clientibus.

pag. 99. Litera P. proxime ſequens CENSOREM, diſciplinam equeſtrem exercentem, in ſella curuli monſtrat, qui Cenſor elegantiori forma apparet in Icone, pag. 106. Sexti Aurelii Victoris Originem Gentis Romanæ claudente. pag. 109. Cum PRÆTOR ſe ſiſtat ad initium. Ejuſdem libri de Viris Illuſtribus Urbis Romæ, in Sella Curuli, adſidente ſcriba, cauſarum patronis vero & ſex Lictoribus aſſiſtentibus. Litera ſubjecta P. INTERREGEM QUINQUEDUANUM innuit. pag. 125. Icon finalis autem hujus de viris Illuſtribus libri exhibet DICTATOREM, quem viginti quatuor præcedunt ſecures. pag. 126. Excipit hunc MAGISTER EQUITUM, turmas equitum ducens, qui & in forma minori in Litera ſubjecta conſpicitur.

pag. 142. Conſpiciuntur porro DECEMVIRI in fine Libri de Cæſaribus, pag. 143. ut & TRIBUNI MILITARES, quorum aliquando tres, mox quatuor, nunquam plures quam ſex creati. His ſubjicitur in Littera A PRÆFECTUS URBIS. Referebantur modo recitati inter Magiſtratus Majores, pag. 157. quos porro nominamus, ad Minores Magiſtratus E quibus producimus pag. 161. QUÆSTOREM URBANUM vel Ærarii, TRIBUNOS PLEBIS decem pag. 167. 171. numero, quem nunquam exceſſerunt, in littera B. ÆDILEM, TRIUMVIROS MONETALES, TRIUMVIROS CAPITALES & unum è Decemviris litibus judicandis in littera ſubjacente R.

Hæc de Magiſtratibus Romanorum tum Civilibus quam Militaribus.

Quam-

Quamprimum Romani divitiis cœperunt creſcere, ædificiis ingentes impendebant ſumptus, quod ut eluceſcat, ſpeciminum loco ſunto THEATRUM Marcelli; AMPHITHEATRUM Flavium; THEATRUM Statilii Tauri; CIRCUS MAXIMUS; Pompeji PORTICUS; COLUMNÆ tres inſignis altitudinis & miri artificii; ARCUS TRIUMPHALIS, præprimis Veſpaſiani & Septimii Severi.

pag. 197. pag. 201. pag. 225. 245. pag. 249.

Verumtamen tantarum nunquam compotes facti fuiſſent divitiarum, niſi literas coluiſſent, juventutemque illis ſcientiis inſtruxiſſent, quibus Reſpublica & in Civilibus & Militaribus fulciri ſolet. In quem finem copioſiſſimas inſtruebant Bibliothecas, è quibus promerentur ſubſidia ad ſcientias inferiores, GRAMMATISTICAM ſcilicet, GYMNASTICAM, MUSICAM, & GRAPHICAM; tum & ſcientias altiores, GRAMMATICAM, RHETOIRCAM, LOGICAM POëTICAM & HISTORIAM.

pag. 274. pag. 277. pag. 335. & 336. pag. 400. pag. 401. & 427.

Hinc ſcientia Militaris in denunciando bello per FECIALEM, quorum Fecialium ſupremus erat PATER PATRATUS qui per Feciales ſuos in denuntiatione belli, haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam in fines hoſtium mittebat; ipſe vero Pater patratus in feriendo fœdere, porcum feriebat lapide ſilice, enuntiato juramento: *Ita Jupiter feriat eum, qui primus rumpet pacem, quemadmodum ego hunc ferio porcum.* Quo facto lapidem ſilicem projiciebat, addendo novam ejurationem: *Si ſciens fallo, tunc me Dieſpiter ſalva Urbe, arceque bonis ita ejiciat, ut ego hunc lapidem ejicio.*

pag. 431. pag. 496.

Huc pertinet Conſcriptio militum, quæ fiebat per Conſules & Tribunos militum in Campo Martio. Varia vero erant genera militum, ut Velites, Haſtarii, Sagittarii, Saliſtarii & funditores; Hi pedites, quorum & Anteſignani varii generis erant ſcilicet Imaginiferi, Signiferi, Aquiliferi, Draconarii & Labariferi, ſimiliter ut & Equitibus. Quos omnes videre licet in Iconibus paginis à margine citatis.

pag. 497. pag. 497. 545 546 605.

His militibus urbes Romani circumdabant coronis hoc eſt, adoriebantur eos undique, pedites præmittendo, ſequentibus equitibus; deinde ſuccedendo muris ſub teſtudine, à qua ſoalas applicabant.

pag. 635. pag. 636.

Non vero terra ſolum, ſed & mari Romani adeo claruerunt, ut & navalia prælia proſpectaculis exhibuerint quæ Naumachiæ dicebantur. Fecerunt hoc præprimis Julius Cæſar, Nero, & Domitianus, quorum Naumachias ſuis delineavimus locis. Hos ſucceſſus maritimos Fortunæ affingendo, in numis, hanc ſuam Deam cum gubernaculo depingebant, victoreſque navalibus donabant coronis, quod utrumque Literæ J. & P. pag 636. & 670. innuunt.

pag. 669. 670. 680.

Cum bella jubebantur, bene ac feliciter illa ut evenirent, Romanis indicebant Supplicationes, iiſdemque feliciter finitis, ſimilibus ſupplicationibus, quas tunc gratulatorias appellabant diis gratias agebant. Imperatoribus vero pro victoriæ magnitudine victoriæ, vel Ovatio concedebatur, in qua Imperator ovem ſaltem immolabat, vel Triumphus. Uterque tamen lauro coronabatur.

pag. 681. pag. 702 & 706.

Nec poſt mortem ceſſerunt honores ab Imperatore Auguſto inſtituti, quos Conſecrationem vocabant, & ſumptuoſis erectionibus, quæ Mauſolea dicebantur, populo exhibebant.

pag. 720 & 721. pag. 748.

Quam magnifica interim & ſpecioſa hæc omnia Romanorum monumenta fuerint, fragilitatem tamen adeo perpeti debuerunt, ut hodierno Die de plurimis nihil de paucis vix rudera ſuperſint. Et rudera perierunt. Nam qui de Sepulchro Septimii Severi ſpecie Septizonii extructo, in fine hujus Tomi expreſſo, ævo Marciani adhuc ſupererant tres columnarum ordines, quorum fragmenta, fragmentis C. Salluſtio Criſpo præpoſuimus, hodie non amplius apparent, certiſſimo documento, ſcriptis & monumentis paria eſſe fata, eo tamen cum diſcrimine, quod quidem nova monumenta condi, vetera in effigie ſervari, ſcripta vero deperdita nunquam reſuſcitari vel redintegrari queant. Ne igitur quæ adhuc ſervamus, prorſus pereant, hac noſtra Editione Scriptarum Rerum Romanarum ut ab interitu revocentur, operam omnem impendimus. Reliquos exſpecta, Erudite Lector, proximis, ſi Deus conceſſerit, nundinis.

MESSALLÆ CORVINI
ORATORIS DISERTISSIMI
AD
OCTAVIANUM AUGUSTUM
DE
PROGENIE SUA LIBELLUS.
IN QUO
SIMUL ET PRIMA URBIS REGIMINA
AB EXORDIO
BREVISSIME EXPONUNTUR.



M. Tyroff sculp. Nuremb.

MESSALLÆ CORVINI AD OCTAVIANUM AUGUSTUM DE *PROGENIE SUA LIBELLUS.*

Occaſio ſcribendi.

QUum frequenter me digna moveat poſtulatio tua, gentium glorioſiſſime Imperator, ut progeniem tuæ ſcilicet inclytæ poſteritatis, ſimul & urbis Romæ prima regimina ab exordio literis diſtinguere mihi perſuadeam: parebo clementiæ tuæ, & operam dabo, aliquid ingenii, ſed parum laboris occupare. Nam quæ poſcis, quum ab hiſtoricis, ſtudioſiſſimisque veterum auctoribus longe lateque ſint declarata, & te copioſiſſime rerum maximarum ſtudiis deditum haud ignorem: tamen quia jubes, opus expediam, & tuæ vetuſtiſſimæ gentis proſapiam, quæ nunc in ampliſſimo majeſtatis culmine locata ſolum ad ſidera ſpectat, arctato itineris limine inſiſtam declarare. Nam quamquam à profundo originis fonte curſus pedetentim ſubſequendus foret, accelerare maturabo ſereniſſime Cæſar (1) Auguſte. Totus terrarum ambitus, quem undique Oceanus verberat undis, ab Hiſtoricis & Coſmographis trifarie dividitur: cujus partium prima inter Septentrionem & Meridiem ad Orientem extenditur Aſia. Secunda ab oſtio fluminis Tanais, Hyrcanorumque finibus, ubi jungitur Aſiæ, inter Septentrionalem Oceanum, & Mediterraneum æquor, ad ultimas Hiſpanias, in occaſu terminat Europa. Tertia ab Ægypto Niloque flumine exordium trahens, relictis terminis Aſiæ, inter meridiem & mediterraneum fretum producta, ad occaſum in Atlantici Oceani littore deſinit Africa. *Aſia* ergo, ſi ad numerum ſpectamus, orbis terrarum pars tertia erit: ſi ad magnitudinem, medium terrarum orbem in ſe continere videri poterit: ſic dicta à nomine cujusdam mulieris, Orientis reginæ. In ea igitur inter ceteras provincias *minor Aſia* eſt, in qua *Phrygia* regio, ſic dicta à Phrygia Æſopi & Europæ filia: & ut alii tradunt, ex Jove & Europa nata. Dardanum, Jove & Electra Atlantis filia progenitum, deorum monitu ab Italia, &, ut aliis placet, è Creta inſula, patrios deſerentem lares, multitudine gentium, ad hanc Phrygiam deveniſſe ferunt, urbem condidiſſe, eamque ex ſe *Dardaniam* nuncupaſſe: unde *gens Dardana*, & incolentes terras, *Dardanidæ* dicti. Hoc regnante, de Creta cum manu electiſſimorum juvenum forte novi regni fama concitum Teucrum, ad Phrygiam, patriis ſedibus expulſum, dicitur conveniſſe: qui à Dardano, & dextera, & fide data, in parte regni conſors ſuſceptus eſt, ut numeroſiori populo nova implerentur mœnia. Ita ſub duobus regibus haud diſcrepantibus, Dardania, potentia

Diviſio Orbis in tres partes. Aſiam. Europam. Africam. Aſia Orientis regina. Gens Dardana. Teucri adventus in Aſiam.

(1) Auguſte) Auguſti effigiem exhibemus Tab. I. num. 1. ex Numismatibus Moduli Maximi vulgo Medaiglioni, quæ in Cimeliarchio Potentiſſimi Galliarum Monarchæ ſervantur, & ad Exemplar Pariſienſe recuſa prodierunt. Anno 1704. Tab. II. num. 6.

tia & magnitudine aucta, pacifice aliquamdiu ſtetit. Hujus Teucri in regendo & rempublicam augendo bonitas, comitasque tanta fuit, ut eo defuncto, ſuperſtite Dardano, ob ipſius inclytæ memoriæ glorioſiſſimum decus, qui Dardanidæ nuncupabantur, deinceps *Teucri* cognominarentur, ut Virgilius Maro: (2)

A quo Dardani Teucri dicti.

Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles.

Erichthonius. Trous.

Dardanus filium habuit Erichthonium, quem poſt ſui obitum regnantem reliquit. Erichthonius Troum genuit, qui juſtitia & pietate inſignis, mutato Dardaniæ nomine, ex ſe urbem *Trojam* nominari permiſit. Hinc Trojanum nomen ortum. Duos filios Trous habuit, Ilum ſcilicet, & Aſſaracum. Ilus vero, quia major natu, defuncto patre, regnum obtinuit, & intra urbis mœnia illam eminentiſſimam atque glorioſiſſimam arcem edidit, quæ ex ſui nomine *Ilium* nuncupata: unde *Ilienſes* Trojani dicti. Is Laomedontem filium reliquit: quo regnante, Jaſon & Hercules, validiſſimorum juvenum Græcorum comitatu, quum ad Colchos ob velleris aurei cupidinem transfretarent, à maritimo faſtidio ſe recreandi gratia in Phrygiam terram legerunt. Quos Laomedon, vel ſuperbia, vel famoſiſſimæ gentis terrore concitus, minaci nuntio extemplo abire præcepit. Hi quum alio contenderent, nec vires, nec arma ad reſiſtendum haberent, ob illatum dedecus indignati, excidium auſterrimo regi continuo minitantes, obtemperavere mandatis: ac perfecto velleris negotio, ubi in Græciam rediiſſent, Hercules Phrygii regis opprobrii non immemor, maximorum juvenum ac principum Græcorum manu, armata claſſe, ad Trojam vela remosque direxit, & in littore expoſitis armis, ad mœnia impetuoſe contendit. Quod ubi ſenſiſſet Laomedon, audacter magis quam caute, inordinato agmine extra mœnia hoſtili impetu auſus congredi, inſidiis interceptus, fortiter dimicando extinctus eſt, ſuorum parte maxima vel capta, vel perempta. Hinc ad exterrita mœnia Hercules contendens, nullo cuſtode, nec in muris, nec in portis obſtante, introit urbem, & igne ac ferro omnibus conſumptis, Heſionam Laomedontis ſororem, Telamoni Salaminæ regi, quia muros Trojæ primus invaſerat, ac in portas irruperat, dedit. Ex qua natus eſt alter ille Teucer, qui patria profugus, in Sidonia alteram Salaminam condidit. De quo Virgilius noſter, inducens Didonem effari ad Æneam: (3)

Trojæ nomen dat.

Ilus & Aſſaracus Troi filii.

Ab Ilo Trajani Ilienſes dicti.

Laomedon.

Jaſonem & Herculem frigide tractat.

Hercules Laomedontem bello petit.

Laomedon perit.

Troja ab Hercule capta.

Teucer alter Salaminæ conditor.

Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulſum patriis, nova regna petentem.

Priamus.

Ex Laomedonte ſuperſtes filius fuit Priamus: qui tum forte alio in armis aberat. Is & patris & patriæ excidio cognito rediit, dirutamque urbem impenſa & opere adeo reparare inſtitit, ut brevi marmoreis ſaxoſisque turribus & ædificiis publicis ac privatis auguſtiorem tutioremque redderet. Aſſaracus vero Troi filius, Ili frater, ut ſupra memini, genuit Capym, Capys Anchiſen, Anchiſes Æneam, Æneas Ilum cognominatum Aſcanium, ex Creuſa matre natum, qui & *Julus* fuit, à quo *gens Julia*, unde tuæ gentis vocabulum trahis ſereniſſime Auguſte. Ut Virgilius: (4)

Trojam reparat.

Aſſaraci poſteri.

Juliæ gentis origo.

At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Julo
Additur; Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno.

Priamus vero, ubi in Græciam poſtulatum miſiſſet, ut Heſiona ſoror, quæ à Telamone turpi ſervitio concubina tori tenebatur, in matrimonium duceretur, vel ſaltem reſtitueretur, deriſus, neutrum obtinuit. Quare Alexander, qui & *Paris* dictus, Priami filius, manu electiſſimorum juvenum in Græciam æquora ſulcavit, Helenamque Menelai regi uxorem, Græcarum pulcherrimam, rapuit. Quamobrem Græciæ reges armantur, & Agamemnone duce poſt decennem obſidionem Troiæ mœnia capta, in ruina ac cinere jacuere ſolo. Hinc Græcorum aſſenſu, duo incolumes principum Trojanorum receſſere, qui auctores pacis & reddendæ Helenæ ſemper fuerant, & Græcorum legatorum, Ulyſſis ac Diomedis, honoratiſſimi hoſpites, Antenor ſcilicet, & Æneas: quorum alter ex Laomedontis, vel, ut quibusdam placet, Priami ſorore natus, Aſſueti viri nobiliſſimi fuerat filius Antenor, alter ex regio ſanguine ortus Æneas, ut ſupra demonſtratum eſt. Hi navium claſſe parata, & patriis rebus, hominibusque, quos arbitrio ſui delegerant, onuſta, panſis velis, tenuere altum, & per Ægæum Joniumque prætereuntes Argolicas urbes, ſuadentibus fatis, ad Italiam remigaverunt. Antenor ex Jonio æquore ad dexteram flectens inter Dyrrachium atque Brunduſium. per latiſſimas ſuperi æquoris fauces ad ſeptentrionem converſus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos ac Liburnos, illinc Apulos atque Picenum, ad caput Adriatici maris curſum tenuit. Et relicto æquore, adverſo flumine quod Brentenſia dicitur, ſurſum contendens, terra potitus, ſedem ſibi ſuisque elegit, & expugnatis Euganeis, qui tum ea incolebant loca, Patavium condidit.

Paris Helenam rapit.

Troja à Græcis capta. a. U. C. 455. circiter a. C. N. 1207.

Antenoris & Æneæ ortus.

Italiam petunt. a. U. C. 454. a. C. N. 1206.

Antenor Patavium condit.

Is inter ceteros comites, Enetorum multitudinem numeroſam ſecum duxerat, qui Paphlagonia orti, patria pulſi, exules ad Trojam, quæ bello tum elaborabat, conceſſerant. Hi in proxima finitimorum prædia longe lateque diffuſi, quia multitudine cuncta compleverant, ex ſe gentibus nomen dedere, & *Venetiæ* regio dicta. De hoc Antenoris adventu ſic meminit Virgilius: (5)

Venetorum origo.

Antenor potuit, mediis elapſus Achivis,
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi:
Unde per ora novem vaſto cum murmure montis

It mare

(2) VIRGIL. Æneid. Lib. VI. 659.
(3) Idem. Æneid. Lib. I. 623.
(4) Idem. Æneid. Lib. I. 671.
(5) Idem. Æneid. Lib. I. 245.

It mare proruptum, & pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troja: nunc placida compostus pace quiescit.

Insigne Antenoris & Æneæ.

Hoc loco, Imperator maxime, quum te persæpe altiloquio tuo differentem dubitare animadvertissem, quod insigne vexillis Antenori & Æneæ fuisset, sine quadam rei memoria, haud prætereundum arbitror; sed cum Virgilio nostro instandum, ubi de Antenore sic profatur, *& genti nomen dedit*, id est, utramque gentem, Italicos scilicet, & Phrygios, qui ea incoluerunt loca, Trojanos, vel, ut alii tradunt, Antenoridas cognominari statuit; *armaque fixit*, hoc est, in templis arma, & insigne armorum suspendit. Nam post exactam militiam, laboresque militiæ, mos antiquitus fuit, in Deorum templis suspendere arma. Ideo *arma fixit Troja.* Troja fuit inter arma templis affixa, armorum insigne: quod nonnulli asserunt. *Troja* namque vulgo Italice Latineque scropha vel sus dicitur, cui vocabulo licentia sui allusit poëta: quod animal, quia ejus nomen urbi Trojæ congruebat, aureo vexillo insigne armorum statuit Antenor, absumptæ urbis Trojæ memoria. Verum in gestis Æneæ, alia evidentior ratio, cur ita videri poterit. Quare progredior.

Æneas venit in Epirum.

Æneas eodem itinere per Græcorum Achaicumque fretum delatus, in Epiro revisit Helenum, inter Argolicas urbes dominii ditionem tenentem. Narrat historia, Pyrrhum, Achillis filium, deleta Troja, Andromachen Hectoris quondam uxorem, & Helenum Priami filium servitio secum duxisse. Inde quum sibi matrimonio jungeret Hermionem Menelai filiam, Heleno Andromachen tradit. Mox ab Oreste interfectus, quia sine prole interiit, in regno præsidem reliquit Helenum, ut ibidem Maro, ubi de se Æneas ad Didonem profatur: (6)

- - - juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.

Et paullo post; (7)

Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum, Grajas regnare per urbes,
Et patrio primo Andromachen iterum cessisse marito.

Cui futura prædicit Helenus.

Is Helenus Æneæ futura prædicens, monitus interpres deorum profatus fuerat, *ibi locum sedis ejus fore quietis, ubi in Italia juxta Tibridis ripas scropham seu suem triginta natorum fœtu jacentem videret*, ut Maro in tertio, ad Æneam locutus Helenus: (8)

Signa tibi dicam; tu condita mente teneto,
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam,
Littoreis ingens inventa sub Ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Anchises Æneæ pater moritur.

Æneas hinc discedens, & extremas Italiæ radens, circumvectum per Siciliam senem Anchisem patrem amisit. Inde per inferum mare diu fluctibus ex iniquo sidere vexatus, Aphrum tenuit littus. Mox pacato æquore ad Italiam revectus, appulit Tiberis ostio. Ibi tunc temporis *Latinus* rex, Fauni filius, gentibus imperitabat; qui ad rei novæ tumultum excitus, ut Tito Livio placet, in armis obviam pergit.

Æneas venit in Italiam.

Inde colloquio utrimque pacatis animis, duci Trojano, filiam, quam Turno Rutulorum regi primo desponsarat, matrimonio jungit Laviniam. Æneas conditum oppidum ex uxoris nomine *Lavinium* appellat.

Ducit Laviniam.

Et condit Lavinium.

At Virgilius noster hac in parte aliter sentit, id est, Latinum non in armis obviam processisse, sed Æneam legatos regi misisse: quibus auditis, rex pacatus, & monitis Deorum adductus, Laviniam filiam advenæ Trojano tradit. Quamobrem Turnus, impatiens opprobrii ereptæ conjugis, bello petit Æneam, nec vetante nec permittente Latino. Æneas, ut vires & arma in hostem externo robore firmaret, ad Evandrum, qui tum his oris, ubi nunc Roma autoritate ditionem tenebat, sursum adverso flumine pergens, auxilii exposcendi gratia, suem, id est, scropham triginta natorum fœtu, ut Helenus prædixerat, jacentem advertit, quietæ sedis certissimum omen, quam Junoni Deorum reginæ immolando sacravit, ut Virgilius in octavo: (9)

Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum,
Procubuit, viridique in littore conspicitur sus;
Quam pius Aeneas, tibi enim, tibi maxima Juno
Mactat, sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.

Eodem Æneam Lavinium oppidum struxisse aiunt, simul & hinc scrophæ signum Trojanis ortum quidam tradidere, seu ob injecti fundamenti regiæ sedis memoriam, seu quia quietis genti scropha signum dederat, seu ob æternum insigne nominis Trojæ, quæ huic vocabulo animalis vulgo Italice includitur, ut supra memini. Præterea & nonnulli referunt historici, Æneam more navigantium inter cetera animalia ad usum vescendi, ut fit, suem vivam secum detulisse, ac ex oraculo responsum habuisse, quum teneret Italiam, dimitteret eam. Inde quo reperta foret, sedi ejus conderet urbem: quam in Campaniæ oris apud Avernum lacum, Bajarumque fines demissam volunt, mox supra Tibridis ripam. Quare elatum scrophæ vexillum, quocirca Helenus ad Æneam in tertio Virgilius: (10)

Vade age; & ingentem factis fer ad æthera Troja.

Id est, insigne Trojanum. At quum hac in parte te dubitare, serenissime principum, crebro percepissem, & in ambiguitate rei hujus multos vagari, tulit calamus prolixius, & à proposito longius quam exposceret intentio. Quis enim rem tot seculis remotissimam scrutaturus

(6) Idem. Æneid. Lib. III. 282.
(7) Idem. Æneid. Lib. III. 294.
(8) Idem. Æneid. Lib. III. 388.
(9) Idem. Æneid. Lib. VIII. 81.
(10) Idem. Æneid. Lib. III. 462.

taturus per vetustissima literarum volumina sine ambiguitate evadere potuit? Sed ad propositum redeundum. Ad Evandrum concessit Aeneas, & optato potitus, Pallantem Evandri filium & ingentis roboris armatorum auxilia secum duxerat. Turnus, post aliquot prælia clarissima, victus tandem ac peremptus, Trojano cessit. Victor Aeneas post Latini obitum in regno successit, quem mortuum, & super Numicii fluminis ripam conditum, indigentem Jovem dixere, expleto anno tertio regni. Superfuit Ascanius ejus filius Trojæ ex Creusa natus. Is Lavinium oppidum novercæ Laviniæ & Silvio ex Lavinia fratri relinquens, haud inde longe in Albano colle condidit Albam: intra Lavinium & Albam conditam triginta annorum spatium datur. Absumpto Ascanio frater ejus Silvius, qui & Julus, à quo gens Julia, & antiquum tuæ generosæ prolis derivatum cognomen, Auguste, regnat: quamquam inter autores veterum in ambiguo constet, utrum Silvium an Ascanium cognominatum fuisse Julum. Is Silvius post obitum patris ex Lavinia Italiæ natus, Posthumus dictus, quem Lavinia prægnans privignum timens Ascanium, secedens in quadam silva apud Tityrum pastorem peperit, unde Silvius nuncupatus, ut Maro inducens Anchisem ostentantem suorum progeniem Aeneæ: (11)

Æneas vincit Turnum. *Et Latino in regno succedit.* *Ascanius. a. U. C. 447. a. C. N. 1199.* *Albam condit Silvius. a. U. C. 522. a. C. N. 1174.* *In silva natus.*

Ille (vides) pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Aetherias Italo commistus sanguine surget,
Silvius, Albanum nomen, tua posthuma proles.
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet silvis regem, regumque parentem,
Unde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Hic Silvius Silvium Aeneam filium reliquit, ex quo Latinus filius, à quo Prisci Latini cepere nomen, & Silvium cognomen Albæ regnantibus datum: ut quidam tradidere, quamquam Virgilius hoc cognomen regibus Albanis à Silvio Posthumo derivatum sentire videatur. Genuit hic Silvius Albam, Atym Alba, Capym Atys, Capys Capetum, Capetus Tiberinum, qui in Albula flumine demersus, mutavit fluvio nomen, Tiberi deinceps nuncupato. Ex Tiberino superfuit Agrippa, ex quo Romulus Silvius, qui sine prole fulmine ictus stirpis ejusdem Aventinum in regno reliquit. Is decedens, in quo sepultus fuerat, colli nomen dedit. Huic successit Proca, quo defuncto, duo ejus filii Numitor & Amulius superstites fuere: quorum alter Amulius Numitorem majorem è solio fratrem dejecit: cujus virili prole interempta, filiam Rheam Silviam ut partum averteret, vestalem virginem sacrat. Rhea geminos edidit, Remum scilicet & Romulum, à Marte compressa, ut traditur. Quod regi Amulio notum, in vincula tradita matre, & regio edicto in Tibridis alveo exponuntur gemini.

Æneas Silvius. Latinus Silvius. *Albani Reges. a. U. C. 408. a. C. N. 1169.* *Romuli & Remi natales. a. U. C. an. 18. Ol. 2. a. C. N. 770.*

Fama est, in Lupam geminos lambentem regium pastorem Faustulum casu quodam incidisse, qui uxori Laurentiæ nutriendos dedit. Jam adulti juvenes, corporis & animi vires adepti, per silvas ac nemora non modo infestare feras, sed & finitimis pastoribus dominari occœperant. Tandem insidiis Remus interceptus, ut prædæ reus ad Amulium ducitur: inde quia eum cum fratre ROMULO in agrum Numitoris impetum fecisse dicebatur, ad pœnas supplicii materno avo traditur: à quo mox & ipsi nepotes præsidio pastorum in regiam facto impetu, Amulium obtruncant, & restituunt Numitori regnum.

Eorum educatio. *Et adolescentia.* *Amulius à Romulo occiditur. a. U. C. 1. Ol. 6. a. C. N. 753.*

Hunc scito, Cæsar Auguste, gentis Juliæ Albanorum regum ultimum, eamque gentem ad Julium usque Cæsarem, seque principum decus, sine imperio privatæ, in tuæ felicitatis tempora terminasse. Namque Romulum Romanæ urbis imperiique tui conditorem, materna linea incognito patre ortum, tuæ stirpis non censeo, si majorum genealogiam recte complector.

Romulus Romanæ urbis & imperii conditor.

At nunc ad reges Romanos, Consules, Dictatores, Tribunos militares, ac plebeios subsequenter calamum deducam, ut ab origine ad tua felicissima secula Romana regimina noscas.

Igitur Palatino in monte, ubi adulti, & à pastoribus culti gemini erant, auspicato parva mœnia ponunt, & ubi alter alterum non patitur, cui regnandum augurio permittunt. Qua contentione interfectum Remum descripsere quidam: aliter alii, quia fertur, incepta mœnia contra edictum transiluisse Remum, à Romulo, cui regnare obtigerat, securi percussum, & à nomine conditoris urbem Romam nuncupatam. Ferunt, anno vigesimo secundo ætatis, undecimo Kalendas Majas, quadringentesimo tricesimo tertio post captam Trojam, Romulum urbis fundamenta jecisse. Qui primo constitutis sacris, legum jura sanxit, fecit & se regiis insignibus augustiorem, circa se lictores instituit, Asylum aperuit complendæ urbis gratia: centum Senatores creavit, quos Patres autoritate nuncupavit reipublicæ consilium: equestri Neptuno ludos finitimis gentibus indicavit. Circumstantes populi cum familiis ad urbem, velut ad rem novam simul & ludos conveniunt. Tum ad spectacula intentis advenis, raptæ virgines Sabinorum, ceterarumque turba, & in matrimonium abductæ. Raptarum parentes ad ultionem illati dedecoris arma parant, hinc pleraque bella orta. Cæninenses, qui primum in agrum Romanum impetum fecerant, victi sunt, Acrone eorum rege à Romulo obtruncato, cujus opima spolia in Capitolium ad quercum pastoribus sacram rex ipse Romanis suspendit, ibique Jovi Feretrio templum statuit, quod primum Romæ sacratum fuit, & de Cæninensibus primum triumphum egit, ut quibusdam placet scriptoribus. Antemnates exinde populandi gratia hostiliter adventarunt, qui à Romulo victi in urbem ducuntur. Hinc adversus Crustuminos subsequentes tumultuantes, in armis Romulus profectus, superatos hostes Romæ cohabitare coërcuit. Cum Sabinis ultima & acrior pugna fuit, nam ab his Tito Tatio duce, Capitolii arce capta, mox virtute Romuli recuperata, interventu raptarum miserando

Remus interficitur. *Roma condita. Ol. 7. a. C. N. 752.* *ROMULI res gestæ.*

(11) VIRGIL. Æneid. Lib. VI. 760.

ſerando fletu implorantium, pacatis utrimque animis, pax fit, & ex duobus regnis unum: namque Sabini eorum imperium Romam traducunt, & ſub duobus regibus, Romulo, & Tito Tatio, commune dominium per aliquot annos fuit. Sed primo Tatius moritur à Laurentibus interfectus, anno quinto poſtquam Romæ regnare ceperat. Superfuit Romulus, qui demum victis Fidenatibus ac Veientibus, ad Capreæ paludem concione habita, ſubito turbine & imbre, lumine ſolis adempto, inter fulgura obſtrepentia cœli ereptus, nuſquam apparuit, poſtquam triginta & ſeptem regnaverat annis.

Romuli mors. U. C. 37. Ol. 16. a. C. N. 716.

NUMA POMPILIUS Rex. U. C. 38. Ol. 16. a. C. N. 715.

Numa exinde Pompilius è Sabinis ortus, vir pietate & juſtitia inſignis, ſecundus à Romulo regnat, & pacatis finitimorum odiis gemini Jani templum ædidit, quod apertum bella, clauſum quietem indicaret. Mox ad religionem converſus, ut Deorum timor ad mitiora truces flecteret animos, ſacra inſtituit, ſacerdotes creat, virgines veſtales ſacrat, pontificem maximum primus declarat, dies faſtos nefaſtosque condidit, annum in duodecim menſes diviſit. Poſtremo ubi maxima cum reverentia & ſuorum & finitimorum tres & quadraginta regnaſſet annos, obiit.

TULLUS HOSTILIUS Rex. U. C. 81. Ol. 27. a. C. N. 672.

Tullus Hoſtilius exinde rex tertius creatur, ad bella promptiſſimus, animoſior Romulo, cum Albanis armorum negotium habuit, ſed paucorum cruore ac fortuna finitum. Nam trigeminis Horatiis Romanorum, & trigeminis Curiatiis Albanorum res hoc fœdere committitur, ut civitas, pro qua pugnarent, qui viciſſent, alteri imperaret. Vicerunt Horatii, Albani ſub imperio Romano fuere. Fidenates ac Veientes proinde in agrum Romanum impetum faciunt, quibus victis ac fugatis, Mettium Albanorum dictatorem, quia ex fœdere in armis accitus, proditor rem Romanam maximo in diſcrimine abſentando deſeruerat, Tullus quadrigis in diverſum actis alligatum diſcerpi, Albamque dirui, ac omnes Albanos Romam devehi juſſit. Cœlium montem intra mœnia clauſit, numero & potentia creſcente Roma. Cum Sabinis, qui patriis in ſedibus T. Tatii tempore invaſerant, bellum grave geſſit, hoſtemque vicit. Demum fulminis ictu cum tota domo abſumptus, anno regni trigeſimo ſecundo interiit.

ANCUS MARCIUS Rex. U. C. 113. Ol. 35. a. C. N. 640.

Ancus Martius Tullo ſucceſſit, vir pace & bello clariſſimus, ad arma & religionem paratus, ad ſacra primum & templa condenda ornandaque animum flexit. Mox quum res poſtularet, à ſacris ad arma concitus, adverſus Latinos, qui primo in eum moverant bella, ſe contulit, & Politorium unicum Latinorum præſidium expugnat ac diruit, omnesque in oppido repertos, Romæ cohabitandos deſtinat. Janiculum collem urbi adjecit, pontem Sublicium ſupra Tiberim fecit: tum Quiritium foſſa per plana deducta, carcerem primus ſtruxit: uſque ad mare dilatati fines, ubi Tibris in æquora prorumpit, Hoſtia urbs condita, & Salinæ circumlatæ, Feretrii Jovis templum ampliatum. Deceſſit Ancus anno regni vigeſimo quarto.

TARQUINIUS PRISCUS Rex. U. C. 137. Ol. 41. a. C. N. 616.

Priſcus Tarquinius à Tarquiniis Etruriæ profectus, exinde regnum occupat: cum Latinis is primum bellum habuit, & Appiola urbe expugnata, ingenti præda victor rediit, ludos inſtituit, Circum erexit, adverſus Gabinos centurias auxit, quibus induſtria ac viribus ſuperatis, arma cruenta hoſtium in Anienem flumen ejicere fecit. Quæ ex Aniene in Tiberim devecta, ſummæ victoriæ nuntium Romæ detulere. Iterum eisdem hoſtibus ſecundo prælio attritis, Collatiam oppidum ſui juris fecit, Romam regreſſus, inſigni gloria primus triumphat, ut quidam volunt: cum Priſcis Latinis bello orto pugnavit, quibusdevictis, pacem dedit, vi & armis oppidis captis, Corniculo, Ficulnea, Cameria, Cruſtumerio, Ameriola, Medullia, & Nomento. Demum ad ædificia publica intentus, muro lateritio circuit urbem, valles interjacentes collibus, cæteraque loca limoſa, & ſordibus repleta, cloacis vacuat. In Capitolio Jovis ædem grande opus inceptarat: tum interfectis à duobus Anci filiis, obiit anno regni triceſimo ſeptimo.

SERVIUS TULLIUS Rex. U. C. 175. Ol. 50. a. C. N. 578.

Servius Tullius poſt hunc rex declaratur, ex captiva & nobili fœmina à Corniculo oppido gravida educta, in domo Tarquinii natus & adultus, cum Veientibus & Etruſcis primum bellum ſumpſit: quibus fortiſſime victis, inſignis gloriæ victor rediit. Cenſum primus inſtituit, quo & paci & bello opportuna redimerentur. In claſſes centuriasque populum diviſit. Domi pace tranquillæ, & foris in armis quod neceſſe fuerat, ſolertiſſima ſtatuit induſtria. Cives omnes, pedites equitesque qui arma ferre poſſent, in campum Martium convenire edicto juſſit, ibique exercitum inſtructum ordine, porco, ove & tauro luſtrat. Inde ad poſteros Luſtrum nuncupatum, quo octoginta millia civium cenſa referuntur. Duo colles urbi tum additi, Viminalis & Quirinalis, & Exquiliæ, ubi ipſe regiam habuit: aggere, foſſa, & muro, quæ urbi adjecerat, circumcluſit. Dianæ templum condidit. Poſtremo à Lucio Tarquinio, Priſci Tarquinii filio, & genere ſuo, anno regni trigeſimo (*a*) quarto, in vico Cyprio obtruncatur.

TARQUINIUS SUPERBUS Rex. U. C. 219. Ol. 61. a. C. N. 534.

Tarquinius inde regnum invadit, qui male partum imperium, ita contumaciter rexit, ut cognomen Superbo ſibi vendicaret, in Patres ac Senatum ſæviens, injuſſu populi ad libitum agere omnia cepit, occidere, carcerare, afficere ſupplicio, ſui juris fecit. Cum Volſcis bellum habuit, quibus expugnatis, oppida Sueſſam & Pometiam eripuit, fraude & non bello, Gabios ſubjugavit, & cruciatibus attrivit. Cum Æquicolis & Etruſcis fœdera tenuit. Jovis templum, quod in Capitolio pater inceptaverat, maximo impedimento ac labore ad culmen erexit. Demum ob Lucretiæ per vim illati ſtupri dedecus à Sexto Tarquinio ejus filio, Junii Bruti opera pulſus, in exulatum cum ſceleſta conjuge ac filiis fuga perrexit, anno regni trigeſimo (*b*) quinto.

Tarquinii expelluntur.

Ab

(*a*) forte quadrageſimo. (*b*) forte vigeſimo.

Conſules annui. U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510.

Ab urbe vero condita ducenteſimo quadrageſimo quarto, (11) depulſis regibus, ſub Conſulibus annuo imperio jura Romana fuere. Senatus ut ſolidum corpus immutabile erat. Conſules velut membra; Senatus conſilium & rerum deliberatio, Conſules ad conſulta peragenda parati.

Dictator.

Dictatoris imperium, quod ceteros magiſtratus excedebat, ad terrorem cunctorum, tum quum res Romana in extremis periculis nutare cerneretur, creabatur, ſummæ potentiæ unicum robur.

Tribuni plebeji. U. C. 259. Ol. 71. a. C. N. 494.

Inde ob truculentiſſimas inter patricios ac plebejos ſeditiones, plebs armata, maximo cum terrore nobilium, in Aventinum, &, ut aliis placet, in ſacrum collem ſeceſſerat: nec inde abduci potuit, donec ad favorem ſui, *Tribuni plebeji* primum crearentur.

Decemviri. U. C. 301. Ol. 82. a. C. N. 452.

Mox ad *Decemviros* res venit: nam Decemviros creari placuit, qui ſine alio magiſtratu, annuo imperio reipublicæ præeſſent. Anno ab urbe condita uno & trecenteſimo, hoc imperium in Appio Claudio, atrociſſimi ingenii viro, deſinere voluit, ejusdem obſtinata perfidia: ob cujus ſceleſtæ libidinis nefas violandæ Virginiæ virginis pudiciſſimæ, ſe abdicare magiſtratu Decemviri coacti ſunt.

Tribuni militum. U. C. 309. Ol. 84. a. C. N. 444.

Tum ad Conſules res redierat. Verum paullo poſt, Tribunis plebis auctoribus, ſeditione, ut alias orta, inter cetera obtinuere plebeji, ut & *Tribunos militares* haberent, ſicut & *plebejos.* Sed hi promiſcue vel patricii, vel plebeji eſſe poterant, qui aliquando conſulare geſſere imperium.

Conſules iterum. U. C. 387. Ol. 103. a. C. N. 366.

Sed demum Conſules regnum obtinuere, quorum faſces adusque Julii Cæſaris, patris patruique tui, principatum defluxere, expletis ab urbe condita annis ſeptingentis decem.

Romanorum res geſtæ breviter exponuntur.

Sub quorum Magiſtratuum, Conſulum, Dictatorum, & Tribunorum militarium ductu, per quadringentos quadraginta & ſeptem annos, omnis Italia viribus armorum ſubacta eſt, ſimul & alpes Cottiæ Penninæ, & Graiæ atque Romanæ, cum Alpinis populis, ipſis in rupibus duratis, in ditionem convenere. Africa ter victa, primo & ſecundo & tertio bello Punico, inæſtimabili vulnere utrimque accepto.

Romano imperio tandem parta: Sicilia, Sardinia, Baleares, Creta inſulæ obtentæ. Numidia, victo Jugurtha, in poteſtatem redacta. Hiſpaniam, genus armorum ferox, noſtrorum, nec ſine Romano cruore, ſubjugavere arma. Celtiberi, Cantabri, Aſtures, Luſitani, Numantia, omnisque Gallæcia, flexere cervicem. Gallia atque Britannia novem annorum Julii Cæſaris labor fuere, tributariæ demum factæ. Poſt hæc Illyria, Iſtria, Liburni, & Dalmatæ obſecundavere perdomiti. Proinde in Græciam tranſitus fuit. Qua perdomita, Epirus, Theſſalia, & Achaia, paruere mandatis. Ter Macedonia cum regibus ſuis debellata, & in provinciæ formam demum redacta. Thraces, ſæviſſimos omnium, Propontidem, & Thracium Boſphorum cum ipſo Byzantio, virtus Romana ſuperatos reddidit. Hinc ad Danubium Rhenumque, tuis auſpiciis, victorioſiſſime Principum, penetratum, & utriusque fluminis utramque ripam tuæ induſtriæ ſubjugavere vires. Duæ Germaniæ, inferior ac ſuperior, tibi unico ceſſere. Norici, Pannonii, Suevi, Marcomanni, Daci, Mœſi, ceteræque nationes ad Arcton, ſuperati. Europa in extremis finium ſuorum per te undique exterrita, & armis concuſſa. In Aſiam jam ante perventum fuerat, & victo Antiocho, potentiſſimo Syriæ rege, victo Mithridate, Syria, Phœnix, Cteſiphon, Babylonia, Judæa, Palæſtina, Arabia, Cilicia, & omne Ponti regnum, cum ipſa minore Aſia, in qua Phrygia, Lydia, Bithynia, Paphlagonia, Iſauria, & Cappadocia regiones continentur, mandatis obtemperavere. Ceſſit & utraque Armenia armis attrita. Meſopotamia inter Tigridem & Euphratem, ſanguine Parthorum ac Perſarum crebro cruenta multiplici bello, demum Romano paruit. Diverſis temporibus cum Perſis & Parthis aſſidue pugnatum, & utrimque cladibus acceptis, Romanus ſuperior fuit, & obſtantibus imperavit.

Ad Arcton Colchi, Hiberi, Albani, Scythæ, Aſſyrii, Caſpii, cum Amazonibus ſuis, ductu noſtrorum ducum ſubjugati ſunt. Ægyptiorum reges ultro in amicitia & fœdere ſteterunt. Cyrene ac toto Libya & Mauritania, extincto Juba, obſequentes fuere. Indi ex ipſo extremo Oriente poſtremo ad te, glorioſiſſime Principum, in extremo Occidente tum bella gerentem, legationem miſere, ad obſequia ſe paratos profitentes, ut nonnihil te imperante haud ſupereſſet indomitum. Æternum vale tui ſeculi perenne ac immortale decus, Cæſar Auguſte.

(11) Depulſis regibus) Sex Reges jam repræſentavimus quidem Tom. I. Scriptorum Hiſtoriæ Romanæ. Romulum nimirum Tab. III. num. 4. Numam Pompilium Tab. IV. num. 4. Tullum Hoſtilium. Tab. VI. num. 2. Ancum Marcium Tab. VII. num. 1. Servium Tullium Tab. VII. num. 5. & L. Tarquinium Superbum Tab. VIII. num. 5. Hic vero Tab. I. num. 2 - - - 7. omnium effigies ſiſtimus ex probatiſſimis Numismatibus delineatas. Tarquinii tamen ſuperbi, an admittenda ſit, judicent alii. Conſulatur BEGERUS Th. Br. T. I. p. 358. & 359.




LU-



Tab. I.
ad pag. 3 & 8

LUCII
ANNÆI FLORI
EPITOME
RERUM ROMANARUM.



M. Tyroff sculp. Norimbergæ.

(1) LUCII ANNÆI FLORI EPITOME RERUM ROMANARUM

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

Populi Romani rerum gestarum magnitudo.

POpulus Romanus à rege Romulo in Cæsarem (*a*) Augustum, septingentos per annos, tantum operum pace belloque gessit, ut si quis magnitudinem Imperii cum annis conferat, ætatem ultra putet. Ita late (2) per orbem (*b*) terrarum arma circumtulit, ut qui res ejus legunt, non unius populi, sed generis humani facta discant. Nam tot laboribus periculisque jactatus est, ut ad constituendum ejus imperium, contendisse Virtus & Fortuna viderentur. Quare quum præcipue hoc quoque, sicut cetera, operæ pretium sit cognoscere; (*c*) tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerumque diversitas aciem intentionis abrumpit; faciam quod solent, qui terrarum situs pingunt: in brevi quasi tabella totam ejus imaginem amplectar, nonnihil, ut spero, ad admirationem (*d*) principis populi collaturus, si pariter atque insimul (*e*) universam magnitudinem ejus ostendero. Si quis ergo (3) Populum Romanum quasi hominem consideret, totamque ejus ætatem percenseat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut postea velut consenuerit; quatuor gradus processusque ejus inveniet. Prima ætas sub regibus fuit, prope ducentos quinquaginta per annos, quibus circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est. Hæc erit ejus Infantia. Sequens à Bruto Collatinoque Consulibus, in Appium Claudium, Quinctum Fulvium Consules, ducentos quinquaginta annos patet, quibus Italiam subegit. Hoc fuit tempus viris armisque incitatissimum: ideo quis Adolescentiam dixerit. Dehinc ad

Scopus Authoris.

Comparatio Pop. Rom. cum hominis ætate.

Infantia Pop. Rom.

Adolescentia.

Juventas.

 Cæsarem

(*a*) al. usque Cæsarem. (*b*) al. Ita enim late ubique per orbem. (*c*) al. Quare quum præcipua quæque operæ pretium sit cognoscere sigillatim, &c. (*d*) al. in admirationem. (*e*) al. insemet.

---

(1) L. Annæi Flori) FLORI cognomen à Flore descendere, testatur L. AQUILIUS FLORUS numismate Tab. II. num. I. in honorem Augusti percusso, in cujus parte aversa florem expressit. PATIN. Fam. Rom. p. 36. & 37. ÆN. VICUS sub Augusto ex Argento num. 70. Et BELLOR. pag. 22.

(2) Per orbem terrarum) Unico globo Romani in numismatibus orbem terrarum exhibuerunt, ut Tab. II. num. 2. in Tiberii Imp. numismate globus cum gubernaculo orbis regimine conspicitur. ÆN. VICUS sub Tiberio ex ære num. 19. BELLOR. p. 27. In hoc unico globo tres tantum delinearunt partes, Europam nimirum, Asiam & Africam, eo quod quarta America Romanis erat incognita. Vid. Tab. II. num. 3. MEDIOBARB. Numism. Impp. Rom. p. 32. OISEL. Thes. Sel. Num. antiqu. p. 76. Tab. XV. num. 10.

(3) Populum Romanum quasi hominem) In numismatibus Populus Romanus non tantum ut homo, sed &, si infantiam excipias, secundum diversos ætatis gradus adumbratur. Numisma Tab. II. num. 4. Sub Constantino I. M. ab urbe Constantinopoli, ut conjectura est percussum, juventutem Imperii exprimit, quod eam Constantinus restituerit. MEDIOBARB. loc. cit. p. 469. Num. 5. robusta Populi maturitas denotatur; & Num. 6. Senilis vultus diadematus Imperii Symbolum denotat, quod penes Populum Romanum erat, non penes Antiochenses, qui nummum percusserunt. Ita ex BEGERI Floro D. de KLETTENBERG. Qui addit, se asserere velle Genium, in primo numismate, Populi Romani, sub Crispi Cæsaris effigie percussum esse. Ex Mss.

Cæſarem Auguſtum ducenti anni, quibus (4) totum orbem pacavit. Hic jam ipſa (5) Juventa (*f*) Imperii, & quædam quaſi robuſta maturitas. A Cæſare Auguſto in ſæculum noſtrum haud multo minus anni ducenti: quibus inertia Cæſarum quaſi conſenuit atque decoxit; niſi quod ſub Trajano principe movet (*g*) lacertos, & præter ſpem omnium, Senectus imperii, quaſi reddita juventute, (6) revireſcit.

Senectus.

De ROMULI primi Romanorum Regis & REMI natalibus, a. U. C. 18. Ol. 2, 2. C.N. 770.

CAP. I. Primus ille & urbis & imperii (7) conditor Romulus fuit; (8) Marte (*h*) genitus, & Rhea Silvia. Hoc de ſe ſacerdos (*i*) gravida confeſſa eſt: nec mox fama dubitavit, quum Amulii imperio abjectus in profluentem cum Remo fratre, non potuit extingui. Siquidem & Tiberinus amnem repreſſit: & relictis catulis (9) lupa ſecuta vagitum, uber (*k*) admovit infantibus, matremque ſe geſſit. (10) Sic repertos apud arborem Fauſtulus regis paſtor (*l*) tulit in caſam, atque educavit. Alba tunc erat Latio caput, Juli opus: nam Lavinium patris Æneæ contempſerat. Ab his Amulius jam bis ſeptima ſobole regnabat, (*m*) fratre pulſo Numitore, cujus ex filia Romulus. Igitur ſtatim prima juventæ face patruum Amulium ab arce deturbat, avum reponit: ipſe fluminis amator & montium, apud quos erat educatus, mœnia novæ urbis agitabat. Gemini erant: uter auſpicaretur & regeret, adhibere placuit Deos. (*n*) Remus montem Aventinum, hic Palatinum (*o*) occupat. Prior ille ſex vultures, hic poſtea, ſed duodecim videt. Sic victor augurio, urbem excitat, plenus ſpei, bellatricem fore. Ita illi aſſuetæ ſanguine & præda (*p*) aves pollicebantur. Ad tutelam novæ urbis ſufficere vallum videbatur: cujus dum irridet anguſtias Remus, idque increpat ſaltu, dubium an juſſu fratris, occiſus eſt. Prima certe victima fuit; munitionemque urbis novæ ſanguine ſuo conſecravit. Imaginem urbis magis quam urbem fecerat. Incolæ deerant. Erat in proximo lucus: hunc Aſylum facit: & ſtatim mira vis hominum, Latini, Tuſcique paſtores: quidam etiam tranſmarini; Phryges, qui ſub Ænea, Arcades, qui ſub Evandro duce influxerant. Ita ex variis quaſi elementis congregavit corpus unum; Populumque Romanum ipſe fecit. Res erat unius ætatis; Populus virorum. Itaque matrimonia à finitimis petita: quia non impetrabantur, manu capta ſunt. Simulatis quippe ludis equeſtribus, (11) virgines, quæ ad ſpectaculum venerant, præda (*q*) fuêre. Et hæc ſtatim cauſa bellorum. Pulſi fugatique Veientes. Cæninenſium captum ac dirutum eſt oppidum. Spolia inſuper opima de rege, Feretrio Jovi manibus ſuis rex reportavit. Sabinis proditæ portæ per virginem: nec dolo: ſed puella pretium rei, quam gerebant in ſiniſtris, petierat. Dubium clypeos, an armillas. Illi ut & fidem ſolverent, & ulciſcerentur, (12) clypeis obruere. Ita admiſſis intra mœnia (*r*) hoſtibus, atrox in ipſo foro (*s*) pugna, adeo ut Romulus Jovem oraret, *ut fœdam ſuorum fugam ſiſteret.* Hinc templum (*t*) & (13) Stator Jupiter. Tandem ſævientibus (14) intervenêre raptæ laceris comis. (15) Sic pax facta cum Tatio, fœduſque percuſſum: ſecutaque res mira dictu, ut relictis ſedibus ſuis novam in urbem hoſtes demigrarent, & cum generis ſuis avitas opes pro dote ſociarent. Auctis brevi viribus, hunc rex ſapientiſſimus ſtatum Reipublicæ impoſuit: juventus diviſa (*u*) per tribus, in equis, & armis, (*x*) ad ſubita (*y*) bella excubaret; conſilium Reipublicæ penes ſenes eſſet, qui ex auctoritate Patres, ob ætatem Senatus vocabantur. His ita ordinatis, repente, quum concionem haberet, ante urbem apud Capreæ (*z*) paludem, è conſpectu ablatus eſt. Diſcerptum aliqui à Senatu putant ob aſperius ingenium: ſed oborta tempeſtas, ſoliſque defectio, conſecrationis ſpeciem præbuêre: cui mox Julius Proculus fidem fecit, viſum à ſe Romulum affirmans, auguſtiore forma quam fuiſſet: mandare præterea, ut ſe pro numine acciperent: Quirinum in cœlo vocari placitum Diis: ita gentium Roma potiretur.

Roma condita, Ol. 7. a. C.N. 752.

Remus occiditur.

Romuli res geſtæ.

Jupiter Stator.

Romuli mors.

CAP.

(*f*) al. Juventas. al. Juventus. (*g*) al. movit. (*h*) al. à Marte. (*i*) al. Hoc de ſe Veſtæ ſacerdos. (*k*) al. ubera. (*l*) al. gregis paſtor. (*m*) al. Ab his jam bis ſeptima proles regnabat. (*n*) al. adhibuere piacula vel oracula. (*o*) al. Palatium. (*p*) al. ſanguini & prædæ. (*q*) al. prædæ. (*r*) al. admiſſis ad mœnia. (*s*) al. in ipſo aditu. (*t*) al. Hic templum eſt, &c. (*u*) al. diſperſa. (*x*) al. & in armis. (*y*) al. ut ad ſubita. (*z*) al. Capræ.

(4) Totum orbem pacavit) Eleganter hoc exprimit Numiſma Imp. Auguſti Tab. II. num. 7. In quo orbis terrarum exhibetur vel inter duos oleæ ramos, in ſymbolum pacis univerſalis, vel lauri, in teſſeram bellicis victoriis partæ, cum Inſcriptione: PAX ORBIS TERRARUM. S. P. Q. R. Ita HEMELARIUS Numiſm. aur. Impp. Rom. Tab. III. num. 11. pag. 13.

(5) Juventa Imperii) Juventam Imperii Imp. Caracalla Tab. II. num. 8. expreſſit, ſub figura juvenis vel ſui ipſius, habitu militari ornati, dextra globum, cui Victoriola inſiſtit, ferentis, ſiniſtra haſtam inverſam tenentis, aſſidente ad pedes captivo. OISELIUS loc. cit. pag. 333. Tab. LIV. num. 2.

(6) Revireſcit) Revireſcens vel renaſcens Roma, in nummo à Galba Imp. publicato Tab. III. num. 1. adumbratur in figura galeata, non ſedente, non ſtante, neque haſta terræ impoſita, ſed gradiente, ſiniſtra haſtam ex tranſverſo, dextra victoriolam tenente; ut eo Virtus Militaris, labor & diſciplina indicaretur, quibus victoriæ parantur, majeſtaſque & Imperium creſcit. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. p. 626.

(7) Conditor Romulus) Romuli effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. III. num. 4. Tom. II. Tab. I. num. 1. Elogium quoque Conditoris Romulo adhuc ſervari in nummis, ex numo Hadriani Imp. Tab. II. num. 6. ibid. apparet. Conf. HEMELAR. loc. cit. Tab. XVIII. num. 9. pag. 54. MEDIOBARB. p. 180.

(8) Marte genitus & Rhea Silvia) Huc ſpectans numiſma vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. II. num. 5.

(9) Lupa - - -, uber admovit) Hoc exhibent numi Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. I. num. 2. & Tab. III. num. 1.

(10) Sic repertos apud arborem Fauſtulus) Exprimit hoc numiſma Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. III. num. 3. exhibitum, cui ex GRÆVII Floro aliud addimus, cujus ficui Ruminali Picus Martius inſidet. Tab. III. num. 2. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. p. 575.


(11) Virgines - - - præda fuere) Raptum Sabinarum exhibuimus in numo Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. IV. num. 1.

(12) Clypeis obruere) Hujus rei monumenta vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. IV. num. 2.

(13) Stator Jupiter) Statorem Jovem tibi ſtitimus, Erudite Lector, Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. IV. num. 3.

(14) Intervenere raptæ) Id videmus in Numiſmate Tab. III. num. 3. Maximi moduli ex Cimeliarchio Regis Galliæ Tab. IX. num. 2. In quo illud ſingulare eſt, quod non tantum, ut LIVIUS habet Dec. I. Lib. I. Cap. XII. p. 7. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. crinibus paſſis, raptæ ſe inter medias acies intulerint, ſed & partus ſuos viris obtruſerint.

(15) Sic pax facta cum Tatio) Romuli & Tatii fœdus, concordiam conciliante Herſilia, ex conjectura STEPH. WINANDI PIGHII in tabula exhibet BEGERUS in Spicilegio antiquitatis pag. 151.


Tab. II.
ad pag. 11. et 12.
I
ÆR
L. AQVILLIVS · FLORVS · III. VIR.
E
II
ÆR
PONTIF. MAX. TR.
S C
POT. XXX. XII
E
III
ÆR
M. COCCEIVS ME. NERVA III. VIR.
ASI
EVR
AFR
S.P.Q.R.
Γ
IV
ÆR
POP. ROMANVS.
B
V
ÆR
ΙΕΡΟC ΔΗΜΟC
B
VI
ÆR
ΔΗ ΜΟC.
B
VII
ÆR
PAX ORBIS TERRARVM SPQR
Γ
VIII
ÆR
IVVENTA IMPERII
Γ

NUMA POMPILIUS.

CAP. II. Succedit (*a*) Romulo (16) Numa Pompilius, quem Curibus Sabinis agentem ultro petivere, ob inclitam viri religionem. (17) Ille ſacra, & cærimonias, omnemque cultum Deorum immortalium docuit. Ille Pontifices, Augures, Salios, ceteraque Populi Romani ſacerdotia: (*b*) annum quoque in duodecim menſes, faſtos dies, nefaſtoſque deſcripſit. Ille (18) Ancilia atque (19) Palladium, ſecreta quædam imperii pignora, (20) Janumque geminum, fidem pacis ac belli: in primis (21) focum Veſtæ virginibus colendum dedit; ut ad ſimulacrum (*c*) cœleſtium ſiderum, cuſtos imperii flamma vigilaret. Hæc omnia quaſi monitu Deæ Egeriæ, quo magis barbari acciperent. Eo denique ferocem populum redegit, ut quod vi & injuria occupaverat imperium, religione atque juſtitia gubernaret.

Ejus res geſtæ. U. C. 38. Ol. 16. a. C. N. 715.

Egeria Dea.

TULLUS HOSTILIUS. U. C. 81. Ol. 27. a. C. N. 672.

CAP. III. Excipit Pompilium Numam (22) Tullus Hoſtilius, cui in honorem virtutis regnum ultro datum. Hic omnem militarem diſciplinam, artemque bellandi condidit. Itaque mirum in modum exercita (*d*) juventute, provocare auſus Albanos, gravem & diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus præliis utrique comminuerentur, miſſo in compendium bello, Horatiis, Curatiiſque, 23) tergeminis hinc atque inde fratribus, utriuſque populi fata permiſſa (*e*) ſunt. Anceps & pulchra contentio, exituque ipſo mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occiſis, qui ſupererat Horatius, addito ad virtutem dolo, ut diſtraheret hoſtem, ſimulat fugam: ſinguloſque, prout ſequi poterant adortus, exſuperat. Sic (rarum alias decus) unius manu parta victoria eſt, quam ille mox parricidio fœdavit. Flentem ſpolia circa ſe, ſponſi quidem, ſed hoſtis, ſororem viderat. Hunc tam immaturum virginis amorem ultus eſt ferro. Citavere leges nefas: ſed abſtulit virtus parricidam: & facinus intra gloriam fuit. Nec diu in fide manſit Albanus. Nam Fidenate bello miſſi in auxilium ex fœdere, medii inter duos exſpectavere fortunam. Sed rex callidus ubi inclinare ſocios ad hoſtem videt, tollit animos, quaſi ipſe mandaſſet. Spes inde noſtris, metus hoſtibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoſte victo, ruptorem fœderis Mettium Fuffetium religatum inter duos currus, pernicibus equis diſtrahit: Albamque ipſam, quamvis parentem, æmulam tamen, diruit, (24) quum prius omnes opes urbis, ipſumque populum Romam tranſtuliſſet: prorſus ut conſanguinea civitas non periiſſe, ſed in ſuum corpus rediiſſe rurſus videretur.

Ejus res geſtæ.

Certamen trigeminorum fratrum.

Mettii Fuffetii ſupplicium.

ANCUS MARCIUS. U. C. 113. Ol. 35. a. C. N. 640.

CAP. IV. (25) Ancus deinde Marcius, (26) nepos Pompilii, (*f*) pari ingenio. Hic igitur & mœnia muro amplexus, & interfluentem urbi Tiberinum ponte commiſit. (27) Hoſtiamque in ipſo maris fluminiſque confinio coloniam poſuit: jam tum videlicet præſagiens animo, futurum, ut totius mundi opes, & commeatus illo veluti maritimo Urbis hoſpitio reciperentur.

Ejus res geſtæ.

TARQUINIUS PRISCUS. U. C. 137. Ol. 41. a. C. N. 616.

CAP. V. (28) Tarquinius poſtea Priſcus, quamvis tranſmarinæ originis, regnum ultro petens, accipit, ob induſtriam atque elegantiam: quippe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus miſcuiſſet. Hic & Senatus majeſtatem numero ampliavit, & centuriis tribus auxit: quatenus Accius Navius (*g*) numerum augeri prohibebat (*h*) vix ſummus augurio. Quem rex in experimentum rogavit, *fierine poſſet quod ipſe mente conceperat?* Ille rem expertus augurio, *poſſe*, reſpondit. *Atqui hoc*, inquit, *agitabam, an* (29) *cotem illam ſecare novacula poſſem?* Augur, *Potes ergo*, inquit, & ſecuit. Inde Romanis ſacer auguratus. Neque pace Tarquinius quam bello promptior. Duodecim namque

Ejus res geſtæ.

(*a*) al. Succeſſit. (*b*) al. ceteroſque per ſacerdotia. (*c*) al. ſimilitudinem. (*d*) al. exercitata. (*e*) al. commiſſa. (*f*) al. nepos ex filia Pompilii. (*g*) al. Nævius. (*h*) al. prohiberet.

(16) Numa Pompilius) Numæ Pompilii effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. IV. num. 4. & Tom. I. Tab. I. num. 2.

(17) Ille ſacra - - - - docuit) Hanc curam Numæ Pompilii, Romano Populo, in ſui commendationem, M. Piſo, ex Calpurnia gente, à Numa Pompilio originem ducente, in memoriam revocavit numo, qui Tab. III. num. 5. conſpicitur. In quo expreſſus eſt Deus Terminus, cui Numa in colle Tarpejo ſacellum erexerat, cum ſerto quo terminus in agris coronabatur, deinde ſacrorum inſtrumentis, ſimpulo nimirum, patera & cultro. Conf. PATIN. Fam. Rom. p. 57. Conf. etiam quæ diximus Tom. I. Script. Hiſt. Rom. ad pag. 9. verba: Inclyta juſtitia religioque ea tempeſtate, Numæ Pompilii, erat.

(18) Ancilia) Hæc exhibuimus Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. V. num. 6.

(19) Palladium) Aſſervabantur hoc Palladium, quod erat minuta forma, ad Palladis ſimulacrum effigiata, armata cum galea, haſta & clypeo, & ab Ænea in Italiam delata, vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. II. num. 3. à Virginibus Veſtalibus, quod numus Juliæ Auguſtæ demonſtrat Tab. III. num. 5. Conf. OISELIUS loc. cit. pag. 263. Tab. XLVI. num. 12. Conf. etiam, quæ diximus Tom. I. Script. Hiſt. Rom. ad Tab. V. num. 5. pag. 10.

(20) Janumque geminum) Hunc Janum geminum exhibuimus Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. I. num. 3. ejuſque templum clauſum. ibid. Tab. V. num. 1. & 2.

(21) Focum Veſtæ) Veſtæ templum ejuſque formam ex numo Neronis, vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. XXVI. num. 1. Focum vero ejus, ſeu aram cum igne accenſo, ſub cujus forma Veſta colebatur, oſtendimus hic loci, ex numo Fauſtinæ Matris, Antonini Pii uxoris, Tab. III. num. 6. Conf. OISELIUS. loc. cit. pag. 255. Tab. XLVI. num. 6. Cui Tab. III. num. 7. addimus alium numum Juliæ Piæ, Severi Imp. uxoris, in quo Veſtales ſacrificant. Idem OISEL. loc. cit. pag. 261. Tab. XLVI. num. 11.

(22) Tullus Hoſtilius) Tulli Hoſtilii effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. VI. num. 2. & Tom. II. Tab. I. num. 3.

(23) Tergeminis - - - fratribus) Horum memoriam in numis conſervatam vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. VI. num. 3. 4. & 5.

(24) Quum prius - - - transtuliſſet) Quomodo L. Hoſtilius Saſerna Vindictam & Clementiam Tulli Hoſtilii in numo expreſſerit, vid. Tab. III. num. 8. In quo Victoria, & ſpolia, ſignum victoriæ, & caduceum, ſymbolum pacis geſtat. Conf. PATIN. Fam. Rom. pag. 123.

(25) Ancus Marcius) Anci Marcii effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. VI. num. 1. & 2. & Tom. II. Tab. I. num. 4.

(26) Nepos Pompilii) Hinc eſt quod Tab. IV. num. 1. C. Marcius Cenſorinus utrumque in numiſmate conjunxerit, generis ſui gloriam amplificaturus. Marcia enim gens, per Ancum Marcium, nepotem Pompilii ex filia, à Pompilio originem trahebat. Conf. PATIN. loc. cit. pag. 168.

(27) Hoſtiamque) Hunc portum Hoſtienſem repræſentat numus Hadriani Imp. Tab. IV. num. 2. MEDIOBARB. pag. 154. Conf. etiam GRÆVII Florum ad hunc locum.

(28) Tarquinius Priſcus) Hujus effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. VII. num. 4. & Tom. I. Tab. I. num. 5.

(29) Cotem ſecare novacula) Prodigium hoc Antoninus Pius in Numiſmate Maximi Moduli, quod ex Regis Galliæ Cimeliarchio, Tab. VI. num. 6. producimus, poſteritati tradidit. Vid. Tab. IV. num. 3.

namque Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit, inde (30) Faſces, (31) Trabeæ, (32) Curules, Anuli, (33) Phaleræ, (34) Paludamenta, (35) Prætexta; inde quod (36) aureo curru quatuor equis triumphatur; (37) Togæ pictæ, tunicæque palmatæ; omnia denique decora & inſignia, quibus imperii dignitas eminet.

SERVIUS TULLIUS, U. C. 175. Ol. 50. a. C. N. 578.

CAP. VI. (38) Servilius Tullius deinceps gubernacula urbis invadit: nec obſcuritas inhibuit, quamvis matre ſerva creatum. Nam eximiam (*i*) indolem uxor Tarquinii Tanaquil liberaliter educaverat: & clarum fore, viſa circa caput flamma, promiſerat. Ergo inter Tarquinii mortem, annitente regina, ſubſtitutus in locum regis, quaſi ad tempus, regnum dolo partum ſic egit induſtria, ut jure adeptus videretur.

Ejus res geſtæ.

Ab hoc Populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, curiis atque collegiis diſtributus. Summaque regis ſolertia ita eſt ordinata Reſpublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina, in tabulas (*k*) referrentur; ac ſi maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur.

TARQUINIUS SUPERBUS. U. C. 219. Ol. 61. a. C. N. 534.

CAP. VII. Poſtremus omnium fuit regum (39) Tarquinius, cui cognomen *Superbo* ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod à Servio tenebatur, rapere maluit, quam exſpectare, immiſſiſque in eum percuſſoribus,

Ejus res geſtæ.

ſcelere partam poteſtatem non melius egit, quam acquiſierat. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quæ, ut virum regem ſalutaret, ſuper cruentum patrem vecta carpento conſternatos equos egit. Sed ipſe in Senatum cædibus, in omnes ſuperbia, quæ crudelitate gravior eſt bonis, graſſatus; quum ſævitiam jam domi fatigaſſet, tandem in hoſtes converſus eſt. Sic valida oppida in Latio capta ſunt, Ardea, Ocriculum, Gabii, Sueſſa Pometia.

Tyrannis.

Tum quoque cruentus in ſuos. Neque enim filium verberare dubitavit, ut ſimulanti transfugam, apud hoſtes hinc fides eſſet. Cui Gabiis, ut voluerat, recepto, atque per nuntios conſulenti *quid fieri vellet*, eminentia forte papaverum capita virgula excutiens, *quum per hoc interficiendos eſſe principes intelligi vellet* (quæ ſuperbia!) ſic reſpondit.

Et ſuperbia.

Ædes Jovis Capitolini.

Tamen de manubiis captarum urbium templum erexit. Quod quum inauguraretur, cedentibus ceteris Deis (mira res dictu) reſtitêre (40) Juventas, & (41) Terminus.

Prodigia.

Placuit vatibus contumacia numinum. Siquidem firma omnia & æterna pollicebantur. Sed illud horrendum, quod molientibus ædem, in fundamentis humanum repertum eſt caput: nec dubitavere cuncti, monſtrum pulcherrimum, imperii ſedem, caputque terrarum promittere. Tamdiu ſuperbiam regis Populus Romanus perpeſſus eſt, donec aberat libido.

Libido Tarquiniorum.

Hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit. Quorum quum alter ornatiſſimæ fœminæ Lucretiæ ſtuprum intuliſſet, matrona dedecus ferro expiavit. Imperium tum Regibus abrogatum.

Reges abrogantur, a. U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510. Anacephalæoſis de ſeptem Regibus.

CAP. VIII. Hæc eſt prima ætas Populi Romani, & quaſi infantia, quam habuit ſub regibus ſeptem, quadam fatorum induſtria, tam variis ingenio, ut Reipublicæ ratio & utilitas poſtulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, ut invaderet regnum. Quid Numa religioſius? ita res (*l*) popoſcit, ut ferox populus Deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus, bellatoribus viris quam neceſſarius? ut acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? ut urbem colonia extenderet, ponte jungeret, muro tueretur. Jam vero Tarquinii ornamenta & inſignia, quantam principi populo addiderunt ex ipſo habitu dignitatem? Actus à Servio cenſus quid effecit, niſi ut ipſa ſe noſſet (*m*) reſpublica? Poſtremo Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum eſt, ut agitatus injuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur.

De mutatione reipublicæ.

CAP. IX. Igitur (42) Bruto Collatinoque ducibus & auctoribus, quibus ultionem ſui moriens matrona mandaverat, Populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus, quodam quaſi inſtinctu Deorum concitatus, regem repente deſtituit, bona diripit, agrum Marti ſuo conſecrat, imperium in eoſdem libertatis ſuæ vindices transfert, mutato tamen & jure, & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex, ne poteſtas ſolitudine, vel mora corrumperetur. Conſuleſque appellavit pro regibus, ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent. Tantumque libertatis novæ gaudium inceſſerat,

CONSULES PRIMI creati, U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510.

(*i*) al. Nam ob eximiam &c. (*k*) al. in tabulis. (*l*) al. talem res popoſcit. (*m*) al. noſceret.

(30) Faſces) Faſces conſpice Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. XVI. num. 4. & 6.

(31) Trabeæ) Trabea togæ genus, à virgis latis coloris purpurei, quæ percurrebant veſtem, veluti trabes, ſic dicta. Primis temporibus Regibus propria erat trabea, poſterioribus equites illa utebantur, præprimis in transvectione illa ſolenni, qua Equites è Cenſore probabantur, ut inſtituerat Q. Fabius Maximus. LIVIUS Dec. I. Lib. IX. Cap. XLVI. T. I. Script. Hiſt. Rom. pag. 196. Equites inde trabeati dicebantur, qualem vides in numo Liciniæ gentis Tab. IV. num. 4. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. pag. 559.

(32) Curules) Sellas curules quære Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. XVI. num. 5. 6. & 7.

(33) Phaleræ) Phaleræ erant ornamenta equorum, qualia ex columna Trajani producimus Tab. IV. num. 5.

(34) Paludamenta) Paludamentum veſtis erat, cocco auroque diſtincta, quam Imperator collo circumductam, dextroque in humero fibula connexam, à latere ſiniſtro & tergo, ornatus gratia, demittebat, ut vides Tab. IV. num. 6.

(35) Prætexta) Prætexta à Græcis περιπόρφυρος dicta, propter limbum purpureum, qui extremam veſtem ambiebat, indutum, conſpicimus Tab. IV. num. 7.

(36) Aureo curru) Hujuſmodi currus figuram vide Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. XX. num. 5. & 6.

(37) Togæ pictæ tunicæque palmatæ) Utræque videri poſſunt Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. LII. num. 4. & 6.

(38) Servius Tullius) Servii Tullii effigiem dedimus Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. VII. num. 5. & Tom. II. Tab. I. num. 6.

(39) Tarquinius Superbus) Hujus effigiem aſpice Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. VIII. num. 5. & Tom. II. Tab. I. num. 7.

(40) Juventas) Juventam Deam ſiniſtra pateram tenentem, dextera thura odorifera tripodi inſpergentem, exhibet numus M. Aurelii Imp. Tab. V. num. 1. Conf. OISELIUS loc. cit. p. 332. Tab. LIV. num. 1.

(41) Terminus) Duplex termini Dei ſimulacrum Tab. V. num. 2. & 3. referimus. Prius eſt M. Calpurnii Piſonis, cum ſimpulo & corona. Poſterius eſt Auguſti Imp. corona radiata ornatus, adjacente fulmine, quo indicari videtur, Terminum Jovi noluiſſe cedere. Conf. OISELIUS loc. cit. p. 202. & 203. Tab. XLI. num. 4. & 5.

(42) Bruto) Bruti effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. IX. num. 4.

Tab. III.
ad. 12. et 13.




Tab IV.
ad pag. 13. & 14.
I
II
III
IV
V
VI
VII
NVMAE POMPILI
ANCI. MARCI.
S C
PORT. OST.
NAVIVS.
P. CRASSVS M. F.

rat, ut vix mutati status fidem caperent; alterumque ex Consulibus, tantum ob nomen & genus regium fascibus abrogatis, Urbe dimitterent. Itaque substitutus Valerius Poplicola, (*n*) summo studio annixus est ad augendam liberi populi majestatem. Nam & fasces ei pro concione submisit, & jus provocationis adversus ipsos dedit. Et ne specie arcis offenderet, eminentes ædes suas in plana submisit. Brutus vero favori civium etiam domus suæ clade & parricidio velificatus est. Quippe quum studere revocandis in urbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & concione media virgis cecidit, & securi percussit, ut plane publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi Populum videretur. Liber jam hinc Populus Romanus prima adversus exteros arma pro libertate corripuit; mox pro finibus; deinde pro sociis; tum gloria & imperio, lacessentibus assidue usquequaque finitimis: quippe cui *o*) patrii soli gleba nulla, sed statim hostile pomœrium, mediusque inter Latium & Tuscos, quasi in quodam bivio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret: donec quasi contagione quadam per singulos itum est, &, proximis quibusque correptis, totam Italiam sub se redigerunt. (*p*)

Valerius Poplicola.

Et Brutus.

CAP. X. Pulsis ex urbe regibus, (*q*) prima pro libertate arma corripuit. Nam Porsena rex Etruscorum ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, quamvis & armis, & fame urgeret, occupatoque Janiculo ipsis urbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit: novissime etiam tanta admiratione perculit, ut superior ultro cum pene victis amicitiæ fœdera feriret. Tunc illa Romana prodigia atque miracula, Horatius, Mucius, Clœlia: quæ nisi (*r*) in annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. Quippe 43) Horatius Cocles, postquam hostes undique instantes solus submovere non poterat, ponte reciso transnatat Tiberim, nec arma dimittit. Mucius Scævola regem per insidias in castris ipsius aggreditur: sed ubi frustrato circa purpuratum ejus ictu tenetur, (*s*) ardentibus focis injicit manum, terroremque geminat dolo. *Ut scias*, inquit, *quem virum effugeris*, *idem trecenti juravimus*, quum interim (immane dictu!) hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. Sic quidem viri. Sed ne quis (*t*) sexus à laude cessaret, ecce & virginum virtus. Una ex obsidibus regi data, elapsa custodiam, (*u*) Clœlia, per patrium flumen equitabat. Et rex quidem tot tantisque virtutum territus monstris, (*x*) *valere*, *liberosque esse* jussit. Tarquinii tamdiu dimicaverunt, donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum mutuo vulnere exspiravit; plane quasi adulterum ad inferos usque sequeretur.

Bellum Etruscum cum rege Porsena. U. C. 245. Ol. 68. a. C. N. 508.

Specimina fortitudinis Rom.

Horatius Cocles.

Mucius Scævola.

Clœlia.

CAP. XI. Latini quoque Tarquinios asserebant æmulatione, & invidia; ut populus, qui foris dominabatur, saltem domi serviret. Igitur omne Latium Mamilio (*y*) Tusculano duce, quasi in regis ultionem, tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur, diu Marte vario, donec Postumius ipse Dictator signum in hostes jaculatus est (novum & insigne commentum) uti peteretur cursu. Cossus equitum magister *exuere frenos* imperavit, (& hoc novum) quo acrius incurrerent. Ea denique (*z*) atrocitas fuit prælii, ut interfuisse spectaculo Deos fama tradiderit; duos in candidis equis, (44) Castorem atque Pollucem nemo dubitavit. (*a*) Itaque & Imperator veneratus est, pactusque (*b*) victoriam, templa promisit, & reddidit, plane quasi stipendium commilitonibus (*c*) Diis. Hactenus pro libertate. Mox de finibus cum eisdem Latinis assidue, & sine intermissione (*d*) pugnatum est. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciæ. De Verulis (*e*) & Bovillis pudet, sed triumphavimus. Tibur nunc suburbanum, & æstivæ Præneste deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur. Idem tunc Fæsulæ, quod Carræ (*f*) nuper. Idem nemus Aricinum, quod Hercinius saltus: Fregellæ, quod Gesoriacum: Tiberis, quod Euphrates. Coriolos quoque (pro pudor!) victos adeo gloriæ fuisse, ut captum oppidum Cajus (*g*) Marcius Coriolanus quasi Numantiam aut Africam, nomini induerit. (*h*) Exstant & parta de Antio spolia, quæ Mœnius in suggestu fori, capta hostium classe suffixit; si tamen illa classis: nam sex fuere rostratæ. (*i*) Sed hic numerus illis initiis navale bellum fuit. Pervicacissimi tamen Latinorum Æqui, & Volsci fuere, & quotidiani, ut sic dixerim, hostes. Sed hos præcipue Lucius Quinctius domuit, ille Dictator ab aratro: qui obsessa, ac pene jam capta, Marci (*k*) Minucii Consulis castra, egregia virtute servavit. Medium erat forte tempus sementis, quum patricium virum innixum aratro suo, lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub jugum misit. Sic expeditione finita, rediit ad boves rursus triumphalis agricola. Fidem (*l*) numinum! qua velocitate, intra quindecim dies ceptum, peractumque bellum: prorsus ut (*m*) festinasse Dictator ad relictum opus videretur.

Bellum Latinum. U. C. 256. Ol. 70. a. C. N. 497.

Prælium ad Regillum lacum.

L. Quinctius Dictator.

U. C. 294. Ol. 80. a. C. N. 459.

CAP. XII. Assidui vero & anniversarii hostes ab Etruria fuere Veientes; adeo ut extraordinariam manum adversus eos promiserit, priva-

Bellum cum Etruscis Faliscis & Fidenatibus.

(*n*) al. Publicola. (*o*) al. quippe cum. (*p*) al. redigeret. (*q*) al. regiis. (*r*) al. qui nisi. (*s*) al. sed ubi frustra tum circa purpuratum ejus ictum tuetur. (*t*) al. quid. (*u*) al. elapsa custodia. al. elusa custodia. (*x*) al. monitis. (*y*) al. Manilio. (*z*) al. Ea demum. (*a*) al. dubitarit. (*b*) al. nactusque. (*c*) al. quasi militibus commilitonibus. (*d*) al. sine missione. (*e*) al. Vejis. (*f*) al. Capreæ. al. Taphræ. (*g*) al. Cn. (*h*) al. indueret. (*i*) al. fuere solæ rostratæ. (*k*) al. L. (*l*) al. Fides. al. Fide. (*m*) al. peractumque bellum prorsus: ut &c. al. peractumque prorsus est bellum: ut &c.

(43) Horatius) Numum in memoriam Horatii Coclitis cusum vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XI. num. 2.

(44) Castorem atque Pollucem) Hos exhibuimus Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XV. num. 6.

privatumque gesserit bellum gens una Fabiorum. Satis superque idonea clades. Cæsi apud Cremeram trecenti (*n*) patricius exercitus, & *scelerato* signata (*o*) nomine, quæ proficiscentes in prælium porta dimisit. Sed ea clades ingentibus expiata victoriis, postquam per alios atque alios duces robustissima capta sunt oppida: vario quidem eventu. Falisci se sponte dediderunt. Cremati suo igne Fidenates. Rapti funditus deletique Veientes. Falisci, quum obsiderentur, mira visa est fides Imperatoris, nec immerito: quod ludimagistrum, urbis proditorem, cum iis, quos adduxerat, pueris, vinctum sibi ultro remisisset. Eam namque vir sanctus & sapiens, veram sciebat victoriam, quæ salva fide, & integra dignitate pareretur. (*p*) Fidenæ, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armatæ, & discoloribus, serpentum in modum, vittis, furiali more processerant: sed habitus ille feralis eversionis omen fuit. Veientium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus: taxata stipendio hiberna: adactus miles sua sponte jurejurando *nisi capta urbe non remeare.* (*q*) (45) Spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reportata. Denique non scalis, nec irruptione, sed cuniculo, & subterraneis dolis peractum urbis excidium. Ea denique visa est prædæ magnitudo, cujus (*r*) decimæ Apollini Pythio mitterentur: universusque Populus Romanus ad direptionem urbis vocaretur. Hoc tunc Veientes fuêre: nunc fuisse quis meminit? Quæ reliquiæ? Quodve vestigium? Laborat annalium fides, ut Veios fuisse credamus.

Fabii à Vejentibus ad unum omnes cæsi. U. C. a. 275. Ol. 75. a. C. N. 478.

Camilli insigne justitiæ exemplum in Ludimagistro.

Vejentes victi. U. C. 357. Ol. 96. a. C. N. 396.

CAP. XIII. Hic (*s*) sive invidia Deûm, sive fato, rapidissimus procurrentis imperii cursus, parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur. Quod tempus Populo Romano nescio utrum clade funestius fuerit, an virtutum (*t*) experimentis speciosius. Ea certe fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem divinitus, scire volentibus immortalibus Diis, an Romana virtus imperium orbis mereretur. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole perinde armis (*u*) ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit, ut plane nata ad hominum interitum, urbium stragem videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris, & cingente omnia Oceano, (*x*) ingenti agmine profecti, quum jam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiam vagabantur. Tum Clusium obsidebant. (*y*) Pro sociis ac fœderatis Populus Romanus intervenit, missis ex more legatis: sed quod jus apud barbaros? Ferocius agunt; exinde certamen. (*z*) Conversis igitur à Clusio, Romamque venientibus, ad Alliam flumen cum exercitu Fabius Consul occurrit. Non temere (*a*) fœdior clades. Itaque hunc diem fastis Roma damnavit. (*b*) Fuso exercitu, jam mœnibus urbis appropinquabant. Erant nulla præsidia. (*c*) Tum igitur, aut nunquam alias apparuit vera illa Romana virtus. Jam primum (*d*) majores natu, amplissimis usi honoribus, in forum coëunt; ibi devovente pontifice, Diis se Manibus consecrant: statimque in suas quisque ædes regressi, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt: ut quum venisset hostis, in sua dignitate morerentur. Pontifices & Flamines, quidquid religiosissimi (*e*) in templis erat, partim in doliis defossa terræ (*f*) recondunt, partim imposita plaustris secum avehunt. (*g*) Virgines simul ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur. Tamen (*h*) excepisse fugientes unus è plebe fertur Lucius Albinius, (*i*) qui depositis uxore & liberis, (*k*) virgines in plaustrum recepit. Adeo tum quoque in ultimis religio publica privatis affectibus antecellebat. Juventus vero, quam satis constat vix mille hominum fuisse, duce Manlio, arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsum quasi præsentem Jovem, *ut quemadmodum ipsi ad defendendum templum ejus concurrissent, ita ille virtutem eorum numine suo tueretur.* Aderant interim Galli, apertamque urbem primo trepidi, ne quis subesset dolus; mox ubi solitudinem vident, pari clamore & impetu invadunt. Patentes passim domos adeunt: ubi sedentes in curulibus sellis (*l*) prætextatos senes, velut Deos Geniosque venerati; mox eosdem, postquam esse homines liquebat, alioqui nihil respondere dignantes, pari vecordia mactant, facesque tectis injiciunt, & totam urbem (*m*) igne, ferro, manibus, solo exæquant. (*n*) Sex mensibus barbari (quis crederet?) circa montem unum pependerunt, nec diebus modo, sed noctibus quoque omnia experti: quos tandem Manlius nocte subeuntes, clangore anseris excitatus, à summa rupe dejecit; & ut spem hostibus demeret, quamquam in summa fame, tamen ad speciem fiduciæ, panes ab arce jaculatus est. Et stato quodam die per medias hostium custodias, Fabium Pontificem ab arce demisit, qui solemne sacrum in Quirinali monte conficeret. Atque ille per media hostium tela incolumis religionis auxilio rediit: *propitiosque Deos* renuntiavit. Novissime quum jam obsidio

Bellum Gallicum. U. C. 362. Ol. 97. a. C. N. 391.

Gallorum descriptio.

Galli Romam petunt.

Senes mortem exspectant domi.

Juventus militaris Capitolium occupat.

Galli urbem Romam capiunt. U. C. 363. Ol. 97. a. C. N. 390.

Senes trucidant.

Frustra arcem oppugnant.


M. Manlius Capitolium servat.

C. Fabii audacia.

Romani cum Gallis paciscuntur.

(*n*) al. trecenti & sex. (*o*) al. signatur. (*p*) al. pararetur. al. paretur. (*q*) al. *nisi capta urbe remearet.* (*r*) al. ut ejus. (*s*) al. Hinc. (*t*) al. virtutis. al. virtus. (*u*) al. ac armis. (*x*) al. quum cingerentur omnia Oceano. (*y*) al. Tum Clusium oppidum obsidebant. al. Tum Clusium Tusciæ urbem obsidebant. (*z*) al. Ferocius agunt: movent exinde certamen. (*a*) al. Cremeræ. (*b*) al. mandavit. (*c*) al. appropinquabant, ubi pene nulla erant præsidia. (*d*) al. Quam primum. (*e*) al. religiosissimum. (*f*) al. defossa terra. (*g*) al. auferunt. (*h*) Tum. (*i*) al. Atinius. al. Albinus. (*k*) al. filiis. (*l*) al. suis. (*m*) al. totam denique urbem. (*n*) al. manibus exæquant.

(45) Spolia - - - reportata) Memoriam hujus facti servat numus Gentis Corneliæ Tab. V. num. 4. in quo innuitur, Augustum restituisse inter alia templa, Jovis quoque Feretrii, inque illud intulisse opima spolia, quæ Cossus interfecto Tolumnio rege ad Fidenas detraxerat, atque in æde Jovis Feretrii cum solenni dedicatione dono fixerat. Ut habet LIVIUS Dec. I. Lib. IV. Cap. XX. Tom. I. Script. Hist. Rom. pag. 85. Conf. PATIN. Fam. Rom. pag. 92.


Tab. V.
ad pag. 14.16.17
Æ
I
II
III
IUVENTAS
IMP. CAESAR
IV
DIVI·F· AVGVSTVS
COSSVS CN·F LENTVLVS
V
VI
C·CAESAR. COS·TER.
VII
TR POT COS II
PIE TAS

fidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, idque ipsum per insolentiam, quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbe victis (o) increparent, subito aggressus à tergo Camillus adeo cecidit, ut omnia incendiorum vestigia, Gallici sanguinis inundatione deleret. Agere gratias Diis immortalibus, ipso (p) tantæ cladis nomine, libet. Pastorum casas ignis ille, & flamma, paupertatem Romuli, abscondit. Incendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac Deorum domicilio civitas, non deleta, non obruta, sed expiata potius, sed illustrata (q) videatur? Ideo (r) post assertam à Manlio, restitutam a Camillo urbem, acrius etiam vehementiusque in finitimos resurrexit. Ac primum omnium illam ipsam Gallicam gentem non contentus mœnibus expulisse, quum per Italiam naufragia sua latius traheret, sic persecutus est duce Camillo, ut hodie nulla Senonum vestigia supersint. Semel apud Anienem trucidati, quum singulari certamine Manlius aureum torquem Barbaro inter spolia detraxit. (46) Inde Torquati. Iterum Pomptino (s) agro, quum in simili pugna M. Valerius insequente Gallo, sacra alite (t) adjutus retulit spolia: & inde Corvini. Tandem, (u) post aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit: ne quis extaret in ea gente, quæ (x) incensam à se Romanam (y) urbem gloriaretur.

Camilli adventus. Qui Gallos fudit.

T. Manlius Torquatus. U. C. 392. Ol. 104. a. C. N. 361.

M. Valerius Corvus. U. C. 406. Ol. 108. a. C. N. 347.

Galli omnes exciduntur. U. C. 469. Ol. 124. a. C. N. 284.

Bellum Latinum. U. C. 415. Ol. 110. a. C. N. 338.

CAP. XIV. Conversus à Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decio Mure (z) Consulibus, semper quidem æmulatione imperii infestos, (a) tum vero contemptu urbis incensæ; quum *jus civitatis, partem imperii, ac magistratuum* poscerent, atque jam amplius, quam congredi auderent: quo tempore quis cessisse hostem mirabitur? quum alter Consulum filium suum, quia contra imperium pugnaverat, quamvis victorem occiderit, quasi plus in imperio esset, quam in victoria: Alter quasi monitu Deorum, (47) capite velato primam ante aciem Diis Manibus se devoverit: ut in confertissima se hostium tela jaculatus, novum ad victoriam iter, sanguinis sui semita, aperiret.

Bellum Sabinum.

CAP. XV. A Latinis aggressus est gentem Sabinorum, qui immemores factæ (b) sub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis adjunxerant. Sed Curio Dentato Consule, omnem eum tractum, qua Nar ambit, fontesque Velini, Adriatico tenus mari, igne, ferroque vastavit: qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut, in utro plus esset, nec ipse posset æstimare, qui vicerat.

CAP. XVI. Precibus deinde Campaniæ motus, non pro se, sed, quod est speciosius, pro sociis Samnites (c) invadit. Erat fœdus cum utrisque percussum: sed hoc Campani sanctius, & prius, omnium suorum deditione fecerant. Sic ergo Romanus (d) bellum Samniticum tamquam sibi gessit. Omnium non modo Italia, (e) sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga est. Nil mollius cœlo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque (f) certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, & tepentes fontibus Bajæ: Lucrinus & Avernus, quædam maris otia. (g) Hic amicti (h) vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium (i) Vesuvius, Ætnei ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipsa caput urbium Capua quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque numerata. (k) Pro hac urbe, iis (l) regionibus Populus Romanus Samnites invasit, gentem, si opulentiam quæris, (m) aureis & argenteis armis, discolori veste, usque ad ambitum armatam: Si insidiarum fallaciam, (n) saltibus fere & montium fraude (o) grassantem: Si rabiem ac furorem, sacratis legibus, humanisque hostiis in exitium urbis agitatam: Si pertinaciam, sexies rupto fœdere, cladibusque ipsis animosiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios & Papirios patres, eorumque liberos, ita subegit ac domuit, ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipso Samnio (p) requiratur: nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorum. Maxime tamen nota & illustris ex hac gente clades apud Caudinas furcas (q) Veturio Postumioque Consulibus accepta est. Clauso (r) enim per insidias intra eum saltum exercitu, unde non posset evadere, stupens occasione tanta dux hostium Pontius, Herennium patrem consuluit: & ille, *mitteret omnes, vel occideret*, sapienter, ut senior, suaserat. Hic armis exutos mittere sub jugum maluit; ut nec amici forent beneficio, & post flagitium hostes magis. Itaque & Consules statim magnifice voluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt, & ultionem flagitans

Bellum Samniticum. U. C. 412. Ol. 109. a. C. N. 341

Campaniæ laudabilis descriptio.

Samnites describuntur.

Romani ad Caudium sub jugum mittuntur. U. C. 433. Ol. 115. a. C. N. 320.

Samnites ad Caudium vincuntur. U. C. 434. Ol. 115. a. C. N. 319.

(o) al. victos. al. væ victis. (p) al. pro ipso. (q) al. & illustrata. (r) al. Igitur. (s) al. Iterum in Pontino vel Pomptino. (t) al. Valerius insidente galeæ sacra alite. (u) al. Nec non tandem. al. Nec non tamen. (x) al. qui. (y) al. Romam. (z) al. Murena. (a) al. imperii & magistratuum infensos. (b) al. pactæ. (c) al. Samnitas. (d) al. Populus Romanus. (e) al. Italiæ. (f) al. Venerisque. al. ceterisque. (g) al. ostia. (h) al. amici. (i) al. cunctorum. (k) al. numeranda. (l) al. his. (m) al. quæras. (n) al. si fallaciam. (o) al. & urbium fraude. (p) al. ipsa Samnio. (q) al. furculas. (r) al. Clausa.

(46) Inde Torquati) Celebratum hoc cognomen posteris, familiæque honori fuisse, scribit LIVIUS Dec. I. Lib. VII. Cap. X. Tom. I. Script. Hist. Rom. pag. 144. Et numus testatur ibid. Tab. XXVIII. num. 4. Hic loci Tab. V. num. 5. Dn. de KLETTENBERG ex BEGERO statuam producit, quam pro Manlio Torquato ex torque in collo agnoscit, idque majori certitudine, quod veste palmata, quæ Romanis propria fuit, sit ornata.

(47) Capite velato) Quamvis jam Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. LX. num. 3. Pietatis simulacrum velatum produximus, ideo tamen, quia in dubio ibi relictum, an Pietatem referat, hic loci ex GRÆVII Floro in duobus numis exhibemus pietatem velatam, de quibus nemo dubitat, ut exinde appareat, quomodo velaverint capita sacrificatur. Numus igitur Tab. V. num. 6. Julii Cæsaris est, de quo vid. HEMELARIUS loc. cit. pag. 1. Tab. I. num. 5. Alter ead. Tab. num. 7. ad Ælium Cæsarem refertur. De quo idem HEMEL. p. 68. Tab. XXII. num. 9. Add. OISEL. pag. 411. Tab. LXXVI. num. 10.

gitans miles, Papirio duce (horribile dictu) ſtrictis (*s*) enſibus per ipſam viam ante pugnam furit: (*t*) & *in congreſſu arſiſſe omnium oculos*, hoſtis auctor fuit: nec prius finis cædibus datus, quam jugum, & hoſtibus, & duci capto, repoſuerunt.

Bellum Etruſcum & Samniticum.

CAP. XVII. Hactenus Populus Romanus (*u*) bellum cum ſingulis gentium: mox acervatim: tamen ſic quoque par omnibus fuit. (*x*) Etruſcorum duodecim populi, Umbri in id tempus intacti, antiquiſſimus Italiæ populus, Samnitium reliqui, in excidium Romani nominis repente conjurant. Erat terror ingens, tot ſimul tantorumque populorum. A latere Etruria infeſta (*y*) quatuor agminum ſigna volitabant. Ciminius (*z*) interim ſaltus in medio, ante invius, plane quaſi Calidonius, vel Hercinius, adeo tunc terrori erat, ut Senatus Conſuli denuntiaret, *ne tantum periculi ingredi auderet*. Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre præmiſſo exploraret acceſſus. Ille per noctem paſtorio habitu ſpeculatus omnia: refert totum iter. (*a*) Sic Fabius Maximus periculoſiſſimum bellum periculo (*b*) explicavit. Nam ſubito inconditos atque palantes aggreſſus eſt, captiſque ſuperioribus jugis, in ſubjectos ſuo more (*c*) detonuit. Ea namque ſpecies fuit illius belli, quaſi in Terrigenas è cœlo ac nubibus tela mitterentur. (*d*) Nec incruenta tamen illa victoria. Nam oppreſſus in ſinu vallis alter Conſulum Decius, more patrio devotum Diis Manibus obtulit caput: ſolemnemque familiæ ſuæ conſecrationem in victoriæ pretium redegit.

U. C. 439. Ol. 116. a. C. N. 314.

P. Decius Coſ. ſe Diis Manibus devovet pro exercitu Romano. U. C. 457. Ol. 118. a. C. N. 306.

Bellum Tarentinum, & cum Rege Pyrrho.

CAP. XVIII. Sequitur bellum Tarentinum, unum quidem titulo & nomine, ſed victoria multiplex. Hoc enim Campanos, Apulos, atque Lucanos, & caput belli Tarentinos, id eſt totam Italiam, & cum iſtis omnibus Pyrrhum, clariſſimum Græciæ regem, una veluti ruina pariter involvit: ut eodem tempore & Italiam conſummaret, & tranſmarinos triumphos auſpicaretur. Tarentus Lacedæmoniorum (*e*) opus, Calabriæ quondam & Apuliæ, totiuſque Lucaniæ caput, cum magnitudine & muris portuque nobili, tum mirabili ſitu: (*f*) quippe in ipſis Adriatici (*g*) maris faucibus poſita, in omnes terras, Iſtriam, (*h*) Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. (*i*) Imminet portui, ad proſpectum maris poſitum, majus (*k*) theatrum: quod quidem cauſa miſeræ civitati fuit omnium calamitatum. Ludos forte celebrabant, quum ad remigantem littori Romanam claſſem inde vident: (*l*) atque hoſtem rati, emicant, ſine diſcrimine inſultant: *qui enim*, (*m*) *aut unde Romani?* Nec ſatis. (*n*) Aderat ſine mora querelam ferens legatio, hanc quoque fœde per obſcœnam, turpemque dictu contumeliam violant. Ex hinc (*o*) bellum. Sed apparatus horribilis, quum tot ſimul populi pro Tarentinis conſurgerent, omnibuſque vehementior Pyrrhus: qui ſemigræcam ex Lacedæmoniis conditoribus civitatem vindicaturus, cum totius viribus Epiri, Theſſaliæ, Macedoniæ, incognitiſque in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito inſuper ferarum terrore, veniebat. Apud Heracleam, & Campaniæ fluvium Cirim, Lævino Conſule, prima pugna: quæ tam atrox fuit, ut Frentanæ (*p*) turmæ præfectus Obſidius (*q*) invectus in regem, turbaverit, coëgeritque projectis inſignibus prælio excedere. Actum erat, (*r*) niſi elephanti converſi in ſpectaculum belli procurriſſent: quorum cum magnitudine, tum deformitate, & novo odore (*s*) ſimul ac ſtridore conſternati equi, quum incognitas ſibi belluas amplius quam erant, ſuſpicarentur, fugam ſtragemque late dederunt. In Apulia deinde apud Aſculum melius dimicatum eſt, curio, Fabricioque Conſulibus. Jam quippe belluarum terror exoleverat, & Cajus Minucius (*t*) quartæ legionis haſtatus, unius proboſcide (*u*) abſciſſa, mori poſſe belluas oſtenderat. Itaque & in ipſas pila congeſta ſunt. Et in turres vibratæ faces, tota hoſtium agmina ardentibus ruinis operuere: nec ante cladi (*x*) finis fuit, quam nox dirimeret: poſtremuſque fugientium ipſe rex à ſatellitibus humero ſaucius in armis ſuis (*y*) referretur. Lucaniæ ſuprema pugna ſub Aruſinis, quos vocant, campis, ducibus iisdem, qui ſuperius: ſed tunc ad totam victoriam, (*z*) exitum, quem datura virtus fuit, caſus dedit. Nam productis in primam aciem rurſus elephantis, unum ex his pullum adacti in caput teli gravis ictus avertit: qui quum per ſtragem ſuorum percurrens, (*a*) ſtridore quereretur, mater agnovit, & quaſi vindicaret, (*b*) exiluit; tum omnia circa quaſi hoſtilia gravi timore (*c*) permiſcuit. Ac ſi cædem (*d*) feræ, quæ primam victoriam abſtulerant, ſecundam parem fecerant, tertiam ſine controverſia tradidere. Nec vero tantum armis, & in campis, ſed conſiliis quoque & domi intra urbem cum rege Pyrrho dimicatum eſt. Quippe poſt primam victoriam rex callidus, intellecta virtute Romana, ſtatim deſperavit armis: ſeque ad dolos contulit. Nam interemptos cremavit: captivoſque indulgenter habuit, & ſine pretio reſtituit.

Tarenti origo, ſitus & potentia.

Belli origo. U. C. 471. Ol. 124. a. C. N. 282.

Cur Pyrrhus huic bello ſe immiſcuerit.

Prima pugna. U. C. 472. Ol. 124. a. C. N. 281.

Altera pugna. U. C. 473. Ol. 125. a. C. N. 280.

Tertia pugna. U. C. 478. Ol. 126. a. C. N. 275.

Pyrrhi humanitas.

(*s*) al. ſubjectis. (*t*) al. fuit. al. agit. al. adiit. (*u*) al. Populo Romano. (*x*) al. fuit omittunt. (*y*) al. populorum late per Etruriam infeſta. (*z*) al. Zeminius. al. Geminus. al. Ceminus. (*a*) al. ſpeculatus omnia refert. Tum ſic &c. al. ſpeculatus omnia: præfert tutum iter. (*b*) al. ſine periculo. (*c*) al. ſuo jure. (*d*) al. jacerentur. (*e*) al. Tarentus etiam Lacedæmoniorum. al. Tarentus jam Lacedæmoniorum. (*f*) al. portuque nobilis & mirabilis ſitu. (*g*) al. Hadriatici. al. Adriaci. (*h*) al. Hiſtriam. (*i*) al. admittit. al. mittit. (*k*) al. urbis. (*l*) al. quum remigantes littori Romanas claſſes vident. al. Quum adremigante littori Romana claſſe, hoſtem &c. (*m*) al. *qui autem*. (*n*) al. nec ſatis norant. (*o*) al. Et hinc. (*p*) al. Ferentanæ. (*q*) al. Opſidius. (*r*) al. Factum erat. (*s*) al. colore. (*t*) al. Numicius. (*u*) al. promuſcide. (*x*) al. nec alius cladi. al. nec alius cladis &c. (*y*) al. inermis ſuis. al. in caſtris ſuis. (*z*) al. Et tunc toti victoriæ. (*a*) al. currens. al. recurrens. (*b*) al. vindicatura. (*c*) al. mole. (*d*) al. Sic cædem feræ.

stituit. Missisque deinde (*e*) legatis in Urbem, omni modo adnixus (*f*) est, ut in amicitiam reciperetur. (*g*) Sed bello & pace, foris & domi, omnem in partem Romana virtus tum se adprobavit: (*h*) nec alia (*i*) magis, quam Tarentina victoria ostendit Populi Romani fortitudinem, Senatus sapientiam, Ducum (*k*) magnanimitatem. Quinam illi fuerunt viri, quos ab elephantis primo prælio obtritos (*l*) accepimus? omnium vulnera in pectore: quidam hostibus suis immortui: omnium in manibus enses, & relictæ in vultibus minæ, & in ipsa morte ira vivebat. Quod adeo Pyrrhus miratus est, ut diceret: *O quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis!* Quæ autem eorum, qui superfuerunt, in reparando exercitu festinatio? Quum Pyrrhus, *Video me*, inquit, *plane Herculis sidere procreatum, cui quasi ab* (48) *angue Lernæo tot cæsa hostium capita de sanguine suo renascuntur.* Qui autem (*m*) ille Senatus fuit? quum (*n*) perorante Appio Cæco, pulsi cum muneribus suis ab urbe legati, interroganti regi suo, quid de hostium sede sentirent? *Urbem templum sibi visam, Senatum regum consessum esse confiterentur.* (*o*) Qui porro ipsi duces, vel in castris? quum medicum venale regis Pyrrhi caput offerentem (*p*) Curius remisit: Fabricius oblatam sibi à rege imperii partem repudiavit. Vel in pace? quum Curius fictilia sua Samnitico præferret auro: Fabricius decem pondo argenti circa Rufinum consularem virum, quasi luxuriam censoria gravitate damnaret. Quis ergo miretur his moribus, virtute, militia, (*q*) victorem Populum Romanum fuisse? unoque bello Tarentino intra quadriennium maximam partem Italiæ, fortissimas gentes, opulentissimas urbes, uberrimasque regiones in ditionem (*r*) redegisse? Aut quid adeo fidem superet, quam si principia belli cum exitu conferantur? Victor primo prælio Pyrrhus, tota tremente Campania, (*s*) Lirim, Fregellasque populatus, prope captam Urbem à Prænestina arce prospexit: & à vicesimo lapide oculos trepidæ civitatis fumo ac pulvere implevit. Eodem postea bis exuto castris, bis saucio, & in Græciam suam trans mare ac terras fugato, pax & quies, sed (*t*) tanta adeo de opulentissimis tot gentibus spolia, ut victoriam suam Roma non caperet. Nec enim temere ullus (*u*) pulchrior in Urbem, aut speciosior triumphus intravit. Ante hunc diem nihil, nisi pecora (*x*) Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma vidisses: tum si captivos aspiceres; Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus, atque Lucanus; si pompas, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libentius Populus Romanus aspexit, quam illas, quas timuerat, (*y*) cum turribus suis belluas: quæ non sine sensu captivitatis, summissis cervicibus, victores equos sequebantur.

Pyrrhus admiratur occisos Romanos. Exercitum Rom.

Et Senatum.

Curii & Fabricii magnanimitas.

Romanorum virtus in bello Tarentino.

Speciosus de illo triumphus. U. C. 480. Ol. 126. a. C. N. 273.

CAP. XIX. Omnis mox Italia pacem habuit. Qui enim (*z*) post Tarentum auderent? nisi quod ultro persequi socios hostium placuit. Domiti ergo Picentes, & caput gentis Asculum; Sempronio duce: qui tremente inter prælium campo, (49) Tellurem Deam, promissa æde, placavit.

Bellum Picenum. U. C. 484. Ol. 127. a. C. N. 269.

CAP. XX. Sallentini Picentibus additi, caputque regionis Brundusium inclito portu, (50) Marco Atilio (*a*) duce. Et in hoc certamine, victoriæ pretium templum sibi pastoria Pales ultro poposcit.

Bellum Sallentinum. U. C. 484. Ol. 127. a. C. N. 269.

CAP. XXI. Postremi Italicorum in fide mansere (*b*) Volsini, (*c*) opulentissimi Etruscorum, implorantes opem adversus servos quondam suos: qui libertatem à dominis datam, in ipsos erexerant: (*d*) translataque in se Republica, dominabantur. Sed hi quoque, duce Fabio Gurgite, pœnas dederunt.

Bellum Volsiniense. U. C. 487. Ol. 128. a. C. N. 266.

CAP. XXII. Hæc est secunda ætas Populi Romani & quasi Adolescentia: qua maxime viruit, & quodam flore virtutis exarsit, ac ferbuit. (*e*) Ita, quæ inerat, (*f*) quædam adhuc ex pastoribus feritas, quiddam spirabat indomitum. Inde est, quod exercitus Postumium Imperatorem, inficiantem, quas promiserat prædas, facta in castris seditione, lapidavit: quod sub Appio Claudio noluit vincere hostem, quum posset: quod duce Volerone, (*g*) detrectantibus plerisque militiam, fracti Consulis fasces: inde, quod clarissimos principes, quum adversarentur voluntati suæ, exulatione multavit: ut, Coriolanum colere agros (*h*) jubentem; Nec minus ille ferociter injuriam armis vindicasset, nisi quod jam inferentem signa

De Seditionibus.

Postumius lapidibus obruitur. U. C. 339. Ol. 91. a. C. N. 414.

Volero Publilius fasces Consulis frangit. U. C. 279. Ol. 76. a. C. N. 474.

Marcius Coriolanus. U. C. 261. Ol. 72. a. C. N. 492.

(*e*) al. dein. (*f*) al. adnisus. (*g*) al. ut facto fœdere in amicitiam Populi Romani reciperetur. (*h*) al. probavit. (*i*) al. alias. (*k*) al. & Ducum. (*l*) al. obrutos. al. obruptos. (*m*) al. Quis autem. (*n*) al. quod. (*o*) al. *Senatum regem esse confiterentur.* (*p*) al. afferentem. al. asserentem. (*q*) al. virtute militum. (*r*) al. deditionem. al. dedicationem. (*s*) al. totam trementem Italiam, Campaniam &c. (*t*) al. &. (*u*) al. Nec enim ullus. (*x*) al. nisi quasi pecora. (*y*) al. quas ita timuerat. (*z*) al. Quid enim. (*a*) al. Atilio. (*b*) al. in fidem venere. (*c*) al. Volsinii. (*d*) al. exercebant. (*e*) al. adferbuit. al. fremuit. al. viruit. al. efferbuit. (*f*) al. Itaque inerat &c. (*g*) al. Valerio Nerone. (*h*) al. hortos.

(48) Angue Lernæo) Hercules anguem Lernæum debellans, Tab. VI. num. 1. conspicitur. Dominus de KLETTENBERG ex BEGERO.

(49) Tellurem Deam) Hanc exhibemus primo in numo Antonini Pii Imp. Tab. VI. num. 2 in quo fertilitatem & rerum omnium abundantiam Cybele turrita designat, sinistra Cornu copiæ, dextra canistrum frugibus repletum tenens, ac dextro pede figuram nudam calcans. Vid. OISEL. loc. cit. p. 247. Tab. XLV. num. 7. Add. du CHOUL de la Religion des Anciens Romains pag. 92. Deinde Tellurem stabilem ob oculos ponit numus Commodi Imp. Tab. VI. num. 3. in figura muliebri seminuda, humi sedente, sinistra incumbente vasi, ex quo vitis adsurgit, obumbrans globum cœlestem, cui figura manum dextram imponit. Adstant tres figuræ fœmineæ, reculas quasdam, sive flores, sive serta, aliasve terræ fruges gestantes. Has sequitur Victoriola alata, dextra coronam, sinistra palmam ferens, quibus indicat, in tribus partibus terræ, Europa, Asia, Africa, Imperatori partas esse victorias. Conf. OISEL. loc. cit. p. 249. Tab. XLV. num. 8.

(50) Marco Atilio duce) Qui & de Sallentinis triumphavit, ut patet ex numo Tab. VI. num. 4. in quo Atilius quadrigis vehitur, dextra extensa aquilam porrigens, coronaturque à Victoria. Adversa numi pars Romæ caput exprimit, ex quo apparet Regulum non sibi, sed Romæ vicisse, cujus quoque favore triumphus ipsi erat decretus. GOLTZ. in Fastis, pag. 83.

gna filium mater Veturia lacrimis suis exarmavit.) Ut ipsum Camillum, quod inique inter plebem & exercitum divisisse Veientem prædam videretur. Sed hic melior, in capta (i) Urbe consenuit; (k) & mox supplices de hoste Gallo vindicavit. Cum Senatu quoque vehementius æquo (l) bonoque certatum est; adeo, ut relictis sedibus solitudinem & interitum patriæ suæ minaretur.

Prima Seditio ob fœneratorum impotentiam. U. C. 257. Ol. 71. a. C. N. 496.

CAP. XXIII. Prima discordia ob impotentiam fœneratorum: quibus in terga quoque serviliter sævientibus, in Sacrum montem plebs armata secessit: ægreque, nec, nisi Tribunos impetrasset, Menenii Agrippæ facundi & sapientis viri auctoritate, revocata est. Exstat orationis antiquæ satis efficax ad concordiam fabula, qua *dissedisse (m) inter se quondam humanos dixit artus, quod omnibus opere fungentibus (n) solus venter immunis ageret: deinde moribundos à sejunctione rediisse in gratiam, quando sensissent, quod ejus opera, redactis in sanguinem cibis, irrigarentur.*

Secunda Seditio ob decemvirorum libidinem. U. C. 303. Ol. 82. a. C. N. 450.

CAP. XXIV. Secundam in urbe media decemviratus (o) libido conflavit. Allatas à Græcia leges, decem principes lecti, jubente Populo, conscripserant: ordinataque erat in duodecim tabulis tota justitia: quum tamen traditos fasces regio quodam furore retinebant. Ante ceteros Appius eo insolentiæ elatus est, ut ingenuam virginem stupro destinaret, oblitus & Lucretiæ, & regum, & juris, quod ipse composuerat. Itaque quum oppressam judicio filiam, trahi in servitutem videret Virginius pater, nihil cunctatus, in medio foro manu sua interfecit: admotisque signis commilitonum, totam eam dominationem obsessam armis, in carcerem & catenas ab Aventino monte detraxit.

Tertia Seditio ex connubiis Patrum cum plebejis. U. C. 308. Ol. 83. a. C. N. 445.

CAP. XXV. Tertiam seditionem excitavit (p) matrimoniorum dignitas; (q) ut plebeji (r) cum patriciis jungerentur: qui tumultus in monte Janiculo, duce Canuleio Tribuno plebis, exarsit.

Quarta Seditio ob magistratus plebejos. U. C. 383. Ol. 102. a. C. N. 370.

CAP. XXVI. Quartam honorum cupido, ut plebeji (s) quoque magistratus crearentur. Fabius Ambustus duarum pater, alteram Sulpicio patricii sanguinis dederat, (t) alteram plebejo Stoloni. Hæc quodam tempore, quod lictoriæ (u) virgæ sonum ignotum penatibus suis expaverat, à sorore satis insolenter irrisa, injuriam non tulit. Itaque nactus tribunatum, honorum & magistratuum consortium, quamvis invito Senatui extorsit. Verum, in his ipsis seditionibus, principem Populum non immerito suspexeris. Siquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, honorum decora & insignia vindicavit: interque hæc omnia, nullius acrior custos, quam libertatis fuit; nullaque in pretium ejus potuit largitione corrumpi; quum, ut in magno, & in dies majore Populo, interim perniciosi cives exsisterent. Spurium Cassium, Agraria lege; Mælium, largitione suspectum regiæ dominationis, præsenti morte multavit. Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit: hunc Quinctii Dictatoris imperio, in medio foro Magister equitum Servilius Ahala (x) confodit. Manlium vero Capitolii vindicem, quia plerosque debitorum liberaverat, altius se & incivilius efferentem, ab illa, quam defenderat, arce dejecit. Talis domi ac foris: talis pace belloque Populus Romanus, fretum illud Adolescentiæ, id est, secundam imperii ætatem habuit: in qua totam inter Alpes, fretumque, Italiam armis subegit.

PopulusRom. inter seditiones religiosus.

Et libertatis custos.

Contra Sp. Cassium. U. C. 266. Ol. 73. a. C. N. 487.

Sp. Mælium. U. C. 315. Ol. 85. a. C. N. 438.

Et M. Manlium Capitolinum. U. C. 370. Ol. 99. a. C. N. 383.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Procemium. Populus Rom. victor Italiæ, exteros bello petit.

Domita subactaque Italia, Populus Romanus prope quingentesimum annum agens, quum bona fide adolevisset; si quod est robur, si qua juventas; (a) tum ille vere robustus, & juvenis, & par orbi terrarum esse cepit. Ita, (b) (mirum, & incredibile dictu!) qui prope quingentis annis domi luctatus est (c) (adeo difficile fuerat dare Italiæ caput) his ducentis annis, qui sequuntur, Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem (d) terrarum bellis victoriisque peragravit.

Bellum Punicum primum.

CAP. II. Igitur victor Italiæ populus, (e) quum à terra fretum usque venisset, more ignis, qui obvias populatus incendio silvas, interveniente flumine abrumpitur, paullisper substitit. Mox quum videret opulentissimam in proximo prædam, quodammodo Italiæ suæ abscissam, (f) & quasi revulsam, adeo cupiditate ejus exarsit, ut quatenus nec mole (g) jungi, nec pontibus posset, armis belloque jungenda, (h) & (i) ad continentem suam revocanda bello videretur. Sed ecce, ultro ipsis viam pandentibus fatis, nec occasio defuit; quum de Pœnorum impotentia, (k) fœderata Siciliæ civitas Messana quereretur. Affectabat autem (l) ut Romanus, ita Pœnus Siciliam, & eodem tempore, paribus uterque votis ac viribus imperium orbis agitabat. Igitur specie quidem socios juvandi, re autem solicitante præda; quamquam territaret novitas rei (tanta tamen in virtute fiducia est) ille rudis, ille pastorius populus, vereque terrester, (m) ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur.

Occasio Belli Punici.

(i) al. melior, obsessis in capta &c. (k) al. consuluit. (l) al. de æquo. (m) al dissensisse. (n) al. *opera fugientibus.* (o) al. Secundum in Urbe Decemviratus &c. (p) al. incitavit. (q) al. indignitas. (r) al. plebes. al. plebs. (s) al. plebes. (t) al. declarat. (u) al. Stoloni. Qui, quod uxor ejus ad lictoriæ &c. (x) al. Hala. (a) al. juventa. al. juventus. (b) al. Itaque. (c) al. Ita mirum & incredibile dictu. Quippe quingentis annis domi luctatus est. (d) al. totumque orbem. (e) al. Populus Romanus. (f) al. abscisam. (g) al. mare. (h) al. jungendam. (i) al. & omittunt. (k) al. insolentia. (l) al. enim. (m) al. terrestris.

Initium belli Punici. U. C. 488. Ol. 128. a. C. N. 265.

retur. Appio Claudio Conſule, primum fretum ingreſſus eſt, fabuloſis infame monſtris, æſtuque violentum, ſed adeo non eſt exterritus, ut illam ipſam (*n*) ruentis (*o*) æſtus violentiam pro munere amplecteretur: ſtatimque ac ſine mora Hieronem Syracuſanum regem tanta celeritate vicit, ut ille ipſe ſe prius victum, quam hoſtem videret, fateretur. Duilio Cornelioque Conſulibus, etiam mari congredi auſus eſt. Tum quidem ipſa velocitas claſſis comparatæ auſpicium fuit. (*p*) Intra enim ſexageſimum diem quam cæſa ſilva fuerat, centum ſexaginta navium claſſis in anchoris ſtetit; ut non arte factæ, ſed quodam munere Deorum converſæ in naves, atque mutatæ arbores viderentur. Prælii vero forma (*q*) mirabilis: quum illas celeres volucresque hoſtium naves, hæ graves, tardæque comprehenderent. Longe illis nauticæque artes, (*r*) detergere remos, & ludificari fuga roſtra. Injectæ enim ferreæ manus, machinæque aliæ (*s*) ante certamen multum ab hoſte deriſæ: coactique hoſtes quaſi in ſolido decernere. Victor ergo apud Liparas, merſa & (*t*) fugata hoſtium claſſe, primum illum (1) maritimum egit triumphum. Cujus quod gaudium fuit? quum Duilius imperator, non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, præcinere ſibi tibias juſſit, quaſi quotidie triumpharet. Præ (*u*) tanta victoria leve hujus prælii damnum fuit. Alter Conſulum interceptus Cornelius Aſina: (*x*) qui ſimulato colloquio evocatus, atque ita oppreſſus fuit; perfidiæ Punicæ documentum. Calatino Dictatore, fere omnia præſidia Pœnorum Agrigento, Drepaniis, (*y*) Panormo, Eryce, (*z*) Lilybæo detraxit. Trepidatum eſt ſemel circa Camerinenſium (*a*) ſaltum; ſed eximia virtute Calpurnii Flammæ tribuni militum evaſimus, qui lecta trecentorum manu, infeſtum & inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupavit, adeoque moratus hoſtem, dum exercitus omnis evaderet; ac ſic pulcherrimo exitu, Thermopylarum & Leonidæ famam adæquavit: hoc illuſtrior noſter, quod expeditioni tantæ ſuperfuit, & ſupervixit, licet nihil ſcripſerit ſanguine. Lucio Cornelio Scipione, quum jam Sicilia ſuburbana eſſet Populi Romani provincia; ſerpente latius bello, Sardiniam (*b*) annexamque Corſicam (*c*) tranſit. Olbiæ hic, ibi Aleriæ (*d*) urbis excidio incolas terruit, adeoque omnes terra, marique Pœnos expugnavit, ut jam victoriæ nihil niſi Africa ipſa teſtaret. Marco Atilio Regulo duce jam in Africam navigabat bellum. Nec deerant, qui ipſo (*e*) Punici (*f*) maris nomine, ac terrore deficerent, augente inſuper Tribuno Mannio (*g*) metum: in quem, niſi paruiſſet, ſecuri diſtricta, Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam. Mox ventis remisque properatum eſt, tantusque terror hoſtici adventus Pœnis fuit, ut apertis pené portis Carthago caperetur. Prima belli præmium fuit civitas Clypea: prima enim à Punico littore quaſi arx & ſpecula procurrit. Et hæc, & trecenta amplius caſtella vaſtata ſunt. Nec cum hominibus, ſed cum monſtris quoque dimicatum eſt; quum quaſi in vindictam Africæ, nata miræ magnitudinis ſerpens, poſita apud Bragadam (*h*) caſtra vexaret. Sed omnium victor Regulus quum terrorem nominis ſui late circumtuliſſet; quumque magnam vim juventutis, ducesque ipſos aut cecidiſſet, (*i*) aut haberet in vinculis; claſſemque ingenti præda onuſtam, & triumpho gravem, in Urbem præmiſiſſet; jam ipſam (*k*) belli caput Carthaginem urgebat obſidio, (*l*) ipſisque portis inhærebat. Hic paullulum circumacta fortuna eſt. Tantum, ut plura eſſent (*m*) Romanæ virtutis inſignia: cujus fere magnitudo calamitatibus approbatur. Nam converſis ad externa auxilia hoſtibus; quum Xanthippum illis ducem Lacedæmon miſiſſet, à viro militiæ peritiſſimo vincimur. Tum fœda clade, Romanisque uſu incognita, vivus in manus hoſtium venit fortiſſimus Imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati (*n*) fuit. Nam nec Punico carcere fractus eſt, nec legatione ſuſcepta. Quippe diverſa, quam hoſtes mandaverant, cenſuit, *ne pax fieret, nec* (*o*) *commutatione* (*p*) *captivorum reciperetur.* Sed nec illo voluntario ad hoſtes ſuos reditu, nec ultimo ſive carceris, ſive crucis ſupplicio deformata majeſtas; imo his omnibus admirabilior, quid aliud quam victus de victoribus, atque etiam, quia Carthago non ceſſerat, de fortuna triumphavit? Populus autem Romanus multo acrior, infeſtiorque pro ultione Reguli, quam pro victoria fuit. Metello igitur Conſule ſpirantibus altius Pœnis, & reverſo in Siciliam bello, apud Panormum ſic hoſtes cecidit, ut ne amplius eam inſulam cogitarent. (*q*) Argumentum ingentis victoriæ, (2) centum circiter elephantorum captivitas; ſic quoque

Claſſis fabricatur. U. C. 492. Ol. 129. a. C. N. 261.

Prima Romanorum victoria maritima. U. C. 492. Ol. 129. a. C. N. 261.

U. C. 494. Ol. 130. a. C. N. 259.

Prima Rom. in Sardiniam & Corſicam expeditio. U. C. 493. Ol. 130. a. C. N. 260.

Romanorum in Africam navigatio. U. C. 496. Ol. 130. a. C. N. 257.

Pugna cum ſerpente.

Xanthippo duce Romani à Carthaginienſibus victi. U. C. 497. Ol. 131. a. C. N. 256.

Carthaginienſium ad Panormum clades. U. C. 502. Ol. 132. a. C. N. 251.

 que

(*n*) al. quin ipſam. (*o*) al. furentis. al. ferventis. (*p*) al. Cum quidem ipſa velocitas claſſis comparatæ victoriæ auſpicium fuit. (*q*) al. fama. (*r*) al. Longe illis plus nauticæ artis detorquere &c. (*s*) al. validæ. (*t*) al. aut. (*u*) al. Pro. (*x*) al. Aſina Cornelius. (*y*) al. Drepano. (*z*) al. Eryco. al. Eryca. (*a*) al. Camerinienſium. (*b*) al. ſerpente latius bello in Sardiniam. (*c*) al. annexamque ei Corſicam. al. Choſſuram. (*d*) al. Ubi & hic Caralæ. al. Ibi Olbiæ & hic Aleriæ. (*e*) al. qui in ipſo. (*f*) al. Punico. (*g*) al. Nannio. al. Nautrio. (*h*) al. Bagradam. (*i*) al. cepiſſet. (*k*) al. & jam ipſam. al. etiam ipſam. (*l*) al. obſidione. (*m*) al. deeſſent. (*n*) al. calamitatis. (*o*) al. *ne.* (*p*) al. *commutatio.* (*q*) al. ut ne amplius ea in inſula concitaretur.

(1) Maritimum egit triumphum) Memoria hujus triumphi extat in numiſmate apud GOLTZIUM Faſt. p. 87. In quo Neptunus quadrigis inſiſtens, non tantum triumphum maritimum egit, ſed etiam ipſius Duilii merita; quem ſub Neptuno intelligi debere, vel ſubſcriptio evincit. Vid. Tab. VI. num. 5.

(2) Centum circiter Elephantorum captivitas) Inſignis hæc Metelli victoria denario Tab. VI. num. 6. illuſtratur. Percuſſit eum M. Metellus Macedonici filius, eodemque L. Metelli progenitoris ſui inſignem, de qua loquimur, de Pœnis victoriam poſteritati commendavit. Conf. PATIN. Fam. Rom. pag. 48.

Romani à Carthaginiensibus victi. U. C. 503. Ol. 132. a. C. N. 250.

Navale prælium apud Ægimurum, U. C. 507. Ol. 133. a. C. N. 246.

Finis belli Punici primi. U. C. 510. Ol. 134. a. C. N. 243.

que magna præda, ſi (*r*) gregem illum non bello, ſed venatione cepiſſet. Publio (*s*) Claudio Conſule, non ab hoſtibus, ſed à Diis ipſis ſuperatus eſt, quorum auſpicia contempſerat; ibi ſtatim claſſe demerſa, ubi ille præcipitari pullos juſſerat, quod pugnare ab his vetaretur. Marco Fabio Buteone Conſule, claſſem hoſtium in Africo mari apud Ægimurum jam in Italiam ultro navigantem, cecidit. Quantus ô tunc triumphus (*t*) tempeſtate intercidit, quum opulenta præda claſſis, adverſis acta ventis, naufragio ſuo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, inſularum littora, implevit! Magna clades, ſed non ſine aliqua principis Populi dignitate; interceptam tempeſtate victoriam, (*u*) & triumphum periiſſe naufragio. Et tamen, quum Punicæ prædæ omnibus promontoriis inſulisque fruſtrarentur & fluitarent, (*x*) Populus Romanus triumphavit. Lutatio (*y*) Catulo Conſule, tandem bello finis impoſitus apud inſulas, quibus nomen Ægates. (*z*) Nec major alia in mari pugna, quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hoſtium claſſis, & in ea quaſi tota Carthago: quod ipſum exitio fuit. Romana claſſis prompta, levis, expedita, & quodam genere caſtrenſis; (*a*) ad ſimilitudinem pugnæ equeſtris, ſic remis quaſi habenis agebatur; & in hos vel in illos mobilia roſtra, ſpeciem viventium præferebant. Itaque momento temporis laceratæ hoſtium rates, totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio ſuo operuerunt. Tanta denique fuit illa victoria, ut de exſcindendis (*b*) hoſtium mœnibus non quæreretur. Supervacuum viſum eſt in arcem murosque ſævire, quum jam in mari eſſet deleta Carthago.

Bellum Liguſticum. U. C. 514. Ol. 135. a. C. N. 239. Jani templum clauſum. U. C. 517. Ol. 136. a. C. N. 236.

CAP. III. Peracto Punico bello, ſecuta eſt brevis ſane, & quaſi ad recipiendum ſpiritum requies; argumentumque pacis, & bona fide ceſſantium armorum. Tunc primum poſt Numam clauſa fuit porta Jani: ſed ſtatim ac ſine mora patuit. Quippe jam Ligures, jam Inſubres Galli, nec non & Illyrii laceſſebant. Sic deſub Alpibus, id eſt, deſub ipſis Italiæ faucibus, gentes, Deo quodam aſſidue incitante, ne rubiginem ac ſitum arma ſentirent. Denique utrique (*d*) quotidiani & quaſi domeſtici hoſtes tirocinia militum imbuebant, nec aliter utraque gente, quam ſi (*e*) cote quadam Populus Romanus ferrum ſuæ acuebat virtutis. Ligures imis (*f*) Alpium jugis adhærentes inter Varum & Macram flumen, implicitosque dumis ſilveſtribus, major aliquanto labor erat invenire, quam vincere. Tuti (*g*) locis, & fuga, durum atque velox genus, ex occaſione magis latrocinia, quam bella faciebat. Itaque quum diu multumque eluderent Salyi, Deceates, (*h*) Oxybii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius latebras eorum ignibus ſepſit: Bæbius in plana deduxit: Poſtumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur.

Fulvius Ligures vincit. U. C. 573. Ol. 150. a. C. N. 180.

M. Bæbius Ligures vincit. U. C. 571. Ol 149. a. C. N. 182.

Poſtumius Ligures vincit. U. C. 572. Ol. 150. a. C. N. 180.

Bellum Gallicum. U. C. 525. Ol. 138. a. C. N. 228. Gallorum natura.

CAP. IV. Gallis Inſubribus & his accolis Alpium, animi ferarum, corpora plus quam humana erant. Sed experimento (*i*) deprehenſum eſt, quippe ſicut primus impetus eis major quam virorum eſt, ita ſequens minor quam fœminarum: Alpina (*k*) corpora humenti cœlo educata, habent quiddam ſimile nivibus (*l*) ſuis: quæ mox ut caluere pugna, ſtatim in ſudorem eunt; (*m*) & levi motu, quaſi ſole, laxantur. Hi ſæpe & alias, ſed Britomaro (*n*) duce, *non prius ſoluturos ſe baltea,* (*o*) *quam Capitolium aſcendiſſent*, juraverant. Factum eſt. Victos enim Æmilius in Capitolio diſcinxit. Mox Arioviſto (*p*) duce vovere *de noſtrorum militum præda Marti ſuo torquem.* Intercepit Jupiter votum. Nam de torquibus eorum aureum trophæum Jovi Flaminius erexit. Viridomaro (*q*) rege *Romana* (*r*) *arma Vulcano* promiſerant. Alierſum vota ceciderunt. Occiſo enim rege, (3) Marcellus tertia poſt Romulum patrem Feretrio Jovi arma ſuſpendit.

Galli victi. U. C. 527. Ol. 138. a. C. N. 226.

U. C. 556. Ol. 145. a. C. N. 197.

Viridomarus victus. U. C. 530. Ol. 139. a. C. N. 223.

Bellum Illyricum. U. C. 532. Ol. 139. a. C. N. 221.

CAP. V. Illyrii ſeu Liburni ſub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arſiam, Titiumque (*s*) flumen, longiſſime per totum Adriani (*t*) maris littus effuſi. Hi regnante Teutana (*u*) muliere, populationibus non contenti, licentiæ ſcelus addiderunt. Legatos quippe noſtros, ob ea quæ deliquerant, jure agentes, nec gladio (*x*) quidem, ſed ut victimas, ſecuri percutiunt. Præfectos navium: igne comburunt, idque, quo indignius foret, mulier imperabat. Itaque Cnæo Fulvio Centimalo duce, late domantur. Strictæ in principum colla ſecures, legatorum manibus litavere.


Bellum Punicum ſecundum. U. C. 533. Ol. 140. a. C. N. 220.

CAP. VI. Poſt primum Punicum bellum, vix quadriennii (*y*) requies, ecce alterum bellum: minus quidem ſpatio (nec enim amplius quam decem & octo annos habet) ſed adeo cladium atrocitate terribilius, ut ſi quis conferat damna utriusque populi, ſimilior victo ſit populus (*z*) qui vicit. Urebat (*a*) nobilem populum ablatum mare, captæ inſulæ, (*b*) dare tributa, quæ jubere conſueverat. Hinc ultionem (*c*) puer Annibal ad aram patri juraverat: nec morabatur. (*d*) Igitur in cauſam (*e*) belli Sagun-

Cauſa belli Punici ſecundi Sagunti excidium.

(*r*) al. ac ſi. (*s*) al. Appio. (*t*) al. Quamvis Octavio triumphus. (*u*) al. intercepta tempeſtate victoria. (*x*) al. prædæ amnibus inſulisque fluitarent. (*y*) al. Lutatio omittunt. (*z* al. Egates. (*a*) al. caſtrenſi. (*b*) al. excidendis. (*c*) al. Illyrici. (*d*) al. Denique ita. (*e*) al. quam quaſi. (*f*) al. in imis. al. in viis. al. inviis. (*g*) al. Tutum. (*h*) al. eluderent ſaltu, viis, latebris, Deceates &c. (*i*) al. experimentum. (*k*) Quippe alpina &c. (*l*) al. Simile cum nivibus. (*m*) al. exeunt. (*n*) al. Britamaro. (*o*) al. balteo. (*p*) al. Aſtrionico. (*q*) al. Virdomaro. (*r*) al. *opima.* (*s*) al. Ticinumque. (*t*) al. Adriatici. (*u*) al. Teuca. al. Teuta. (*x*) al. ne gladio. (*y*) al. quadriennium. al. quadriennis. (*z*) al. ſit victor populus. (*a*) al. At pudebat. (*b*) al. ablato mari, raptis inſulis. (*c*) al. in ultionem. (*d*) al. remorabatur. (*e*) al. in cauſa.

(3) Marcellus - - - - ſuſpendit) Hoc diligenter expreſſit Denarius Claudiæ gentis Tab. VII. num. 1. De quo conf. PATIN. Fam. Rom. pag. 72. & GRÆVII Florus ad Lib. I. cap. I. deinde ad hunc locum.


Tab. VI.
ad pag. 19 & 21
I
II
III
IV
V
VI
P·M·TR·P·XII·IMP·VIII·COS·V·P·P·
TELLVS STABIL
M·ATIL·M·F·L·N·
REGVVS.
ROMA
C·DVILIVS
ROMA.
ROMA

Saguntus delecta (*f*) est, vetus Hispaniæ civitas, & opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum, quam in libertatem communi fœdere exceptam, Annibal caussas novorum motuum quærens, & suis, & ipsorum manibus evertit, ut Italiam sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio est: itaque ad auditum sociæ civitatis obsidium; memores icti cum Pœnis quoque fœderis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo quæri malunt. Interim (*g*) jam novem mensibus fessi fame, machinis, ferro, versa (*h*) denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum, tum desuper se suosque cum omnibus opibus suis ferro & igne corrumpunt. Hujus tantæ cladis autor Annibal poscitur. Tergiversantibus Pœnis, dux legationis: *Quæ*, inquit, *mora est?* Fabius: *in hoc ego sinu bellum pacemque porto: utrum eligitis?* Succlamantibus; *Bellum. Bellum igitur*, (*i*) inquit, *accipite:* & excusso in media curia (*k*) togæ, gremio, non sine horrore, quasi plane sinu ferret bellum, effudit. Similis exitus belli initio fuit. Nam quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimæ diræ in illo publico parricidio, incendioque mandassent; ita manibus eorum vastatione Italiæ, captivitate Africæ ducum & regum, qui id gessere bellum, exitio parentatum est. Igitur ubi semel se in (*l*) Hispania movit illa gravis & luctuosa Punici belli vis atque tempestas, destinatumque Romanis jam diu fulmen, (*m*) Saguntino igne conflavit: statim quodam impetu rapta, medias perfregit Alpes; & in Italiam ab illis fabulosæ altitudinis nivibus, velut cœlo missa, descendit. Ac primi quidem impetus turbo, inter Padum & Ticinum valido statim fragore detonuit. Tum Scipione duce fusus exercitus, saucius etiam ipse venisset in hostium manus imperator, nisi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. Hic (*n*) erit (*o*) Scipio, qui in exitium Africæ crescit, nomen ex malis ejus habiturus. Ticino Trebia succedit. Hic secunda belli Punici procella desævit, Sempronio Consule. Tunc callidissimi hostes frigidum & nivalem nacti diem, quum se ignibus prius oleoque fovissent (horribile dictu) homines à meridie & sole venientes, nostra nos hieme vicerunt. Thrasymenus lacus, tertium fulmen Annibalis, Imperatore Flaminio. Ibi quoque ars nova Punicæ fraudis. Quippe nebula lacus, palustribusque virgultis tectus eques, terga subito pugnantium invasit. Nec de Diis possumus queri. Imminentem quippe temerario duci cladem prædixerant insidentia signis examina, & aquilæ prodire nolentes, & commissam aciem secutus ingens terræ tremor: nisi illum horrorem soli, equitum virorumque discursus, & mota vehementius arma fecerunt. Quartum, id est, penè ultimum vulnus imperii Cannæ, ignobilis Apuliæ vicus, sed magnitudine cladis emersit; & quadraginta (*p*) millium cæde parta (*q*) nobilitas. Ibi in exitium infelix (*r*) exercitus dux, terra, cœlum, dies, tota denique rerum natura consensit. Siquidem non contentus simulatis transfugis Annibal, qui mox terga pugnantium cæciderunt, insuper callidissimus Imperator, patentibus in campis, observato loci ingenio, quod & sol ibi acerrimus. & plurimus pulvis, & Eurus ab Oriente semper quasi ad constitutum, ita instruxit aciem, ut Romanis adversus hæc omnia adversis, quasi secundum cœlum tenens, vento, pulvere, sole pugnaret. Itaque duo maximi exercitus cæsi ad hostium satietatem, donec Annibal diceret militi suo: *Parce ferro.* Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium uter majore animo. Paullum puduit, Varro non desperavit. Documenta cladis, cruentus aliquamdiu Aufidus. Pons de cadaveribus jussu ducis factus in torrente Vergelli; (*s*) modii duo annulorum Carthaginem missi, dignitasque equestris taxata mensura. Dubium deinde non erat, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit, si (quod Pœnum illum dixisse Adarbalem (*t*) Bomilcaris ferunt) *Annibal quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset.* Tum quidem illum, ut dici vulgo solet, aut fatum urbis imperaturæ, aut ipsius mens mala, & aversi à Carthagine Dii, in diversum abstulerunt. Quum victoria posset uti, frui maluit; relictaque Roma, Campaniam, Tarentumque peragrare: ubi mox & ipse, & exercitus (*u*) ardor elanguit; adeo ut verum dictum sit: *Capuam Annibali Cannas fuisse.* Siquidem invictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ (quis crederet?) (*w*) soles, & tepentes fontibus Bajæ, subegerunt. Interim respirare Romanus, & quasi ab inferis emergere. Arma non erant, detracta sunt templis: deerat juventus, in sacramentum militiæ liberata servitia. Egebat ærarium, opes suas libens Senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis singulisque annulis (*x*) erat, quidquam sibi auri reliquêre. Eques secutus exemplum; imitatæque equitem tribus. Denique vix suffecere tabulæ, vix scribarum manus, Lævino Marcelloque Consulibus, quum privatæ opes in publicum deferrentur. Quid autem in deligendis (*y*) magistratibus, quæ centuriarum sapientia, quum juniores à senioribus consilium de creandis Consulibus petivere? Quippe adversus hostem totiens victorem, tam callidum, non virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. Prima redeuntis, &, ut sic dixerim, reviviscentis imperii spes Fabius fuit: qui novam

U. C. 534. Ol. 140. a. C. N. 219.

Romani ad Ticinum ab Annibale vincuntur. U. C. 534. Ol. 140. a. C. N. 219.

Iterum ad Trebiam vincuntur. Eodem anno.

Tertio ad Thrasymenum vincuntur. U. C. 535. Ol. 140. a. C. N. 218.

Quarto ad Cannas vincuntur. U. C. 536. Ol. 140. a. C. N. 217.

Annibal victoria uti nescit.

Romanorum angustiæ.

Et consilia.

Fabius Cunctator.

(*f*) al. deleta. (*g*) al. Hi interim. (*h*) al. ferro, & igne, versa &c. (*i*) al. *In hoc ego sinu bellum offero & pacem; Utrum eligitis? Utrum placet sumite. Quumque succlamatum esset; Utrum vellet, daret. Bellum igitur &c.* (*k*) al. & excusso in mediam curiam. (*l*) al. ubi semel in &c. (*m*) al. destinatumque jam diu fulmen. (*n*) al. Et hic. (*o*) al. erat. (*p*) al. sexaginta. (*q*) al. cæde ei parta. (*r*) al. infelicis. (*s*) al. in terrorem Vergilii. (*t*) al. Adherbalem. al. Maharbalem. vel Maarbalem. (*u*) al. ipsi & exercitui. (*w*) al. credet. (*x*) al. in bullis, cingulis, atque annulis &c. (*y*) al. eligendis. al. intelligendis.

vam de Annibale victoriam commentus eſt, nolle pugnare. (z) Hinc illi cognomen novum, (a) & Reipublicæ ſalutare, *Cunctator*. Hinc illud ex populo, ut *imperii ſcutum* vocaretur. Itaque per Samnium totum, per Falernos Gauranosque (b) ſaltus ſic maceravit Annibalem, ut qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde Claudio Marcello duce etiam congredi auſus eſt. Cominus venit, & pepulit in Campania (c) ſua & ab obſidione Nolæ urbis excuſſit. Auſus & Sempronio Graccho duce per Lucaniam ſequi, & premere terga cedentis: quamvis tunc (ô pudor!) manu ſervili pugnaret. Nam hucuſque tot mala compulerant; ſed libertate donati, fecerant de ſervitute Romanos. O horribilem in tot adverſis fiduciam! ô ſingularem animum ac ſpiritum Populi Romani! tam arctis afflictisque rebus, quum de Italia ſua dubitaret, auſus eſt tamen in diverſa reſpicere, quumque hoſtes (d) in jugulo (e) per Campaniam Apuliamque volitarent, (f) mediamque de (g) Italia Africam facerent; (h) eodem tempore & hunc ſuſtinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hiſpaniam, diviſa (i) per terrarum orbem arma mittebat. Sicilia mandata Marcello, nec diu reſtitit. Tota enim inſula in una urbe ſuperata eſt. Grande illud, & ante id tempus, invictum caput Syracuſæ, quamvis Archimedis ingenio defenderetur, aliquando ceſſerunt. Longe illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethuſæ; niſi quod hactenus profuere, ut (k) pulchritudini victæ urbis parceretur. Sardiniam Gracchus arripuit. Nihil illi (l) gentium feritas, Inſanorumque (nam ſic vocantur) immanitas montium profuêre. Sævitum in urbes, urbemque urbium Caralim, ut gens contumax, viliſque morti, (m) ſaltem deſiderio patrii ſoli domaretur. In Hiſpaniam miſſi Cnæus & Publius Scipiones, pene totam (n) Pœnis eripuerant, ſed inſidiis Punicæ fraudis oppreſſi rurſus amiſerunt, magnis quidem illi præliis, quum Punicas opes cecidiſſent: ſed Punicæ inſidiæ alterum ferro caſtrametantem, alterum quum evaſiſſet in turrim, cinctum facibus oppreſſerunt. Igitur in ultionem patris, ac patrui miſſus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa nomen fata decreverant, bellatricem illam, viris armiſque nobilem Hiſpaniam, illam ſeminarium hoſtilis exercitus, illam Annibalis eruditricem (incredibile dictu) totam à Pyrenæis montibus in Herculis columnas & Oceanum recuperavit: neſcias citius, an felicius. (o) Quam velociter, quatuor anni fatentur: quam felicius, (p) vel una civitas probat, eodem quippe, quo obſeſſa eſt die, capta eſt? omenque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile victa (q) eſt Hiſpana Carthago. Certum eſt tamen, ad profligandam provinciam maxime profeciſſe ſingularem ducis ſanctitatem: quippe qui captivos pueros, puellaſque præcipuæ pulchritudinis, barbaris reſtituerit, ne in conſpectum quidem ſuum paſſus adduci; ne quid de virginitatis integritate delibaſſe ſaltem oculis (r) videretur. Hæc inter diverſa terrarum Populus Romanus: nec ideo tamen Italiæ viſceribus inhærentem ſummovere poterat Annibalem. Pleraque ad hoſtem defecerant, & dux acerrimus contra Romanos, Italicis quoque viribus utebatur. Jam tamen eum pleriſque oppidis, & regionibus excuſſeramus. Tarentus (s) ad nos redierat: jam & Capua, ſedes & domus, & patria altera Annibalis tenebatur: cujus amiſſio tantum Pœno duci dolorem dedit, ut inde (t) totis viribus Romam (u) converteretur. O populum dignum orbis imperio! dignum omnium favore, & admiratione hominum ac Deorum! Compulſus ad ultimos metus, (w) ab incepto non deſtitit: & de ſua urbe ſolicitus Capuam tamen non omiſit; ſed parte exercitus ſub Appio Conſule relicta, parte Flaccum in urbem ſecuta, abſens ſimul præſenſque pugnabat. Quid ergo miramur? Moventi caſtra à tertio lapide Annibali, iterum ipſos Deos, Deos inquam, (nec fateri pudebit) reſtitiſſe? Tanta enim ad ſingulos illius motus vis imbrium effuſa, tanta ventorum violentia coorta eſt, ut divinitus hoſtem ſummoveri; neque cœlo, ſed ab Urbis ipſius mœnibus, & capitolio ferri videretur. (x) Itaque fugit, & ceſſit, & in ultimum ſe Italiæ recepit ſinum, quum Urbem tantum non adoratam (y) reliquiſſet. Parva res dictu, ſed ad magnanimitatem Populi Romani probandam ſatis efficax: quod illis ipſis, quibus obſidebatur diebus, ager, quem Annibal caſtris inſederat, (z) venalis Romæ fuit, haſtæque ſubjectus invenit emptorem. Voluit Annibal contra fiduciam imitari; ſubjecitque argentarias urbis tabernas: nec ſector (a) inventus eſt: ut ſcias etiam præſagia fatis fuiſſe. Nihil actum erat tanta virtute, tanto favore etiam Deorum. Siquidem Aſdrubal (b) frater Annibalis cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole veniebat. Actum erat procul dubio, ſi vir ille ſe cum fratre junxiſſet. Sed hunc quoque caſtrametantem (4) Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat. Nero in ultimos

Marcellus Nolam liberat. U. C. 536. Ol. 140. a. C. N. 217. U. C. 538. Ol. 141. a. C. N. 215.

Romanorum ſingularis conſtantia.

Syracuſæ expugnatæ. U. C. 540. Ol. 141. a. C. N. 213.

Sardinia à Romanis devicta.

Scipiones in Hiſpania oppreſſi. U. C. 540. Ol. 141. a. C. N. 213.

Scipio Africanus Hiſpaniam recuperat.

Carthaginem novam expugnat. U. C. 542. Ol. 142. a. C. N. 211.


Capua à Romanis recepta.

Annibal fruſtra Romam petit.

Aſdrubal tranſit Alpes. U. C. 545. Ol. 143. a. C. N. 208. Sed à Romanis vincitur.

(z) al. non pugnare. (a) al. verum. (b) al. Garganosque. (c) al. à Campania. (d) al. hoſtis. (e) al. in jugulo reip. (f) al. volitaret. (g) al. mediamque jam de &c. (h) al. faceret. (i) al. diverſa. (k) al. quod hactenus profuere, niſi ut &c. (l) al. illic. (m) al. mortis. (n) al. ſpem pene totam. al. ſpem totam. (o) al. facilius. (p) al. facile. (q) al. capta. (r) al. ſaltem vel oculis. (s) al. Jam Tarentus. al. Tarentinus. (t) al. ille. (u) al. in Romam. (w) ad ultimas metas. (x) al. Tanta enim ad ſingulos illius motus vis imbrium effuſa eſt, tanta ventorum violentia coorta, ut divinitus hoſtem ſummoveri, non à cœlo, ſed ab urbis ipſius mœnibus, & capitolio videretur. (y) al. adortam. (z) al. inſiderat. (a) al. emptor. (b) al. Siquidem ab Hiſpania Aſdrubal.

(4) Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat) Non ſolum debellarunt, ſed etiam triumpharunt, ut ex numis Tab. VII, num. 2, & 3. GOLTZIUS Faſt. pag. 112. & 113. aſſerit.


Tab. VII.
ad pag. 22. 24. 25. 26.
I
MARCELLINVS
Æ
Γ
MARCELLVS
COS·QVINQ
II
M·SALINATOR
III
XXII.
C·CLAV·NERO.
IV
SER
SVLP
V
VI

ultimos Italiæ angulos ſummoverat (*c*) Annibalem. Livius in diverſiſſimam partem, id eſt, in ipſas (*d*) naſcentis Italiæ fauces ſigna converterat; tanto, id eſt, omni, qua longiſſima Italia, ſolo interjacente. Quo conſilio, qua celeritate, Conſules caſtra conjunxerint, inopinanterque (*e*) hoſtem collatis ſignis compreſſerint, neque, id fieri Annibal ſenſerit, difficile dictu eſt. Certe Annibal re cognita, quum projectum fratris caput ad ſua caſtra vidiſſet: *Agnoſco*, inquit, *infelicitatem Carthaginis.* Hæc fuit illius viri, non ſine præſagio quodam fati imminentis, prima confeſſio. Jam certum erat Annibalem etiam ipſius confeſſione poſſe vinci: ſed tot rerum proſperarum fiducia plenus Populus Romanus, magni æſtimabat aſperrimum hoſtem in ſua Africa debellare. Duce igitur Scipione, in ipſam Africam tota mole converſus, imitari cepit Annibalem, & Italiæ ſuæ clades in Africa vindicare. Quas ille (Dii boni!) Aſdrubalis copias, quos Syphacis exercitus fudit? Quæ, quantaque utriusque caſtra facibus illatis una nocte delevit? Denique jam non à tertio lapide, ſed ipſas Carthaginis portas obſidione quatiebat. Sic factum eſt, ut inhærentem atque incubantem (*f*) Italiæ extorqueret Annibalem. Non fuit major ſub imperio Romano dies, quam ille, quum duo omnium & antea & poſtea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hiſpaniæ victor, collatis cominus ſignis direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipſos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione defixi. Ubi de pace non convenit, ſigna cecinere. Conſtat utriusque confeſſione, *nec melius inſtrui aciem, nec acrius potuiſſe* (*g*) *pugnari.* Hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu prædicaverunt. Sed tamen Annibal ceſſit; (5) præmiumque victoriæ Africa fuit, & ſecutus Africam ſtatim terrarum orbis.

Scipio bellum in Africam convertit. U.C. 548. Ol. 143. a. C. N. 205.

Annibal Italia diſcedit. U. C. 549. Ol. 144. a. C. N. 204.

Annibal à Scipione vincitur. U. C. 550. Ol. 144. a. C. N. 203. Finis belli Punici ſecundi. U. C. 551. Ol. 144. a. C. N. 202.

CAP. VII. Poſt Carthaginem vinci neminem puduit. Secutæ ſunt ſtatim Africam gentes, Macedonia, Græcia, Syria, (*h*) ceteraque omnia, quodam quaſi æſtu & torrente fortunæ. Sed primi omnium Macedones, affectator quondam imperii populus. (*i*) Itaque quamvis tunc Philippus regno præſideret, Romani tamen dimicare ſibi cum rege Alexandro videbantur. Macedonicum bellum nomine amplius, quam ſpectatione (*k*) gentis fuit. Cauſa cepit à fœdere Philippi, quo rex jam pridem dominantem in Italia Annibalem ſibi ſociaverat: poſtea crevit, implorantibus Athenis auxilium contra regis injurias, quum ille ultra jus victoriæ, in templa, aras, & ſepulchra ipſa ſæviret. Placuit Senatui opem tantis ferre ſupplicibus. Quippe jam gentium reges, duces, populi, nationes, præſidia ſibi ab hac Urbe petebant. Primo igitur Lævino Conſule (*l*) Populus Romanus Jonium mare ingreſſus, tota Græciæ littora veluti (6) triumphanti claſſe peragravit. Spolia quippe Siciliæ, Hiſpaniæ, Sardiniæ, Africæ præferebat: & manifeſtam victoriam, nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. Aderat ſponte in auxilium Attalus rex Pergamorum. Aderant Rhodii, nauticus populus: qui navibus à mari, Conſul à terris (*m*) omnia equis virisque quatiebat. Bis victus rex, bis fugatus, bis exutus caſtris; quum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipſo vulnerum aſpectu; quæ non ſpiculis, non ſagittis, nec ullo Græculo ferro, ſed (7) ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, ultra mortem (*n*) patebant. Enimvero Flaminio (*o*) duce invios antea Chaonum (*p*) montes, Aoumque (*q*) amnem per abrupta vadentem, (*r*) id eſt, ipſa (*s*) Macedoniæ clauſtra penetravimus. Introiſſe, victoria fuit. Nam nunquam poſtea auſus congredi rex. Ad tumulos, quos Cynoſcephalas vocant, uno, ac ne hoc quidem juſto prælio opprimitur. Et illi quidem Conſul pacem dedit, regnumque conceſſit: mox, ne quid eſſet hoſtile, Thebas, & Eubœam, & graſſantem ſub Nabide ſuo Lacedæmona (*t*) compeſcuit. Græciæ vero veterem ſtatum reddidit, ut legibus viveret ſuis, & avita libertate frueretur. Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerunt, quum hoc forte Nemeæ in theatro Quinquennalibus ludis à præcone caneretur? quo certavere plauſu? quid florum in Conſulem profuderunt? Et iterum iterumque præconem repetere illam vocem jubebant, qui libertas Achaiæ pronuntiabatur: nec aliter illa conſulari ſententia, quam modulatiſſimo aliquo tibiarum aut fidium cantu fruebantur.

Bellum Macedonicum primum. U. C. 538. Ol. 141. a. C. N. 215.

Continuatum U. C. 552. Ol 144. a. C. N. 201.

Attalus & Rhodii ſocii Romanorum.

U. C. 554. Ol. 145. a. C. N. 199.

Philippus vincitur. U. C. 555. Ol. 145. a. C. N. 198. Finis belli Macedonici primi. U. C. 556. Ol. 145. a. C. N. 197.

CAP. VIII. Macedoniam ſtatim, & regem Philippum Antiochus excepit, quodam caſu, quaſi induſtria ſic adgubernante fortuna, ut quemadmodum ab Africa in Europam, ſic ab Europa in Aſiam, ultro ſe ſuggerentibus cauſis, imperium procederet, & cum terrarum orbis ſitu, ipſe ordo victoriarum navigaret. Non aliud formidoloſius fama bellum fuit. Quippe quum Perſas & Orientem, Xerxem atque Darium cogitarent; quando perfoſſi invii montes, quando velis opertum mare nuntiaretur. Ad hoc cœleſtes minæ territabant, quum humore continuo Cumanus Apollo ſudaret. Sed hic faventis Aſiæ ſuæ numinis timor

Bellum Syriacum Regis Antiochi. U. C. 561. Ol. 147. a. C. N. 192.

(*c*) al. in ultimo Italiæ angulo. (*d*) al. partem, & in ipſas &c. (*e*) al. inopinantemque. al. inopinatumque. (*f*) al. incumbentem. (*g*) al. *poſſe.* (*h*) al. Aſia. (*i*) al. Affectator imperii populus. (*k*) al. exſpectatione. (*l*) al. Prætore. (*m*) al. quibus à mari, Conſule à terris &c. (*n*) al. morem. (*o*) al. Flaminino. (*p*) al. Achaonum. (*q*) al. Pindumque. al. Adumque. (*r*) al. vagantem. al. vadentem. (*s*) & ipſa &c. (*t*) al. Lacedæmoniam.

(5) Præmiumque victoriæ) Scipioni præmium victoriæ fuit clariſſimus omnium triumphus, de quo teſtatur numus Tab. LIII. num. 2. Tom. I. Script. Hiſt. Rom.

(6) Triumphanti claſſe peragravit) Huc referimus Ser. Sulpicii numiſma Tab. VIII. num. 4. Captivi enim in parte averſa, & ſuſpenſa à malo inſtrumenta nautica, procul dubio ad triumphantem potius claſſem, de qua Florus hic loquitur, omnemque de Philippo reportatà victoriam pertinent, quam ad ſolum Sulpicii trajectum. Conf. PATIN. Fam. Rom. pag. 267.

(7) Ingentibus Pilis) Quæ de Pili figura diximus. Vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. pag. 50. Ut differentiam habeas à BEGERI Pilo aſpice Figuram Tab. VII. num. 5.

mor erat. Nec ſane viris, opibus, armis quidquam copioſius Syria: ſed in manus tam ignavi regis inciderat; ut nihil fuerit in Antiocho ſpecioſius, quam quod à Romanis victus eſt.

Cauſæ hujus belli.

Impulere regem in id bellum, illinc Thoas Ætoliæ princeps, inhonoratam apud Romanos quærens adverſus Macedones militiæ ſuæ ſocietatem: hinc Annibal, qui in Africa victus, profugus, & pacis impatiens, hoſtem Populo Romano (*u*) toto orbe quærebat. Et quod illud fuiſſet periculum, ſi ſe conſiliis ejus rex tradidiſſet, id eſt, ſi Aſiæ (*x*) viribus uſus fuiſſet miſer Annibal! Sed rex ſuis opibus, & nomine regio fretus, ſatis habuit bellum movere. Europa jam dubio procul jure ad Romanos pertinebat.

Lyſimachia urbs.

Hic Lyſimachiam urbem, in littore Thracio poſitam, à majoribus ſuis, Antiochus ut hæreditario jure repoſcebat. Hoc velut ſidere, Aſiatici belli mota tempeſtas. Et maximus regum contentus, fortiter indixiſſe bellum, (*y*) quum ingenti ſtrepitu ac tumultu moviſſet ex Aſia, occupatis ſtatim inſulis, Græciæque littoribus, otia & luxus tanquam victor agitabat.

Antiochus ex Euboea inſula pellitur.

Eubœam inſulam continenti adhærentem tenui freto, reciprocantibus aquis Euripus abſcidit. Hic ille poſitis aureis ſericiſque tentoriis, ſub ipſo freti murmure, quum inter fluenta tibiis fidibusque concineret, collatis undique, quamvis per hiemem, roſis, ne non aliquo ducem genere agere videretur, (*z*) virginum, puerorumque delectus habebat. Talem ergo regem jam ſua luxuria debellatum, Populus Romanus, Acilio Glabrione Conſule, in inſula aggreſſus, ipſo ſtatim adventus ſui nuntio, (*a*) coëgit ab inſula fugere. Tum (*b*) præcipitem apud Thermopylas aſſecutus, locum trecentorum Laconum ſpecioſa cæde memorandum,

Recedit in Syriam.

ne ibi quidem fiducia loci reſiſtentem, mari ac terra cedere coëgit. Statim & è veſtigio itur in Syriam.

Claſſis regia diſſipata.

(*c*) Claſſis regia Polyxenidæ Annibalique commiſſa. Nam rex prælium nec ſpectare poterat. Igitur duce Æmilio Regillo, (*d*) adremigantibus (*e*) Rhodiis, tota laceratur. Ne ſibi placeant Athenæ; in Antiocho vicimus Xerxem; in Æmilio Themiſtoclem æquavimus; Epheſiis (*f*) Salamina penſavimus. Tum Conſule Scipione, cui frater, ille modo victor Carthaginis Africanus, voluntaria legatione aderat, debellari regem placet:

Antiochus vincitur. U. C. 563. Ol. 147. a. C. N. 190.

& jam toto ceſſerat mari: ſed nos imus ulterius. Mæandrum ad amnem montemque Sipylum caſtra ponuntur. Hic rex, incredibile dictu, quibus auxiliis, quibus copiis conſederat. (*g*) Trecenta millia peditum; equitum, falcatorumque curruum non minor numerus. Elephantis ad hoc immenſæ magnitudinis, auro, purpura, argento, & ſuo ebore fulgentibus, aciem utrimque vallaverat. Sed hæc omnia præpedita magnitudine ſua; ad hoc imbre, (*h*) qui ſubito ſuperfuſus, mira felicitate (*i*) Perſicos arcus (8) corruperat: primum trepidatio, mox fuga, dehinc (9) triumphus fuerunt.

Finis belli Syriaci.

Victo & ſupplici pacem atque partem regni dari placuit, eo libentius, quod tam facile ceſſiſſet.

CAP. IX. Syriaco (*k*) bello ſucceſſit, ut debebat, (*l*) Ætolicum.

Ætolicum bellum. U. C. 563. Ol. 147. a. C. N. 190.

Victo quippe Antiocho, Romanus faces Aſiatici belli perſequebatur. Ergo Fulvio Nobiliori mandata ultio eſt. Hic protinus caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit. Secuta deditio eſt: Aderant Ætolorum precibus Attici, Rhodii: & memineramus auxilii. Sic placuit ignoſcere. Serpſit tamen latius in proximos bellum, omnemque late Cephalleniam, Zacynthon, & quicquid inſularum in eo mari inter Ceraunios montes, (10) jugumque Maleum, Ætolici belli acceſſio fuerunt.

CAP. X. Hiſtri ſequuntur Ætolos:

Hiſtricum bellum. U. C. 574. Ol. 150. a. C. N. 179.

quippe bellantes eos nuper adjuverant. Et (*m*) initia pugnæ proſpera hoſti fuerunt, eademque exitii cauſa. Nam quum Cnæi Manlii caſtra cepiſſent, opimæque prædæ incubarent; epulantes, ac ludibundos pleroſque, ac ubi eſſent, præ poculis neſcientes, (11) Appius Pulcher (*n*) invadit. Sic cum ſanguine & ſpiritu male partam revomuere victoriam. Ipſe rex Apulo (*o*) equo impoſitus, quum ſubinde crapula, & capitis errore lapſaret, (*p*) captum ſeſe vix & ægre, poſtquam experrectus eſt, didicit.

CAP. XI. Gallogræciam quoque Syriaci (*q*) belli ruina convolvit.

Bellum Gallogræcum. U. C. 563. Ol. 147. a. C. N. 190.

Fuerant inter auxilia regis Antiochi. An fuiſſe cupidus (*r*) triumphi Manlius eos viſos ſimulaverit, dubium eſt. Certe negatus eſt victori triumphus; quia cauſam belli non approbavit. (*s*) Ceterum gens Gallogræcorum, ſicut ipſum nomen indicio eſt, mixtæ & adulteratæ reliquiæ (*t*) Gallorum, qui (*u*) Brenno duce vaſtaverant Græciam, mox Orientem ſecuti, in media Aſiæ parte ſederunt. Itaque ut frugum ſemina mutato ſolo degenerant, ſic illa genuina feritas eorum, Aſiatica (*x*) amœnitate mollita eſt.

Gallogræci deſcribuntur.

Duobus itaque præliis fuſi, fugatique ſunt: quamvis ſub adventu hoſtis relictis ſedibus, in altiſſimos ſe montes recepiſſent, quos Toloſtobogi,

Vincuntur.


(*u*) al. Populi Romani. (*x*) al. ſi ſe Aſiæ. (*y*) al. regum conventus, fortiter indicto bello. (*z*) al. ne aliquo dux genere videretur. (*a*) al. initio. (*b*) al. Tam. (*c*) al. Statim è veſtigio itur in Aſiam. (*d*) al. Regillio. (*e*) al. à remigantibus. (*f*) al. Epheſo. (*g*) al. conſiderat. (*h*) al. ad hoc imber. (*i*) al. facilitate. (*k*) al. Syriatico. (*l*) al. & debebat. (*m*) al. & omittunt. (*n* al. C. Claudius Pulcher. (*o*) al. Æpulo. al. Appulo. (*p*) al. & capitis jactati fervore lapſaret. (*q*) al. Syriatici. (*r*) al. An fuiſſent, an cupidus &c. (*s*) al. An fuiſſet cupidus triumphi Manlius, an eos viſos ſimulaverit, dubium certe, negatus eſt victori triumphus; qui cauſam belli non approbabit ſenatus. (*t*) al. mixta & adulterata eſt: reliquiæ &c. (*u*) al. quibus. (*x*) al. in Aſiatica.

(8) Perſicos arcus) Unde & numiſma Perſicum Tab. VII. num. 6. quod Illuſtr. SPANHEMIUS vulgavit, Sagittarii figura notatum.

(9) Triumphus) Triumphum Scipionis Aſiatici exhibet numus Tab. LIX. num. 1. Tom. I. Script. Hiſt. Rom.

(10) Jugumque Maleum) Hujus jugi incolarum numum vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. LV. num. 4.

(11) Appius Pulcher - - - victoriam) In hujus Claudii Appii Pulchri victoriæ memoriam cuſus eſt numus argenteus Tab. VIII. num. 1. Conf. PATIN. Fam. Rom. pag. 75. GRÆVII Florus p. 77.


Tab. VIII.
ad pag. 26. 27. 28.
I
Æ
Γ
C PVLCHER
II
PAVLLVS LEPIDVS CON CORDIA
Æ
Γ
TER
PAVLLVS
III
Q.METEL.
MCEDONIC.
Æ
Γ
EX S.C
IV
ROM
P. SCIPIO
Æ
Γ
AIMILIAN.
AFRICAV.

gi, Tectoſagique jam inſederant. Utrique (*y*) fundis ſagittisque acti, in perpetuam ſe pacem dediderunt. Sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morſibus & ore tentaſſent, quum offocandas (*z*) invicem fauces præbuiſſent. Nam Orgiagontis (*a*) regis uxor à Centurione ſtuprum paſſa, memorabili exemplo cuſtodiam evaſit, revulſumque militis caput ad maritum ſuum retulit.

Captivæ Gallæ facinus memorabile.

CAP. XII. Dum aliæ aliæque gentes, Syriaci belli ſequuntur ruinam, Macedonia ſe rurſus erexit. Fortiſſimum populum memoria & recordatio ſuæ nobilitatis agitabat: & ſucceſſerat Philippo filius Perſes; qui ſemel in perpetuum victam eſſe Macedoniam, non putabat ex gentis dignitate, multo vehementius ſub hoc Macedones, quam ſub patre conſurgunt. Quippe Thracas in vires ſuas traxerant: atque ita induſtriam Macedonum viribus Thracum; ferociam Thracum diſciplina Macedonum temperaverunt. (*b*) Acceſſit his conſilium ducis, qui ſitum regionum ſuarum ſummo (*c*) ſpeculatus Hæmo, poſitis per abrupta caſtris, ita Macedoniam ſuam armis ferroque vallaverat, ut non reliquiſſe aditum niſi à cœlo venturis hoſtibus videretur. Nam (*d*) Marcio Philippo Conſule eam provinciam ingreſſus Populus Romanus, exploratis diligenter acceſſibus, per Aſtrudem (*e*) paludem, per acerbos dubioſque tumulos, illa (*f*) quæ volucribus quoque videbantur invia, acceſſit, regemque (*g*) ſecurum, & nihil tale metuentem, ſubita belli irruptione terruit. Cujus tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare juſſerit mergi, ne periret: claſſem cremari, ne incenderetur. Paullo Conſule quum majora & crebra eſſent impoſita præſidia, per alias vias Macedonia depreſa (*h*) eſt; ſumma quidem arte & induſtria ducis, quum alia minatus, alia irrepſiſſet. (*i*) Cujus adventus ipſe adeo (*k*) terribilis regi fuit, ut intereſſe non auderet, ſed gerenda ducibus bella mandaverit. Abſens ergo victus, fugit in maria, inſulamque Samothracen, fretus celebri religione, quaſi templa & aræ poſſent defendere, quem nec montes ſui, nec arma potuiſſent. Nemo regum diutius amiſſæ fortunæ conſcientiam retinuit. Supplex quum ſcriberet ad Imperatorem ab illo quo confugerat templo, nomenque epiſtolæ notaret (*l*) ſuum, *regem* addidit. Sed nec reverentior captæ majeſtatis alius Paullo fuit. Quum in conſpectum veniſſet hoſtis, in templum recepit, (*m*) & conviviis (*n*) adhibuit, liberoſque admonuit ſuos, *ut fortunam, cui tantum liceret, vereventur.* Inter pulcherrimos hunc quoque Populus Romanus de Macedonia duxit, atque (12) vidit triumphum: quippe cujus ſpectaculo triduum impleverit. Primus dies ſigna tabulaſque, ſequens arma pecuniaſque tranſvexit: tertius captivos, ipſumque regem, attonitum adhuc, tanquam ſubito malo ſtupentem. Sed multo prius gaudium victoriæ Populus Romanus, quam epiſtolis victoris perceperat. (*o*) Quippe eodem die, quo victus Perſes in Macedonia, Romæ cognitum eſt. Duo juvenes candidis equis apud Juturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant. Hi nuntiavere, Caſtorem & Pollucem fuiſſe creditum vulgo, quod gemini fuiſſent; interfuiſſe bello, quod ſanguine maderent: à Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.

Macedonicum bellum ſecundum. U.C. 581. Ol. 152. a. C. N. 172.
Perſeus Rex Macedoniæ.
U. C. 583. Ol. 152. a. C. N. 170.
Paullus Perſeum vincit. U. C. 584. Ol. 152. a. C. N. 169.
Triumphus de Macedonia.
Quomodo victoria Romæ innotuerit.

CAP. XIII. Macedonici belli contagio traxit Illyrios. Ipſi quidem ut Romanum à tergo diſtringerent, à Perſe rege conducti pecunia militavere. Sine mora ab Anicio prætore ſubiguntur. Scodram (*p*) caput gentis deleſſe ſuffecit. Statim ſecuta deditio eſt. Denique hoc bellum ante finitum eſt, quam geri Romæ nuntiaretur.

Bellum Illyricum. U. C. 581. Ol. 152. a. C. N. 172.
Illyrii ſe dedunt. U. C. 584. Ol. 152. a. C. N. 169.

CAP. XIV. Quodam fato, quaſi ita conveniſſet inter Pœnos & Macedonas, ut tertio quoque vincerentur, eodem tempore utrique arma moverunt: ſed prior jugum excutit Macedo, aliquanto quam ante gravior, dum contemnitur. Cauſa belli prope erubeſcenda. Quippe regnum pariter & bellum vir ultimæ ſortis Andriſcus invaſerat; dubium liber an ſervus, mercenarius certe: ſed quia vulgo ex ſimilitudine Philippi, *Pſeudophilippus* vocabatur, regiam formam, regium nomen, animo quoque regio implevit. Igitur dum hæc ipſa contemnit Populus Romanus, Juvencio prætore contentus, virum non Macedonicis modo, ſed Thraciæ quoque auxiliis ingentibus validum, temere tentavit: invictuſque à veris regibus ab illo (*q*) imaginario & ſcenico rege ſuperatur. Sed Conſule Metello, amiſſum cum legione prætorem, pleniſſime ultus eſt. Nam & Macedoniam ſervitute multavit, & ducem belli deditum ab eo ad quem confugerat, Thraciæ Regulo, in Urbem in catenis reduxit, hoc quoque illi in malis (*r*) indulgente fortuna, ut de eo Populus Romanus quaſi de vero rege (13) triumpharet.

Bellum Macedonicum tertium. U. C. 604. Ol. 157. a. C. N. 149.
Pſeudophilippus.
Qui Juvencium prætorem vincit.
Sed à Metello Conſule vincitur. U. C. 605. Ol. 158. a. C. N. 148.

CAP. XV. Tertium cum Africa bellum, & tempore exiguum, (*s*) nam quadriennio patratum (*t*) eſt, & in comparatione priorum, minimum labore: Non enim tam cum viris, quam cum ipſa urbe pugnatum eſt, ſed plane maximum (*u*) eventu: quippe eo tandem Carthago finita eſt. Atque ſi quis trium temporum momen-

Bellum Punicum tertium. U. C. 602. Ol. 157. a. C. N. 151.

(*y*) al. Utrinque fundis & ſagitti detracti. al. adacti. (*z*) al. effocandas. al. effucandas. (*a*) al. Origiacontis uxor. al. Ortiagontis. (*b*) al. Atque ita induſtria Macedonum, viribus Thracum diſciplinam Macedonicam temperavere. (*c*) al. de ſummo. (*d*) al. Tamen. (*e*) al. Aſtumidam. al. Aſtundem. al. Aſtundam. (*f*) al. & illa. (*g*) al. invia via acceſſit: regemque &c. (*h*) al. depreſſa. (*i*) al. alias minatus, alias irrepſiſſet. (*k*) al. eo. (*l*) al. denotaret. (*m*) al. receperat. (*n*) al. in conviviis. (*o*) al. præceperat. (*p*) al. Leſcordam. al. Leſcordam. al. Scordam. (*q*) al. invictuſque non à veris regibus, ſed ab illo &c. (*r*) al. in malis ſuis. (*s*) al. exiguum fuit. (*t*) al. paratum. al. peractum. (*u*) al. maximo.

(12) Vidit triumphum) Quamvis jam Tom. I. Script. Hiſt. Rom. victoriam Paulli in numo Tab. LXII. num. 5. exhibuimus; nihilominus hic loci eundem numum ex GRÆVII Floro p. 81. & BEGER. Th. Br. P. II. pag. 532. repetimus Tab. VIII. num. 2.
(13) Triumpharet) Hujus triumphi victoriam ſervat numus Metelli, Tab. VIII. num. 3. quem publicavit GOLTZIUS Faſt. p. 140. Conf. GRÆVII Florus pag. 83.

momenta consideret, primo commissum bellum, profligatum secundo, tertio vero confectum est. Sed hujus causa belli, quod contra fœderis legem adversus Numidas quidem semel parasset classem, & exercitum, frequens autem Masinissæ fines territabat. (*y*) Sed huic bono socioque regni favebatur. Quum bellum sederet, de belli fine tractatum est. Cato, inexpiabili odio, *delendam esse Carthaginem*, & quum de alio consuleretur, pronuntiabat, Scipio Nasica: *servandam, ne metu ablato æmulæ urbis, luxuriari felicitas urbis inciperet.* Medium Senatus elegit, *ut urbs tantum loco moveretur.* Nihil enim speciosius videbatur, *quam esse Carthaginem, quæ non timeretur.* Igitur Manilio Censorinoque Consulibus, Populus Romanus aggressus Carthaginem, spe pacis injecta, traditam à volentibus classem, sub ipso ore urbis incendit. Tum evocatis principibus, *si salvi esse vellent, ut migrarent finibus*, imperatum. Quod pro rei atrocitate adeo movit iras, ut extrema mallent. Comploratum igitur publice statim, & pari voce clamatum est, *Ad arma:* seditque sententia, quoquo modo rebellandum: non quia spes ulla jam superesset, sed quia patriam suam mallent hostium, quam suis manibus everti. Qui rebellantium fuerit furor, vel hinc intelligi potest, quod in usum novæ classis tecta domusque resciderunt; in armorum officinis aurum & argentum pro ære ferroque conflatum est: in tormentorum vincula matronæ crines suos contulerunt. Mancino deinde Consule, terra marique fervebat obsidio. Operis portus nudatus; & primus, & sequens, jam & tertius murus, quum tamen Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera civitas resistebat. Quamvis profligato urbis excidio, tamen fatale Africæ nomen Scipionum videbatur. Igitur in alium (14) Scipionem conversa Respublica, finem belli reposcebat. Hunc Paullo Macedonico procreatum, Africani illius magni filius, in decus gentis assumpserat, hoc scilicet fato, *ut quam urbem concusserat avus, nepos ejus everteret.* Sed ut quam maxime mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum; sic plus negotii fuit cum semiruta Carthagine, quam integra. Compulsis in unam arcem hostibus, portum quoque maris Romanus obsederat. Illi alterum ibi portum ab alia urbis parte foderunt: nec ut fugerent, sed quia nemo illos hac evadere posse credebat. Inde quasi enata subito classis erupit: quum interim jam diebus, jam noctibus, nova aliqua moles, nova machina, nova perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma, prodibat. Deploratis novissime rebus, quadraginta se millia virorum dediderunt, quod minus credas, duce Asdrubale. Quanto fortius femina & uxor ducis? quæ comprehensis duobus liberis, à culmine se domus in medium misit incendium, imitata reginam, quæ Carthaginem condidit. Quanta urbs deleta sit, (*z*) ut de ceteris taceam, vel ignium mora probari potest. Quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant; ut, quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet. (*a*)

Causa belli.

Variæ sententiæ de exscindenda Carthagine.

Carthaginienses conditiones pacis respuunt.

Carthaginiensium in defensione industria.

Asdrubal cum 40000. se dedit.

Ejus uxor se & liberos in incendium mittit.

Excidium Carthaginis.

U. C. 606. Ol. 158. a. C. N. 147.

CAP. XVI. Quasi seculum illud eversionibus urbium curreret, ita Carthaginis ruinam statim Corinthus excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Jonium & Ægeum quasi spectaculo exposita. Hæc (facinus indignum!) ante oppressa est, quam in numerum certorum hostium referretur. Critolaus causa belli: qui libertate à Romanis data adversus ipsos usus est, Legatosque Romanos dubium an & manu, certe oratione violavit. Igitur Metello ordinanti tum (*b*) maxime Macedoniam (*c*) mandata est ultio: & hinc Achaicum bellum. Ac primam Critolai manum Metellus Consul per patentes Elidis campos toto cecidit Alpheo. Et uno prælio peractum erat bellum: jam & urbem ipsam terrebat obsidio: sed (fata rerum!) (*d*) quum Metellus dimicasset, (15) ad victoriam Mummius venit. Hic alterius ducis Diæi late (*e*) exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminosque portus sanguine infecit. Tandem ab incolis deserta civitas, direpta primum, deinde tuba præcinente, deleta est. Quid signorum, quid vestium, quidve tabularum raptum, incensum atque projectum est? Quantas opes & abstulerit & cremaverit, hinc scias, *quod quidquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus.* Nam & æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit injuria: quia incendio permistis (*f*) plurimis statuis atque simulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.

Bellum Achaicum. U. C. 606. Ol. 158. a. C. N. 147.

Causa belli Critolaus.

Qui à Metello vincitur.

Diæus successor Critolai à Mummio vincitur.

Corinthus diripitur. U. C. 606. Ol. 158. a. C. N. 147.

Æs Corinthiacum.


CAP. XVII. Ut Carthaginem Corinthus, ita Corinthum Numantia secuta est. Nec deinde toto orbe quidquam intactum armis fuit. Post illa duo clarissima urbium incendia, late atque passim, nec per vices, sed simul pariter quasi unum undique bellum fuit; prorsus ut illæ urbes, quasi agitantibus ventis, diffudisse quædam belli incendia toto orbe viderentur. Hispaniæ nunquam animus fuit adversus nos universæ consurgere: nunquam conferre vires suas libuit, neque aut imperium experiri, aut libertatem tueri suam publice. Alioquin ita undique mari Pyrenæoque vallata est, ut ingenio situs ne adiri quidem potuerit. Sed ante à Romanis obsessa est, quam se ipsa cognosceret: & sola omnium provinciarum vires suas, postquam victa est, intellexit. In hac prope ducentos per annos dimicatum est, à primis Scipionibus in Cæsarem Augustum, non continue nec cohærenter, sed prout causæ lacessierant: nec cum Hispanis initio, sed cum Pœnis in Hispania. Inde contagio & series causaque bellorum. Prima per Pyrenæum jugum signa Romana Publius & Cnæus Scipiones intulerunt: præliisque ingentibus Annonem

Res gestæ in Hispania.

P. & Cn. Scipiones Pœnis in Hispania bellum inferunt. U. C. 537. Ol. 141. a. C. N. 216.

(*y*) al. territaret. (*z*) al. Quanta deleta sit. (*a*) al. ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet. (*b*) al. cui tum. (*c*) al. Macedoniæ. (*d*) al. sed (fato rerum) al. ô fata rerum. (*e*) al. dignitate. (*f*) al. mistis. al. perustis.

(14) Scipionem) Huic Scipioni tropæum statutum est in numo Tab. VIII. num. 4. GOLTZ. cit. loc.
(15) Ad victoriam Mummius venit) Ut ex numo Tab. IX. num. 1. patet. GOLTZIUS Fast. pag. 141.


Tab. IX.
ad pag. 28. 31.
35
I
EX S·C.
L.MVMMI.
Æ
Γ
ACHAICVS.
II
Q.METELL.
NVMIDICVS
PR·COS.
Æ
Γ
EX S·C.
III
VARRO.PRO
Q
Æ
Γ
MAGN.PRO
COS.
IV
ROM.
M.CATO.PRO.PR.
Æ
Γ
VICRIX.

nem & Asdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt: raptaque erat impetu Hiſpania, niſi fortiſſimi viri in ipſa ſua victoria oppreſſi Punica fraude cecidiſſent, terra marique victores. Igitur quaſi novam integramque provinciam (*g*) ultor patris & patrui Scipio ille, mox *Africanus*, invaſit; isque ſtatim capta Carthagine, & aliis urbibus, non contentus Pœnos expuliſſe, ſtipendiariam nobis provinciam fecit; omnem citra ultraque Iberum ſubjecit imperio: primusque Romanorum victor ad Gades & Oceani ora (*h*) pervenit. PLUS EST, PROVINCIAM RETINERE, QUAM FACERE. Itaque per partes jam huc, jam illuc miſſi duces, qui ferociſſimas, & ad id temporis liberas gentes, ideo impatientes jugi, multo labore, nec incruentis certaminibus ſervire docuerunt.

Scipio Africanus Hiſpaniam debellat. U. C. 541. Ol. 142. a. C. N. 212.

Cato ille Cenſorius Celtiberos, id eſt, robur Hiſpaniæ, aliquot prælìis fregit. Gracchus, pater ille Gracchorum, eosdem centum & quinquaginta urbium everſione multavit. Metellus ille, cui ex Macedonia nomen erat, & Celtiberius fieri meruit, (*i*) quum & Contrebiam memorabili cepiſſet exemplo, & Nertobriges, (*k*) majori gloria pepercit. Lucullus Turdulos, atque Vaccæos. De quibus Scipio ille poſterior ſingulari certamine, quum rex fuiſſet (*l*) provocatus, opima retulerat. Decimus (*m*) Brutus aliquanto latius, Celticos Luſitanosque, & omnes Gallæciæ populos, formidatumque militibus flumen Oblivionis: peragratoque victor Oceani littore, non prius ſigna convertit, quam cadentem in maria ſolem, obrutumque aquis ignem, non ſine quodam ſacrilegii metu & horrore deprehendit.

Cato Celtiberos. U. C. 557. Ol. 146. a. C. N. 196. Gracchus eosdem. Metellus quoque. Lucullus Turdulos & Vaccæos. Decimus Brutus alios. U. C. 616. Ol. 160. a. C. N. 137.

Sed tota certaminum moles cum Luſitanis fuit, & Numantinis, nec immerito. Quippe ſolis gentium Hiſpaniæ duces contigerunt. Fuiſſet & cum omnibus Celtiberis, niſi dux illius motus initio belli oppreſſus eſſet, ſummus vir aſtu, (*n*) & audacia, ſi res ceſſiſſet, (*o*) Salondicus, (*p*) qui haſtam argenteam quatiens, velut cœlo miſſam, vaticinanti ſimilis, omnium in ſe mentes converterat. Sed quum pari temeritate ſub nocte caſtra Conſulis adiiſſet, juxta tentorium ipſum pilo vigilis exceptus eſt.

Grave bellum cum Luſitanis & Numantinis. Salondicus dux Celtiberorum.

Ceterum Luſitanos Viriathus erexit, vir callidıtatis acerrimæ: qui ex venatore latro, ex latrone ſubito dux atque Imperator, &, ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpaniæ Romulus, non contentus libertatem ſuorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum & Tagum, igni ferroque populatus; caſtra etiam prætorum & præſidium aggreſſus, Claudium Unimanum pene ad internicionem (*q*) exercitus cecidit, (*r*) & inſignia trabeis & faſcibus noſtris, quæ ceperat, in montibus ſuis tropæa fixit. (*s*) Tandem etiam (*t*) Fabius Maximus Conſul oppreſſerat: ſed à ſucceſſore Pompilio (*u*) violata victoria eſt, quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem, & inſidias, & domeſticos percuſſores aggreſſus, hanc hoſti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuiſſe.

Viriathus dux Luſitanorum. A Fabio Maximo opprimitur, & Pompilio vincitur & occiditur. U. C. 612. Ol. 159. a. C. N. 141.

CAP. XVIII. Numantia, quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior; ita virtutis nomine & honore par omnibus, ſummumque, ſi viros æſtimes, Hiſpaniæ decus. Quippe quæ ſine muro, ſine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium ſita, (*x*) quatuor millibus Celtiberorum quadraginta millium exercitum per annos quatuordecim ſola ſuſtinuit; nec ſuſtinuit modo, ſed ſævius aliquanto perculit, pudendisque fœderibus affecit. Noviſſime quum invictam eſſe conſtaret, opus quoque eo fuit, qui Carthaginem everterat. Non temere, ſi fateri licet, ullius cauſa belli injuſtior.

Bellum Numantinum. U. C. 615. Ol. 160. a. C. N. 138. Numantinorum fortitudo.

Segidenſes, (*y*) ſocios & conſanguineos, Romanorum manibus elapſos exceperant. Habita pro eis deprecatio nihil valuit. Quum ſe ab omni bellorum contagione removerent, in legitimi fœderis pretium juſſi *arma deponere*. Hoc ſic à barbaris acceptum, (*z*) quaſi manus abſcinderentur. Itaque ſtatim, Megara viro (*a*) fortiſſimo duce ad arma converſi, Pompejum prælio aggreſſi. Fœdus tamen maluerunt, quum debellare potuiſſent. Hoſtilium deinde Mancinum. (*b*) Hunc quoque aſſiduis cædibus ita ſubegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam ſuſtineret. Tamen cum hoc quoque fœdus maluere, contenti armorum manubiis, quum ad internecionem ſævire potuiſſent. Sed non minus Numantini, quam Caudini illius fœderis flagrans ignominia ac pudore Populus Romanus, dedecus quidem præſentis flagitii, deditione Mancini expiavit; ceterum duce Scipione Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto, tandem etiam in ultionem excanduit. Sed tunc acrius in caſtris, quam in campo; noſtro cum milite, quam cum Numantino præliandum fuit. Quippe aſſiduis & injuſtis, & ſervilibus maxime operibus attriti, *ferre plenius vallum, qui arma neſcirent; luto inquinari, qui ſanguine nollent*, jubebantur. Ad hoc ſcorta, calones, ſarcinæ niſi ad uſum neceſſariæ, amputantur. TANTI ESSE EXERCITUM, QUANTI IMPERATOREM, vere proditum eſt. Sic redacto in diſciplinam milite, commiſſa acies: quodque nemo viſurum ſe unquam ſperaverat, factum eſt, *ut fugientes Numantinos quisquam videret*. Dedere etiam ſeſe volebant, *ſi toleranda viris imperarentur*. Sed quum Scipio veram vellet & ſine exceptione victoriam, eo neceſſitatum compulſi, primum, *ut deſtinata morte in prælium ruerent, quum ſeſe prius epulis, quaſi inferiis, impleviſſent, carnis ſemicrudæ & celiæ*; (*c*) ſic vocant indigenam (*d*) ex frumento potionem. Intellectum ab Imperatore conſilium: itaque non eſt permiſſa pugna morituris. Quum foſſa, atque lorica, quatuorque caſtris circumdatos, fames premeret; ab duce

Cauſa belli. Mancinus à Numantinis vincitur. Numantini à Scipione vincuntur. U. C. 620. Ol. 161. a. C. N. 133.

D 3

(*g*) al. urbem. (*h*) al. oram. (*i*) al. qui ex Macedonia cognomen, meruerat Celtibericus fieri. (*k*) al. Vertobrigis. (*l*) al. quum à rege fuiſſet. (*m*) al. Decius. (*n*) al. aſtutia. (*o*) al. ſi ſucceſſiſſet. (*p*) al. Solondicus. (*q*) al. internecionem. (*r*) al. cecidiſſet. (*s*) al. fixiſſet. (*t*) al. eum. (*u*) al. Servilio Cæpione. (*x*) al. ſituata. (*y*) al. Segudenſes. al. Segigenſes. (*z*) al. receptum. (*a*) al. Megari victo. (*b*) al. Hoſtilium deinde Mancinum aggreſſi ſunt. (*c*) al. Cæliæ vel Cœliæ. (*d*) al. indigenæ.

duce orantes prælium, *ut tanquam viros occideret:* ubi non impetrabant, placuit eruptio. Sic conferta manu plurimi occifi; & quum urgeret fames, aliquantisper inde vixere. Noviffime confilium fugæ fedit: fed hoc quoque, ruptis equorum cingulis, uxores ademere, fummo fcelere, per amorem. Itaque deplorato exitu, (*e*) in ultimam rabiem furoremque converfi, poftremo mori hoc genere deftinarunt. Duces fuos, feque, patriamque, ferro & veneno, fubjectoque undique igne peremerunt. Macte fortiffimam, (*f*) & meo judicio beatiffimam in ipfis malis civitatem! afferuit (*g*) quum fide focios, populum orbis terrarum viribus fultum, fua manu, ætate tam longa fuftinuit. Noviffime maximo duce oppreffa civitas, nullum de fe gaudium hofti reliquit. Unus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur. Præda, ut de pauperibus nulla: arma ipfi cremaverant. Triumphus fuit tantum de nomine.

Anacephalæofis.

CAP. XIX. Hactenus Populus Romanus *pulcher*, *egregius*, *pius*, *fanctus atque magnificus.* Reliqua feculi (*h*) ut grandia æque, ita vel magis turbida & fœda, crefcentibus cum ipfa magnitudine imperii vitiis: adeo ut fi quis hanc tertiam ejus ætatem transmarinam, quam ducentorum annorum fecimus, dividat; centum hos priores, quibus Africam, Macedoniam, Siciliam, Hifpaniam domuit, *aureos* (ficut poëtæ canunt) jure meritoque fateatur: centum fequentes, *ferreos* plane & *cruentos*, & fi quid immanius: quippe qui Jugurthinis, Cimbricis, Mithridaticis, Parthicis bellis, Gallicis atque Germanicis, quibus cœlum ipfum gloria afcendit; Gracchanas, Drufinasque cædes; ad hoc, fervilia bella mifcuerunt, & ne quid turpitudini defit, gladiatoria. Denique, in fe ipfe converfus Marianis atque Syllanis, noviffime Pompeji, & Cæfaris manibus, (*i*) quafi per rabiem, & furorem, & nefas, femet ipfe laceravit. Quæ etfi juncta (*k*) inter fe funt omnia atque confufa: tamen quo melius appareant, fimul & ne fcelera virtutibus obftrepant, feparatim proferentur: priusque ut cepimus, jufta illa, & pia cum exteris gentibus bella memorabimus, ut magnitudo (*l*) crefcentis in dies imperii appareat, tum ad illa civium fcelera, turpesque & impias pugnas revertemur.

Aurea ætas Romanorum.

Ferrea & cruenta.


CAP. XX. Victa ad occafum Hifpania, Populus Romanus ad Orientem pacem agebat; nec pacem modo, fed inufitata & incognita quadam felicitate, relictæ regiis hæreditatibus opes, & tota infimul (*m*) regna veniebant. Attalus rex Pergamenorum, regis Eumenis filius, focii quondam commilitonifque noftri, teftamentum reliquit: POPULUS ROMANUS BONORUM MEORUM HÆRES ESTO. In bonis regis hæc fuerant. Adita igitur hæreditate, provinciam Populus Romanus non quidem bello, nec armis; fed, quod eft æquius, teftamenti jure retinebat. Sed hanc, difficile dictu eft, *utrum facilius amiferit*, *an* (*n*) *recuperaverit.* Ariftonicus regii fanguinis ferox juvenis, urbes regibus parere confuetas, partim facile folicitat: paucas refiftentes, Mindum, Samon, Colophonem vi recepit. Craffi quoque prætoris cecidit (*o*) exercitum, ipfumque cepit. Sed ille memor & familiæ, & Romani nominis, cuftodem fui barbarum virgula excæcat. In exitium fui, quod volebat, ita concitat. Mox à Perperna domitus & captus, & per deditionem in vinculis habitus. Aquilius Afiatici belli reliquias confecit, mixtis (nefas!) veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. Quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe quum contra fas Deûm, moresque majorum, medicaminibus impuris, in id tempus facrofancta Romana arma violaffet.

Attalus Rex Pergam. Populum Romanum hæredem fcribit. U. C. 619. Ol. 161. a. C. N. 133.

Inde bellum Afiaticum cum Ariftonico.

Ariftonicus à Perperna victus.

(*e*) al. Itaque etiam exitu deplorato. (*f*) al. Macte effe fortiffimam. (*g*) al. civitatem afferuit, quum &c. (*h*) al. fecula. (*i*) al. manibus omittunt. (*k*) al. involuta. (*l*) al. priusque, ut cepimus, jufta illa memorabimus, &c. al. Priusquam ut cepimus jufta illa memorabimus, ut & pia cum exteris gentibus bella magnitudo &c. (*m*) al. in femel. (*n*) al. *amiferit Populus Romanus, an &c.* (*o*) al. proconfulis cædit.



LIBER



LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

HÆc ad Orientem: sed non ad meridianam plagam eadem quies. Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum? Atqui non leviter se Numidia (*a*) concussit: & fuit in Jugurtha, (*b*) quod post Annibalem timeretur. Quippe rex callidissimus Populum Romanum armis inclitum, & invictum opibus aggressus est: & citra (*c*) spem omnium fortuna cessit, *ut rex fraude præcipuus, fraude caperetur.* Hic avo Masinissa & Micipsa patre per adoptionem, quum interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate, nec illos magis, quam Senatum Populumque Romanum, quorum in fide & clientela regnum erat, metueret; primum scelus mandat insidiis: potitusque Hiempsalis capite, quum se in Adherbalem convertisset, isque Romam profugisset, missa per legatos pecunia traxit in sententiam suam Senatum. Et hæc fuit de nobis ejus prima victoria. Missos deinde, qui regnum inter illum, Adherbalemque dividerent, similiter aggressus, quum in Scauro ipsos Romani Imperii mores expugnasset, inchoatum nefas perfecit audacius. Sed diu non latent scelera. Corruptæ nefas legationis erupit: placuitque bello persequi parricidam. Primus in Numidiam (*d*) Calpurnius Bestia Consul immittitur: (*e*) sed rex peritus, (*f*) fortius adversus Romanos aurum esse, quam ferrum, pacem emit. Cujus flagitii reus quum interveniente publica fide à Senatu arcesseretur, pari audacia & venit, & competitorem imperii Masinissæ Massivam, (*g*) immisso percussore confecit. Hæc altera contra regem fuit causa bellandi. Igitur sequens ultio mandatur Albino. Sed hujus quoque (pro dedecus!) ita corrupit exercitum, ut voluntaria nostrorum fuga vinceret Numida, castrisque potiretur. Addito etiam turpi fœdere in pretium salutis, quem (*h*) prius emerat, dimisit exercitum. Eodem tempore in ultionem non tam Imperii Romani, quam pudoris, (1) Metellus assurgit: qui callidissime hostem nunc precibus, nunc minis, jam simulata, jam quasi vera (*i*) fuga eludentem, artibus suis aggressus est. Agrorum atque vicorum populatione non contentus in ipsa Numidiæ capita impetum fecit, & Zamam quidem frustra diu voluit; ceterum Thalam, gravem armis, thesauroque (*k*) regis diripuit. Tunc urbibus exutum regem, etiam finium suorum, regnique fugitivum, per Mauros, atque Getuliam sequebatur. Postremo Marius, auctis admodum copiis, quum pro obscuritate generis sui capite censos sacramento adegisset, jam fusum, & saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quam si integrum & recentem. Hic & urbem Herculi conditam Capsam in media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicitate superavit: & saxeo inditam (*l*) monti Mulucham urbem, per Ligurem, aditu arduo inaccessoque penetravit. Mox non ipsum modo, sed Bocchum quoque Mauritaniæ regem, jure sanguinis Numidiam vindicantem, apud oppidum Cirtam graviter cecidit. Qui ubi diffisus rebus suis, alienæ cladis accessio fieri

Jugurtha Rex Numidiæ.

Hiempsalem fratrem occidit, Adherbalem expellit. Jugurtha Senatum corrumpit.

Bellum Jugurthinum. U. C. 635. Ol. 165. a. C. N. 118.

Jugurtha Massivam occidit.

Exercitum Rom. corrumpit.

Metellus adversus Jugurtham mittitur.

Marius.

Capsam expugnat.

Bocchum occidit.

(*a*) al. Numida. (*b*) al. & fuit Jugurtha. (*c*) al. & contra. (*d*) al. Numidam. (*e*) al. mittitur. (*f*) al. præmonitus. (*g*) al. Masinissæ nepotem Massivam. (*h*) al. quod. al. quem quod prius. (*i*) al. jam quasi simulata vera &c. al. tam simulata quam vera fuga &c. (*k*) al. thesaurosque. (*l*) al. editam.

(1) Metellus assurgit) Unde Metellus hic Numidicus dictus, ut patet ex numo Tab. IX. num 2. Conf. GOLTZIUS Fast. pag 156.

fieri timet, (*m*) pretium fœderis atque amicitiæ regem facit. Sic fraudulentiſſimus regum, fraude ſoceri ſui in inſidias deductus eſt, & Syllæ in manum traditus; tandemque opertum catenis Jugurtham in triumpho Populus Romanus aſpexit: ſed ille quoque, quamvis victus & vinctus vidit (*n*) Urbem, quam venalem, & quandoque perituram, ſi habuiſſet emptorem, fruſtra cecinerat. Tamen ut venalis fuiſſet, habuit emptorem: & quum ille non evaſerit, certum erit eam non eſſe perituram.

Jugurtha captus. U. C. 645. Ol. 168. a. C. N. 108.

CAP. II. Sic ad Meridiem Populus Romanus. Multo atrocius, & multipliciter, & magis à Septentrione ſævitum. Nihil hac plaga infeſtius. Atrox cœlum, perinde ingenia. (*o*) Omni igitur tractu violentus hoſtis, à dextris atque lævis, & medio Septentrionis, erupit. Prima trans Alpes arma noſtra ſenſere Salyi, quum de incurſionibus eorum fidiſſima atque amiciſſima civitas Maſſilia quereretur. Allobroges deinde, & Arverni, quum adverſus eos ſimiles Æduorum querelæ opem & auxilium noſtrum flagitarent. Varusque victoriæ teſtis, (*p*) Iſaraque, (*q*) & Vindelicus (*r*) amnis, (*s*) & impiger fluminum Rhodanus. Maximus barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nil tam conſpicuum in triumpho, quam rex ipſe Bituitus, (*t*) diſcoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat. Utriuſque victoriæ quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc exiſtimari poteſt, quod & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus, ipſis quibus dimicaverant in locis, ſaxeas erexere (*u*) turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus tropæa fixere: quum hic mos inuſitatus fuerit noſtris. Nunquam enim Populus Romanus hoſtibus domitis victoriam ſuam exprobravit.

Bellum Allobrogicum. U. C. 631. Ol. 164. a. C. N. 122.

CAP. III. Cimbri, Theutoni, atque Tigurini, ab extremis Galliæ profugi, quum terras eorum inundaſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe quærebant: excluſique Gallia & Hiſpania, quum in Italiam remigrarent, (*w*) miſere (*x*) legatos in caſtra Silani; (*y*) inde ad Senatum, petentes, *ut Martius Populus aliquid ſibi terræ daret quaſi ſtipendium: ceterum, ut vellet, manibus atque armis ſuis uteretur.* Sed quas daret terras Populus Romanus agrariis legibus inter ſe dimicaturus? Repulſi igitur, quod nequiverant (*z*) precibus, armis petere conſtituunt. Sed nec primum quidem impetum barbarorum Silanus, nec ſecundum Manlius, nec tertium Cæpio ſuſtinere potuerunt. Omnes fugati, exuti caſtris. Actum erat, niſi Marius (*a*) illi ſeculo contigiſſet. Ille quoque non auſus congredi ſtatim; militem tenuit in caſtris, donec invicta illa rabies & impetus, quem pro virtute barbari habent, conſeneſceret. Receſſere igitur increpantes, & (tanta erat capiendæ Urbis fiducia) conſulentes, *ſi quid ad uxores ſuas mandarent.* Nec ſegnius quam minati fuerant, tripartito agmine per Alpes, id eſt, clauſtra Italiæ, ferebantur. Marius mira ſtatim velocitate occupatis compendiis prævenit hoſtem. Prioreſque Theutonos ſub ipſis Alpium radicibus aſſecutus, in locum, (*b*) quem Aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum! (*c*) prælio oppreſſit? Vallem fluviumque medium hoſtes tenebant, noſtris aquarum nulla copia. Conſultone id egerit Imperator, an errorem in conſilium verterit, dubium, certe neceſſitate aucta (*d*) virtus cauſa victoriæ fuit. Nam flagitante aquam exercitu, *Viri,* (*e*) inquit, *eſtis: en illic habetis.* Itaque tanto ardore pugnatum eſt, eaque cædes hoſtium fuit, *ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quam ſanguinis barbarorum.* Certe rex ipſe Theutobochus (*f*) quaternos ſenoſque equos tranſilire (*g*) ſolitus, vix unum, quum fugeret, aſcendit; proximoque in ſaltu comprenſus, inſigne ſpectaculum triumphi fuit, quippe vir proceritatis eximiæ ſuper (*h*) tropæa ſua (*i*) eminebat. Sublatis funditus Theutonis, in Cimbros convertitur. Hi jam (quis crederet?) per hiemem, quæ altius Alpes levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruina deſcenderant. Ateſim flumen non ponte, nec navibus, ſed quadam ſtoliditate barbarica, primum corporibus aggreſſi; poſtquam retinere amnem manibus & clypeis fruſtra tentaverant, ingeſta obrutum ſilva tranſiluere: &, ſi ſtatim infeſto agmine urbem petiſſent, grande diſcrimen eſſet: ſed in Venetia, quo fere tractu Italia molliſſima eſt, ipſa ſoli cœlique clementia robur elanguit. Ad hoc panis uſu, carniſque coctæ, & dulcedine vini mitigatos, Marius in tempore aggreſſus eſt. Jam diem pugnæ à noſtro Imperatore petierunt, & ſic proximum dedit. In patentiſſimo, quem Raudium vocant, campo concurrere, millia inde ad ſexaginta ceciderunt; hinc trecentis minus: per omnem diem conciditur barbarus. (*k*) Iſtic quoque Imperator addiderat virtuti dolum, ſecutus Annibalem, artemque Cannarum: primum, nebuloſum nactus diem, ut hoſti inopinatus occurreret; tum ventoſum quoque, ut pulvis in oculos & ora ferretur; tum acie converſa in Orientem, ut, quod ex captivis mox cognitum eſt, ex ſplendore galearum, ac repercuſſu, quaſi ardere cœlum videretur. Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipſis fuit: quum objectis undique plauſtris atque carpentis, altæ deſuper, (*l*) quaſi è turribus lanceis contiſque pugnarent. Perinde ſpecioſa (*m*) mors earum fuit quam pugna. Nam quum miſſa ad Marium legatione, libertatem ac ſacerdotium non impetraſſent, (nec

Bellum Cimbricum, Theutonicum, & Tigurinum. U. C. 646. Ol. 168. a. C. N. 107.

Cauſa belli.

Romani funduntur à Cimbris &c.

Qui Romam petunt.

Sed à Mario impediuntur.

Theutoni à Mario vincuntur.

Cimbri ad Atheſin veniunt. U. C. 651. Ol. 169. a. C. N. 102.

Cimbrorum vigor deliciis Italiæ reſolvitur.

Cimbri à Mario vincuntur.

(*m*) al. alienæ cladis acceſſionem timet. al. alienæ cladis acceſſio ne fieret, timet. (*n*) al. ut vidit. (*o*) al. pervicaci ingenio. (*p*) al. Varus victoriæ teſtis eſt. (*q*) al. Iſaura. al. Iſauria. (*r*) al. Vendelicus. (*s*) al. amnes. (*t*) al. Biſuiſus. (*u*) al. extruxere. (*w*) al. remigarent. (*x*) al. miſerunt. (*y*) al. Silanus. al. Syllanus. (*z*) al. nequierant. (*a*) al. M. Marius. (*b*) al. aſſecutus, loco, &c. (*c*) al. qua fide numinum. (*d*) al. acta. (*e*) al. *Si viri &c.* (*f*) al. Theutobocchus. al. Teutobocus. (*g*) al. tranſire. (*h*) al. inter. (*i*) al. ipſa. (*k*) al. quem Claudium vocant, campo procurrere. Millia inde ad ſexaginta ceciderunt. Hinc tertio minus, per totum diem, conciditur barbarus. (*l*) al. elatæ deſuper &c. (*m*) al. Perinde ſpecioſior. al. Perinde plus ſpecioſa.

(nec fas erat) ſuffocatis eliſiſque paſſim infantibus ſuis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo è crinibus ſuis facto ab arboribus jugiſque plauſtrorum pependerunt. Bojorix (n) rex in acie dimicans impigre nec inultus occubuit. Tertia Tigurinorum manus, quæ quaſi ſubſidio (o) Noricos inſederat Alpium tumulos, in diverſa lapſi, fuga ignobili & latrociniis evanuit. Hunc tam lætum, tamque felicem liberatæ Italiæ, aſſertique Imperii nuntium, non per homines, ut ſolebat, Populus Romanus accepit, ſed per ipſos, ſi credere fas eſt, Deos. Quippe eodem die quo geſta res eſt, viſi pro æde (2) Caſtoris & Pollucis, juvenes laureati prætori literas tradere, frequenſque in ſpectaculo rumor *victoriæ Cimbricæ Feliciter*, dixit. Quo quid admirabilius, quid (p) inſignius fieri poteſt? Quippe velut elata montibus ſuis Roma, ſpectaculo belli intereſſet, quod in gladiatorio munere fieri ſolet, uno eodemque momento, quum in acie Cimbri ſuccumberent, (q) Populus in Urbe plaudebat.

Victoria, eodem quo pugnatum eſt die, Romæ nuntiata.

CAP. IV. Poſt Macedonas, ſi (r) Diis placet, Thraces rebellabant, ipſi quondam tributarii Macedonum: nec in proximas modo provincias contenti incurrere, Theſſaliam atque Dalmatiam; in Adriaticum mare uſque venerunt, (s) eoque fine contenti, (t) quaſi interveniente natura, contorta in ipſas aquas tela miſerunt. Nihil interim per id omne tempus reſiduum crudelitatis fuit in captivos ſævientibus: *litare Diis ſanguinem humanum: (u) bibere in oſſibus capitum, & cujuſque modi (x) ludibrio fœdare mortem tam igni quam fumo: partus quoque gravidarum extorquere tormentis.* Sæviſſimi omnium Thracum Scordiſci fuere: ſed calliditas quoque ad robur acceſſerat. Silvarum & montium ſitus cum ingenio conſentiebant. (y) Itaque non fuſus modo ab his, aut fugatus, ſed (ſimile (z) prodigio) omnino totus interceptus exercitus, quem duxerat Cato. Didius vagos, & libera populatione diffuſos intra ſuam repulit Thraciam. Druſus ulterius egit, & vetuit tranſire Danubium. Minucius toto vaſtavit (a) Hebro, multis quidem amiſſis, dum per perfidum (b) glacie flumen equitatur. Piſo Rhodopen Caucaſumque penetravit. Curio Dacia tenus venit: ſed tenebras ſaltuum expavit. Appius in Sarmatas uſque pervenit: Lucullus ad terminum gentium Tanaim, Lacumque Mæotim. Nec aliter cruentiſſimi hoſtium, quam ſuis moribus domiti. Quippe in captivos igne ferroque ſævitum eſt. Sed nihil barbaris atrocius viſum eſt, quam quod abſciſſis manibus relicti, vivere ſuperſtites pœnæ ſuæ jubebantur. (c)

Bellum Thracicum.

Cauſa belli.

Male adverſus Scordiſcos pugnatur. U. C. 638. Ol. 166. a. C. N. 115.

Funduntur tamen à Didio, Druſo, Et Minucio. U. C. 641. Ol. 167. a. C. N. 112. Porro vincuntur à Piſone, Curione, Appio, Lucullo.

CAP. V. Ponticæ gentes ad Septentrionem in mare ſiniſtrum jacent, à Pontico cognominatæ mari. Harum gentium atque regionum rex antiquiſſimus Æethas: (d) poſt Artabazes, à ſeptem Perſis oriundus: inde Mithridates omnium longe maximus; quippe quum quatuor Pyrrho, decem & ſeptem (e) anni Annibali ſuffecerint; ille per quadraginta annos reſtitit, donec tribus ingentibus bellis ſubactus: felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeji conſumeretur. Cauſam quidem illius belli prætenderat apud Caſſium legatum, *attrectari terminos ſuos à Nicodeme Bithynico.* Ceterum elatus animis ingentibus, Aſiæ totius, &, ſi poſſet, Europæ cupiditate flagrabat. Spem ac fiduciam dabant noſtra vitia: quippe quum civilibus bellis disjungeremur, invitabat occaſio: nudumque imperii latus oſtendebant (f) procul Marius, Sylla, Sertorius. Inter hæc Reipublicæ vulnera, & hos tumultus, repente, quaſi captato tempore, in laſſos ſimul atque diſtrictos ſubitus turbo Pontici belli ab ultima veluti ſpecula Septentrionis erupit. Primus ſtatim impetus belli Bithyniam rapuit. Aſia deinde (g) pari terrore correpta eſt. Nec cunctanter (h) ad regem ab urbibus noſtris populiſque deſcitum eſt. Aderat, inſtabat, ſævitia quaſi virtute utebatur. Nam quid atrocius uno ejus edicto, quum omnes, qui in Aſia forent, Romanæ civitatis homines interfici juſſit? Tum quidem domus, templa, & aræ, humana omnia atque divina jura violata ſunt. Sed hic terror Aſiæ Europam quoque regi aperiebat, itaque miſſis Archelao Neoptolemoque præfectis, excepta Rhodo, quæ pro nobis ſtetit, ceterum (i) Cyclades, Delos, Eubœa, & ipſum Græciæ decus Athenæ, tenebantur. Italiam jam, ipſamque Urbem Romam regius terror afflabat. Itaque Lucius Sylla feſtinat, vir armis optimus: parique violentia ruentem ulterius hoſtem quadam quaſi manu, repulit: primumque Athenas urbem (quis crederet?) frugum parentem, obſidione, ac fame ad humanos cibos compulit. Mox (k) ſubruto (l) Pyræei portu, ſex quoque & amplius muris, poſtquam (m) domuerat *ingratiſſimos* ut ipſe dixit, *hominum*, in honorem tamen mortuorum, ſacris ſuis famæque donavit. Mox quum Eubœa, atque Bœotia, præſidia regis diſpuliſſet, (n) omnes copias, uno apud Chæroneam, apud Orchomenon altero bello diſſipavit: ſtatimque in Aſiam transgreſſus, ipſum opprimit, & debellatum foret, (o) niſi de Mithridate triumphare cito, quam vere maluiſſet. At tunc (p) quidem hunc Aſiæ ſtatum Sylla dederat. Ictum cum Ponticis fœdus. Recepit Bithyniam à rege Nicomede, ab Ariobarzane (q) Cappadociam:

Bellum Mithridaticum. U. C. 659. Ol. 171. a. C. N. 94.

Cauſa belli.

Felices Mithridatis progreſſus.

Lucius Sylla adverſus Mithridatem.

Feliciter rem gerit.

E

(n) al. Beleus. al. Beleris. (o) al. in ſubſidio. (p) al. quidque. (q) al. occumberent. (r) al. ſic. (s) al. irruerunt. (t) al. retenti. al. non contenti. (u) al. ſanguine humano. (x) al. hujuscemodi. al. cujusmodi al. ejusmodi. al. hujusmodi. (y) al. conſentiebat. (z) al. ſimili. (a) al. vallavit. (b) al. perſtrictum. (c) al. videbantur. (d) al. Atheas. al. Aëtas. al. Ethas. al. Etbas. (e) al. quatuordecim. (f) al. oſtentabant. (g) al. inde. (h) al. conſtanter. (i) al. pro nobis firmius ſtetit ceteris. al. pro nobis firmius ſtetit. Ceterum &c. (k) al. compulit, ſic illos quoque ante, mox &c. (l) al. ſubrupto. (m) al. muris munitum, poſtquam &c. (n) al. depuliſſet. (o) al. debellatum etiam foret. (p) al. Ac tum. (q) al. Nicomedes, Ariobarzanes &c.

(2) Caſtoris & Pollucis) Numina hæc Romanis adeo ſalutaria vid. in numo Tab. XV. num. 6. Tom. I. Script. Hiſt. Rom.

ciam: ac sic erat Asia rursus nostra, ut ceperat. Mithridates tantum repulsus. Itaque non fregit ea res Ponticos, sed incendit. Quippe rex Asia & Europa quodammodo inescatus, non jam quasi alienam, sed quia amiserat, quasi raptam, (r) belli jure repetebat. Igitur ut extincta parum fideliter incendia majore flamma reviviscunt; ita ille de integro, auctis majorem in modum copiis, tota denique regni sui mole, in Asiam rursus mari, terra fluminibusque veniebat. Cyzicum nobilis civitas, arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis, Asiaticæ plagæ littora illustrat. Hanc ille quasi alteram Romam toto invaserat bello: sed fiduciam oppidanis resistendi nuntius fecit, docens adventare Lucullum, qui (horribile dictu!) per medias hostium naves utre suspensus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pristix (s) evaserat. Mox clade conversa, quum ex mora obsidentem regem fames, ex fame (t) pestilentia urgeret; recedentem Lucullus assequitur: adeoque cecidit, ut Granicus & Æsapus (u) amnes cruenti redderentur. Rex callidus, Romanæque avaritiæ peritus, spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam jussit, qua sequentes moraretur. (x) Nec felicior (y) in mari, quam in terra fuga. Quippe centum amplius navium classem, apparatuque belli gravem, in Pontico mari aggressa tempestas, tam fœda strage laceravit, ut navalis belli instar efficeret: plane *quasi Lucullus quodam cum fluctibus procellisque commercio, debellandum tradidisse regem ventis videretur.* Attritæ jam omnes validissimi regni vires erant; sed animus malis (z) augebatur. (a) Itaque conversus ad proximas gentes, totum pæne Orientem ac Septentrionem ruina sua involvit. Iberi, Caspii, Albani, & utræque solicitabantur Armeniæ: perque omnia & decus, nomen, & titulos Pompejo, sua fortuna, quærebat. Qui ubi novis motibus ardere Asiam videt, aliosque ex aliis prodire reges; nihil cunctandum ratus, priusquam inter se gentium robora coirent, statim ponte navibus facto, omnium ante se primus transit Euphratem: regemque fugientem media nactus Armenia (quanta felicitas (b) viri!) uno prælio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit, & luna in partibus. Quippe quasi commilitans, quum à tergo se hostibus, à facie Romanis præfuisset, Pontici per errorem longius cadentes umbras suas quasi hostium corpora petebant. Et Mithridates quidem nocte illa debellatus est. Nihil enim postea valuit; quamquam omnia expertus, more anguium, *qui obtrito capite, postremum cauda minantur.* Quippe quum effugisset hostem Colchos, Siciliæ (c) quoque littora, & Campaniam nostram subito adventu terrere voluit: mox subruto Pyræei portu Colchis (d) tenus jungere Bosporon, (e) inde per Thraciam, Macedoniam & Græciam transilire: sic Italiam nec opinatus (f) invadere tantum (g) cogitavit. Nam per defectionem civium, Pharnacisque filii scelere præventus, male tentatum veneno spiritum ferro expulit. Cnæus interim Magnus rebelles (h) Asiæ reliquias sequens, per diversa gentium terrarumque volitabat. Nam sub Orientem secutus Armenios, captis ipso (i) capite gentis Artaxatis, supplicem jussit regnare Tigranem. At in Septentrionem Scythicum iter, tanquam in mari, stellis (k) secutus. Colchus cecidit. Ignovit Iberiæ. Pepercit Albanis. Regem Colchorum Orodem, positis sub ipso Caucaso castris, jussit in plana descendere: Arthocen, (l) qui Iberis imperabat, & obsides liberos dare. Orodem etiam remuneratus est, ultro ab Albania sua lectulum aureum, & alia dona mittentem, nec non & in Meridiem, verso agmine, Libanum Syriæ, Damascumque transgressus, per nemora illa odorata, per turis & balsami silvas, Romana circumtulit signa. Arabes, si quid (m) imperaret præsto fuere. Hierosolymam (n) defendere tentavere Judæi: verum hanc quoque & intravit; & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, sub aureo uti cœlo. Dissidentibus de regno fratribus, arbiter factus, regnare jussit Hircanum. Aristobulo, quia (o) renovabat (p) eam rem, catenas dedit. Sic Pompejo duce Populus Romanus totam, qua latissima est, Asiam pervagatus, quam extremam habebat Imperii provinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt; & Indis, qui adhuc nos non noverant; omnis Asia inter Rubrum mare & Caspium, & Oceanum, Pompejanis domita, vel oppressa signis, tenebatur.

Mithridates Cyzicum oppugnat.

Sed à Lucullo funditur.

Pompejus contra Mithridatem. U. C. 688. Ol. 178. a. C. N. 65.

Transit Euphratem.

Vincit Mithridatem.

Reliquæ res gestæ Pompeji in Asia.

CAP. VI. Interim dum Populus Romanus per diversa terrarum distractus est, Cilices invaserant maria: sublatisque commerciis, rupto fœdere generis humani, sic maria bello, quasi tempestate præcluserant. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithridatis (q) præliis Asia: dum sub alieni belli tumultu, exterique regis invidia, impune grassantur. Ac primum duce Isidoro non contenti (r) proximo mari, Cretam inter, atque Cyrenas, Pyræeum, & Achaiam, sinumque Maleum, quod (s) à spoliis *aureum* ipsi vocavere, latrocinabantur. Missusque in eos Publius Servilius, (t) quamvis leves & fugaces myoparonas, (u) gravi & Martia classe turbaret, non incruenta victoria superat. Sed nec mari submovisse contentus, validissimas urbes eorum, & diutina præda abundantes, Phaselin & Olympon evertit, Isauronque ipsam arcem Ciliciæ: unde conscius sibi magni laboris, *Isaurici* cognomen adamavit. Non ideo tamen tot cladibus domiti, terra se continere potuerunt: sed ut quædam

Bellum Piraticum. U. C. 685. Ol. 178. a. C. N. 68.

Causa belli.

P. Servilius vincit piratas & mari & terra.

Piratæ iterum se movent.

(r) al. captam (s) al. pistrix. al. Istrix. (t) al. regem fames, & ex fame &c. (u) al. Esopus. al. Asopus. (x) al. morarentur. (y) al. infelicior. (z) al. magis. (a) al. angebatur. (b) al. quantas felicitates. (c) al. Ciliciæ. (d) al. voluit. Mox subruto Pyræei portu, Colchis &c. (e) al. Bosphoron. (f) al. inopinato. (g) al. tamen. (h) al. rebellis. (i) al. in ipso. (k) al. stellas. (l) al. Adartocen. al. Adarthocem. (m) al. quod. (n) al. Hierosolyma. (o) al. qui. (p) al. renuebat. (q) al. Mithridaticis. (r) al. Isidoro contenti &c. (s) al. quem. (t) al. Missusque Publius Servilius. (u) al. & myoparonas.

quædam animalia, quibus aquam terramque incolendi (*x*) gemina natura eſt, ſub ipſo hoſtis receſſu impatientes ſoli, in aquas ſuas reſiluerunt, & aliquanto latius quam prius. Sic ille quoque ante felix, dignus nunc victoria (*y*) (3) Pompejus viſus eſt; & Mithridaticæ provinciæ facta eſt acceſſio. (*z*) Ille diſperſam toto mari peſtem ſemel & in perpetuum volens extinguere, divino quodam apparatu aggreſſus eſt. Quippe quum claſſibus ſuis, & ſocialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis utraque Ponti & Oceani ora complexus eſt. Gellius Tuſco mari impoſitus; Plotius Siculo. Gratilius (*a*) Liguſticum (*b*) ſinum, Pompejus Gallicum obſedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, qua primum maris noſtri limen aperitur: Lentulus Libycum; Marcellinus Ægyptium; Pompeji juvenes Adriaticum, Varro Terentius Ægæum, & Ponticum; Pamphylium Metellus; Aſiaticum Cæpio; ipſas Propontidis fauces Porcius Cato ſic obditis navibus, quaſi portam (*c*) obſeravit. (*d*) Sic per omnes æquoris portus, ſinus, latebras, receſſus, promontoria, freta, peninſulas, quicquid piratarum (*e*) fuit, quadam indagine incluſum & oppreſſum eſt. Ipſe Pompejus in originem fontemque belli Ciliciam verſus eſt: nec hoſtes detrectavere certamen, non ex fiducia, ſed quia oppreſſi erant, auſi (*f*) videbantur. Sed nihil tamen amplius, quam ut ad primum ictum concurrerent. Mox ubi circumfuſa undique roſtra viderunt, abjectis ſtatim telis remiſque, plauſu undique pari, quod ſupplicantium (*g*) ſignum fuit, vitam petiverunt. Non alias (*h*) tam incruenta victoria uſi unquam ſumus: ſed nec fidelior in poſterum reperta gens ulla eſt. Idque proſpectum (*i*) ſingulari conſilio ducis, qui maritimum genus à conſpectu longe removit maris, & mediterraneis agris quaſi (*k*) obligavit. Eodemque tempore & uſum maris navibus recuperavit, & terræ homines ſuos reddidit. Quid prius in hac mirere (*l*) victoria? velocitatem, quod quadrageſimo die parta eſt? an felicitatem, quod ne una quidem navis amiſſa eſt? an vero perpetuitatem, quod amplius piratæ non fuerunt?

Quos aggreditur Pompejus.

Et vincit.

CAP. VII. Creticum bellum, ſi vera volumus (*m*) noſcere, nos fecimus; ſola vincendi nobilem inſulam cupiditate. Faviſſe Mithridati videbatur. (*n*) Hoc placuit armis vindicare. Primus invaſit inſulam Marcus Antonius, cum ingenti quidem victoriæ ſpe atque fiducia, adeo, ut plures catenas in navibus, quam arma portaret. Dedit itaque pœnas vecordiæ. Nam pleraſque naves intercepere hoſtes: captivaque corpora religata velis ac funibus pependere: ac ſic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus ſuis adremigaverunt. Metellus deinde totam inſulam igni ferroque populatus, intra caſtella & urbes redegit, & Cnoſſum, & Erythræam, &, ut Græci dicere ſolent, *urbium matrem* Cydoneam: (*o*) adeoque ſæve in captivos conſulebatur, ut veneno ſe plerique conficerent: alii deditionem ſuam ad Pompejum abſentem mitterent. Et quum ille res in Aſia gerens, eo quoque præfectum miſiſſet Antonium, (*p*) in aliena provincia inclitus (*q*) fuit: (*r*) eoque infeſtior (*s*) Metellus in hoſtes jus victoris exercuit: victiſque Laſthene, & Panare Cydoneæ ducibus, victor rediit. Nec quicquam amplius tamen de tam famoſa victoria, quam cognomen *Creticum* reportavit.

Bellum Creticum. U. C. 684. Ol. 177. a. C. N. 69.

Ejus cauſa.

Infeliciter geſtum à M. Antonio.

Sed Metellus Cretenſes vincit.

Unde Creticus dictus. U. C. 690. Ol. 179. a. C. N. 63.

CAP. VIII. Quatenus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus aſſueverat; altero ex liberis ejus Cretico facto, mora non fuit, quin alter quoque *Balearicus* vocaretur. Baleares per idem tempus inſulæ piratica rabie corruperant maria. Homines feros atque ſilveſtres mireris auſos à ſcopulis ſuis ſaltem maria proſpicere. Aſcendere etiam inconditas rates, & prænavigantes ſubinde inopinato impetu terruere. Sed quum venientem ab alto Romanam claſſem proſpexiſſent, prædam putantes, auſi etiam occurrere: & primo impetu ingenti lapidum ſaxorumque nimbo claſſem operuerunt. (*t*) Tribus quiſque fundis præliatur. Certos eſſe quis miretur ictus, quum hæc ſola genti arma ſint; id unum ab infantia ſtudium? Cibum puer à matre non accipit, niſi quem, ipſa monſtrante, percuſſit. Sed non diu lapidatione terruere Romanos. Poſtquam cominus ventum eſt, expertique roſtra, & pila venientia, (*u*) pecudum in morem clamore ſublato, petierunt fuga littora: dilapſique in (*x*) proximos tumulos, quærendi fuerunt, ut vincerentur.

Bellum Balearicum. U. C. 629. Ol. 164. a. C. N. 124.

Baleares claſſem Rom. adoriuntur.

Sed vincuntur.

CAP. IX. Aderat fatum inſularum. Igitur & Cypros recepta ſine bello. Inſulam veteribus divitiis (*y*) abundantem, & ob hoc Veneri ſacram, Ptolemæus regebat. Sed divitiarum (*z*) tanta erat fama, nec falſo, ut gentium populus, (*a*) & donare regna conſuetus, Publico Clodio Tribuno duce, (*b*) ſocii vivique regis confiſcationem mandaverit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata præcepit. Ceterum (4) Porcius Cato Cyprias opes Liburnis per Tiberinum oſtium invexit. Quæ res

Expeditio in Cypron. U. C. 626. Ol. 163. a. C. N. 127.

Hujus inſulæ divitiæ.

Cato Romam tranſvehit.

(*x*) al. colendi. (*y*) al. ſic felix ille & dignus victoria. (*z*) al. facta acceſſio. (*a*) al. Gratillius. (*b*) al. Liguſtinum. (*c*) al. portum. (*d*) al. obſervavit. (*e*) al. piraticum. (*f*) al. auſuri. (*g*) al. ſupplicantibus. (*h*) al. alia. (*i*) al. repertum. al. perſpectum. (*k*) al. agris quaſi aquis. (*l*) al. mirer. (*m*) al. velimus. (*n*) al. videbantur. (*o*) al. Cydonam. (*p*) al. Octavium. (*q*) al. inclytus. al. irriſus. al. irritus. (*r*) al. Quum ille rex in Aſia gerens, eo quoque præfectum miſiſſet Antonium, in aliena provincia iratus fuit. (*s*) al. infeſtius. (*t*) al. ingenti lapidum ſaxorum nimbo operuere. (*u*) al. ſævientia vel ingruentia. (*x*) al. littora. Dilapſi in &c. (*y*) al. deliciis. (*z*) al. regebat, & divitiarum. (*a*) al. ut victor gentium populus. (*b*) al. P. Clodio Tribuno plebis duce.

(3) Pompejus viſus eſt) Erat tunc Pompejus Proconſul, ejuſque legatus Varro Terentius, Proquæſtor, ut ipſe hic Varro in numo Tab. IX. num. 3. expreſſit; in cujus parte adverſa Jovis terminalis caput conſpicitur; in parte averſa ſceptrum, aquila & Delphin, ad denotandum Pompeji in hoc bello Piratico imperium. Conf. PATIN. Fam. Rom. p. 273. & 274.

(4) Porcius Cato) Huc numus Porciæ gentis Tab. IX. num. 4. pertinere videtur PATINO loc. cit. pag. 230. & GRÆVIO in Floro ad hunc locum pag. 121.

res latius (c) ærarium Populi Romani, quam ullus triumphus implevit.

CAP. X. Asia Pompeji manibus subacta. Reliqua (d) quæ restabant in Europa, fortuna in Cæsarem transtulit.

Bellum Gallicum.

Restabant autem immanissimi gentium Galli, atque Germani: & quamvis toto orbe divisa, tamen qui vinceret, habuit Britannia. Primus Galliæ motus ab Helvetiis cepit:

Ejus causa.

qui Rhodanum inter & Rhenum siti, non sufficientibus terris, venere sedes (e) petitum, incensis mœnibus suis. Hoc sacramentum fuit, ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, quum inter moras Cæsar Rhodani ponte rescisso, abstulisset fugam; statim bellicosissimam gentem sic in sedes suas, quasi greges in stabula pastor, (f) deduxit.

Cæsar Helvetios vincit. U. C. 694. Ol. 180. a. C. N. 59.

(g) Sequens longeque cruentior (h) pugna Belgarum, quippe pro libertate pugnantium.

Item Belgas. U. C. 695. Ol. 180. a. C. N. 58.

Hic quum multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ipsius ducis, quod nutante in fugam (i) exercitu, rapto fugientis è manu scuto, in primam volitans aciem, manu prælium restituit. Inde cum Venetis etiam navale bellum: sed major cum Oceano, quam cum ipsis navibus rixa.

Navale bellum cum Venetis. U. C. 696. Ol. 180. a. C. N. 57.

Quippe illæ rudes & informes, & statim naufragæ quum rostra sensissent. Sed hærebat in vadis pugna, quum æstibus solitis cum ipso certamine subductus Oceanus intercedere bello videretur. Illæ quoque accessere diversitates pro gentium locorumque natura. Aquitani, callidum genus, in speluncas se recipiebant; jussit includi. Morini dilabebantur in silvas; jussit incendi. Nemo tantum feroces dixerit Gallos; fraudibus agunt. Induciomarus (k) Treviros, Ambiorix convocavit Eburones. Utrique absente Cæsare conjuratione facta invenere (l) legatos. Sed ille fortiter à Dolabella (m) summotus est, relatumque regis caput. Hic insidiis in valle dispositis, dolo perculit. Itaque & castra direpta sunt, & aurum ablatum. Cottam (n) cum Titurio Sabino legato (o) ibi amisimus. Nec ulla de rege mox ultio: (p) quippe perpetua trans Rhenum fuga latuit. Nec Rhenus ergo immunis. Nec enim fas erat, ut liber esset receptator hostium atque defensor. Sed prima contra Germanos illius pugna, justissimis quidem ex causis.

Cæsar primum Germanos aggreditur. U. C. 697. Ol. 181. a. C. N. 56.

Sequani (q) enim de incursionibus eorum querebantur. Quæ Ariovisti superbia? (r) Quum legati dicerent, *Veni ad Cæsarem: Quis est autem Cæsar?* &, *si vult, veniat,* inquit. Et, *quid ad illum, quid agat nostra Germania? Num* (s) *ego me interpono Romanis?* Itaque tantus gentis novæ terror (t) in castris, ut testamenta passim etiam (u) in principiis scriberentur. Sed illa immania corpora, quo erant majora, eo magis gladiis ferroque patuerunt. Qui calor in præliando militum fuerit, nullo magis exprimi potest, quam quod elatis super caput scutis, quum se testudine (x) barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt: & inde in jugulos gladiis descendebant.

Et vincit.

Iterum de Germano Tencteri (y) querebantur. Hic vero jam Cæsar ultro Mosulam (z) navali ponte transgreditur, ipsumque Rhenum, & Hercyniis hostem quærit in silvis: sed in saltus, & paludes genus omne diffugerat. Tantum pavoris incussit intra ripam subito Romana vis. (a) Nec semel Rhenus, sed iterum quoque, & quidem ponte facto, penetratus est.

Cæsar Rhenum transit.

Sed major aliquanto trepidatio: quippe quum Rhenum suum sic ponte quasi jugo captum viderent, fuga rursus in silvas & paludes: & quod acerbissimum Cæsari fuit, non fuere qui vincerentur. Omnibus terra marique captis, respexit Oceanum: & quasi hic Romanis orbis non sufficeret, alterum cogitavit. Classe igitur comparata, Britanniam transit mira (b) celeritate: quippe qui (c) tertia vigilia Morino solvisset à portu, minus quam medio die insulam ingressus est.

Cæsar in Britanniam trajicit. U. C. 697. Ol. 181. a. C. N. 56.

Plena erant tumultu hostico littora; & trepidantia ad conspectum rei novæ carpenta volitabant. Itaque trepidatio pro victoria fuit. Arma, & obsides accepit à trepidis: & ulterius iisset, nisi improbam classem naufragio castigasset Oceanus. Reversus igitur in Galliam, classe majore, auctisque admodum copiis, (d) in eundem rursus Oceanum, eosdemque rursus Britannos, (e) Calidonias secutus in silvas, (f) unum quoque è regibus Cavelanis (g) in vincula dedit.

Revertitur in Galliam.

Contentus his (non enim provinciæ, sed nomini studebatur) cum majore, quam prius, præda revectus est; ipso quoque Oceano tranquillo magis, & propitio, quasi imparem se fateretur. Sed maxima omnium eademque novissima conjuratio fuit Galliarum,

Gallorum motus.

quum omnes pariter Arvernos atque Biturigas, (h) Carnutas (i) simul Sequanosque contraxit, ille corpore, armis, spiritu terribilis, & nomine etiam quasi terrore composito, (k) Vercingentorix: (l) ille festis diebus, & conciliabulis (m) quum frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad jus pristinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæsar, Ravennæ delectum agens: & hieme creverant Alpes: sic interclusum putabant iter. Sed ille, qualis erat, ad nuntium rei felicissimæ temeritatis? per (n) invios ad id tempus montium

(c) al. lætius. al. cumulatius. (d) al. reliquias. al. reliquas. (e) al. sedem. (f) al. pastorum. (g) al. reduxit. (h) al. Sequens longe cruentior. (i) al. in fuga. (k) al. Inductiomarus. al. Indutiomarus. (l) al. invasere. (m) al. à T. Labieno. (n) al. Lucium Cottam. (o) al. legatos. (p) al. nec ulla de rege noxæ ultio. (q) al. Hædui. (r) al. Quæ Ariovisti regis superbia? (s) al. *Non.* (t) al. tantus gentis terror &c. (u) al. & (x) al. quum se veluti testudine. al. veluti vallatum testudine. (y) al. Menapii. al. Centenari. al. Centenarii. (z) al. ultra Mosam. al. Mosellam. (a) al. Romana vis visa. (b) Britanniam petit. In Britanniam transit mira &c. (c) al. quum. (d) al. auctisque copiis. (e) al. eos denique Britannos. (f) al. secutus insulas. al. secutus silvas. (g) al. Cavelianis. al. Callidonianis. (h) al. Bituricas. al. Byturigas. (i) al. Cornuitas. (k) al. nomine atque terrore etiam quasi composito. (l) al. Vergirgentoris. al. Vergingetorix. (m) al. comitialibus. (n) al. Sed ille qualis erat ad nuntium (rem felicissimæ temeritatis!) per &c.

montium tumulos, per intactas vias & nives expedita manu emerſus, (*o*) occupat Galliam; & ex diſtantibus hibernis caſtra contraxit; & (*p*) ante in media Gallia fuit, quam ab ultima timeretur. Tum ipſa capita belli aggreſſus, urbes; Avaricum (*q*) cum quadraginta millibus propugnantium ſuſtulit: Alexiam ducentorum quinquaginta millium juventute ſubnixam, flammis adæquavit. Circa Gergoviam Arvernorum tota belli moles fuit: quippe quum octoginta (*r*) millia (*s*) muro, & arce, & abruptis defenderent; (*t*) maximam civitatem vallo, ſudibus, & foſſa, inductoque foſſæ flumine, ad hoc decem & octo caſtellis, ingentique lorica (*u*) circumdatam, primum fame domuit: mox audentem eruptiones, in vallo gladiis ſudibuſque concidit: noviſſime in deditionem redegit. Ipſe ille rex, maximum victoriæ decus, ſupplex quum in caſtra veniſſet, tum (*x*) & phaleras, & ſua arma ante Cæſaris genua projecit: *Habes*, inquit, *fortem virum, vir fortiſſime, viciſti.*

Cæſar componit. U.C. 700. Ol. 181. a. C. N. 53.

CAP. XI. Dum Gallos per Cæſarem in Septentrione debellat, interim ad Orientem grave vulnus à Parthis Populus Romanus accepit. Nec de fortuna queri poſſumus. Caret ſolatio clades. Adverſis (*y*) & Diis & hominibus cupiditas Conſulis Craſſi, dum Parthico inhiat auro, undecim ſtrage legionum, & ipſius capite multata eſt: & tribunus plebis Metellus exeuntem ducem hoſtilibus diris devoverat: & quum Zeugma (*z*) tranſiſſet exercitus, rapta ſubitis ſigna turbinibus hauſit Euphrates: & quum apud Nicephorum caſtra poſuiſſet, miſſi ab Orode rege legati denuntiavere, *percuſſorum cum Pompejo fœderum, Syllaque* (*a*) *meminiſſet.* Regiis (*b*) inhians ille theſauris, nihil, ne imaginario quidem jure, ſed *Seleuciæ ſe reſponſurum eſſe* reſpondit. Itaque Dii fœderum ultores, nec inſidiis, nec virtuti hoſtium defuerunt. Jam primum, qui ſolus & ſubvehere commeatus, & munire poterat, à tergo relictus Euphrates. Tum ſimulato transfugæ cuidam Mazavæ (*c*) Syro creditur, dum in mediam camporum vaſtitatem eodem duce ductus exercitus undique (*d*) hoſti exponeretur. Itaque vixdum venerat Carras, quum undique præfecti regis Sillaces & Surenas oſtendere ſigna auro ſericeiſque (*e*) vexillis vibrantia. Tum ſine mora circumfuſi undique equitatus, in modum grandinis atque nimborum denſa pariter tela fuderunt. Sic miſerabili ſtrage deletus exercitus. (*f*) Ipſe in colloquium ſolicitatus, ſigno dato, vivus in hoſtium manus incidiſſet, niſi tribunis reluctantibus, fugam ducis, barbari ferro occupaſſent. Sic quoque relatum caput ludibrio hoſti fuit. Filium ducis pene in conſpectu patris eiſdem telis operuere. Reliquiæ infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque diſtractæ, (*g*) vix nuntium cladis retulerunt. Caput ejus reciſum cum dextera manu, ad regem reportatum, (*h*) ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infuſum (*i*) eſt; ut, cujus animus arſerat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exſangue corpus auro ureretur.

Bellum Parthicum. U.C. 698. Ol. 181. a. C. N. 55.

Ejus cauſa.

A Craſſo infeliciter geſtum.

Craſſi mors & ludibrium. U.C. 699. Ol. 181. a. C. N. 54.

CAP. XII. Hæc eſt illa tertia ætas Populi Romani tranſmarina, qua Italia progredi auſus, orbe toto arma circumtulit. Cujus ætatis ſuperiores centum anni, *ſancti*, *pii*, &, ut diximus, *aurei*, *ſine flagitio*, *ſine ſcelere*, dum ſincera adhuc & innoxia paſtoriæ illius ſectæ integritas, dumque Pœnorum hoſtium imminens metus diſciplinam veterem continebat. Poſtremi centum, quos à Carthaginis, Corinthi, Numantiæque excidiis, & Attali regis Aſiatica hæreditate deduximus in Cæſarem & Pompejum, ſecutumque hos, de quo dicemus, Auguſtum, ut claritate (*k*) rerum bellicarum magnifici, ita domeſticis cladibus miſeri & erubeſcendi. Quippe ſicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, Cappadociam, uberrimas validiſſimaſque provincias, Armenios etiam, & Britannos, (*l*) ut non in uſum, ita ad imperii ſpeciem magna nomina acquiſiiſſe, pulchrum atque decorum: ita eodem tempore dimicaſſe domi cum civibus, ſociis, mancipiis, gladiatoribus, totoque inter ſe Senatu, turpe atque miſerandum. Ac neſcio an ſatius fuerit Populo Romano, Sicilia & Africa contento (*m*) fuiſſe, aut his etiam ipſis carere, dominanti in Italia ſua, (*n*) quam eo magnitudinis creſcere, ut viribus ſuis conficeretur. Quæ enim res alia furores civiles peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit: mox Aſiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ opes atque divitiæ afflixere ſeculi mores: merſamque vitiis ſuis, quaſi ſentina, rempublicam peſſumdedere. Unde enim Populus Romanus à tribunis agros & cibaria flagitaret, niſi per famem, quam luxu (*o*) fecerat? Hinc ergo Gracchana, & prima & ſecunda, & illa tertia Apuleiana ſeditio. Unde regnaret judiciariis legibus divulſus (*p*) à Senatu eques, niſi ex avaritia, ut vectigalia reipublicæ, atque ipſa judicia in quæſtu haberentur? Hinc rurſus & promiſſa civitas Latio, & per hoc arma ſociorum. Quid autem bella ſervilia? unde nobis, niſi ex abundantia familiarum? Unde gladiatorii adverſus dominos ſuos exercitus, niſi ad conciliandum plebis favorem effuſa largitio, quum ſpectaculis indulget, ſupplicia quondam hoſtium artem facit? Jam ut ſpecioſiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab iiſdem divitiis incitatus? Atqui inde Mariana, inde Syllana tempeſtas. (*q*) Aut magnificus apparatus conviviorum, & ſumptuoſa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox egeſtatem? Hæc Catilinam

Anacephalæoſis tertiæ ætatis Pop. Romani.

Romani clari externis bellis.

Miſeri internis civilibus.

Horum cauſæ.

E 3

(*o*) al. emenſus. (*p*) al. ex. (*q*) al. Alvaricum. (*r*) al. quippe quam cum octoginta. (*s*) al. quippe cum milite, muro, &c. (*t*) al. defenderit. (*u*) al. ingentique quaſi lorica &c. (*x*) al. quum. (*y*) al. Adverſa. (*z*) al. quum ad Zeugma. (*a*) al. *cum Syllaque.* (*b*) al. Regis. (*c*) al. Mezeræ. al. Mazaræ. al. Mezereæ. (*d*) al. ut undique. (*e*) al. ſericiſque. (*f*) al. Sic proh! miſerabili ſtrage deletur exercitus. (*g*) al. Syriam diſtractæ. (*h*) al. deportatum. (*i*) al. effuſum. (*k*) al. celeritate. (*l*) al. Armenos & Britannos. (*m*) al. contentum. (*n*) al. dominanti Italia ſua. (*o*) al. luxus. (*p*) al. Unde ut regnaret de judiciariis legibus diviſus &c. (*q*) al. poteſtas.

tilinam patriæ (*r*) suæ impegit. Denique illa ipsa principatus & dominandi cupido, unde, nisi ex nimiis opibus venit? Atqui hæc Cæsarem atque Pompejum furialibus in exitium reipublicæ facibus armavit. Hos igitur Populi Romani omnes domesticos motus separatos ab externis, justisque bellis, ex ordine prosequemur.

Tribunicia potestas causa seditionum.

CAP. XIII. Seditionum omnium causas (*s*) Tribunicia potestas excitavit: quæ specie quidem plebis tuendæ, cujus in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi ac favorem agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. Inerat omnibus species æquitatis. Quid enim tam justum, quam recipere plebem jus (*t*) suum à Patribus? ne Populus gentium victor, orbisque possessor, extorris aris ac focis ageret. (*u*) Quid tam æquum, quam inopem populum vivere ex ærario suo? Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax, quam ut Senatu regente provincias, ordinis equestris auctoritas saltem judiciorum regno niteretur? Sed hæc ipsa in perniciem redibant: & misera respublica in exitium suum merces erat. (*x*) Nam & à Senatu in equitem translata judiciorum potestas, vectigalia, id est, imperii patrimonium supprimebat: & emptio frumenti ipsos reipublicæ nervos exhauriebat ærarium. Reduci plebis in agros unde poterat sine possidentium eversione? qui ipsi pars populi erant, & tamen relictas sibi à majoribus sedes, ætate, (*y*) quasi jure hæreditario possidebant.

Seditio Tiberii Gracchi. U.C. 619. Ol. 161. a. C.N. 134.

CAP. XIV. Primam certaminum facem Tiberius Gracchus accendit, genere, forma, eloquentia facile princeps. Sed hic, sive Mancinianæ deditionis, quia sponsor fœderis fuerat, contagium timens, & inde popularis: sive æquo, & bono ductus, quia depulsam agris suis plebem miseratus est, ne Populus gentium victor, orbisque possessor, extorris aris ac focis suis exularet, (*z*) quacumque (*a*) mente, rem ausus ingentem. Postquam rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine Rostra conscendit; nec deerat obvia manu tota inde nobilitas, & tribuni in partibus. Sed ubi intercedentem legibus suis Cnæum Octavium videt Gracchus, contra fas collegii, jus potestatis, injecta manu, depulit Rostris: adeoque præsenti metu mortis exterruit, ut abdicare se magistratu cogeretur. Sic triumvir (*b*) creatus dividendis agris. Quum ad perpetranda cepta, die comitiorum prorogari sibi vellet imperium, obvia nobilium manu, eorumque, quos agris moverat, cædes à foro cepit. Inde quum in Capitolium (*c*) profugisset, plebemque ad defensionem salutis suæ, manu caput tangens, hortaretur, præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis: atque ita duce Scipione Nasica concitato in arma Populo, quasi jure oppressus (*d*) est.

Tib. Gracchus triumvir.

A Scipione Nasica opprimitur.

Seditio Caji Gracchi. U.C. 629. Ol. 164. a. C.N. 124.

CAP. XV. Statim & mortis, & legum fratris sui vindex non minore impetu incaluit Cajus Gracchus. Qui cum pari tumultu atque terrore plebem in avitos agros arcesseret; & recentem Attali hæreditatem in alimenta Populo polliceretur; jamque nimius & potens (*e*) altero tribunatu, secunda plebe volitaret: obrogare (*f*) auso legibus suis Minucio tribuno, fretus comitum manu, fatale familiæ suæ Capitolium invasit. Inde proximorum cæde pulsus, (*g*) quum se in Aventinum recepisset; inde quoque obvia Senatus manu, ab Opimio Consule oppressus est. Insultatum quoque mortis reliquiis, & illud sacrosanctum caput Tribuni plebis percussoribus auro pensatum est.

Ejus causa.

Cajus Gracchus ab Opimio Cos. opprimitur.

Seditio Apuleji Saturnini. U.C. 652. Ol. 169. a. C.N. 101.

CAP. XVI. Nihilominus Apulejus Saturninus Gracchanas asserere leges non destitit. Tantum animorum viro Marius dabat. Qui nobilitati semper inimicus, consulatu suo præterea confisus, occiso palam comitiis Annio (*h*) competitore Tribunatus, subrogare conatus est in ejus locum Cajum Gracchum, hominem sine tribu, sine nomine: sed subdito titulo, in familiam ipse se adoptabat. (*i*) Quum tot, tantisque ludibriis exultaret impune, rogandis Gracchorum legibus ita vehementer incubuit, ut Senatum quoque cogeret in verba jurare; (*k*) quum abnuentibus *aqua & igni interdicturum se minaretur.* Unus tamen exstitit, qui mallet exilium. Igitur post Metelli fugam omni nobilitate perculsa, quum jam tertium annum dominaretur, eo vesaniæ progressus est, ut Consularia quoque comitia nova cæde turbaret. Quippe ut satellitem furoris sui Glauciam, Consulem faceret, Cajum Memmium competitorem interfici jussit: & in eo tumultu *regem* ex satellitibus suis se appellatum lætus accepit. Tum vero jam conspiratione (*l*) Senatus, ipso quoque jam Mario Consule, quia tueri non poterat, adverso; directæ in foro acies. (*m*) Expulsus inde, Capitolium invasit. (*n*) Sed quum abruptis fistulis obsideretur, Senatuique per legatos pœnitentiæ fidem faceret, ab arce degressus, (*o*) eum ducibus factionis receptus in curiam est. (*p*) Ibi eum, facta irruptione, Populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte laceravit.

Ejus causa.

Apulejus à Mario fovetur.

Deseritur.

Et opprimitur.

Seditio Livii Drusi. U.C. 660. Ol. 171. a. C.N. 93.

CAP. XVII. Postremo Livius Drusus non tribunatus modo viribus, sed ipsius etiam Senatus auctoritate, totiusque Italiæ consensu, easdem leges asserere conatus, dum aliud captat ex alio, tantum conflavit incendium, ut ne (*q*) prima illius (*r*) flamma posset sustineri; & subita morte correptus, hæreditarium in posteros suos bellum propagaret. Judiciaria

Ejus causa.

(*r*) al. Catilinam hostem patriæ. (*s*) al. causa. (*t*) al. rus. (*u*) al. ageretur. (*x*) al. in exitium suum recesserat. (*y*) al. ætate omittunt. (*z*) al. ne Populus Romanus gentium victor, orbisque possessor, laribus ac focis suis exularet. (*a*) al. aut quacumque. (*b*) al. triumviratus. (*c*) al. quum Capitolium. (*d*) al. occisus. (*e*) al. jamque nimius & impotens. (*f*) al. abrogare. (*g*) al. depulsus. (*h*) al. A. Nonio. (*i*) al. adoptat. al. adoptarat. (*k*) al. verba sua jurare. (*l*) al. Tum vero conspiratione. (*m*) al. directa in foro acie. (*n*) al. Repulsus inde in Capitolium invasit. (*o*) al. digressus. (*p*) al. factionis in curiam aggressus est. al. factionis receptus in curiam aggressus est. (*q*) al. nec. (*r*) al. illa.

ciaria lege Gracchi (*s*) diviſerant Populum Romanum, & bicipitem ex una fecerant civitatem: equites Romani, (*t*) tanta poteſtate ſubnixi, ut qui fata fortunaſque Principum, haberent (*u*) in manu, interceptis vectigalibus peculabantur (*x*) ſuo jure Rempublicam. Senatus exilio Metelli, damnatione Rutilii debilitatus, omne decus majeſtatis amiſerat. In hoc ſtatu rerum pares opibus, animis, dignitate, (unde & nata Livio Druſo æmulatio acceſſerat) (*y*) equitem Servilius Cæpio, Senatum Livius Druſus aſſerere. Signa, & aquilæ, & vexilla aderant: ceterum (*z*) ſic urbe in una quaſi in binis caſtris diſſidebatur. Prior Cæpio in Senatum impetu facto, reos ambitus Scaurum & Philippum, principes nobilitatis elegit. (*a*) His motibus ut reſiſteret Druſus, plebem ad ſe Gracchanis legibus, (*b*) eisdem ſocios ad plebem ſpe civitatis erexit. Exſtat vox ipſius: *Nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe, niſi ſi quis aut cœnum dividere vellet, aut cœlum.* Aderat promulgandi dies; quum ſubito tanta vis hominum undique apparuit, ut hoſtium adventu obſeſſa civitas videretur. Auſus tamen, obrogare de legibus Conſul Philippus: ſed apprehenſum faucibus viator non ante dimiſit, quam ſanguis in ora & oculos (*c*) redundaret. Sic per vim latæ, juſſæque leges: ſed pretium rogationis ſtatim ſocii flagitavere, (*d*) quum interim imparem Druſum, ægrumque rerum temere motarum, matura, ut in tali diſcrimine, mors abſtulit. Nec ideo minus ſocii promiſſa Druſi à Populo Romano repoſcere armis deſierunt.

Druſi inſolens dictum. — *Druſi mors.*

Bellum Sociale. U. C. 662. Ol. 172. a. C. N. 91.

CAP. XVIII. Sociale (*e*) bellum vocetur licet; ut extenuemus invidiam: ſi verum tamen volumus, illud civile bellum fuit. Quippe quum Populus Romanus Etruſcos, Latinos, Sabinoſque miſcuerit, & unum ex omnibus ſanguinem ducat; corpus fecit ex membris, & ex omnibus unus eſt. Nec minore flagitio ſocii intra Italiam, quam intra Urbem cives rebellabant. Itaque quum jus civitatis, quam (*f*) viribus auxerant, ſocii juſtiſſime poſtularent, ad quam ſpem eos cupidine dominationis Druſus erexerat; poſtquam ille domeſtico ſcelere oppreſſus eſt, eadem fax, quæ illum cremavit, ſocios in arma & oppugnationem Urbis accendit. Quid hac clade triſtius? quid calamitoſius? quum omne Latium, atque Picenum, Etruria omnis atque Campania, poſtremo Italia contra matrem ac parentem ſuam Urbem conſurgeret. (*g*) Quum omne robur fortiſſimorum fideliſſimorumque ſociorum ſub ſuis quiſque ſignis haberent municipalia illa prodigia, Popedius Marſos, & Latinos Afranius; Umbros totus Senatus & Conſules; Samnium Lucaniamque Teleſinus: (*h*) quum regum & gentium arbiter Populus ipſum ſe regere non poſſet, ut victrix Aſiæ Europæque, à Corfinio (*i*) Roma peteretur. Primum fuit belli in Albano monte conſilium, ut feſto die Latinarum Julius Cæſar, & Marcius Philippus Conſules, inter ſacra & aras immolarentur. Poſtquam id nefas proditione diſcuſſum eſt, Aſculo furor omnis erupit, in ipſa quidem ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab Urbe, legatis. Hoc fuit impii belli ſacramentum. Inde jam paſſim ab omni parte Italiæ duce & auctore belli diſcurſante Popedio, diverſa per populos & urbes ſigna cecinere. Nec Annibalis, nec Pyrrhi fuit tanta vaſtatio. Ecce Ocriculum, ecce Grumentum, ecce Feſulæ, ecce Carſeoli; Reate, Nuceria & Picentia (*k*) cædibus, ferro (*l*) & igne vaſtantur. Fuſæ Rutilii copiæ, fuſæ Cæpionis. Nam ipſe Julius Cæſar exercitu amiſſo, quum in Urbem cruentus referretur, miſerabili funere mediam etiam Urbem perviam fecit. (*m*) Sed magna Populi Romani fortuna, & ſemper in malis major, totis denuo viribus inſurrexit: aggreſſique ſinguli populos; Cato diſcutit Etruſcos; Gabinius Marſos; Carbo Lucanos; Sylla Samnites. Strabo vero Pompejus omnia flammis ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Aſculi everſione, Manibus tot exercituum conſularium (*n*) direptarumque urbium Diis litaretur.

Ejus cauſa. — *Primum belli ſocialis conſilium.* — *Rutilius & Cæpio ab Italis vincuntur.* — *In quo Romani ſuperiores. U. C. 663. Ol. 172. a. C. N. 190.*

CAP. XIX. Utcunque, etſi cum ſociis (nefas!) cum liberis tamen & ingenuis dimicatum eſt. Quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella ſervorum? Primum ſervile bellum inter initia Urbis Herdonio Sabino duce in ipſa Urbe tentantum eſt: quum occupata Tribuniciis ſeditionibus civitate, Capitolium obſeſſum eſt, & à Conſule captum: ſed hic tumultus magis fuit quam bellum. Mox imperio per diverſa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius ſervili, quam Punico bello eſſe vaſtatam? Terra frugum ferax, & quodammodo ſuburbana provincia, latifundiis civium Romanorum (*o*) tenebatur. Hic ad cultum agri, frequentia ergaſtula, catenatique cultores, materiam bello præbuere. Syrus quidam nomine Eunus (magnitudo cladium facit, ut meminerimus) fanatico furore ſimulato, dum Syriæ deæ comas (*p*) jactat, ad libertatem & arma ſervos, quaſi numinum imperio concitavit. Idque ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam ſulphure & igne ſtipaverat, leniter inſpirans, flammam inter verba fundebat. Hoc mira-

Bellum ſervile. U.C. 617. Ol. 161. a. C. N. 136. — *Eunus concitat ſervile bellum.*

(*s*) al. Caji Gracchi. al. C. Gracchus - - - fecerat civitatem. (*t*) al. fecerant civitatem equites Romani. (*u*) al. fortunaſque Patrum, vitaſque Principum haberent &c. (*x*) al. pecularentur. (*y*) al. (unde & nata Livio Druſo æmulatio.) (*z*) al. ceterum omittunt. (*a*) al. abegit. al. eligit. al. delegit. al. egit. (*b*) al. legibus evocavit. (*c*) al. & in ora & in oculos. (*d*) al. flagitare. (*e*) al. Bellum quod adverſus ſocios geſtum, Sociale &c. (*f*) al. quum Tuſciæ civitates quas &c. (*g*) al. conſurgerent. (*h*) al. Popedius Marſos & Latinos, Afranius Umbros, totus Senatus & Conſules Samnium: Lucaniam Teleſinus. (*i*) al. confinio. (*k*) al. ecce Fæſulæ, Carſeoli, reſeratæ Nuceriæ, & Picentes &c. (*l*) al. cædibusque ferro. (*m*) al. miſerabili funere per mediam etiam urbem viam fecit. (*n*) al. Conſulum. (*o*) al. Latinorum. al. civium Romanorum Latinorum. (*p*) al. ceremonias.

miraculum (*q*) primum duo millia ex obviis; mox jure belli (*r*) refractis ergaſtulis, ſexaginta (*s*) amplius millium fecit exercitum: regiiſque, ne quid malis deeſſet, decoratus inſignibus, caſtella, oppida, vicos, miſerabili direptione vaſtavit. Quin illud quoque (ultimum belli dedecus) capta ſunt (*t*) caſtra Prætorum; nec nominare ipſos pudebit, caſtra Manilii, (*u*) Lentuli, Piſonis, Hypſæi. Itaque qui per fugitivarios, retrahi (*x*) debuiſſent, prætorios duces, profugos prælio, ipſi ſequebantur. Tandem Perperna (*y*) Imperatore ſupplicium de eis ſumptum eſt. Hic enim victos, & apud Ennam noviſſime obſeſſos, quum fame quaſi peſtilentia (*z*) conſumpſiſſet, reliquias latronum compedibus & catenis religavit, crucibuſque punivit. Fuitque de ſervis (5) ovatione contentus, ne dignitatem triumphi ſervili inſcriptione violaret. Vixdum reſpiraverat inſula, quum ſtatim ſervis, (*a*) & à Syro reditur ad Cilicem. Athenio paſtor, interfecto domino familiam ergaſtulo liberatam ſub ſignis ordinat. Ipſe veſte purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita, non minorem, quam ille fanaticus prior, conflat exercitum, acriuſque multo, quaſi & illum vindicaret, vicos, caſtella, oppida diripiens, in dominos, in ſervos infeſtius, quaſi in transfugas, ſæviebat. Ab hoc quoque prætorii exercitus cæſi; capta Servilii caſtra, capta Luculli. Sed Aquilius Perpernæ (*b*) uſus exemplo interclusum hoſtem commeatibus ad extrema compulit, communitaſque copias armis fame facile delevit: dedidiſſentque ſe, niſi ſuppliciorum metu (*c*) voluntariam mortem prætuliſſent. Ac ne de duce quidem ſupplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit. Quippe dum circa deprehendendum (*d*) eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata eſt.

Caſtra Prætorum à ſervis capta.

Perperna vincit ſervos.

Et ovans Urbem ingreditur. U. C. 620. Ol. 161. a. C. N. 133.

Novum bellum ſervile. U. C. 649. Ol. 169. a. C. N. 104.

Servilii & Luculli caſtra capta.

Aquilius cum ſervis debellat. U. C. 650. Ol. 169. a. C. N. 103.

CAP. XX. Enimvero ſervilium armorum dedecus feras. Nam & ipſi (*e*) per fortunam in omnia obnoxii, tamen quaſi ſecundum hominum genus ſunt; & in bona libertatis noſtræ adoptantur: bellum Spartaco duce concitatum, quo nomine appellem neſcio. Quippe quum ſervi militaverint, gladiatores imperaverint, illi infimæ ſortis homines: hi peſſimam (*f*) auxere ludibrio calamitatem. Spartacus, Crixus, Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum triginta (*g*) haud (*h*) amplius ejuſdem fortunæ viris (*i*) eruperunt Capua; ſerviſque ad vexillum vocatis, (*k*) quum ſtatim decem amplius millia coiſſent hominum, non modo effugiſſe contenti, jam vindicari (*l*) volebant. (*m*) Prima velut arena (*n*) viris mons Veſuvius placuit. Ibi quum obſiderentur (*o*) à Clodio Glabro, per fauces cavi montis vitigineis (*p*) delapſi vinculis ad imas ejus deſcendere radices: & exitu invio, (*q*) nihil tale opinantis ducis ſubito impetu caſtra rapuere. Inde alia caſtra. Deinceps Coram, (*r*) totamque pervagantur Campaniam. Nec villarum atque vicorum vaſtatione contenti, Nolam atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum terribili ſtrage populantur. Affluentibus in diem copiis, quum jam eſſet juſtus exercitus; é viminibus pecudumque tegumentis inconditos ſibi clypeos; è ferro ergaſtulorum recocto gladios ac tela fecerunt. Ac ne quod decus juſto deeſſet exercitui, domitis obviis gregibus paratur equitatus, captaque de prætoribus inſignia & faſces ad ducem detulere. Nec abnuit ille de ſtipendiario Thrace miles, de milite deſertor, inde latro, deinde in honore virium gladiator. Qui defunctorum quoque prælio ducum funera Imperatoris celebravit exequiis, captivoſque circa rogum juſſit armis depugnare: quaſi plane expiaturus omne præteritum dedecus, ſi de gladiatore munerator fuiſſet. Inde jam Conſulares quoque aggreſſus in Apennino Lentuli exercitum percecidit: (*s*) apud Mutinam Caji Caſſii caſtra delevit. Quibus elatus victoriis, de invadenda Urbe Romana (quod ſatis eſt turpitudini noſtræ) deliberavit. Tandem etiam totis imperii viribus contra Mirmillonem conſurgitur: pudoremque Romanum Licinius Craſſus aſſeruit: à quo pulſi fugatique (pudet dicere) hoſtes, in extrema Italiæ refugerunt. (*t*) Ibi circa Bruttium (*u*) angulum cluſi, (*x*) quum fugam in Siciliam pararent, neque navigia ſuppeterant, rateſquè ex cratibus, & dolia connexa virgultis in rapidiſſimo freto fruſtra experirentur; tandem eruptione facta, dignam viris obiere mortem: &, quod ſub gladiatore duce oportuit, ſine miſſione pugnatum eſt. Spartacus ipſe in primo agmine fortiſſime dimicans, quaſi Imperator occiſus eſt.

Bellum Spartacium. U. C. 679. Ol. 176. a. C. N. 74.

Ejus auctor & cauſa.

Spartaci inſolentia.

Lentulus à Spartaco vincitur. U. C. 680. Ol. 176. a. C. N. 73.

C. Caſſius à Spartaco vincitur. U. C. 681. Ol. 177. a. C. N. 72.

Licinius Craſſus gladiatores fugat.

Et vincit.

Spartaci mors.


CAP. XXI. Hoc deerat unum Populi Romani malis, jam ut ipſe (*y*) intra ſe (*z*) parricidiale bellum domi ſtringeret; & in urbe media ac foro, quaſi harena cives cùm civibus ſuis, gladiatorio more concurrerent. Æquiore animo utcumque ferrem, ſi plebei duces, aut ſi nobiles, mali ſaltem, ducatum ſceleri præbuiſſent: quum verò, (*a*) pro facinus, qui viri! qui Imperatores! decora & ornamenta ſeculi ſui Marius, & Sylla, peſſimo facinori ſuam etiam dignitatem præbuerunt. Tribus, ut ſic dixerim, ſideribus agitatum eſt:

Bellum civile Marianum. U. C. 664. Ol. 172. a. C. N. 89.

Ejus auctores.

(*q*) al. Hoc miraculo. (*r*) al. ex hoc jure belli. (*s*) al. quadraginta. (*t*) al. Illud quoque in ultimum belli dedecus capta ſunt caſtra. (*u*) al. Manlii. (*x*) al. fugitivos diſtrahi. (*y*) al. P. Rupilio. (*z*) al. qua fame, qua peſtilentia &c. al. quum fame, ex qua peſtilentia &c. (*a*) al. quum ſtatim à ſervis &c. (*b*) al. P. Rupilii. (*c*) al. metui. (*d*) al. circa ad deprehendendum. (*e*) al. Nam etſi ipſi. (*f*) al. hi peſſimæ. (*g*) al. ſeptuaginta. (*h*) al. aut. (*i*) al. ludis. (*k*) al. ad vexillum, & ad auxilium vocatis. (*l*) al. vindicare. (*m*) al. jam vindicari etiam volebant. (*n*) al. ara. al. harena. (*o*) al. quum etiam obſiderentur. (*p*) al. vitineis. al. vixinis. al. vixineis. (*q*) al. exitu in uno. (*r*) al. Thoram. (*s*) al. cecidit. (*t*) al. confugerunt. (*u*) al. Brittium. (*x*) al. incluſi. al. clauſi. al. occluſi. (*y*) al. ut jam ipſe. (*z*) al. in ſe. (*a*) al. Tum vero. al. Jam. vero.

(5) Ovatione contentus) In cujus ovationis memoriam numus Tab. X. num. I. conflatus eſt. Conf. GOLTZIUS Faſt. pag. 145.


Tab. X.
ad pag. 40. 41
42. 45.
I
M. PERPERNA
AR
Γ
II
CINNA
ITER.
COS.
EX.S.C.
III
CAL. IVL
AR
E
Π·VIR
C·MR.C.A.
Q·VRSO.
IV
ANTONI. ARMENI
AR
Γ
REGINAE REGVM FILIORVM REGVM CLEOPATRAE

eſt: primo & levi, & modico, tumultu magis (*b*) quam bello, intra ipſos armorum duces ſubſiſtente ſævitia: mox atrocius, & cruentius per totius viſcera Senatus graſſante victoria. Ultimum non civicam modo, ſed hoſtilem quoque rabiem ſupergreſſum eſt; quum armorum furor totius Italiæ viribus niteretur, eouſque odiis ſævientibus, donec deeſſent, qui occiderentur. Initium, & cauſa belli, inexplebilis honorum Marii fames, dum decretam Sylla provinciam Sulpicia lege ſolicitat. Sed impatiens injuriæ ſtatim Sylla legiones circumegit: dilatoque Mithridate, Eſquilina, Collinaque porta, geminum agmen Urbi infudit. (*c*) Unde quum conſulto (*d*) Sulpicius, & Albinovanus objeciſſent catervas; (*e*) ſudeſque & ſaxa undique à mœnibus ac tela jacerentur; ipſe quoque jaculatus incendio viam fecit, arcemque Capitolii, quæ Pœnos quoque, Gallos (*f*) etiam Senones evaſerat, quaſi captivam victor inſedit. (*g*) Tum (*h*) ex conſulto Senatus, (*i*) adverſariis hoſtibus judicatis, in præſentem tribunum, alioſque diverſæ factionis, jure ſævitum eſt. Marium ſervilis fuga exemit; (*k*) imo fortuna alteri bello reſervavit. (6) Cornelio Cinna, Cnæo Octavio Conſulibus, male obrutum reſurrexit incendium: & quidem ab ipſorum diſcordia, quum de revocandis, quos Senatus hoſtes judicaverat, ad Populum referretur. Cincta quidem gladiis concione, ſed vincentibus quibus pax & quies potior, profugus patria ſua Cinna confugit ad partes. Redit ab Africa Marius clade major. Siquidem carcer, catenæ, fuga, exilium, horrificaverant (*l*) dignitatem. Itaque ad nomen tanti viri late concurritur: ſervitia (pro nefas!) & ergaſtula armantur; & facile invenit exercitum miſer Imperator. Itaque vi patriam repoſcens, unde vi fuerat expulſus, poterat videri jure agere, niſi cauſam ſuam ſævitia corrumperet. (*m*) Sed quum Diis hominibuſque infeſtus rediret, ſtatim primo impetu cliens & alumna Urbis Oſtia, nefanda ſtrage diripitur. Mox in Urbem quadruplici agmine intratur. Diviſere copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. Hic poſtquam manus omnis Octavii depulſa Janiculo eſt, ſtatim ad Principum (*n*) cædem ſigno dato, aliquanto ſævius, quam aut in Punica, aut in Cimbrica urbe, ſævitur. Octavii Conſulis caput pro Roſtris exponitur; Antonii conſularis in Marii ipſius menſis: Cæſar, & Fimbria (*o*) in penatibus (*p*) domorum ſuarum trucidantur: (*q*) Craſſi pater & filius in mutuo alter alterius aſpectu: Bæbium atque Numitorium per medium forum unici traxere carnificum: Catulus ſe ignis hauſtu ludibrio hoſtium exemit: Merula flamen Dialis in Capitolio Jovis ipſius oculos venarum cruore reſperſit: Ancharius (*r*) ipſo vidente Mario confoſſus eſt, qui (*s*) fatalem illam ſcilicet manum non porrexerat ſalutanti. Hæc tot Senatus funera intra Calendas & Idus Januarii menſis ſeptima illa Marii purpura dedit. Quid futurum fuit, ſi annum conſularis (*t*) impleſſet? Scipione & Norbano Quinto (*u*) Conſulibus, tertius ille turbo civilis inſaniæ toto furore detonuit. Quippe quum hinc octo legiones, inde quingentæ cohortes ſtarent in armis, inde (*x*) ab Aſia cum victore exercitu Sylla properaret. Et ſane quum tam ferus in Syllanos Marius fuiſſet; quanta ſævitia opus erat, ut Sylla de Mario vindicaretur? Primum apud Capuam ſub amne Vulturno ſigna concurrunt: & ſtatim (*y*) Norbani fuſus exercitus. Statim omnes Scipionis copiæ, oſtentata ſpe pacis, oppreſſæ. Tum Marius juvenis, & Carbo Conſules, quaſi deſperata victoria, ne inulti perirent, in anteceſſum ſanguine Senatus ſibi parentabant: obſeſſaque curia, ſic de Senatu quaſi de carcere, qui jugularentur, educti. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? Nam Quinctus (*z*) Mucius Scævola pontifex, Veſtales amplexus aras, tantum non eodem igne ſepelitur. Lamponius atque Teleſinus Samnitum duces, atrocius Pyrrho & Annibale Campaniam Etruriamque populantur: & ſub ſpecie partium ſe vindicant. Apud Sacriportum, Collinamque portam debellatæ omnes hoſtium copiæ. Ibi Marius, hic Teleſinus oppreſſi. Nec idem tamen cædium, qui (*a*) belli finis fuit. Stricti enim & in pace gladii: animadverſumque in eos, qui ſe ſponte dediderant. Minus eſt, quod (*b*) apud Sacriportum & apud Collinam portam ſeptuaginta amplius millia Sylla concidit. Bellum erat. Quatuor millia deditorum inermium civium, in villa publica interfici juſſit. Iſti tot in pace, non plures ſunt. Quis autem illos poteſt computare, quos in Urbe paſſim, quiſquis voluit, occidit? donec admonente Furfidio, *Vivere aliquos debere, ut eſſent, quibus imperarent*; propoſita eſt ingens illa tabula, & ex ipſo equeſtris ordinis flore ac Senatus, duo millia electi, qui mori juberentur. Novi generis edictum. Piget poſt hæc referre, ludibrio habita fata Carbonis, (*c*) fata Sorani prætoris, atque Venulei: (*d*) Bæbium ſine ferro, ritu ferarum, inter manus laniatum; (*e*) Marium ducis ipſius fratrem apud Catuli ſepulcrum, oculis, manibus, cruribuſque defoſſis (*f*) ſervatum aliquamdiu, ut per ſingula membra moreretur. Poſitis ſingulorum hominum fe-

Marginal notes:

Et cauſa.

Cinna Cos. Urbe pellitur. U. C. 665. Ol. 173. a. C. N. 88.

Marius & ſocii Urbem occupant.

Cædes Principum.

Sylla ex Aſia contra Marianos in Italiam redit. U. C. 669. Ol. 174. a. C. N. 84.

Marii junioris, & Carbonis furor in Senatum. U. C. 670. Ol. 174. a. C. N. 83.

Marius opprimitur.

Syllæ in cives furor.

Marii ſociorum interitus.

(*b*) al. majore. (*c*) al. geminum Urbi infundit agmen. (*d*) al. ſubito. (*e*) al. catenas. (*f*) al. quæ Pœnos, quæque Gallos. (*g* al. incendit. (*h*) al. Quum. (*i*) al. Senatusconſulto. (*k*) al. eximit. (*l*) al. honorificaverunt. (*m*) al. ni cauſam ſuam ſævitia corrupiſſet. (*n*) al. principium. (*o*) al. Cæſi à funebria. al. Cæſi à Fimbria. (*p*) al. in penetralibus. (*q*) al. Cæſar à Fimbria . . . . . trucidatur. (*r*) al. Arcarius. (*s*) al. quia. (*t*) al. conſulatus. (*u*) al. Scipione Norbanoque. (*x*). al. & inde. (*y*) al. & ibi ſtatim. (*z*) al. Namque. (*a*) al. quam. (*b*) al. nec. al. ſed. (*c*) al. Corbonis. (*d*) al. Prætorios atque Venulejos. al. Pletorios ac Venulejos. (*e*) al. lancinatum. al. laceratum. (*f*) al. Oculis effoſſis, manibus, cruribusque defectis.

(6) Cornelio Cinna . . . . Conſulibus) Hujus Cinnæ Conſularem dignitatem prædicat numus Tab. X. num. 2. Conf. GOLTZIUS loc. cit. pag. 164.

Municipia Italiæ sub hasta veneunt.

re pœnis, municipia Italiæ splendidissima, sub hasta venierunt, Spoletium, Interamnium, Præneste, Florentia. (*g*) Nam Sulmonem, vetus oppidum socium atque amicum (facinus indignum!) nondum expugnatum, ut obsides jure belli, & modo morte damnati duci jubentur: sic (*h*) damnatam civitatem jussit Sylla deleri. (*i*)

Sulmo oppidum à Sylla deletur.

Bellum Sertorianum. U.C. 673. Ol. 175. a. C. N. 80.

CAP. XXII. Bellum Sertorianum quid aliud, quam Syllanæ proscriptionis hæreditas fuit? hostile potius, an civile dixerim, (*k*) nescio; quippe quod Lusitani, Celtiberique Romano gesserint duce. Exul & profugus feralis illius tabulæ, vir summæ quidem, sed calamitosæ virtutis, malis suis maria terrasque permiscuit: & jam Africæ, jam Balearibus (*l*) insulis fortunam expertus, missusque in Oceanum, Fortunatas insulas penetravit: (*m*) tandem Hispaniam armavit. Viro cum viris facile convenit. Nec alias magis apparuit Hispani militis vigor, quam Romano duce. Quamquam ille non contentus Hispania, ad Mithridatem quoque, Ponticosque respexit, regemque classe juvit. Et quid futurum fuit? satis tanto hosti uno imperatore resistere res Romana non potuit, additus Metello Cnæus Pompejus. Hi copias viri diu & ancipiti semper acie attrivere: nec tamen prius bello, quam suorum scelere & insidiis extinctus est. Copias ejus prope tota Hispania prosecuti, (*n*) diu & ancipiti semper acie domaverunt. (*o*) Prima per legatos certamina habita, quum hinc Domitius, & Thorius; inde (*p*) Herculeji præluderent: mox his apud Segoviam, illis apud Anam flumen oppressis; ipsi duces cominus invicem experti, apud Lauronem, atque Sucronem æquavere clades. Tum illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conversis, misera inter Romanos duces Hispania discordiæ pœnas dabat: donec oppresso domestica fraude Sertorio, victo deditoque Perperna, ipsæ quoque in Romanam fidem venere urbes, Osca, Termes, (*q*) Tutia, Valentia, Auxima, & in fame nihil non experta (7) Calaguris. Sic recepta in pacem Hispania. Victores duces externum id magis quam civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.

Autor ejus & causa.

Cn. Pompejus contra Sertorium mittitur. U. C. 776. Ol. 175. a. C. N. 77.

Sertorius opprimitur.

Bellum Civile cum Lepido. U. C. 674. Ol. 175. a. C. N. 79.

CAP. XXIII. Marco Lepido, Quincto Catulo Consulibus, civile bellum pene citius oppressum est quam inciperet. Sed quantum, lateque (*r*) fax illius motus ab ipso Syllæ rogo exarsit! Cupidus namque rerum novarum per insolentiam Lepidus, acta tanti viri rescindere parabat: nec immerito, si tamen posset sine magna clade Reipublicæ. Nam quum jure belli Sylla dictator proscripsisset inimicos: qui supererant, revocante Lepido, quid aliud, quam ab bellum vocabantur? quumque damnatorum civium bona, addicente Sylla, quamvis male capta, jure tamen, repetitio eorum proculdubio labefactabat compositam civitatem. Expediebat ergo quasi ægræ sauciæque Reipublicæ requiescere quomodocumque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur. Ergo quum turbidis concionibus, velut classico civitatem terruisset, profectus in Etruriam, arma inde & exercitum Urbi admoverat. Sed jam Milvium pontem, collemque Janiculum Lutatius Catulus, Cnæusque Pompejus, Syllanæ dominationis duces atque signiferi, alio exercitu insederant. (*s*) A quibus primo statim impetu retro pulsus, hostisque à Senatu judicatus, incruenta fuga Etruriam, (*t*) inde Sardiniam recessit: ibique morbo & pœnitentia interiit. Victores, quod non temere (*u*) alias in civilibus bellis, pace contenti fuerunt.

Ejus author & causa.

Lepidus exercitum Urbi admovet.

Sed repellitur.

Et moritur.

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Bellum Catilinarium. U.C. 689. Ol. 179. a. C. N. 64.

Ejus causa.

CAtilinam luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendæ patriæ suæ compulere; Senatum confodere, Consules (*a*) trucidare, distringere incendiis urbem, diripere ærarium, totam denique rempublicam funditus tollere, & quicquid nec Annibal videretur optasse. Quæ omnia quibus (ô nefas!) sociis aggressus est? Ipse patricius? sed hoc minus est: Curii, Porcii, Syllæ, Cethegi, Antonii, (*b*) Varguntejі, atque Longini, quæ familiæ? quæ Senatus insignia? Lentulus quoque cum (*c*) maxime prætor? Hos omnes immanissimi facinoris satellites habuit. Additum est pignus conjurationis, sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere: summum nefas, nisi amplius esset, propter quod biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa conjuratio in Ciceronem & Antonium Consules incidisset: quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum

Et socii.

Pignus conjurationis sanguis humanus.

Conjuratio Catilinæ discutitur. A Fulvia scorto patefacta.

(*g*) al. Fluentia. (*h*) al. sed. (*i*) al. delere. (*k*) al. quam civile dixere. (*l*) al. & in Africa jam, & Balearibus &c. (*m*) al. missusque in Oceanum, Fortunatasque insulas penetravit. al. Nisusque in Oceanum Fortunatasque insulas penetrare. al. victusque in Oceanum fortunatasque insulas penetravit. (*n*) al. persecuti. (*o*) al. dimicaverunt. al. domuerunt. (*p*) al. hinc Domitius, & cohortes inde. (*q*) al. Terme. (*r*) al. quantum quamque. (*s*) al. consederant. (*t*) al. in Etruriam. (*u*) al. tenuere. (*a*) al. Consulem. (*b*) al. Autronii. (*c*) al. tunc.

(7) Calaguris) Perrarum Cimeliarchii nostri numisma Tab. X. num. 3. Calagurim (Urbs erat Hispaniæ Tarraconensis) Municipium fuisse Romanorum docet. Conservat quoque memoriam Duumviri è familia Maria, Caji Marii Capionis. Ad quam vero familiam Q. Urso sit referendus non liquet. Conf. VAILLANT. Numism. Ær. Impp. P. I. pag. 25.

(8) Caput I.) Hoc caput Ryckii Codex membranaceus & multi alii rejiciunt in præcedentem librum.

mum scortum, sed parricidii (*d*) innocens. Tum Consul habito Senatu, in præsentem reum (*e*) Cicero peroravit: sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque palam professo (*f*) *incendium suum restincturum ruina* minaretur. Et ille quidem ad præparatum à Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus Urbi. Lentulus destinatum familiæ suæ Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad præstitutum à Catilina diem Urbe tota viros, faces, tela disponit. Nec civili conspiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma solicitatis, iisset (*g*) ultra Alpes furor; nisi altera proditione Vulturcii, (*h*) Prætoris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio injecta est barbaris manus. Palam prætor in Senatu convincitur. De supplicio agentibus, Cæsar *parcendum dignitati*, Cato *animadvertendum pro scelere* censebat. Quam sententiam secutis omnibus, in carcere parricidæ strangulantur. Quamvis parte conjurationis oppressa, tamen ab incepto Catilina non destitit, sed infestis ab Etruria signis patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. Nemo hostium bello superfuit. Quem quis (*i*) in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe à suis inter hostium cadavera repertus est; pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.

[Margin: Cicero in Catilinam perorat. — Sociorum Catilinæ dispositiones. — Deteguntur. — Et puniuntur. — Catilina ab Antonio opprimitur. U.C.690. Ol. 179. a. C. N. 63.]

CAP. II. Jam pene toto orbe pacato (*k*) majus erat imperium Romanum, quam ut ullis externis viribus opprimi (*l*) posset. Itaque invidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armavit. Ac Mariana quidem, Cinnanaque rabies intra Urbem proluserat, (*m*) quasi experiretur. Syllana tempestas latius, intra Italiam tamen, detonuerat. Cæsaris furor atque Pompeji, Urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique, qua patebat imperium, quodam quasi diluvio, & (*n*) inflammatione (*o*) corripuit: adeo, ut non recte tantum *civile* dicatur; ac ne *sociale* quidem; sed nec *externum*: sed potius *commune quoddam ex omnibus*, (*p*) & *plus quam bellum* (*q*). Quippe si duces ejus inspicias; totus Senatus in partibus. Si exercitus, hinc undecim legiones, inde decem & octo, flos omnis & robur Italici sanguinis. Si auxilia sociorum; hinc Gallici Germanique delectus: inde Dejotarus, Ariobarzanes, Tarchondimotus, Cothus, (*r*) omne Thraciæ Cappadociæque, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Ætoliæ, (*s*) totiusque robur Orientis. Si moram belli; quatuor anni, (*t*) & (*u*) pro clade rerum breve tempus. Si locum & spacium ubi commissum est, intra Italiam: inde se in Galliam Hispaniamque deflexit: reversumque ab occasu totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit: hinc in Ægyptum subito transiliit: inde respexit Asiam: inde Africæ incubuit: (*x*) postremo in Hispaniam rem gyravit, (*y*) & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius quievere, quam in Urbe ipsa, medio Senatu, eorum, qui victi erant, odia victoris sese cæde satiarent. Causa tantæ calamitatis (*z*) eadem quæ omnium, (*a*) NIMIA FELICITAS. Siquidem Quincto Metello, & Lucio Afranio Consulibus, quum Romana majestas toto orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompejanis theatris Roma cantaret, nimia Pompeji potentia apud otiosos, ut solet, cives movit invidiam. Metellus ob minutum Cretæ triumphum; Cato adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompejum, actisque ejus obstrepere. Hinc (*b*) dolor transversum egit, & ad præsidia dignitati paranda impulit. Forte tunc Crassus genere, divitiis, dignitate florebat: vellet tamen auctiores opes: (*c*) Cajus Cæsar eloquentia, & spiritu, ecce jam (*d*) consulatu allevabatur. Pompejus tamen super utrumque eminebat. Sic igitur Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompejo retinere cupientibus, omnibusque pariter potentiæ cupidis, de invadenda Republica facile convenit. Ergo quum mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar invadit, Crassus Asiam, Pompejus Hispaniam: tres maximos exercitus: & jam sic orbis imperium, societate trium principum occupatur. Decem annos traxit iste dominatio. Exinde, quoniam mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos, & morte Juliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompejo, generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Jam Pompejo suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompejana dignitas gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Ne fas! sic de principatu laborabant, tamquam duos tanti (*e*) imperii fortuna non caperet. Ergo Lentulo Marcelloque Consulibus, rupta prima conjurationis fide, de successione Cæsaris Senatus, id est Pompejus (*f*) agitabat: nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitiis haberetur. Consulatus absenti, quem decem tribuni plebis, favente (*g*) Pompejo, nuper decreverant, tum dissimulante eodem negabatur. *Veniret & peteret majorum more.* Ille contra flagitare decreta: ac *nisi in fide permanerent, non se remittere*

[Margin: Bellum Cæsaris & Pompeji. U.C.703. Ol. 182. a. C. N. 50. — Belli gravitas. — Causa hujus belli. — Crassus. — C. Cæsar. — Pompejus. — Cæsar Galliam, Crassus Asiam, Pompejus Hispaniam invadunt. — Occasio æmulationis Cæsarem inter & Pompejum. — Cæsar Consulatum more majorum petere jubetur.]

(*d*) al. parricidiis. al. patriciis. al. patricii nominis. (*e*) al. in præsentem parricidam, in præsentem reum &c. (*f*) al. ex professo. (*g*) al. solicitatis. Et isset &c. (*h*) al. Volturcii. al. Vultunii. (*i*) al. Quem quisque. (*k*) al. Jam pene orbe pacato. (*l*) al. extingui. (*m*) al. præcluserat. al. præclusa erat. (*n*) al. aut. (*o*) al. & cum inflammatione. (*p*) al. *commune ex omnibus gentibus.* (*q*) al. *& plus quam civile bellum.* (*r*) al. Ariobarzanes, Tarchon, Mimotus, vel Dimotus, Corinthus &c. (*s*) al. Italiæ. (*t*) al. annis. (*u*) al. sed. (*x*) al. inde respexit Asiam, Africæ incubuit. al. dein Africæ. (*y*) al. remigravit. al. regnavit. (*z*) al. necessitasis. (*a*) al. eademque omnium. (*b*) al. Hic. al. hunc. (*c*) al. vellet tamen auctor honores & opes. al. ampliores. al. altiores opes. (*d*) al. & jam. (*e*) al. tanta, (*f*) al. Senatus, idemque Pompejus &c. (*g*) al. quod decem tribuni favente &c. al. quem decem tribus favente &c.

tere (*b*) *exercitum* Ergo ut in hostem decernitur. His Cæsar agitatus, statuit præmia armorum armis defendere. Prima civilis belli arena, Italia fuit: cujus arces levibus præsidiis Pompejus insederat: sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt. (*i*) Prima Arimino (*k*) signa cecinerunt. Tum pulsus Etruria (*l*) Libo, Umbria Thermus, Domitius Corfinio. Et peractum erat bellum sine sanguine (*m*) si Pompejum Brundusii opprimere potuisset. Et ceperat. (*n*) Sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit. Turpe dictu! modo princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum à se mare lacera & pene inermi nave fugiebat. Nec Pompejus ab Italia, quam Senatus ab Urbe, fugatur prior. Quam pene vacuam metu, Cæsar ingressus, Consulem se ipse facit. Ærarium quoque sanctum, quia (*o*) tardius aperiebant Tribuni, jussit effringi: censumque & patrimonium Populi Romani ante rapuit, quam imperium. Pulso fugatoque Pompejo, maluit prius ordinare provincias, quam ipsum sequi. Siciliam & Sardiniam, annonæ pignora, per legatos habet. (*p*) Nihil hostile erat in Gallia: pacem ipse fecerat. Sed ad Hispanienses Pompeji exercitus transeunti per eam duci portas claudere ausa Massilia est. Misera dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: sed quia tutis muris erat, vinci eam sibi jussit absenti. Græcula civitas, non pro mollitie (*q*) nominis, & vallum rumpere (*r*) & incendere machinas ausa, & congredi navibus: sed Brutus, cui mandatum erat bellum, victos terra marique perdomuit. Mox dedentibus sese ablata, omnia, præter, quam potiorem omnibus habebant, libertatem. Anceps, variumque, & cruentum (*s*) in Hispania bellum cum legatis Cnæi Pompeji Petrejo & Afranio: quos Ilerdæ castra habentes, apud Sicorim amnem obsidere, & ab oppido intercludere aggreditur. Interim obundatione verni fluminis, commeatibus prohibetur. (*t*) Sic fame castra tentata sunt: obsessorque ipse quasi obsidebatur. Sed ubi pax fluminis rediit, populationibus (*u*) & pugnæ (*x*) campos aperuit, iterum ferox instat, & cedentes ad Celtiberiam (*y*) consecutus, aggere & vallo, & per hæc sui ad deditionem compulit. Sic citerior Hispania recepta est; nec ulterior moram fecit. Quid enim una post quinque legiones? Itaque ultro cedente Varrone, Gades, Fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam; quasi de industria prospera ejus (*z*) adversis radiarentur. Quippe quum fauces Adriatici maris jussi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Curictico (*a*) littore castra posuissent; jam maria late tenente Pompejo repente legatus (*b*) ejus Octavius & Libo (*c*) ingentibus copiis classicorum, circumvenit utrumque. (*d*) Deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque à Basilo (*e*) in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat, nova Pompejanornm arte Cilicum, actis (*f*) sub mare (*g*) funibus captæ, quasi per indaginem. Duas tamen æstus explicuit. Una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum (*h*) dedit. Quippe vix mille juvenum manus, circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit. Et quum exitum virtus non haberet, (*i*) tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vultejo, mutuis ictibus in se concurrit. In Africa quoque par & virtus, & calamitas Curionis fuit: qui ad recipiendam provinciam missus, pulso fugatoque Varo (*k*) jam superbus, subitum Jubæ regis adventum, equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga, sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur. Sed jam debitum per fortuna flagitante, sedem bello (*l*) Pompejus Epiron elegerat. Nec Cæsar moratur. (*m*) Quippe ordinatis à tergo omnibus, quamvis hiems media prohiberet tempestate, ad bellum navigavit. (*n*) Positisque ad Oricum castris, quum pars exercitus ob inopiam navium cum Antonio relicta, Brundusii moram faceret; adeo impatiens erat, ut ad arcessendos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio navigio, solus ire tentaverit. Extat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem (*o*) vox ipsius: *Quid times? Cæsarem vehis.* Contractis in unum undique copiis, (*p*) positisque cominus castris, diversa erant ducum consilia. Cæsar pro natura ferox, & conficiendæ rei cupidus, ostentare aciem, provocare, lacessere; nunc obsidione castrorum, (*q*) quæ sedecim millium vallo obduxerat; (*r*) (sed quid his obesset obsidio, qui patente mari omnibus copiis abundarent;) nunc expugnatione (*s*) Dyrrachii irrita; (quippe quam vel situs inexpugnabilem faceret.) Ad hoc assiduis in eruptionem (*t*) hostium præliis; (quo tempore egregia virtus Scævæ centurionis emicuit, (*u*) cujus in scuto centum atque viginti (*w*) tela sedere.) Jam vero direptione urbium sociarum quum Oricum, & Gomphos, & alia castella Thessaliæ vasta-

Prima belli civilis atena Italia.

Pompejus fugatur. U.C. 703. Ol. 182. a. C. N. 50.

Cæsar se ipsum Consulem facit.

Provincias ordinat.

Hispaniam debellat.

Res gestæ in Illyrico.


In Africa.

Cæsaris res gestæ in Epiro.

Scævæ virtus egregia.

(*b*) al. *dimittere.* al. *dimissurum.* (*i*) al. sed omnia subito impetu oppressa sunt. (*k*) al. Arimini. (*l*) al. ab Etruria. (*m*) al. Et peractum erat sine sanguine bellum. (*n*) al. opprimere, ut ceperat, potuisset. (*o*) al. quod quia. (*p*) al. habuit. (*q*) al. mollitia. (*r*) al. cædere. (*s*) al. incruentum. al. sed incruentum. (*t*) al. prohibet (*u*) al. mox ubi pax fluminis populationibus &c. (*x*) al. pugna. (*y*) al. in Celtiberiam. (*z*) al. quasi de industria, ut prospera ejus &c. (*a*) al. Corcyræo. (*b*) al. repente castra legatus &c. (*c*) al. Octavius Libo (*d*) al. classicorum utrinque circumvenit. (*e*) al. Basilio. al. Ablasio. al. Basillo. (*f*) al. jactis. (*g*) al. mari. (*h*) al. exemplum. (*i*) al. daret. (*k*) al. Varrone. (*l*) al. Sed jam debitam pari fortuna flagitante sedem. (*m*) al. moratus. (*n*) al. quum hiems media prohiberet, tempestate ad bellum navigavit. (*o*) al. gubernatorem Amiclatem. (*p*) al. undique omnibus copiis. (*q*) al. provocare, nunc lacessere obsidione castrorum. (*r*) al. quæ erant sedecim millium vallo obducta. (*s*) al. oppugnatione. (*t*) al. eruptione. (*u*) al. enituit. (*w*) al. quadraginta.

Tab. XI.
ad pag. 43. 47.



vaſtaret: (*x*) Pompejus adverſus hæc nectere moras, tergiverſari, ſimul ut hoſtem (*y*) interclusum undique inopia commeatuum tereret, (*z*) utque ardentiſſimi ducis conſeneſceret impetus. Nec diutius profuit duci ſalutare conſilium. Milites (*a*) otium, ſocii moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prælio ſumpta eſt Theſſalia: (*b*) & Philippicis campis, Urbis, imperii, generis humani fata commiſſa ſunt. Nunquam ullo (*c*) loco tantum virium Populi Romani, (*d*) tantum dignitatis fortuna vidit. Trecenta amplius millia hinc vel (*e*) illinc, præter (*f*) auxilia regum, & Senatus. (*g*) Nunquam imminentis ruinæ manifeſtiora prodigia: fuga victimarum; examina in ſignis; interdiu tenebræ; (*h*) Dux ipſe & nocturna imagine theatri ſui audiens plauſum in modum planctus circumſonare; (*i*) & mane cum pullo (*k*) (nefas!) apud principia conſpectus. (*l*) Nunquam acrior neque alacrior exercitus Cæſaris fuit. Inde claſſica prius, inde tela. Annotatum quoque committentis aciem Craſtini pilum: qui mox adacto in os gladio, ſic inter cadavera repertus, (*m*) libidinem ac rabiem qua pugnaverat, ipſa novitate vulneris præferebat. Sed nec minus admirabilior illius exitus belli. Quippe quum Pompejus adeo equitum (*n*) copia abundaret, ut facile circumventurus ſibi Cæſarem videretur, circumventus ipſe eſt. Nam quum diu æquo marte contenderent, (*o*) juſſuque Pompeji fuſus (*p*) à cornu erupiſſet equitatus, repente hinc ſigno dato, Germanorum cohortes tantum in effuſos equites fecere impetum, ut illi eſſe pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc ſtragem fugientis equitatus, levis armaturæ ruinæ comitata eſt. Tunc terrore latius dato, turbantibus invicem copiis, reliqua ſtrages quaſi una manu facta eſt. Nec ulla res magis exitio fuit, quam ipſa exercitus magnitudo. Multus in eo prælio Cæſar fuit, mediuſque inter imperatorem & militem. Voces quoque obequitantis exceptæ, altera cruenta, ſed docta, & ad victoriam efficax; *Miles, faciem feri:* altera ad jactationem compoſita; *Parce civibus:* quum ipſe ſequeretur. Felicem utcunque in malis Pompejum, ſi eadem ipſum, quæ exercitum ejus fortuna traxiſſet! Superſtes dignitatis (*q*) ſuæ vixit, ut cum majore dedecore per Theſſalica Tempe equo fugeret, ut una navicula Lesbon applicaretur: pulſus Syedris: (*r*) in deſerto Ciliciæ ſcopulo fugam in Parthos, Africam vel Ægyptum agitaret: ut denique in Peluſio (*s*) littore, imperio viliſſimi regis, conſiliis ſpadonum, &, ne quid malis deſit, Septimii deſertoris ſui gladio trucidatus, ſub oculis uxoris ſuæ liberorumque moreretur. Quis non peractum eſſe cum Pompejo crederet bellum? Atqui acrius multo atque vehementius Theſſalici incendii cineres recaluere. Et in Ægypto quidem adverſus Cæſarem ſine partibus bellum. Quippe quum Ptolemæus rex Alexandriæ, ſummum civilis belli ſcelus peregiſſet, fœduſque amicitiæ cum Cæſare, medio Pompeji capite ſanxiſſet; ultionem tanti (*t*) viri Manibus quærente fortuna; cauſa non defuit. (9) Cleopatra regis ſoror, affuſa Cæſaris genibus, partem regni repoſcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur, ex illo, quod talis paſſa videbatur injuriam: odium ipſius regis, qui Pompeji cædem, partium fato, non Cæſari dederat; haud dubie idem in ipſum auſurus, ſi expediſſet. Quam ubi Cæſar reſtitui juſſit in regnum, ſtatim ab eiſdem percuſſoribus Pompeji obſeſſus in regia, quamvis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute ſuſtinuit. Ac primum ædificiorum proximorum, atque navalium incendio, infeſtorum hoſtium tela ſubmovit: mox in peninſulam (*u*) Pharon ſubitus evaſit: inde depulſus (*x*) in maria mira felicitate ad proximam claſſem enatavit: relicto quidem in fluctibus paludamento, ſeu fato, ſeu conſilio, ut illud ingruentibus hoſtium telis ſaxiſque peteretur. Tandem (*y*) receptus à claſſicis ſuis, undique ſimul hoſtes adortus, de imbelli ac (*z*) perfida gente, juſta generi Manibus dedit. Quippe & Theodotus magiſter, auctorque totius belli, & ne virilia quidem portenta Pothinus atque Ganymedes, diverſa per mare & terras fuga & morte (*a*) conſumpti. Regis ipſius corpus obrutum limo repertum eſt in aureæ loricæ honore. In Aſia quoque novus rerum motus à Ponto, plane quaſi de induſtria captante fortuna hunc Mithridatico regno exitum, ut à Pompejo pater, à Cæſare filius vinceretur. Rex Pharnaces magis diſcordiæ noſtræ fiducia, quam virtutis ſuæ, infeſto in Cappadociam agmine ruebat: ſed hunc Cæſar aggreſſus, uno, &, ut ſic dixerim, non toto prælio obtrivit, more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percuſſit, abſceſſit. Nec vana de ſe prædicatio eſt Cæſaris; *ante victum hoſtem eſſe, quam viſum.* Sic cum exteris. At in Africa cum civibus multo atrocius, (*b*) quam in Pharſalia. Huc reliquias par-

Margin notes: Pugna decretoria. — Germanorum virtus. — Cæſaris indefeſſa fortitudo. — Pompejus victus. — Fugit in Africam. — Et occiditur, U.C. 704. Ol. 182. a. C. N. 49. — Bellum in Ægypto, U.C. 705. Ol. 183. a. C. N. 48. — Ejus cauſa. — Cæſaris periculum. — Ptolemæus victus & occiſus. — Pharnaces in Aſia victus. — Novum in Africa bellum.

(*x*) al. vaſtarent. al. vaſtarentur. (*y*) al. tergiverſari ſimul, ut hoſtem &c. (*z*) al. terreret. (*a*) al. Miles. (*b*) al. prælio Theſſalia ſumpta eſt. (*c*) al. uno. (*d*) al. Populus Romanus. (*e*) al. &. (*f*) al. hinc belli illinc præter &c. (*g*) al. ſociorum. (*h*) al. examina, inſignes interdum tenebræ. (*i*) al. circumſonat, (*k*) al. cum pullo amiculo. (*l*) al. conſpectus eſt. (*m*) al. repens. (*n*) al. equitatuum. (*o*) al. contenderet. (*p*) al. effuſus. (*q*) al. dignitati. (*r*) al. Synedris. al. Lariſſa. (*s*) al. Peluſiaco. (*t*) al. clariſſimi. (*u*) al. inſulam. (*x*) al. delapſus. (*y*) al. Tum. al. Tamen. (*z*) al. & (*a*) al. diverſi per mare & transfugio & morte &c. (*b*) al. acrius.

(9) Cleopatra Regis ſoror) Duo de Cleopatra exhibemus numiſmata Tab. X. num. 4. & Tab. XI. num. 1. Prius ab Antonio Arnia devicta percuſſum eſt, exhibetque Cleopatræ effigiem diademate exornatam, cum epigraphe REGINÆ REGUM FILIORUMQUE REGUM, eo, quod Antonius capto Artavasde, poſt reditum in Ægyptum, filiis Cleopatræ, Cyprum, Syriam, Africam item & Armeniam Regna largitus eſt. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. III. p. 79. PATIN. Fam. Rom. pag. 23. OISEL. Th. Numiſm. antiqu. p. 95. Tab. XX. num. 8. Poſterius ex PATINI Numiſm. Impp. Rom. ex ær. med. & min. Formæ pag. 17. deprompſimus. In quo Cleopatra ſub habitu Dianæ comparet; Pars averſa aquilam exhibet fulmini inſiſtentem, inſigne Regum Ægyptiorum. Cornu copiæ opes Cleopatræ deſignat. Inſcriptio eſt. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. Cleopatræ Reginæ.

partium naufragarum quidam furoris æstus expulerat: nec reliquias diceres, sed integrum bellum. Sparsæ magis, quam oppressæ vires erant. Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum successio. Quippe satis ample sonabant in Pompejani nominis locum Cato & Scipio. Accessit copiis Mauritaniæ rex Juba, videlicet ut latius vinceret Cæsar. Nihil ergo inter Pharsaliam, & Thapson, nisi quod amplior, eoque acrior (*c*) Cæsarianorum impetus fuit, indignantium post Pompejum crevisse bellum. Denique, quod alias nunquam, ante imperium ducis, sua sponte signa cecinerunt. Strages à (*d*) Juba cepit. Ejus elephanti bellorum rudes, & nuper (*e*) à silva, consternati subito clangore. (*f*) Statim & in fugam exercitus, (*g*) & (*h*) duces fortius, quam ut fugerent, non inconspicua tamen morte omnium. Jam Scipio nave fugiebat: sed assecutis eum hostibus, gladium per viscera exegit; & *ubi esset* quodam requirente, respondit hoc ipsum; *Bene se habet Imperator.* Juba quum sese recepisset in regiam, magnifice epulatus, postero die cum (*i*) Petrejo fugæ comite, super mensas (*k*) & pocula interficiendum se ei præbuit. Ille & regi suffecit, & sibi; quum interim semesi in medio cibi, & parentalia fercula regio simul Romanoque sanguine madebant. Cato non interfuit bello: positisque apud Bagradam castris, Uticam, velut altera Africæ claustra, servabat. Sed accepta partium clade, nihil cunctatus, ut sapiente dignum erat, mortem etiam lætus accivit. Nam postquam filium comitesque amplexu dimisit, in nocte (*l*) lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet, paullulum quievit. Tum circa primam vigiliam stricto gladio revelatum manu pectus semel iterumque percussit. Ausi post hoc virum medici violare fomentis. Ille passus, dum abscederent, rescidit plagas: secutaque vis sanguinis moribundas manus in ipso vulnere reliquit. Quasi non esset usquam dimicatum, sic arma rursus & partes. Quantoque Africa supra Thessaliam,(*m*) tanto Africam superabat Hispania. Plurimum quantum favoris (*n*) partibus dabat (*o*) fraternitas ducum, & pro uno duos stare Pompejos. Itaque nusquam atrocius, nec tam ancipiti marte concursum est. Primum in ipso ostio Oceani Varus Didiusque legati conflixere: sed acrius fuit cum ipso mari, quam inter se navibus bellum. Siquidem velut furorem civicum (*p*) castigaret Oceanus, utramque classem (*q*) naufragio cecidit. Quinam ille horror, quum eodem tempore fluctus, procellæ, viri, naves, armamenta (*r*) confligerent? Adde situs ipsius formidinem; vergentia (*s*) in unum, hinc Hispaniæ, inde Mauritaniæ littora; mare & intestinum & externum; imminentesque Herculis speculas; (*t*) quum omnia undique simul prælio, & tempestate sævirent. Mox circa obsidiones urbium utrimque discursum est: quæ miseræ inter hos (*u*) atque illos duces societatis Romanæ pœnas dabant. Omnium postrema certaminum Munda. (*x*) Hic non pro cetera felicitate, sed anceps, & diu triste prælium; ut plane videretur nescio quid deliberare fortuna. Sane & ipse ante aciem mœstior non ex more Cæsar, sive respectu (*y*) fragilitatis humanæ; sive nimiam prosperorum suspectam habens continuationem; (*z*) vel eadem timens, postquam idem esse ceperat, quod Pompejus. Sed in ipso prælio, quod nemo unquam meminerat, quum diu pari Marte acies nihil aliud quam occiderent, in medio ardore pugnantium subito ingens (*a*) inter utrosque silentium, quasi convenisset. (*b*) Hic (*c*) omnium sensus erat. Novissime illud insitatum Cæsaris oculis (nefas!) post (*d*) quatuordecim annos probata veteranorum manus gradum retro dedit. Quod etsi nondum (*e*) fugerat, apparebat tamen pudore magis, quam virtute resistere. Itaque ablegato equo, similis furenti, primam in aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare; per totum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur in illa perturbatione & de extremis (*f*) agitasse (*g*) secum, & ita manifesto vultu fuisse (*h*) quasi occupare manu mortem vellet, nisi cohortes (*i*) hostium quinque per transversam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus castris subsidio miserat, fugæ speciem (*k*) præbuissent. Hoc aut ipse (*l*) credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem: & quasi in fugientem (*m*) invectus simul & suorum erexit animos, & hostes (*n*) perculit. Nam hi dum se putant vincere, fortius sequi; Pompejani dum fugere credunt suos, fugere ceperunt. Quanta fuerit hostium cædes, ira, rabiesque victoribus, sic æstimari potest. Hoc à prælio profugi, quum se Mundam (*o*) recepissent, & Cæsar obsideri statim victos imperasset, congestis cadaveribus (*p*) agger effectus (*q*) est, quæ pilis jaculisque confixa inter se tenebantur. Fœdum etiam inter barbaros! Sed videlicet victoriam (*r*) desperantibus Pompeji liberis, Cnæum prælio profugum, crure saucio deserta

Quibus Auctoribus.

Juba vincitur.

Scipio occiditur.

Simul & Juba.

Cato manus sibi infert.


Bellum in Hispania cum Pompeji filiis.

Atrocitas belli.

Pugna ad Mundam.

Pompejani vincuntur. U.C.707. Ol. 183. a. C. N. 46.

(*c*) al. nisi quod amplior eo acriorque. (*d*) al. in Juba. (*e*) al. & nuperi. (*f*) al. clangore tubarum. (*g*) al. statim & exercitus in fugam agi. (*h*) al. nec. (*i*) al. Juba quum se recepisset in hoc ipsum regiam, magnifice epulatus, cum Petrejo &c. al. epulatus, postremo cum Petrejo &c. (*k*) al. superque mensas. (*l*) al. in noctem. (*m*) al. Thessaliam fuit. (*n*) al. Plurimumque favoris &c. (*o*) al. addebat. (*p*) al. civium. (*q*) al. utrumque classe &c. (*r*) al. elementa. (*s*) al. urgentia. al. Vergentia hinc in unum. (*t*) al. specula. (*u*) al. in hos. (*x*) al. Omnium postremum certamen Mundæ. al. Numidia. (*y*) al. respectum. (*z*) al. conjurationem. (*a*) alii τὸ ingens omittunt. (*b*) al. convenissent. (*c*) al. Et hic &c. (*d*) al. per. (*e*) al. Quod si nondum. al. Quæ etsi nondum. al. Quos etsi nondum &c. (*f*) al. perturbatione & cæde de extremis &c. (*g*) al. cogitasse. (*h*) al. manifeste vultu prætulisse. (*i*) al. nisi quod cohortes. (*k*) al. spem. (*l*) al. aut & ipse. (*m*) al. in fuga. (*n*) al. hostis. (*o*) al. Mundæ. (*p*) al. ex congestis undique cadaveribus &c. (*q*) al. confectus. (*r*) al. victoriam omittunt.



Tab. XII.
ad pagg. 17.
I
DIVI·IVLI
ÆR
E
S·C
II
III
IV
ÆR
Æ
AETER NITATIS AVGVSTAE
AETERNITAT FLAVIORVM.
E
F
V
PARENS PATRIAE CAESAR
VI
DICT·PERPETVO. CAESAR.
L.BVCA.

ſerta & avia petentem, Ceſonius (*s*) apud Lauronem oppidum conſecutus, pugnantem, (adeo nondum deſperabat) interfecit. (*t*) Sextum fortuna in Celtiberiam (*u*) interim abscondit; aliiſque poſt Cæſarem bellis reſervavit. Cæſar in patriam victor invehitur.

Cæſaris triumphi.

(10) Primum de Gallia triumphum tranſmiſerat Rhenus, & Rhodanus, & ex auro captivus Oceanus. (11) Altera laurus (*x*) Ægyptia. Tunc in ferculis Nilus, (*y*) Arſinoë, & ad ſimulacrum ignium ardens Pharus. (12) Tertius de Pharnace currus, (*z* & Ponto. (13) Quartus Jubam & Mauros, & his ſubactam (*a*) oſtendebat Hiſpaniam. Pharſalia, & Thapſos, (*b*) & Munda nuſquam, & quanto majora erant, de quibus non triumphabat! Hic aliquando finis armis fuit. Reliqua pax incruenta: penſatumque clementia bellum. Nemo cæſus imperio (*c*) præter Afranium. Satis ignoverat ſemel, & Fauſtum Syllam. Didicerat generos (*d*) timere. Filiamque Pompeji cum patruelibus ex Sylla. Hic poſteris cavebatur.

Honores omnes in Cæſarem congeſti.

Itaque non ingratis civibus omnes unum in principem congeſti honores: circa templa imagines, in theatro (14) diſtincta radiis corona; ſuggeſtus in curia; (15) faſtigium in domo; menſis in cœlo; ad hæc (16) pater ipſe patriæ, (17) perpetuuſque Dictator noviſſime, dubium an ipſo volente, oblata pro roſtris ab Antonio Conſule, regni inſignia.

Pater patriæ & Perpetuus Dictator Cæſar.

Quæ omnia velut infulæ in deſtinatam morti victimam congerebantur. Quippe clementiam principis vicit invidia. Gravisque erat liberis ipſa beneficiorum potentia. Nec diutius dilatio donata eſt: ſed (18) Brutus & (19) Caſſius, aliique patricii (*e*) conſenſerunt in cædem Principis.

Bruti & Caſſii conjuratio in Cæſarem.

Quanta vis fati! manaverat late conjuratio. Libellus etiam Cæſari datus eodem die. Nec perlitare centum victimis potuerat. Venit in curiam tamen, expeditionem Parthicam meditans. Ibi in curuli ſedentem eum Senatus invaſit; tribuſque & viginti vulneribus ad terram datus eſt. Sic ille, qui terrarum orbem civili ſanguine impleverat, tandem ipſe ſanguine ſuo curiam implevit.

Cæſar interficitur. U. C. 708. Ol. 183. a. C. N. 45.

CAP. III. Populus Romanus, Cæſare & Pompejo trucidatis, rediiſſe in ſtatum priſtinæ libertatis videbatur: & redierat, niſi aut Pompejus liberos, aut Cæſar hæredem reliquiſſet: vel, quod (*f*) utroque pernicioſius fuit; ſi non collega quondam, mox æmulus Cæſarianæ potentiæ, fax & turbo ſequentis ſeculi, ſuperfuiſſet Antonius.

Trucidato Cæſare Roma cur non quieta?

Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari: dum Octavius mortem patris ulciſcitur, iterum fuit movenda Theſſalia: dum Antonius varius ingenio, aut ſucceſſorem Cæſaris indignatur Octavium, aut amore Cleopatræ deſciſcit in regem. Nam aliter ſalvus eſſe non potuit, niſi confugiſſet ad ſervitutem.

Antonius.

Gratulandum tamen in tanta (*g*) perturbatione eſt, quod potiſſimum ad Octavium Cæſarem Auguſtum ſumma rerum rediit: qui ſapientia ſua atque ſolertia perculſum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus: quod ita haud dubie nunquam coire & conſentire potuiſſet, niſi unius præſidis nutu, quaſi anima & mente regeretur.

Octavius Cæſar Auguſtus. Ordinat imperium.

Marco Antonio, Publio Dolabella Conſulibus, imperium Romanum jam ad Cæſares transferente fortuna, varius & multiplex civitatis motus fuit. Quodque in annua cœli converſione fieri ſolet, ut mota ſidera tonent, ac ſuos flexus tempeſtate ſignificent: ſic in Romanæ dominationis, id eſt, humani generis converſione, penitus intremuit, omnique genere diſcriminum, civilibus, terreſtribus, ac navalibus bellis, omne imperii corpus agitatum eſt.

CAP. IV. Prima civilium motuum cauſa teſtamentum Cæſaris fuit, cujus ſecundus hæres Antonius prælatum ſibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi juvenis ſuſceperat bellum.

Bellum Mutinenſe. Ejus cauſa & Auctor.

Quippe quum intra decem & octo annos tenerum, obnoxium, & opportunum injuriæ juvenem videret, ipſe plenæ ex commilitio Cæſaris dignitatis; lacerare furtis hæreditatem, ipſum inſectari probris,

(*s*) al. Cenonius. al. Ceſennius. (*t*) al. pugnantem nondum deſperantem interfecit. al. interficit. (*u*) al. in Celtiberia. (*x*) al. Alterum laurus. (*y*) al. Juncti in ferculis Nilus. (*z*) al. Tertius Pharnacis currus. (*a*) al. & his bis ſubactam &c. (*b*) al. Thapſo. al. Thapſus. (*c*) al. Nemo cæſus ejus imperio. (*d*) al. generum. al. generoſum. (*e*) al. aliique patres. (*f*) al. quod omittunt. (*g*) al. Gratulandum tamen ei in tanta.

(10) Primum de Gallia triumphum) Hunc triumphum denotat Tropæum in numo Tab. XI. num. 2. ex GOLTZII Cæſare Tab. IX. num. 1. Add. BEGER. Th. Br. T. II. p. 558. Conf. PATIN. Fam. Rom. pag. 129. Adverſa hujus numi Veneris imago exhibet, ad quam Familia Julia originem ſuam refert.

(11) Altera laurus Ægyptia) De Ægypto capta, loquitur numus Tab. XI. num. 3. in figura Crocodili, Ægypti typi, quod regionis ejus notiſſimum animal. GOLTZIUS. Faſt. pag. 180. Add. OISEL. Th. Numism. antiqu. pag. 147. Tab. XXXIII. num. 11.

(12) Tertius) Deſignat hunc triumphum numus Tab. XI. num. 4. ex GOLTZII Faſt. p. 180. & Cæſare Tab. XI. num. 10.

(13) Quartus) Hujus triumphi memoriam conſervat numus Tab. XII. num. 1. ex GOLTZII Faſt. pag. 180. & Cæſare Tab. XI. num. 3.

(14) Diſtincta radiis corona) Tali corona radiata caput Jul. Cæſaris redimitum conſpicimus in numo Tab. XII. num. 2. cum Inſcriptione: Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ. h. e. Cajus Julius Cæſar Deus. Divinitatis enim aliquid indicabat corona radiata, quæ nulli concedebatur, niſi qui præclaribus & ſingularibus fulgebat factis. GOLTZIUS in Cæſare. Tab. V. num. 59. Add. OISEL. loc. cit. pag. 46.

(15) Faſtigium in domo) Ut domus ejus templi inſtar eſſet. Horum Faſtigiorum exempla videre licet in numis Auguſti & Titi Impp. Tab. XII. num. 3. & 4. Conf. OISEL. loc. cit. p. 510. Tab. CIV. num. 11. & 12.

(15) Pater Patriæ) Appellatur Parens Patriæ in numo Tab. XII. num. 5. Vid. BEGER. Th. Br. T. II. pag. 602. Add. PATIN. Fam. Rom. pag. 131. & GOLTZIUM in Cæſare Tab. III. num. 31.

(17) Perpetuusque Dictator) E pluribus numis hoc titulo notatis, unicum adducimus Tab. XII. num. 6. In cujus averſa Venus victoriolam geſtat, adjacet globus, cui impoſiti clypei; quibus indicatur, virtute Cæſaris de orbe Terrarum partam victoriam. BEGER. Th. Br. T. II. pag. 602. & 603. Add. GOLTZIUS. in Cæſ. Tab. III. num. 35. PATIN. Fam. Rom. p. 127. & 128.

(18) Brutus) Huc pertinet numus Tab. XIII. num. 1. In cujus una parte Bruti Effigies expreſſa eſt; In altera videntur pileus, ſymbolum libertatis, & duo pugiones, quo teli genere Cæſar à Bruto & conjuratis ſuis interfectus eſt; additus dies, quo perpetratum ſcelus. PATIN. Fam. Rom. pag. 142.

(19) Caſſius) Hujus ſcelerati facti memoriam ſervat numus Tab. XIII. num. 2. In quo Libertatis caput exprimitur. BEGER. Th. Br. Tom. II. pag. 547. Add. PATIN. loc. cit. pag. 69. GOLTZIUS in Cæſare. Tab. XXI. num. 3.

bris, cunctis artibus cooptationem Juliæ gentis inhibere non desineret: denique ad opprimendum juvenem, palam arma moliri: & jam parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis Decimum Brutum obsidebat: (*h*) Octavius Cæsar ætate & injuria favorabilis, & nominis majestate, quod sibi induerat, revocatis ad arma veteranis, privatus (quis crederet?) Consulem aggreditur: obsidione Mutinæ liberat Brutum: Antonium exuit castris. Tum quidem etiam manu pulcer apparuit. Nam cruentus & saucius aquilam à moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat.

Octavius Cæsar Antonium ab obsidione Mutinæ repellit. U. C. 709. Ol. 184. a. C. N. 44.

CAP. V. Alterum bellum concitavit agrorum divisio, quos Cæsar veteranis in castris pretium militiæ persolvebat. Semper alias Antonii (*i*) pessimum ingenium Fulvia, gladio cincta virilis militiæ, uxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando, iterum in arma ierat. Hic vero jam non privatis, (*k*) sed totius Senatus suffragiis judicatum hostem Cæsar aggressus, intra Perusiæ muros redegit, compulitque ad extrema deditionis turpi & nihil non experta fame.

Bellum Perusinum. Ejus Causa.

Antonius ab Augusto Perusiæ obsidetur. U. C. 711. Ol. 184. a. C. N. 42.

CAP. VI. Quum solus etiam gravis paci, gravis reipublicæ esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit. Quid contra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem? Diversa omnium vota. Incendit (*l*) Lepidum divitiarum cupido, quarum spes ex turbatione Reipublicæ: Antonium ultiones (*m*) de his, qui se hostem judicassent. Cæsarem inultus pater, & Manibus ejus graves Cassius & Brutus agitabant. In hoc velut fœdus, (20) pax inter tres duces componitur. Apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam jungunt manus, & exercitus consalutant. (*n*) Nullo bono more (*o*) Triumviratus invaditur. Oppressaque armis Republica redit Syllana proscriptio: cujus atrocitas nihil in se minus habet, quam numerum centum quadraginta Senatorum. Exitus fœdi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium. Pro quibus quis (*p*) pro dignitate rei ingemiscat, quum Antonius Lucium Cæsarem avunculum (*q*) suum, Lepidus Lucium Paullum suum fratrem proscripserit? Romæ capita cæsorum proponere in rostris jam usitatum (*r*) erat: verum sic quoque civitas lacrimas tenere non potuit, quum rescissum Ciceronis caput in illis suis rostris videretur, nec aliter ad videndum eum, quam solebat ad audiendum, concurreretur. Hæc scelera in Antonii Lepidique tabulis. Cæsar percussoribus patris contentus fuit. Hæc quoque, nisi multa fuisset, etiam justa cædes haberetur.

TRIUMVIRATUS Cæsaris, Antonii & Lepidi. U. C. 709. Ol. 184. a. C. N. 44.

Cicero interficitur.

CAP. VII. Brutus & Cassius sic Cæsarem, quasi Tarquinium regem depulisse regno videbantur. Sed libertatem, quam maxime restitutam voluerunt, illo ipso parricidio perdiderunt. Igitur cæde perfecta, quum veteranos Cæsaris, nec immerito, timerent, statim è curia in Capitolium confugerant. (*s*) Nec illis ad ultionem deerat animus, sed ducem non habebant. Igitur quum appareret, quæ strages reipublicæ immineret, displicuit ultio cum Consulis (*t*) abolitione decreta. Ne tamen publici doloris oculos ferrent, in provincias ab illo ipso, quem occiderant, Cæsare datas, Syriam & Macedoniam, concesserunt. (*u*) Sic vindicta Cæsaris dilata potius quam oppressa est. Igitur ordinata magis, ut poterat, quam ut decebat, republica, (*x*) relicto ad Urbis præsidium Lepido, Cæsar cum Antonio in Cassium Brutumque succingitur. Illi comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quæ fatalis Cnæo Pompejo fuit, arenam insederant. (*y*) Sed nec tum imminentia cladis destinatæ (*z*) signa latuere. Nam & assuetæ cadaverum pabulo volucres, castra quasi jam sua circumvolabant. In aciem prodeuntibus Æthiops obvius nimis aperte ferale signum fuit. Ipsique Bruto per noctem, quum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quædam imago se obtulit, & *quæ esset*, interrogata: *Tuus*, inquit, MALUS GENIUS. Hoc dixit, (*a*) & sub oculis mirantis evanuit. Pari (*b*) in meliora præsagio in Cæsaris castris omnia aves victimæque promiserant: sed nihil illo præsentius, quod Cæsaris (*c*) medicus somnis admonitus est, *ut Cæsar castris excederet, quibus capi imminebat*: ut factum est. Acie namque commissa, quum pari ardore aliquamdiu dimicatum foret: &, quamvis duces non essent præsentes, (*d*) quorum alterum (*e*) corporis ægritudo, illum metus & ignavia subduxissent; stabat (*f*) tamen pro partibus invicta fortuna & ultoris, & qui vindicabatur; (*g*) Primum adeo anceps fuit, & par utrimque discrimen, ut exitus prælii docuit. Capta sunt hinc Cæsaris castra, inde Cassii. Sed *quanto efficacior est fortuna quam virtus!* & quam verum est, quod moriens efflavit, *non in re, sed in verbo tantum esse*

Bellum Cassii & Bruti.

Brutus & Cassius in provincias suas abeunt. U. C. 709. Ol. 184. a. C. N. 44.

Præsagia fatalia in castris Cassii & Bruti.


Meliora in castris Cæsaris.


Acies.

Anceps.

(*h*) al. ipse plane & conviciis Cæsaris dignitatem, & furtis hæreditatem lacerare, ipsum insectari probris & cunctis artibus adoptationem Juliæ gentis quum inhibere non desineret: denique ad deprimendum juvenem - - - obsideret. (*i*) al. Lucii Antonii. (*k*) al. jam privatus. (*l*) al. diversa omnium nota incendia. Lepidum &c. (*m*) al. ultionis. (*n*) al. consalutant inter se. (*o*) al. nullo more. (*p*) al. quis non. (*q*) al. Quum Antonius concedente Cæsare avunculum suum. (*r*) al. visitatum. (*s*) al. confugerunt. (*t*) al. ultio, consensu Consulis &c. (*u*) al. concesserant. (*x*) al. ut decebat, in Triumviros respublica. al. inter Triumviros. (*y*) al. insiderant. (*z*) al. destinata. (*a*) al. Ohe dixit &c. (*b*) al. Dari. (*c*) al. quum Cæsaris &c. (*d*) al. non essent tum præsentes. (*e*) al. quum hinc alterum. (*f*) al. staret. (*g*) al. vindicabantur.

(20) Pax inter tres duces componitur) De hac Triumvirorum, Lepidi nimirum, Antonii & Cæsaris pace, testantur numismata Tab. XIII. num. 3. 4. & Tab. XIV. num. 1. In quorum prioris parte aversa, signata sunt, C. Mario Proquæstore, junctim Triumvirorum capita. PATIN. Fam. Rom. pag. 171. Secundi numi pars aversa exhibet tres dexteras cum Caduceo, Fascibus, Securi, & Globo, ad designandam Concordiam Triumvirorum, Orbis Terrarum Felicitatem & Pacem, Justitiæ Vigorem & Religionis Curam, quibus omnibus Salus Generis Humani promovetur. OISEL. Th. Numism. Antiqu. pag. 414. Tab. LXXVIII. num. 7. In tertio denique numo conspiciuntur tres figuræ tripodi assistentes; humi procumbit alia, dextra Cornucopiæ, sinistra caduceum tenens. OISEL. loc. cit. p. 413. Tab. LXXVII. num. 6.


Tab. XIII.
ad pag. 47 48.
I
L·PLAET·CEST· BRVT·IMP·
Æ
EID·MR·
II
C·CASSI·IMP· LEIBERTAS
Æ
BRVT·IMP·
III
DIVI·F· AVGVSTVS
Æ
III VIR
C·MARIVS PRO
IV
Æ
SALVS GENERIS HVMANI


Tab. XIV.
ad pagg. 48. 51. 52.
I
II
III
IV
V
Æ
Γ
SALVS GENERIS HVMANI.
NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP.
NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMPERATOR.
DE GERM.
CAESAR AVGVSTVS DIVI F PATER PATRIAE.
AVGVSTI F COS DESIG PRIN IVVENT
C.L.CAESARES.
CL CAES.
C V T
AVG F.

Caſſius & Brutus à Cæſare vincuntur.

eſſe virtutem! Victoriam illi prælio error dedit. Caſſius inclinato cornu ſuorum, (*b*) quum captis Cæſaris caſtris, rapido impetu recipientes ſe videret equites, fugere arbitratus, evadit (*i*) in tumulum: inde pulvere & ſtrepitu, etiam nocte vicina, eximentibus geſtæ rei ſenſum, quum ſpeculator quoque in id miſſus tardius renuntiaret; (*k*) tranſactum de partibus ratus, uni de proximis auferendum præbuit caput. Brutus quum in Caſſio etiam ſuum animum perdidiſſet, ne quid ex conſtituti fide reſignaret, (ita enim par ſupereſſe (*l*) bello convenerat) ipſe quoque uni comitum ſuorum confodiendum (*m*) præbuit latus. Quis ſapientiſſimos viros non miretur ad ultimum (*n*) non ſuis manibus uſos? niſi hoc quoque ex perſuaſione (*o*) defuit, ne violarent manus, ſed in abolitione ſanctiſſimarum, piiſſimarumque (*p*) animarum, judicio ſuo, ſcelere alieno, uterentur.

Et interficiuntur. U.C.710. Ol. 184. a. C. N. 43.

Bellum cum Sexto Pompejo. U.C. 714. Ol. 185. a. C. N. 39.

CAP. VIII. Sublatis percuſſoribus, Cæſaris, ſupererat Pompeji domus. Alter juvenum in Hiſpania occiderat, alter fuga evaſerat: contractiſque infelicis belli reliquiis, quum inſuper ergaſtula armaſſet, Siciliam Sardiniamque habebat. Jam & claſſe medium mare inſederat. O quam diverſus à patre! Ille Cilicas extinxerat: hic ſecum piratas navales agitabat. Tanta mole belli penitus in Siculo freto juvenis oppreſſus eſt: magnique famam ducis ad inferos ſecum tuliſſet, ſi nihil tentaſſet ulterius: niſi quod magnæ indolis ſignum eſt, SPERARE SEMPER. Perditis enim rebus profugit; Aſiamque velis petit, (*q*) venturus ibi in manus hoſtium, & catenas, & quod miſerrimum eſt fortibus viris, ad hoſtium arbitrium ſub percuſſore (*r*) moriturus. Non alia poſt Xerxem miſerabilior fuga. Quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus, cum ſex ſeptemve fugiebat, extincto prætoriæ navis lumine, anulis in mare abjectis, pavens atque reſpectans, & tamen non timens (*s*) ne periret.

Sicilia pellitur. U.C.716. Ol. 185. a. C. N. 37.

Aſiam petit.

Nondum Roma pacata.

CAP. IX. Quamvis in Caſſio & Bruto partes ſuſtuliſſet; in Pompejo totum partium nomen aboleſſet: nondum tamen ad pacis ſtabilitatem profecerat Cæſar, quum ſcopulus, & nodus & mora publicæ ſecuritatis ſupereſſet Antonius. Nec ille defuit vitiis, (*t*) quin periret, immo omnia expertus ambitu & luxuria, primum hoſtes, deinde cives, tandem etiam terrore ſui ſeculum (*u*) liberavit. Parthi clade Craſſiana altius animos erexerant; Civileſque Populi Romani diſcordias (*x*) læti acceperant: itaque ut prima adſulſit (*y*) occaſio, non dubitaverunt & (*z*) erumpere, ultro quidem invitante Labieno. Qui miſſus à Caſſio Brutoque (quis (*a*) furor ſcelerum!) ſollicitaverat hoſtes in auxilium: & illi Pacoro duce, regio juvene, diſſipant Antoniana præſidia. Saxa (*b*) legatus, ne veniret in poteſtatem, à gladio ſuo impetravit. (*c*) Denique ablata Syria, emanabat latius malum, hoſtibus ſub auxilii ſpecie (*d*) ſibi vincentibus; niſi Ventidius, & hic legatus Antonii, incredibili felicitate & Labieni copias, ipſumque Pacorum, & omnem Parthicum equitatum, toto inter Orontem & Euphratem ſinu late cecidiſſet. Viginti amplius millium fuit. Nec ſine conſilio ducis. Qui (*e*) ſimulato metu adeo paſſus eſt hoſtem caſtris ſuccedere, donec abſumpto (*f*) jactus ſpatio, adimeret uſum ſagittarum. Rex fortiſſime dimicans cecidit. Mox circumlato ejus per urbes quæ deſciverant, (*g*) capite, Syria ſine bello recepta. (*h*) Sic Craſſianam cladem Pacori cæde penſavimus. (*i*)

Bellum Parthicum duce Ventidio. U.C.714. Ol. 185. a. C. N. 39.

Pacorus dux Parthorum.

Pacorus occiditur Parthi vincuntur. U.C. 714. Ol. 185. a. C. N. 39.

CAP. X. Expertis invicem Parthis atque Romanis, quum Craſſus atque Pacorus utrimque virium mutuarum documenta feciſſent; (*k*) pari rurſus reverentia integrata amicitia: (*l*) & quidem ab ipſo fœdus Antonio cum rege percuſſum. Sed immenſa vanitas hominis, dum titulorum cupidine, Araxem & Euphratem ſub imaginibus ſuis legi (*m*) concupiſcit; (*n*) neque cauſa, neque conſilio, (*o*) ac ne imaginaria quidem belli indictione, (*p*) quaſi hoc quoque ex arte ducis eſſet, obrepere; relicta (*q*) repente Syria in Parthos impetum facit. Gens (*r*) præter armorum fiduciam callida (*s*) ſimulat trepidationem, & in campos fugam: hic (*t*) ſtatim quaſi victor ſequebatur: quum ſubito nec magna (*u*) hoſtium manus ex improviſo, & jam in feſſos via ſub veſpere (*x*) velut nimbus erupit, & miſſis undique ſagittis duas legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis, quæ in poſterum diem imminebat, niſi interveniſſet Deûm miſeratio. Unus ex clade Craſſiana Parthico habitu caſtris adequitat, & ſalute Latine data, quum fidem ipſo feciſſet, quid immineret edocuit; jam affuturum cum omnibus copiis regem: irent retro, peterentque montes; ſic quoque hoſtem fortaſſe non defore. Atque ita ſecuta (*y*) eſt minor vis hoſtium quam imminebat. Adfuit tamen; deletæque reliquæ copiæ forent, niſi urgentibus telis in modum grandinis, quadam forte, (*z*) quaſi docti, procubuiſſent in genua milites, & elatis ſuper capita ſcutis, cæſorum ſpeciem præbuiſſent. Tum Parthus arcus inhibuit. Deinde Romani quum ſe rurſus extuliſſent, adeo res miraculo fuit, ut unus ex barbaris miſerit vocem; *Ite & bene valete Romani, merito vos victores gentium fama* (*a*) *loquitur, qui Parthorum*

Pacem inter Romanos & Parthos.

Rumpit Antonius. U.C.716. Ol. 185. a. C. N. 37.

Sine cauſa.

Sed male rem gerit Antonius.

G

(*b*) al. ſuo. (*i*) al. evaſit. (*k*) al. enuntiaret. (*l*) al. ita enim ſupereſſe. (*m*) al. confodiendum omittunt. (*n*) al. ad ultima. (*o*) al. non defuit. (*p*) al. pientiſſimarumque. (*q*) al. Aſiamque petit. al. petens. (*r*) al. percuſſoribus. (*s*) al. metuens. (*t*) al. unus. (*u*) al. tandem & totum terrore ſeculum. (*x*) al. motus. (*y*) al. affulſit. al. fluxit. al. adfluxit. (*z*) al. & omittunt. (*a*) al. qui. (*b*) al. Caſca. al. Xaxa. (*c*) al. impetraverat. (*d*) al. ſpe. (*e*) al. quippe qui. (*f*) al. aſſumpto. (*g*) al. defecerant. (*h*) al. recepta ſit. (*i*) al. piavimus. (*k*) al. fuiſſent. al. dediſſent. (*l*) al. reverentia, integra amicitia. (*m*) al. labi. (*n*) al. concupiſſet. (*o*) al. concilio. (*p*) al. conditione. (*q*) al. quaſi hoc quoque ex arte ducis præriperet, relicta &c. (*r*) al. Quæ gens. (*s*) al. callida omittunt. (*t*) al. huc. (*u*) al. quum ſubitanea & magna. (*x*) al. veſpera. (*y*) al. facta. (*z*) al. forte. (*a*) al. *fama gentium.*

thorum tela fugistis. (*h*) Non minor ex aqua postea, quam ab hostibus clades. (*c*) Infesta primum siti regio. Tum quibusdam Salinacidis (*d*) fluvius infestior. Novissime quia ab (*e*) invalidis & avide hauriebantur, (*f*) noxiæ etiam dulces fuere. (*g*) Mox & ardores per Armeniam: & nives per Cappadociam; & utriusque cœli subita (*h*) mutatio pro pestilentia fuit. Sic vix tertia parte de sedecim legionibus reliqua, quum argentum ejus (*i*) passim dolabris concideretur; & subinde inter moras mortem à gladiatore suo efflagitasset, (*k*) egregius imperator; tandem perfugit (*l*) in Syriam. Ibi (*m*) incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus est, quasi vicisset qui evaserat.

Perfugit in Syriam.

CAP. XI. Furor Antonii quatenus ambitu non interiret, (*n*) luxu (*o*) & libidine (*p*) extinctus est. Quippe post Parthos quum exosus arma in otio ageret, captus amore Cleopatræ, quasi bene gestis rebus, in regio se sinu reficiebat. Hæc mulier Ægyptia, ab ebrio imperatore, pretium libidinum Romanum imperium petit. Et promisit Antonius: quasi felicior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare, nec tacite: sed patriæ, nominis, togæ, fascium (*q*) oblitus, totus in monstrum (*r*) illud (*s*) ut mente, ita animo quoque & cultu (*t*) desciverat. Aureum in manu baculum; ad latus acinaces; (*u*) purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis; diadema aderat, ut regina rex ipse frueretur. Ad primam novorum motuum famam Cæsar à Brundisio trajecerat, ut venienti bello occurreret, positisque in Epiro castris, Leucadem insulam, montemque Leucaten, (*x*) & Ambracii sinus cornua, classe (*y*) succinxerat. Nobis quadringentæ amplius naves; ducentæ non minus hostium: sed numerum magnitudo pensabat. Quippe à senis in novenos remorum ordinibus: ad hoc turribus, atque tabulatis allevatæ, (*z*) castellorum, & urbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur. Quæ quidem ipsa moles exitio fuit. Cæsaris naves à triremibus in senos, non amplius ordines creverant. Itaque habiles in omnia quæ usus poscebat, ad impetus & recursus flexusque capiendos, illas graves, & ad omnia præpeditas, singulas plures adortæ, missilibus simul, tum (*a*) rostris, adhæc (*b*) ignibus jactis, ad arbitrium dissipavere. Nec ulla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quam post victoriam. Quippe immensa classis naufragio belli facto, toto mari ferebatur Arabumque & Sabæorum, & mille aliarum gentium Asiæ spolia. Purpura (*c*) aurumque in ripam assidue mota ventis maria revomebant. Prima dux fugæ regina, cum aurea puppe, veloque purpureo, in altum (*d*) dedit. Mox secutus Antonius: sed instare vestigiis Cæsar. Itaque nec præparata (*e*) in Oceanum fuga; nec munita præsidiis utraque Ægypti cornua, Parætonium, atque Pelusium profuere. Prope manu tenebantur. Prior ferrum occupavit Antonius. Regina ad pedes Cæsaris provoluta, tentavit oculos ducis, frustra. Nam pulchritudo intra pudicitiam principis (*f*) fuit. Nec illa de vita quæ offerebatur, sed de parte regni laborabat. Quod ubi desperavit à principe, servarique se triumpho vidit, (*g*) incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum se (sepulcra regum sic vocant) recipit. (*h*) Ibi (*i*) maximos, ut solebat, induta cultus (*k*) in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium, admotisque ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est. (*l*)

Antonius in otio agit, cum Cleopatra.

Bellum civile inter Cæsarem & Antonium. U. C. 720. Ol. 186. a. C. N. 33.

Antonius vincitur. U. C. 721. Ol. 187. a. C. N. 32.

Antonius se perimit.

Pariter & Cleopatra.

CAP. XII. Hic finis armorum civilium, reliqua adversus exteras gentes: quæ, districto circa mala sua imperio, diversis (*m*) orbis oris emicabant. Nova quippe pax: nec dum assuetæ frenis servitutis tumidæ gentium inflatæque cervices ab imposito nuper jugo resiliebant. Ad Septentrionem conversa ferme plaga, ferocius agebat; Norici, (*n*) Illyrii, Pannonii, Dalmatæ, Mysi, Thraces & Daci, Sarmatæ (*o*) atque Germani. Noricis animos dabant Alpes atque nives, (*p*) quo bellum non posset ascendere: sed omnes illius cardinis Populos, Brennos, (*q*) Senones, (*r*) atque Vindelicos per privignum suum Claudium Drusum perpacavit. Quæ fuerit callidarum (*s*) gentium feritas, facile vel mulieres ostendere; quæ deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo (*t*) in ora militum adversa miserunt. Illyrii quoque sub Alpibus agunt, imasque valles earum, ac quædam (*u*) quasi claustra, custodiunt, abruptis torrentibus impliciti. (*x*) In hos expeditionem ipse sumpsit; fierique pontes imperavit. (*y*) Hic se & aquis & hoste turbantibus, cunctanti ad ascensum militi scutum de manu rapuit: & in via primus, tunc agmine secuto, quum Illyricus multitudine pon-

Finis bellorum civilium.

Bella adversus exteras gentes.

Cl. Drusus Rhætos vincit. U. C. 737. Ol. 191. a. C. N. 16.

Rhætorum callida feritas.

Octavius Illyrios bello petit. U. C. 718. Ol. 186. a. C. N. 35.

(*h*) al. *fertis.* (*c*) al. ab hostibus excepta (vel accepta) clades. (*d*) al. Cum quibusdam Salmacidis. (*e*) al. Novissimeque quum jam ab &c. (*f*) al. hauriebatur. (*g*) al. quum noxiæ & dulcis fieret. (*h*) al. subita omittunt. (*i*) al. ejus omittunt. (*k*) al. flagitasset. (*l*) al. profugit. (*m*) al. Ubi. (*n*) al. ambitu Antonii non interiret. (*o*) al. & luxu. (*p*) al. vel libidine. (*q*) al. facium. (*r*) al. ut monstrum. (*s*) al. istud. (*t*) al. animo quoque cultuque. (*u*) al. acinace. al. ac in acie. al. & in acie. (*x*) al. Leucadam. (*y*) al. infesta Classe. (*z*) al. tabulis elevatæ. (*a*) al. missilibus simul cum &c. (*b*) al. ad hoc. (*c*) al. toto mari ferebat Arabumque - - - spolia, purpuram &c. (*d*) al. se in altum. (*e*) al. aperta. al. parata. (*f*) al. Cæsaris. (*g*) al. videt. (*h*) al. recepit. (*i*) al. Ubi. (*k*) al. cultu. (*l*) al. somno soluta. (*m*) al. diversi. (*n*) al. Ad Septentrionem conversa plaga, ferocius fere agebant Norici &c. (*o*) al. Sarmates. (*p*) al. Noricos animos Alpes & in nives. (*q*) al. Brennones. (*r*) al. Sennos. (*s*) al. Albidarum. al. Validarum. (*t*) al. adflictos humi. al. humano. (*u*) al. ad quædam. al. & quædam. (*x*) al. implicati. (*y*) al. fierique pontem & aquis imperavit.

Octavius vulneratus Illyrios cædit.

pontem (z) fuccidiffet, faucius manibus ac cruribus, fpeciofior fanguine, (a) & ipfo periculo auguftior, terga hoftium percecidit. (b)

Pannonii vincuntur. U.C.717.Ol. 186. a. C. N. 36.

Pannonii duobus faltibus, ac tribus fluviis, Dravo, Savo, Iftroque vallabantur. (c) Populati proximos intra ripas fe recipiebant. In hos domandos Vibium (d) mifit. Cæfi funt in utrifque fluminibus. Arma victorum non ex more belli cremata; fed capta funt, & in profluentes data: ut ceteris, qui refiftebant, victoria fic nuntiaretur.

Dalmatæ vincuntur.

Dalmatæ plerumque fub filvis agunt; inde ad latrocinia promptiffimi. Hos jam quidem Marcius (e) incenfa urbe Delminio quafi (f) detruncaverat. Poftea Afinius Pollio gregibus, agris, armis, multaverat (hic fecundus orator.) Sed Auguftus perdomandos Vibio (g) mandat; qui efferum genus fodere terras coëgit, aurumque venis repurgare: (h) quod alioquin gens omnium cupidiffima, ftudiofa diligentia anquirit: (i) ut illud in ufus fuos fervare videatur.

Myfi vincuntur à M. Craffo. U.C.723.Ol. 187. a. C. N. 30.

Myfi (k) quam feri, quam truces fuerint, quam ipforum etiam barbari barbarorum, horribile dictu eft. Unus ducum ante aciem poftulato filentio: *Qui vos*, inquit, *eftis?* Refponfum invicem: *Romani gentium domini.* Et illi: *Ita*, inquiunt, *fiet, fi nos viceritis.* (l) Accepit omen Marcus Craffus. Illi ftatim ante aciem immolato equo concepere votum, ut cæforum extis ducum & litarent, & vefcerentur. Deos audiffe crediderim. Nec tubam fuftinere potuerunt.

Domitii Centurionis ftratagema.

Non (m) minimum terroris incuffit barbaris Domitius (n) Centurio, fatis barbaræ, efficacis tamen apud pares homines ftoliditatis, qui foculum (o) gerens fuper caffidem, fufcitatam motu corporis flammam, velut ardenti capite fundebat.

Thracæ à L. Pifone vincuntur. U.C.741.Ol. 192. a. C. N. 12.

Ante (p) hos Thracum maximus populus defciverat. (q) Ille barbarus & fignis militaribus, & difciplina, armis etiam Romanis affueverat: fed à Pifone perdomiti, in ipfa captivitate rabiem oftendere, quippe quum catenas morfibus tentarent, feritatem fuam ipfi puniebant.

Daci victi per Lentulum.

Daci montibus inhærent. Cotifonis regis imperio, quoties concretus gelu Danubius junxerat (r) ripas, decurrere (s) folebant, & vicina populari. Vifum eft Cæfari Augufto gentem aditu difficillimam fubmovere. Miffo igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam. Citra præfidia conftituit. Sic tunc Dacia non victa, fed fummota, atque dilata eft.

Et Sarmatæ.

Sarmatæ patentibus campis inequitant. Et hos per eundem Lentulum prohibere Danubio fatis fuit. Nihil præter nives rarafque filvas habent. Tanta barbaries (t) eft, ut pacem non intelligant.

Germania bello petitur.

Germaniam quoque utinam vincere tanti non putaffet. Magis turpiter amiffa eft, quam gloriofe acquifita. Sed quatenus fciebat patrem fuum Cæfarem, bis trajecto ponte Rheno, (u) quæfiffe bellum, in illius honorem concupiit facere provinciam. Et factum erat, (x) fi barbari tam vitia noftra, quam imperia ferre potuiffent.

A Drufo.

Miffus in eam provinciam Drufus, primos domuit Ufipetes: inde Tencheros percucurrit, (y) & Cattos. (z) Nam (a) Marcomanorum fpoliis infignibus, quendam editum tumulum in tropæi modum excoluit. Inde validiffimas nationes, Cherufcos, Suevosque & Sicambros pariter aggreffus eft: qui viginti centurionibus incrematis, (b) hoc velut facramento fumpferant bellum, adeo certa victoriæ fpe, ut prædam in anteceffum pactione diviferint. (c) Cherufci equos; Suevi aurum & argentum; Sicambri captivos elegerant; fed omnia retrorfum.

Qui varias rationes vincit.

Victor namque Drufus equos, pecora, torques eorum, ipfofque præda (d) divifit, & vendidit.

Et in tutelam provinciarum multa caftella erigit.

Præterea in tutelam provinciarum præfidia atque cuftodias ubique difpofuit; per Mofam flumen: per Albim; (e) per Vifurgim. (f) Nam per Rheni quidem ripam g) quinquaginta amplius caftella direxit. Bonnam & Gefoniam (h) cum pontibus junxit, claffibufque firmavit. Invifum (i) atque inacceffum in id tempus Hercynium (k) faltum patefecit. Ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra, cœlum ipfum mitius molliufque folito videretur.

Drufus mortuus Germanici cognomen obtinet. U.C.743.Ol. 192. a. C. N. 10.

Denique non per adulationem, fed ex meritis, defuncto ibi fortiffimo juvene, ipfi quod nunquam alias (l) (21) Senatus cognomen ex provincia dedit. Sed *difficilius eft provincias obtinere, quam facere. Viribus parantur, jure retinentur.* Igitur breve id gaudium. (m)

Germani arma recipiunt.

Quippe Germani victi magis, quam domiti erant: morefque noftros magis, quam arma fub Imperatore Drufo fufcipiebant: (n)

Vari libido & fuperbia.

poftquam vero ille defunctus, (o) Vari Quinctili (p) libidinem ac fuperbiam, haud fecus quam fævitiam odiffe ceperunt. Aufus ille (q) agere conventum: & in caftris jus dicebat, (r) quafi

G 2

(z) al. quum lubricus pons multitudine &c. al. quum fubruptus pons multitudine &c. (a) al. è fanguine. al. fpeciofiore fanguine. (b) al. præcidit. (c) al. vallantur. al. duobus acribus fluviis Dravo Savoque vallantur. (d) al. Fufium. al. Virinium. al. Vinnium. al. Duennium. (e) al. Marius. (f) al. quafi omittunt. (g) al. Jubio. (h) al. repugnare. (i) al. acquirit. al. adquirit. (k) al. Myfii. al. Mœfi. (l) al. *Et ille, ita,* inquit, *fi nos viceritis.* (m) al. Nec. (n) al. Domidius. al. Conidius. (o) al. poculum. (p) al. Apud. (q) al. Ante ASSEREGUM maxime defciverat. (r) al. vinxerat. (s) al. difcurrere. (t) al. barbaria. (u) al. tranfvectum pontem Rhenum. al. tranfvecto ponte Rheno. al. tranfacto ponte Rheno. al. trajecto ponte Rheni. (x) al. Et facta erat. (y) al. percurrit. (z) al. inde ceteros percurrit etiam factos. (a) al. Jam. (b) al. concrematis. (c) al. dividerent. (d) al. prædam. (e) al. Albium. (f) al. Infurgiam. (g) al. Nam in Rheni quidem ripa. (h) al. Geldubam. al. Geforiacum. (i) al. invium. (k) al. Hircinium. (l) alteri. al. alias alteri. (m) gaudium fuit. (n) al. fufceperant. al. fufpiciebant. (o) al. defunctus eft. (p) al. Quinctilii. (q) al. Aufus vero ille. (r) al. & in caftris fe direxerat.

(21) Senatus cognomen ex provincia dedit) Hinc Germanicus appellatur in Numifmatibus Tab. XIV. num. 2. & 3. In prioris averfa confpiciuntur fpolia Germanorum, fcuta nimirum oblonga, fpiculi, tubæ & vexillum, cum Infcriptione: De Germanis. OISEL. loc. cit. pag. 110. Tab. XXV. num. 1. Pofterioris averfa Arcum triumphalem exhibet de Germanis. BEGER. Th. Br. Tom. II. p. 613. OISEL. loc. cit. pag. 110. Tab. XXV. num. 2.

quaſi violentiam barbarorum & lictoris (*s*) virgis, & præconis voce poſſet inhibere: at illi, qui jam, pridem rubigine obſitos (*t*) enſes, inerteſque quererent (*u*) equos, ut primum togas & ſæviora armis jura viderunt, duce Arminio (*x*) arma corripiunt.

Arminius dux Germanorum.

Quum interim tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne prædicta quidem, & prodita per Segeſtem unum principum (*y*) conjuratione commoveretur. Itaque improvidum, & nihil tale metuentem improviſo adorti, (*z*) quum ille, (ô ſecuritas!) ad tribunal (*a*) citaret, undique invadunt, caſtra rapiunt, tres legiones opprimuntur.

Variana clades. U. C. 760. p. C. N. 8.

Varus perditas res eodem, quo Cannenſem diem Paullus, & fato eſt, & animo ſecutus. Nihil illa cæde per paludes, perque ſilvas cruentius: nihil inſultatione barbarorum intolerantius, (*b*) præcipue tamen in cauſarum patronos. Aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os ſutum, (*c*) reciſa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, *tandem*, inquit, *vipera*, *ſibilare deſiſte*. Ipſius quoque Conſulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effoſſum. Signa & aquilas duas adhuc barbari poſſident. Tertiam ſignifer prius quam in manus hoſtium veniret evulſit; merſamque intra baltei ſui latebras gerens in cruenta palude ſic latuit. Hac clade factum, ut imperium, quod in littore Oceani non ſteterat, in ripa Rheni fluminis ſtaret. Hæc ad Septentrionem. Sub meridiano tumultuatum magis, quam bellatum eſt.

Ad meridiem variæ gentes victæ à Coſſo & Curinio. U. C. 753. p. C. N. 1.

Muſulanios (*d*) atque Gætulos accolas Syrium, Coſſo duce compeſcuit: unde illi Gætulici cognomen. (*e*) Latius victoria patet. Marmaridas atque Garamantas Curinio (*f*) ſubigendos dedit. Potuit & ille redire Marmaricus; ſed modeſtior in æſtimanda victoria fuit. Ad Orientem plus negotii cum Armeniis.

Bellum cum Armeniis. U. C. 753. p. C. N. 1.

Huc alterum ex (22) Cæſaribus, nepotibus (*g*) ſuis, miſit. Ambo fato breves; ſed alter inglorius. Maſſiliæ quippe Lucius morbo ſolvitur: in Syria (*h*) Cajus ex vulnere, quum Armeniam ad Parthos ſe ſubtrahentem recipit. (*i*)

Cæſaris nepotes Lucius & Cajus moriuntur.

Armenios, victo rege Tigrane, in hoc unum ſervitutis genus Pompejus aſſuefecerat, ut rectores à nobis acciperent. Intermiſſum ergo jus per hunc recuperatum, non incruento, nec inulto (*k*) tamen certamine. Quippe Domnes, (*l*) quem rex Artaxatis (*m*) præfecerat, ſimulata proditione, adortus virum intentum libello, quem, ut theſaurorum rationes continentem, ipſe porrexerat; ſtrictus ac recreatus ex vulnere in tempus. (*n*) Ceterum barbarus undique infeſto exercitu oppreſſus; gladio, & pyra, in quam ſe percuſſus immiſit, (23) ſuperſtiti etiamnum (*o*) Cæſari ſatisfecit.

Armenii victi.

Sub occaſu pacata erat omnis Hiſpania, niſi quam Pyrenæi deſinentis ſcopulis inhærentem citerior alluebat Oceanus. Hic duæ validiſſimæ gentes, Cantabri & Aſtures, immunes imperii agitabant. Cantabrorum & pejor, (*p*) & altior, (*q*) & magis pertinax in rebellando animus fuit; qui non contenti libertatem ſuam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, Vaccæoſque, & Curgionios, (*r*) & Autrigonas crebris incurſionibus fatigabant. In hos igitur, quia vehementius agere nuntiabantur, non mandata expeditio, ſed ſumpta eſt. Ipſe venit Segiſamam; (*s*) caſtra poſuit; inde partito exercitu totam in diem (*t*) jam amplexus (*u*) Cantabriam, efferam gentem, ritu ferarum quaſi indagine debellabat.

Auguſtus Cantabros bello petit. U. C. 726. Ol. 188. a. C. N. 27.

Nec ab Oceano quies, quum infeſta claſſe ipſa quoque terga hoſtium cæderentur. Primum adverſus Cantabros ſub mœnibus Belgicæ (*w*) præliatus eſt. Hinc fuga in eminentiſſimum Vinnium (*x*) montem, quem (*y*) maria prius Oceani, quam arma Romana aſcenſura eſſe crediderant. (*z*) Tertio Aracilium (*a*) oppidum magna vi repugnat. Captum tamen poſtremo fuit. Medulli montis obſidio, (*b*) (quem perpetua quindecim millium foſſa comprehenſum cinxit, undique ſimul adeunte Romano) poſtquam extrema barbari vident; certatim igne, ferro inter epulas venenoque, quod ibi vulgo ex arboribus taxeis (*c*) exprimitur, præcepere (*d*) mortem: ſeque pars major à captivitate, quæ videbatur, (*e*) vindicavere.

Cantabri ſemetipſos perimunt.

Hæc per Antiſtium, (*f*) Furnium, Agrippam legatos, hibernans in Tarraconis maritimis Cæſar accepit. Ipſe præſens hos deduxit montibus: hos obſidibus aſtrinxit: hos ſub corona jure belli venum dedit. Digna res lauro, digna curru Senatui viſa eſt: & (*g*) jam Cæſar tantus erat, ut poſſet triumphos contemnere. Aſtures per idem tempus ingenti agmine à montibus ſuis deſcenderant. Nec temere ſumptus, ut

(*s*) al. & barbarorum lictoris &c. (*t*) al. oblitos. (*u*) al. cernerent. al. mœrerent. (*x*) al. Armenio. (*y*) al. principem, ducum &c. al. unum ducum conjuratione &c. (*z*) al. adortu. (*a*) al. quum ille ad ſecures & ad tribunal &c. (*b*) al. intolerabilius. (*c*) al. uni os obſutum. (*d*) al. Muſulanos. al. Miſulamos. (*e*) al. nomen. (*f*) al. Furnio. al. Quirinio. al. Quirino. al. Turmio. (*g*) al. Huc alterum Cæſar ex nepotibus &c. (*h*) al. Lycia. (*i*) al. recepit. (*k*) al. multo. (*l*) al. Donnes. (*m*) al. Ariaratis. al. Artaxates. al. Arſaces. (*n*) al. ſtricto ferro cruentat vulnere in tempore. al. ſtricto farre creatus &c. (*o*) al. etiam non. (*p*) al. prior. (*q*) al. alterior. (*r*) al. Curgonios. al. Curmogos. al. Curinogos. (*s*) al. Sageſamam. al. Ipſe venit, ſecus Aniam caſtra poſuit. (*t*) al. totam inde jam &c. (*u*) al. complexus. (*w*) al. Vellicæ. (*x*) al. Vindium. (*y*) al. qua. (*z*) al. crediderat. (*a*) al. Arracillum. al. Arachillum. (*b*) al. In Edulii montis obſidione. (*c*) al. taxis. (*d*) al. præripuere. al. percepere. (*e*) al. prævidebatur. (*f*) al. Anteſtium. (*g*) al. ſed.

(22) Ex Cæſaribus, nepotibus ſuis) Erant illi, ut mox ab Auctore nominantur, Cajus & Lucius, filii M. Agrippæ ex Julia Auguſti filia. Cæſares appellantur, in numismatibus, & filii Auguſti, quod ipſos adoptaverat. Ut Cæſares & filios exhibet ambos numus Auguſti Imp. Tab. XIV. num. 4. In quo cernuntur togati cum ſingulis haſtis, Scutis lituoque & ſimpulo, erat enim Cajus Pontifex, Lucius Augur. HEMELAR. Impp. Rom. Numiſm. aur. Tab. II. num. 12. pag. 10. Filios dicit Colonia Victrix Tarraconenſis, in numo Tab. XIV. num. 5. VAILLANT. Numiſm. Ær. Impp. Tom. I. pag. 44.

(23) Superſtiti Cæſari etiamnum ſatisfecit) In hujus Caji Cæſaris victoriæ memoriam cuſi ſunt numi Tab. XV. num. 1. & 2. OISEL. loc. cit. pag. 89. Tab. XVIII. 12. & Tab. XIX. 3.

ut barbaris, impes: positis (h) castris apud Asturam (i) flumen, trifariam divisio agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parant. (k) Fuisset & anceps & cruentum, & utinam (l) mutua clade certamen, tunc tam (m) fortibus, tam subito, tam cum consilio venientibus, nisi Trigæcini (n) prodidissent. A quibus præmonitus Carisius, cum exercitu adveniens oppressit (o) consilia. Sic quoque tamen (p) non incruento certamine. Reliquias fusi exercitus validissima civitas (q) Lancia (r) excepit. Ubi adeo (s) certatum est, ut, quum in captam urbem faces poscerentur, ægre dux impetrarit (t) veniam, *ut victoriæ Romanæ stans potius esset, quam incensa monumentum.* Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit; idem rebellandi finis Hispaniæ. Certa mox fides, & æterna pax; quum ipsorum ingenio, in pacis partes promptiore; (u) tum consilio Cæsaris, qui fiduciam montium timens, in quos se recipiebant, castra sua, sed quæ in plano erant, habitare & incolere jussit. Ingentis esse consilii illud observari cepit. (x) Natura regionis circa se omnis aurifera, miniique & Chrysocollæ, (y) & aliorum colorum ferax. Itaque (z) exerceri solum jussit. Sic Astures & latentes (a) in profundo opes suas atque divitias, dum aliis quærunt, nosse ceperunt. Omnibus ad Occasum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septentrionem quoque, duntaxat intra Rhenum atque Danubium, item ad Orientem intra Cyrum (b) & Euphratem, illi (c) quoque reliqui qui immunes imperii erant, sentiebant tamen magnitudinem; & victorem gentium Populum Romanum (d) reverebantur. Nam & Scythæ misere legatos, & Sarmatæ, amicitiam petentes. Seres etiam, habitantesque sub ipso sole Indi, cum gemmis, & margaritis, elephantes quoque inter munera trahentes, nihil magis, quam longinquitatem viæ imputabant, quam quadriennio impleverant; & ipse (e) hominum color ab alio venire cœlo fatebatur. (f) (24) Parthi quoque, quasi victoriæ pœniteret, rapta clade Crassiana ultro signa retulere. Sic ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Aususque tandem CÆSAR (g) AUGUSTUS septingentesimo ab Urbe condita anno, Janum geminum cludere, (h) bis ante se clusum; (i) sub Numa rege; & victa primum Carthagine. Hinc conversus ad pacem, pronum in omnia mala & in luxuriam fluens seculum gravibus severisque legibus multis coërcuit. Ob hæc tot facta ingentia Dictator perpetuus, & (25) Pater patriæ dictus. Tractatum etiam in Senatu, *an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur*; sed sanctius & reverentius visum est (26) nomen Augusti; ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.

Hispania pacata.

Indorum legatio ad Augustum. U.C. 733. Ol. 190. a. C. N. 20.

Parthi signa reddunt.

Cæsar Augustus Janum claudit. U.C. 721. Ol. 187. a. C. N. 32.

Cæsar Augustus Dictator perpetuus & Pater Patriæ. AUGUSTUS vocatur.

(h) al. Nec tenuere suos, ut barbaris impares: sed positis &c. al. Nec temere sumptus, ut barbaris impetus: sed &c. (i) al. Scuram. al. Sturam. (k) al. parabant. (l) al. ultimum. (m) al. cunctis tam fortibus. (n) al. Brigæcini. al. Drigecini. (o) al. oppressisset. (p) al. Sic tamen quoque. (q) al. exercitus validissimi, civitas &c. (r) al. Laucia. (s) al. Ubi tum loci adeo &c. (t) al. impetraverit. al. impetravit. (u) al. proniore. (x) al. Ingentis esse consilium illud observari caput consilio. (y) al. Chrysocolæ. (z) al. Igitur. (a) al. Sic Astures, latentes &c. (b) al. Taurum. al. Euxinum. al. Tigrum. (c) al. Nili. (d) al. victoriam gentium Populi Romani. (e) al. & tamen ipse. (f) al. color eos ab alio venire sole fatebatur. (g) al. Cajus. (h) al. claudere. (i) al. clausum. al. reclusum.

(24) Parthi - - - - signa retulere) Hanc restitutionem signorum notat numus Tab. XV. num. 3. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. pag. 609.

(25) Pater Patriæ) Ita appellatur ex Decreto Senatus in numo Tab. XV. num. 4. HEMELAR. loc. cit. Tab. II. num. 11. pag. 9.

(26) Nomen Augusti - - - - ipso nomine & titulo consecraretur) Hinc Senatus in numis Consecrationi Augusti dedicatis expresserunt Caput Augusti corona radiata redimitum cum Inscr. DIVO AUGUSTO, in aversa Aram, cum Epigraphe: CONSECRATIO. Conf. BEGER. Tom. II. p. 609.



M. Tyroff sculp. Norimb.

C. VEL-

C. VELLEII
PATERCULI
HISTORIÆ ROMANÆ
AD
M. VINICIUM COS.
LIBRI DUO.



M. Tyroff sculp: Norimbergæ.

C. VELLEII PATERCULI HISTORIÆ ROMANÆ, AD M. VINICIUM COS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Tempeſtate diſtractus à duce ſuo Neſtore,(1) Metapontum condidit. Teucer, non receptus à patre Telamone, ob ſegnitiam (*a*) non vindicatæ fratris injuriæ. Cyprum adpulſus, cognominem (*b*) patriæ ſuæ Salamina conſtituit. Pyrrhus, Achillis filius, Epirum occupavit. Philippus (*c*) Ephyram in Theſprotia. At rex regum Agamemnon, tempeſtate in Cretam inſulam rejectus, tres ibi urbes ſtatuit, duas à patriæ nomine, unam à victoriæ memoria, Mycenas, (*d*) Tegeam, Pergamum. Idem mox, ſcelere patruelis fratris Ægiſthi, hæreditarium exercentis in eum odium, & facinore uxoris oppreſſus occiditur. Regni potitur Ægiſthus per annos ſeptem. Hunc Oreſtes, matremque, ſocia (*e*) conſiliorum omnium ſorore Electra, virilis animi femina, obtruncant. Factum ejus à Diis comprobatum, ſpatio vitæ & felicitate imperii apparuit, quippe vixit annis nonaginta; regnavit ſeptuaginta: qui ſe etiam à Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. Nam, quod pactæ ejus,(*f*) Menelai atque Helenæ filiæ Hermiones nuptias occupaverat, Delphis eum interfecit. Per hæc tempora Lydus, & Tyrrhenus fratres quum regnarent in Lydia, ſterilitate frugum compulſi, ſortiti ſunt, uter cum parte multitudinis patria decederet. Sors Tyrrhenum contigit. Pervectus in Italiam, & loco & incolis & mari, nobile ac perpetuum à ſe nomen dedit. Poſt Oreſtis interitum, filii ejus Penthilus (*g*) & Thiſamenus, regnavere triennio.

Metapontus condita. Teucer Salamina conſtituit. Pyrrhus Epirum occupat. Philippus Ephyram. Agamemnon tres urbes ſtatuit. Ab Ægiſtho occiditur. Ægiſthus ab Oreſte. Oreſtes à Pyrrho ſe vindicat. Pyrrhum interficit. Lydus & Tyrrhenus fratres. Tyrrhenus in Italiam venit. Oreſtis filii regnant.

CAP. II. Tum, fere anno octogeſimo poſt Trojam captam, centeſimo & vigeſimo quam Hercules ad Deos exceſſerat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore, pulſis Heraclidis, Peloponneſi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. Duces recuperandi imperii fuere, Temenus, (*h*) Creſphontes, Ariſtodemus; quorum atavus fuerat. Eodem fere tempore Athenæ ſub regibus eſſe deſierunt: quarum ultimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non prætereundus. Quippe, quum Lacedæmonii gravi bello Atticos premerent, reſpondiſſetque Pythius, *quorum dux ab hoſte eſſet occiſus, eos futuros ſuperiores*; depoſita veſte regia, paſtoralem cultum induit, immiſtuſque caſtris hoſtium de induſtria, impru-

Heraclidæ pulſi à Pelopis progenie. Pelopis progenies ab Herculis progenie expellitur.

H

(*a*) al. ſegnitiem. (*b*) al. cognomine. (*c*) al. Philippus, (*d*) al. Tres ibi urbes ſtatuit, à patriæ nomine unam, à victoriæ memoria Mycenas &c. (*e*) al. cum ſocia. (*f*) al. pactæ ei. (*g*) al. Penthelus. (*h*) al. Timenus.

(1) Metapontum) Hujus Urbis numisma vide Tom. I. Scriptor. Hiſt. Rom. Tab. XXXIII. num. 2.

Per Codrum Athenæ liberatæ à Lacedæmoniis. Medon primus Atheniensium Archon. A quo Medontidæ.

prudenter (*i*) rixam ciens, interemptus est. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est. Quis eum non miretur, qui iis artibus mortem quæsierit, quibus ab ignavis vita quæri solet? Hujus filius Medon primus Archon Athenis fuit. Ab hoc posteri apud Atticos dicti *Medontidæ*. Sed ii, insequentesque Archontes, usque ad Charopem, dum viverent, eum honorem usurpabant.

Peloponnesii Magaram condunt. Tyria classis condit Gades.

Peloponnesii, digredientes finibus Atticis, Megaram mediam Corintho Athenisque urbem condidere. Ea tempestate & Tyria classis, plurimum pollens mari, in ultimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri orbis termino insulam circumfusam (*k*) Oceano, perexiguo à continenti divisam (*l*) freto, Gades condidit.

Et Uticam. Orestis liberi sedem capiunt circa Lesbum.

Ab iisdem post paucos annos in Africa Utica condita est. Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, jactatique quum variis casibus, tum sævitia maris, quintodecimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam. (*m*)

Achæi. Pelasgi.

CAP. III. Tum Græcia maximis concussa est motibus: Achæi ex Laconica pulsi, eas occupavere sedes, quas nunc obtinent: Pelasgi Athenas commigravere: acerque belli juvenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cum magna civium manu, eam regionem armis occupavit, quæ nunc ab ejus nomine Thessalia appellatur, antea Myrmidonum vocitata civitas.

Thessalia à Thessalo Thesprotio dicta.

Quo nomine, mirari convenit (*n*) eos, qui Iliaca componentes tempora, de ea regione, ut Thessalia commemorant: quod quum alii faciant, Tragici frequentissime faciunt. Quibus minime id concedendum est. Nihil enim ex persona poëtæ, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt.

Non ab Herculis filio Thessalo.

Quod si quis à Thessalo, Herculis filio, eos appellatos Thessalos dicet: reddenda erit ei ratio, cur numquam ante hunc insequentem Thessalum, ea gens id nominis usurpaverit.

Aletes Corinthum condit.

Paullo ante Aletes, (*o*) sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est, quod miremur ab Homero nominari Corinthum. Nam ex persona poëtæ & hanc urbem, & quasdam Jonum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate ejus, multo post Ilium captum conditæ.

Athenienses Chalcidam & Erethriam occupant. Lacedæmonii Magnesiam. Chalcidenses Cumas in Italia condunt.

CAP. IV. Athenienses in Eubœa Chalcida (*p*) & Erethriam colonis occupavere; Lacedæmonii in Asia Magnesiam. Nec multo post Chalcidenses, orti, ut prædiximus, Atticis, Hippocle, & Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. Hujus classis cursum esse directum, alii columbæ antecedentis volatu ferunt; alii nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet.

Cumani Neapolim.

Pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit. Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides, facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas.

Cumanos ritus Osca mutavit.

Sed aliis diligentior ritus patrii mansit custodia: Cumanos Osca mutavit vicinia. Vires autem veteres urbium hodieque magnitudo ostentat mœnium.

Græca Juventus Asiam petit. In Jonia urbes condit. Et multas occupat insulas.

Subsequenti tempore magna vis Græcæ (*q*) juventutis, abundantia virium sedes quæritans, in Asiam se effudit. Nam & Jones, duce Jone profecti Athenis, nobilissimam partem regionis maritimæ occupavere, quæ hodieque appellatur Jonia; urbesque constituere, Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, Erythram, (*r*) Clazomenas, Phocæam; multasque in Ægæo, atque Icario occupavere insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Pharum, Delum, aliasque ignobiles.

Urbes ab Æoliis in Asia conditæ.

Et mox Æolii, eadem profecti Græcia, longissimisque acti erroribus non minus illustres obtinuerunt locos; clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam, Mitylenemque, & alias urbes, quæ sunt in Lesbo insula. (*s*)

Homeri præconia.

CAP. V. Clarissimum deinde Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum: qui magnitudine operum, & fulgore carminum solus appellari *Poëta* meruit. In quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur; neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est. Neque quemquam alium, cujus operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, præter Homerum & Archilochum, reperiemus.

Homeri ætas.

Hic longius à temporibus belli, quod composuit, Troici, quam quidam rentur, abfuit. Nam ferme ante annos nongentos quinquaginta floruit, intra mille natus est. Quo nomine, non est mirandum, quod sæpe illud usurpat: Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. (*t*) Hoc enim ut hominum, ita seculorum notatur differentia. Quem si quis cœcum genitum putat, omnibus sensibus orbus est.

Assyriorum imperium transfertur ad Medos.

CAP. VI. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis mille septingentis, translatum est ad Medos, abhinc annos ferme septingentos septuaginta: Quippe Sardanapalum eorum regem, mollitiis fluentem, (*u*) & nimium felicem malo suo, tertio & tricesimo loco ab Nino & Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut semper successor regni paterni foret filius, Pharnaces (*x*) Medus imperio vitaque privavit.

Sardanapalus à Pharnace interfectus. Lycurgus Lacedæmonius. Ejus leges.

Ea ætate clarissimus Graji nominis Lycurgus Lacedæmonius, vir generis regii, fuit severissimarum justissimarumque legum auctor, & disciplinæ convenientissimæ (*y*) vir; (*z*) cujus quamdiu Sparta diligens fuit, excellissime floruit.

Carthago condita.

Hoc tractu temporum ante annos quinque & sexaginta quam urbs Romana conderetur, ab Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur. Circa quod tempus Caranus, (*a*) vir generis regii, (*b*) sextus decimus ab Hercule

(*i*) al. ab imprudente. (*k*) al. insula circumfusa. (*l*) al. divisa. (*m*) al. insulas. (*n*) al. subvenit. (*o*) al. Haletes. (*p*) al. Chalcidem. (*q*) al. Græciæ. (*r*) al. Myuntem, Teum, Erythram. (*s*) al. & alias in Lesbo insula. (*t*) al. hoc est: Quales nunc sunt homines. (*u*) al. florentem. (*x*) al. Arbaces. al. Arsaces. (*y*) al. continentissimæ. (*z*) al. viris convenientissimæ. (*a*) al. Toranus. al. Coranus. (*b*) al. verba: Vir generis regii expungunt.

Caranus Macedoniam occupat. Alexander Magnus. Unde genus ducat. Æmilius Sura.

cule, profectus Argis, regnum Macedoniæ occupavit. A quo (2) Magnus Alexander quum fuerit ſeptimus decimus, jure materni generis Achille auctore, paterni Hercule gloriatus eſt. [Æmilius Sura (c) de annis Populi Romani: *Aſſyrii, principes omnium gentium, rerum potiti ſunt, deinde Medi, poſtea Perſæ, deinde Macedones. Exinde duobus regibus, Philippo & Antiocho, qui à Macedonibus oriundi erant, haud multo poſt Carthaginem ſubactam, devictis, ſumma imperii ad Populum Romanum pervenit.*]

Heſiodus. Elegans poëta.

CAP. VII. Inter hoc tempus, & initium Nini regis Aſſyriorum, qui princeps rerum potitus, interſunt anni mille nongenti nonaginta quinque. Hujus temporibus æqualis Heſiodus fuit, circa centum viginti annos diſtinctus ab Homeri ætate, vir perelegantis ingenii, & molliſſima dulcedine carminum memorabilis, otii quietiſque cupidiſſimus, ut tempore tanto viro, ita operis auctoritate proximus. Qui vitavit, ne in id, quod Homerus, incideret: patriamque & parentes, teſtatus eſt; ſed patriam, quia multatus ab ea erat, contumelioſiſſime. Dum in externis moror, incidi in rem domeſticam, maximique erroris & multum diſcrepantem auctorum opinionibus. Nam quidam, hujus temporis tractu, ajunt, *à Tuſcis Capuam, Nolamque conditam, ante annos fere octingentos triginta.* Quibus equidem aſſenſerim. Sed M. Cato quantum differt? qui dicat, *Capuam ab eiſdem Tuſcis conditam, ac ſubinde Nolam: ſtetiſſe autem Capuam, antequam à Romanis caperetur, annis circiter ducentis ſexaginta.* Quod ſi ita eſt, quum ſint à Capua capta anni ducenti quadraginta; ut condita eſt, anni ſunt fere quingenti. Ego (pace diligentiæ (d) Catonis dixerim) vix crediderim, tam mature tantam urbem creviſſe, floruiſſe, concidiſſe, reſurrexiſſe.

Capua & Nola à quibus & quando conditæ.

Olympici certaminis initium. Quo auctore.

CAP. VIII. Clariſſimum deinde omnium ludricum certamen, & ad excitandam (e) corporis animique virtutem efficaciſſimum, Olympiorum initum, habuit auctorem Iphitum Elium. (f) Is eos ludos mercatumque inſtituit ante annos, quam tu, M. Vinici, conſulatum inires, nongentos quatuor. Hoc ſacrum eodem loco inſtituiſſe fertur abhinc annos ferme mille ducentos quinquaginta, Atreus, quum Pelopi patri funebres ludos faceret. Quo quidem in ludicro omnis generis certaminum Hercules victor exſtitit. Tum Athenis perpetui Archontes eſſe deſierunt, quum fuiſſet ultimus Alcmæon: ceperuntque in denos annos creari. Quæ conſuetudo in annos ſeptuaginta manſit: ac deinde annuis commiſſa eſt magiſtratibus reſpublica. Ex iis, qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, ultimus Eryx; ex annuis, primus Creon. Sexta Olympiade, poſt duos & viginti annos, quam prima conſtituta fuerat, Romulus Martis filius, ultus injurias avi, Romam Urbem Parilibus in palatio condidit. A quo tempore ad vos Conſules anni ſunt ſeptingenti ſeptuaginta duo. (g) Id actum poſt Trojam captam annis ſexcentis triginta ſeptem. (h) Id geſſit Romulus, adjutus legionibus Latini, (i) avi ſui. Libenter enim his, qui ita prodiderunt, acceſſerim: quum aliter firmare Urbem novam, tam vicinis Vejentibus, aliiſque Etruſcis ac Sabinis, quum imbelli & paſtorali manu vix potuerit. Quamquam, (k) jam Aſylo facto inter duos lucos, auxit. Hic centum homines electos appellatoſque Patres, inſtar habuit conſilii publici. Hanc originem nomen Patriciorum habet. Raptus virginum Sabinarum. * * *

Hercules victor in Olympicis. Archontes decennales Athenis. Annui. Roma quando condita. Ol. 6. a. C. N. 752.

Quorum auxilius. Aſylum. Patres. Raptus Sabinarum.

* * *

Quam timueret hoſtis, experit. (l)

Bellum Macedonicum II.

CAP. IX. Nam biennio adeo varia fortuna cum Conſulibus conflixerat, ut plerumque ſuperior fuerit, (m) magnamque partem Græciæ in ſocietatem ſuam perduceret. (n) Quin Rhodii quoque, fideliſſimi antea Romanis, tum dubia fide, ſpeculati fortunam, proniores regis partibus fuiſſe viſi ſunt: & rex Eumenes in eo bello medius fuit animo, neque fratris initiis, neque ſuæ reſpondit conſuetudini. Tum Senatus Populuſque Romanus L. Æmilium Paullum, qui & prætor & Conſul triumphaverat, (o) virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus poteſt, Conſulem creavit: filium ejus Paulli, qui ad Cannas quam tergiverſanter pernicioſam reipublicæ pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem (p) obierat. Is Perſeum (q) ingenti prælio apud urbem nomine Pydnam in Macedonia, fuſum fugatumque caſtris exuit, deletiſque ejus copiis, deſtitutum omni ſpe coëgit è Macedonia profugere. Quam ille linquens, in inſulam Samothraciam profugit, templique ſe religioni ſupplicem credidit. Ad eum Cn. Octavius prætor, qui claſſi præerat, pervenit; & ratione (r) magis quam vi perſuaſit, *ut ſe Romanorum fidei committeret.* Ita Paullus maximum nobiliſſimumque regem in triumpho duxit. Quo anno & Octavii prætoris navalis; & Anicii, regem Illyriorum Gentium currum agentis, triumphi fuere celebres. Quam ſit aſſidua eminentis fortunæ comes Invidia, altiſſimiſque adhæreat, etiam hoc colligi poteſt: quod, quum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Paulli impedire obniterentur: (s) cujus tantum priores exceſſit, vel magnitudine regis Perſei, vel ſpecie ſimulacrorum, vel modo pecuniæ, ut bis millies ſeſtertium ærario contulerit, (t) & omnium anteactorum comparationem amplitudine vicerit.

Gerit L. Æmilius Paullus. Et Perſeum vincit. U.C. 584. Ol. 152. a. C. N. 169. Et in triumpho ducit. U.C. 585. Ol. 153. a. C. N. 168. Gentius in triumpho ductus. Invidia fortunæ comes.

CAP. X. Per idem tempus, quum Antiochus

Antiochus Epiphanes A-

H 2

(c) Alii Æmilii Suræ verba omittenda eſſe cenſent. (d) al. diligentis. (e) al. exercitandam. (f) al. Olympiorum initium habuit, auctore Iphito Elio. (g) al. DCCLXXXII. (h) al. CDXXXVII. (i) al. Latinis. (k) al. Quam, jam &c. (l) al. exſtitit. (m) al. foret. al. plane omittunt. (n) al. perduxerit. (o) al. qui & priore conſulatu triumphaverat. (p) al. morte. al. in ea morte obierat. (q) al. Perſam. al. Perſen. (r) al. oratione. (s) al. adniterentur. (t) al intulerit.

(2) Magnus Alexander) Alexandri Magni genus paternum & maternum jam illuſtravimus Tom. I. Scriptor. Hiſt. Rom. Nummis Tab. XXX. num. 3, 4, & 5.

thenis Olympicum inchoat.

chus Epiphanes, qui Athenis Olympicum (*u*) inchoavit, tum rex (*x*) Syriæ, Ptolemæum puerum Alexandriæ obſideret; miſſus eſt ad eum legatus M. Popillius (*y*) Lænas, qui juberet incepto deſiſtere. Mandataque expoſuit; & regem, *deliberaturum ſe* dicentem, circumſcripſit virgula, juſſitque, *prius reſponſum reddere*, quam egrederetur finitio arenæ circulo. Sic cogitationem (*z*) regiam Romana diſiecit conſtantia; obeditumque imperio. Lucio autem Paullo, magnæ victoriæ compoti, quatuor filii fuere. Ex iis duos, natu majores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna majeſtate, præter ſpeciem nominis, vigoremque eloquentiæ, retinenti in adoptionem dederat; alterum Fabio Maximo: duos minores natu, prætextatos, quo tempore victoriam adeptus eſt, habuit. Is quum in concione extra Urbem, more majorum, ante triumphi diem, ordinem actorum ſuorum commemoraret, Deos immortales precatus eſt, *ut, ſi quis eorum invideret operibus ac fortunæ ſuæ, in ipſum potius ſævirent, quam in rempublicam*; quæ vox, veluti oraculo emiſſa, magna parte eum ſpoliavit ſanguinis ſui. Nam alterum ex his, (*a*) quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi; alterum poſt pauciores amiſit dies. Aſpera circa hæc tempora cenſura Fulvii Flacci & Poſtumii Albini fuit. Quippe Fulvii cenſoris frater, & quidem conſors, (*b*) Cn. Fulvius, Senatu motus eſt ab iis cenſoribus.

A Ptolemæi obſidione deſiſtit jubentibus Romanis. U.C.584. Ol. 152. a. C. N. 169.

Æmilii Paulli clades domeſtica.

Fulvii Flacci aſpera cenſura.

CAP. XI. Poſt victum captumque Perſeum, qui quadriennio poſt in libera cuſtodia Albæ deceſſit, Pſeudophilippus, à mendacio ſimulatæ originis appellatus, qui ſe Philippum regiæque ſtirpis ferebat, quum eſſet ultimæ, armis occupata Macedonia, aſſumptis regni inſignibus, brevi temeritatis pœnas dedit. Quippe Q. Metellus prætor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum, (*c*) præclara victoria ipſum gentemque ſuperavit. Et immani etiam Achæos rebellare incipientes fudit acie. Hic eſt Metellus Macedonicus, (*d*) qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus ſine inſcriptione poſitis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat: quique hanc turmam ſtatuarum equeſtrium, quæ frontem ædium ſpectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci, ex Macedonia detulit. Cujus turmæ hanc cauſam referunt: Magnum Alexandrum impetraſſe à Lyſippo, (*e*) ſingulari talium auctore operum, ut eorum equitum, qui ex ipſius turma apud Granicum flumen ceciderant, expreſſa ſimilitudine figurarum, faceret ſtatuas, & ipſius quoque iis interponeret. Hic idem, primus omnium Romæ ædem ex marmore in iis ipſis monumentis molitus, vel magnificentiæ vel luxuriæ princeps fuit. Vix ullius gentis, ætatis, ordinis, hominem inveneris, cujus felicitatem fortunæ Metelli compares. Nam præter excellentes triumphos (*f*) honoreſque ampliſſimos, & principale in republica faſtigium, extentumque vitæ ſpatium, & acres innocenteſque pro republica cum inimicis contentiones, quatuor filios ſuſtulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit ſuperſtites & honoratiſſimos. Mortui ejus lectum pro Roſtris ſuſtulerunt quatuor filii. Unus conſularis, & cenſorius; alter conſularis, tertius Conſul, quartus candidatus conſulatus: quem honorem adeptus eſt. Hoc eſt nimirum magis, feliciter de vita migrare, quam mori.

Perſei obitus.

Pſeudophilippus ſurgit.

A Q. Metello ſuperatur. U.C. 600. Ol. 156. a. C. N. 153.

Metelli Macedonici monumenta Romæ.

Primus ædem ex marmore ſtruxit.

Metelli ſingularis felicitas.

Quot filios ſuſtulerit?

CAP. XII. Univerſa deinde, ut prædiximus, inſtincta in bellum Achaja, cujus (*g*) pars magna ejusdem Metelli Macedonici virtute armiſque fracta (*h*) erat, maxime Corinthiis in arma, cum gravibus etiam in Romanos contumeliis, inſtigantibus, deſtinatus ei bello gerendo Conſul Mummius. Et ſub idem tempus, magis, quia volebant Romani, quicquid de Carthaginienſibus diceretur, credere, quam quia credenda afferebantur, ſtatuit Senatus Carthaginem excidere. Ita eodem tempore P. Scipio Æmilianus, vir avitis P. Africani paterniſque L. Paulli virtutibus ſimillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniique ac ſtudiorum eminentiſſimus ſeculi ſui, qui nihil in vita niſi laudandum aut fecit aut dixit ac (*i*) ſenſit; quem Paullo genitum, adoptatum à Scipione Africani filio diximus, ædilitatem petens Conſul creatus eſt. Bellum Carthagini, jam ante biennium à prioribus Conſulibus illatum majore vi intulit; quum ante in Hiſpania murali corona, in Africa obſidionali donatus eſſet; in Hiſpania vero etiam ex provocatione, ipſe modicus virium, immanis magnitudinis hoſtem intereniſſet. Eamque urbem, magis invidia imperii, quam ullis ejus temporis noxis (*k*) inviſam Romano nomini, funditus ſuſtulit, fecitque ſuæ virtutis monumentum, quod fuerat avi ejus clementiæ. Carthago diruta eſt, quum ſtetiſſet annis ſexcentis ſexaginta ſeptem; (*l*) abhinc annos centum ſeptuaginta ſeptem, Cnæo Cornelio Lentulo, L. Mummio Conſulibus. Hunc finem habuit Romani imperii Carthago æmula; cum qua bellare majores noſtri cepere Claudio & Fulvio Conſulibus, ante annos ducentos nonaginta ſex, quam tu, M. Vinici, conſulatum inires. Ita per annos centum quindecim, aut bellum inter eos populos, aut belli præparatio, aut infida pax fuit. Neque ſe Roma, jam terrarum orbe ſuperato, ſecuram ſperavit fore, ſi nomen uſquam ſtantis maneret Carthaginis. Adeo odium, certaminibus ortum, ultra metum durat, & ne victis quidem deponitur, neque ante inviſum eſſe deſiit, (*m*) quam eſſe deſiit. (*n*)

Achaicum bellum. U. C. 606. Ol. 158. a. C. N. 147.

Mummio committitur.

P. Scipio Æmilianus.

Conſul creatur.

Bellum Carthagini majore vi infert.

Carthaginem funditus evertit. U.C. 606. Ol. 158. a. C. N. 147.

CAP.

(*u*) al. Olympieum. (*x*) regem. (*y*) al. C. Popillius. al. C. Octavius. (*z*) al. contationem. (*a*) al. alterum ex duobus. (*b*) al. concors. (*c*) al. inditum erat. (*d*) al. Macedonius. (*e*) al. imperaſſe Lyſippo. (*f*) al. excellentem triumphum. (*g*) al. quum. (*h*) al. tracta. (*i*) al. aut. (*k*) al. quam ullius ejus temporis noxiæ. (*l*) al. DCLXX. (*m*) al. ſi nomen uſquam ſtantis maneret Carthiginis: (adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat, ut ne in victos quidem deponitur) neque ante inviſa eſſe deſiit, quam eſſe deſiit. (*n*) al. deſinit.

M. Catonis mors.

CAP. XIII. Ante triennium, quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ ejus auctor, L. Censorino, M. Manlio Consulibus, mortem obiit. Eodem anno, quo Carthago concidit. L. Mummius Corinthum, post annos octingentos quinquaginta duos, quam ab Alete Hippotis filio erat condita, funditus eruit. Uterque imperator, devictæ à se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaicus. Nec quisquam ex novis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicavit. Diversi imperatoribus mores, diversa fuere studia. Quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ & auctor (o) & admirator fuit, ut Polybium, Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit. Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius (p) intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli aut pacis serviit artibus: semper inter arma, ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut capta Corintho, quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas, in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. Non tamen puto dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi; & quin (q) hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.

Corinthus eversa. U. C. 606, Ol. 158. a. C. N. 147.

Scipionis & Mummii collatio.

CAP. XIV. Quum facilius cujusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhæreat; statui priorem hujus voluminis, posterioremque partem, non inutili rerum notitia in artum contracta distinguere: atque huic loco inserere, quæ quoque tempore post Romam à Gallis captam, deducta sit colonia, jussu Senatus. Nam militarium & causæ (r) & auctores & ipsarum præfulgent nomina. Huic rei per idem tempus civitates propagatas, (s) auctumque Romanum nomen communione juris, haud intempestive subtexturi videmur. Post septem annos, quam Galli Urbem ceperunt, *Sutrium* (t) deducta colonia est, & post annum *Setina*, (u) novemque interjectis annis *Nepe*, (w) deinde, interpositis duobus & triginta, *Aricini* in civitatem recepti. Abhinc annos autem trecentos quinquaginta, Sp. Postumio, Veturio Calvino Consulibus, *Campanis* data est civitas, partique *Samnitium* sine suffragio: & eodem anno *Cales* deducta colonia. Interjecto deinde triennio *Fundani & Formiani* in civitatem recepti, eo ipso anno, quo Alexandria condita est. Insequentibusque Consulibus, à Sp. Postumio, Philone Publilio censoribus *Acerranis*, data civitas, & post triennium *Tarracinam* (x) deducta colonia. Interpositoque quadriennio, *Luceria*; ac deinde, interjecto triennio, *Suessa Aurunca*; & *Saticula*, *Interamnaque* post biennium. Decem deinde hoc munere anni vacaverunt. Tunc *Sora* atque *Alba* deductæ coloniæ, & *Carseoli* post biennium. At (y) quintum Fabio, Decio Mure (z) quartum Consulibus, quo anno Pyrrhus regnare cepit, *Sinuessam*, *Minturnasque* missi coloni; post quadriennium *Venusiam*. Interjectoque biennio, M. Curio & Rufino Cornelio Consulibus *Sabinis* sine suffragio data civitas. Id actum ante annos ferme trecentos viginti. (a) At *Cossam* (b) & *Pæstum* abhinc annos ferme trecentos, Fabio Dorsone & Claudio Canina Consulibus. Interjecto quinquennio, Sempronio Sopho & Appio Cœci filio Consulibus, *Ariminum*, *Beneventum* coloni missi; & suffragii ferendi jus *Sabinis* datum. At initio primi belli Punici *Firmum & Castrum* colonis occupata. Et post annum *Æsernia*, postque viginti duos (c) annos *Æsulum* & *Alsium*; *Fregellæque* (d) post biennium; proximoque anno, Torquato Sempronioque Consulibus, *Brundisium*, & post triennium *Spoletium*; quo anno Floralium ludorum factum est initium. Postque biennium deducta *Valentia*, & sub adventum in Italiam Hannibalis, *Cremona* atque *Placentia*.

Coloniarum distincta enarratio.

CAP. XV. Deinde, neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum ejus annis, vacavit Romanis colonias condere; quum esset in bello conquirendus potius miles, quam dimittendus; & post bellum vires refovendæ magis, quam spargendæ. Cnæo autem Manlio Volsone, & M. Fulvio Nobiliore Consulibus, *Bononia* deducta colonia, abhinc annos ferme ducentos septendecim. Et, post quadriennium, *Pisaurum* ac *Potentia*; interjectoque triennio, *Aquilea*, & *Gravisca*, & post quadriennium *Luca*. Eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, *Puteolos*, *Salernumque* & *Buxentum* missi coloni. *Auximum* autem in Picenum, abhinc annos ferme centum octuaginta septem; ante triennium, quam Cassius censor, à Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit. Cui in demoliendo (e) eximia civitatis severitas & Consul Scipio (f) restitere. Quod ego inter clarissima publicæ voluntatis argumenta numeraverim. Cassio autem Longino & Sextio (g) Calvino, qui Sallues (h) apud Aquas, quæ ab eo *Sextiæ* appellantur, devicit, Consulibus, *Fabrateria* deducta est, abhinc annos ferme centum quinquaginta septem; (i) &, post annum, *Scylacium*, *Minervium*, *Tarentum*, *Neptunia*, *Carthagoque* in Africa prima, ut prædiximus, extra Italiam, colonia condita est. De *Dertonâ* ambigitur; *Narbo* autem *Martius* in Gallia, M. Por-

(o) al. fautor. (p) al. diligentius. (q) al. quia. (r) al. causa. (s) al. civitatem propagatam. (t) al. *Satricum.* (u) al. *Setia.* (w) al. *Nepet.* (x) al. *Tarracina.* (y) al. Ad. (z) al. P. Decio Mure. al. Q. Decio Mure. al. At Q. Fabio quintum & Decio Mure. (a) al. CCCXXX. al. CCCXIIX. (b) al. *Cosam.* al. *Compsam.* al. *Consa.* (c) al. XVII. (d) al. *Frægenæque.* (e) al. emoliendo. (f) al. Cæpio. (g) al. Sestio. (h) al. Sallyes. (i) al. CLII.

M. Porcio; Q. Marcio Consulibus. Abhinc annos circiter centum quinquaginta tres (*k*) deducta colonia est. Post tres & viginti (*l*) annos in Vagiennis (*m*) *Eporædia* Mario sexies, Valerioque Flacco Consulibus. Neque facile memoriæ mandaverim, quæ, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.

CAP. XVI. Quum hæc particula operis velut formam propositi excesserit, quamquam intelligo, mihi in hac tam præcipiti festinatione, quæ me rotæ, pronive gurgitis ac verticis modo nusquam patitur consistere, pene magis necessaria prætereunda, quam supervacua amplectenda: nequeo tamen temperare mihi, quin rem sæpe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, signem stylo. Quis enim abunde mirari potest, quod eminentissima cujusque professionis ingenia, in eandem formam, (*n*) & in idem artati temporis congruens (*o*) spatium; & quemadmodum clausa capsa, (*p*) alioque (*q*) septo diversi generis animalia, nihilo minus separata alienis, (*r*) in unum quoque (*s*) corpus congregantur; ita cujusque clari operis capacia ingenia in similitudinem & temporum & profectuum semetipsa ab aliis separaverunt? Una, neque multorum annorum spatio divisa, ætas, per divini spiritus viros, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, illustravit tragœdias: (*t*) una priscam illam & veterem sub Cratino, Aristophane & Eupolide comœdiam; ac (*u*) novam comicam Menandrus, æqualesque ejus ætatis magis quam operis, Philemon ac Diphilus, & invenere intra paucissimos annos, neque imitanda (*w*) reliquere. Philosophorum quoque ingenia, Socratico ore (*x*) profluentia, omnium, quos paullo ante enumeravimus, quanto post Platonis Aristotelisque mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem, quid post ejus auditores eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit? adeo quidem artatum (*y*) angustiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint. (*z*)

Artes & studia uno ævo. *Tragici græci.* *Comici.* *Philosophi.* *Oratores.*

CAP. XVII. Neque hoc in Græcis, quam in Romanis, evenit magis. Nam, nisi aspera, ac rudia repetas, & inventi laudanda nomine, in Attio circaque eum (*a*) Romana tragœdia est. Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque & Afranium sub pari (*b*) ætate nituerunt. Historicos (ut Livium quoque priorum ætati adstruas) præter Catonem, & quosdam veteres & obscuros, minus octoginta annis circumdatum ævum tulit: ut nec poëtarum in antiquius, citeriusve processit ubertas. At oratio, ac vis forensis perfectumque prosæ eloquentiæ decus, ut idem separetur Cato (pace P. Crassi Scipionisque & Lælii & Gracchorum, & Fannii, & Ser. Galbæ dixerim) ita universa sub principe operis sui erupit Tullio: ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit. Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus, quisquis (*c*) temporum institerit notis, reperiet, & (*d*) eminentia cujusque operis artissimis temporum claustris circumdata. Hujus ergo, præcedentisque seculi, ingeniorum similitudines congregantis & in studium par, & in emolumentum, (*e*) causas quum semper requiro, numquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse verisimiles: inter quas has maxime. Alit æmulatio ingenia: & nunc invidia, nunc admiratio incitationem (*f*) accendit: naturaque, (*g*) quod summo studio petitum est, adscendit in summum: difficilisque in perfecto mora est; naturaliterque, quod procedere non potest, recedit. Et, ut primo ad consequendos quos priores ducimus, accendimur: ita, ubi aut præteriti, aut æquari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit; & quod assequi non potest, sequi desinit, &, velut occupatam relinquens materiam, quærit novam: præteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid in quo nitamur conquirimus: sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum (*h*) sit.

Tragici Romani. *Comici.* *Historici.* *Poëtæ.* *Oratores.* *Artifices alii.* *Causæ ejus et concursus.*

CAP. XVIII. Transit admiratio ad conditionem (*i*) temporum, & ad urbium. Una urbs Attica pluribus annis eloquentia, (*k*) quam universa Græcia, uberiusque (*l*) floruit; adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, quam neminem Argivum, Thebanum, Lacedæmonium oratorem aut dum vixit auctoritate, aut post mortem memoria dignum existimatum. Quæ urbes, & (*m*) multæ aliæ, talium studiorum fuere steriles, ni Thebas unum os Pindari illuminaret. Nam Alcmana Lacones falso sibi vindicat.

Certæ urbes certis artibus claræ.

(*k*) al. CXLVI. (*l*) al. XIIX. al. duodeviginti. (*m*) al. Bagiennis. al. Bacienis. al. Baciennis. (*n*) al. in eam formam. (*o*) al. congruant. (*p*) al. capso. (*q*) al. aliove. (*r*) al. separata ab aliis. (*s*) al. quæque. (*t*) al. tragœdiam. (*u*) al. at. (*w*) al. imitandam. (*x*) al. rore. (*y*) al. adeoque iidem artati. al. adeo quidem artati. (*z*) al. nequiverit. (*a*) al. eorum. al. quorum. (*b*) al. suppari. (*c*) al. ut quisque. (*d*) al. & omittunt. (*e*) al. emolimentum. (*f*) al. imitationem. (*g*) al. matureque. (*h*) al. indicamentum. (*i*) al. à conditione &c. (*k*) al. eloquentiæ. (*l*) al. operibusque. (*m*) al. ut.

C. VEL-

C. VELLEII PATERCULI HISTORIÆ ROMANÆ AD M. VINICIUM COS.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

POtentiæ Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit. Quippe remoto Carthaginis metu, sublataque imperii æmula, non gradu, sed præcipiti cursu, à virtute descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis in otium conversa civitas. Tum Scipio Nasica in Capitolio porticus; tum quas prædiximus, Metellus; tum in circo Cn. Octavius multo amœnissima moliti sunt: publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est. Triste deinde, & contumeliosum bellum in Hispania, duce latronum Viriatho, secutum est: quod ita varia fortuna gestum est, ut sæpius Romanorum gereretur adversa. Sed interempto Viriatho, fraude magis quam virtute Servilii Cæpionis, Numantinum gravius exarsit. Hæc urbs numquam decem millibus plura, propriæ juventutis armavit: (*a*) sed, vel ferocia ingenii, vel inscitiâ nostrorum ducum, vel fortunæ indulgentia, quum alios duces, tum Pompejum magni nominis virum, ad turpissima deduxit fœdera (hic primus è Pompejis Consul fuit) nec minus turpia ac detestabilia Mancinum Hostilium Consulem. Sed Pompejum gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia. Quippe, non recusando perduxit huc, ut per Feciales nudus ac post tergum religatis manibus, dederetur hostibus. Quem illi recipere se negaverunt, sicut quondam Caudini fecerunt, dicentes, *publicam violationem fidei non debere unius lui sanguine.*

Remota Carthagine luxus Romæ increbuit.

Bellum cum Viriatho duce latronum. U. C. 607. Ol. 158. a. C. N. 146.

Viriathus à Cæpione interemptus. Bellum Numantinum. U. C. 611. Ol. 159. a. C. N. 142.

Mancini Hostilii fœdus turpissimum.

Ejus deditio.

CAP. II. Immanem deditio Mancini civitatis movit dissensionem. Quippe Tib. Gracchus, Tib. Gracchi clarissimi atque eminentissimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo Quæstore & auctore id fœdus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid à se factum infirmari, nunc similis vel judicii vel pœnæ metuens discrimen, tribunus plebis creatus, vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & natura & industria mortalis conditio recipit, P. Mucio Scævola, L. Calpurnio Consulibus, abhinc annos centum sexaginta duos, descivit à bonis; pollicitusque toti Italiæ civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus statum concupiscentibus, (*b*) summa imis miscuit; & in præruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam, Octavioque collegæ, pro bono publico stanti imperium abrogavit: Triumviros agris dividendis coloniisque (*c*) deducendis creavit se, socerumque suum consularem Appium, & Gracchum fratrem, admodum juvenem.

Quæ seditionem movet, Tib. Gracchus.

Vir laude dignus.

Descivit à bonis. U. C. 619. Ol. 161. a. C. N. 134.

CAP. III. Tum P. Scipio Nasica, ejus qui optimus vir à Senatu judicatus erat, nepos; ejus qui censor porticus in Capitolio fuerat, (*d*) filius; pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patrui, (*e*) privatusque & togatus, quum esset consobrinus Tib. Gracchi, patriam cognationi præferens, & quidquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans (ob eas (*f*) virtutes primus omnium absens pontifex maximus factus est) circumdata lævo (*g*) brachio togæ lacinia, ex superiore parte Capitolii, summis gradibus insistens, hortatus est, *qui salvam vellent rempublicam, se sequerentur.* Tum optimates, Senatus, atque equestris ordinis pars melior & major, & intacta perniciosis consiliis plebs, inruere in Gracchum, stantem in area cum catervis suis, & concientem pene totius Italiæ frequentiam. Is fugiens, decurrensque clivo Capitolino, fragmine subsellii ictus, vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. Hoc initium in Urbe Roma civilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. Inde jus vi obrutum, potentiorque habitus prior; discordiæque civium, antea conditionibus (*h*) sanari solitæ, ferro adjudicatæ; bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit. Quod haud mirum est. Non enim ibi consistunt exempla, unde ceperunt; sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt: &, ubi semel recto deerratum est, in præceps pervenitur: nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum.

P. Scipio Nasica.

In Gracchum dux.

Tib. Gracchus occiditur.

CAP.

(*a*) al. Hæc urbs numquam plura, quam decem millia propriæ juventutis, armavit. (*b*) al. omnium statum concutientibus. (*c*) al. colonisque. (*d*) al. fecerat. (*e*) al. patruus. (*f*) al. ob quas. (*g*) al. cum data lævo &c. (*h*) al. condictionibus.

Aristonicus armis Asiam occupat. U. C. 621. Ol. 162. a. C. N. 132. à M. Perperna victus. M. Aquillio capite Pœnas dat.

CAP. IV. Interim dum hæc in Italia geruntur, Aristonicus, mortuo rege Attalo, à quo Populo Romano hæreditate relicta erat, sicut relicta postea est à Nicomede Bithynia, mentitus regiæ stirpis originem, armis eam occupat. Is victus à M. Perperna, ductusque in triumpho; sed M. (*i*) Aquillio capite pœnas dedit: quum initio belli Crassum Mucianum, virum, juris scientissimum, decedentem ex Asia proconsulem interemisset. Et P. Scipio Africanus Æmilianus, qui Carthaginem deleverat, post tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum Consul, missusque in Hispaniam, fortunæ virtutique expertæ in Africa, respondit in Hispania; & intra annum ac tres menses, quam eo venerat, circumdatam operibus Numantiam excisamque æquavit solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clarior urbium excidio nomen suum perpetuæ commendavit memoriæ. Quippe, excisa Carthagine ac Numantia, ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis. Hic, eum interrogante tribuno Carbone, *quid de Tiberii Grachi cæde sentiret?* respondit: *si is occupandæ reipublicæ animum habuisset, jure cæsum.* Et, quum omnis concio acclamasset: (*k*) *Hostium*, inquit, *armatorum totiens clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia?* Reversus in Urbem, intra breve tempus, M. Aquillio, C. Sempronio Consulibus abhinc annos centum quinquaginta (*l*) post duos consulatus, duosque triumphos, & bis excisos terrores reipublicæ mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quædam elisarum faucium in cervice reperirentur notæ. De tanti viri morte nulla habita est quæstio: ejusque corpus velato capite elatum est, cujus opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput. Seu fatalem, ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidere memoriæ, mortem obiit, vitam certe dignissimam egit, quæ nullius ad id temporis præterquam avito fulgore vinceretur. Decessit anno ferme quinquagesimo sexto: (*m*) de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum ejus, in quem creatus est anno trigesimo sexto, (*n*) ita dubitare desinet.

Numantia capta & excisa. U. C. 620. Ol. 161. a. C. N. 133.

Scip. Africani libertas.

Moritur, aut necatur.

Bellum in Hispania. U. C. 614. Ol. 160. a. C. N. 139.

Q. Metelli rigor.

CAP. V. Ante tempus excisæ Numantiæ, præclara in Hispania militia A. Bruti (*o*) fuit: qui penetratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum, urbiumque potitus numero, aditis quæ vix audita erant, (*p*) Gallæci cognomen meruit. Et ante cum paucis annis tam severum illius Q. Macedonici in his gentibus imperium fuit, ut, quum urbem Contrebiam (*q*) nomine in Hispania oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias, eodem protinus subire juberet; facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundem foret, non deterritus proposito, perseverantia ducis, quem moriturum miserat, militem victorem recepit. Tantum effecit mistus timori pudor, spesque desperatione quæsita. Hic virtute ac severitate facti; at Fabius Æmilianus, Paulli exemplo, disciplinæ (*r*) in Hispania fuit clarissimus.

C. Gracchi turbæ. U.C. 629. Ol. 164. a. C. N. 124.

CAP. VI. Decem deinde interpositis annis, qui Tib. Gracchum, idem Cajum, fratrem ejus occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quam huic errori similem, ingenio etiam eloquentiaque longe præstantiorem: cui quum summa quiete animi, civitatis princeps esse posset, vel vindicandæ fraternæ mortis gratia, vel præmuniendæ regalis potentiæ, ejusdem exempli tribunatum ingressus, longe majora & acriora (*s*) repetens, dabat civitatem omnibus Italicis, extendebat eam pene usque Alpes; dividebat agros; vetabat quemquam civem plus quingentis jugeribus habere: quod aliquando lege Licinia cautum erat: nova constituebat portoria; novis coloniis replebat provincias: judicia à Senatu transferebat ad equites; frumentum plebi dare (*t*) instituebat; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat: quin alterum etiam continuavit tribunatum. Hunc L. Opimius Consul, qui prætor Fregellas exciderat, persecutus armis, unaque Fulvium Flaccum, consularem ac triumphalem virum, æque prava cupientem, quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris Triumvirum nominaverat, eumque socium (*u*) regalis assumpserat potentiæ, morte afficit. Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi, sed civis Romani pretium se daturum, idque auro repensurum, proposuit. Flaccus in Aventino armatos (*x*) ad pugnam ciens, cum filio majore jugulatus est. Gracchus profugiens, quum jam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo præbuit, qui non segnius se ipse interemit, quam domino succurrerat. Quo die singularis, Pomponii equitis Romani in Gracchum fides fuit. Qui more Coclitis, sustentatis in ponte hostibus, ejus gladio se transfixit. Ut Tiberii Gracchi antea corpus, ita Caji, mira crudelitate victorum, in Tiberim dejectum est.

Quas L. Opimius comprimit.

Flacci cædes.

Gracchi cædes.

Pomponii in C. Gracchum fides.

CAP. VII. Hunc Tiberii Gracchi liberi, P. Scipionis Africani nepotes, viva adhuc matre Cornelia, Africani filia, viri optimis ingeniis male usi, vitæ mortisque habuere exitum. Qui si civilem dignitatis concupissent modum, quidquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulisset respublica. Huic atrocitati adjectum scelus unicum. Quippe juvenis, specie excellens, necdum duodevicesimum transgressus annum, immunisque delictorum paternorum, Fulvii Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus miserat, ab Opimio interemptus est. Quem quum haruspex Tuscus, (*y*) amicus, flentem in vincula duci vidisset, *Quin hoc potius*, inquit, *facis?*

Fulvii Flacci filius cæsus.

(*i*) al. sed à M'. (*k*) al. occlamasset. (*l*) al. CLIIX. (*m*) al. LIV. (*n*) al. XXXVIII. (*o*) al. D. Bruti. (*p*) al. adita erant. (*q*) al. Trebiam. (*r*) al. at Fabius Æmilianus Paulli, exemplo disciplinæ &c. (*s*) al. acrior. (*t*) al. dari. (*u*) al. & socium. (*x*) al. armatus. (*y*) al. Fuscus.

facis? protinusque illiso capite in postem (*a*) lapideum januæ carceris, effusoque cerebro exspiravit. Crudelesque mox quæstiones in amicos clientesque Gracchorum habitæ sunt. Sed Opimium, virum alioqui sanctum & gravem, damnatum postea judicio publico, memoria ipsius sævitiæ, nulla civilis persecuta est misericordia. Eadem Rutilium (*b*) Popilliumque, qui Consules asperrime in Tiberii Gracchi amicos sævierant, postea judiciorum publicorum merito oppressit invidia. Rei tantæ parum (*c*) ad notitiam pertinens interponetur. Hic est Opimius, à quo Consule celeberrimum *vini Opimiani* nomen: quod jam nullum esse, spatio annorum colligi potest, quum ab eo sint ad te, M. Vinici, Consulem, anni centum quinquaginta & unus. (*d*) Factum Opimii, quod inimicitiarum quæsita erat ultio, minor secuta auctoritas: & visa ultio privato odio magis, quam publicæ vindictæ data. (*e*)

Opimius judicio publico damnatus. Et Rutilius cum Popillio.

Opimianum vinum.

CAP. VIII. Subinde, Porcio Marcioque Consulibus deducta colonia, *Narbo Marcius*. Mandetur deinde memoriæ severitas judiciorum. Quippe Cajus Cato (*f*) consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est; quum lis ejus quater millibus (*g*) æstimaretur. Adeo illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum: factaque ad consilium dirigebant, & quid, non in quantum, admissum foret, æstimabant. Circa eadem tempora Metelli (*h*) fratres uno die triumphaverunt. Non minus clarum exemplum, & adhuc unicum (*i*) Fulvii Flacci, ejus qui Capuam ceperat, filiorum, sed alterius in adoptionem dati, in collegio Consulum fuit. Adoptivus in Accidini (*k*) Manlii familiam datus. Nam censura Metellorum, patruelium non germanorum fratrum fuit: quod solis contigerat Scipionibus. (*l*) Tum Cimbri & Teutoni transcendere Rhenum, multis mox nostris suisque cladibus nobiles. Per eadem tempora clarus ejus Minucii, qui porticus, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, è Sordiscis triumphus fuit.

Narbonensis colonia.

C. Cato repetundarum ex Macedonia damnatus.

Duo Metelli uno die triumphant.

Cimbri & Teutoni Rhenum transcendunt. Minucii ex Scordiscis triumphus.

CAP. IX. Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Æmilianus, Læliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius. Nec prætereundus Metellus Numidicus, & Scaurus, & ante omnes L. Crassus & M. Antonius. Quorum ætati ingeniisque successere C. Cæsar Strabo, P. Sulpicius. Namque Mucius (*m*) juris scientia, quam propriæ eloquentiæ nomine, celebrior fuit. Clara etiam per idem ævi spatium fuere ingenia, in Togatis Afranii, in Tragœdiis Pacuvii atque Attii, usque in Græcorum ingeniorum comparationem evecti, magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum; adeo quidem, ut in illis limæ, in hoc pene plus videatur fuisse sanguinis. Celebre & Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello eques militaverat. Quo quidem tempore juvenis adhuc Jugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quæ postea in contrariis facerent. Historiarum auctor jam tum Sisenna erat juvenis, sed opus belli civilis Sullani (*n*) post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisennâ fuit Cœlius; æqualis Sisennæ Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, & Valerius Antias. Sane non ignoremus, eadem ætate fuisse Pomponium, sensibus celebrem, verbis rudem, & novitate inventi à se operis commendabilem.

Oratores Clari.

Comici.

Tragici.

Lucilius poëta.

Sisenna historicus.

Alii historici clari.

Pomponius Comicus.

CAP. X. Persequamur (*o*) notam severitatem censorum, Cassii Longini, Cæpionisque, qui abhinc (*p*) annos centum quinquaginta septem (*q*) Lepidum Aemilium, (*r*) augurem, quod sex millibus ædes conduxisset, adesse jusserunt. At nunc, si quis tanti habitet, (*s*) vix ut senator agnoscitur. Adeo mature à rectis in vitia, à vitiis in prava, à pravis in præcipitia pervenitur. Eodem tractu temporum & Domitii ex Arvenis, & Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. Fabio Paulli nepoti, ex victoria cognomen Allobrogico inditum. Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam, & ut clarissima, ita artata numero felicitas. IV. ante hunc, (*t*) nobilissimæ simplicitatis juvenem, Cn. Domitium, fuere singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad consulatum, sacerdotiaque, ad triumphi autem pene omnes pervenerunt insignia.

Severitas censoria.

Domitii & Fabii victoriæ.

In Domitiis nota.

CAP. XI. Bellum deinde Jugurthinum gestum est per Q. Metellum, nulli secundum seculi sui. Hujus legatus fuit C. Marius, quem prædiximus, natus equestri loco, hirtus atque horridus, vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriæ, insatiabilis, impotens, semperque inquietus. Hic per publicanos aliosque in Africa negotiantes, criminatus Metelli lentitudinem, trahentis jam in tertium annum bellum, & naturalem nobilitatis superbiam, morandique in imperiis (*u*) cupiditatem, effecit, ut quum, commeatu petito, Romam venisset, Consul crearetur, bellique pene patrati à Metello, qui bis Jugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. Metelli tamen & triumphus fuit clarissimus, & meritum virtutique cognomen Numidici inditum. Ut paullo ante domitiæ familiæ, ita Cæciliæ notanda claritudo est: quippe intra duodecim ferme annos hujus temporis Consules fuere Metelli, aut censores, aut triumpharunt amplius duodecim: ut appareat, quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.

Bellum Jugurthinum. U. C. 635. Ol. 165. a. C. N. 118.

C. Marius describitur.

Consul creatur.

In Cæciliis nota.

CAP. XII. At Cajus Marius L. Sullam, jam tunc, ut præcaventibus fatis, (*x*) copulatum sibi quæ-

L. Sulla Quæstor.

(*a*) al. pontem. (*b*) al. Rupilium. (*c*) al. parva. (*d*) al. CL. (*e*) al. & visum privato .. vindictæ datum. (*f*) al. C. Cato. (*g*) al. quadringentis millibus. al. XIIX. millibus (*h*) al. M. Metelli. al. M. & C. Metelli. al. duo Metelli fratres. (*i*) al. & ad hoc unicum. (*k*) al. Acidiani. (*l*) al. Cæpionibus. (*m*) al. Nam Q. Mucius. (*n*) al. Sullanique. (*o*) al. Prosequamur. (*p*) al. Prosequamur notam simultatem Cassii Longini Cæsarisque, quæ abhinc &c. (*q*) al. CLIV. (*r*) al. Ælium. (*s*) al. habeat. (*t*) al. Uti ante hunc. (*u*) al. immorandique imperiis &c. (*x*) al. ut patriæ caventibus fatis.

quæstorem habuit, & per eum missum ad regem Bocchum, Jugurtha rege, abhinc annos ferme centum triginta octo, (y) potitus est. Designatusque iterum Consul, in Urbem reversus, secundi consulatus initio Kalendis Januariis eum in triumpho duxit. Effusa, ut prædiximus, immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, quum Cæpionem Manliumque Consulem, & ante Carbonem Silanumque fudissent fugassentque in Galliis, & exuissent exercitu; Scaurumque Aurelium consulem, (z) & alios celeberrimi nominis viros trucidassent, Populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quam Marium est ratus. Tum multiplicati consulatus ejus. Tertius in apparatu belli consumptus: quo anno Cn. Domitius tribunus plebei legem tulit, *ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, Populus crearet.* Quarto trans alpes circa Aquas Sextias cum Teutonis conflixit; amplius centum quinquaginta millibus hostium, priore ac postero die (a) ab eo trucidatis; gensque excisa Teutonum. Quinto, citra alpes in campis, quibus nomen erat Raudiis, (b) ipse Consul & Proconsul Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertavere prælio: cæsa aut capta amplius centum millia hominum. Hac victoria videtur meruisse Marius, *ne ejus nati rempublicam pœniteret, ac bona malis repensasse.* Sextus consulatus veluti præmium ei meritorum datus. Non tamen hujus consulatus fraudetur gloria; quo Servilii Glauciæ, Saturninique Appuleji furorem, continuatis honoribus rempublicam lacerantium, & gladiis quoque & cæde comitia discutientium, Consul (c) armis compescuit; hominesque exitiabiles in Hostilia curia morte multavit.

Jugurtham capit. U. C. 645. Ol. 168. a. C. N. 108. C. Marius Consul II.

Cimbri & Teutoni Romanos fundunt.

In eos Marius mittitur. U. C. 648. Ol. 168. a. C. N. 105. C. Marius Consul III. Lex de Sacerdotiis. C. Marius Consul IV. Clades Teutonum. C. Marius Consul V.

Clades Cimbrorum. U. C. 650. Ol. 169. a. C. N. 103. C. Marcius Consul VI. Glauciæ & Appuleji turbæ.

à Mario compressæ.

CAP. XIII. Deinde interjectis paucis annis, tribunatum iniit M. Livius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna usus. Qui quum Senatui priscum restituere cuperet decus, & judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, quum in multos clarissimos atque innocentissimos viros sævissent, tum P. Rutilium, virum non seculi sui, sed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis, damnaverant) in iis ipsis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium: non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandæ illiciendæque multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis (d) majora permitteret. Denique ea fortuna Drusi fuit, ut malefacta collegarum, quam ejus optime ab ipso cogitata, Senatus probaret magis; & honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret; injurias, quæ ab aliis intendebantur, æquo animo reciperet; & hujus summæ gloriæ invideret; illorum modicam ferret.

M. Livius Drusus Tr. pl. laudatur.

Pro Senatu primo.

CAP. XIV. Tum conversus Drusi animus, quando bene cepta male cedebant (e) ad dandam civitatem Italiæ. Quod quum moliens revertisset è foro, immensa illa & incognita, (f) quæ eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus, qui affixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. Sed quum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium mœrentiumque frequentiam, effudit vocem convenientissimam conscientiæ suæ: *Ecquando* inquit, *propinqui amicique similem mei civem habebit respublica?* Hunc finem clarissimus juvenis vitæ habuit. Cujus morum minime omittatur argumentum. Quum ædificaret domum (g) in Palatio in eo loco, ubi est, quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est; promitteretque ei architectus, *ita se eam ædificaturum, ut libera à conspectu, immunis ab omnibus arbitris (h) esset, neque quisquam in eam despicere posset: Tu vero,* inquit, *si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quidquid agam, ab omnibus perspici possit.*

Mox in eum vertit.

Occiditur. U. C. 661. Ol. 172. a. C. N. 92. Ejus novissima vox ad circumstantes.

Alia vox notabilis ad Architectum.

CAP. XV. In legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit. Id majores (quum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem, (3) Massiliam Phocæa, (4) Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto, genitali solo) diligenter vitaverant, ut cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverint. Prima autem extra Italiam colonia *Carthago* condita est. Mors Drusi jam pridem tumescens bellum excitavit Italicum. Quippe L. Cæsare, P. Rutilio Consulibus, abhinc annos centum viginti, (i) universa Italia, quum id malum ab Asculanis ortum esset (k) (quippe Servium (l) prætorem, Fontejumque legatum occiderant) ac deinde à Marsis exceptum. in omnes penetrasset regiones, arma adversus Romanos cepit. Quorum ut fortunam atrox, ita causa fuit justissima. Petebant enim eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur: *per omnes annos atque omnia bella, duplici numero (m) se militum equitumque fungi, neque in ejus civitatis jus recipi, quæ per eos in id ipsum pervenisset fastigium, per quod homines ejusdem & gentis & sanguinis, ut externos alienosque fastidire posset.* Id bellum amplius trecenta millia juventutis Italicæ abstulit. Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello: Cn. Pompejus, Cn. Pompeji Magni pater, C. Marius, de quo prædiximus, L. Sulla, anno ante prætura functus, Q. Metellus, Numidici filius, qui meritum cognomen Pii consecutus erat. Quippe expulsum civitate à L. Saturnino (n) tribuno plebei, quod solus

Coloniæ in exteris.

Mors Drusi bellum Italicum excitavit. U. C. 662. Ol. 172. a. C. N. 91. Ejus origo.

Causa.

Imperatores Romani eo bello.


Q. Metellus Numidicus civitate expulsus.

(y) al. CXXXIV. (z) al. consularem. (a) al. ac orto die. (b) al. Caudiis. (c) al. Consularibus. (d) al. præceptis. (e) al. cadebant. (f) al. incondita. (g) al. templum. (h) al. *hominibus.* (i) al. CXIX. (k) al. quum id malum in universa Italia ab Asculanis esset. (l) al. Servilium. (m) al. *munere.* (n) al. Expulsum civitate L. Saturnino.

(3) Massiliam Phocæa) Originem suam Massilienses à Phocensibus in numismatibus suis expresserunt, ut ostendimus Tom. I. Scriptor. Hist. Rom. Tab. XXVI. num. 2. & 3. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. I. p. 361.

(4) Syracusas Corintho) Syracusani pariter originem suam à Corinthiis docuerunt in nummis suis, per Pegasum Corinthiacum, ut videre est in numo Tab. XV. num. 5. Conf. BEGER. loc. cit. pag. 381.

Tab. XV.
ad pag. 52 53 66.



solus in leges ejus jurare noluerat, pietate sua, auctoritate Senatus, consensu reipublicæ (*n*) restituit patrem. Nec triumphis, honoribusque, quam aut causa exilii, aut exilio, aut reditu clarior fuit Numidicus.

Italici Imperatores.

CAP. XVI. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, Silo Poppædius, Herius Asinius, Insteius Cato (*o*) C. Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius, Papius Mutilus (*p*) Neque ego verecundia, domestici sanguinis gloriæ quidquam, dum verum refero, subtraham. Quippe multum Minatii Magii, atavi mei, Asculanensis, tribuendum est memoriæ: qui nepos Decii (*q*) Magii, Campanorum principis; celeberrimi & fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem præstitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompejos cum L. Sulla oppugnaret, Cosamque (*r*) occuparet. Cujus de virtutibus quum alii, tum maxime dilucideque (*s*) Q. Hortensius in Annalibus suis retulit. Cujus pietati (*t*) plenam Populus Romanus gratiam retulit; ipsum viritim civitate donando, duos filios ejus creando prætores, quum seni adhuc crearentur. Tum varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum (*u*) duo Romani Consules, Rutilius ac deinde Cato Porcius ab hostibus occiderentur, exercitus Populi Romani multis in locis funderentur, utque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur. Caput imperii sui Corfinium legerant, quod appellarent Italicum. (*x*) Paullatim deinde recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturius, vires refectæ sunt: Pompejo Sullaque, & Mario fluentem procumbentemque Rempublicam restituentibus.

Minatius Magius atavus Velleji laudatur.

Clades belli Italici.

Paullatim ponitur.

CAP. XVII. Finito ex maxima parte, nisi quæ (*y*) Nolani belli manebant reliquiæ, Italico bello (quo quidem Romani victis afflictisque ipsi exarmati; quam integris universis civitatem dare maluerunt) consulatum inierunt Q. Pompejus & L. Cornelius Sulla: vir qui neque ad finem victoriæ satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest. Hic natus familia nobili, sextus à Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, quum familiæ ejus claritudo intermissa esset, (*z*) diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur. Deinde post præturam illustratus bello Italico, & ante in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos duces hostium fuderat, ex successu animum sumpsit; petensque consulatum, pene omnium civium suffragiis nactus (*a*) est. Sed quum honorem undequinquagesimo ætatis suæ anno assecutus est.

L. Cornelius Sulla describitur.

Mithridates Rex Ponti.

CAP. XVIII. Per ea tempora Mithridates Ponticus rex, vir neque silendus neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius aliquando fortuna, semper (*b*) animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal; occupata Asia, necatisque in ea omnibus civibus Romanis, quos quidem eadem die atque hora, redditis civitatibus literis, ingenti cum pollicitatione præmiorum interimi jusserat (quo tempore neque fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis par fuit. Horum fidem Mitylenæorum perfidia illuminavit: qui M. Aquillium aliosque Mithridati vinctos tradiderunt; quibus libertas, in unius Theophanis gratiam, postea à Pompejo restituta est) quum terribilis Italiæ quoque videretur imminere, sorte obvenit Sullæ Asia provincia. Is egressus Urbe, quum circa Nolam moraretur (quippe ea urbs pertinacissime arma retinebat, exercituque Romano obsidebatur, velut pœniteret ejus fidei, quam omnium sanctissimam bello præstiterat Punico) P. Sulpicius, tribunus plebei disertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus; quum antea rectissima voluntate apud populum maximam quæsisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum suarum, & bene consulta ei male cederent, subito pravus & præceps, C. Mario, post septuagesimum annum omnia imperia & omnes provincias concupiscenti addixit, legemque ad populum tulit, *qua Sullæ imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum*; aliasque leges perniciosas & exitiabiles, neque tolerandas liberæ civitati tulit. Quin etiam Q. Pompeji Consulis filium, eundemque Sullæ generum, per emissarios factionis suæ interfecit.

Occupata Asia cives Romanos necat. U. C. 664. Ol. 172. a. C. N. 89.

In eum Sulla missus.

P. Sulpicii turbulenta contra Sullam pro Mario lex.

Sulpicius Q. Pompeji filium interficit.

CAP. XIX. Tum Sulla contracto exercitu ad Urbem rediit, eamque armis occupavit, duodecim auctores novarum pessimarumque rerum, inter quos Marium cum filio & P. Sulpicio, Urbe exturbavit, ac lege lata exules fecit. Sulpicium etiam assecuti equites, in Laurentinis paludibus jugulavere: caputque ejus erectum & ostentatum pro Rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius post sextum consulatum, annoque septuagesimo (*c*) nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Sullæ equites, abdiderat. Injecto in collum loro in carcerem Minturnensium, jussu Duumviri, perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus natione Germanus, qui forte ab imperatore eo, bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu expromenti (*d*) indignationem casus tanti viri, abjecto gladio profugit è carcere. Tum cives, ab hoste, misereri paullo ante principis viri, docti, instructum eum viatico collataque veste, in navem imposuerunt. At ille, assecutus circa Æenariam filium, cursum in Africam direxit; inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit; quum Marius,

Sulla Urbem armis occupat.

Sulpicius jugulatur.

Marius captus.

Miro modo liberatus.

In Africa latet.

(*n*) al. consensu Populi Romani. (*o*) al. Vettius Cato. (*p*) al. Mutilius. (*q*) al. Decimi. (*r*) al. Cossamque. (*s*) al. dilucide. (*t*) al. Cujus ille pietati. (*u*) al. continuo. (*x*) al. appellarunt Italicam. al. Caput imperii sui Corfinium legerant Italicani. Paullatim &c. (*y*) al. nisi quod. (*z*) al. intermisisset. (*a*) al. factus. (*b*) al. aliquamdiu. (*c*) al. annosque LXX. (*d*) al. magno cum ejulatu se prodentem.

rius, adſpiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri poſſent eſſe ſolatio.

CAP. XX. Hoc primum anno, ſanguine Conſulis Romani, militis imbutæ manus ſunt: quippe Pompejus collega Sullæ, ab exercitu (*e*) Cn. Pompeji proconſulis, ſeditione, ſed quam dux creaverat, (*f*) interfectus eſt. Non erat Mario Sulpicioque Cinna temperatior. Itaque, quum ita civitas Italiæ data eſſet, ut in octo tribus contribuerentur novi cives; ne potentia eorum & multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque poſſent recepti in beneficium, quam auctores beneficii; Cinna, in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum, pollicitus eſt. Quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in Urbem acciverat. E qua pulſus collegæ optimatiumque viribus, quum in Campaniam tenderet, ex auctoritate Senatus conſulatus ei abrogatus eſt, ſuffectusque in ejus locum L. Cornelius Merula flamen Dialis. Hæc injuria homine, quam exemplo dignior fuit. Tum Cinna, corruptis primo centurionibus ac tribunis, mox etiam ſpe largitionis, militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus eſt. Is quum univerſus in verba ejus juraſſet; retinens inſignia conſulatus, patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium, è quorum delectu trecentas amplius cohortes conſcripſerat, ac triginta legionum inſtar impleverat. Opus erat partibus, auctoritate, gratia: cujus augendæ, C. Marium cum filio de exilio revocavit, quique cum iis pulſi erant. (*g*)

Q. Pompejus interfectus. — Cinna nec Mario, nec Sulpicio temperatior. — Conſulatus ei juſſu Senatus abrogatus. — Exercitum corrumpit. — Patriæ bellum infert. U. C. 665. Ol. 173. a. C. N. 88. — Marium cum filio de exilio revocat.

CAP. XXI. Dum bellum autem infert patriæ Cinna, Cn. Pompejus Magni pater (cujus præclara opera bello Marſico præcipue circa Picenum agrum, ut præſcripſimus, uſa erat reſpublica, quique Aſculum ceperat circa quam urbem, quum in multis aliis regionibus exercitus diſperſi forent, quinque & ſeptuaginta civium Romanorum, (amplius ſexaginta millia Italicorum una die conflixerant) fruſtratus ſpe continuandi conſulatus, ita ſe dubium mediumque partibus præſtitit, ut omnia ex proprio uſu ageret, temporibusque inſidiari videretur, & huc atque illuc, unde ſpes major affuiſſet (*h*) potentiæ, ſe exercitumque deflecteret. Sed ad ultimum magno atrocique prælio cum Cinna conflixit. Cujus commiſſi patratique ſub ipſis mœnibus oculisque (*i*) Urbis Romanæ, pugnantibus ſpectantibusque quam fuerit eventus exitiabilis, vix verbis exprimi poteſt. Poſt hoc, quum utrumque exercitum, velut parum bello exhauſtum, laceraret peſtilentia, Cn. Pompejus deceſſit: cujus interitus voluptas, amiſſorum aut gladio aut morbo civium pene damno repenſata eſt: Populusque Romanus, quam vivo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duæ ſeu tres Pompejorum fuere familiæ, primus ejus nominis, ante annos fere centum ſexaginta octo, (*k*) Q. Pompejus cum Cn. Servilio Conſul fuit. Cinna & Marius, haud incruentis utrimque certaminibus editis, Urbem occupaverunt; Sed prior ingreſſus Cinna, de recipiendo Mario legem tulit.

Cn. Pompejus tempori inſervit. — Magno atrocique prælio cum Cinna confligit. — Nota de Pompejis. — Cinna cum Mario Urbem occupat.

CAP. XXII. Mox C. Marius, peſtifero civibus ſuis reditu intravit mœnia. Nihil illa victoria fuiſſet crudelius, niſi mox Sullana eſſet ſecuta. Neque licentia in mediocres (*l*) ſævitum, ſed excelſiſſimi quique eminentiſſimæ (*m*) civitatis viri variis ſuppliciorum generibus affecti. In iis Conſul Octavius vir leviſſimi animi, juſſu Cinnæ interfectus eſt. Merula autem, qui ſe ſub adventum Cinnæ conſulatu (*n*) abdicaverat, inciſis venis ſuperfuſoque altaribus ſanguine, quos ſæpe pro ſalute reipublicæ flamen Dialis precatus erat Deos, eos in execrationem Cinnæ partiumque ejus tum precatus, optime de republica meritum ſpiritum reddidit. M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiæ, gladiis militum, quos ipſos facundia ſua moratus erat, juſſu Marii Cinnæque confoſſus eſt. Q. Catulus, & aliarum virtutum & belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, quum ad mortem conquireretur, concluſit ſe loco nuper calce arenaque perpolito, (*o*) illatoque igni qui vim odoris excitaret, ſimul exitiali hauſto ſpiritu, ſimul incluſo ſuo, mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant præcipitia in republica, nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet, aut petere ſuſtineret. Poſtea id quoque acceſſit, ut ſævitiæ cauſam avaritia præberet, & modus culpæ ex pecuniæ modo conſtitueretur; & qui fuiſſet locuples, fieret nocens, ſuique (*p*) quisque periculi merces foret; nec quidquam videretur turpe, quod eſſet quæſtuoſum.

Excelſiſſimi viri civitatis cæduntur. — Octavius. — Merula. — M. Antonius. — Q. Catulus. — Bona ablata.

CAP. XXIII. Secundum deinde conſulatum Cinna, & ſeptimum Marius in priorum dedecus iniit. Cujus initio morbo oppreſſus deceſſit, vir in bello hoſtibus, in otio civibus infeſtiſſimus, quietiſque impatientiſſimus. In hujus locum ſuffectus Valerius Flaccus, turpiſſimæ legis auctor, qua creditoribus quadrantem ſolvi juſſerat: cujus facti merita eum pœna intra biennium conſecuta eſt. Dominante in Italia Cinna, major pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde poſt in Aſiam perfugit. Sulla interim cum Mithridatis præfectis, circa Athenas Bœotiamque & Macedoniam ita dimicavit, ut & Athenas reciperet & plurimo circa multiplices Piræei portus munitiones labore expleto, amplius ducenta millia hoſtium interficeret, nec minus multa caperet. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ à Sulla ſunt, imputat Athenienſibus, nimirum veri (*q*) vetuſtatiſque ignarus eſt. Adeo enim certa Athenienſium in Romanos fides fuit, ut ſemper & in omni re, quidquid ſincera fide gereretur, id Romani, Attica fieri, prædicarent. Ceterum tum oppreſſi Mithridatis armis, homines miſerrimæ conditionis, quum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, & animos extra

Cinna & Marius Coſſ. — Marius obit. U. C. 665. Ol. 173. a. C. N. 88. — Valerii Flacci Coſ. turpiſſima lex. — Sullæ res in Græcia. — Athenas oppugnat.

(*e*) al. ad exercitum. (*f*) al. exciverat vel excitaverant. (*g*) al. fuerat. (*h*) al. affulſiſſet. (*i*) al. ſociisque. (*k*) al. CLXVII. (*l*) al. immediocri. (*m*) al. excelſiſſimæ quoque atque eminentiſſimæ. (*n*) al. Conſulis. (*o*) al. perlito. (*p*) al. ſui. (*q*) al. nimium veri.

extra mœnia, corpora, necessitati servientes intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam Sulla, parentem ante omnia (*r*) supplicemque Mithridatem invenit. Quem multatum pecunia ac parte navium, Asia omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coëgit: captivos recepit; in perfugas noxiosque animadvertit: paternis, id est, Ponticis finibus contentum esse jussit.

Mithridati victo leges imponit. U. C. 666. Ol. 173. a. C. N. 87.

CAP. XXIV. C. Flavius Fimbria, qui præfectus equitum ante adventum Sullæ, Valerium Flaccum consularem virum interfecerat, exercituque occupato Imperator appellatus, forte (*s*) Mithridatem pepulerat prælio, sub adventum Sullæ se ipse interemit; adolescens, quæ pessime ausus erat, fortiter executus. Eodem anno P. Lænas tribunus plebei Sextum Lucilium, qui priore anno tribunus plebei fuerat, saxo Tapeio dejecit; & quum collegæ ejus, quibus diem dixerat, metu (*t*) ad Sullam profugissent, aqua ignique iis interdixit. Tum Sulla, compositis transmarinis rebus, quum ad eum, primum omnium Romanorum, legati Parthorum venissent, & in iis quidam magi ex notis corporis respondissent, *cœlestem ejus vitam & memoriam futuram*, revectus in Italiam, haud plura quam triginta armatorum millia adversum ducenta millia amplius hostium exposuit Brundisii. Vix quidquam in Sullæ operibus clarius duxerim, quam quod, quum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit, nec quod erat in manibus omisit; existimavitque, *ante frangendum hostem, quam ulciscendum civem; repulsoque externo metu, ubi quod alienum esset vicisset, superaret* (*u*) *quod erat domesticum.* Ante adventum L. Sullæ, Cinna seditione orta ab exercitu interemptus est: vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum, de quo vere dici potest, *ausum eum quæ nemo auderet bonus, perfecisse quæ à nullo nisi fortissimo perfici possent; & fuisse eum in consulando temerarium, in exequendo virum.* Carbo, nullo suffecto collega, solus toto anno Consul fuit.

C. Flavius Fimbria se ipse interimit.

P. Lænatis sævitia.

Legati Parthorum ad Sullam.

Sulla revehitur in Italiam. U. C. 669. Ol. 174. a. C. N. 84.

Cinna interficitur.

CAP. XXV. Putares, Sullam venisse in Italiam, non belli vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque, cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, urbium perduxit in Campaniam; tentavitque justis legibus & æquis conditionibus bellum componere: sed iis, quibus & pessima & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim in dies Sullæ exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque & sanissimo. (*x*) Felici deinde circa Capuam eventu Scipionem (*y*) Norbanumque Consules superat: quorum Norbanus, acie victus; Scipio ab exercitu suo desertus ac proditus, inviolatus à Sulla dimissus est. Adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum vincit justissimo lenior; (*z*) post victoriam audito fuerit crudelior. Nam & Consulem (*a*) ut prædiximus, exarmatumque Sertorium, (*b*) proh quanti (*c*) mox belli facem! & multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes: credo, ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi conspiceretur exemplum. Post victoriam, qua descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla, grates Dianæ, (*d*) cujus numini regio illa sacrata est, solvit; aquas salubritate medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit Deæ. Hujus gratæ religionis memoriam (*e*) & inscriptio templi affixa posti, hodieque tabula testatur ærea intra ædem. (*f*)

Sulla bellum componere tentat.

Scipionem Norbanumque Coss. superat.

Sullæ Clementia.

Q. Sertorium incolumem dimittit.

Dissimilis bellator ac victor.

Dianæ grates solvit.

CAP. XXVI. Inde (*g*) Consules Carbo (*h*) tertium & C. Marius septies Consulis filius, annos natus viginti sex, vir animi magis quam ævi paterni, multa (*i*) fortiterque molitus, neque usquam inferior nomine Consulis, apud Sacriportum pulsus à Sulla acie, Præneste, quod ante natura munitum præsidiis firmaverat, se, exercitumque contulit. Ne quid unquam (*k*) malis publicis deesset, in qua civitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus; optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessimus; quippe dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus prætor Domitium, Scævolam etiam pontificem (*l*) maximum & divini, humanique juris auctorem celeberrimum, & C. Carbonem prætorium, Consulis fratrem, & Antistium ædilitium, velut faventes Sullæ partibus, in curia Hostilia trucidavit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiæ filia, uxor Antistii: quæ jugulato, ut prædiximus, viro, gladio seipsam (*m*) transfixit. Quantum hujus gloriæ, famæque accessit? nunc virtute eminet, patria latet.

C. Marius filius.

Damasippi facinora.

Magnanima Calpurnia.

CAP. XXVII. At Pontius Telesinus dux Samnitium, vir domi bellique (*n*) fortissimus, penitusque Romano nomini infestissimus, contractis circiter quadraginta millibus fortissimæ pertinacissimæque in retinendis armis juventutis, Carbone ac Mario Consulibus, abhinc annos centum & undecim, (*o*) Kalendis Novembribus, ita ad portam Collinam cum Sulla dimicavit, ut ad summum discrimen & eum & rempublicam perduceret. Quæ non majus periculum adiit, Hannibalis intra tertium miliarium castra conspicata, quam eo die, quo circumvolans ordines exercitus sui Telesinus, dictitansque *adesse Romanis ultimum diem*, vociferabatur, *eruendam, delendamque Urbem*: adjiciens, *nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos; nisi silva, in quam refugere solerent, esset excisa.* Post primam demum horam noctis & Romana acies respiravit, & hostium cessit. Telesinus postera die semianimis repertus est, victoris magis quam morientis vultum præferens; cujus abscissum caput, ferri gestarique circa Prænestem Sulla jussit. Tum demum,

Pontius Telesinus.

Cum Sulla dimicat.

Ejus insolentia dicteria.

Occiditur.

(*r*) al. in omnia. (*s*) al. ponte. (*t*) al. motu. (*u*) al. *superare.* (*x*) al. sanctissimo. (*y*) al. Cæpionemque. (*z*) al. ut dum vinceret mitissimo ac justissimo lenior. (*a*) al. Consul. (*b*) al. exarmatum Q. Sertorium. (*c*) al. propinquanti. (*d*) al. gratus Dianæ. (*e*) al. memoria. (*f*) al. hodieque & tabula &c. al. hodieque testatur ærea tabula intra ædem. (*g*) al. Deinde. (*h*) al. Interea deinde Consules Carbo. (*i*) al. qui multa. (*k*) al. usquam. al. utique. al. iniquum. (*l*) al. Domitium, Scævolam, & pontificem. (*m*) al. se ipsa. (*n*) al. animi bellique. (*o*) al. quadraginta.

demum, desperatis rebus suis, C. Marius adolescens per cuniculos, qui, miro opere fabricati in diversas agrorum partes ferunt, conatus erumpere, quum foramine è terra emersisset, à dispositis in id ipsum interemptus est. Sunt, qui sua manu; sunt, qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesino, una obsesso & erumpente, occubuisse prodiderint. Utcumque cecidit, hodieque tanta patris imagine non obscuratur ejus memoria. (*p*) De quo juvene quid existimaverit Sulla, in promptu est. Occiso enim demum eo, (5) Felicis nomen assumpsit: quod quidem usurpasset justissime, si eundem & vincendi & vivendi finem habuisset. Oppugnationi autem Prænestis ac Marii præfuerat Ofella (*q*) Lucretius; qui quum ante Marianarum fuisset partium, prætor ad Sullam transfugerat. Felicitatem diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honoravit memoria, quibus sine nomine (*r*) Sullanæ victoriæ celebrantur.

C. Marius filius occiditur. U.C. 670. Ol. 174. a. C. N. 83.

Sullæ de eo judicium.

Sulla Felicis nomen assumpsit.

Ofella Lucretius ad Sullam transfugit.

CAP. XXVIII. Paullo ante quam Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis (*s*) præliis partium ejus viri hostium exercitum fuderant: duo Servilii apud Clusium, Metellus Pius apud Faventiam, M. Lucullus circa Fidentiam. Videbantur finita belli civilia mala, quum Sullæ crudelitate aucta sunt. Quippe Dictator creatus (cujus honoris usurpatio per annos centum viginti intermissa. Nam proximus post annum, quam Hannibal Italia excesserat: ut appareat Populum Romanum usum Dictatoris non tam desiderasse, quam timuisse potestatem imperii, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi fuerant) immodicæ crudelitatis licentia usus est. (*t*) Primus ille & utinam ultimus, exemplum proscriptionis invenit, ut, *in qua civitate petulantis convicii judicium histrioni exoleto redditur,* (*u*) *in ea jugulari civis reipublicæ constitueretur* (*x*) *auctoramentum; plurimumque haberet, qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quam civis, uberius foret præmium; fieretque quisque merces mortis suæ.* Nec tamen (*y*) in eos, qui contra arma tulerant, sed in multos insontes sævitum. Adjectum etiam, *ut bona proscriptorum venirent, exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorem jure prohiberentur;* simulque, quod indignissimum est, *senatorum filii & onera ordinis sustinerent & jura perderent.*

Sullæ hostes victi.

à Serviliis, Metello, Lucullo.

Sulla Dictator immodicæ crudelitatis.

Sulla proscriptionis exemplum invenit.

CAP. XXIX. Sub adventum in Italiam L. Sullæ, Pompejus ejus Cn. Pompeji filius, quem magnificentissimas res in consulatu (*z*) gessisse bello Marsico prædiximus viginti tres annos natus, abhinc annos centum tredecim, privatis ut opibus ita consiliis magna ausus, magnificeque conata executus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriæ, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis ejus clientelis refertus erat, contraxit exercitum. Cujus viri magnitudo multorum voluminum instar exigit: sed operis modus paucis eum narrari jubet. Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriæ, forma excellens, non ea qua flos commendatur ætatis, sed ex dignitate constanti: quæ in illam (*a*) conveniens amplitudinem, fortunam quoque ejus, ad ultimum vitæ comitata est diem: innocentia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius; potentiæ quæ honoris causa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus; dux bello (*b*) peritissimus; civis in toga (nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem) modestissimus; amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda (*c*) gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus; potentia sua numquam aut raro ad impotentiam usus; pene omnium vitiorum (*d*) expers, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera dominaque gentium, indignari, quum omnes cives jure haberet pares, quemquam æqualem dignitate conspicere. Hic à toga (*e*) virili assuetus commilitio prudentissimi ducis parentis sui, bonum & capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentia excoluit, ut à Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompejus timeretur validius.

Cn. Pompejus.

Ejus laudes.

Qua familia genitus.

CAP. XXX. Tum M. Perperna, prætorius, è proscriptis, gentis clarioris quam animi, Sertorium inter cœnam Etoscæ (*f*) interemit, Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore. Metellus & Pompejus ex Hispaniis (*g*) triumpharunt: sed Pompejus hoc quoque triumpho, adhuc eques Romanus, ante diem quam consulatum iniret, curru Urbem invectus est. Quem virum, quis non miretur, per tot extraordinaria imperia in summum fastigium vectum, iniquo tulisse animo, C. Cæsaris in altero consulatu petendo, Senatum Populumque Romanum rationem habere. Adeo familiare est hominibus, *omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere; & invidiam rerum non ad causam, sed ad voluntatem personasque dirigere.* Hoc consulatu Pompejus tribunitiam potestatem restituit, cujus Sulla imaginem sine jure (*h*) reliquerat. Dum Sertorianum bellum in Hispania geritur, sexaginta quatuor fugitivi è ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primo Vesuvium montem petiere; mox crescente in dies multitudine, gravibus variisque casibus affecere Italiam. Quorum numerus in tantum adolevit, ut, qua ultimo dimicavere acie, quadraginta millia hominum se Romano exercitui opposuerint. Hujus patrati

Sertorius à Perperna interemptus.

Metelli & Pompeji ex Hispanis triumphus, Pompejus adhuc eques R. curru Urbem invectus.

Tribunitiam potestatem restituit.


Spartacium bellum, U. C. 679. Ol. 176. a. C. N. 74.

M. Crassus confecit.

(*p*) al. obscuratur civis memoria. (*q*) al. Ofela. al. Affella. (*r*) al. qui sub ejus nomine. (*s*) al. magnis. (*t*) al. non tam desiderasse, quam timuisse potestate imperii, - - - - licentia abusus est. (*u*) al. *petulantis convicii judicium historiarum ex alto redditur.* (*x*) al. *in ea jugulati civis R. publice constitueretur.* (*y*) al. tantum. (*z*) al. Senatu. (*a*) al. dignitate constantiaque in illam &c. (*b*) al. belli. (*c*) al. reconciliata. (*d*) al. votorum. (*e*) al. Hicce toga &c. (*f*) al. & escas. (*g*) al. Hispanis. (*h*) al. cujus imaginem in jure &c.

(5) Felicis nomen assumpsit) Hoc nomen Faustus filius Sullæ, expressit in duobus numis, Tab. XVI. num. 1. & 2. De quibus vid. plura ap. BEGER. Th. Br. Tom. II. pag. 551. OISEL. Th. Numism. antiqu. pag. 227. sqq. Tab. XLIII. num. 11. & 12. Add. PATIN. Fam. Rom. pag. 87.

Tab. XVI.
ad pagg. 70. 73.



trati gloria penes M. Crassum fuit, mox Romanorum omnium principem. Converterat Cn. Pompeji persona totum in se terrarum orbem, & pene homine major habebatur. (*i*)

CAP. XXXI. Qui quum Consul perquam laudabiliter jurasset, *se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum*, idque servasset, post biennium A. Gabinius tribunus legem tulit, *ut, quum belli more non latrociniorum, orbem classibus jam, non furtivis expeditionibus piratæ terrerent, quasdam etiam Italiæ urbes diripuissent; Cn. Pompejus ad eos opprimendos mitteretur; essetque ei imperium æquum in omnibus provinciis cum proconsulibus, usque ad quinquagesimum miliarium à mari.* Quo Senatusconsulto (*k*) pene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur: sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonii prætura decretum erat. Sed *interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget aut levat. In Antonio homines æquo animo passi erant. Raro enim invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur. Contra in iis hominibus extraordinaria reformidant, qui ea suo arbitrio aut deposituri aut retenturi videntur, & modum in voluntate habent.* Dissuadebant optimates: sed consilia impetu victa sunt.

Piraticum bellum. U. C. 685. Ol. 178. a. C. N. 68.

Pompejo cum plenissima potestate decernitur.

CAP. XXXII. Digna est memoria Q. Catuli quum auctoritas tum verecundia: qui quum dissuadens legem in concione dixisset, *esse quidem præclarum virum Cn. Pompejum, sed nimium jam liberæ reipublicæ neque omnia in uno reponenda*: adjecissetque, *Si quid huic acciderit, quem in ejus locum substituetis?* succlamavit universa concio, *Te, Q. Catule.* Tum ille victus consensu omnium, & tam honorifico civitatis testimonio, è concione discessit. Hic hominis verecundiam, populi justitiam mirari libet: hujus, quod non ultra contendit; plebis, quod dissuadentem & adversarium voluntatis suæ vero testimonio fraudare noluit. Per idem tempus Cotta judicandi munus, quod C. Gracchus, ereptum Senatui ad equites, Sulla ab illis ad Senatum transtulerant, æqualiter inter utrumque ordinem, partitus est. Et Otho Roscius (*l*) lege sua equitibus in theatro loca restituit. At Cn. Pompejus, multis & præclaris viris in id bellum assumptis, descriptoque in omnes recessus maris præsidio navium, brevi, inexsuperabili manu, terrarum orbem liberavit, prædonesque per multa prælia multis locis victos, (*m*) circa Ciliciam classe aggressus fudit ac fugavit. Et quo maturius bellum tam late diffusum conficeret, reliquas eorum contractas, in urbibus remotoque à mari loco, in certa sede constituit. Sunt qui hunc (*n*) carpant. Sed quamquam in auctore satis rationis est, tamen ratio quemlibet magnum auctorem faceret. Data enim facultate sine rapto vivendi, rapinis arcuit.

Q. Catuli auctoritas & verecundia.

Cottæ judiciaria lex.

Roscii lex theatralis.

Pompejus Piratas vincit.

Piratæ in urbibus locantur.

CAP. XXXIII. Quum esset in fine bellum Piraticum, & L. Lucullus, (*o*) (qui ante septem annos ex consulatu sortitus Asiam, Mithridati oppositus erat, magnasque ac memorabiles res ibi gesserat, Mithridatem sæpe multis locis fuderat, egregia Cyzicum liberarat victoria, Tigranem regum maximum in Armenia vicerat, ultimamque bello manum, pene magis noluerat imponere quam non potuerat, qui alioqui per omnia laudabilis, & bello pene invictus pecuniæ expellebatur (*p*) cupidine) idem bellum adhuc administraret, Manilius tribunus plebis semper venalis & alienæ minister potentiæ, legem tulit, ut bellum Mithridaticum per Cn. Pompejum administraretur. Accepta ea, magnisque certatum inter imperatores jurgiis: quum *Pompejus Lucullo infamiam pecuniæ, Lucullus Pompejo interminatam cupiditatem objiceret imperii*, neuterque ab eo, quo (*q*) arguebatur, mentitus argui posset. Nam neque Pompejus, ut primum ad rempublicam (*r*) aggressus est, quemquam animo parem tulit: & in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat. Neque eo viro, quisquam aut alia omnia, minus aut gloriam magis concupiit. In appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui eos, ut libentissime iniret, ita finiret æquo animo; & quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret. Et Lucullus, summus alioqui vir, profusæ hujus in ædificiis convictibusque (*s*) & apparatibus luxuriæ primus auctor fuit. Quem ob injectas moles mari, & receptum suffossis montibus in terras mare, haud infacete Magnus Pompejus *Xerxem togatum* vocare assueverat.

L. Luculli res gestæ.

Manilius lege Pompejo Mithridaticum bellum confert. U. C. 686. Ol. 178. a. C. N. 67.

Luculli & Pompeji jurgia.

Pompejus neminem parem tulit.

Luculli luxus.

Xerxes togatus vocatus.

CAP. XXXIV. Per id tempus à Q. Metello Creta insula in Populi Romani potestatem redacta est. Quæ ducibus Panare & Lasthene, viginti quatuor millibus juvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fatigaverat. Ne ab hujus quidem usura gloriæ (*t*) temperavit animum Cn. Pompejus, quin victoriæ partem conaretur vindicare. Sed & Luculli, & Metelli triumphum, quum ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompeji apud optimum quemque fecit favorabilem. Per hæc tempora *M. Cicero*, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimæ, &, ut vita clarus, ita ingenio maximus; qui effecit, *ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur*; Consul, Sergii Catilinæ Lentulique, & Cethegi & aliorum utriusque ordinis (*u*) virorum conjurationem singulari virtute, constantia, vigilia, curaque aperuit. (*x*) Catilina metu consularis imperii Urbe pulsus est. Lentulus consularis, & prætor iterum, Cethegusque & alii clari nominis viri auctore Senatu, jussu Consulis in carcere necati sunt.

Creta victa à Q. Metello. U. C. 684. Ol. 177. a. C. N. 69.

M. Ciceronis laudes.

M. Cicero Catilinariam conjurationem distulit. U. C. 689. Ol. 179. a. C. N. 64.

Catilina Urbe pulsus.

Socii ejus necantur.

CAP. XXXV. Ille Senatus dies, quo hæc acta sunt, virtutem M. Catonis, jam multis in rebus conspicuam atque prænitentem altissime illuminavit. (*y*) Hic genitus proavo M. Catone, principe illo familiæ Porciæ, homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio Diis quam hominibus propior, *qui numquam recte fecit,*

M. Cato.

Ejus genus, virtus & laudes.

(*i*) al. & per omnia majore vi habebatur. al. per omnia major evehebatur. (*k*) al. Plebiscito. (*l*) al. Et Horoscius. (*m*) al. prædones per multa à multis locis victos. (*n*) al. hoc. (*o*) al. quum & L. Lucullus. *p*) al. debellabatur. (*q*) al. quod. (*r*) al. ut primum rempublicam aggressus est. (*s*) al. conviviisque. (*t*) al. usuræ gloria. (*u*) al. utrius ordinis. (*x*) al. eripuit. (*y*) al. in altissimo luminavit.

fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam, omnibus humanis vitiis immunis; semper fortunam in sua potestate habuit. Hic tribunus plebis designatus, adhuc admodum adolescens, quum alii suaderent, *ut per municipia Lentulus conjuratique custodirentur*, pene inter ultimos interrogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in conjurationem, ut ardore oris orationem (z) omnium lenitatem suadentium, societate consilii suspectum fecerit: sic impendentia ex ruinis incendiisque Urbis & commutatione status publici pericula exposuit. Ita Consulis (a) virtutem amplificavit, ut universus Senatus in ejus sententiam transiret, *animadvertendumque in eos*, quos prædiximus, censeret: majorque pars ordinis ejus Catonem prosequerentur domum. At Catilina non segnius vota (b) obiit, quam sceleris conandi consilia inierat. Quippe fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, prælio reddidit.

Catilinæ interitus.

CAP. XXXVI. Consulatui Ciceronis non mediocre adjecit decus natus eo anno D. AUGUSTUS abhinc annos octoginta duos: (c) omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem. Jam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat diremptos gradibus ætatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, senemque Crassum, (d) Catonem, Sulpicium; moxque Brutum, Calidium, Cœlium, Calvum, & proximum Ciceroni Cæsarem; eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium, æmulumque Thucydidis Sallustium: auctoresque carminum Varronem ac Lucretium, neque ullo in suscepti (e) operis sui carmine minorem Catullum. Pene stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maxime nostri ævi eminent: princeps (f) carminum Virgilius Rabiriusque, & consecutus Sallustium Livius, Tibullusque & Naso, perfectissimi (g) in forma operis sui. Nam vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est.

D. AUGUSTUS Cos. Cicerone natus. U.C. 689. Ol. 179. a. C. N. 64.

Oratores Romani.

Poëtæ.

CAP. XXXVII. Dum hæc in Urbe Italiaque geruntur, Cn. Pompejus memorabile adversus Mithridatem, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitus vires reparaverat, bellum gessit. At rex fusus fugatusque & omnibus exutus copiis, Armeniam Tigranemque socerum (h) petit, regem ejus temporis, nisi quia Luculli (i) armis erat infractus, potentissimum. Simul itaque duos persecutus Pompejus, intravit Armeniam. Prior filius Tigranis, sed discors patri, (k) pervenit ad Pompejum; mox ipse supplex & præsens se regnumque ditioni ejus permisit, præfatus: *neminem alium neque Romanum neque ullius gentis virum futurum fuisse, cujus se fidei (l) commissurus foret, quam Cn. Pompejum: proinde omnem sibi vel adversam vel secundam, cujus auctor ille esset, fortunam tolerabilem futuram. Non esse turpi ab eo vinci, quem vincere esset nefas: neque ei inhoneste aliquem summitti, quem fortuna super omnes extulisset.* Servatus regi honos imperii, sed multato ingenti pecunia: quæ omnis, sicuti Pompejo moris erat, redacta in quæstoris potestatem, ac publicis descripta literis. Syria aliæque, quas occupaverat, provinciæ ereptæ; & aliæ restitutæ Populo Romano, aliæ tum primum in ejus potestatem redactæ: ut Syria, quæ tum primum facta est stipendiaria. Finis imperii regis terminatus Armenia.

Mithridaticum bellum. U.C. 686. Ol. 178. a. C. N. 67.

Tigranem vincit.

Armeniam intrat.

Syria facta stipendiaria.

CAP. XXXVIII. Haud absurdum videtur propositi operis regulæ, paucis percurrere, quæ cujusque ductu gens ac natio redacta in formulam provinciæ, stipendia pacta sit; ut quæ facilius quam partibus simul (m) universa conspici possint. Primus in *Siciliam* transjecit exercitum Consul Claudius, & provinciam eam post annos ferme quinquaginta duos, captis Syracusis, fecit Marcellus Claudius. Primus in *Africam* Regulus, nono ferme anno primi Punici belli: sed post ducentos quatuor (n) annos P. Scipio Æmilianus, eruta Carthagine, abhinc annos centum octoginta duos Africam in formulam redegit provinciæ. *Sardinia* inter primum & secundum bellum Punicum, ductu T. Manlii Consulis, certum recepit imperii jugum. Immane bellicæ civitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio Consule, tertio Augusto principe, certæ pacis argumentum Janus Geminus clausus dedit. In *Hispanias* primi omnium duxere exercitus Cn. & P. Scipiones, initio secundi belli Punici, abhinc annos ducentos quinquaginta. Inde varie possessa, & sæpe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est. *Macedoniam* Paullus, Mummius *Achaiam*, Fulvius Nobilior subjecit *Ætoliam*: *Asiam* L. Scipio Africani frater eripuit Antiocho: sed beneficio Senatus Populique Romani. Mox ab Attalis possessam regibus, M. Perperna capto Aristonico fecit tributariam. *Cypri* devictæ nulli assignanda (o) gloria est. Quippe Senatusconsulto, ministerio Catonis, regis morte, quam ille conscientia acciverat, facta provincia est. *Creta*, Metelli ductu longissimæ libertatis fine multata. Et *Syria* (p) *Pontusque* Cn. Pompeji virtutis monumenta sunt.

Provinciarum enarratio.

Sicilia.

Africa.

Sardinia.

Hispaniæ.

Macedonia. Achaja. Ætolia. Asia.

Cyprus.

Creta.

Syria. Pontus.

CAP. XXXIX. *Gallias* primum Domitio & Fabio nepote (q) Paulli, qui Allobrogicus vocatus est, intratas cum exercitu, magna mox clade nostra sæpe & affectavimus & amisimus. Sed fulgentissimum C. Cæsaris opus in iis conspicitur: quippe ejus ductu auspiciisque infractæ, pene idem, quod totus terrarum orbis, ignavum conferunt stipendium. (r) Ab eodem

Galliæ.

(z) al. & ardore oris, ut orationem. (a) al. consilii. (b) al. nota. (c) al. XCII. (d) al. saneque Crassum. (e) al. suspecti. (f) al. Principes. (g) al. perfectissime. (h) al. generum. (i) al. nisi qua Lucullus. (k) al. patris. (l) al. *societati.* al. *potestati.* (m) al. pacta sit; notavimus facilius, ut quæ partibus simul &c. (n) al. CCXLIIX. (o) al. Cypro devicta, nullis assignanda &c. (p) al. At *Syria* &c. (q) al. nepoti. (r) al. in ærarium conferunt stipendium.

Numidia. Cilicia. Gallogræcia. Bithynia. Ægyptus. Rhætia. Vindelicia. Norici. Pannonia. Scordisci. Cappadocia.

dem facta *Numidia. Ciliciam* perdomuit Isauricus, & post bellum (*s*) Antiochicum Vulso Manlius *Gallo-græciam. Bithynia*, ut prædiximus, testamento Nicomedis relicta hereditaria. D. Augustus præter Hispanias aliasque gentes, quarum titulis forum ejus prænitet, pene idem facta *Ægypto* stipendiaria, quantum pater ejus Gallia, in ærarium reditus contulit. At Tiberius Cæsar, quam certam Hispanis parendi confessionem extorserat parens, Illyriis (*t*) Dalmatisque extorsit. *Rhætiam* autem, & *Vindelicos* ac *Noricos, Pannoniamque*, & *Scordiscos*, novas imperio nostro subjunxit provincias. Ut has armis, ita auctoritate *Cappadociam* Populo Romano fecit stipendiariam. Sed revertamur ad ordinem.

Pompeji res gestæ in Oriente. Mithridates victus. U. C. 686. Ol. 178. a. C. N. 67. Pompejus omnium gentium quas adit victor.

CAP. XL. Secuta deinde Cn. Pompeji militia, gloriæ laborisne majoris, incertum est. Penetratæ cum victoria Media, Albania, Hiberia; ac deinde flexum agmen ad eas nationes, quæ dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos, Heniochosque & Achæos. Et oppressus auspiciis Pompeji, insidiis filii Pharnacis, Mithridates, ultimus omnium juris sui regum, præter Parthicos. Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompejus, suoque & civium voto major, & per omnia fortunam hominis egressus, revertit in Italiam. Cujus reditum favorabilem (*u*) opinio fecerat. Quippe plerique *non sine exercitu venturum in Urbem*, affirmabant, & *libertati publicæ staturum arbitrio suo modum.* Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior civilis tanti imperatoris reditus fuit. Omni quippe Brundisii dimisso exercitu, nihil præter nomen imperatoris retinens, cum privato comitatu, quem semper illi vacare moris fuit, in Urbem rediit; magnificentissimumque de tot regibus per biduum egit triumphum; longeque majorem omni ante se inlata pecunia in ærarium; præterquam à Paullo, ex manubiis intulit. Absente Cn. Pompejo, T. Ampius, (*x*) & T. Labienus tribuni plebis legem tulerunt, (*y*) *ut is ludis Circensibus corona laurea*, (*z*) & *omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem prætexta coronaque laurea.* (*a*) Id ille non plus quam semel, (& hoc sane nimium fuit) usurpare sustinuit. Hujus viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, ut primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumpharet: & quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriæ suæ. Numquam eminentia invidia carent. Itaque & Lucullus, memor tamen acceptæ injuriæ, & Metellus Creticus, non injuste querens (quippe ornamentum triumphi ejus captivos duces Pompejus subduxerat) & cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa civitatibus, à Pompejo; aut bene meritis præmia, ad arbitrium ejus, persolverentur.

Romam redit relicto exercitu. Pompeji triumphi insignes per biduum. Corona ipsi decreta. Pompeji tres triumphi, de tribus partibus orbis. Lucullus & Metellus refragantur Pompejo.

C. Cæsar Consul. Unde genus deducat. Ejus laudes & descriptio. M. Alexandro, sed sobrio, simillimus. Cinnæ gener. Mutata veste Sullam fugit. A piratis captus.

CAP. XLI. Secutus deinde est consulatus C. Cæsaris, qui scribenti manum injicit, & quamlibet festinantem in se morari cogit. Hic nobilissima Juliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquissimos constabat, (6) ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentiæ (*b*) effusissimus, animo (*c*) super humanam & naturam & fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo simillimus; qui denique semper & somno & cibo in vitam non in voluptatem uteretur; quum fuisset C. Mario sanguine conjunctissimus, atque idem Cinnæ gener; cujus filiam ut repudiaret, nullo modo (*d*) compelli potuit; quum M. Piso consularis Anniam quæ Cinnæ uxor fuerat, in Sullæ dimisisset gratiam; habuissetque fere octodecim annos, eo tempore, quo Sulla rerum potitus est; magis ministris Sullæ adjutoribusque partium, quam ipso, conquirentibus eum ad necem, mutata veste dissimilemque fortunæ suæ indutus habitum, nocte Urbe elapsus est. Idem postea admodum juvenis, quum à piratis captus esset, ita se per omne (*e*) spatium, quo ab iis retentus est, apud eos gessit, ut pariter iis terrori venerationique esset; neque umquam aut nocte aut die (cur enim, quod vel maximum est, si narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut excalcearetur aut discingeretur, in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus his, (*f*) qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret.

Liberatus. Contracta classe piratarum classem fugat.

CAP. XLII. Longum est narrare, quid & quoties ausus sit, quanto opere contra ejus qui obtinebat (*g*) Asiam magistratus Populi Romani motu suo destituerit. (*h*) Illud referatur, documentum tanti mox evasuri viri. Quæ nox eam diem secuta est, qua publica civitatium pecunia redemptus est (ita tamen, ut cogeret, ante obsides à piratis civitatibus dari) contracta classe & privatus & tumultuaria, invectus in eum locum in quo ipsi prædones erant, partem classis fugavit, partem mersit, aliquot naves multosque mortales cepit; lætusque nocturnæ expeditionis triumpho, ad suos reversus est: mandatisque custodiæ, quos ceperat, in Bithyniam perrexit, ad proconsulem Junium (is enim (*i*) Asiam tum obtinebat) (*k*) petens, *ut auctor fieret sumendi de captivis supplicii.* Quod quum ille, *se facturum*, negasset, *venditurumque* (*l*) *captivos* dixisset, (quippe

K seque-

(*s*) al. Ab eodem Pompejo facta Numidicus, Ciliciam perdomuit, nisi vicisset post bellum &c. al. Ab eodem Britannia fracta. Numidicus Ciliciam perdomuit, & post &c. (*t*) al. extorserat, parem Illyriis &c. al. extorserat, tam parem &c. (*u*) al. formidabilem. al. infavorabilem. al. non favorabilem. (*x*) al. L. Tampius. (*y*) al. tulerant. (*z*) al. aurea. (*a*) al. aurea. (*b*) al. munificentia. (*c*) al. omnino. (*d*) al. nullo metu. al. motu. (*e*) al. ita semper omne &c. (*f*) al. iis. (*g*) al. obtinebant. (*h*) al. destituere. (*i*) al. quum idem enim &c. (*k*) al. Asiam eam quam obtinebat. (*l*) al. *vindicaturumque.*

(6) Ab Anchise & Venere deducens genus) Utrumque hoc genus expressum in numis Julii Cæsaris, quorum unum huc refer ex Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. II. num. 3. Cujus adversa Veneris caput, aversa Æneam, patrem Anchisen humeris, dextra Palladium gerentem, cum Inscriptione CÆSAR exhibet. Conf. OISEL. Th. num. antiqu. pag. 406. Tab. LXXVI. num. 9. Alterum à L. Buca Quartumviro signatum, vide hic loci Tab. XVI. num. 3, cujus aversa integram Veneris Genetricis statuam, dextra victoriolam tenentis, ostendit. PATIN. Fam. Rom. pag. 128.

sequebatur invidia inertiam) incredibili celeritate revectus ad mare, prius quam de ea re ulli proconsulis redderentur epistolæ, omnes quos ceperat suffixit cruci.

Captos cruci suffigit.

CAP. XLIII. Idem mox ad sacerdotium ineundum (quippe absens pontifex factus erat, quum in Cottæ consularis locum pene puer à Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoria Sullæ, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amisisset id sacerdotium) festinans in Italiam, ne conspiceretur à prædonibus, omnia tunc obtinentibus maria & merito jam (m) infestis sibi, quatuor scalmorum navem, una cum duobus amicis decemque servis ingressus, effusissimum Adriatici maris transjecit sinum. Quo quidem in cursu conspectis, ut putabat, piratarum navibus, quum exuisset vestem, alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunæ parans, mox intellexit frustratum esse visum suum, arborumque ex longinquo ordinem antemnarum præbuisse imaginem. Reliqua ejus acta in Urbe, nobilissimaque Dolabellæ accusatio, & major civitatis in ea favor quam reis præstari solet; contentionesque civiles cum Q. Catulo atque aliis eminentissimis viris, celeberrimæ; & ante præturam victus maximi pontificatus petitione Q. Catulus, omnium confessione Senatus princeps; & restituta in ædilitate, adversante quidem nobilitate, monumenta C. Marii; simulque revocati ad jus dignitatis proscriptorum liberi; & prætura quæsturaque mirabili virtute atque industria in Hispania, quum esset quæstor sub Vetere Antistio, avo hujus Veteris consularis atque pontificis, duorum consularium & sacerdotum patris, viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest; quo notiora sunt, minus egent stilo.

Pontifex factus C. Cæsar.
Ejus audacia.
C. Cæsaris actiones civiles.

CAP. XLIV. Hoc igitur Consule, inter eum & Cn. Pompejum & M. Crassum inita potentiæ societas, quæ Urbi Orbique terrarum, nec minus diverso quoque tempore, ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompejus causam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis, quibus, ut prædiximus, multi obtrectabant, *per Cæsarem confirmarentur Consulem:* Cæsar autem, quod animadvertebat, *se cedendo Pompeji gloriæ aucturum suam, & invidia communis potentiæ in illum relegata, confirmaturum vires suas:* Crassus, ut quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeji, viribus teneret Cæsaris. Affinitas etiam inter Cæsarem Pompejumque contracta nuptiis. Quippe filiam C. Cæsaris Cn. Magnus duxit uxorem. In hoc consulatu Cæsar legem tulit, *ut ager Campanus plebei divideretur*, suasore legis Pompejo. Ita circiter viginti millia civium eo deducta, & jus ab his restitutum (n) post annos circiter centum quinquaginta duos, quam bello Punico ab Romanis *Capua* in formam præfecturæ redacta erat. Bibulus collega Cæsaris, quum actiones ejus magis vellet impedire, quam posset, majore parte anni domi se tenuit. Quo facto dum augere vult invidiam collegæ, auxit potentiam. Tum Cæsari decretæ in quinquennium Galliæ.

TRIUMVIRATUS Cæsaris, Pompeji & Crassi.
Pompejus gener Cæsaris.
Cæsaris lex de agro Campano plebi dividendo.
Bibuli vilitas.
Cæsari Galliæ decretæ.

CAP. XLV. Per idem tempus P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi neque faciendi ullum nisi quem vellet nosset modum, malorum propositorum executor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, & actus incesti reus ob initum inter religiosissima Populi Romani sacra adulterium; quum graves inimicitias cum M. Cicerone exerceret (quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?) & à Patribus ad plebem transiret, (o) legem in tribunatu tulit: *Qui civem Romanum damnatum (p) interemisset, ei aqua, & igni interdiceretur.* Cujus verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. Ita vir optime meritus de republica conservatæ patriæ pretium calamitate (q) exilii tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar & Pompejus. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter viginti viros dividendo agro Campano esse noluisset. Idem intra biennium, sera Cn. Pompeji cura, verum ut cepit interrita, (r) votisque Italiæ ac decretis Senatus, virtute atque actione Annii Milonis tribuni plebis dignitati patriæque restitutus est. Neque, post Numidici exilium aut reditum, quisquam aut expulsus invidiosius, aut receptus est lætius. Cujus domus, quam infeste à Clodio disjecta erat, tam speciose à Senatu restituta est. Idem P. Clodius in Senatu, (s) sub honorificentissimo (t) ministerii titulo, M. Catonem à republica legavit. Quippe legem tulit, *ut is quæstor (u) cum jure prætorio, adjecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum*, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum. Sed ille sub adventum Catonis, vitæ suæ vim intulit: unde pecuniam longe sperata majorem Cato Romam retulit. Cujus integritatem laudari, (x) nefas est: insolentia pene argui potest, quod una cum Consulibus ac Senatu effusa civitate obviam, quum per Tiberim subiret navibus, non ante is (y) egressus est, quam ad eum locum pervenit, ubi erat exponenda pecunia.

P. Clodius vituperatus.
Lege lata Ciceronem in exilium pellit.
Cicero patriæ restituitur.
Ejus domus magnifice restituitur.
Clodii lex de M. Catone.
Cato in insulam Cyprum mittitur.

CAP. XLVI. Quum deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, C. Cæsar in Gallia ageret; nec contentus plurimis ac felicissimis victoriis, innumerabilibusque cæsis & captis hostium millibus, etiam in Britanniam transjecisset exercitum, alterum pene imperio nostro, ac suo quærens orbem: invictum (z) par Consulum Cn. Pompejus & M. Crassus, alterum iniere consulatum; qui neque petitus honeste ab his, neque probabiliter gestus est. Cæsari lege, quam Pompejus ad populum tulit, *prorogatæ in idem spatium temporis provinciæ: Crasso* bellum Parthicum in animo molienti, *Syria decreta.* Qui vir, cetera sanctissimus immunisque voluptatibus, neque in pecunia neque in gloria concupiscenda aut modum

Cæsaris res gestæ in Gallia.
In Britannia.
Crasso Syria decreta. Crassus describitur.

(m) al. tam. (n) al. & jus civitatis restitutum. (o) al. transisset. (p) al. *indemnatum.* (q) al. calamitatem. (r) al. verum & cupit interrita. al. verum & cupito interitu. (s) al. in Senatu omittunt. (t) al. honorificentissimi. (u) al. *quæsitor.* (x) al. cujus integritatem non laudari. (y) al. iis. (z) al. inclutum par.

modum norat, aut capiebat terminum. Hunc proficiscentem in Syriam diris cum ominibus, (*a*) tribuni plebis frustra retinere conati. Quorum execrationes si in ipsum tantummodo valuissent, utile (*b*) imperatoris damnum salvo exercitu fuisset reipublicæ. Transgressum Euphratem Crassum petentemque Seleuciam, circumfusis immanibus copiis equitum, rex Orodes una cum parte majore Romani exercitus interemit. Reliquias legionum C. Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum quæstor conservavit; Syriamque adeo in Populi Romani potestate retinuit, ut transgressos in eam Parthos, felici rerum eventu fugaret ac funderet.

Occiditur. U. C. 699. Ol. 181. a. C. N. 54.

C. Cassius Syriam in potestate P. R. retinet.

CAP. XLVII. Per hæc insequentiaque & quæ prædiximus, tempora, amplius quadringenta millia hostium à C. Cæsare cæsa sunt, plura capta. Pugnatum sæpe directa acie, sæpe in agminibus, (*c*) sæpe eruptionibus: bis penetrata Britannia. Novem denique æstatibus vix ulla non justissimus triumphus emeritus. Circa Alesiam (*d*) vero tantæ res gestæ, quantas audere vix hominis; perficere, pene nullius nisi Dei fuerit. Septimo ferme anno (*e*) Cæsar morabatur in Galliis, quum medium jam ex invidia potentiæ (*f*) male cohærentis inter Cn. Pompejum & C. Cæsarem concordiæ pignus, Julia uxor Magni decessit; atque omnia inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortuna, filius quoque parvus Pompeji, Julia natus, intra breve spatium obiit. Tum in gladios cædesque civium furente ambitu, cujus neque finis reperiebatur, nec modus, tertius consulatus soli Cn. Pompejo, etiam adversantium antea dignitati ejus judicio delatus est. Cujus ille honoris, gloria, veluti reconciliatis sibi optimatibus, maxime à C. Cæsare alienatus est. Sed ejus consulatus omnem vim in coërcitionem ambitus exercuit. (*g*) Quo tempore P. Clodius à Milone candidato consulatus, exemplo inutili, facto (*h*) salutari reipublicæ circa Bovillas, contracta ex occursu rixa, jugulatus est. Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeji damnavit voluntas. Quem quidem M. Cato palam lata absolvit sententia. Quam si maturius tulisset, non defuissent qui sequerentur exemplum; probarentque eum civem occisum, quo nemo perniciosior reipublicæ, neque bonis inimicior vixerat.

Cæsaris res in Gallia.

Pompeji conjux moritur.

Ejus filius.

Pompejus Consul tertium.

Clodius à Milone jugulatus.

Milo à Pompejo damnatus.

A Catone absolutus.

CAP. XLVIII. Intra breve deinde spatium belli civilis exarserunt initia: quum justissimus quisque & à Cæsare & à Pompejo vellet dimitti exercitus. Quippe Pompejus in secundo consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium absens ipse ac præsidens urbi, per Afranium & Petreium consularem ac prætorium, legatos suos administrabat; & iis, qui à Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur; (*i*) iis, qui ab ipso, (*k*) adversabatur. Qui si ante biennium quam ad arma itum est, perfectis muneribus theatri & aliorum operum quæ ei circumdedit, gravissima tentatus valetudine decessisset in Campania (quo quidem tempore universa Italia vota pro salute ejus, primo omnium civium suscepit) defuisset fortunæ destruendi ejus locus; & quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos. Bello autem civili, & tot quæ deinde per continuos viginti annos consecuta sunt malis, non alius majorem, flagrantioremque, quam C. Curio tribunus plebis subjecit facem: vir nobilis, eloquens, audax, suæ alienæque & fortunæ & pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissime nequam, & facundus malo publico. Cujus animo, (*l*) voluptatibus (*m*) vel libidinibus, neque opes ullæ neque cupiditates (*n*) sufficere possent. Hic primo pro Pompeji partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompejum & Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit. Id gratis an accepto centies (*o*) sestertium fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. Ad ultimum saluberrimas & coalescentis conditiones pacis, quas & Cæsar justissimo animo postulabat, & Pompejus æquo recipiebat, discussit ac rupit; unice cavente Cicerone concordiæ publicæ. Harum præteritarumque rerum ordo quum justis aliorum voluminibus promitur, (*p*) tum, uti spero, nostris explicabitur.

Semina belli civilis.

Pro Pompejo ægrotante primo omnium vota suscepta.

C. Curio bello civili facem subjicit.

Corruptus à Cæsare.

CAP. XLIX. Nunc proposito operi sua forma reddatur: si prius gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque & Hortensio; qui quum sine invidia in republica floruissent, eminuissentque sine periculo, quieta aut (*q*) certe non præcipitata, fatali (*r*) ante initium bellorum civilium morte functi sunt. Lentulo & Marcello Consulibus, post Urbem conditam annis septingentis tribus, & anno octogesimo octavo, (*s*) quam tu, M. Vinici, consulatum inires, bellum civile exarsit. Alterius ducis causa melior videbatur, alterius erat firmior. Hic omnia speciosa, illic valentia. Pompejum Senatus auctoritas, Cæsarem militum armavit fiducia. Consules Senatusque causæ non Pompejo (*t*) summam imperii detulerunt. Nihil relictum à Cæsare, quod servandæ pacis causa tentari posset: nihil receptum à Pompejanis. Quum alter Consul justo esset ferocior; Lentulus vero salva republica salvus esse non posset; M. autem Cato *moriendum ante, quam ullam conditionem civis accipiendam reipublicæ* contenderet: vir antiquus & gravis Pompeji partes laudaret magis, prudens sequeretur Cæsaris; & illa gloriosa, hæc terribiliora duceret. Ut deinde spretis omnibus quæ Cæsar postulaverat, tantummodo *contentus cum una legione titulum retinere provinciæ; privatus in Urbem veniret, & se in petitione consulatus suffragiis Populi Romani committeret*

Catuli, Lucullorum, Metelli & Hortensii mors.

BELLUM CIVILE inter Pompejum & Cæsarem. U.C. 703. Ol. 182. a. C. N. 50.

K 2

(*a*) al. cum omnibus. (*b*) al. vile. (*c*) al. sæpe agminibus. (*d*) al. Alexiam. (*e*) al. Septimum fere annum. (*f*) al. invidia Pompeji. al. ex invidia potentiæ æmulæ cohærentis. (*g*) al. exeruit. (*h*) al. exemplo inutiliter facto. al. exemplo inutili, interim facto salutari &c. (*i*) al. assentiebatur. (*k*) al. qui ab ipso quoque. (*l*) al. omnino. (*m*) al. cujus animi voluptatibus &c. (*n*) al. civitates. (*o*) al. trecenties. (*p*) al. quum justius - - - - - promatur. (*q*) al. quieta ea aut &c. (*r*) al. fatale. (*s*) al. & ante septuaginta octo. (*t*) al. Senatusque causæ nominis, Pompejo &c. al. causæ nomine Pompejo.

Cæſar cum exercitu Rubiconem tranſit. Pompejus Dyrrachium transmiſit.

mitteret decrevere: (*u*) ratus bellandum Cæſar, cum exercitu Rubiconem tranſiit. Cn. Pompejus Conſuleſque & major pars Senatus, relicta Urbe, ac deinde Italia, tranſmiſere Dyrrhachium.

Cæſar Pompejum perſequitur.

CAP. L. At Cæſar Domitio legionibuſque Corfinii, quæ una cum eo fuerant, potitus, duce aliiſque qui voluerant abire ad Pompejum, ſine dilatione dimiſſis, perſecutus Brundiſium, ita ut appareret, *malle integris rebus & conditionibus, finire bellum, quam opprimere fugientes*, quum transgreſſos reperiſſet Conſules, in Urbem revertit: redditaque ratione conſiliorum ſuorum in Senatu, & in concione, ac miſerrimæ neceſſitudinis, quum alienis armis ad arma compulſus eſſet, Hiſpanias petere decrevit. Feſtinationem itineris ejus aliquamdiu morata Maſſilia eſt, fide melior quam conſilio prudentior: intempeſtive principalium armorum arbitria captans: quibus iis ſe debent interponere, qui non parentem coërcere poſſunt. Exercitus deinde, qui ſub Afranio conſulari ac Petrejo prætorio fuerat, ipſius adventu vigore ac fulgore occupatus, ſe Cæſari tradidit. Uterque legatorum, & quiſquis cujuſque ordinis ſequi eo voluerat, remiſſi ad Pompejum.

Maſſiliam obſidet.

Hiſpania recepta.

Pompejus Dyrrachium obſidet.

CAP. LI. Proximo anno, quum Dyrrhachium ac vicina ei urbi regio, caſtris Pompeji teneretur (*x*) (qui accitis ex omnibus transmarinis provinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regumque & tetrarcharum ſimulque dynaſtarum copiis, immanem exercitum confecerat, & mare præſidiis claſſium, ut rebatur, ſepſerat, quo minus Cæſar legiones poſſet tranſmittere) ſua & celeritate, & fortuna C. Cæſar uſus nihil in mora habuit, quo minus & quum vellet, ipſe exercituſque claſſibus perveniret, & primo pene caſtris Pompeji ſua jungeret, mox etiam obſidione munimentiſque eum complecteretur. Sed inopia obſidentibus, quam obſeſſis, erat gravior. Tum Balbus Cornelius, excedente humanam fidem temeritate, ingreſſus caſtra hoſtium ſæpiuſque cum Lentulo collocutus, Conſule, dubitante *quanti ſe venderet*, illis incrementis fecit viam, quibus non Hiſpanienſis natus, (*y*) ſed Hiſpanus in triumphum & pontificatum aſſurgeret, fieretque ex privato conſularis. Variatum deinde præliis, ſed uno longe magis Pompejanis proſpero, quo graviter impulſi ſunt Cæſaris milites.

Lentulus Coſ. emptus.

Cæſar à Pompejo victus.

Theſſaliam petit.

CAP. LII. Tum Cæſar cum exercitu fatalem victoriæ ſuæ Theſſaliam petiit. Pompejus longe diverſa aliis ſuadentibus, (quorum plerique hortabantur, *ut in Italiam tranſmitteret: neque Hercules quidquam partibus illis ſalubrius fuit:* alii, *ut bellum traheret, quod dignatione* (*z*) *partium in dies ipſis magis proſperum fieret*) uſus impetu ſuo hoſtem ſecutus eſt. Aciem Pharſalicam & illum cruentiſſimum Romano nomini diem, tantumque utriuſque exercitus profuſum ſanguinis, & colliſa (*a*) inter ſe duo reipublicæ capita, effoſſumque (*b*) alterum Romani imperii lumen, tot taleſque Pompejanarum partium cæſos viros, non recipit enarranda hic ſcripturæ modus. Illud notandum eſt: ut primum C. Cæſar inclinatam vidit Pompejanorum aciem: neque prius neque antiquius quidquam habuit, quam omnes partes (*c*) (ut militari & verbo & conſuetudine utar) dimitteret. Proh Dii immortales, quod hujus voluntatis erga Brutum ſuæ poſtea vir tam mitis pretium tulit! Nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clarius fuit; quando neminem niſi acie conſumptum, civem patria deſideravit: ſed munus miſericordiæ corrupit pertinacia, quum libentius vitam victor jam daret quam victi acciperent.

Quem Pompejus ſequitur.

Acies Pharſalica.

U. C. 704. Ol. 182. a. C. N. 49.

Pompejus victus à Cæſare.

Cæſaris clementia in victos.

Pompejus in Ægyptum fugit.

CAP. LIII. Pompejus profugiens cum duobus Lentulis conſularibus Sextoque filio & Favonio prætorio, quos comites ei (*d*) fortuna aggregaverat, aliis *ut Parthos*, aliis *ut Africam peteret*, in qua fideliſſimum partium ſuarum haberet regem Jubam, ſuadentibus, Ægyptum petere propoſuit memor beneficiorum, quæ in patrem ejus Ptolemæi, qui tum puero quam juveni propior regnabat Alexandriæ, contulerat. Sed *quis in adverſis beneficiorum ſervat memoriam? aut quis ullam calamitoſis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem?* Miſſi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompejum (is jam à Mytilenis Corneliam uxorem receptam in navem, fugæ comitem habere ceperat) conſilio Theodoti & Achillæ exciperent, hortarenturque, *ut ex oneraria in eam navem, quæ obviam proceſſerat*, tranſcenderet. Quod quum feciſſet, princeps Romani nominis, imperio arbitrioque Ægyptii mancipii, C. Cæſare, P. Servilio Conſulibus, jugulatus eſt. Hic poſt tres conſulatus & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, ſanctiſſimi ac præſtantiſſimi viri, in id evecti ſuper quod adſcendi non poteſt, duodeſexageſimum annum agentis, pridie natalem ipſius, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro à ſe diſcordante fortuna, *ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deeſſet ad ſepulturam.* Quid aliud quam nimium occupatos dixerim, quos in ætate & tanti & pene noſtri ſeculi viri fefellit quinquennium? quum à C. Atilio & Q. Servilio Conſulibus tam facilis (*e*) eſſet annorum digeſtio. Quod adjeci, *non ut arguerem, ſed ne arguerer.*

Interficitur.

Ejus ætas.

CAP. LIV. Non fuit tamen major in Cæſarem, quam in Pompejum fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur, fides. Quippe quum venientem eum tentaſſent inſidiis, ac deinde bello laceſſere auderent, utrique ſummo imperatorum, alteri ſuperſtiti meritas pœnas luere ſuppliciis. Nuſquam erat Pompejus corpore, adhuc ubique nomine: (*f*) quippe ingens partium ejus favor bellum excitaverat Africum. Quod ciebat rex Juba & Scipio, vir conſularis, ante biennium, quam exſtingueretur Pompejus, lectus ab eo ſocer.

Poſt mortem viget.

Bellum Africum.

(*u*) al. *committere* decreverat. (*x*) al. caſtris Pompejo retineretur. (*y*) al. non Hiſpaniæ, Aſiæ natus &c. al. non Hiſpaniæ ſuæ natus. (*z*) al. *dilationi.* (*a*) al. & conſilio. (*b*) al. effuſumque. (*c*) al. quam in omnes partes. (*d*) al. quos victores darent comites ei &c. al. quos victore Cæſare, comites &c. (*e*) al. tam felix. (*f*) al. ubique Jubæ nomine. al. ubique ibat nomine.

ſocer. Eorumque copias auxerat M. Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia, perductis ad eos legionibus: qui vir, quum ſummum ei à militibus deferretur imperium, (*g*) honoratiori parere maluit.

CAP. LV. Admonet promiſſæ brevitatis fides, quanto omnia tranſcurſu dicenda ſint. Sequens fortunam ſuam Cæſar, pervectus in Africam, quam occiſo Curione, Julianarum duce partium, Pompejani obtinebant exercitus, ibi primo varia fortunam expugnavit via, (*h*) inclinatæque hoſtium copiæ. Nec diſſimilis ibi adverſus victos, quam in priores, clementia Cæſaris fuit. Victorem Africani belli C. Cæſarem gravius excepit Hiſpanienſe (nam victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriæ ejus adſtruxit) (*i*) quod Cn. Pompejus Magni filius, adoleſcens impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflaverat: undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem ſequentium, ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Sua Cæſarem in Hiſpaniam comitata fortuna eſt, ſed nullum umquam atrocius periculoſiuſque ab eo initum prælium, adeo ut plus quam dubio Marte, deſcenderet equo, conſiſtenſque ante recedentem ſuorum aciem increpita prius fortuna, *quod ſe in eum ſervaſſet exitum*, denuntiaret militibus, *veſtigio ſe non receſſurum: proinde viderent, quem, & quo loco imperatorem deſerturi forent.* Verecundia magis quam virtute acies reſtitutæ ſunt, à duce (*k*) quam à milite fortius. Cn. Pompejus, gravis vulnere inventus, inter ſolitudines avias interemptus eſt. Labienum Varumque acies abſtulit.

Cæſar in Africam pervehitur.
Jubamque vincit. U. C. 705. Ol. 183. a. C. N. 48.
Bellum Hiſpanienſe. U. C. 706. Ol. 183. a. C. N. 47.
Cn. Pompeius filius.
Quem Cæſar ægre vincit.
Cn. Pompeji cædes.

CAP. LVI. Cæſar omnium victor, regreſſus in Urbem, quod humanam excedat fidem, *omnibus*, qui contra ſe arma tulerant, ignovit, magnificentiſſimiſque gladiatorii muneris, naumachiæ, & equitum peditumque, ſimul elephantorum certaminis ſpectaculis, epulique per multos dies dati celebratione, replevit eam. Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, (*l*) Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanienſis argento raſili conſtitit. Pecunia, ex manubiis lata paullo amplius ſexies millies ſeſtertium. Neque illi tanto viro, & tam clementer omnibus victoriis ſuis uſo, plus quinque menſium principalis quies contigit. Quippe quum menſe Octobris in Urbem revertiſſet; Idibus Martiis conjurationis auctoribus Bruto & Caſſio, quorum alterum promittendo conſulatum non obligaverat, contra differendo Caſſium offenderat; adjectis etiam conſiliariis cædis (*m*) familiariſſimis omnium, & fortuna partium ejus in ſummum evectis faſtigium. D. Bruto & C. Trebonio aliiſque clari nominis viris, interemptus eſt. Cui magnam invidiam conciliarat M. Antonius, omnibus audendis paratiſſimus, conſulatus collega, imponendo capiti ejus Lupercalibus ſedentis pro Roſtris inſigne regium, quod ab eo ita repulſum erat, ut non offenſus videretur. (*n*)

Cæſar omnium victor in Urbem revertit.
Cæſar quinque agit triumphos.
Quot millia in ærarium tulerit.
Conſpiratio in Cæſarem.
Cæſaris cædes. U. C. 708. Ol. 183. a. C. N. 45.
M. Antonius.

CAP. LVII. Laudandum experientia conſilium eſt Panſæ atque Hirtii: qui ſemper prædixerant Cæſari, *ut principatum armis quæſitum, armis teneret.* Ille dictitans, *mori ſe, quam timeri malle*, dum clementiam, quam præſtiterat, exſpectat, incautus ab ingratis occupatus eſt. Quum quidem plurima præſagia atque indicia Dii immortales futuri obtuliſſent periculi. Nam & haruſpices præmonuerant, *ut diligentiſſime Iduum Martiarum caveret diem*; & uxor Calpurnia, territa nocturno viſu, *ut ea die domi ſubſiſteret*, orabat: & libelli conjurationem nuntiantes dati, ab eo neque protinus lecti erant. Sed profecto *ineluctabilis fatorum vis, cujuſcumque fortunam* (*o*) *mutare conſtituit, conſilia corrumpit.*

Conſilium Panſæ & Hirtii Cæſari datum.
Præſagia & indicia de cæde Cæſaris.

CAP. LVIII. Quo anno id patravere facinus Brutus & C. Caſſius, prætores erant; D. Brutus Conſul deſignatus. Hi una cum conjurationis globo, ſtipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitolium occupavere, quum Conſul Antonius (quem quum ſimul interimendum cenſuiſſet Caſſius, teſtamentumque Cæſaris abolendum, Brutus repugnaverat; dictitans, *nihil amplius civibus præter tyranni*, ita enim appellari Cæſarem facto ejus expediebat, *petendum eſſe ſanguinem*) convocato Senatu, quum jam Dolabella, quem ſubſtiturus ſibi Cæſar deſignaverat Conſulem, faſces atque inſignia corripuiſſet Conſularia, velut pacis auctor, liberos ſuos obſides in Capitolium miſit, fidemque deſcendendi tuto interfectoribus Cæſaris dedit: & illud decreti Athenienſium celeberrimi exemplum, relatum à Cicerone, oblivionis præteritarum rerum, decreto Patrum comprobatum eſt.

Conjurati Capitolium occupant.
Cæſaris teſtamentum abolendum cenſet Caſſius.
M. Antonii liberi obſides interfectoribus Cæſaris.
Amneſtia decreta.

CAP. LIX. Cæſaris deinde teſtamentum apertum eſt, quo C. Octavium, nepotem ſororis ſuæ Juliæ adoptabat. De cujus origine, etiam ſi præventis, & pauca (*p*) dicenda ſunt. Fuit C. Octavius, ut non patricia, ita admodum ſpecioſa equeſtri genitus familia, gravis, ſanctus, innocens, dives. Hic prætor inter nobiliſſimos viros creatus, primo loco, quum ei dignatio Julia genitam Atiam conciliaſſet uxorem, ex eo honore ſortitus Macedoniam, appellatuſque in ea (*q*) Imperator, decedens ad petitionem conſulatus obiit, prætextato relicto filio. Quem C. Cæſar, major ejus avunculus, educatum apud Philippum vitricum dilexit ut ſuum, natumque annos octodecim, Hiſpanienſis militiæ (*r*) aſſecutum ſe poſtea comitem habuit, numquam aut alio uſum hoſpitio quam ſuo, aut alio vectum vehiculo: pontificatuſque ſacerdotio puerum honoravit. Et pacatis (*s*) bellis civilibus, ad erudiendum liberalibus diſciplinis ſingularis indolem juvenis, Apolloniam eum in ſtudia miſerat, mox belli Getici ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Cui ut eſt nuntiatum de cæde avunculi,

Cæſaris teſtamentum apertum.
Quo C. Octavius adoptatur.
C. Octavius equeſtri familia genitus.
Eius laudes.

(*g*) al. quum ſummum ei ambitus deferretur imperium. (*h*) al. ibi primo varia fortuna, mox pugnavit ſua. (*i*) al. adſtruxerit. (*k*) al. Ceterum à duce. (*l*) al. cedro. (*m*) al. etiam conſciis aliis cædis. (*n*) al. quod ab eo id repulſum erat, ut non offenſum videretur. (*o*) al. *cujus quum fortunam.* al. *cujus quem fortunam &c.* (*p*) al. De cujus origine, etiam ſi prævenit, pauca &c. al. tamen pauca. (*q*) al. ex ea. al. in eam. (*r*) al. Hiſpanienſi militia. (*s*) al. paratis. al. patratis. al. peractis.

vunculi, quum protinus ex vicinis legionibus centuriones suam suorumque militum operam ei pollicerentur, *neque eam spernendam* Salvidienus (*t*) & Agrippa dicerent; ille festinans pervenire in Urbem, omnem ordinationem (*u*) & necis & testamenti Brundisii comperit. Cui adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia: & quum intraret Urbem, Solis orbis super caput ejus, curvatus æqualiter rotundatusque, in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.

Venit Romam, U.C. 708. Ol. 183. a. C.N. 45.

Omen imperii.

CAP. LX. Non placebat Atiæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris: sed asserebant *salutaria reipublicæ terrarumque orbis fata conditorem conservatoremque Romani nominis.* Sprevit itaque cœlestis animus humana consilia; & cum periculo potius summa, quam tuto humilia, proposuit sequi; maluitque avunculo & Cæsari de se, quam vitrico credere; dictitans, *nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semetipsum* (*x*) *videri indignum.* Hunc protinus Antonius Consul superbe excipit; (neque is erat contemptus, sed metus) vixque admisso in Pompejanos hortos, loquendi secum tempus dedit; mox etiam, velut insidiis ejus petitus, sceleste insimulare cepit: in quo turpiter deprehensa ejus vanitas est. Aperte deinde Antonii ac Dolabellæ Consulum ad nefandam dominationem erupit furor. Sestertium septies millies, depositum à C. Cæsare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio, actorum ejusdem, insertis falsis, indubitateque corruptis, (*y*) commentariis. Atque omnia pretio temperata, vendente rempublicam Consule. Idem provinciam D. Bruto designato Consuli decretam, Galliam occupare statuit; Dolabella transmarinas decrevit sibi: interque naturaliter dissimillimos ac diversa volentes crescebat odium. Eoque C. Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis.

C. Octavius Cæsaris hæreditatem adit.

Antonius Octavio iniquus.

Octavio insidias struit.

Furor Antonii & Dolabellæ.

Antonii rapinæ.

CAP. LXI. Torpebat oppressa dominatione Antonii civitas. Indignatio & dolor omnibus, via ad resistendum nulli aderat, quum C. Cæsar, decimum nonum (*z*) annum ingressus, mira ausus, ac summa consecutus, privato consilio, majorem Senatu pro republica animum habuit. Primumque à Calatia, mox à Casilino veteranos excivit paternos. Quorum exemplum secuti alii, brevi in formam justi coiere exercitus. Mox quum Antonius occurrisset exercitu, quem ex transmarinis provinciis Brundisium venire jusserat, legio Martia & Quarta, cognita & Senatus voluntate & tanti juvenis indole, sublatis signis ad Cæsarem se contulerunt. Eum Senatus, (7) honoratum equestri statua, quæ hodieque in Rostris posita ætatem ejus scriptura indicat (qui honor non alii, per trecentos annos, quam L. Sullæ & Cn. Pompejo & C. Cæsari contigerat) proprætore, (*a*) una cum Consulibus designatis Hirtio & Pansa, bellum cum Antonio gerere jussit. Id ab eo annum agente vicesimum, (*b*) fortissime circa Mutinam administratum est; & D. Brutus obsidione liberatus; Antonius turpi ac nuda fuga coactus deserere Italiam: Consulum autem alter in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit.

Octavius copias parat.

A Senatu equestri statua honoratur.

Bellum cum Antonio gerit.

Quem vincit. U. C. 709. Ol. 184. a. C. N. 44.

CAP. LXII. Omnia ante, quam fugaretur Antonius, honorifice à Senatu in Cæsarem exercitumque ejus decreta sunt, maxime auctore Cicerone: sed, ut recessit metus, erupit voluntas, protinusque Pompejanis partibus rediit animus. Bruto Cassioque provinciæ, quas jam ipsi sine ullo Senatusconsulto occupaverant, decretæ. Laudati quicumque his (*c*) se exercitus tradidissent. Omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio. Quippe M. Brutus & C. Cassius, nunc metuentes arma Antonii, nunc ad augendam ejus invidiam, simulantes se metuere, testati edictis, *libenter se vel in perpetuo exilio victuros, dum reipublicæ* (*d*) *constaret concordia, nec ullam belli civilis præbituros materiam, plurimum sibi honoris esse in conscientia facti sui,* profecti Urbe atque Italia, intento ac pari animo, sine auctoritate publica, provincias exercitusque occupaverant, & ubicumque ipsi essent, prætexentes esse rempublicam; pecunias etiam, quæ ex transmarinis provinciis Romam ab quæstoribus deportabantur, à volentibus acceperant. Quæ omnia Senatus decretis comprehensa, & comprobata sunt. Et D. Bruto, quod alieno (*e*) beneficio viveret, decretus triumphus. Pansæ atque Hirtii corpora publica sepultura honorata. Cæsaris adeo nulla habita mentio, ut legati, qui ad exercitum ejus missi erant, juberentur summoto eo milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat Senatus. Nam, quum eam injuriam dissimulando Cæsar ferret, negavere milites, *sine imperatore suo ulla se audituros mandata.* Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompejanarum partium, *Cæsarem laudandum, & tollendum* censebat, quum aliud diceret, aliud intelligi vellet.

Ciceronis animus in Pompejanos.

Brutus & Cassius Italia cedunt.

Provincias occupant.

Senatus eis adhæret.

Causæ offensi Octavii.

Exercitus in Octavium fides.

Cicero Cæsarem laudandum censet.

CAP. LXIII. Interim Antonius, fuga transgressus Alpes, primo per colloquia repulsus (*f*) à M. Lepido, qui Pontifex maximus in C. Cæsaris locum furto creatus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur: mox sæpius in conspectum veniens militum, quum & Lepido omnes imperatores forent meliores, & multis Antonius, dum erat sobrius, per aversa castrorum proruto vallo militibus receptus est, qui titulo imperii cedebat Lepido, quum summa virium penes eum foret. Sub Antonii ingressum in castra Juventius Laterensis, vir vita ac morte consentaneus, quum acerrime suasisset Lepido, ne se cum Antonio hoste judicato jungeret, irritus consilii, gladio se ipse trans-

M. Antonius à M. Lepido per colloquia repulsus.

Juventius Laterensis se transfigit gladio.

(*t*) al. Salvidenus. (*u*) al. ordinantem. al. ordinem. (*x*) al. *sibimetipsum.* (*y*) al. civitatibusque corruptis. al. commutatisque & corruptis. al. sublatisque & corruptis. al. insertis falsis civitatibus, corruptisque commentariis. (*z*) al. XIIX. (*a*) al. proprætorem. (*b*) al. undevicesimum. (*c*) al. hisce. (*d*) al. *respublica.* (*e*) al. qui alieno. (*f*) al. primo spe colloquii repulsus.

(7) Senatus honoratum equestri statua) Senatus honoravit eum equestri statua sed Populi jussu; ut numus Tab. XVIII. num. 3. loquitur. Vid. HEMELAR. loc. cit. Tab. III. num. 3. pag. 11.

Plancus deſcribitur.

transfixit. Plancus deinde dubia, id eſt, ſua fide, diu quarum eſſet partium ſecum luctatus, ac ſibi difficile conſentiens, & nunc adjutor D. Bruti, deſignati Conſulis, collegæ ſui, Senatuique ſe literis venditans, mox ejusdem proditor; Aſinius autem Pollio, firmus propoſito & Julianis partibus fidus, Pompejanis adverſus; uterque exercitus tradidere Antonio.

Cum Aſinio Pollione Antonio fidus.

D. Brutus deſertus à Planco,

Ab Antonianis jugulatur.

CAP. LXIV. D. Brutus, deſertus primo à Planco, poſt etiam inſidiis ejusdem petitus, paullatim relinquente eum exercitu, fugiens, in hoſpitis cujusdam nobilis viri, nomine Cameli, (*g*) domo, ab iis, quos miſerat Antonius, jugulatus eſt; juſtiſſimaſque optime de ſe merito viro C. Cæſari pœnas dedit. Cujus quum primus omnium amicorum fuiſſet, interfector fuit, & fortunæ, ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat, cenſebatque æquum, quæ acceperat à Cæſare, retinere: Cæſarem qui illa dederat, periſſe. (*h*) Hæc ſunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ inuſſit notas. Sed hic fulgentiſſimo & cæleſti ore, at tribunus Canutius continua rabie lacerabat Antonium. Utrique vindicta libertatis morte ſtetit: ſed tribuni ſanguine commiſſa proſcriptio; Ciceronis, vel ſatiato Antonio, pœna finita. Lepidus deinde à Senatu hoſtis judicatus eſt, ut ante fuerat Antonius.

Cicero Antonii memoriæ inurit notas.

Triumviralis conſpiratio.

CAP. LXV. Tum inter eum Cæſaremque & Antonium, commercia epiſtolarum; & conditionum acta (*i*) mentio, quum Antonius & ſubinde Cæſarem admoneret, quam inimicæ ipſi Pompejanæ partes forent; & in quod jam emerſiſſent faſtigium; & quanto Ciceronis ſtudio Brutus Caſſiuſque attollerentur; denuntiaretque, ſe cum Bruto Caſſioque, qui jam decem & ſeptem legionum potentes erant, juncturum vires ſuas, ſi Cæſar ejus aſpernaretur concordiam; diceretque *plus Cæſarem patris quam ſe amici ultioni debere.* Tum inita potentiæ ſocietas, & hortantibus orantibuſque exercitibus, inter Antonium etiam & Cæſarem facta affinitas; quum eſſet privigna Antonii deſponſa Cæſari. Conſulatumque iniit Cæſar pridie, quam viginti annos impleret, X. Kalend. Octobres, cum collega Q. Pedio, poſt U.C. annis ſeptingentis novem, (*k*) ante ſeptuaginta duos quam tu, M. Vinici, conſulatum inires. Vidit hic annus Ventidium, per quam Urbem inter captivos Picentium in triumpho ductus erat, in ea conſularem prætextam jungentem prætoria. (*l*)

Ventidius.

CAP. LXVI. Idem hic poſtea triumphavit. Furente deinde Antonio, ſimulque Lepido, quorum uterque, ut prædiximus, hoſtes judicati erant, quum ambo mallent ſibi nuntiari quid paſſi eſſent, quam quid emeruiſſent, (*m*) repugnante Cæſare, ſed fruſtra adverſus duos, inſtauratum Sullani exempli malum, proſcriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Cæſar aliquem proſcribere coactus eſt, aut ab illo (*n*) Cicero proſcriptus eſt; *abſciſſaque* ſcelere Antonii *vox publica eſt,*

Proſcriptio inſtituta.

Cicero proſcriptus & occiſus.

U.C. 709. Ol. 184. a. C. N. 44.

A Vellejo deploratur.

quum ejus ſalutem nemo defendiſſet, qui per tot annos & publicam civitatis & privatam civium defenderat. Nihil tamen egiſti, M. Antoni: (cogit enim excedere propoſiti formam operis, erumpens animo ac pectore indignatio) nihil inquam, egiſti, mercedem cœleſtiſſimi oris & clariſſimi capitis abſciſſi numerando, auctoramentoque funebri ad conſervatoris quondam reipublicæ tantique Conſulis irritando (*o*) necem. Rapuiſti tu M. Ciceroni lucem ſolicitam, & ætatem ſenilem, & vitam miſeriorem (*p*) te principe, quam ſub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abſtuliſti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnium ſeculorum memoriam. Dumque hoc vel forte vel providentia vel utcumque conſtitutum rerum naturæ corpus, quod ille pene ſolus Romanorum animo vidit, ingenio complexus eſt, eloquentia illuminavit, manebit incolume: comitem ævi ſui laudem Ciceronis trahet; omniſque poſteritas illius in te ſcripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur; citiuſque in mundo genus hominum quam * * * cadet. (*q*)

CAP. LXVII. Hujus totius temporis fortunam ne deflere quidem quiſquam ſatis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis poteſt. Id tamen notandum eſt, fuiſſe in proſcriptos uxorum fidem ſummam, libertorum mediam, ſervorum aliquam, filiorum nullam. Adeo difficilis eſt hominibus utcumque conceptæ ſpei mora. Ne quid ulli (*r*) ſanctum relinqueretur, vel ut in dotem invitamentumque ſceleris, Antonius L. Cæſarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proſcripſerant. Nec Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater ejus Plancus Plotius proſcriberetur. Eoque inter jocos militares, qui currum Lepidi Planciqne ſecuti erant, inter execrationem civium uſurpabant hunc verſum: *De Germanis, non de Gallis, duo triumphant Conſules.*

Scelera proſcriptionis.

CAP. LXVIII. Suo præteritum loco referatur. Neque enim perſona umbram actæ rei capit. (*s*) Dum in acie Pharſalica Africaque (*t*) de ſumma rerum Cæſar dimicat, M. Cœlius vir eloquio animoque Curioni ſimillimus, ſed in utroque perfectior, nec minus ingenioſe nequam, quum ne modico (*u*) quidem ſervari poſſet (*x*) (quippe pejor illi res familiaris quam mens erat) in prætura novarum tabularum auctor extitit: nequiitque Senatus & auctoritate Conſulum deterreri, accito etiam Milone Annio, qui non impetrato reditu Julianis partibus infeſtus erat, in Urbe ſeditionem, haud magis occulte bellicum (*y*) tumultum movens, primo ſummotus à republica mox conſularibus armis auctore Senatu circa Thurios oppreſſus eſt. Incepto pari ſimilis fortuna Milonis fuit; qui Compſam in Hirpinis oppugnans, ictuſque lapide, tum P. Clodio, tum patriæ, quam armis petebat, pœnas dedit; vir inquies, & ultra ſortem (*z*) temerarius. Quatenus autem aliquid ex omiſſis peto, notetur

M. Cœlii acta.

Annius Milo.

(*g*) al. Capeni. (*h*) al. perire. (*i*) al. facta. (*k*) al. DCCXI. (*l*) al. prætoriæ. (*m*) al. demeruiſſent. (*n*) al. ab ullo. (*o*) al. invitando. (*p*) al. inferiorem. (*q*) al. cedet. (*r*) al. ullibi. (*s*) al. umbram ac tenebras capit. (*t*) al. in acie Pharſalica circaque. (*u*) al. quum in modica. (*x*) al. quum ne à Diis quidem ſervari poſſet. (*y*) al. in Urbe ſeditionem magis, occulte autem bellicum &c. (*z*) al. fortem.

tetur immodica & intempestiva libertate usos adversus C. Cæsarem, Marullum Epidium, Flaviumque (*a*) Cæsetium, tribunum plebis, dum arguunt in eo regni voluntatem, pene vim dominationis expertos. In hoc tamen sæpe lacessiti principis ira excessit, ut censoria potius contentus nota, quam animadversione dictatoria summoveret eos à republica, testareturque; *esse sibi miserrimum, quod aut natura sua ei excedendum foret, aut minuenda dignitas.* Sed ad ordinem revertendum est.

C. Trebonii cædes.

CAP. LXIX. Jam & Dolabella in Asia C. Trebonium consularem, cui succedebat, fraude deceptum Smyrnæ occiderat, virum adversus merita Cæsaris ingratissimum participemque cædis ejus, à quo ipse in consulare provectus fastigium fuerat: & C. Cassius, acceptis à Statio (*b*) Murco & Crispo Marcio, prætoriis viris, imperatoribusque, prævalidis (*c*) in Syriâ legionibus, inclusum Dolabellam, qui præoccupata Asia in Syriam pervenerat, Laodicea (*d*) expugnata interfecerat; ita tamen (*e*) ut ad ictum servi sui Dolabella non segniter cervicem daret; & decem legiones in eo tractu sui juris fecerat. Et M. Brutus C. Antonio fratri M. Antonii in Macedonia, Vatinioque circa Dyrrhachium volentes (*f*) legiones extorserat: sed Antonium bello lacessierat; Vatinium dignatione obruerat: quum & Brutus cuilibet ducum præferendus videretur; & Vatinius nulli nomini non esset postferendus. In quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo, ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur. Eratque septem legionibus validus. Et lege (*g*) Pedia, quam Consul Pedius collega Cæsaris tulerat, omnibus qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat. Quo tempore Capito, patruus meus, vir ordinis senatorii, Agrippæ subscripsit in C. Cassium.

Cassii augmenta.

Dolabellæ cædes.

Bruti augmenta.

Lex Pedia adversus Cæsaris interfectores.

Capito patruus Velleji.

Rhodus capitur.

CAP. LXX. Dumque ea in Italia geruntur, acri atque prosperrimo bello Cassius Rhodum, rem immanis operis, ceperat; Brutus Lycios devicerat; & inde in Macedoniam exercitus transjecerant; quum per omnia repugnans naturæ suæ Cassius, etiam Bruti clementiam vinceret. Neque reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturius destituerit, quam Brutum & Cassium. Tum Cæsar & Antonius transjecerunt exercitus in Macedoniam & apud urbem Philippos cum M. Bruto Cassioque acie concurrerunt. Cornu, cui Brutus præerat, impulsis hostibus castra Cæsaris cepit. Nam ipse Cæsar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, *ne in castris remaneret*, manifeste denuntiatione quietis territo. Id autem in quo Cassius fuerat, fugatum ac male multatum in altiora se receperat loca. Tum Cassius ex sua fortuna eventum collegæ æstimans, quum dimisisset evocatum, jussisset nuntiare sibi, *quæ esset multitudo ac vis hominum, quæ ad se tenderet*, tardius eo nuntiante, quum in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium, neque pulvere (*h*) facies aut signa denotari possent; existimans hostes esse qui irruerent, lacerna caput circumdedit, extentamque cervicem interritus liberto præbuit. Deciderat Cassii caput, quum evocatus advenit, nuntians *Brutum esse victorem.* Qui, quum Imperatorem postratum videret; *Sequar*, inquit, *eum, quem mea occidit tarditas*; & ita in gladium incubuit. (*i*) Post paucos deinde dies Brutus conflixit cum hostibus, & victus acie, quum in tumulum nocte ex fuga se recepisset, impetravit à Stratone Ægeate, familiari suo, *ut manum morituro commodaret sibi*; rejectoque lævo super caput brachio, quum mucronem gladii ejus dextera tenens, sinistræ admovisset mammillæ, ad eum ipsum locum, qua cor emicat, impellens se in vulnus, uno ictu transfixus exspiravit.

Pugna Philippensis.

Cassii interitus.

Bruti interitus. U. C. 710. Ol. 184. a. C. N. 43.

CAP. LXXI. Protinus Messala, fulgentissimus juvenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, quum essent qui eum ducem poscerent, servari beneficio Cæsaris maluit, quam dubiam spem armorum tentare amplius. Nec aut Cæsari quidquam ex victoriis suis fuit lætius, quam servasse Corvinum; aut majus exemplum hominis grati ac pii, quam Corvinus in Cæsarem fuit. Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum Hortensiumque eminentissimorum civium filios fortuna abstulit. Nam Varro ad ludibrium moriturus Antonii, digna illo ac vera de exitu ejus magna cum libertate ominatus est. Drusus Livius Juliæ Augustæ (*k*) pater & Varus Quinctilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter se ipse in tabernaculo interemit: Varus autem liberti quem id facere coëgerat, manu, quum se insignibus honorum velasset, jugulatus est.

Messalla Corvinus beneficio Cæsaris servatur.

Exemplum hominis grati ac pii in Cæsarem.

Interitus Catonis.

Luculli, Hortensii. Ter. Varronis, Drusi. Vari Quinctilii.

CAP. LXXII. Hunc exitum M. Bruti partium septimum & trigesimum annum agentis fortuna esse voluit: corrupto animo ejus in diem, (*l*) quæ illi omnes virtutes unius temeritate facti abstulit. Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus. E quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium. In altero major vis, in altero virtus. Qui si vicissent, quantum reipublicæ interfuit, Cæsarem potius habere quam Antonium principem, tantum retulisset habere Brutum quam Cassium. Cn. Domitius, pater L. Domitii, nuper à nobis visi, eminentissimæ ac nobilissimæ simplicitatis viri, avus hujus Cn. Domitii, clarissimi juvenis, occupatis navibus, cum (*m*) magno sequentium consilia sua comitatu, fugæ fortunæque se commisit, semetipso contentus duce partium. Statius (*n*) Murcus, qui classi & custodiæ maris præfuerat, cum omni commissa sibi parte exercituum naviumque Sex. Pompejum, Cn. Magni filium, qui ex Hispania

Cassii ac Bruti ingenium.

Cn. Domitius fugit.

Statius Murcus Pompejum petit.

(*a*) al. Flavumque. (*b*) al. à Stajo. al. à Sexto. (*c*) al. imperatoribusque validis &c. al. imperatoribus, qui prævalidis &c. (*d*) al. Laudicea. (*e*) al. Laodicea expugnarat; ita tamen. al. Laodicea expugnatæ ea Urbe fecerat ita tamen. (*f*) al. volenti. (*g*) al. At lege. (*h*) al. neque præ pulvere. (*i*) al. occubuit. (*k*) al. Liviæ Augustæ. (*l*) al. corrupto animo ejus una die. (*m*) al. tum. (*n*) al. Stajus.

Sex. Pompejus Siciliam occupat.

nia reverrens, Siciliam armis occupaverat, petit. Ad quem & è Brutianis castris & ex Italia, aliisque terrarum partibus, quos præsenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebant. Quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus; quum fortuna non electionem daret, sed perfugium ostenderet; exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret.

Ad eum proscripti confluunt.

Sex. Pompejus describitur.

CAP. LXXIII. Hic adolescens erat studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cogitatione celer, (*o*) fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, servorumque servus; speciosis invidens, ut pareret humillimis: quem Senatus pene totus, adhuc è Pompejanis constans partibus, post Antonii à Mutina fugam, (*p*) eodem illo tempore, quo Bruto Cassioque transmarinas provincias decreverat, revocatum ex Hispania, ubi adversus eum clarissimum bellum Pollio Asinius prætorius gesserat, in paterna bona restituerat, & oræ maritimæ præfecerat. Is tum ut prædiximus, occupata Sicilia, servitia, fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens, magnum modum legionum effecerat; perque Menam & Menecratem, paternos libertos, præfectos classium, latrociniis ac prædationibus infestato mari, ad se exercitumque tuendum rapto utebatur, quum eum non depuderet, vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus.

Latrociniis & prædationibus mare infestat.

CAP. LXXIV. Fractis Brutianis Cassianisque partibus, Antonius transmarinas obiturus provincias substitit; Cæsar in Italiam se recepit, eamque longe quam speraverat tumultuosiorem reperit. Quippe L. Antonius Consul, vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quæ interdum in illo erant, expers, modo apud veteranos criminatus Cæsarem, modo eos, qui juste (*q*) divisione prædiorum nominatisque colonis agros amiserant, ad arma conciens, magnum exercitum conflaverat. Ex altera parte uxor Antonii Fulvia, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuque miscebat. Hæc belli sedem Præneste ceperat. Antonius pulsus undique viribus Cæsaris Perusiam se contulerat: Plancus Antonianarum adjutor partium, spem (*r*) magis ostenderat auxilii, quam opem ferebat Antonio. Usus Cæsar virtute & fortuna sua, Perusiam expugnavit; Antonium inviolatum dimisit. In Perusinos magis ira militum, quam voluntate sævitum ducis. Urbs incensa, cujus initium incendii princeps ejus loci fecit Macedonicus; qui, subjecto rebus ac penatibus suis igni, transfixum se gladio flammæ intulit.

Cæsar Italiam tumultuosiorem reperit. L. Antonius describitur. Italiam tumultibus implet. Fulvia L. Antonii uxor describitur. Præneste capitur. L. Antonius Perusiam petit. Perusia capta. Antonius inviolatus dimittitur. Perusia incensa. U. C. 711. Ol. 184. a. C. N. 42.

CAP. LXXV. Per eadem tempora exarserat in Campania bellum, quod, professus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat Tib. Claudius Nero, prætorius & pontifex, Tib. Cæsaris pater, magni vir animi doctissimique ingenii. Id quoque adventu Cæsaris sepultum atque discussum est. Quis Fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum casus satis mirari queat? quis non diversa præsentibus contrariaque exspectatis aut speret aut timeat? Livia nobilissimi & fortissimi viri Drusi Claudiani (*s*) filia, genere, probitate, forma Romanarum eminentissima, quam postea conjugem Augusti vidimus, quam (*t*) transgressi ad Deos (*u*) sacerdotem ac filiam, tum fugiens mox futuri sui Cæsaris arma, vix bimum (*x*) hunc Tiberium Cæsarem, vindicem Romani imperii, futurumque ejusdem Cæsaris filium, gestans sinu, per avia itinerum vitatis militum gladiis uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, & cum viro Nerone pervecta in Siciliam est.

Tib. Cl. Nero bellum in Campania ciet. Livia. Augustum fugit. Pervehitur in Siciliam.

CAP. LXXVI. Quod alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo avum meum. Quippe C. Vellejus, honoratissimo inter illos trecentos sexaginta judices loco à Cn. Pompejo lectus, ejusdem, Marcique Bruti ac Tironis (*y*) præfectus fabrûm, vir nulli secundus, in Campania, digressu Neronis à Neapoli, cujus ob singularem cum eo amicitiam partium adjutor fuerat, gravis jam ætate & corpore, quum comes esse (*z*) non posset, (*a*) gladio se ipse transfixit. Inviolatam excedere Italia Cæsar passus Fulviam, Plancumque muliebris fugæ comitem. Nam Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retenta in potestate Antonii Venetia, magis speciosisque rebus circa Altinum, aliasque ejus regionis urbes editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium, quem digressum è Brutianis castris post cædem ejus prædiximus, & propriæ classis factum ducem, consiliis suis illectum, ac fide data, junxit Antonio. Quo facto, (*b*) quisquis æquum se præstiterit, sciat non minus à Pollione in Antonium, quam ab Antonio in Pollionem esse collatum. Adventus deinde in Italiam Antonii, præparatusque (*c*) contra eum Cæsaris habuit belli metum: sed pax circa (*d*) Brundisium composita. Per quæ tempora Rufi Salvideni scelesta consilia patefacta sunt. Qui natus obscurissimis initiis, parum habebat summa (*e*) accepisse, & proximus à Cn. Pompejo, ipsoque Cæsare ex equestri ordine Consul creatus esse, (*f*) nisi in id adscendisset, (*g*) quo infra se & Cæsarem videret & rempublicam.

C. Vellejus avus Velleji describitur. Se ipse transfigit. Domitius Antonio jungitur. Pax Brundisina cum Antonio. Salvideni scelesta consilia patefacta.

CAP. LXXVII. Tum expostulante consensu populi, quem gravis urebat infesto mari annona, cum Pompejo quoque circa Misenum pax inita: qui haud absurde quum in navi Cæsaremque & Antonium cœna exciperet, dixit: *In carinis suis se cœnam dare.* Referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis fœdere placuit, Siciliam Achaiamque Pompejo concedere. In quo tamen animus inquies manere non potuit: id unum tantummodo salutare adventu suo patriæ attulit, quod omnibus proscriptis, aliisque, qui ad eum ex diversis causis fugerant, reditum salutemque pactus est. Quæ res & alios clarissimos viros, & Nero-

Pax Misenensis cum Sex. Pompejo. Pompeji dictum. Pompejo Sicilia & Achaia conceditur. Proscripti & profugi restituti.

(*o*) al. cogitator celer. al. concitatu celer. (*p*) al. post Antonianam fugam. (*q*) al. modo eos injuste. (*r*) al. spe. (*s*) al. Calidiani. (*t*) al. quin. (*u*) al. ad eos. (*x*) al. cujus bimum. (*y*) al. ac Tib. Neronis. (*z*) al. & corpore comes esse &c. (*a*) al. & corpore, quum eum se qui non posset. (*b*) al. cui facto. (*c*) al. paratusque. (*d*) al. contra. (*e*) al. summam. (*f*) al. creatum esse. (*g*) al. nisi adscendisset.

Neronem Claudium & M. Silanum, Sentiumqueſaturninum & Aruntium Actium reſtituit (*h*) reipublicæ Statium (*i*) autem Murcum, qui adventu ſuo claſſiſque celeberrimæ vires ejus duplicaverat, inſimulatum falſis criminationibus, quia talem virum collegam officii Mena & Menecrates (*k*) faſtidierant, Pompejus in Sicilia interfecerat.

Stajus Murcus occiditur.

M. Antonius Octavii ſororem ducit uxorem.

CAP. LXXVIII. Hoc tractu temporum Octaviam ſororem Cæſaris M. Antonius duxit uxorem. Redierat Pompejus in Siciliam, Antonius in transmarinas provincias: quas magnis momentis Labienus, ex Brutianis caſtris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonii concuſſerat: qui virtute & ductu Ventidii una cum Parthorum copiis, celeberrimoque juvenum Pacoro regis filio exſtinctus eſt. Interim Cæſar per hæc tempora, ne res diſciplinæ inimiciſſima otium corrumperet militem, crebris in Illyrico Dalmatiaque expeditionibus, patientia periculorum bellique experientia durabat exercitum. Eadem tempeſtate Calvinus Domitius, quum ex conſulatu obtineret Hiſpaniam, graviſſimi comparandique antiquis exempli auctor fuit. Quippe primipili centurionem nomine Vibillium, (*l*) ob turpem ex acie fugam, fuſte (*m*) percuſſit.

Labienus Parthos adducit.

à Ventidio vincitur. U. C. 714. Ol. 185. a. C. N. 39.

Pacorus occiditur.

Cæſar milites expeditionibus durat.

Calvinus Domitius.

Primipili Centurionem fuſte percutit.

CAP. LXXIX. Creſcente in dies & claſſe & fama Pompeji, Cæſar molem belli ejus ſuſcipere ſtatuit. Ædificandis navibus contrahendoque militi ac remigi, navalibusque adſueſcendo certaminibus atque exercitationibus, (8) præfectus eſt M. Aprippa: virtutis nobiliſſimæ, labore, vigilia, periculo invictus, parendique ſed uni ſcientiſſimus, aliis ſane imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes poſitus, conſultiſque facta conjungens. Hic in Averno ac Lucrino lacu ſpecioſiſſima claſſe fabricata, quotidianis exercitationibus militem remigemque ad ſummam & militaris, & maritimæ rei perduxit ſcientiam. Hac claſſe Cæſar, quum prius, deſpondente ei Nerone cui ante nupta fuerat, Liviam, auſpicatis reipublicæ ominibus duxiſſet uxorem, Pompejo Siciliæque bellum intulit. Sed virum humana ope invictum, graviter eo tempore fortuna concuſſit. Quippe longe majorem partem claſſis circa Veliam Palinurique promontorium, adorta vis Africi laceravit ac diſtulit. Ea patrando bello mora fuit, quod poſtea dubia, & interdum ancipiti fortuna geſtum eſt. Nam & claſſis eodem loco vexata eſt tempeſtate, & ut navali primo prælio apud Mylas ductu Agrippæ pugnatum proſpere; ita inopinato claſſis adventu, gravis ſub ipſius Cæſaris oculis circa Tauromenium accepta clades: neque ab ipſo periculum abfuit. Legiones quæ cum Cornificio erant legato Cæſaris, expoſitæ in terra, pene à Pompejo oppreſſæ ſunt. Sed ancipitis fortuna temporis matura virtute correcta. Explicatis quippe utriusque partis claſſibus, pene omnibus exutus navibus Pompejus Aſiam fuga petivit. Juſſuque M. Antonii, cujus opem petierat, dum inter ducem & ſupplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, à Titio jugulatus eſt. Cui in tantum duravit hoc facinore contractum odium, ut mox ludos in theatro Pompeji faciens, execratione populi, ſpectaculo quod præbebat, pelleretur.

Bellum cum Sex. Pompejo. U. C. 714. Ol. 185. a. C. N. 39.

M. Agrippa navibus ab Octavio præficitur.

Octavius Liviam ducit.

Pompejo Siciliæque infert bellum.

Ejus claſſis naufragium patitur.

Cladem accipit.

Tandem Pompejus fugit. U. C. 716. Ol. 185. a. C. N. 37.

Et interficitur. U. C. 717. Ol. 186. a. C. N. 36.

CAP. LXXX. Acciverat gerens contra Pompejum bellum ex Africa Cæſar Lepidum cum duodecim ſemiplenis legionibus. Hic vir omnium vaniſſimus, neque ulla virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritus, exercitum Pompeji, quia proprior fuerat, ſequentem non ipſius, ſed Cæſaris auctoritatem ac fidem, ſibi junxerat: inflatusque amplius viginti legionum numero, in id furoris proceſſerat, ut inutilis in aliena victoria comes (*n*) quam diu moratus erat, diffidendo in conſiliis Cæſaris & ſemper diverſa iis quæ aliis placebant dicendo, *totam* (*o*) *victoriam ut ſuam interpretaretur*; audebatque denuntiare Cæſari, *excederet Sicilia.* Non ab Scipionibus aliiſque veteribus Romanorum ducum, quidquam auſum patratumque fortius, quam tunc à Cæſare. Quippe quum inermis & lacernatus eſſet, præter nomen nihil trahens, ingreſſus caſtra Lepidi, evitatis, quæ juſſu hominis praviſſimi tela in eum jacta (*p*) erant, quum lacerna ejus perforata eſſet lancea, Aquilam legionis rapere auſus eſt. Scires quid intereſſet inter duces. Armati inermem ſecuti ſunt; decimoque anno, quam ad diſſimillimam vitæ ſuæ potentiam (*q*) pervenerat Lepidus, & à militibus & à fortuna deſertus, pulloque velatus amiculo, inter ultimam confluentium ad Cæſarem turbam latens, genibus ejus advolutus eſt. Vita rerumque ſuarum dominium conceſſa ei ſunt. Spoliata quam tueri (*r*) non poterat dignitas.

M. Lepidus.

Vituperatur.

Cæſari, excederet Sicilia, denuntiat.

A Cæſare exercitu & imperio exuitur. U. C. 716. Ol. 185. a. C. N. 37.

Genibus Cæſaris advolutus.

CAP. LXXXI. Subita deinde exercitus ſeditio (qui plerumque contemplatus frequentiam ſuam, à diſciplina deſciſcit; & quod cogere ſe putat poſſe, rogare non ſuſtinet,) partim ſeveritate, partim liberalitate diſcuſſa principis. Specioſumque per id tempus adjectum ſupplementum Campanæ coloniæ. Ejus reditus erant publici: (*s*) pro his longe uberiores reditus duodecies ſeſtertiûm Creta inſula redditi, & aqua promiſſa, quæ hodieque ſingulare & ſalubritatis inſtar & amœnitatis ornamentum eſt. (9) Inſigne coronæ claſſicæ, quo nemo umquam Romanorum donatus erat, hoc bello Aprippa ſingulari virtute meruit. Victor deinde Cæſar reverſus in Urbem, contractas emptionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipſius, publicis ſe uſibus deſtinare profeſſus eſt: Templumque Apollini & circa porticus facturum

Seditio militum.

Diſcuſſa.

Campanæ coloniæ ſupplementum.

M. Agrippa corona claſſica donatus.

Cæſar victor bellorum civilium in Urbem redit & Remp. ordinat.

(*h*) al. Et Aruntium, ac Titium reſtituit &c. (*i*) al. Stajum. (*k*) al. Menotrades. (*l*) al. Jubillium. (*m*) al. fuſti. (*n*) al. inutilis alienæ victoriæ comes. (*o*) al. tutam. (*p*) al. acta. (*q*) al. quam ad (Diis ſimillima vita) potentiam &c. (*r*) al. intueri. (*s*) Ejus relicti erant publici.

(8) Præfectus eſt M. Agrippa) Ideo conſpicitur M. Agrippa in numi à Tito Imp. reſtituti parte adverſa, corona roſtrata ornatus, in parte averſa Neptunus ipſi Imperium maris porrigit. BEGER. Th. Br. T. II. pag. 595. PATIN. Fam. Rom. pag. 298.

(9) Inſigne coronæ claſſicæ. . . . . donatus erat) Refer huc numiſma num. 8. allegatum.

rum promisit, quod ab eo singulari exstructum munificentia est.

CAP. LXXXII. Qua æstate Cæsar tam prospere Lepidum in Sicilia, bene fortuna in Cæsare & republica militavit ad Orientem. (*t*) Quippe Antonius cum tredecim legionibus ingressus (*u*) Armeniam ac deinde Mediam, & per eas regiones Parthos petens, habuit regem eorum obvium. Primoque duas legiones, cum omnibus impedimentis tormentisque & Statiano legato amisit; mox sæpius ipse, cum summo totius exercitus discrimine, ea adiit pericula; quibus servari se posse desperaverat; amissaque non minus quarta parte militum, captivi cujusdam, sed Romani consilio ac fide est servatus. Qui clade Crassiani exercitus captus, quum fortunam non animum mutasset, accessit nocte ad stationem Romanam: prædixitque, *ne destinatum iter peterent, sed diverso silvestrique pervaderent.* Hoc M. Antonio atque illis (*x*) legionibus saluti fuit: de quibus tamen totoque exercitu haud minus pars quarta, ut prædiximus, militum; calonum servitiique desiderata tertia est; impedimentorum vix ulla superfuit. Hanc tamen Antonius fugam suam, quia vivus exierat, *Victoriam* vocabat. Qui tertia æstate reversus in Armeniam, regem ejus Artavasden, fraude deceptum catenis, sed ne quid honori (*y*) deesset, aureis vinxit. Crescente deinde & amoris in Cleopatram incendio, & virorum, quæ semper facultatibus licentiaque & assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ inferre constituit; quum ante, *Novum se* (10) *Liberum Patrem* appellari jussisset, quum redimitus hederis, coronaque velatus aurea, & thyrsum tenens cothurnisque succinctus, curru, velut Liber Pater vectus esset Alexandriæ.

Antonius Parthos petit. U.C. 716. Ol. 185. a. C. N. 37.

Ab iis clade afficitur.

Ægre servatur.

Artavasden Armeniæ regem dolo capit. U.C. 718. Ol. 186. a. C. N. 35.

Patriæ bellum inferre constituit.

Liberum Patrem se appellari jubet.

CAP. LXXXIII. Inter hunc apparatum belli, Plancus non judicio recta legendi, neque amore reipublicæ aut Cæsaris (quippe hæc semper impugnabat) sed morbo proditor, quum fuisset humillimus assentator reginæ, & infra servos cliens, quum Antonii librarius, quum obscœnissimarum rerum & auctor & minister, quum in omnia & omnibus (*z*) venalis, quum cæruleatus & nudus, caputque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus, Glaucum saltasset, in convivio refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem. Et idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur; dictitans, *id probatum à Cæsare*, cui ille ignoverat. Hunc mox avunculum (*a*) Titius imitatus est. Haud absurde Coponius, vir prætorius gravissimus, P. Silii socer, (*b*) quum recens transfuga, multa ac nefanda (*c*) Plancus absenti Antonio in Senatu objiceret: *Multa*, inquit, *mehercules fecit Antonius, pridie, quam tu illum relinqueres.*

L. Plancus describitur.

Transit ad Cæsarem.

Coponius.

Ejus dictum in Plancum transfugam.

CAP. LXXXIV. Cæsare deinde & Messalla Corvino Consulibus, debellatum apud Actium; ubi longe ante quam dimicaretur, exploratissima Julianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator, illa marcebant (*d*) omnia. Hinc remiges (*e*) firmissimi, illinc inopia affectissimi. Navium hinc magnitudo modica cum celeritate, adversa (*f*) illa, specie terribilior. (*g*) Hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem quotidie aliqui transfugiebant. (*h*) Denique in ore atque oculis Antonianæ classis per M. Agrippam Leucas expugnata, Patræ captæ, Corinthus occupata, bis ante ultimum discrimen classis hostium superata. Rex Amyntas meliora & utiliora secutus (nam Deillius (*i*) exempli sui tenax & illo bello) à Dollabella ad Cæsarem, (*k*) virque clarissimus Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium, numquam reginam, nisi nomine salutavit; maximo & præcipiti periculo transmisit (*l*) ad Cæsarem.

Actiaca pugna. U.C. 721. Ol. 187. a. C. N. 32.

Amyntas Rex ad Cæsarem transfugit.

Cn. Domitius ad Cæsarem transfugit.

CAP. LXXXV. Advenit deinde maximi discriminis dies, quo Cæsar Antoniusque productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere. Dextrum navium Julianarum cornu M. Lurio (*m*) commissum, lævum Aruntio, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium. Cæsar ei parti destinatus, in quam à fortuna vocaretur, ubique aderat: classis Antonii regimen Publicolæ Sosioque (*n*) commissum. At in terra locatum exercitum Taurus Cæsaris, Antonii regebat Canidius. Ubi initum certamen est, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera nihil præter milites. Prima occupat fugam Cleopatra; Antonius fugientis Reginæ, quam pugnantis militis sui, comes esse maluit; & imperator, qui in desertores sævire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Illis etiam detracto capite, in longum fortissime pugnandi duravit constantia; & desperata victoria in mortem dimicabatur. Cæsar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitansque & ostendens, *fugisse Antonium*, quærebat, *pro & cum quo pugnarent?* At illi quum diu pro absente dimicassent duce, ægre summissis armis cessere victoriam; citiusque vitam veniamque Cæsar promisit

Ordo pugnæ. In mari.

In terra.

Cleopatra prima fugam occupat.

Antonius sequitur.

Militum Antonii constantia.

Cedunt tandem victoriam Cæsari.

(*t*) al. Qua æstate Cæsar tam prospere in Lepidum in Sicilia, pene fortuna in Cæsarem & Remp. &c. (*u*) al. egressus. (*x*) al. Hoc M. Antonio acto illis &c. al. Hoc M. Antonio octo illis. (*y*) al. oneri. (*z*) al. & in omnibus. (*a*) al. Mox autem hunc avunculum. al. Mox autem hunc, mox avunculum &c. (*b*) al. vir prætorius, gravissimus pater, Silii socer. (*c*) al. miranda. (*d*) al. illam arcebant. al. in illa jacebant. (*e*) al. reges. (*f*) al. magnitudo modica, sed celerior adversa &c. (*g*) al. specie & terribilior. al. specie erat terribilior. (*h*) al. quotidie aliquid transfugiebat. (*i*) al. Dellius. (*k*) al. Secutus, nam de illis exemplis vitæ natura Dolabella ad Cæsarem. (*l*) al. transmisere. (*m*) al. M. Lario. (*n*) al. Sossioque.

(10) Liberum Patrem . . . . . cothurnisque succinctus) M. Antonii caput hedera coronatum, in corona è baccis, & hederæ foliis, vid. in nummo Tab. XVII. num. I. Qui numus à R. P. PANELLIO inter Cistophoros refertur, Tractatu de Cistophoris §. XII. pag. 68. quod in parte aversa exhibeatur cista mystica, cui caput Cleopatræ reginæ impositum. Adde BEGER. Th. Br. T. II. pag. 534. & OISEL. Th. num. antiqu. p. 81. Tab. XVI. num. I.

Veniamque impetrant.

promisit, quam illis, ut ea precarentur, persuasum est. Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. Ut dubites, suone, an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerat, qui ad ejus arbitrium direxit fugam. Idem locatus in terra fecit exercitus, quum se Canidius præcipiti fuga rapuisset ad Antonium.

Canidius fugit.

CAP. LXXXVI. Quid ille dies terrarum orbi præstiterit, ex quo in quem (o) statum pervenerit fortuna publica, quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat? Victoria vero fuit clementissima; nec quisquam interemptus, nisi paucissimi, & ii qui deprecari quidem pro se non sustinerent. Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumviratus sui, aut in campis Philippiis, (p) si licuisset (q) victoriæ suæ facturus fuerit triumphum. At Sosium L. Aruntii prisca (r) gravitate celeberrimi fides, mox diu clementia luctatus sua Cæsar, servavit incolumem. Non prætereatur Asinii Pollionis factum & dictum memorabile. Namque quum (s) se post Brundisinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset umquam reginam aut post enervatum amore ejus Antonii animum, partibus ejus se miscuisset, (t) rogante Cæsare, *ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum*; *Mea*, inquit, *in Antonium majora merita sunt*, *illius in me beneficia notiora*; *itaque discrimine vestro me subtraham*, *& ero præda victoris*.

Clementia Cæsaris Octavii.

Asinii Pollionis dictum & factum memorabile.

CAP. LXXXVII. Proximo deinde anno, (u) persecutus reginam Antoniumque Alexandriam, (x) ultimam bellis civilibus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter interemit, adeo ut multa desidiæ crimina morte redimeret. At Cleopatra, frustratis custodibus, illata aspide, morsu (y) sane ejus, expers muliebris metus spiritum reddidit. Fuitque & fortuna & clementia Cæsaris dignum, quod nemo ex iis qui contra eum arma tulerant, ab eo jussuve ejus interemptus. D. Brutum Antonii interemit crudelitas. Sex. Pompejum, ab eodem victum, idem Antonius, quum dignitatis quoque servandæ dedisset fidem, etiam spiritu privavit. Brutus & Cassius ante quam victorum experirentur animum, voluntaria morte obierunt. Antonii Cleopatræque quis fuisset exitus, narravimus. Canidius timidius decessit, quam professioni ejus, qua semper usus erat, congruebat. Ultimus autem ex interfectoribus Cæsaris, Parmensis Cassius mortem pœnas dedit, ut dederat Trebonius. (z)

Antonius se ipsum interimit.

Et Cleopatra. U.C. 722. Ol. 187. a. C. N. 31.

Nemo iussu Cæsaris interemptus.

Cassius Parmensis morte pœnas dat.

CAP. LXXXVIII. Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Cæsar imponit manum, M. Lepidus juvenis forma quam mente melior; Lepidi ejus, qui Triumvir fuerat reipublicæ constituendæ, filius; Junia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in Urbem revertisset, Cæsaris consilia inierat. Tunc Urbis custodiis præpositus C. Mæcenas, equestri sed splendido (a) genere natus, vir ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pene ultra feminam fluens: non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus: quippe vixit angusto clavo (b) pene contentus; nec minora (c) consequi potuit, sed non tam concupivit. Hic speculatus est per summam quietem ac dissimulationem præcipitis consilia juvenis, & mira celeritate nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium. Et ille quidem male consultorum pœnas exsolvit. Æquetur prædictæ Calpurniæ Antistii, Servilia Lepidi uxor, quæ vivo igni devorato, præmaturam mortem immortali nominis sui pensavit memoria. (d)

M. Lepidus filius.

Interficiendi Cæsarem consilia capit.

C. Mæcenas describitur.

Lepidum opprimit.

Serviliæ virile factum & fatum.

CAP. LXXXIX. Cæsar autem reversus in Italiam atque Urbem, quo occursu, quo (e) favore omnium hominum, ætatium, ordinum exceptus sit; quæ magnificentia triumphorum ejus, quæ fuerit munerum, ne in operis quidem iusti materia, nedum hujus tam recisi, digne exprimi potest. Nihil deinde optare à Diis homines, nihil Dii hominibus præstare possunt, nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus, post reditum in Urbem, reipublicæ Populoque Romano terrarumque orbi repræsentavit. (f) Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor; restituta vis legibus, judiciis auctoritas, Senatui majestas; imperium magistratuum ad pristinum redactum modum; tantummodo octo prætoribus allecti duo; prisca illa & antiqua reipublicæ forma revocata; (g) rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio; leges emendatæ utiliter, latæ salubriter; Senatus sine asperitate, nec sine severitate lectus. Principes viri triumphisque & amplissimis honoribus functi, hortatu Principis, ad ornandam Urbem illecti sunt. Consulatus tantummodo usque ad undecimum, quem continuaret Cæsar, quum sæpe obnitens repugnasset, impetrari potuit. Nam dictaturam, quam pertinaciter ei referebat populus, tam constanter repulit. Bella sub imperatore gesta, pacatusque victoriis terrarum orbis, & tot extra Italiam, domique opera, omne ævi sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigent. (h) Nos memores professionis, universam imaginem principatus ejus oculis animisque subjecimus.

Cæsar rediens in Urbem magnifice excipitur.

Felicitas publica sub Augusto.

Octavius dictaturam recusat.

CAP. XC. Sepultis, ut prædiximus, bellis civilibus, coalescentibusque reipublicæ membris, & coram altero, (i) quæ tam longa armorum series laceraverat: Dalmatia viginti & ducentos

Series rerum Cæs. Augusti.

Dalmatia subacta.

(o) al. ex eoque in quem &c. (p) al. Philippis. al. Philippicis. (q) al. Si sic licuisset. (r) al. facturus fuerit * * ad solium alarunt, in prisca &c. (s) al. Nam quum. (t) al. immiscuisset. (u) al. proximo anno. (x) al. Alexandream. (y) al. in morsu. (z) al. Tribonius. (a) al. equestris, & splendido &c. (b) al. angusti clavi. (c) al. nec majora. (d) al. præmatura morte immortalem nominis sui pensavit memoriam. (e) al. adque Urbem occursus, quo &c. (f) al. repræsentârit. al. representaverit. (g) al. renovata. (h) al. fatigans. (i) alii verba: & coram altero, tollunt.

tos rebellis, ad certam confessionem pacata est imperii; Alpes feris multisque nationibus celebres perdomitæ; Hispaniæ, nunc ipsius præsentia, nunc Agrippæ, quem usque in tertium consulatum, & mox collegium tribunitiæ potestatis, amicitia Principis evexerat, multo varioque Marte pacatæ. In quas provincias quum initio Scipione & Sempronio Longo Consulibus, primo anno secundi Punici, abhinc annos centum quinquaginta, Romani exercitus missi essent, duce Cn. Scipione Africani patruo, per annos ducentos in his multo mutuoque ita certatum est sanguine, ut amissis Populi Romani Imperatoribus exercitibusque, sæpe contumelia, etiam nonnunquam periculum Romano inferretur imperio. Illæ enim provinciæ Scipiones consumpserunt: illæ contumelioso viginti annorum bello sub duce Viriatho majores nostros exercuerunt; illæ terrore Numantini belli, Populum Romanum concusserunt. In illis turpe Q. Pompeji fœdus, turpiusque Mancini, Senatus cum ignominia dediti imperatoris rescidit: illa tot consulares, tot prætorios absumpsit duces, Patrumque ætate, in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium dijudicari non potuerit, (k) Hispanis Romanisne in armis plus esset roboris, & uter populus alteri pariturus foret. Has igitur provincias tam diffusas, tam frequentes, tam feras, ad eam pacem abhinc annos ferme quinquaginta perduxit Cæsar Augustus: ut, quæ maximis bellis, numquam vacaverant, eæ sub C. Antistio, ac deinde P. Silio legato, ceterisque postea etiam latrociniis vacarent.

[Margin: Hispaniæ Domitæ.] [Margin: Hispanorum olim virtus.]

CAP. XCI. Dum pacatur Occidens, ab Oriente ac Rege Parthorum signa Romana, quæ Crasso oppresso Orodes; quæ Antonio pulso filius ejus Phraates ceperant, AUGUSTO remissa sunt. (11) Quod cognomen illi viro Planci sententia consensus (l) universi Senatus Populique Romani indidit. Erant tamen, qui hunc felicissimum statum odissent. Quippe L. Murena, & Fannius Cæpio, diversis moribus (nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Cæpio & ante hoc erat pessimus) quum inissent occidendi Cæsaris consilia, oppressi auctoritate publica, quod vi facere voluerant, jure passi sunt. Neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori quam senatori propior, collecto in ædilitate favore populi, quem exstinguendis privata familia incendiis in diem auxerat, in tantum quidem, ut ei præturam continuaret, mox etiam consulatum petere ausus; quum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus; nec melior illi res familiaris quam mens foret; aggregatis simillimis sibi, interimere Cæsarem statuit, ut quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. Quippe ita se mores habent, *ut publica quisque ruina malit occidere, quam sua proteri, &c, idem passurus minus conspici.* Neque hic prioribus in occultando felicior fuit: abditusque (m) carceri, cum consciis facinoris, mortem dignissimam vita sua obiit.

[Margin: Signa à Parthis recepta.] [Margin: Cæsari Octavio cognomen AUGUSTI inditum. U. C. 725. Ol. 188. a. C. N. 28.] [Margin: Conspirationes in Augustum.] [Margin: Egnatius Rufus.] [Margin: Augustum interimere statuit.] [Margin: Sed in carcere obit.]

CAP. XCII. Præclarum excellentis viri factum C. Sentii Saturnini, circa ea tempora Consulis, ne fraudetur memoria. Aberat in ordinandis Asiæ Orientisque rebus Cæsar, circumferens terrarum orbi præsentia sua pacis suæ bona: tum Sentius forte & solus & absente Cæsare Consul quum alia, prisca severitate summaque constantia, vetere Consulum more ac severitate gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset avaritiam, regessisset in ærarium pecunias publicas, tum in comitiis habendis præcipuum egit Consulem. Nam & quæsturam petentes, quos indignos judicavit, profiteri vetuit; &, quum, id facturos se, perseverarent, consularem, si in campum descendissent, vindictam minatus est. Et Egnatium, florentem favore publico, sperantemque, ut præturam ædilitati, ita consulatum præturæ se juncturum, profiteri vetuit; & quum id non obtinuisset, juravit *etiam si factus esset Consul suffragiis populi, tamen se eum non renuntiaturum.* Quod ego factum cuilibet veterum Consulum gloriæ comparandum reor, nisi quod naturaliter, audita visis laudamus libentius; & præsentia invidia, præterita veneratione prosequimur; & his nos obrui, illis instrui credimus.

[Margin: C. Sentius Saturninus Consul.] [Margin: Ejus severitas.] [Margin: Egnatium coercet.] [Margin: Ejus factum præclarum.]

CAP. XCIII. Ante triennium fere quam Egnatianum scelus erumperet, circa Murenæ Cæpionisque conjurationis tempus, abhinc annos quinquaginta, M. Marcellus sororis Augusti Octaviæ filius, quem homines ita, si quid accidisset Cæsari, successorem potentiæ ejus arbitrabantur futurum, ut tamen id per M. Agrippam secure (n) ei posse contingere non existimarent; magnificentissimo munere ædilitatis edito, decessit, admodum juvenis; sane, ut ajunt, ingenuarum virtutum, (o) lætusque animi (p) & ingenii, fortunæque, in quam alebatur, capax. Post cujus obitum Agrippa, qui sub specie ministeriorum Principalium profectus in Asiam; ut fama loquitur, ob tacitas cum Marcello offensiones, præsenti se subduxerat tempori; reversus inde filiam Cæsaris Juliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit uxorem; feminam neque sibi neque reipublicæ felicis uteri.

[Margin: M. Marcellus spes Romæ.] [Margin: Moritur.] [Margin: M. Agrippa.] [Margin: Juliam Augusti filiam uxorem ducit. U. C. 742. Ol. 192. a. C. N. 11.]

CAP. XCIV. Hoc tractu temporum, Tib. Claudius Nero, quo bimo nato, (q) ut prædiximus, Livia Drusi Claudiani filia, despondente ei Nerone, (r) cui ante nupta fuerat, Cæsari nupserat, innutritus cœlestium præceptorum disciplinis, juvenis genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus, qui protinus quantus est sperari potuerat, visusque prætulerit principem; (s) Quæstor undevicesimum annum agens, capessere cœpit rempublicam, maximamque

[Margin: Tib. Claudius Nero.] [Margin: Laudatur.] [Margin: Quæstor factus.]

(k) al. poterit. (l) al. consensu. (m) al. addictusque. (n) al. securos. (o) al. sane ingenuarum, ut ajunt, virtutum. (p) al. lectusque animi. (q) al. quo primo nato. al. quo trimo nato. al. quo prius nato. (r) al. respondente Nerone. (s) al. visuque prætulerat principem.

(11) Quod cognomen) De hoc cognomine quæ annotavimus, vid. hoc Tomo pag. 53. num. (26)

mamque difficultatem annonæ ac rei frumentariæ inopiam, ita Oſtiæ atque in Urbe mandato vitrici moderatus eſt; ut per id, quod agebat, quantus evaſurus eſſet, eluceret. Nec multo poſt miſſus ab eodem vitrico cum exercitu ad viſendas ordinandaſque, quæ ſub Oriente ſunt, provincias, præcipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu editis, cum legionibus ingreſſus Armeniam, redacta ea in poteſtatem Populi Romani regnum ejus Artavasdi dedit. Cujus rex (*t*) quoque Parthorum tanti nominis fama territus, liberos ſuos ad Cæſarem miſit obſides.

In Orientem mittitur. U. C. 752. Ol. 194. a. C. N. 1.

Armeniam in poteſtatem P. R. redigit.

CAP. XCV. Reverſum inde Neronem, Cæſar haud mediocris belli molem experiri ſtatuit, adjutore operis dato fratre ipſius Druſo Claudio, quem intra Cæſaris penates enixa erat Livia. Quippe uterque, diviſis partibus Rhætos (*u*) Vindelicoſque adgreſſi, multis urbium & caſtellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutiſſimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum ſanguine, perdomuerunt. Ante quæ tempora cenſura Planci & Paulli acta inter diſcordiam, neque ipſis honori (*x*) neque reipublicæ uſui fuit: quum alteri vis cenſoris, alteri vita deeſſet: Paullus vix poſſet implere cenſorem, Plancus timere deberet, ne quidquam objicere poſſet adoleſcentibus aut objicientes audire, quod non agnoſceret ſenex.

Cum fratre Druſo Claudio.

Rhætos Vindelicoſque adgreditur.

Cenſura poſtrema Romæ.

CAP. XCVI. Mors deinde Agrippæ (qui novitatem ſuam multis rebus nobilitaverat, atque in hoc perduxerat, ut & Neronis eſſet ſocer; cujuſque liberos, nepotes ſuos, D. Auguſtus, præpoſitis Caji ac Lucii nominibus, adoptaverat) admovit propius Neronem Cæſari. Quippe filia ejus Julia, quæ fuerat Agrippæ nupta, Neroni nupſit. Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippa Marcoque Vinicio avo tuo, Conſulibus, magnum atroxque & perquam vicinum imminebat Italiæ, per Neronem geſtum eſt. Gentes Pannoniorum, Dalmatarumque (*y*) nationes, ſitumque regionum ac fluminum, numerumque & modum virium, excelliſſimaſque & multiplices eo bello victorias tanti imperatoris, alio loco explicabimus. Hoc opus ſervet formam ſuam. Hujus victoriæ compos Nero, ovans triumphavit.

Agrippa moritur.

Julia Neroni nubit.

Tiberius bellum Pannonicum gerit.

CAP. XCVII. Sed dum in hac parte imperii omnia geruntur proſperrime, accepta in Germania clades ſub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ quam recte faciendi cupidiore, & inter ſummam vitiorum diſſimulationem vitioſiſſimo; amiſſaque legionis quintæ Aquila vocavit ab Urbe in Gallias Cæſarem. Cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druſo Claudio fratri Neronis, adoleſcenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria perficit; (*z*) cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt. Morum certe dulcedo ac ſuavitas, & adverſus amicos æqua, ac par ſui æſtimatio inimitabilis fuiſſe dicitur. Nam pulchritudo corporis proxima fraternæ fuit. Sed illum, magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuſo ſanguine, fatorum iniquitas, Conſulem, agentem annum triceſimum, rapuit. Moles deinde ejus belli tranſlata in Neronem eſt, quod is ſua & virtute & fortuna adminiſtravit, peragratuſque victor omnes partes Germaniæ, ſine ullo detrimento commiſſi exercitus, quod præcipue huic duci ſemper curæ fuit; ſic perdomuit eam, ut in formam pene ſtipendiariæ redigeret provinciæ. Tum alter triumphus cum altero conſulatu, ei oblatus eſt.

M. Lollii ejusque exercitus in Germania clades.

Druſo Claudio cura Germanici belli delegata.

Druſus Claudius laudatur.

Moritur. U. C. 743. Ol. 192. a. C. N. 10.

Tiberio bellum Germanicum defertur.

Tiberius Germaniam domat.

Tiberii triumphus.

CAP. XCVIII. Dum ea, quæ prædiximus, in Pannonia Germaniaque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus ejus gentis nationibus in arma accenſis, L. Piſonis, quem hodieque diligentiſſimum atque eundem leniſſimum ſecuritatis urbanæ cuſtodem habemus, virtus compreſſit. Quippe legatus Cæſaris triennio cum his bellavit; genteſque ferociſſimas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in priſtinum pacis redegit modum; ejuſque patratione, Aſiæ ſecuritatem, Macedoniæ pacem reddidit. De quo viro hoc omnibus ſentiendum ac prædicandum eſt, eſſe mores ejus vigore (*a*) ac lenitate mixtiſſimos, & vix quemquam reperiri poſſe, qui aut otium validius diligat, aut facilius ſufficiat negotio, & magis, quæ agenda ſunt, curet ſine ulla oſtentatione agendi.

Bellum Thracicum.

L. Piſo comprimit. U. C. 741. Ol. 192. a. C. N. 12.

L. Piſo laudatur.

CAP. XCIX. Brevi interjecto ſpatio Tib. Nero, duobus conſulatibus totidemque triumphis actis, tribunitiæ poteſtatis conſortione æquatus Auguſto, civium poſt unum (& hoc, quia volebat) eminentiſſimus, ducum maximus; fama fortunaque celeberrimus, & vere alterum reipublicæ lumen & caput, mira quadam & incredibili atque inenarrabili pietate, (cujus cauſæ mox detectæ ſunt) quum C. Cæſar ſumpſiſſet jam virilem togam, Lucius item maturus eſſet viris, ne fulgor ſuus orientium juvenum obſtaret initiis, diſſimulata cauſa conſilii ſui, commeatum ab ſocero atque eodem vitrico, *acquieſcendi à continuatione laborum* petiit. Quis fuerit eo tempore civitatis habitus, qui ſingulorum animi, quæ digredientium à tanto viro omnium lacrymæ, quam pene ei patria manum injecerit, juſto ſervemus operi. Illud etiam in hoc tranſcurſu dicendum eſt, ita ſeptem annos Rhodi moratum, ut omnes, qui pro Conſulibus (*b*) legatique, in tranſmarinas profecti provincias, viſendi ejus gratia ad eum (*c*) convenientes, ſemper privato (ſi illa majeſtas privata umquam fuit) faſces ſuos ſummiſerint, faſſique ſint, *otium ejus honoratius imperio ſuo.*

Tiberius tribunitiam poteſtatem capit.

Tiberius cur Rhodum ſeceſſerit. U. C. 747. Ol. 193. a. C. N. 6.

CAP. C. Senſit terrarum orbis, digreſſum à cuſtodia Neronem Urbis. Nam & Parthus deſciſcens à ſocietate Romana adjecit Armeniæ manum, & Germania, averſis domitoris ſui oculis, rebellavit. At in Urbe, eo ipſo anno, quo magnificentiſſimi gladiatorii muneris naumachiæque ſpectaculis, D. Auguſtus abhinc annos triginta, ſe, & Gallo Caninio Conſulibus,

(*t*) al. Quum rex. (*u*) al. Rætos. (*x*) al. neque ipſi honori. (*y*) al. Delmatarumque (*z*) al. percipit. (*a*) al. rigore. (*b*) al. qui proconſules. (*c*) al. ad quem.

ſulibus dedicato Martis templo, animos oculoſque Populi Romani repleverat, fœda dictu memoriaque horrenda in ipſius domo tempeſtas erupit. Quippe filia ejus Julia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter poſſet femina, luxuria, libidine infectum reliquit; magnitudinemque fortunæ ſuæ peccandi licentia metiebatur; quidquid liberet, pro licito vindicans. (*d*) Tum Julus (*e*) Antonius, ſingulare exemplum clementiæ Cæſaris, violator ejus domus, ipſe ſceleris à ſe commiſſi ultor fuit; quem, victo ejus patre, non tantum incolumitate donaverat, ſed ſacerdotio, prætura, conſulatu, provinciis honoratum tum etiam matrimonio ſororis ſuæ filiæ, in artiſſimam affinitatem receperat. Quinctiuſque Criſpinus, ſingularem nequitiam ſupercilio truci protegens, & Appius Claudius & Sempronius Gracchus, ac Scipio, aliique minoris nominis, utriuſque ordinis viri, quaſi cujuslibet uxore violata, pœnas pependere; quum Cæſaris filiam & Neronis violaſſent conjugem. Julia relegata in inſulam, patriæque & parentum ſubducta oculis. Quam tamen comitata mater Scribonia, voluntarii (*f*) exilii permanſit comes.

Juliæ impudicitia.

Julus Antonius adulter in Julia.

Aliique in Julia adulteri.

Puniti.

Julia in Inſulam relegata.

CAP. CI. Breve ab hoc interceſſerat ſpatium, quum C. Cæſar ante aliis provinciis ad ſedandum obitis, (*g*) in Syriam miſſus, convento prius Tib. Nerone, cui omnem honorem, ut ſuperiori, habuit, tam varie ſe ibi geſſit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat, cum rege Parthorum juvene excelſiſſimo, in inſula (*h*) quam amnis Euphrates ambiebat, æquato utriuſque partis numero coiit. Quod ſpectaculum ſtantis ex diverſo hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, quum duo inter ſe eminentiſſima imperiorum & hominum coirent capita, perquam clarum & memorabile, ſub initia ſtipendiorum meorum, tribuno militum mihi viſere contigit. Quem militiæ gradum ante ſub patre tuo, M. Vinici, (*i*) & P. Silio auſpicatus, in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Aſiaque, & omnibus ad Orientem viſis provinciis; (*k*) & ore atque utroque maris Pontici latere, haud injucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Cajum in noſtra ripa, poſterior hic apud regem in hoſtili epulatus eſt.

C. Cæſar Agrippæ filius in Orientem. U.C.752. Ol. 194. a. C. N. 1.

Cum Rege Parthorum coit.

Vellejus Paterculus Trib. milit.

Colloquium cum Partho.

CAP. CII. Quo tempore (12) M. Lollii, quem veluti moderatorem juventæ filii ſui Auguſtus eſſe voluerat, perfida & plena ſubdoli ac verſuti animi conſilia, per Parthum indicata, Cæſaris fama vulgavit. (*l*) Cujus mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit ignoro. Sed quam hunc deceſſiſſe lætati homines, tam paullo poſt obiſſe Cenſorinum in iisdem provinciis, graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum. Armeniam deinde ingreſſus, prima parte introitus proſpere geſſit; mox in colloquium (cui ſe temere crediderat) circa Artageram graviter à quodam, nomine Adduo, vulneratus, ex eo, ut corpus minus habile, ita animum minus utilem reipublicæ habere cepit. Nec defuit converſatio hominum, vitia ejus aſſentatione alentium. Etenim ſemper magnæ fortunæ comes adeſt adulatio. Per quæ eo ductus erat, ut in ultimo ac remotiſſimo terrarum orbis angulo conſeneſcere, quam Romam regredi mallet. Deinde reluctatus, (*m*) invituſque revertens in Italiam, in urbe Lyciæ, (Limyram nominant) (*n*) morbo obiit; quum ante annum ferme L. Cæſar, (*o*) frater ejus, Hiſpanias petens Maſſiliæ (*p*) deceſſiſſet.

M. Lollii perfida conſilia.

Et mors.

C. Cæſar ab Adduo per inſidias vulneratur.

Moritur.

Uti & Lucius frater ejus.

CAP. CIII. Sed fortuna, quæ ſubduxerat ſpem magni nominis, jam tum reipublicæ ſua præſidia reddiderat. Quippe ante utriuſque horum obitum, patre tuo P. Vinicio Conſule Tib. Nero, reverſus Rhodo, incredibili lætitia patriam repleverat. Non eſt diu cunctatus Cæſar Auguſtus. Neque enim quærendus erat, quem legeret; (*q*) ſed legendus, qui eminebat. Itaque, quod poſt Lucii mortem adhuc Cajo vivo facere voluerat, atque vehementer (*r*) repugnante Nerone erat inhibitus, poſt utriuſque adoleſcentium obitum facere perſeveravit, ut & tribunitiæ poteſtatis conſortionem Neroni conſtitueret, multum quidem eo quum domi, tum in Senatu recuſante, & eum Ælio Cato & Sentio Conſulibus, (*s*) quinto Kalendas Julias, poſt Urbem conditam annis ſeptingentis quinquaginta quatuor; abhinc annis viginti ſeptem, (*t*) adoptaret. Lætitiam illius diei, concurſumque civitatis, & vota pene inſerentium cœlo manus, ſpemque conceptæ perpetuæ ſecuritatis, æternitatiſque Romani imperii, vix in illo juſto opere abunde perſequi poterimus, nedum hic implere tentemus. Id unum dixiſſe juvat, quam ille omnibus fuerit carus. Tum refulſit certa ſpes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus ſalutis, quietis, pacis, tranquillitatis; adeo, ut nec plus ſperari potuerit, nec ſpei reſponderi felicius.

Tiberius Nero Rhodo Romam revertitur. U. C. 755. poſt C. N. 3.

Ab Auguſto adoptatur. U. C. 758. poſt C. N. 6.

CAP. CIV. Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, quem poſt mortem Agrippæ Julia enixa erat. Sed in Neronis adoptione illud adjectum, his ipſis Cæſaris verbis: *Hoc*, inquit, *reipublicæ cauſa facio.* Non diu vindicem

M. Agrippa adoptatus.

(*d*) al. judicans. (*e*) al. Julius. (*f*) al. voluntaria. (*g*) al. adſidendum obitis. al. ad viſendum obitis. (*h*) al. juvene excelſiſſimæ inſulæ, &c. (*i*) al. M. Vinicio. (*k*) al. ad Orientem verſus provinciis. (*l*) al. Cæſaris ira evulgavit. al. Cæſaris jam vulgavit. (*m*) al. Diu reluctatus. (*n*) al. Limyra nominant. (*o*) al. ferme quinquageſimum Cæſar. (*p*) al. Maſſilia. (*q*) al. legerat. (*r*) al. eoque vehementer. (*s*) al. Ælio Cato Sentio Conſule. al. Ælio Cato, Sentioque Coſſ. (*t*) al. XXVI.

(12) M. Lollii) Lolliam gentem plebejam fuiſſe nemo ignorat. Hujus gentis duo Cimeliarchii noſtri Numiſmata rarioris notæ ideo Tab. XVII. num. 2. & 3. apponere lubuit, quia de eorum Auctoribus multum varieque inter Antiquarios diſceptatur. De priori res obſcura eſt, quod nullum in eo cognomen apparet. Poſterius quod attinet, ſequimur Cl. BEGERI ſententiam Th. Br. T. III. p. 80. putantis: Ideo Dianæ effigiem, ſacratumque ei cervum in illo cerni, quod L. Lollius vel Dianæ templum ædificaverit, vel ludos ei ediderit, Sæcularibuſque præfuerit. Add. PATIN. Fam. Rom. pag. 158. & 159.

cem cuſtodemque imperii ſui morata in Urbe patria, protinus in Germaniam miſit; ubi ante triennium ſub M. Vinicio, avo tuo, clariſſimo viro, immenſum exarſerat bellum. Erat & ab eo (*u*) quibusdam in locis geſtum, quibusdam ſuſtentatum feliciter, eoque nomine decreta ei tum ſpecioſiſſima inſcriptione operum ornamenta triumphalia. Hoc tempus me functum ante tribunatu caſtrorum, Tib. Cæſaris militem fecit. Quippe protinus ab adoptione miſſus cum eo præfectus equitum in Germaniam, ſucceſſor officii patris mei, cœleſtiſſimorum ejus operum per annos continuos novem præfectus aut legatus, ſpectator & pro captu mediocritatis meæ adjutor fui. Neque illi ſpectaculo, quo fructus ſum, (*x*) ſimile condicio mortalis recipere videtur mihi; quum per celeberrimam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ provinciarum, veterem imperatorem, & ante meritis ac viribus, quam nomine, Cæſarem reviſentes, ſibi quiſque quam illi gratularentur plenius. At vero militum conſpectu ejus elicitæ gaudio lacrymæ, alacritaſque & ſalutationis nova quædam exultatio, & contingendi manum cupiditas, non continentium protinus, quin adjicerent; *Videmus te, Imperator, ſalvum recepimus:* ac deinde, *Ego tecum, Imperator, in Armenia; ego in Rhætia fui; ego à te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germaniâ donatus ſum.* Neque verbis exprimi, & fortaſſe vix mereri fidem poteſt.

Tib. Nero in Germaniam mittitur.

Vellejus cum eo.

Cum gaudio à militibus excipitur.

CAP. CV. Intrata protinus Germania, ſubacti Caninefates, Attuarii, (*y*) Bructeri, recepti Cheruſci gentes, & amnis, mox noſtra clade nobilis, tranſitus Viſurgis: penetrata ulteriora. Quum omnem partem aſperrimi & perículoſiſſimi belli Cæſar vindicaret; in iis quæ minoris erant diſcriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris ejus in Germania fuerat, præfeciſſet; virum multiplicem in virtutibus, (*z*) navum, agilem, providum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter, ſed eundem, ubi negotia feciſſent locum otio, liberaliter lauteque eo abutentem; ita tamen, ut eum ſplendidum ac hilarem potius, quam luxurioſum aut deſidem diceres. De cujus viri claro celebrique conſulatu prædiximus. Anni ejus æſtiva uſque in menſem Decembrem perducta, (*a*) immanis emolumentum fecere victoriæ. Pietas ſua Cæſarem, pene obſtructis hieme Alpibus, in Urbem traxit: ad tutelam imperii (*b*) eum veris initio reduxit in Germaniam; in cujus mediis finibus, ac caput Juliæ (*c*) fluminis, hiberna digrediens princeps locaverat.

Germanicæ gentes ſubactæ.

Sentius Saturninus.

CAP. CVI. Pro Dii boni, quanti voluminis opera inſequenti æſtate, ſub duce Tiberio Cæſare, geſſimus! Perluſtrata armis tota Germania eſt. Victæ gentes, pene nominibus incognitæ. Receptæ Cauchorum nationes. Omnis eorum juventus, infinita numero, immenſa corporibus, ſitu locorum tutiſſima, traditis armis, una cum ducibus ſuis, ſepta fulgenti armatoque militum noſtrorum agmine, ante imperatoris procubuit tribunal. Fracti Langobardi; (*d*) gens etiam Germana feritate ferocior: denique quod numquam antea ſpe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringenteſimum miliarium, à Rheno uſque ad flumen Albim, qui Semnonum (*e*) Hermundorumque fines præterfluit, Romanus cum ſignis perductus exercitus: & eodem, mira felicitate & cura ducis, temporum quoque obſervantia, claſſis quæ Oceani circumnavigaverat ſinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi ſubvecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantiſſima rerum omnium copia exercitui Cæſarique ſe junxit.

Cauchi.

Langobardi.

Albis fluvius.

CAP. CVII. Non tempero mihi, quin tantæ rerum magnitudini hoc, qualecumque eſt, inſeram. Quum citeriorem ripam prædicti fluminis caſtris occupaſſemus, & ulterior armata hoſtium juventute fulgeret, ſub omnem motum noſtrarum navium protinus fugientium, unus è barbaris, ætate ſenior, corpore excellens, dignitate, quantum oſtendebat cultus, eminens, cavatum ut illis mos eſt, ex materia conſcendit alveum, ſoluſque id navigii genus temperans, ad medium proceſſit fluminis; & petiit, (*f*) *liceret ſibi, ſine periculo, in eam quam armis tenebamus* (*g*) *egredi ripam, ac videre Cæſarem.* Data petenti facultas. (*h*) Tum appulſo lintre, & diu tacitus contemplatus Cæſarem, *Noſtra quidem*, inquit, *furit juventus, quæ quum veſtrum numen abſentium colat, præſentium potius arma metuit, quam ſequitur fidem. Sed ego beneficio ac permiſſu tuo, Cæſar, quos ante audiebam, hodie vidi Deos: nec feliciorem ullum vitæ meæ aut optavi aut ſenſi diem.* Impetratoque, (*i*) ut manum contingeret, reverſus in naviculam, ſine fine reſpectans Cæſarem, ripæ ſuorum appulſus eſt. Victor omnium gentium locorumque quos adierat Cæſar, cum incolumi inviolatoque & ſemel tantummodo, magna cum clade hoſtium, fraude eorum tentato exercitu, in hiberna legiones reduxit; eadem qua priore anno feſtinatione Urbem petens.

Germani cujusdam factum peculiare.

Tiberius victor omnium gentium quas adiit.

CAP. CVIII. Nihil erat jam in Germania, quod vinci poſſet, præter gentem Marcomannorum; quæ Maroboduo duce, excita ſedibus ſuis, atque in interiora (*k*) refugiens, incinctos Herciniæ ſilvæ campos incolebat. Nulla feſtinatio hujus viri mentionem tranſgredi debet. Maroboduus, genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium neque fortuitum, neque mobilem & ex voluntate parentium (*l*) conſtantem inter ſuos occupavit principatum, ſed certum imperium, vimque regiam complexus animo, ſtatuit, avocata procul à Romanis gente ſua, eo progredi: ubi quum propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima. Occupatis igitur, quos prædiximus, (*m*) locis, finitimos omnes aut

Marcomanni.

Maroboduus dux.

Laudatur.

Ejus progreſſus & potentia.

(*u*) al. Id ab eo. (*x*) al. quo fruitus ſum. (*y*) al. Chattuarii. (*z*) al. virum multiplicem virtutibus. (*a*) al. producta. (*b*) al. at tutela imperii &c. (*c*) al. Lupiæ. (*d*) al. Longobardi. (*e*) al. Senonum. (*f*) al. ut ad medium proceſſit fluminis, petiit. (*g*) al. *tendebamus.* (*h*) al. Data à Cæſare petenti facultas. (*i*) al. Imperatoque. (*k*) al. inferiora. (*l*) al. parentum. (*m*) al. quis prædiximus.

aut bello domuit, aut conditionibus juris ſui fecit.

CAP. CIX. Corpus ſuum cuſtoditum, (*n*) imperium perpetuis exercitiis pene ad Romanæ diſciplinæ formam redactum, brevi in eminens & noſtro quoque imperio timendum perduxit faſtigium; gerebatque ſe ita adverſus Romanos, ut neque bello nos laceſſeret, & ſi laceſſeretur, ſupereſſe ſibi vim ac voluntatem reſiſtendi declararet. Legati (*o*) quos mittebat ad Cæſares, interdum ut ſupplicem commendabant; interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibuſque à nobis deſciſcentibus erat apud eum perfugium; totumque (*p*) ex male diſſimulato agebat æmulum: exercitumque quem ſeptuaginta (*q*) millium peditum, quatuor equitum fecerat, aſſiduis adverſus finitimos bellis exercendo, majori quam quod habebat operi præparabat. Eratque etiam eo timendus, quod, quum Germaniam ad lævam, & in fronte Pannoniam ad dextram, à tergo ſedium ſuarum haberet Noricos, tamquam in omnes ſemper venturus, ab omnibus timebatur. Nec ſecuram incrementi ſui patiebatur eſſe Italiam: quippe quum à ſummis Alpium jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium ejus (*r*) finium haud multo plus ducentis millibus paſſuum abeſſet. Hunc virum & hanc regionem proximo anno diverſis è partibus Tib. Cæſar aggredi ſtatuit. Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, exciſis continentibus Herciniæ ſilvis, legiones Bojohœmum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt) duceret: ipſe à Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico manebat, ducere in Marcomannos orſus eſt.

Ejus ditio & fines.

Tiberius Nero Maroboduum aggreditur.

Carnuntum oppidum.

CAP. CX. Rumpit, interdum moratur propoſita hominum Fortuna. Præparaverat jam hiberna Cæſar ad Danubium, admotoque exercitu non plus quam quinque dierum iter à primis hoſtium, Saturninum admoveri (*s*) placuerat * pene (*t*) æquali diviſæ intervallo ab hoſte, intra paucos dies in prædicto loco cum Cæſare juncturæ erant; cum univerſa (*u*) Pannonia inſolens longe pacis bonis, & adulta (*x*) viribus Dalmatia, omnibus tractus ejus gentibus in ſocietatem adductis, ex conſtituto arma corripuit. Tum neceſſaria glorioſis præpoſita: neque tutum viſum, abdito in interiora exercitu, vacuam tam vicino hoſti relinquere Italiam. Gentium nationumque, quæ rebellaverant, omnis numerus amplius octingentis millibus (*y*) explebat. Ducenta fere peditum colligebantur, armis habilia; equitum novem. Cujus immenſæ multitudinis, parentis acerrimis (*z*) ac peritiſſimis ducibus, pars petere Italiam decreverat, (*a*) junctam ſibi Nauporti ac Tergeſtis confinio; pars in Macedoniam eruperat; (*b*) pars ſuis ſedibus præſidium eſſe deſtinaverat. Proxima duobus Batonibus ac Pinneti, ducibus auctoritas erat. In omnibus autem Pannoniis non diſciplinæ tantummodo, ſed linguæ quoque notitia Romanæ: pleriſque etiam literarum uſus & familiaris animorum erat exercitatio. Itaque hercules nulla umquam natio tam mature conſilio belli bellum junxit ac decreta patravit. Oppreſſi cives Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum numerus ad internecionem, ea in regione, quæ plurimum ab Imperatore aberat, cæſus. Occupata armis Macedonia; omnia & in omnibus locis igni ferroque vaſtata: quin (*c*) tantus etiam hujus belli metus fuit, ut ſtabilem illum & firmatum (*d*) tantorum bellorum experientia, Cæſaris Auguſti animum quateret atque terreret.

Pannonia rebellat & Dalmatia. U. C. 760. poſt C. N. 8.

Bato & Pinnetes Pannonum duces.

Pannonum progreſſus.

Terribiles Romanis.

CAP. CXI. Habiti itaque delectus, revocati undique omnes (*e*) veterani, viri feminæque ex cenſu libertinum coactæ dare militem. Audita in Senatu vox principis, *Decimo die, ni caveretur, poſſe hoſtem in Urbis Romæ venire conſpectum.* Senatorum equitumque Romanorum exactæ ad id bellum operæ pollicitæ. Omnia hæc fruſtra præparaſſemus, niſi qui illa regeret fuiſſet. Itaque ut præſidium militum, reſpublica ab Auguſto ducem in bellum popoſcit Tiberium. Habuit in hoc quoque bello mediocritas noſtra ſpecioſi miniſtri (*f*) locum. Finita equeſtri militia, deſignatus quæſtor, nec dum ſenator æquatus ſenatoribus, etiam deſignatus tribunus plebis (*g*) partem exercitus ab Urbe, traditi ab Auguſto, perduxi ad filium ejus. In quæſtura deinde, remiſſa ſorte provinciæ, legatus ejuſdem ad eundem miſſus, quas nos primo anno acies hoſtium vidimus? quantis prudentia ducis opportunitatibus, furentes eorum vires (*h*) univerſas evaſimus (*i*) partibus? (*k*) quanto cum temperamento ſimul utilitatis res auctoritate Imperatoris agi vidimus? qua prudentia hiberna diſpoſita ſunt? quanto opere incluſus cuſtodiis exercitus noſtri, ne qua poſſet erumpere, inopſque copiarum & intra ſe furens, viribus hoſtis elangueſceret?

Tiberius in eos miſſus.

Vellejus Paterculus cum eo.

CAP. CXII. Felix eventu, forte conatu, prima æſtate belli Meſſallini opus mandandum eſt memoriæ. Qui vir animo etiam quam gente nobilior, digniſſimus qui & patrem Corvinum habuiſſet, & cognomen ſuum Cottæ fratri relinqueret, præpoſitus Illyrico, ſubita rebellione, cum ſemiplena legione viceſima circumdatus hoſtili exercitu, amplius viginti millia hoſtium fudit fugavitque, & ob id ornamentis triumphalibus honoratus eſt. Ita placebat barbaris numerus ſuus, ita fiducia virium, ut ubicumque Cæſar eſſet, nihil in ſe reponerent. Pars exercitus eorum propoſita (*l*) ipſi duci, & ad

Meſſallini opus egregium.

M

(*n*) al. cuſtodiæ tum. al. cuſtodia tutum. al. cuſtodia tum. (*o*) al. Ut neque bello nos laceſſeretur ſupereſſe ſibi vim ac voluntatem reſiſtendi * * Legati &c. (*p*) al. tutumque. al. in totumque. (*q*) al. LX. (*r*) al. cujus. (*s*) al. admoneri. (*t*) al. placuerat, cujus copiæ pene æquali. (*u*) al. tum univerſa. (*x*) al. & adjuta. (*y*) al. DCCC. millia. (*z*) al. Cujus immenſæ multitudinis pars acerrimis. (*a*) al. properare in Italiam decreverat. (*b*) al. effuderat. al. ſe effuderat. (*c*) al. quia. (*d*) al. formatum. al. fortunatum. (*e*) al. undique & omnes. (*f*) al. miniſterii. (*g*) al. etiam deſignatis tribunis plebis. al. tribunus militum. (*h*) al. furentes in eum vires. (*i*) al. invaſimus. (*k*) al. artibus. (*l*) al. oppoſita.

& ad arbitrium utilitatemque nostram macerata, perductaque ad exitiabilem famem, neque instantem sustinere, neque facientibus (*m*) copiam pugnandi dirigentibusque aciem (*n*) ausa congredi, occupato monte Claudio, munitione se defendit. At ea pars, (*o*) quæ obviam se effuderat exercitui, quem A. Cæcina, & Silvanus Plautius consulares ex transmarinis adducebant provinciis, circumfusa quinque legionibus nostris auxiliaribusque & equitatu regio (quippe magnam Thracum manum junctus prædictis ducibus Rhœmetalces (*p*) Thraciæ rex in adjutorium (*q*) ejus belli secum trahebat) pene exitiabilem omnibus cladem intulit. Fugata (*r*) regiorum equestris acies, fugatæ alæ, conversæ cohortes sunt. Apud signa quoque legionum trepidatum, sed Romana virtus militi (*s*) plus eo tempore vindicatum gloriæ, quam ducibus, reliquit: qui, multum à more imperatoris (*t*) sui discrepantes, ante in hostem inciderunt, quam per exploratores, ubi hostis esset, cognoscerent. Jam igitur in dubiis rebus semetipse legiones adhortatæ, jugulatis ab hoste quibusdam tribunis militum, interempto præfecto castrorum, præfectisque cohortium, non incruentis centurionibus, quibus etiam primi (*u*) ordines cecidere, invasere hostes: nec sustinuisse contenti, perrupta eorum acie, ex insperato victoriam vindicaverunt. Hoc fere tempore Agrippa, qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab avo suo naturali erat, & jam ante biennium, qualis esset, apparere ceperat, mira pravitate animi atque ingenii in præcipitia conversus, patris atque ejusdem avi sui animum alienavit sibi; moxque, crescentibus in dies vitiis, dignum furore suo habuit exitum.

Pannonii fame pressi.

Alibi Romanos premunt.

Agrippæ Postumi vitia.

CAP. CXIII. Accipe nunc, M. Vinici, tantum in bello ducem, quantum in pace vides principem. Junctis exercitibus, quique sub Cæsare fuerant, quique ad eum venerant, contractisque in una castra decem legionibus, septuaginta amplius cohortibus, quatuordecim, sed pluribus, (*x*) quam decem veteranorum millibus, ad hoc magno voluntariorum numero, frequentique equite regio; tanto denique exercitu, quantus nullo umquam loco post bella fuerat civilia, omnes eo ipso læti erant, maximamque fiduciam victoriæ in numero reponebant. At imperator optimus eorum quæ agebat judex, & utilia speciosis præferens, quodque semper eum facientem vidi, in omnibus bellis, quæ probanda essent, non quæ utique probarentur sequens, paucis diebus exercitum qui venerat, ad refovendas ex itinere ejus vires, moratus; quum eum majorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit: prosecutusque longo & perquam laborioso itinere, cujus difficultas narrari vix potest, ut neque universos quisquam auderet aggredi, & partem digredientium suorum quisque metu finium universi tentare non possent, remisit eo unde venerant, & ipse asperrimæ hiemis initio regressus Vestiam, (*y*) legatos inter quos ipsi fuimus, partitis præfecit hibernis.

Tiberii Neronis exercitus.

Valde magnus.

Dimittitur ut inhabilis.

CAP. CXIV. O rem dictu non eminentem, sed solida veraque virtute atque utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate singularem! Per omne belli Germanici Pannonicique tempus, nemo è nobis gradumve nostrum aut præcedentibus aut sequentibus, imbecillus fuit, cujus salus ac valetudo non ita sustentaretur Cæsaris cura, tamquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum junctum vehiculum; lectica ejus publicata, cujus beneficium (*z*) quum alii, tum ego sensi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum balinei, nullius non succurrit valetudini. Domus tantum ac domestici deerant; ceterum nihil, quod ab illis (*a*) aut præstari aut desiderari posset. Adjiciam illud, quod, quisquis illis temporibus interfuit, ut alia quæ retuli agnoscat (*b*) protinus. Solus semper equo vectus est; solus cum iis, quos invitaverat, majore parte æstivarum expeditionum, cœnavit sedens; non sequentibus disciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignovit; admonitio frequens inerat, & castigatio, vindicta rarissima: (*c*) agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. (*d*) Hiems emolumentum patrati belli contulit. Sed insequenti (*e*) æstate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pacem petiit. Ferocem illam tot millium juventutem, paullo ante servitutem minatam Italiæ, conferentem arma, quibus usa erat, apud flumen nomine Bathinum, prosternentemque se universam genibus Imperatoris, Batonemque & Pinnetem excelsissimos duces, captum alterum, alterum deditum, (*f*) justis voluminibus ordine narrabimus, ut spero. Autumno victor in hiberna reducitur exercitus, cujus omnibus copiis à Cæsare M. Lepidus (*g*) præfectus est, vir nominis ac fortunæ eorum (*h*) proximus; quem in quantum quisque aut cognoscere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum, quibus ortus est, ornamentum judicat.

Humanitas Tiberii.

Ejus cura & amor erga milites.

Tiberius Pannoniam pacat; U.C. 760. post C.N. 8.


M. Lepidus copiis præficitur.

CAP. CXV. Cæsar ad alteram belli Delmatici molem animum atque arma contulit. In qua regione quali adjutore legatoque fratre meo, Magio Celere Vellejano usus sit, ipsius patrisque ejus prædicatione testatum est, & amplissimorum honorum, (*i*) quibus triumphans eum Cæsar donavit, signat memoria. Initio æstatis Lepidus, educto hibernis exercitu, per gentes integras (*k*) immunesque adhuc

Bellum Delmaticum.

(*m*) al. neque ut facientibus. (*n*) al. dirigentibus etiam &c. (*o*) al. antea pars. (*p*) al. Mœtalces. (*q*) al. auxiliaribusque & equitatu regio, quippe magna vinctus prædictis ducibus Rhomo & Alces Thraciæ rex in adjutorium &c. (*r*) al. fuga. (*s*) al. militis. (*t*) al. qui multum amore Imperatoris. (*u*) al. quin etiam primi. al. qui etiam primi. (*x*) al. quatuordecim alis, sed pluribus. al. & pluribus. (*y*) al. Sistiam. (*z*) al. usum. (*a*) al. ab ullis. (*b*) al. agnoscet. (*c*) al. amarissima. (*d*) al. plurima dissimulans, aliqua inhibens. (*e*) al. & insequenti. (*f*) al. captum alterum à se deditum. (*g*) al. copiis Cæsarem Lepidus &c. (*h*) al. suorum. (*i*) al. donorum. (*k*) al. pergentis in integras.

Tabul. XVII.
ad pag. 83. 87. 91



huc clade belli, & eo feroces ac truces, tendens ad Tiberium Imperatorem, & cum difficultate locorum & cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsistentium, excisis agris, exustis ædificiis, cæsis viris, lætus victoria, prædaque onustus, pervenit ad Cæsarem; & ob ea, quæ si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus, consentiente cum judicio principum voluntate Senatus, donatus est. Illa æstas maximi belli consummavit effectus. Quippe Daorisi & Desitiates Delmatæ, (*l*) situ locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scientia & præcipue angustiis saltuum pene inexpugnabiles, non jam ductu, sed manibus atque armis ipsius Cæsaris tum demum pacati sunt, quum pene funditus eversi forent. Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre majus aut mirari magis potui, quam quod Imperatori numquam adeo ulla opportuna visa est victoriæ occasio, quam damno amissi pensaret militis. Semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum; & ante conscientiæ quam famæ, consultum; nec umquam consilia ducis judicio exercitus, sed exercitus providentia ducis rectus est.

M. Lepidus ornamentis triumphalibus donatus.

Delmatæ subacti. U. C. 761. post C. N. 9.

CAP. CXVI. Magna in bello Delmatico (*m*) experimenta virtutis in multos ac difficiles locos præmissus Germanicus dedit, celebris etiam opera diligenti (*n*) Q. Julius Postumus, (*o*) vir consularis, præpositus Delmatiæ, ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Passienus & Cossus, viri quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant. Sed Cossus victoriæ testimonium etiam in cognomen filii contulit, adolescentis in omnium virtutum exempla geniti. At Postumi operum L. Apronius particeps, illa quoque militia eos, quos mox consecutus est, honores excellenti virtute meruit. Utinam non majoribus experimentis testatum esset, quantum in omni re Fortuna posset; sed in hoc quoque genere abunde agnosci vis ejus potest: nam & Sejanus vir antiquissimi moris, & priscam gravitatem semper humanitate temperans, in Germania, Illyricoque, & mox in Africa, splendidissimis functus ministeriis, non merito, sed materia adipiscendi triumphalia defectus est. Et (13) A. Licinius Nerva Silianus, P. Silii filius, quem virum, ne qui intellexit quidem, abunde miratus est, ne nihil optimo (*p*) civi, simplicissimo duci perisset, præreptus immature & fructu amplissimæ principis amicitiæ (*q*) & consummatione evectæ in altissimum paternumque fastigium imaginis defectus est. Horum (*r*) virorum mentione (*s*) si quis quæsisse me dicet locum, fatentem arguet. Neque enim justus sine mendacio candor apud bonos crimini est.

Q. Julius Postumus ornamenta triumphalia meretur.

L. Apronii virtus.

Sejani laus.

A. Licinii Nervæ Siliani laus.

CAP. CXVII. Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico ac Delmatico bello Cæsar manum, quum intra quinque consummati tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ: cæsi Vari, trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum, & sex cohortium. Velut in hoc saltem tantummodo indulgente nobis fortuna, ne occupato duce, * & (*t*) causa persona moram exigit. (*u*) Varus Quinctilius illustri magis quam nobili ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore & animo (*x*) immobilior, otio magis castrorum quam bellicæ assuetus militiæ; pecuniæ vero quam non contemptor, Syria cui præfuerat declaravit; quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit: is quum exercitui, qui erat in Germania præesset, concepit esse homines qui nihil præter vocem membraque haberent hominum; quique gladiis domari non poterant, posse jure mulceri. Quo proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdictionibus, agendoque pro tribunali ordine, trahebat æstiva.

Vari cædes in Germania. U. C. 760. p. C. N. 8.

Varus Quinctilius describitur.

Varianæ cladis origo.

CAP. CXVIII. At illi, quod nisi expertus vix credebat, in summa feritate versutissimi, natumque mendacio genus, simulantes fictas litium series, & nunc provocantes (*y*) alter alterum injuria, (*z*) nunc agentes gratias, *quod eas Romana justitia finiret, feritasque sua novitate incognitæ disciplinæ mitesceret*, (*a*) *& solita armis discerni jure terminarentur*, in summam socordiam perduxere Quinctilium, usque eo, ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Tum juvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra (*b*) barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis ejus filius, ardorem animi vultu oculisque præferens, assiduus militiæ nostræ prioris comes, & jam civitatis (*c*) Romanæ jus equestremque consecutus gradum, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est; haud imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret; & frequentissimum initium esse calamitatis, Securitatem. Primo igitur paucos, mox plures in societatem consilii recipit; *opprimi posse Romanos*, & dicit & persuadet; decretis facta jungit; tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum ejus gentis fidelem clarique nominis Segesten indicatur. Sed prævalebant jam fata consiliis, omnemque animi ejus aciem præstinxerant. (*d*) Quippe ita se res habet, ut plerumque, qui fortunam mutaturus est, (*e*) consilia

Germanorum vafrities.

Arminius in Varum conjurat.

Varianæ cladis causæ.

Segestes Varo conjuratos indicat.

(*l*) al. Dalmatæ. (*m*) al. Dalmatico. (*n*) al. opera diligentiaque. (*o*) al. Postumius. (*p*) al. ne nihil non optimo &c. (*q*) al. periisset, præferens immatura, & fructu amplissima principis amicitiæ &c. (*r*) al. Quorum. (*s*) al. mentioni. (*t*) al. sed. (*u*) alii hunc locum sic supplent: ne occupato duce sævirent. Sed causa & persona moram exigit. (*x*) al. & corpore & animo. al. ut corpore ita animo. (*y*) al. procaces. (*z*) al. injuriis. (*a*) al. *mutesceret.* (*b*) al. & ultra. (*c*) al. etiam civitatis. (*d*) al. indicatur. Postulabat etiam fata consiliis, omnemque animi ejus aciem præstruxerat. (*e*) al. cui fortunam mutaturus Deus.

(13) A. Licinius Nerva Silianus) Hujus A. Licinii Nervæ Siliani nummum sub Augusto cusum producimus Tab. XVII. num. 4. PATIN. Fam. Rom. pag. 151.

consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, ut quod accidit id etiam (*f*) merito accidisse videatur, & casus in culpam (*g*) transeat. Negat itaque *se credere, spemque in se benevolentiæ ex merita* (*h*) *æstimare* profitetur. Nec diutius, post primum indicem, secundo relictus locus.

Vari securitas & incuria.

Series Varianæ cladis.

CAP. CXIX. Ordinem atrocissimæ calamitatis, qua nulla, post Crassi (*i*) in Parthis damnum, in externis gentibus gravior Romanis fuit, justis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere. Nunc summa deflenda est. Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, Marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventus; quum ne pugnandi quidem egregie occasio (*k*) in quantum voluerant data esset miseris, (*l*) castigatis etiam quibusdam gravi pœna, quia Romanis & armis & animis usi fuissent, (*m*) inclusus silvis, paludibus, insidiis ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem ejus nunc ira nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum quam ad pugnandum animi fuit. Quippe paterni avitique (*n*) exempli successor, se ipse transfixit. At è præfectis castrorum duobus quam clarum exemplum L. Eggius, (*o*) tam turpe Cejonius prodidit; qui quum longe maximam partem absumpsisset acies, auctor deditionis supplicio quam prælio mori maluit. At (14) Vaala Numonius, (*p*) legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum alis Rhenum (*q*) petere ingressus est. Quod factum ejus Fortuna ulta est. Non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semiustum hostilis laceraverat feritas; caput ejus abscissum latumque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem, gentilitii tamen (*r*) tumuli sepultura honoratum est.

Varus se ipse transfigit.

Vaala Numonius Vari legatus.

Vari caput ad Maroboduum fertur.
A Maroboduo ad Cæsarem mittitur.

CAP. CXX. His auditis, revolat ad patrem Cæsar: perpetuus patronus Romani Imperii, assuetam sibi causam suscipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, præsidia munit; se magnitudine sua, non fiducia hostium metiens, qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiæ minabantur; (*s*) ultro (*t*) Rhenum cum exercitu transgreditur. Arminio territo, quem arcuisse pater & patria contenti erant, penetrat interius, aperit limites, vastat agros, urit domos, fundit obvios; (*u*) maximaque cum gloria, incolumi omnium, quos transduxerat, numero, in hiberna revertitur. Reddatur verum L. Asprenati testimonium; qui legatus sub avunculo suo Varo militans, nava virilique opera duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate servavit; matureque ad inferiora hiberna descendendo, vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit. Sunt tamen, qui, ut vivos ab eo vindicatos, ita jugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia, hereditatemque excisi exercitus, in quantum voluerit, (*w*) ab eo aditam. Lucii etiam Cæditii, præfecti castrorum, equorumque, una circumdati Alisone immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est; qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni providentia usi, speculatique opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum. Ex quo apparet, Varum sane gravem & bonæ voluntatis virum, magis Imperatoris defectum consilio, quam virtute destitutum militum, se magnificentissimumque perdidisse exercitum. Quum in captivos sæviretur à Germanis, præclari facinoris auctor fuit Caldus Cœlius vetustate familiæ suæ dignissimus; qui complexus catenarum, quibus vinctus erat, seriem, ita illas inlisit capiti suo, ut protinus pariter sanguinis cerebrique profluvio (*x*) exspiraret.

Tiberius in Germaniam mittitur.

Germanos domat.

L. Asprenas Vari legatus laudatur.

Lucii Cæditii virtus laudatur.

Varus bonæ voluntatis, sed malus dux.

Caldi Cœlii virtus.

CAP. CXXI. Eadem & virtus & fortuna subsequenti tempore ingressa animum (*y*) Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat; qui concussis hostium viribus, classicis peditumque expeditionibus, quum res Galliarum maximæ molis, accensasque plebis Viennensium dissensiones, coërcitione magis quam pœna mollisset, & Senatus Populusque Romanus (postulante patre ejus) *ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi*, decreto complexus esset: (etenim absurdum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non judicari parem) in Urbem reversus, jampridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum. Cujus magnificentiam quis miretur in Cæsare? fortunæ vero quis non miretur indulgentiam? quippe omnes eminentissimos hostium duces non occisos fama narravit, * sed vinctos (*z*) triumphus ostendit. Quem mihi (*a*) fratrique meo, inter præcipuos præcipuisque donis adornatos viros, comitari contigit.

Gallia composita.

Tiberius ex Pannoniis Delmatisque triumphum agit.

CAP. CXXII. Quis non inter reliqua, quibus singularis moderatio Tib. Cæsaris elucet atque eminet, hoc quoque miretur, quod, quum sine ulla dubitatione septem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? Quis enim dubitare potest, quin ex Armenia recepta, & (*b*) ex rege ei præposito, (*c*) cujus capiti insigne regium sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, ovans triumphare debuerit? &, Vindelicorum Rhætorumque victor, curru Urbem ingredi? fractis deinde post adoptionem

Adulatoriæ laudes Velleji in Tiberium.

(*f*) al. & etiam. (*g*) al. in culpa. (*h*) al. *benevolentia & merito.* al. *benevolentia ex merito.* (*i*) al. Cassi. (*k*) al. occasionis. (*l*) al. occasio quantum voluerant data esset inimicis. (*m*) al. qui à Romanis - - - visi fuissent, (*n*) al. avique. (*o*) al. L. Egilius. (*p*) al. At Volumnius. (*q*) al. fugatum aliis Rhenum. (*r*) al. tandem. (*s*) al. minabatur. (*t*) al. ultra. (*u*) al. obulos. (*w*) al. valuerit. (*x*) al. influvio. (*y*) al. animam. (*z*) al. sed vivos vinctos. (*a*) al. militi. (*b*) al. & omittunt. (*c*) al. proposito.

(14) Vaala Numonius) C. Numonius Vaala vocabatur legatus Vari, ut patet ex denario argenteo Tab. XVIII. num. I. De quo vide plura apud PATIN. Fam. Rom. p. 192. & 193.

nem continua triennii militia Germaniæ viribus, idem illi honor & deferendus & recipiendus fuerit? & post cladem sub Varo acceptam, ocius prosperrimo rerum eventu, eadem excisa Germania, triumphum summi ducis adornare (*d*) debuerit? Sed in hoc viro nescias, utrum magis mireris, quod laborum periculorumque semper excessit modum, an quod honorum temperavit.

CAP. CXXIII. Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus. Quippe Cæsar Augustus, quum Germanicum nepotem suum, reliqua belli patraturum misisset in Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda (*e*) pace, quæ bello subegerat, prosequens eum, simulque interfuturus athletarum certaminis ludicro, quod ejus honori sacratum à Neapolitanis est, processit in Campaniam: quamquam jam motus imbecillitatis inclinatæque in deterius principia valetudinis senserat; tamen obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneventi, ipse Nolam petiit; & ingravescente in dies valetudine, quum sciret, quis volenti omnia post se salva remanere, accersendus foret, festinanter revocavit filium. Ille ad patrem patriæ exspectato revolavit maturius. Tum securum se Augustus prædicans, circumfususque amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua atque ipsius opera, nec quidquam jam de fine, si fata poscerent, recusans, subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus, mox quum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia, Pompejo Apuleioque Consulibus, septuagesimo sexto anno, animam cœlestem cœlo reddidit.

Augusti morbus.

Tiberium successorem destinat.

Augustus moritur. U. C. 766. p. C. N. 14.

CAP. CXXIV. Quid tunc homines timuerint, quæ Senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quam arto salutis exitiique fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat; neque, cui vacat, potest. Id solum voce publica dixisse habeo: *Cujus Orbis ruinam timueramus, eum ne commotum (f) quidem sensimus. Tantaque unius viri majestas fuit, ut nec bonis, neque contra malos opus armis foret.* Una tamen veluti luctatio civitatis fuit; pugnantis cum Cæsare Senatus Populique Romani, ut stationi paternæ succederet: illius, ut potius æqualem civem, quam eminentem liceret agere principem. Tandem magis ratione (*g*) quam honore victus est: quum, quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret. Solique huic contigit, pene diutius recusare principatum, quam, ut occuparent eum, alii armis pugnaverant. Post redditum cœlo patrem, & corpus ejus humanis honoribus, nomen divinis honoratum, primum Principalium ejus operum fuit Ordinatio comitiorum; quam manu sua scriptam D. Augustus reliquerat. Quo tempore mihi fratrique meo, condidatis Cæsaris, proxime à nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari prætoribus contigit: consecutis, ut neque post nos quemquam D. Augustus, neque ante nos Cæsar commendaret Tiberius.

Tiberius recusat Impetium.

Augustum patrem consecrat.

Comitia.

Vellejus prætor.

CAP. CXXV. Tulit protinus & voti & consilii sui pretium respublica: neque diu latuit, aut quid non impetrando passuri fuissemus, aut quid impetrando profecissemus. Quippe exercitus qui in Germania militabat, præsentisque Germanici imperio regebatur, simulque legiones, quæ in Illyrico erant, rabie quadam & profunda confundendi omnia cupiditate, novum ducem, novum statum, novam quærebant rempublicam, quin etiam ausi sunt minari, *daturos Senatui, daturos principi leges*; modum stipendii, finem militiæ sibi ipsi constituere conati sunt. Processum etiam in arma, ferrumque strictum est; & pene in ultimum (*h*) gladiorum (*i*) erupit impunitas. Defuitque qui contra rempublicam duceret, non qui sequerentur. Sed hæc omnia veteris Imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum gravitate pollicentis, inter severam præcipue nostrorum (*k*) ultionem, mitis aliorum castigatio, brevi sopiit ac sustulit. Quo quidem tempore, ut pleraque ignave Germanicus, ita Drusus, qui à patre in id ipsum, plurimo quidem igne emicans incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque severitate usus, ancipitia sibi tam re quam exemplo (*l*) perniciosa, & his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coërcuit: singulari adjutore in eo negotio usus, Junio Blæso viro nescias utiliore in castris, an meliore in toga. Qui, post paucos annos proconsul in Africa, ornamenta triumphalia, cum appellatione Imperatoria meruit. Ac Hispanias (*m*) exercitumque virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militia, ut prædiximus, (*n*) quum imperio obtinet, in summa pace, quiete continuit; quum ei pietas rectissima sentiendi, & auctoritas quæ sentiebat obtinendi superesset. Cujus curam ac fidem Dolabella quoque, vir simplicitatis generosissimæ, in maxima (*o*) parte Illyrici per omnia imitatus est.

Seditiones militum.

A Tiberio sedantur.

Germanici facta.

Junius Blæsus laudatur.

Dolabella laudatur.

CAP. CXXVI. Horum sexdecim annorum opera quis, quum inserta (*p*) sint oculis animisque omnium, in partibus eloquatur? (15) Sacravit parentem suum Cæsar non imperio, sed religione: non appellavit eum, sed fecit Deum. Revocata in forum fides, summota è foro seditio, ambitio campo, discordia curia, (*q*) sepultæque ac situ obsitæ; (*r*) justitia, æquitas, industria civitati redditæ; accessit magistratibus auctoritas, Senatui majestas, judiciis gravitas; compressa theatralis seditio; recte faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita

Effusio in Tiberii laudes.

M 3

(*d*) al. adornari. (*e*) al. formanda. (*f*) al. *Cujus Urbis ruinam timueramus, eam ne commotam &c.* (*g*) al. Tandem ratione magis &c. (*h*) al. in ultimam. (*i*) al. gladiatorum. (*k*) al. præcipue auctorum. (*l*) al. ancipitia sibi timere quam exemplo &c. (*m*) al. Ad Hispanias. (*n*) al. ceu prædiximus. (*o*) al. in maritima. (*p*) al. incerta. (*q*) al. cura. (*r*) al. oppositæ.

(15) Sacravit parentem - - - fecit Deum) Consecrationis Augusti documentum jam supra pag. 53. num. 26. adduximus. Hic loci addimus Tiberii Imp. nummum, in quo Augustum Deum appellat. Tab. XVIII. num. 3. Du CHOUL de la Religion des Anciens Romains pag. 63. GOLTZII Cæsar Augustus Tab. LXXXI. num. 7.

posita necessitas. Honorantur recta, prava puniuntur. Suspicit potentem humilis, non timet. Antecedit, non contemnit humiliorem potens. Quando annona moderatior? quando pax lætior? Diffusa in Orientis Occidentisque tractus, & quidquid Meridiano aut Septentrione finitur, (16) pax Augusta per omnes terrarum orbis angulos à latrociniorum metu servat immunes. (s) Fortuita non civium tantummodo, sed Urbium damna Principis munificentia vindicat. (17) Restitutæ urbes Asiæ. Vindicatæ ab injuriis magistratuum provinciæ. Honor dignis paratissimus. Pœna in malos sera, sed aliqua. (t) Superatur æquitate gratia, ambitio virtute. Nam facere recte cives suos, Princeps optimus faciendo docet; cumque sit Imperio maximus, exemplo major est.

Viri magni magnis adjutoribus utuntur.

CAP. CXXVII. Raro eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt; ut duo Scipiones duobus Læliis, quos per omnia æquaverunt sibi; ut D. Augustus M. Agrippa, & maxime ab eo, Statilio Tauro. Quibus novitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus triumphosque, & complura eniterentur (u) sacerdotia. Etenim magna negotia magnis adjutoribus egent. Neque in parvo paucitas ministeria defecit. Interestque reipublicæ quod usu necessarium, dignitate eminere; utilitatemque auctoritate muniri. Sub his exemplis Tiberius Cæsar Sejanum Ælium, principe equestris ordinis patre natum, materno vero genere clarissimas veteresque & insignes honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos, avunculum, ipsum vero laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adjutorem in omnia habuit atque habet: virum severitatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum, nihil sibi vindicantem, eoque assequentem omnia, semper (x) infra aliorum æstimationes se metientem, vultu vitaque tranquillum, animo exsomnem.

Tiberius Sejanum Ælium inter amicos habet præcipuum.

Sejanus Ælius laudatur.

Novi homines ad fastigia honorum vocati.

CAP. CXXVIII. In hujus virtutum æstimationem jampridem judicia civitatis cum iudiciis principis certant, neque novus hic mos Senatus Populique Romani est, putandi quod optimum sit esse nobilissimum. Nam & illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos trecentos, T. Coruncanium, (y) hominem novum, cum aliis omnibus honoribus, tum pontificatu etiam maximo ad principale extulere fastigium; & equestri loco natum Sp. Carvilium, & mox M. Catonem, novum etiam, Tusculo, Urbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in consulatus, censuras, & triumphos provexere. Et, qui C. Marium, ignotæ originis, usque ad sextum consulatum sine dubitatione Romani nominis habuere principem; &, qui M. Tullio (z) tantum tribuere, ut pene assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret; quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret; profecto hoc senserunt, in cujuscumque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Hæc naturalis exempli imitatio ad experiendum Sejanum, Cæsarem; adjuvanda vero onera principis, Sejanum protulit; Senatumque & Populum Romanum eo perduxit, (a) ut quod usu optimum intelligit, id in tutelam securitatis suæ libenter advocet.

T. Coruncanius homo novus.

Sp. Carvilius & M Cato homines novi. Mummius pariter.

Aliique.

Breviarium actorum Tiberii.

CAP. CXXIX. Sed, proposita quasi universa Principatus Tib. Cæsaris forma, singula recenseamus. Qua ille prudentia Rhascupolim, interemptorem fratris sui filii Cotys, consortisque ejusdem Imperii evocavit; (b) singulari in eo negotio usus opera Flacci Pomponii, consularis viri, nati ad omnia quæ recte facienda sunt, simplicique virtute merentis semper, quam captantis gloriam. Cum quanta gravitate, ut senator & judex, non ut princeps, & causas pressius audit? quam celeriter Libonem ingratum & nova molientem, oppressit? Quibus præceptis instructum Germanicum suum, imbutumque rudimentis militiæ secum actæ, domitorem recepit Germaniæ? Quibus juventam ejus exaggeravit honoribus, respondente (c) cultu triumphi rerum quas gesserat magnitudini? Quoties populum congiariis honoravit, senatorumque censum, quum id Senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit, ut neque luxuriam invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui? Quanto cum honore Germanicum suum in transmarinas misit provincias? Qua vi, consiliorum suorum ministro & adjutore usus Druso, filio suo, Maroboduum inhærentem occupati Regni finibus, pace majestatis ejus dixerim, velut serpentem abstrusam terræ, salubribus consiliorum suorum medicamentis coëgit egredi? Quam illum & honorate, nec secure continet? Quantæ molis bellum, principe Galliarum ciente Sacro viro, Floroque Julio, mira celeritate ac virtute compressit, ut ante Populus Romanus vicisse se quam bellare cognosceret; nuntiosque periculi victoriæ præcederet nuntius. Magni etiam terroris bellum Africum, & quotidiano auctu majus, auspiciis consiliisque ejus brevi sepultum est.

Tiberius Patri Augusto templum molitur.


CAP. CXXX. Quanta suo suorumque (d) nomine exstruxit opera? Quam pia munificentia superque humanam evecta fidem templum patri molitur? Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeji munera absumpta

(s) al. immune. (t) al. sed æqua. (u) al. enumerentur. al. enumerarentur. (x) al. semperque. (y) al. Coruncanum. (z) al. qui M. Fulvio. (a) al. produxit. (b) al. Imperii, formam evocavit. (c) al. respondentem. (d) al. Quanta sua, suorumque &c.

(16) Pax Augusta) Ex plurimis numis, Pacem Augustam repræsentantibus, dignum judicavimus, ut huc apponeretur, quem exhibemus Tab. XVIII. num. 4. Conspicitur in eo caput Deæ, seu Pacis ipsius, cum Cornu Copiæ & Oleæ ramo, Pacis & rerum omnium abundantiæ Symbolis. OISEL. Th. Num. Antiqu. p. 385. Tab. LXXI. num. 10. Addimus huic BEGERI numisma Pacis Augustæ rarum & elegans ex Tom. II. p. 608. In cujus parte aversa, figura stans caduceum, & Caput papaveris inter spicas tenet, pariter signa pacis & abundantiæ. Vid. Tab. XVIII. num. 6.

(17) Restitutæ urbes Asiæ) Munificentiæ hujus Tiberii Imp. testimonium est numus Tab. XVIII. num. 6. qui Tiberii simulacrum cum hasta & patera exhibet. BEGER. Tom. II. pag. 611. ÆN. VICUS & BELLOR. in Adnotat. p. 27.

Tab. XVIII.
ad pag. 78. 92. 93. 94.



absumpta igni restituit? qui, quidquid umquam claritudine eminuit, (*e*) id veluti cognatum censet tuendum. Qua liberalitate quum alias, tum proxime, incenso monte Cœlio, omnis ordinis hominum jacturæ, patrimonio succurrit suo? Quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, supplementum sine trepidatione dilectus, providet? Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures Deorum de his queri; quid hic meruit? primum, ut scelerata Drusus Libo iniret consilia; deinde, ut Silius & Piso; quorum alterius (*f*) dignitatem constituit, auxit alterius? Ut ad majora transcendam, quamquam & hæc ille duxit maxima; quid, ut juvenes amitteret filios? quid, ut nepotem ex Druso suo? Dolenda adhuc retulimus: veniendum ad erubescenda est. Quantis hoc triennium, M. Vinici, (*g*) doloribus laceravit animum ejus? quamdiu abstruso, quod miserrimum est, pectus ejus, flagravit incendio? quod ex nuru, quod ex nepote dolore, indignari, erubescere coactus est. (*h*) Cujus temporis ægritudinem auxit amissa mater eminentissima, & per omnia Deis quam hominibus similior femina; cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi aut accessione dignitatis. Voto finiendum volumen sit.

Adversa Tiberii.

CAP. CXXXI. *JUPPITER Capitoline & auctor ac stator (i) Romani nominis, Gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, & quicquid numinum hanc Romani Imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor, custodite, servate, protegite hunc statum: hanc pacem; eique functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos, sed eos quorum cervices, tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quam hujus suffecisse sensimus; consiliaque omnium civium aut pia,* * * * (*k*)

Vota pro Principe.

(*e*) al. qui quidem quam claritudine eminuit. (*f*) al. Silius Pisoque tam alterius &c. (*g*) al. M. Vinicii. (*h*) al. dolere, indignari coactus est. (*i*) al. *Juppiter Capitoline & Stator & Auctor.* al. *Juppiter Capitoline ac Stator, & auctor &c.* (*k*) alii hunc defectum ita supplent: *aut pia, aut salutaria, in felicem exitum provehite.* al. *aut pia fovete, aut impia opprimite.*



SEXTI

SEXTI AURELII VICTORIS
ORIGO
GENTIS ROMANÆ.



SEXTI AURELII VICTORIS ORIGO GENTIS ROMANÆ.

A Jano & Saturno Conditoribus, per succedentes sibimet Reges, usque ad consulatum decimum Constantii, digesta ex Auctoribus VERRIO FLACCO ANTIATE (ut quidem idem Verrius maluit dicere quam Antia) tum ex Annalibus Pontificum; dein CNÆO EGNATIO VERATIO, FABIO PICTORE, LICINIO MACRO, VARRONE, CÆSARE, TUBERONE, atque ex omni priscorum historia; proinde ut quisque neotericorum asseveravit: hoc est, & LIVIUS & VICTOR AFER.

CAPUT I.

Saturnus primus in Italiam venisse creditur.

PRimus in Italiam creditur venisse Saturnus, ut etiam Maronis Musa testatur illis versibus: (1)

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exsul ademptis. &c.

Hominum antiquorum simplicitas.

Tanta autem usque id tempus antiquorum hominum traditur fuisse simplicitas, ut venientes ad se advenas, qui modo consilio ac sapientia præditi, ad instruendam vitam, formandosque mores aliquid conferrent, quod eorum parentes, atque originem ignorabant; cœlo & terra editos, non solum ipsi crederent; verum etiam posteris affirmarent. Veluti hunc ipsum Saturnum, quem Cœli & Terræ filium esse dixerunt. Quod cum ita existimetur, certum tamen est priorem Janum in Italiam venisse: ab eoque postea venientem exceptum esse Saturnum. Unde intelligendum est Virgilium quoque non ignoratione veteris historiæ, sed suo more, *primum* dixisse Saturnum, non ante quem nemo, sed *principem*, ut (2)

Janus prior in Italiam advenit.

Primus pro principe.

- - - *Trojæ qui primus ab oris.*

Cum procul dubio constet ante Æneam priorem Antenorem in Italiam esse pervectum, eumque non in ora littori proxima; sed in interioribus locis, id est, Illyrico urbem Patavium condidisse, ut quidem idem Virgilius illis versibus ex persona Veneris, apud Jovem de ærumnis Æneæ sui conquerentis: (3)

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus, &c.

Virgilii locus illustratur.

Quare autem addiderit *tutus*, suo loco plenissime annotavimus in commentatione, quam hoc scribere cepimus, (*a*) cognita ex eo libro, qui inscriptus est, *De origine Patavina.* Itaque nunc, *Primus*, ex ea quoque significatione est, è qua

(*a*) al. quam scribere occepimus.

(1) VIRGILIUS Æneid. Lib. VIII. 119.
(2) Id. Æneid. Lib. I.
(3) Id. Æneid. Lib. I. 246.

è qua illud in ſecundo Æneidos, (4) de enumeratione eorum, qui equo Durio digrediebantur. Nam cum nominaſſet Theſſandrum, (*b*) Sthenelum, Ulyxem, Athamanta, Thoanta, Neoptolemum; poſt intulit, *Primuſque Machaon.* De quo quæri poteſt, Quomodo poteſt *primus* dici, poſt tantos qui ſupra dicti ſunt? Verum intelligemus *primum* pro principe, vel quia is (ad perfectum) (*c*) illis temporibus circa peritiam medicæ artis præcipuus fuiſſe traditur.

Creuſa mater Jani.

CAP. II. Sed ut ad propoſitum revertamur, ferunt Creuſam Erechthei Regis Athenienſium filiam ſpecioſiſſimam, ſtupratam ab Apolline enixam puerum, eumque Delphos olim educandum eſſe miſſum: ipſam vero à patre iſtarum rerum neſcio, Xipheo (*d*) cuidam comiti collocatam. (*e*) Ex qua cum ille pater non poſſet exiſtere, Delphos eum petiiſſe ad conſulendum oraculum, *quomodo pater fieri poſſet:* tum illi Deum reſpondiſſe, *ut quem poſtero die obviam habuiſſet, eum ſibi adoptaret.* Itaque ſupra dictum puerum, qui ex Apolline genitus erat, obviam illi fuiſſe, eumque adoptatum. Cum adoleviſſet non contentum patrio regno, cum magna claſſe in Italiam deveniſſe; occupatoque monte, urbem ibidem conſtituiſſe, eamque ex ſuo nomine *Janiculum* cognominaſſe.

Xipheo collocatur. — Janus à Xipheo adoptatur. — In Italiam venit. — Janiculum condit.

CAP. III. Igitur Jano regnante apud indigenas rudes, incultoſque; (5) Saturnus regno profugus, cum in Italiam veniſſet, benigne exceptus hoſpitio eſt: ibique haud procul à Janiculo arcem ſuo nomine *Saturniam* conſtituit: iſque primus agriculturam edocuit, feroſque homines & rapto vivere aſſuetos ad compoſitam vitam eduxit. (*f*) Unde Virgilius in octavo ſic ait: (6)

Saturni profugi in Italiam adventus. — Saturnia arx.

> *Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant,*
> *Genſque virum truncis, & duro robore nata:*
> *Queis neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,*
> *Aut componere opes norant, aut parcere parto:*
> *Sed rami atque aſper victu venatus alebat.*

Omiſſoque Jano, qui nihil aliud quam ritum colendorum Deorum religioneſque induxerat; ſe Saturno maluit annectere: qui vitam moreſque feris etiam tum mentibus inſinuaſſe (dicitur, &) (*g*) ad communem utilitatem, ut ſupra diximus, (7) diſciplinam colendi ruris edocuit; ut quidem indicant illi verſus: (8)

Janus inducit cultum Deorum. — Saturnus docet agriculturam.

> *Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis*
> *Compoſuit, liteſque dedit; Latiumque vocari*
> *Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.*

Iſtum etiam uſum ſignandi æris, ac monetæ in formam incutiendæ oſtendiſſe traditur: in qua ab una parte caput ejus imprimeretur: altera navis, qua vectus illo erat. Unde hodieque aleatores poſito numo opertoque, optionem colluſoribus ponunt enuntiandi quid putent ſubeſſe, caput aut navem: quod nunc vulgo corrumpentes naviandi (*h*) dicunt. Ædes quoque ſub clivo Capitolino, in quo pecuniam conditam habebat; *Ærarium Saturni* hodieque dicitur. Verum quia, ut ſupra diximus, prior illuc Janus advenerat, cum eos poſt obitum divinis honoribus cumulandos cenſuiſſent; in ſacris omnibus primum locum Jano detulerunt; uſque eo, ut etiam cum aliis Diis ſacrificium fit, dato thure in altaria, Janus prior nominetur, cognomento quoque addito *Pater*, ſecundum quod noſter cognomento ſic intulit: (9)

Uſum ſignandi æris ac monetæ cudendæ. — Ærarium Saturni. — Janus cur prior in ſacrificiis nominetur.

> *Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit arcem.*

Ac ſubindit:

> *Janiculum huic; illi fuerat Saturnia nomen.*

Eique (eo quod mire præteritorum memor, tum etiam futuri) dixerit: (10)

> - - - *Rex arva Latinus, & urbes*
> *Jam ſenior longa placidas in pace regebat.*

CAP. IV. Quo regante, Trojanos refert in Italiam deveniſſe. Quæritur quomodo Salluſtius dicat, (11) *Cumque his Aborigenes, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio liberum atque ſolutum.* Quidam autem tradunt terris diluvio coopertis, paſſim multos diverſarum regionum in montibus, ad quos confugerant, conſtitiſſe: ex quibus quoſdam ſedem quærentes, pervectos in Italiam, *Aborigines* appellatos, Græca ſcilicet appellatione, à cacuminibus montium qui illi oræ faciunt: (*i*) Alii volunt eos, quod errantes illo venerint, primo *Aberrigines*, poſt mutata una litera, altera adempta, *Aborigines* cognominatos. Eos advenientes Picus excepit, permiſſos vivere ut vellent. Poſt Picum regnavit in Italia Faunus, quem à fando dictum volunt, quod is ſolet futura præcinere verſibus, quos Saturnios dicimus: quod genus metri in vaticinatione Saturniæ primum proditum eſt. Sed urbem (*k*) Saturnus, cum in Italiam veniſſet, condidiſſe traditur. Ejus rei Ennius teſtis eſt, cum ait:

Trojani in Italiam deveniunt. — Et cum his Aborigines. — Aborigines unde ſic dicti? — Picus Rex Italiæ. — Faunus Rex Italiæ. — Verſus Saturnii.

Verſi-

(*b*) al. Tiſandrum. (*c*) alii verba (ad perfectum) omittunt. (*d*) al. Xutho. (*e*) al. copulatam. (*f*) al. traduxit. (*g*) alii verba (dicitur, &) omittunt. (*h*) al. naviam. (*i*) al. quæ illi ὄρη (ἀπὸ τοῦ ὄρεος, à monte) vocant. (*k*) al. Sed verſus.

(4) Id. Æneid. Lib. II. 261.

(5) Saturnus regno profugus - - - (7) Diſciplinam colendi ruris edocuit) In numo Tab. XIX. num. I. ab Heracleæ Urbe Imperatori Elagabalo oblato, conſpicitur Saturnus alatus, fortaſſis ob fugam ejus in Italiam, cum falce, quod primus agriculturam docuerit. A quali Urbe Heraclea hic numus cuſus fuerit, difficile eſt dicere, quia quinquaginta hujus nominis fuerunt Urbes. Vid. PATIN. Numism. Impp. Rom. Ær. pag. 266. Ceterum ex eadem ratione, quod Saturnus primus agriculturæ inventor creditus, ejus imaginem, in numis Duumvirorum ad fruges emundas, expreſſam fuiſſe, non incongrue conjecturatur. Exemplum vide in numo Tab. XIX. num. 2. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. pag. 544. & PATIN. Fam. Rom. pag. 60.

(6) Virg. Æneid. Lib. VIII. 314.

(8) Id. Æneid. Lib. VIII. 321.

(9) Id. Æneid. Lib. VIII. 357.

(10) Id. Æneid. Lib. VIII. 45.

(11) SALLUSTIUS Bell. Catil. c. 6.

Verſibus quos olim Fauni vateſque canebant.

Faunus Silvanus dictus. Et Inuus, & Pan.

Hunc Faunum plerique eundem Silvanum à ſilvis, *Invium* (*l*) *Deum:* quidam etiam *Pana*, vel *Pan* eſſe dixerunt.

Evandri adventus in Italiam.

Carmenta unde dicta.

CAP. V. Igitur regnante Fauno, ante annos circiter ſexaginta, quam Æneas in Italiam deferretur, Evander Arcas Mercurii & Carmentis Nymphæ filius, ſimul cum matre eodem venit: quam quidam memoriæ prodiderunt, primo *Carmentim* dictam: poſt *Nicoſtraten*, de carminibus: eo quod videlicet omnium literarum peritiſſima, futurorumque prudens, verſibus canere ſit ſolita: adeo ut plerique velint, non tam ipſam à carmine *Carmentam*; quam carmina, à qua dicta eſſent, appellata. Hujus admonitu transvectus in Italiam Evander, ob ſingularem eruditionem atque ſcientiam literarum, brevi tempore in familiaritatem Fauni ſe inſinuavit: atque ab eo hoſpitaliter benigneque exceptus, non parvum agri modum ad incolendum accipit: quem ſuis comitibus diſtribuit, exædificatis domiciliis in eo monte, quem primo tum illi à Pallante *Pallanteum*, poſtea nos *Palatium* (*m*) diximus: Ibique Pani Deo fanum dedicavit: quippe is familiaris Arcadiæ Deus eſt, teſte etiam Marone, qui ait: (12)

Evander ſe inſinuat apud Faunum.

Pallanteum mons Palatium dictus. Pani fanum dedicatum.

Pan Deus Arcadiæ captam te Luna fefellit.

Et item: (13)

Pan etiam Arcadia mecum ſi judice cantet.

Evander Italos literas docet. Et alia quæ ad terræ cultum.

Primus itaque omnium Evander Italicos homines legere & ſcribere edocuit, literis, partim quas ipſe antea didicerat: Idemque fruges in Græcia primum inventas oſtendit; ferendique uſum edocuit, terræque excolendæ gratia primus boves in Italia junxit.

Recarani adventus in Italiam. Recaranus Hercules dictus.

CAP. VI. Eo regnante, forte Recaranus quidam, Græcæ originis, ingentis corporis, & magnarum virium paſtor, quia erat forma & virtute ceteris antecellens, Hercules appellatus, eodem venit. Cumque armenta ejus circa flumen Albulam paſcerentur, Cacus Evandri ſervus, nequitiæ verſutus, & præter cetera furaciſſimus, Recarani hoſpitis boves ſubripuit: ac ne quod eſſet indicium, averſas in ſpeluncam attraxit. Cumque Recaranus vicinis regionibus peragratis, ſcrutatiſque omnibus ejuſcemodi latebris, deſperaſſet inventurum; utcumque æquo animo diſpendium ferens, excedere his finibus conſtituerat: At vero Evander excellentiſſimæ juſtitiæ vir, poſtquam rem, uti acta erat, comperit, ſervum noxæ dedit, boveſque reſtitui fecit. Tum Recaranus ſub Aventino Inventori patri aram dedicavit, appellavitque Maximam, & apud eam decimam ſui pecoris profanavit. Cumque ante moris eſſet, uti homines decimam fructuum regibus ſuis præſtarent; *æquius ſibi* ait *videri Deos potius illo bonore impartiendos eſſe, quam Reges*; inde videlicet tractum, ut Herculi decimam profanari mos eſſet, ſecundum quod Plautus *In partem*, inquit, *Herculeaneam*, id eſt, decimam. Conſecrata igitur ara Maxima, profanataque apud eam decima, Recaranus, eo quod Carmentis invitata, ad id ſacrum non affuiſſet; ſanxit *ne cui feminæ fas eſſet veſci ex eo, quod eidem aræ ſacratum eſſet:* atque ab ea (*n*) re divina feminæ in totum remotæ.

Cacus Herculi boves ſubripit.

Cacus ab Evandro Herculi noxæ datur.

Hercules aram Maximam conſecrat.

Plautus explicatur.

Unde mos profanandi decimam.

Alia è libris Pontificalium de Hercule.

CAP. VII. Hæc Caſſius lib. I. At vero in libris Pontificalium traditur Hercules, Jove atque Alcmena genitus, ſuperato Geryone, agens nobile armentum, cupidus ejus generis boves in Græcia inſtituendi; forte in ea loca veniſſe, & ubertate pabuli delectatus, ut ex longo itinere homines ſui & pecora reficerentur, aliquamdiu ſedem ibi conſtituiſſe, quæ cum in valle, ubi nunc eſt Circus maximus, paſcerentur; neglecta cuſtodia, quod nemo credebatur auſurus violare Herculis prædam, latronem quendam regionis ejuſdem magnitudine corporis & virtute ceteris prævalentem, octo boves in ſpeluncam, quo minus furtum veſtigiis colligi poſſet, caudis abſtraxiſſe. Cumque inde Hercules proficiſcens, reliquum armentum caſu præter eandem ſpeluncam ageret; forte quadam incluſas boves tranſeuntibus admugiſſe, atque ita furtum detectum: interfectoque Caco, Evandrum, re comperta, hoſpiti obviam iviſſe, gratantem, quod tanto malo fines ſuos liberaſſet: compertoque, quibus parentibus ortus eſſet Hercules, rem ita, uti erat geſta, ad Faunum pertuliſſe: tum eum quoque amicitiam Herculis cupidiſſime appetiiſſe. Quam opinionem ſequi metuit noſter Maro.

Ejuſque bo um grege.

Et cæde latronis Caci.

De Potitiis & Pinariis.

CAP. VIII. Cum ergo Recaranus, ſive Hercules, patri Inventori aram Maximam conſecraſſet; duos ex Italia, quos eadem ſacra certo ritu adminiſtranda edoceret, adſcivit, Potitium & Pinarium. Sed eorum Potitio, qui prior venerat, ad comedenda exta admiſſo; Pinarius, eo quod tardius veniſſet, poſterique ejus ſubmoti: unde hodieque ſervatur: Nemini Potitio Pinariæ gentis in eis ſacris veſci licet: eoſque alio vocabulo prius appellatos nonnulli volunt. Poſt vero Pinarios dictos ἀπὸ τῦ πεινᾶν, quod videlicet jejuni, ac per hoc eſurientes ab ejuſmodi ſacrificiis diſcedant. Iſque mos permanſit uſque Appium Claudium Cenſorem, ut Potitiis ſacra facientibus, veſcentibuſque de eo bove, quem immolaverant, poſtquam inde nihil reliquiſſent, Pinarii deinde admitterentur. Verum poſtea Appius Claudius accepta pecunia Potitios illexit, ut adminiſtrationem ſacrorum Herculis ſervos publicos edocerent, nec non etiam mulieres admitterent. Quo facto, ajunt, intra dies triginta omnem familiam Potitiorum, quæ prior in ſacris habebatur, extinctam: atque

 ita

(*l*) al. *Inuum.* (*m*) al. *Palatinum.* (*n*) al. ob ea, vel itaque ab ea.

(12) VIRGILIUS Georg. III. 392.
(13) Id. IV. 58.
(13) PLAUTUS in Sticho, ubi tamen legitur: Detraxi partem Hercul. & in Truculento Act. II. Feminæ ab ara maxima ducentur.

ita ſacra penes Pinarios reſediſſe, (*o*) eosque tam religione, quam etiam pietate edoctos, myſteria ejuſmodi fideliter cuſtodiſſe.

Latinus Rex Italiæ.

CAP. IX. Poſt Faunum Latino ejus filio in Italia regnante, Æneas, Ilio Achivis prodito ab Antenore, aliiſque Principibus, (15) cum præ ſe Deos Penates, patremque Anchiſen humeris geſtans, nec non & parvulum filium manu trahens, noctu excederet; orta luce cognitus ab hoſtibus, eo quod tanta onuſtus pietatis ſarcina erat, non modo à nullo interpellatus; ſed etiam à rege Agamemnone quo vellet, ire permiſſus, Idam petit: ibique navibus fabricatis, cum multis diverſi ſexus, oraculi ammonitu Italiam petit: ut docet Alexander Epheſius lib. I. belli Marſici. At vero Lucatius (*p*) non modo Antenorem, ſed etiam ipſum Æneam proditorem patriæ fuiſſe tradit: Cui cum à rege Agamemnone permiſſum eſſet ire quo vellet, & humeris ſuis, quod potiſſimum putaret, hoc ferret; nihil illum præter Deos Penates, & patrem, duoſque parvulos filios, ut quidam tradunt, ut vero alii, unum, cui Julo cognomen, poſt etiam Aſcanio fuerit, ſecum extuliſſe. Qua pietate motos Achivorum principes remiſiſſe (*q*) ut reverteretur domum, atque inde omnia ſecum quæ vellet, auferret. Itaque eum magnis cum opibus, pluribuſque ſociis utriuſque ſexus à Troja digreſſum, longo mari emenſo per diverſas terrarum oras in Italiam deveniſſe: ac primum Thraciam appulſum, *Ænum* ex ſuo nomine condidiſſe: dein cognita Polymneſtoris perfidia ex Polydori nece, inde digreſſum, pervectumque ad inſulam Delum, atque illinc ab eo Laviniam Anii ſacerdotis Apollinis filiam in matrimonium adſcitam, ex cujus nomine *Lavinia littora* appellata. Poſtquam is multa maria permenſus, appulſus ſit ad Italiæ promontorium, quod eſt in Bajano, circa Averni lacum; ibique gubernatorem Miſenum morbo abſumptum, ſepultum ab eo: ex cujus nomine urbem *Miſenon* appellatam, ut etiam ſcribit Cæſar Pontificalium lib. I. Qui tamen hunc Miſenum non gubernatorem, ſed tubicinem fuiſſe tradit. Inde non immerito utramque opinionem ſequutus Maro ſic intulit: (16)

Æneæ pietas.
Ejus adventus in Italiam. a. U. C. 454. a. C. N. 1206.
Ænus condita.
Lavinia Æneæ uxor.
Miſenos urbs unde ſic dicta.

> *At pius Æneas ingenti mole ſepulcrum*
> *Imponit, ſuaque arma viro, remumque, tubamque.*

Quamvis auctore Homero, quidam aſſerant, tubæ uſum Trojanis temporibus etiam tunc (*r*) ignoratum.

Euxinii ſinus

CAP. X. Addunt præterea quidam Æneam in eo littore Euxini cujuſdam comitis matrem, ultimo ætatis affectam, circa ſtagnum, quod eſt inter Miſenon Avernumque extuliſſe, atque inde loco nomen inditum, qui etiam nunc *Euxinius* ſinus dicitur: cumque comperiſſet ibidem Sibyllam mortalibus futura præcinere, in oppido quod vocatur Cimbarionis, veniſſe eo ſciſcitatum de ſtatu fortunarum ſuarum: aditiſque fatis, vetitum *ne is cognitam in Italia ſepeliret Prochytam, cognatione ſibi conjunctam*, quam incolumem reliquerat. Et poſtquam ad claſſem rediit, reperitque mortuam, in inſula proxima ſepeliſſe, quæ nunc quoque eodem eſt nomine, ut ſcribunt Vulcatius, & Acilius Piſo. Inde profectum perveniſſe in eum locum qui nunc portus Cajetæ appellatur, ex nomine nutricis ejus, quam ibidem amiſſum ſepeliit. At vero Cæſar & Sempronius ajunt, Cajetæ cognomen fuiſſe, non nomen: ex eo ſcilicet inditum, quod ejus conſilio impulſuque matres Trojanæ tædio longi navigii claſſem ibidem incenderint, Græca ſcilicet appellatione ἀπὸ τοῦ κάιειν, quod eſt incendere. Inde ad eam Italiæ oram, quæ ab arbuſto ejuſdem generis, *Laurens* appellata eſt, Latino regnante, pervectum cum patre Anchiſe, filioque & ceteris ſuorum; navibus egreſſum, in littore accubuiſſe, conſumptoque quod fuerat cibi, cruſtam etiam de farreis menſis, quas ſacratas ſecum habebat, comediſſe.

appellatio unde.
Æneas Sibyllam de futuris conſulit.
Prochyta inſula unde dicta.
Portus Cajetæ appellatio unde.
Laurens ora.
Æneas egreſſus navibus.
Cruſtam de farreis menſis ſacratis comedit.

Anchiſes inde miſeriarum finem conjicit.

CAP. XI. Tum Anchiſa conjiciente illam eſſe miſeriarum erroriſque finem; quippe meminerat, Venerem ſibi aliquando prædixiſſe, *cum in externo littore eſurie compulſi, ſacrataſque menſas invaſiſſent, illum condendæ ſedis fatalem locum fore:* Scrofam etiam incientem: quam cum è navi produxiſſent, ut eam immolarent, & ſe miniſtrorum manibus eripuiſſet; recordatum Æneam, quod aliquando ei reſponſum eſſet, *urbi condendæ quadrupedem futuram ducem:* tum ſimulacris Deorum Penatium, proſequutum, atque illum ubi illa procubuit, (17) enixaque eſt porculos triginta, ibidem auſpicatum; * poſtquam (*s*) *Lavinium* dixit: (*t*) ut ſcribit Cæſar libro I. & Lucatius libro 2.

Aliud portentum cum Scrofa.
Lavinium conditum.

Domitius de menſis devoratis aliter narrat.

CAP. XII. At vero Domitius non orbes farreos, ut ſupra dictum eſt, ſed menſarum vice ſumendi cibi gratia apium, cujus maxima erat ibidem copia, fuiſſe ſubſtratum, quod ipſum conſumptis aliis eduliis eos comediſſe: ac poſt ſubinde intellexiſſe *illas eſſe menſas, quas illos comeſturos prædictum eſſet.* Cum interim immolata ſue in littore ſacrificium perageret; traditur forte advertiſſe Argivam claſſem, in qua Ulyxes erat: cumque vereretur ne ab hoſte cognitus periculum ſubire; itemque rem divinam interrumpere ſummum nefas duceret, caput velamento obduxiſſe, atque ita pleno ritu ſacra perfeciſſe: inde poſteris traditum morem ita ſacrificandi, ut ſcribit Marcus Octavius libro I. At vero Domitius libro I. docet ſorte Apollinis Delphici monitum Æneam, *ut Italiam*

(*o*) al. rediſſe. (*p*) al. Lutatius. (*q*) al. permiſiſſe. (*r*) al. tum. (*s*) al. poſtque. (*t*) al. ibidem urbem auſpicatum poſtque eam *Lavinium* dixit.

(15) Cum præ ſe Deos Penates - - - - manu trahens) Huc refer ex Tom. I. Script. Hiſt. Rom. numum Tab. II. num. 3. Hic addimus Tab. XIX. num. 3. numum Imperatoris Antonini Pii, in quo Æneas conſpicitur Anchiſen cum Penatibus humeris ferens, & parvulum filium manu trahens. Conf. OISEL. Theſ. Num. antiqu. pag. 408. Tab. LXXVI. num. 8.

(16) VIRGILIUS Æneid. Lib. V. 232.

(17) Enixaque eſt porculos triginta) Hoc præſagium expreſſit Imp. Antoninus Pius in numo quem exhibemus Tab. XIX. num. 4. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. pag. 666.

Italiam peteret, ubi duo maria invenisset, prandiumque cum mensis comesset, ibi urbem uti conderet. Itaque egressum in agrum Laurentem, cum paullulum è littore processisset, pervenisse ad duo stagna aquæ salsæ, vicina inter se: ibique cum se lavisset, ac refectum cibo cum apium quoque, quod tunc vice mensæ substratum fuerat, consumpsisset, existimantem procul dubio illa esse duo maria, quod in illis stagnis aquæ marinæ species esset, mensasque, quæ erant ex stramine apii, comestas; urbem in eo loco condidisse, eamque, quod in stagno laverit, *Lavinium* cognominasse. Tum deinde à Latino Rege Aboriginum, data ei, quæ incoleret, jugera quingenta. At Cato in origine generis Romani ita docet: Suem triginta porculos peperisse in eo loco ubi nunc est Lavinium: cumque Æneas ibi urbem condere constituisset, propterque agri sterilitatem metueret; per quietem ei visa Deorum Penatum simulacra, adhortantium *ut perseveraret in condenda urbe quam ceperat: nam post annos totidem, quot fœtus illius suis essent, Trojanos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos, & urbem clarissimi nominis in Italia condituros.*

Et Cato de Scrofa.

CAP. XIII. Igitur Latinum Aboriginum Regem, cum ei nuntiatum esset, multitudinem advenarum classe advectam, occupavisse agrum Laurentem: adversum subitos inopinatosque hostes incunctanter suas copias eduxisse: Ac prius quam signum dimicandi daret, animadvertisse Trojanos militariter instructos: cum sui lapidibus ac sudibus armati, tum etiam veste aut pellibus, quæ eis integumento erant, sinistris manibus involutis, processissent: itaque suspenso certamine, per colloquium inquisito, qui essent, quidve peterent: utpote qui in hoc consilium auctoritate numinum cogebatur: namque extis ac somniis sæpe admonitus erat, tutiorem se adversum hostes fore, si copias suas cum advenis conjunxisset. Cumque cognovisset Æneam & Anchisen bello patrio (*u*) pulsos, cum simulacris Deorum errantes sedem quærere; amicitiam fœdere inisse, dato invicem jurejurando, *ut communes quoque hostes, amicosve haberent.* Itaque ceptum à Trojanis muniri locum, quem Æneas ex nomine uxoris suæ, Latini Regis filiæ, quæ jam ante desponsata Turno Herdonio fuerat, *Lavinium* cognominavit: at vero Amatam Latini Regis uxorem, cum indigne ferret, Laviniam, repudiato Turno consobrino suo, Trojano advenæ collocatam, Turnum ad arma concitavisse, eumque mox coacto Rutulorum exercitu, tetendisse in agrum Laurentem, & adversus eum Latinum pariter cum Ænea progressum, inter præliantes circumventum occisumque. Nec tamen amisso socero Æneas Rutulis obsistere desiit, namque & Turnum interemit. Hostibus fusis fugatisque, victor Lavinium se cum suis recepit, consensuque omnium Latinorum Rex declaratus est: ut scribit Lucatius lib. III. Piso quidem Turnum matruelem Amatæ fuisse tradit: interfectoque Latino, mortem ipsam sibimet conscivisse.

Latinus adversus Trojanos suas copias educit.

Sed mox fœdere contracto.

Laviniam Æneæ in uxorem dat.

Æneæ & Latini cum Turno bellum. a.U.C.450. a. C.N. 1202.

Turnus occiditur.

Latinus cadit.

Amata se ipsam interficit.

CAP. XIV. Igitur Æneam, occiso Turno rerum potitum, cum adhuc irarum memor Rutulos bello persequi instituisset, illos sibi ex Etruria auxilium Mezentii Regis Agillæorum adscivisse, ac imploravisse, pollicitos, si victoria parta foret, omnia quæ Latinorum essent, Mezentio cessura. Tunc Æneam, quod copiis inferior erat, multis rebus, quæ necessario tuendæ erant, in urbem comportatis, castra sub Lavinio collocasse: præpositoque his filio Euryleone, ipsum electo ad dimicandum tempore, copias in aciem produxisse, circa Numici (*x*) fluminis stagnum: ubi cum acerrime dimicaretur, subitis turbinibus infuscato aëre, repente cœlo tantum imbrium effusum tonitrubus etiam consequutis, flammarumque fulgoribus, ut omnium non oculi modo præstinguerentur, verum etiam mentes quoque confusæ essent: cumque universos (*y*) utriusque partis dirimendi prælia cupiditas inesset, nihilominus in illa tempestatis subitæ confusione interceptum Æneam, nusquam deinde comparuisse. Traditur autem non proviso, quod propinquus flumini esset, ripa depulsus, forte in fluvium decidisse, atque ita prælium diremptum: dein post apertis fugatisque nubibus cum serena facies effulsisset; creditum est vivum eum cœlo absumptum. Idemque tamen post ab Ascanio, & quibusdam aliis visus affirmatur super Numici ripam, eo habitu armisque quibus in prælium processerat. Quæ res immortalitatis ejus famam confirmavit. Itaque illi eo loco templum consecratum, appellarique placuit *Patrem Indigetem.* Dein filius ejus Ascanius, idem qui Euryleo, omnium Latinorum judicio Rex appellatus.

Æneas rerum potitus.

Rutilos bello persequitur.

Mezentius Rutulis auxilium fert.

Æneæ Apotheosis. a. U. C.447. a. C. N. 1199.

Ascanius Rex Latinorum.

CAP. XV. Igitur summam imperii Latinorum adeptus Ascanius, cum continuis præliis Mezentium persequi instituisset, filius ejus Lausus collem Laviniæ arcis occupavit. Cumque id oppidum circumfusis omnibus copiis regis teneretur, Latini legatos ad Mezentium miserunt sciscitatum, *qua conditione in deditionem eos accipere vellet:* cumque ille inter alia onerosa illud quoque adjiceret, *ut omne vinum agri Latini aliquot annis sibi inferretur:* consilio atque auctoritate Ascanii placuit ob libertatem mori potius, quam illo modo servitutem subire. Itaque vino ex omni vindemia Jovi publice voto, consecratoque, Latini urbe eruperunt; fusoque præsidio, interfectoque Lauso, Mezentium fugam facere coëgerunt. Is postea per legatos amicitiam societatemque Latinorum impetravit; ut docet Lucius Cæsar lib. I. Itemque Aulus Postumius in eo volumine, quod de adventu Æneæ conscripsit atque dedit. (*z*) Igitur Latini Ascanium ob insignem virtutem non solum Jove ortum crediderunt, sed etiam per diminutionem, declinato paullulum nomine, primo *Jobum*, dein postea *Julum* appellarunt: à quo Julia filia (*a*) mana-

Bellum cum Rutulis persequitur.

Lauso interfecto, & Mezentio fugato, Societas inter Latinos & Rutilos inita.

Ascanii insignis virtus.

Ascanius Jobus post Julus vocatur.

(*u*) al. patria. (*x*) al. Numicii. (*y*) al. universis. (*z*) al. edidit. (*a*) al. familia.

manavit; ut ſcribunt Cæſar lib. II. & Cato in Originibus.

Lavinia in Silvam profugit.

CAP. XVI. Interim Lavinia ab Ænea gravida relicta, metu, veluti inſecuturi ſe Aſcanii, in ſilvam profugit, ad magiſtrum patrii pecoris, Tyrrhum, (*b*) ibique enixa eſt puerum, qui à loci qualitate Silvius eſt dictus. At vero vulgus Latinorum exiſtimans clam ab Aſcanio interfectam, magnam ei invidiam conflaverat, uſque eo, ut armis quoque ei vim denuntiaret. Tum Aſcanius jurejurando ſe purgans, cum nihil apud eos proficeret, petita dilatione ad inquirendum, iram præſentem vulgi aliquantulum fregit; pollicituſque eſt, ſe ingentibus præmiis cumulaturum eum, qui ſibi Laviniam inveſtigaſſet: mox recuperatam cum filio in urbem Lavinium reduxit, dilexitque honore materno. Quæ res rurſum ei magnum favorem populi conciliavit, ut ſcribunt Cajus Cæſar, & Sextus Gellius in Origine gentis Romanæ. At vero alii tradunt, quod cum Aſcanius ab univerſo populo ad reſtituendam Laviniam cogeretur, juraretque *ſe neque interemiſſe, neque ſcire ubi eſſet*, Tyrrhum petito ſilentio in illa concionis frequentia profeſſum indicium, *ſi ſibi, Laviniæque, pueroque ex ea nato fides incolumitatis daretur; tumque eum accepta fide Laviniam in urbem cum filio reduxiſſe.*

Ubi Silvium parit.

Aſcanii apud Latinos invidia.

Laviniæ reditu populo reconciliatur.

Quæ ab aliis aliter narrantur.

CAP. XVII. Poſt hæc Aſcanius completis in Lavinio triginta annis, recordatus novæ urbis condendæ tempus adveniſſe ex numero porcorum, quos pepererat ſus alba, circumſpectis diligenter finitimis regionibus, ſpeculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe, quæ in eo condita eſt, Albanus nuncupatur, civitatem communit: eamque ex forma, quod ita in longum porrecta eſt, *Longam;* ex colore ſuis *Albam* cognominavit. Cumque illuc ſimulacra Deorum Penatium tranſtuliſſet: poſtridie apud Lavinium apparuerunt: rurſuſque relata Albam, appoſitiſque cuſtodibus neſcio quantis, (*c*) ſe Lavinium in priſtinam ſedem identidem receperunt. Itaque tertio nemo auſus eſt amovere ea, ut ſcriptum eſt in Annali Pontificum lib. IV. Cincii & Cæſaris II. Tuberonis I. At Aſcanius poſtquam exceſſiſſet è vita, inter Julum filium ejus, & Silvium Poſtumum, qui ex Lavinia genitus erat, de obtinendo imperio orta contentio eſt, cum dubitaretur an Æneæ filius, an nepos potior eſſet; permiſſa diſceptatione ejus rei ab univerſis (*d*) Rex Silvius declaratus eſt. Ejusdem poſteri omnes cognomento *Silvii*, uſque ad conditam Romam. Albæ regnaverunt: ut eſt ſcriptum Annalium pontificalium lib. IV. Igitur regnante Latino Silvio Coloniæ deductæ ſunt Præneſte, Tibur, Gabii, Tuſculum, Cora, Pometia, Locri, Cruſtumium, Camena, Ronillæ, ceteraque oppida circumquaque.

Alba Longa condita. a.U. C. 422. a. C. N. 1174.

Contentio inter Julum & Silvium de imperio.

Silvius Rex Italiæ. a. U. C. 408. a. C. N. 1169.

Coloniæ deductæ regnante Silvio.

CAP. XVIII. Poſt eum regnavit Tiberius (*e*) Silvius, Silvii filius. Qui cum adverſus finitimos bellum inferentes copias eduxiſſet, inter præliantes depulſus in (18) Albulam flumen, deperiit; mutandique nominis exſtitit cauſa: ut ſcribunt Lucius Cincius lib. I. Lucatius lib. III. Poſt eum regnavit Aremulus (*f*) Silvius, qui tantæ ſuperbiæ non adverſum homines modo, ſed etiam Deos fuiſſe traditur, ut prædicaret *ſe ſuperiorem eſſe ipſo Jove;* ac tonante cœlo militibus imperaret, *ut telis clypeos quaterent:* dictaretque *clariorem ſonum ſe facere.* Qui tamen præſenti affectus eſt pœna; nam fulmine ictus, ruptuſque turbine in Albanum lacum præcipitatus eſt; ut ſcriptum eſt Annalium lib. VI. & Epitomarum Piſonis II. Aufidius ſane in Epitomis, & Domitius lib. I. non fulmine ictum, ſed terræ motu prolapſum, ſimul cum eo Regiam in Albanum lacum tradunt. Poſt illum regnavit Aventinus Silvius: iſque finitimis bellum inferentibus in dimicando circumventus, ab hoſtibus proſtratus eſt, ac ſepultus circa radices montis, cui ex ſe nomen dedit; ut ſcribit Julius Cæſar lib. II.

Tiberius Silvius Rex Italiæ.

Albula flumen Tiberis dicitur.

Aremulus Silvius Rex Italiæ.

Ejus ſuperbia.

Et pœna.

Aventinus Silvius Rex Italiæ.

Ab eo Aventinus mons dictus.

CAP. XIX. Poſt eum Silvius Procas rex Albanorum, duos filios Numitorem & Amulium æquis partibus hæredes inſtituit. Tum Amulius in una parte regnum tantummodo, in altera totius patrimonii ſummam, atque omnem paternorum bonorum ſubſtantiam poſuit, fratrique Numitori, qui major natu erat, optionem dedit, *ut ex his, utrum mallet, éligeret.* Numitor cum privatum omne cum facultatibus regno prætuliſſet; Amulius regnum obtinuit: Quod ut firmiſſime poſſideret, Numitoris fratris ſui filium in venando interimendum curavit: tum etiam Rheam Silviam ejus ſororem ſacerdotem Veſtæ fieri juſſit, ſimulato ſomnio, quo admonitus ab eadem Dea eſſet, ut id fieret: cum re vera ita faciendum ſibi exiſtimaret, periculoſum ducens, *ne quis ex ea naſceretur, qui avitas perſequeretur injurias:* ut ſcribit Valerius Antias lib. I. At vero Marcus Octavius, & Licinius Macer tradunt: Amulium patruum Rheæ ſacerdotis, amore ejus captum, nubilo cœlo obſcuroque aëre, cum primum illuceſcere cepiſſet, in uſum ſacrorum aquam petenti inſidiatum, in luco Martis compreſſiſſe eam: tum exactis menſibus geminos editos. Quod cum comperiſſet, celandi facti gratia per ſcelus concepti, *necari* juſſit *ſacerdotem; partum ſibi exhiberi:* tumque Numitorem ſpe futurorum, quod hi, ſi adoleviſſent, injuriarum ſuarum quandoque ultores futuri eſſent, alios pro eis ſubdidiſſe, illoſque ſuos veros nepo-

Silvius Procas Rex Italiæ. Filii ejus Numitor & Amulius.

Amulius regnum obtinet.

Numitoris filium interimit. Rhea Silvia.

Geminos edit.

(*b*) al. Tyrrhenum. (*c*) al. quatenus. (*d*) al. ab univerſis nobilibus. (*e*) al. Tiberinus. (*f*) al. Remulus.

(18) Albula flumen deperiit; mutandi nominis exſtitit cauſa) Et Tiberis appellatum. Huc repete numiſma ex Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. II. num. 4. & conf. BEGER. Th. Brand. Tom. II. pag. 665.

nepotes Fauſtulo paſtorum magiſtro dediſſe nutriendos.

Alia ex aliis auctoribus.

CAP. XX. At vero Fabius Pictor lib. I. & Vennonius (g) ſolito inſtitutoque egreſſam virginem, in uſum ſacrorum aquam petitum ex eo fonte, qui erat in luco Martis, ſubito imbribus tonitribuſque, quæ cum illa erant, disjectis, (19) à Marte compreſſam, conturbatamque; mox recreatam conſolatione Dei, nomen ſuum indicantis, affirmantiſque ex ea natos dignos patre evaſuros. Primum igitur Amulius Rex, ut comperit Rheam Silviam ſacerdotem peperiſſe geminos, protinus imperavit *deportari ad aquam profluentem, atque eo abjici.* Tum illi, quibus id imperatum erat, impoſitos alveo pueros, circa radices montis Palatii in Tiberim, qui tum magnis imbribus ſtagnaverat, abjecerunt: ejuſque regionis ſubulcus Fauſtulus, ſpeculatus exponentes, ut vidit relabente flumine alveum, in quo pueri erant, obhæſiſſe ad arborem fici, puerorumque vagitu lupam excitam, quæ repente exierat; primo lambitu eos deterſiſſe, dein levandorum uberum gratia mammas præbuiſſe; deſcendit ac ſuſtulit, nutriendoſque Accæ Larentiæ, uxori ſuæ dedit: ut ſcribunt Ennius lib. I. & Cæſar II. Addunt quidam (20) Fauſtulo inſpectante, picum quoque advolaſſe, & ore pleno cibum pueris ingeſſiſſe: inde videlicet lupum picumque Martiæ tutelæ eſſe: arborem quoque illam, *Ruminalem* dictam, circa quam pueri abjecti erant; quod ejus ſub umbra pecus acquieſcens meridie ruminare ſit ſolitum.

De Romuli & Remi nativitate, a. U. C. 18. Ol. 2. a. C. N. 770.

Et educatione.

Lupa & picus unde in tutela Martis. Arbor Ruminalis.

CAP. XXI. At vero Valerius tradit, pueros ex Rhea Silvia natos Amulium regem Fauſtulo ſervo necandos dediſſe: ſed eum à Numitore exoratum ne pueri necarentur, Accæ Larentiæ amicæ ſuæ nutriendos dediſſe: quam mulierem, eo quod pretio corpus eſſet vulgare ſolita, *Lupam* dictam. Notum quippe ita appellari mulieres quæſtum corpore facientes: unde & ejusmodi loci, in quibus hæ conſiſtunt, *Lupanaria* dicta. Cum vero pueri liberalis diſciplinæ capaces facti eſſent, Gabiis Græcarum Latinarumque literarum ediſcendarum gratia commoratos: Numitore avo clam omnia ſubminiſtrante. Itaque ut primum adoleviſſent, Romulum indicio educatoris Fauſtuli comperto, *qui ſibi avus, quæ mater fuiſſet, quidve de ea factum eſſet*; cum armatis paſtoribus Albam protinus perrexiſſe, interfectoque Amulio Numitorem avum in regnum reſtitutum: *Romulum* autem à virium magnitudine appellatum; nam Græca lingua ῥωμὴν virtutem dici certum eſt: Alterum vero *Remum* dictum, videlicet à tarditate; quippe talis naturæ homines ab antiquis *Remores* dicti.

Aliter iterum de Romulo & Remo relatum.

Lupanaria unde dicta.

Amulii cædes, a. U. C. 1. Ol. 6. a. C. N. 753.

CAP. XXII. Igitur actis, quæ ſupra diximus, re divina facta, eo in loco, qui nunc *Lupercal* dicitur, ludibundi diſcurrerant, pellibus hoſtiarum occurſantes quoſque ſibimet verberantes: utque ſollemne ſacrificium ſibi, poſteriſque id eſſet, ſanxerunt, ſeparatimque ſuos appellaverunt, Remus *Fabios*: Romulus *Quintilios*: quorum utrumque nomen etiamnum in ſacris manet. At vero lib. II. Pontificalium proditur, miſſos ab Amulio, qui Remum pecorum paſtorem attraherent: cum non auderent ei vim afferre, opportunum tempus ſibi ad inſidiandum nactos, quod tum Romulus aberat, genus luſus ſimulaſſe, quinam eorum manibus poſt terga ligatis, lapidem, quo lana penſitari ſolebat, mordicus ſublatum, quam longiſſime perferret. Tum Remum, fiducia virium *in Aventinum uſque ſe perlaturum* ſpopondiſſe: deinde poſtquam vinciri ſe paſſus eſt, Albam abſtractum. Quod poſtquam Romulus comperiſſet, coacta paſtorum manu, eaque in centenos homines diſtributa; perticas manipulis fœni varie formatis in ſummo junctas, dediſſe: quo facilius eo ſigno ſuum quiſque ducem ſequeretur. Unde inſtitutum, ut poſtea milites, qui ejusdem ſigni eſſent, *Manipulares* dicerentur. Itaque ab eo oppreſſo Amulio, fratrem vinculis liberatum, avum regno reſtitutum.

Lupercal.

Fabii.

Quintilii.

Amulius quomodo oppreſſus ex libro Pontificalium.

Manipulares unde dicti.

CAP. XXIII. Cum igitur inter ſe Romulus & Remus de condenda urbe tractarent, in qua ipſi pariter regnarent, Romuluſque locum, qui ſibi idoneus videretur, in monte Palatino deſignaret, *Romamque* appellari velle: contraque item Remus in alio colle, qui aberat à Palatio millibus quinque, eundemque locum ex ſuo nomine *Remuriam* appellaret, neque ea inter eos finiretur contentio, avo Numitore arbitro adſcito, placuit diſceptatores ejus controverſiæ, immortales Deos ſumere: ita *ut utri eorum priori ſecunda auſpicia obveniſſent, urbem conderet; eamque ex ſuo nomine nuncuparet, atque in ea regni ſummam teneret.* Cumque auſpicaretur Romulus in Palatio, Remus in Aventino, ſex vultures pariter volantes, à ſiniſtra Remo prius viſos: tumque ab eo miſſos qui Romulo nuntiarent, *ſibi jam data auſpicia, quibus condere urbem juberetur: itaque maturaret ad ſe venire.* Cumque ad eum Romulus veniſſet, quæſiſſetque quænam illa auſpicia fuiſſent, dixiſſetque ille, *ſibi auſpicanti ſex vulturios ſimul apparuiſſe: At ego*, inquit Romulus, *jam tibi duodecim demonſtrabo:* ac repente duodecim vultures apparuiſſe, ſubſequuto cœli fulgore pariter tonitruque. Tum Romulus, *Quid*, inquit, *Reme affirmas priora, cum præſentia intuearis?* Remus poſtquam intellexit ſeſe regno fraudatum; *Multa*, inquit, *in hac urbe temere ſperata atque præſumpta, feliciſſime proventura ſunt.* At vero Licinius Macer lib. I. docet contentionis, illius perniciosum exitum fuiſſe; namque ibidem obſiſtentes

Romuli & Remi contentio de urbis appellatione. U. C. 1. Ol. 7. a. C. N. 752.

Augurio dirempta.

Aliter ex aliis dicta narrantur.

O

(g) al. Venonius.

(19) A Marte compreſſam) Huc pertinet numus ex Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. II. num. 5.

(20) Fauſtulo - - - lupum picumque - - - arborem - - - Ruminalem) Fauſtulum, Romulum & Remum infantes ad arborem fici, cui picus inſidet, à lupa lactatos, inveniſſe, oſtendunt numiſmata Tom I. Script. Hiſt. Rom. Tab. III, num. 1. 2. 3. & Tom. II. Tab. III. num. 2.

ſtentes Remum & Fauſtulum interfectos. Contra Egnatius lib. I. in ea contentione non modo Remum non eſſe occiſum, ſed etiam ulterius à Romulo vixiſſe tradit. Sed horum omnium opinionibus diverſis repugnat noſtræ memoriæ proclamans hiſtoria Liviana, quæ teſtatur quod auſpicato Romulus ex ſuo nomine *Romam* vocavit: cumque muniret mœnibus, edixit, *ne quis vallum tranſiliret*: quod Remus irridens tranſilivit, & à Celere Centurione rutro, vel raſtro fertur occiſus. Romulus aſylum convenis, &c.

Remi cædes.



SEXTUS

SEXTUS AURELIUS VICTOR
DE
VIRIS ILLUSTRIBUS
URBIS ROMÆ.



M. Tyroff sculp. Norimbergæ.

SEXTUS AURELIUS VICTOR
DE
VIRIS ILLUSTRIBUS
URBIS ROMÆ.

CAPUT I.

Proca filiis reliquit regnum.

PRoca *(a)* rex Albanorum Amulium, & Numitorem filios habuit, quibus regnum annuis vicibus habendum reliquit; & ut alternis imperarent: ſed Amulius fratri imperium non dedit: &, ut eum ſubole privaret, Rheam *(b)* Silviam filiam ejus, Veſtæ ſacerdotem præfecit: ut virginitate perpetua teneretur: quæ à Marte compreſſa, Romulum & Remum edidit. Amulius ipſam in vincula compegit: parvulos in Tiberim abjecit: quos aqua in ſicco reliquit. Ad vagitum lupa accurrit, eoſque uberibus ſuis aluit: mox Fauſtulus paſtor collectos Accæ Laurentiæ conjugi educandos dedit. *(c)* Qui poſtea, Amulio interfecto, Numitori avo regnum reſtituerunt: ipſi *(d)* paſtoribus adunatis *(e)* civitatem condiderunt: quam Romulus augurio victor, quod ipſe XII. Remus VI. vultures viderat, *Romam* vocavit: &, ut eam prius legibus, quam mœnibus muniret; edixit *ne quis vallum tranſiliret:* quod Remus irridens, tranſilivit, *(f)* & à Fabio Celere *(g)* Centurione rutro *(h)* fertur occiſus.

Sed Amulius illud fratri præripit.

Rhea Silvia Romulum & Remum edit.

Amulio interfecto Numitor reſtituitur.

Roma condita, Ol. 7. a. C. N. 752.

Remus occiſus.

CAP. II. (1) Romulus aſylum convenis patefecit, & magno exercitu facto, *(i)* cum videret conjugia deeſſe, per legatos à finitimis civitatibus petiit. Quibus negatis, ludos Conſualia ſimulavit: ad quos cum utriuſque ſexus multitudo veniſſet, dato ſuis ſigno virgines raptæ *(k)* ſunt: ex quibus cum una pulcerrima cum magna omnium admiratione duceretur, *Thalaſſio eam duci* reſponſum. Quæ nuptiæ quia feliciter ceſſerunt, *(l)* inſtitutum eſt, *ut omnibus in nuptiis Thalaſſii nomen invocaretur.* *(m)* Cum feminas ergo finitimorum Romani rapuiſſent, *(n)* primi Cæninenſes *(o)* contra eos bellum ſumpſerunt. Adverſus quos Romulus proceſſit, & exercitum eorum ac ducem Acronem ſingulari prælio devicit. Spolia opima Jovi Feretrio in Capitolio conſecravit. (Antemnates, *(p)* Cruſtumini, Fidenates, Veientes;) *(q)* Sabini etiam ob raptas bellum adverſus Romanos ſumpſerunt. Et cum Romæ appropinquarent, Tarpejam virginem nacti, quæ æquæ, cauſa ſacrorum, hauriendæ *(r)* deſcenderat, ei T. Tatius optionem muneris dedit, ſi exercitum ſuum in Capitolium perduxiſſet: Illa petiit *quod illi in ſiniſtris manibus gerebant, videlicet annulos & armillas.* Quibus

Romulus aſyla patefacit.

Conjuges rapit. U. C. I. Ol. 7. a. C. N. 751.

Thalaſſio.

Cæninenſes.

Vincuntur.

Tarpeja virgo.

(a) al. Procas. *(b)* al. Ream. *(c)* al. tradit. *(d)* al. ibi. *(e)* al. coadunatis. *(f)* al. tranſiluit. *(g)* al. & à Celere. *(h)* al. raſtro. *(i)* al. & mox exercitu facto. *(k)* al. captæ. *(l)* al. ceſſerant. *(m)* al. *iteraretur.* *(n)* al. Romani vi rapuiſſent. *(o)* al. Cenienſes. *(p)* al. Antenates. *(q)* alii Parentheſi incluſa omittunt. *(r)* al. quæ aquæ cauſa ſacrorum gratia hauriendæ.

(1) Romulus) Romuli effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. III. num. 4. Tom. II. Tab. I. num. 2.

A Sabinis ſcutis obruitur.

doloſe repromiſſis, (*s*) Sabinos in arcem perduxit, ubi Titus ſcutis eam obrui præcepit: nam & ea in lævis habuerant. Romulus adverſus Tatium, qui montem Tarpejum tenebat, proceſſit: & in eo loco, ubi nunc Romanum forum eſt, pugnam conſeruit: ibi Hoſtus (*t*) Hoſtilius fortiſſime dimicans cecidit: cujus interitu conſternati Romani fugere ceperunt. Tunc Romulus Jovi Statori ædem vovit, & exercitus ſeu forte, (*u*) ſeu divinitus reſtitit. Tunc raptæ (*x*) in medium proceſſerunt: & hinc patres, (*y*) inde conjuges deprecatæ, pacem conciliarunt. Romulus fœdus percuſſit, & Sabinos in Urbem recepit: populum à Curibus (*z*) oppido Sabinorum, *Quirites* vocavit. Centum Senatores, à pietate *Patres* appellavit. (*a*) Tres equitum centurias inſtituit, quas à ſuo nomine *Ramnenſes*, (*b*) a Tito Tatio *Tatienſes*, à Lucumone *Luceres* (*c*) appellavit. Plebem in triginta curias diſtribuit, eaſque raptarum nominibus (*d*) appellavit. Cum ad Capræ (*e*) paludem exercitum luſtraret, nuſquam (*f*) comparuit: unde inter Patres & Populum ſeditione orta, Julius Proculus vir nobilis, in concionem proceſſit, & jurejurando firmavit, *Romulum à ſe in colle Quirinali viſum auguſtiore forma, cum ad Deos abiret; (g) eundemque præcipere, ut ſeditionibus abſtinerent, virtutem colerent: futurum ut omnium gentium domini exſiſterent.* Hujus auctoritati (*h*) creditum eſt: ædes in colle Quirinali Romulo conſtituta, ipſe pro Deo cultus, & Quirinus eſt appellatus.

Pugna cum Sabinis. Romani fugiunt. Jupiter Stator. Fœdus cum Sabinis. Quirites. Patres. Centuriæ equitum. Curiæ plebis. ROMULUS ad Deos abit. U. C. 37. Ol. 16. a. C. N. 716. Pro Deo cultus & Quirinus dictus.

CAP. III. Poſt conſecrationem Romuli, cum diu interregnum eſſet, & ſeditiones (*i*) orirentur, (2) Numa Pompilius Pomponis (*k*) filius, Curibus (*l*) oppido Sabinorum accitus, cum addicentibus avibus (*m*) Romam veniſſet, ut populum ferum religione molliret, ſacra plurima inſtituit: ædem Veſtæ fecit, (*n*) virgines Veſtales legit; Flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem: Salios Martis ſacerdotes, quorum primus *Præſul* vocatur, XII. inſtituit. Pontificem Maximum creavit. Portas Jano gemino (*o*) ædificavit. Annum in XII. menſes diſtribuit, additis (*p*) Januario & Februario. Leges quoque plurimas & utiles (tulit) omnia (quæ gerebat,) juſſu Egeriæ nymphæ, uxoris (*q*) ſuæ, ſe facere ſimulans. Ob hanc tantam juſtitiam bellum ei nemo intulit. Morbo ſolutus in Janiculo ſepultus eſt, ubi poſt multos annos arcula cum libris à Terentio (*r*) quodam exarata: (*s*) qui libri, quia leveis (*t*) quaſdam ſacrorum cauſas continebant, ex auctoritate Patrum cremati ſunt.

NUMA POMPILIUS. U. C. 38. Ol. 16. a. C. N. 715. Romam venit. Sacra inſtituit. Leges fert. Juſſu Egeriæ. Moritur.

CAP. IV. (3) Tullus Hoſtilius, quia bonam operam (*u*) adverſum Sabinos navaverat, (*x*) Rex creatus, bellum Albanis indixit: quod trigeminorum (*y*) certatione finivit, & Albam propter perfidiam (*z*) ducis Metii Fufetii (*a*) diruit. Albanos Romam tranſire juſſit. Curiam Hoſtiliam conſtituit. Montem Cœlium (*b*) Urbi addidit. Et dum Numam Pompilium ſacrificiis (*c*) imitatur, Jovi Elicio litare non potuit, fulmine ictus cum regia conflagravit. Quum inter Romanos & Albanos bellum fuiſſet exortum, ducibus Hoſtilio & Fufetio, placuit rem paucorum certatione (*d*) finire. Erant apud Romanos trigemini Horatii, tres apud Albanos Curiatii, quibus fœdere icto concurrentibus, ſtatim duo Romanorum ceciderunt, (*e*) tres Albanorum vulnerati. Unus Horatius quamvis integer, quia tribus impar erat, fugam ſimulavit, & ſingulos per intervalla, ut vulnerum dolor patiebatur, inſequentes interfecit. Et cum ſpoliis onuſtus rediret, ſororem obviam habuit, quæ viſo paludamento ſponſi ſui, qui unus ex Curiatiis erat, flere cepit: frater eam occidit. Qua re (*f*) apud Duumviros condemnatus, ad (*g*) populum provocavit: ubi patriis (*h*) lacrymis condonatus, ab eo expiandi gratia ſub tigillum miſſus, quod nunc quoque viæ ſuppoſitum (*i*) *Sororium* appellatur. Metius Fufetius Dux Albanorum, cum ſe invidioſum apud civeis videret, quod bellum ſola trigeminorum certatione finiſſet, ut rem corrigeret, Veientes & Fidenates adverſum Romanos incitavit. Ipſe ab Tullo in auxilium arceſſitus, aciem in collem ſubduxit, ut fortunam (belli experiretur ac) (*k*) ſequeretur. Qua re (*l*) Tullus intellecta, magna voce ait, *ſuo illud juſſu Metium facere.* Quare hoſtes territi victique ſunt. (*m*) Poſtera die Metius, cum ad gratulandum Tullo veniſſet, juſſu ipſius (*n*) quadrigis religatus, in diverſa diſtractus eſt.

TULLUS HOSTILIUS. Rex creatur. U. C. 81. Ol. 27. a. C. O. 672. Ejus res geſtæ. Fulmine ictur. Certamen inter Horatios & Curiatios. U. C. 84. Ol. 27. a. C. N. 669. Horatius victor ſororem occidit. Metius Fufetius. Vejentes & Fidenates incitat adverſus Romanos. Sed victus. Quadrigis diſtrahitur.

CAP. V. (4) Ancus Marcius Numæ Pompilii (*o*) ex filia nepos, æquitate & religione avo ſimilis, Latinos bello domuit. Aventinum & Janiculum (*p*) monteis Urbi addidit. (*q*) Nova mœnia oppido circumdedit. Silvas ad uſum navium publicavit. Salinarum vectigal inſtituit.

ANCUS MARCIUS. U. C. 113. Ol. 35. a. C. N. 640. Ejus res geſtæ.

(*s*) al. doloſe promiſſis. (*t*) al. Hoſtius. (*u*) al. & exercitui ſeu ſorte. (*x*) al. captæ. (*y*) al. matres. (*z*) al. à Quiritibus. (*a*) al. Centumque ex ſenatoribus elegit, quorum conſilio omnia ageret; quos pro ſenectute Senatores; Patres à pietate nominavit. (*b*) al. *Rhamnenſes.* al. *Ramnes.* al. *Romnes.* (*c*) al. à Luci communione *Luceres.* (*d*) al. nomine. (*e*) al. Cum apud Capreæ. (*f*) al. nonnunquam. (*g*) al. *obiret.* (*h*) al. auctoritate. (*i*) al. cum diu interregno ſeditiones &c. al. diſſenſiones. (*k*) al. Pomponii. (*l*) al. à Curibus. (*m*) al. adducentibus civibus. (*n*) al. confecit. (*o*) al. Jano geminio. (*p*) al. addito. (*q*) al. conjugis. (*r*) al. à Tarentino. (*s*) al. extracta. (*t*) al. leges. (*u*) al. quia avus ejus bonam operam. (*x*) al. navarat. (*y*) al. tergeminorum. (*z*) al. proditionem. (*a*) al. Suffetii. (*b*) al. Cælium. (*c*) al. ſacrificii. (*d*) al. certamine. (*e*) al. ceciderant. (*f*) al. quare. (*g*) al. ad omittunt. (*h*) al. patris. (*i*) al. ſuprapoſitum. al. ſuperpoſitum. (*k*) alii quæ parentheſis continet, omittunt. (*l*) al. Eaque re. (*m*) al. & victi ſunt. (*n*) al. ejus. (*o*) al. Pomponii. (*p*) al. & Murtium. (*q*) al. Urbi Romanæ addidit.

(2) Numa Pompilius) Numæ Pompilii effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. IV. num. 4. Tom. II. Tab. I. num. 3.
(3) Tullus Hoſtilius) Tulli Hoſtilii effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. VI. num. 2. & Tom. II. Tab. I. num. 4.
(4) Ancus Marcius) Anci Marcii effigiem vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. VII. num. 1. & 2. & Tom. II. Tab. I. num. 5.



Tab. XXI.
ad pag. 111.



instituit. Carcerem primus ædificavit. Ostiam coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in ostia Tiberis deduxit. Jus feciale, quo legati ad res repetundas uterentur, ab Æquiculis transtulit: quod primus fertur Rhesus (r) excogitasse. His rebus intra paucos dies confectis, immatura morte præreptus, non potuit præstare, qualem promiserat, regem.

Moritur.

LUCIUS TARQUINIUS PRISCUS.

CAP. VI. (5) Lucius Tarquinius Priscus, Damarati Corinthii filius, ejus qui Cypseli tyrannidem fugiens, (s) in Etruriam commigravit. Ipse Lucumo dictus, urbe Tarquiniis profectus (t) Romam petiit. Advenienti aquila pileum sustulit: (u) & cum alte subvolasset, reposuit. Tanaquil conjux, auguriorum perita, regnum ei portendi intellexit. Tarquinius pecunia & industria dignitatem, atque etiam Anci regis familiaritatem consequutus est. A quo tutor liberis relictus, regnum intercepit, & ita administravit, quasi jure adeptus fuisset. (x) Centum Patres in Curiam legit, qui *minorum gentium* sunt appellati. Equitum centurias numero duplicavit: (y) nomina mutare non potuit, (6) Accii Navii (z) auguris auctoritate deterritus, qui fidem artis suæ, novacula & cote firmavit. Latinos bello domuit. Circum maximum ædificavit. Ludos magnos instituit. De Sabinis & Priscis Latinis triumphavit. Murum lapideum Urbi circumdedit. (a) Filium XIII. annorum, quod in prælio hostem percussisset, prætexta & bulla donavit: unde hæc ingenuorum puerorum insignia esse ceperunt. Post ab Anci liberis, immissis percussoribus, (b) per dolum regia excitus & interfectus est. (c)

Romam venit. U. C. 121. Ol. 37. a. C. N. 632.

Augurium.

Tutor liberorum Anci. Ipsis regnum præripit. U. C. 137. Ol. 41. a. C. N. 616.

Interficitur.

SERVIUS TULLIUS.

CAP. VII. (7) Servius Tullius P. Corniculani, & Ocrisiæ (d) captivæ filius, cum in domo Tarquinii Prisci educaretur, flammæ species caput ejus amplexa est. Hoc viso (e) Tanaquil summam ei dignitatem portendi intellexit. (f) Conjugi suasit *ut ita eum, ut liberos suos, educaret*. Cumque adolevisset, gener à Tarquinio assumptus est: Et cum Rex occisus esset, Tanaquil (ex altiore (g) loco) (h) ad populum despiciens, (i) ait *Priscum Tarquinium gravi quidem, sed non letali vulnere accepto, petere ut interim dum convalescit, Servio Tullio dicto audientes* (k) *essent*. Servius Tullius quasi precario regnare cepit: sed recte imperium administravit. Etruscos sæpe domuit: collem Quirinalem & Viminalem & Esquilias Urbi addidit: aggerem, fossasque (l) fecit. Populum in quatuor tribus distribuit, ac post plebi distribuit annonam: mensuras, pondera, classes, centuriasque constituit. (Primus omnium censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat:) Latinorum populis persuasit, *ut exemplo eorum qui Dianæ Ephesiæ ædem fecissent, & ipsi ædem Dianæ in Aventino ædificarent*. Quo facto, (m) bos cuidam (n) Latino miræ magnitudinis nata, & responsum somnio datum, *eum populum summam imperii habiturum, cujus civis bovem* (o) *illam immolasset*. Latinus bovem in Aventinum egit, & causam (p) sacerdoti Romano exposuit. Ille callidus, dixit (q) *prius eum vivo flumine manus abluere debere*. Latinus dum (r) ad Tiberim descendit, sacerdos bovem immolavit. Ita imperium civibus, sibi gloriam facto consilioque vindicavit. (s) Servius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habens, cum Tarquinii Prisci (t) filios pari animo videret, ut omnium mentes morum diversitate leniret, ferocem miti, mitem (u) feroci in matrimonium dedit. Sed mites, seu forte, seu fraude perierunt: feroces morum similitudo conjunxit. Statim Tarquinius Superbus à Tullia incitatus, advocato Senatu regnum paternum (x) repetere (y) cepit. Qua re audita Servius, dum ad Curiam properat, jussu Tarquinii gradibus dejectus, & domum refugiens, interfectus est. Tullia in forum properavit, & prima conjugem Regem salutavit, à quo jussa è turba decedere, (z) cum domum rediret, viso patris corpore, mulionem evitantem (8) super ipsum corpus carpentum agere præcepit: unde vicus ille, *Sceleratus* dictus est. Postea Tullia cum conjuge in exilium acta.

Rex Romanorum. U. C. 175. Ol. 50. a. C. N. 578.

Ejus res gestæ.

Censum ordinat.

Dianæ Ephesiæ ædem ædificat.

Bos miræ magnitudinis immolatus præsagium imperii.

Servius Tullius filias suas elocat.

Interficitur.

Tullia super patris corpus carpentum agit.

CAP.

(r) al. Hesus. (s) al. Græci Demarathi filius, Corinthi tyrannidem fugiens. (t) al. profugus. (u) al. subtulit. (x) al. foret. (y) al. duplicare. (z) al. Attii Nevii. al. Accii Nevii. al. Actii Nævii. (a) al. Urbi Romanæ circumdedit. (b) al. percussionibus. (c) al. Regno exutus & interfectus est. (d) al. Tullii Cornicularii & Ocretiæ. al. Ocratiæ. (e) al. visu. (f) al. intelligit. (g) al. ex altiori. (h) alii quæ in Parenthesi sunt, omittunt. (i) al. respiciens. (k) al. obaudientes. (l) al. ac fossam. al. fossas. (m) al. effecto. (n) al. quædam. (o) al. *qui prius bovem*. (p) al. & omnia. (q) al. Ille callide dixit. (r) al. Dum Latinus. (s) al. vendicavit. al. quæsivit, adduntque: Regnavit annis XLIV. (t) al. Tarquinii Superbi. (u) al. ferocem morum simplici, mitem &c. (x) al. patrium. (y) al. repente. (z) al. à qua jussa turba recedere. al. à quo jussa turba discedere. al. à quo missa turba, discedens, dum domum &c.

(5) Lucius Tarquinius Priscus) Hujus effigiem vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. VII. num. 4. & Tom. II. Tab. I. num. 6.
(6) Accii Navii - - - novacula & cote firmavit) Prodigium hoc expressum vide Tab. IV. num. 3.
(7) Servius Tullius) Servii Tullii effigiem vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. VII. num. 5. & Tom. II. Tab. I. num. 7.
(8) Super ipsum corpus - - - carpentum agere præcepit) Hæc dum prelo subjicere in procinctu eramus, literæ nobis tradebantur, quæ locum hunc illustrandi, amplissimum patefaciebant campum. Inclusa enim erat illis typis expressa ,,DESCRIPTIO at- ,,que EXPLICATIO artificiosissimi, nec hactenus unquam visi, admirandæ Antiquitatis cujusdam MONUMENTI, URCEI sive ,,CANTHARI, cum aliis ejusmodi Reliquiis, Anno Christ. Sal. MDCCXXXVI. terra effossi, omnibus ex argumentis & indiciis ,,vere antiqui, Historiam valde notabilem antiquissimis Regum Romanorum temporibus FAMOSÆ istius TULLIÆ, (De quo ,,LIVIUS Lib. I. CAP. XLVI. seqq. & OVIDIUS Lib. VI. Fast.) cum omnibus circumstantiis rei gestæ & vivis quasi Affecti- ,,bus, mira proportione ac subtilitate figurarum repræsentantis.,, Ita se titulus habet. Vulgavit eam festinante calamo Prænobilis & in studio Antiquitatum haud leviter peritus Vir, LUDOVICUS FRIDERICUS WAGNER, Aularum Electoralis Coloniensis, & Ducalis Turrianæ Consiliarius, in gratiam maximi cujusdam apud exteros Principis, qui cimelium istud, pretio justo sibi comparandi studio flagrans, quantocyus descriptum & delineatum exposcebat. Ejus itaque pace & Possessorem nominamus, & descriptione pariter ac delineatione hac æri incisa Opus nostrum illustramus. Utramque igitur, Tab. XX. & XXI. Antiquitatum qui estis cultores, lustrate & admiramini.

TARQUINIUS SUPERBUS. U. C. 219. Ol. 61. a. C. N. 534. Ejus res gestæ.

CAP. VIII. (9) Tarquinius Superbus cognomen moribus (*a*) meruit. Occiso Servio Tullio regnum scelestè occupavit: tamen bello strenuus, Latinos Sabinosque domuit; Suessam (*b*) Pometiam Volscis (*c*) eripuit: Gabios per Sextum filium, simulato transfugio, in potestatem redegit: & ferias Latinas primus instituit. Locos (*d*) in Circo, & cloacam maximam fecit, ubi totius populi viribus usus est. Unde illæ fossæ, *Quiritium* sunt dictæ. Cum Capitolium inciperet, caput hominis invenit: unde cognitum est, eam Urbem caput gentium futuram. Et cum in obsidio (*e*) Ardeæ filius ejus Lucretiæ stuprum intulisset, cum eo in exilium actus, ad Porsennam Etruriæ Regem confugit; cujus ope regnum retinere (*f*) tentavit. Pulsus, Cumas concessit: ubi per summam ignominiam (*g*) reliquum vitæ tempus exegit.

Cum filio Lucretiæ stuprum inferente In exilium agitur. U.C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510.

CAP. IX. Tarquinius Collatinus sorore (*h*) Tarquinii Superbi genitus, in contubernio juvenum regiorum Ardeæ erat: ubi cum forte in liberiore (*i*) convivio conjugem suam unusquisque laudaret, placuit experiri. Itaque equis Romam petunt. Regias nurus in convivio & luxu deprehendunt, exinde Collatiam (*k*) petunt; Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt; itaque ea *pudicissima* judicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus nocte Collatiam rediit, & jure propinquitatis in domum Collatini venit, & in cubiculum Lucretiæ irrupit, pudicitiam expugnavit. Illa postero die advocatis patre & conjuge, rem exposuit; & se cultro, quem veste texerat (*l*), occidit. Illi in exitium Regum conjurarunt, eorumque exilio necem Lucretiæ vindicaverunt.

Regiæ nurus in convivio & luxu. Lucretia in lanificio. Lucretia corrumpitur. Seipsam occidit. Et vindicatur.

L. Junius Brutus. Stultitiam fingit.

CAP. X. (10) L. Junius Brutus sorore (*m*) Tarquinii Superbi genitus, cum eandem fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob divitias & prudentiam (*n*) fuerat ab avunculo occisus, stultitiam finxit, unde *Brutus* dictus. Juvenibus regiis Delphos euntibus deridiculi (*o*) gratia comes adscitus, baculo sambuceo aurum infusum Deo donum tulit. (*p*) Ubi responsum est, *eum Romæ summam potestatem (q) habiturum, qui primus matrem oscularetur:* ipse terram osculatus est. Deinde propter Lucretiæ stuprum, cum Tricipitino & Collatino in exitium Regum conjuravit. Quibus in exilium actis, primus Consul creatus, filios suos, fratrisque, (*r*) quod cum Aquiliis & Vitelliis ad recipiendum in Urbem Tarquinios conjuraverant, virgis cæsos securi percussit. Deinde in prælio, quod adversus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte filio Tarquinii congressus est, ubi ambo mutuis vulneribus ceciderunt. Cujus corpus in foro positum, à collega laudatum, matronæ anno luxerunt.

Terram matrem osculatur. In Tarquinios conjurat. Filios suos fratrisque securi percutit. In certamine occiditur. U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510. Laudatur. Et Lugetur.

CAP. XI. Porsenna (*s*) rex Etruscorum, cum Tarquinios in Urbem restituere tentaret, & primo impetu Janiculum cepisset; (11) Horatius Cocles (illo cognomine, quod in alio prælio oculum amiserat) pro ponte sublicio stetit, & aciem hostium solus sustinuit, (*t*) donec pons à tergo interrumperetur, cum quo statim in Tiberim decidit, & armatus ad suos transnavit. Ob hoc ei tantum agri publice datum est, quantum uno die circumarari (*u*) potuisset: statua quoque ei in Vulcanali posita.

Porsenna Tarquinios restituere tentat. U. C. 245. Ol. 68. a. C. N. 508. Horatii Coclitis insignis fortitudo.

CAP. XII. Cum Porsenna Rex Urbem obsideret, Mutius Cordus, vir Romanæ constantiæ, Senatum adiit, & veniam transfugiendi petiit, necem Regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsennæ venit, ibique purpuratum pro Rege, deceptus occidit. Apprehensus, & ad Regem pertractus, dexteram aris imposuit: hoc supplicii à rea (*x*) exigens, quod in cæde peccasset. Unde cum misericordia Regis abstraheretur, (*y*) quasi beneficium referens, ait, *trecentos adversus eum similes conjurasse.* Quare ille territus, bellum acceptis obsidibus deposuit. Mutio prata trans Tiberim data, ab eo *Mutia* appellata. Statua quoque ei honoris gratia constituta est.

Mutius Scævola. Purpuratum pro Rege occidit. Dexteram aris imponit. Pratis & statua donatur.

CAP. XIII. Porsenna Clœliam virginem nobilem inter obsides accepit: quæ deceptis custodibus, noctu castris ejus egressa, equum, quem fors (*z*) dederat, arripuit, & Tiberim trajecit. A Porsenna per legatos repetita, & reddita. Cujus ille virtutem admirans, *cum quibus optasset in patriam redire*, permisit: illa virgines puerosque elegit, (*a*) quorum ætatem injuriæ obnoxiam sciebat. Huic statua equestris in foro posita.

Clœliæ virtus heroica. Statua equestri ornatur.

CAP. XIV. Romani cum adversum Veienteis bellarent, eos sibi hosteis, familia Fabiorum privato nomine depoposcit: (*b*) & profecti trecenti sex, (*c*) duce Fabio Consule, fuerunt. (*d*) Cum sæpe victores exstitissent, apud Cremeram fluvium castra posuerunt. Veientes ad dolos conversi, pecora ex adverso (*e*) in conspectu illorum posuerunt: (*f*) ad quæ (*g*) progressi Fabii, in insidias delapsi, ad unum occisione (*h*) perierunt. Dies quo id factum est, inter nefastos relatus. (*i*) Porta, qua profecti fuerant, (*k*) *Scelerata* est appellata. Unus ex ea gente propter impuberem ætatem domi relictus, genus propagavit ad Q. Fabium Maximum, qui Annibalem mora fregit, (*l*) *Cunctator* ab obtrectatoribus dictus.

Vejentes sibi hostes deposcunt. Trecenti Fabii. U. C. 275. Ol. 75. a. C. N. 478. In insidias delapsi. Occiduntur.

CAP.

(*a*) al. ex moribus. al. à moribus. (*b*) al. Scevam. (*c*) al. Etruscis. (*d*) al. Lacus. al. Ludos. (*e*) al. obsidione. (*f*) al. recuperare. (*g*) al. cum summa ignominia. (*h*) al. ex sorore. (*i*) al. unde cum forte liberiore &c. (*k*) al. Conlatiam. al. Collatium. (*l*) al. gesserat. (*m*) al. ex sorore. (*n*) al. & de imprudentia. (*o*) al. ridiculi. (*p*) al. dono intulit. (*q*) al. *dignitatem.* (*r*) al. fratrisque omittunt. (*s*) al. Porsena. (*t*) al. subtinuit. (*u*) al. arari. al. ambire. (*x*) al. ab ea. (*y*) al. distraheretur. (*z*) al. sors. (*a*) al. delegit. (*b*) al. deposcit. (*c*) al. & profecti. Trecenti sex &c. (*d*) al. fuerunt omittunt. (*e*) al. ex diverso. (*f*) al. in conspectum illorum protulerunt. (*g*) al. atque. (*h*) al. occidione. (*i*) al. delatus. (*k*) al. fuerant omittunt. (*l*) al. At Q. Fabius qui Annibalem morans fregit.

(9) Tarquinius Superbus) Hujus effigiem vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. VIII. num. 5. & Tom. II. Tab. I. num. 7.
(10) L. Junius Brutus) Bruti effigiem vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. IX. num. 4.
(11) Horatius Cocles) Horatiæ gentis denarium rarissimum vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XI. num. 2.

Publius Valerius. Triumphat de Vejentibus & Sabinis. Suſpicionem regni affectati. Purgat. Poplicola dictus. Ob inopiam publice ſepelitur.

CAP. XV. Publius Valerius, Voluſi (*m*) filius, primum de Veientibus, iterum de Sabinis, tertio de utriſque gentibus triumphavit: Hic, quia in locum Bruti (*n*) collegæ Conſulem non ſubrogaverat, (*o*) & domum in Velia tutiſſimo loco habebat; in ſuſpicionem regni affectati venit. Quo cognito, apud Populum queſtus, *quod de ſe tale aliquid timuiſſent*; immiſit qui domum ſuam diruerent. Secures etiam faſcibus demſit, eoſque in Populi concione ſummiſit. Legem de provocatione à Magiſtratibus ad Populum tulit: hinc *Poplicola* (*p*) dictus. Qui cum (quater Conſul) diem obiiſſet, (adeo pauper exſtitit, ut collectis à populo nummis) (*q*) publice ſepultus ſit, & annuo matronarum luctu honoratus.

A. Poſtumius Dictator, U. C. 256. Ol. 70. a. C. N. 497. Tarquinios fundit. Caſtoris & Pollucis ope. Quibus ædem dedicat.

CAP. XVI. Tarquinius ejectus, ad Mamilium (*r*) Tuſculanum generum ſuum confugit, qui cum Latio concitato Romanos graviter urgeret, A. Poſtumius Dictator dictus, apud Regilli (*s*) lacum cum hoſtibus conflixit. Ubi cum victoria nutaret, (*t*) Magiſter equitum equis frenos detrahi juſſit, ut irrevocabili impetu ferrentur: ubi & aciem Latinorum fuderunt, (*u*) & caſtra ceperunt. Sed inter eos duo juvenes candidis equis inſigni virtute apparuerunt, quos Dictator quæſitos ut dignis muneribus honoraret, non reperit: (12) Caſtorem & Pollucem ratus, ædem communi (*w*) titulo dedicavit.

L. Quinctius Cincinnatus. Filium abdicat. Q. Minucium liberat. Dictator. U. C. 294. Ol. 80. a. C. N. 459. Obſidionali corona donatus. Triumphat. Iterum Dictator Sp. Mœlium occidit. U. C. 315. Ol. 85. a. C. N. 438.

CAP. XVII. Lucius Quinctius (*x*) Cincinnatus filium Kæſonem petulantiſſimum abdicavit, qui & à Cenſoribus notatus, ad Volſcos & Sabinos confugit, qui duce Clœlio (*y*) Craccho, bellum adverſum Romanos gerebant, & Q. Minucium Conſulem in Algido monte cum exercitu obſidebant: Quinctius Dictator dictus, ad quem miſſi legati, nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt: qui inſignibus ſumptis Conſulem obſidio liberavit. Quare à Minucio & ejus exercitu obſidionali corona donatus eſt. (*z*) Vicit hoſteis: ducem eorum in deditionem accepit, & triumphi (*a*) die ante currum egit. Sextodecim die dictaturam, quam acceperat, depoſuit: & ad agriculturam reverſus eſt. Iterum poſt viginti annos Dictator dictus, (13) Spurium Mœlium regnum affectantem, (14) à Servilio Ahala (*b*) Magiſtro equitum occidi juſſit. Domum ejus ſolo æquavit: unde locus ille *Æquimelium* dictus.

Menenius Agrippa. Ejus res geſtæ. U. C. 258. Ol. 71. a. C. N. 495. Pauper deceſſit.

CAP. XVIII. Menenius Agrippa cognomento Lanatus, dux electus adverſum Sabinos, de iis triumphavit. Et cum populus à Patribus ſeceſſiſſet, (*c*) quod tributum & militiam non toleraret, nec revocari poſſet; Agrippa apud eum, *Olim*, inquit, *humani artus, cum ventrem otioſum cernerent,* (*d*) *ab eo diſcordarunt, & ſuum illi miniſterium negarunt. Cum eo pacto & ipſi deficerent, intellexerunt ventrem acceptos cibos per omnia membra diſſerere:* (*e*) *& cum eo in gratiam redierunt. Sic Senatus & Populus quaſi unum corpus diſcordia pereunt; concordia valent.* Hac fabula Populus regreſſus (*f*) eſt. Creavit tamen Tribunos plebis, qui libertatem ſuam adverſum nobilitatis (*g*) ſuperbiam defenderent. Menenius autem tanta paupertate deceſſit, ut eum Populus collatis (*h*) quadrantibus ſepeliret, locum ſepulcro Senatus publice (*i*) daret.

Cajus Marcius Coriolanus. U. C. 261. Ol. 72. a. C. N. 492. Frumentum dat populo magno pretio. Volſcos adverſus Romanos concitat. Ut proditor occiditur.

CAP. XIX. Cajus (*k*) Marcius, à captis Coriolis urbe Volſcorum Coriolanus dictus: ob egregia militiæ (*l*) facinora à Poſtumo (*m*) optionem munerum accipiens, equum tamen & hoſpitem (*n*) ſumpſit, virtutis & pietatis exemplum. Hic conſul gravi annona, advectum (*o*) è Sicilia frumentum, magno pretio dandum Populo curavit; (*p*) ut hac injuria plebs agros, non ſeditiones coleret. Ergo à Tribuno plebis Decio (*q*) die dicta, ad Volſcos conceſſit; eoſque duce Attico Tullo (*r*) adverſus Romanos concitavit, & ad quartum ab Urbe lapidem caſtra poſuit. Cumque (*s*) nullis civium legationibus flecteretur, à Veturia matre, & Volumnia uxore matronarum numero comitatis motus, omiſſo bello, ut proditor (*t*) occiſus eſt. Ibi templum Fortunæ muliebri conſtitutum eſt.

Licinius Stolo. U. C. 377. Ol. 101. a. C. N. 376. Alter è plebe Conſul fit. U. C. 389. Ol. 104. a. C. N. 364. Lex agraria. Sua lege punitur.

CAP. XX. Fabius Ambuſtus ex duabus filiabus alteram (15) Licinio Stoloni plebejo, (*u*) alteram Aulo Sulpicio patricio conjugem dedit: quarum plebeja cum ſororem ſalutaret, cujus vir Tribunus militum conſulari poteſtate erat, faſces lictorios foribus appoſitos indecenter expavit. A ſorore irriſa, marito queſta eſt: qui adjuvante ſocero, ut primum tribunatum plebis aggreſſus (*x*) eſt, legem tulit, *ut alter Conſul ex plebe crearetur.* Lex, reſiſtente Appio Claudio, lata tamen: (*y*) & primus Licinius Stolo Conſul factus. Idem lege ſancivit, (*z*) *ne cui plebejo plus quingenta* (*a*) *jugera agri habere liceret.* Et ipſe cum jugera quingenta (*b*) haberet, & altera emancipati filii nomine poſſideret; in judicium vocatus, & primus omnium ſua lege punitus eſt.

P CAP.

(*m*) al. Voleſi. (*n*) al. Tricipitini. (*o*) al. Conſulem alium ſubrogabat. al. quia locum tricipitini Collegæ ſubrogaverat. (*p*) al. *Poblicola.* al. *Publicola.* (*q*) al. quæ in parentheſi omittunt. (*r*) al. Manilium. (*s*) al. Rigilli. al. apud Regillum. (*t*) al. mutaret. al. victoriam naviter peteret. (*u*) al. fregerunt. (*w*) al. aras eis communi &c. (*x*) al. Quinctus. (*y*) al. Cœlio. al. Clodio. (*z*) al. corona aurea obſidionali donatus eſt. (*a*) al. triumphali. (*b*) al. Hala. (*c*) al. ceſſiſſet. (*d*) al. *crederent.* (*e*) al. *digerere.* (*f*) al. repreſſus. (*g*) al. adverſum nobilitatem. (*h*) al. collectis. (*i*) al. publicum. (*k*) al. Cneus. (*l*) al. militiæ omittunt. (*m*) al. Poſtumio. (*n*) al. hoſpitam. (*o*) al. addictum. al. adductum. (*p*) al. negavit. (*q*) al. Decimo. (*r*) al. Tito Tatio. al. Accio vel Actio. (*s*) al. Iſque cum. (*t*) al. ut proditur. (*u*) al. plebejo omittunt. (*x*) al. ingreſſus. (*y*) al. Lex, reſiſtente tamen Appio Claudio, lata. (*z*) al. Lege cavit. al. Legem ſcivit. (*a*) *legendum ex hiſtoriæ veritate quinquaginta.* (*b*) al. centum quinquaginta.

(12) Caſtorem & Pollucem) Huc revoca numum Tom. I, Script. Hiſt. Rom. Tab. XV. num. 6.
(13) Spurium Mœlium) Quomodo nimia largitione panis Spurius Mœlius regnum affectaverit, in numis Tom. I, Script. Hiſt. Rom. Tab. XIV. num. 3. & 4. exhibitis, Antiquarii expreſſum eſſe putant.
(14) A Servilio Ahala) Effigiem hujus Ahalæ vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. XXIII. num. 3.
(15) Licinio Stoloni) Licinii Stolonis numiſma vid. Tom. I. Script. Hiſt. Rom. Tab. XIV. num. 2.

Decemviri creati. U. C. 301. Ol. 82. a. C. N. 452.

CAP. XXI. Populus Romanus cum seditiosos magistratus ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creavit, (*c*) qui eas ex libris Solonis tralatas, duodecim Tabulis exposuerunt. Sed cum pacto dominationis magistratum sibi prorogarent; unus ex ipsis Appius Claudius Virginiam, Virginii Centurionis filiam, in Algido militantis adamavit: quam cum corrumpere non posset, clientem subornavit, qui eam in servitutem deposceret: (*d*) facile victurus, cum ipse esset & accusator, & judex. Pater re cognita, cum ipso die judiciis (*e*) supervenisset, & filiam jam addictam (*f*) videret, ultimo ejus adloquio impetrato, eam in secretum abduxit, & occidit: corpus ejus humeris gerens ad exercitum profugit, & milites ad vindicandum facinus accendit: qui creatis decem Tribunis, Aventinum occuparunt, Decemviros abdicare se magistratu coëgerunt, (*g*) eosque omnes aut morte aut exilio punierunt. Appius Claudius in carcere necatus est.

Appius Claudius Virginiam adamat.

Quam Pater occidit.

Decemviri abrogantur. U. C. 303. Ol. 82. a. C. N. 450.

CAP. XXII. Romani ob pestilentiam responso movente, (*h*) ad (16) Æsculapium Epidauro arcessendum decem legatos principe Q. Ogulnio (*i*) miserunt. Qui cum eo venissent, & simulacrum ingens mirarentur, (17) anguis è sedibus suis elapsus, venerabilis, non horribilis, (*k*) per mediam urbem cum admiratione omnium ad navem Romanorum (*l*) perrexit, & se in Ogulnii tabernaculo conspiravit. (*m*) Legati Deum vehentes, Antium provecti (*n*) sunt. Ubi per mollitiem (*o*) maris, anguis proximum Æsculapii fanum petiit, & post paucos dies ad navim rediit: (*p*) & cum adverso Tiberi subveheretur, (18) in proximam insulam (*q*) desilivit, ubi (19) templum ei constitutum: & pestilentia mira celeritate sedata est.

Æsculapius Epidauro arcessitur. U. C. 461. Ol. 122. a. C. N. 292.

Templum Æsculapio Romæ constitutum.

M. Furius Camillus. U. C. 363. Ol. 97. a. C. N. 390.

CAP. XXIII. Furius Camillus cum Faliscos obsideret, al ludi literarii (*r*) magister, Principum filios ad eum adduxisset, vinctum eum iisdem pueris in urbem redigendum & verberandum tradidit. Statim Falisci se ei ob tantam justitiam dediderunt. Vejos decenni obsidio (*s*) domuit, deque his triumphavit. Postmodum est crimini datum, quod albis equis triumphasset, & prædam inique divisisset; die dicta ab L. Appulejo Tribuno plebis, (*t*) damnatus, Ardeam concessit. Mox cum Galli Senones relictis ob sterilitatem agris suis, Clusium Etruriæ (*u*) oppidum obsiderent, missi sunt Roma tres legati, (*x*) qui Gallos monerent, ut ab oppugnatione desisterent. Ex his unus contra jus gentium in aciem processit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli, petitis in deditionem legatis, nec impetratis, Romam petierunt, & exercitum Romanum apud Aliam fluvium ceciderunt, die XVI. Kalend. Augusti: qui dies inter nefastos relatus, Aliensis (*y*) dictus. Victores Galli Urbem intraverunt, ubi nobilissimos senum in curulibus & honorum insignibus, primo ut Deos venerati, deinde ut homines despicati interfecere. Reliqua juventus cum Manlio in Capitolium fugit, ubi obsessa, Camilli virtute liberata (*z*) est: qui absens Dictator dictus, collectis reliquis, (*a*) Gallos improvisos (*b*) internecione (*c*) occidit. Populum Romanum migrare Vejos volentem retinuit. Sic & oppidum civibus, & civeis oppido reddidit.

Ejus res gestæ cum Faliscis. Vejis.

Galli Senones.

Urbem Romam occupant.

Quos Camillus occidit.

Et Populum Romæ retinet.

CAP. XXIV. Manlius ob defensum Capitolium *Capitolinus* dictus, sedecim annorum voluntarium militem se obtulit. Triginta septem militaribus donis à suis ducibus ornatus, triginta treis (*d*) cicatrices in pectore habuit. Capta Urbe auctor in Capitolium confugiendi fuit. Quadam nocte (*e*) clangore anseris excitus, (*f*) Gallos ascendentes dejecit. *Patronus* à civibus appellatus, & farre donatus est. Domum (*g*) etiam in Capitolio (*h*) publice accepit. Qua superbia elatus, cum à Senatu suppressisse (*i*) Gallicos thesauros argueretur, & addictos (*k*) propria pecunia (*l*) liberaret, regni affectati suspicione in carcerem conjectus, Populi consensu liberatus est. Rursus cum in eadem culpa, & gravius perseveraret, reus factus: & ab conspectu (*m*) Capitolii ampliatus est. Alio deinde loco damnatus, & de saxo Tarpejo præcipitatus: Domus diruta: bona publicata. Gentilitas ejus Manlii cognomen ejuravit, (*n*) (ne quis postea *Capitolinus* vocaretur)

M. Manlius Capitolinus. U. C. 363. Ol. 97. a. C. N. 390.

Patronus appellatur.

In carcerem conjicitur.

De saxo Tarpejo præcipitatur. U. C. 370. Ol. 99. a. C. N. 383.

CAP. XXV. Fidenates, (*o*) Fidei Romanorum hostes, (*p*) ut sine spe veniæ fortius dimicarent, legatos ad se missos interfecerunt: ad quos Quinctius Cincinnatus Dictator missus Magistrum equitum habuit Cornelium Cossum, qui Lartem (*q*) Tolumnium ducem sua manu interfecit. De eo spolia opima Jovi Feretrio secundus ab Romulo consecravit.

Fidenates Romanorum legatos interficiunt. U. C. 357. Ol. 96. a. G. N. 396.

Cornelius Cossus Lartem Tolumnium interficit.

CAP. XXVI. P. Decius Mus bello Samnitico sub Valerio Maximo (*r*) & Cornelio Cosso Consulibus Tribunus militum; exercitu in angustiis Gauri (*s*) montis, insidiis hostium clauso, accepto, quod postulaverat, præsidio, in superio-


P. Decius Mus. U. C. 415. Ol. 110. a. C. N. 338.

Ejus res gestæ.

(*c*) al. curavit. (*d*) al. qui eam vindex posceret. (*e*) al. cum ipso judicii die. (*f*) al. additam. (*g*) al. præceperunt. (*h*) al. manante. (*i*) al. Oculino. al. Otulino. (*k*) al. horrendus. (*l*) al. Romanam. (*m*) al. constipavit. (*n*) al. profecti. al. pervecti. (*o*) al. malitiam. al. malaciam. (*p*) al. de hinc ad navem redit. (*q*) al. in primam silvam. (*r*) al. literarum. (*s*) al. obsidione. (*t*) al. ab L. Appulejo Saturnino Tribuno plebis. (*u*) al. Italiæ. (*x*) al. missi à Romanis tres Fabii. (*y*) al. Alliensis. (*z*) al. servata. (*a*) al. reliquiis. (*b*) al. improvisus. (*c*) al. internitione. (*d*) al. triginta septem. (*e*) al. Qua de nocte. (*f*) al. excitatus. (*g*) al. Donum. (*h*) al. Capitolino. (*i*) al. sumpsisse. (*k*) al. additos. (*l*) al. propria manu. (*m*) al. ob conspectum. (*n*) al. vitavit. (*o*) al. Veteres. (*p*) al. fidei Romanæ hostes. (*q*) al. Larten. (*r*) al. Valerio Corvino. (*s*) al. Scauri.

(16) Æsculapium) Æsculapium in numo Smyrnensi vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. LVIII. num. 2.
(17) Anguis è sedibus suis elapsus . . . (18) in proximam insulam desilivit) Historiam hanc Impr. Antoninus Pius servavit in numo, quem exhibemus Tab. XIX. num. V. ex Ludovici XIV. Cimeliarchio Tab. VI. num. 4.
(19) Templum ei constitutum) Hoc templum vid. in Insula Tiberina Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. X.

Tab. XIX.
ad pag. 100. 102. 114.



periorem locum evasit: hosteis terruit. Ipse intempesta nocte per medias custodias somno oppressas incolumis evasit. Ob hoc ab exercitu (20) civica corona (de quercu, quæ dabatur ei qui civeis in bello servasset; (21) obsidionali (*t*) quæ dabatur ei qui obsidione civeis liberasset:) (*u*) donatus est. Consul (*x*) bello Latino, collega Manlio Torquato, positis apud Veserim fluvium castris, cum utrique Consuli somnio obvenisset, eos victores futuros, quorum dux in prælio cecidisset. Tum collato cum collega somnio, cum convenisset, *ut cujus cornu in acie laboraret, Dis se Manibus voveret*; inclinante sua parte, se & hosteis (*y*) per Valerium Pontificem Dis Manibus devovit. Impetu in hosteis facto, victoriam suis reliquit.

Corona civica donatur.

Dis Manibus se devovet.

CAP. XXVII. Publius Decius Decii filius, primo Consul de Samnitibus triumphans, (*z*) spolia ex his Cereri consecravit. Iterum & tertio Consul, multa domi militiæque gessit. Quarto consulatu cum Fabio Maximo, cum Galli, Samnites, Umbri, Tusci contra Romanos conspirassent: ibi exercitu in aciem ducto, & cornu inclinante exemplum patris imitatus, advocato M. Livio Pontifice, hastæ insistens, & solennia verba respondens, se & hostes Dis Manibus devovit. Impetu in hosteis facto, victoriam suis reliquit. Corpus à collega laudatum, magnifice sepultum est.

P. Decius filius, De Samnitibus triumphat.

Dis Manibus ut pater se devovet. U. C. 455. Ol. 120. a. C. N. 298.

Magnifice sepelitur.

CAP. XXVIII. (22) Titus Manlius Torquatus ob ingenii & linguæ tarditatem à patre (*a*) rus relegatus, cum audisset ei diem dictam à Pompejo (*b*) Trib. plebis, nocte Urbem petiit. Secretum colloquium à Tribuno impetravit, & gladio stricto dimittere (*c*) eum accusationem terrore multo compulit. Sulpicio Dictatore Tribunus militum Gallum provocatorem occidit. Torquem ei detractum (*d*) cervici suæ indidit. (*e*) Consul bello Latino filium suum, quod contra imperium pugnasset, securi percussit: Latinos apud Veserim fluvium, Decii collegæ devotione superavit. (Consulatum recusavit, quod diceret, *neque se populi vitia, neque illum severitatem suam posse sufferre.*)

Titus Manlius Torquatus. U. C. 392. Ol. 104. a. C. N. 361.

Ejus res gestæ.

Filium securi percutit. U. C. 415. Ol. 110. a. C. N. 338.

CAP. XXIX. Reliquias Senonum Camillus persequebatur: adversum ingentem Gallum provocatorem solus Valerius Tribunus militum, omnibus territis, processit. (23) Corvus ab ortu solis galeæ ejus insedit, & inter pugnandum ora oculosque Galli verberavit. Hoste devicto, Valerius *Corvinus* dictus. Hinc, cum ingens multitudo ære alieno oppressa, Capuam occupare tentasset, & ducem sibi Quinctium necessitate compulsum (*f*) fecisset, sublato ære alieno, seditionem compressit.

M. Valerius cum Gallo dimicat. U. C. 406. Ol. 108. a. C. N. 347.

Corvinus dictus.

Seditionem Romæ comprimit.

CAP. XXX. Titus (*g*) Veturius & Spurius Postumius Consules bellum adversum Samnites gerentes, à Pontio Thelesino duce hostium in insidias inducti sunt. Nam ille simulatos transfugas misit, qui Romanos docerent, Luceriam Apulam (*h*) à Samnitibus obsideri, quo duo itinera ducebant, aliud longius & tutius; aliud brevius & periculosius. Festinatio brevius eligit. (*i*) Itaque cum in insidias venissent (qui locus Furculæ Caudinæ vocabatur) C. Pontius accitum patrem Herennium rogavit, *quid fieri placeret*. Ille ait, *aut omneis occidendos, ut vires frangerentur; aut omnes dimittendos, ut beneficio obligarentur.* Utroque improbato consilio, omnes sub jugum misit, icto fœdere, (*k*) quod à Romanis postea improbatum est. Postumius Samnitibus deditus, nec receptus.

Sp. Postumius. U. C. 433. Ol. 115. a. C. N. 320.

In insidias à Samnitibus inducitur.

Et cum exercitu sub jugum mittitur.

CAP. XXXI. Lucius Papirius, à velocitate *Cursor*, cum Dictatorem se adversis ominibus contra Samnites profectum (*l*) esse sensisset; ad auspicia repetenda (*m*) Romam regressus, edixit Fabio Rulliano, (*n*) quem exercitui imponebat, (*o*) *ne manum cum hoste consereret.* Sed ille opportunitate ductus, pugnavit. Reversus Papirius securi eum ferire voluit: ille in Urbem confugit, nec supplicem Tribuni tuebantur. Dein pater lacrymis; populus precibus veniam impetrarunt. Papirius de Samnitibus triumphavit. Idem comis & jocorum studiosus; cum Prænestinum Prætorem gravissime increpuisset, *Expedi*, inquit, *lictor secures.* Et cum eum metu mortis attonitum vidisset; incommodam ambulantibus radicem exscindi (*p*) jussit.

L. Papirius Cursor. U. C. 430. Ol. 114. a. C. N. 323.

Fabio Rulliano

Veniam largitur.

De Samnitibus triumphat.

CAP. XXXII. Quinctus Fabius Rullianus, primus ex ea familia ob virtutem *Maximus*: Magister equitum à Papirio Cursore ob Samnitem victoriam securi pæne percussus, primum de Apulis & Lucerinis: iterum de Samnitibus: tertio de Gallis, Umbris, Marsis, atque Tuscis triumphavit. Censor libertinos tribu (*r*) amovit. Iterum censor fieri noluit, dicens, *non esse ex usu Reipublicæ eosdem Censores sæpius fieri.* Hic primus instituit, *uti Equites Romani Idibus Quinctilibus ab æde Honoris, albis* (*s*) *equis insidentes in Capitolium transirent.* Mortuo huic tantum æris populi liberalitate (*t*) congestum est, ut inde filius (*u*) viscerationem & epulum (*w*) publice daret.

Q. Fabius Rullianus. Maximus dicitur.

Ejus res gestæ.

Libertinos tribu amovet.

Publice sepelitur. U. C. 550. Ol. 144. a. C. N. 203.

CAP. XXXIII. Manius (*x*) Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphavit, quos usque ad mare superum perpacavit. (*y*) Regressus, in concione ait: *Tantum agri cepi, ut solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepissem; tantum porro hominum cepi, ut fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepissem.* Iterum de Sabinis triumphavit.

Manius Curius Dentatus.

Ejus res gestæ. U. C. 478. Ol. 126. a. C. N. 275.

(*t*) al. obsidionali scilicet aurea. (*u*) alii Parenthesi inclusa omittunt. (*x*) al. Decius Consul. (*y*) al. se ad hosteis. (*z*) al. triumphavit. (*a*) al. à Patribus. (*b*) al. Pomponio. (*c*) al. omittere. (*d*) al. detractam. (*e*) al. induit. (*f*) al. compulsa. (*g*) al. Cajus. (*h*) al. in Apulia. (*i*) al. elegit. (*k*) al. ex fœdere. (*l*) al. omnibus adversus Samnites progressum. (*m*) al. petenda. (*n*) al. Rullo. al. Rutiliano. (*o*) al. præponebat. (*p*) al. excidi. (*q*) al. Nucerinis. (*r*) al. tribubus. (*s*) al. *albis omittunt.* (*t*) al. ubertate. (*u*) al. filius ejus. (*w*) al. epulas. (*x*) al. Marcus. (*y*) al. propagavit.

(20) Civica corona . . . (21) obsidionali) Coronas has vide Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XXVII. num. 4. & 5.

(22) Titus Manlius Torquatus) Numum in memoriam hujus Manlii à Manlia gente cusum vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XXVIII. num. 4. Ipsius Manlii Torquati effigiem vide Tom. II. Script. Hist. Rom. Tab. V. num. 5.

(23) Corvus ab ortu . . . Valerius Corvinus dictus) Huc revoca numisma Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XXIX. num. 5. exhibitum.

phavit. Tertio de Lucanis ovans Urbem introivit. (z) Pyrrhum Epeirotam Italia expulit. (a) Quaterna dena (b) agri jugera viritim populo divisit. Sibi deinde totidem (c) constituit, dicens *neminem esse debere civem, cui non tantum sufficeret.* Legatis Samnitum aurum offerentibus, cum ipse in foco rapa (d) torreret: *Malo*, inquit, *hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare.* Cum interversæ pecuniæ argueretur, guttum ligneum, (e) quo uti ad sacrificia consueverat, in medium protulit: juravitque *se nihil amplius de præda hostili in domum suam convertisse.* Aquam Anienem de manubiis (f) hostium in Urbem induxit. (g) Tribunus plebis Patres auctores fieri coëgit comitiis, quibus plebeius magistratus creabatur: (h) ob hæc merita domus ei apud Tiphatam, (i) & agri jugera quingenta (k) publice data.

Agros populo dividit.

Aurum à Samnitibus oblatum rejicit.

Interversæ pecuniæ frustra arguitur.

Plebeium magistratum comitiis creari ordinat. Domo & agris donatur.

CAP. XXXIV. Appius Claudius Cæcus, in censura libertinos quoque in Senatum (l) legit: epulandi decantandique jus tibicinibus in publico ademit. Duæ familiæ ad Herculis sacra sunt destinatæ, Potitiorum & Pinariorum. Potitios Herculis sacerdotes pretio corrupit, ut sacra Herculea (m) servos publicos edocerent: unde cæcatus est: gens Potitiorum funditus periit. Ne consulatus cum plebeiis (n) communicaretur, accerrime restitit. Ne Fabius solus ad bellum mitteretur, contradixit. Sabinos, Samnites, (o) Etruscos bello domuit. Viam usque Brundisium lapide stravit: unde illa *Appia* dicta. Aquam Anienem in Urbem induxit. Censuram solus omni (p) quinquennio obtinuit. Cum de pace Pyrrhi ageretur, (q) & gratia potentum per legatum Cineam pretio quæreretur: senex & cæcus lectica in Senatum latus, turpissimas conditiones magnifica oratione discussit.

Appius Claudius Cæcus. Ejus res gestæ domesticæ.

Peregrinæ.

Conditiones pacis cum Pyrrho discutit.

CAP. XXXV. Pyrrhus Rex Epeirotarum paterno genere ab Achille; materno ab Hercule oriundus, cum imperium orbis agitaret & Romanos potenteis videret, Apollinem de bello consuluit. Ille ambiguè respondit.

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Hoc dicto in voluntatem tracto, auxilio Tarentinorum bellum Romanis intulit: (r) Lævinum (s) Consulem apud Heracleam (t) elephantorum novitate turbavit. (u) Cumque Romanos adversis vulneribus occisos videret, *Ego*, inquit, *talibus viris* (x) *brevi orbem terrarum subigere* (y) *potuissem.* Amicis gratulantibus; *Quid mihi cum tali victoria*, inquit, *ubi exercitus robur amittam?* Ad vicesimum ab Urbem lapidem castra posuit: Captivos Fabricio gratis reddidit. Viso Lævini exercitu, *eandem sibi* ait *adversus Romanos*, *quam Herculi adversus hydram, fuisse fortunam.* A Curio & Fabricio superatus, Tarentum refugit: (z) in Siciliam trajecit. (a) Mox in Italiam Locros regressus, pecuniam Proserpinæ avehere tentavit: sed ea naufragio relata est. (b) Tum in Græciam regressus, dum Argos oppugnat, ictu tegulæ postratus est. Corpus ad Antigonum regem Macedoniæ delatum magnifice sepultum. Pyrrhus cum secundo prælio à Romanis esset pulsus Tarentum, interjecto anno contra Pyrrhum Fabricius missus est: qui prius inter legatos solicitari non poterat quarta regni parte promissa. Cum vicina castra ipse, & Rex haberent, medicus Pyrrhi nocte ad eum venit, promittens *se Pyrrhum veneno occisurum, si sibi quidquam pollicitaretur:* Quem Fabricius vinctum reduci jussit ad dominum, Pyrrhoque dici, *quæ contra caput ejus medicus spopondisset.* Tum Rex admiratus eum, dixisse fertur: *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam Sol à suo curru averti posset.*

Pyrrhus Rex Epirotarum.

Bellum Romanis infert. U.C. 471. Ol. 124. a. C. N. 282.

Captivos gratis reddit.

Superatus Tarentum refugit.

In Græciam regreditur.

Prosternitur. U. C. 480. Ol. 126. a. C. N. 273.

Fabricius.

Pyrrhi Medicum reduci jussit.

Fabricius laudatur.

CAP. XXXVI. Volsinii, Etruriæ nobile oppidum, luxuria pæne perierunt. (c) Nam cum temere servos manumitterent, dein in curiam legerent, consensu eorum (d) oppressi. Cum multa indigna paterentur, clam Roma auxilium petierunt. Missusque Decius Mus, (e) mox libertinos omneis superavit, in carcere (f) necavit, aut dominis in servitutem restituit.

Volsinios à servis liberat.

Decius Mus.

CAP. XXXVII. Appius Claudius, victis Volsiniensibus, cognomento *Caudex* dictus, frater Cæci fuit. (g) Consul ad Mamertinos liberandos missus est, quorum arcem Carthaginienses & Hiero Rex Syracusanus obsidebant. Primo (h) ad explorandos hosteis fretum piscatoria navi trajecit, & cum duce Carthaginiensium egit, *ut præsidium arce deduceret.* Rhegium regressus, quinqueremem hostium copiis pedestribus cepit: ea legionem (i) in Siciliam traduxit. Carthaginienses Messana expulit. Hieronem prælio apud Syracusas in deditionem accepit: qui eo periculo territus, Romanorum amicitiam petiit, iisque postea fidelissimus fuit.

Appius Claudius. Caudex dictus.

Mamertinos à Carthaginiensibus liberat.

Carthaginienses Messana expellit, & Hieronem capit. U. C. 534. Ol. 140. a. C. N. 219.

CAP. XXXVIII. Cajus Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus, cum videret eos multum mari posse, classem validam fabrefecit: &, (quas corvos, vocavere,) (k) manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit, quibus inter pugnandum hostium naveis xxx. apprehendit, XIII. mersit, qui victi & capti sunt. Annibal dux (l) classis Carthaginem fugit, & à Senatu quæsivit *quid faciendum censerent.* Omnibus, *ut pugnaret*, acclamantibus: *Feci*, inquit, *& victus sum:* sic pœnam crucis effugit. Nam apud Pœnos dux male re gesta puniebatur. Duilio concessum

C. Duilius. Classem fabricat.

Et corvos instituit. U. C. 492. Ol. 129. a. C. N. 261.

Annibalem vincit.

(z) al. introiit. (a) al. ex Italia pepulit. (b) al. Quaterdena. (c) al. idem. (d) al. rapas. (e) al. cadium ligneum. (f) al. manibus. (g) al. introduxit. (h) al. Tribunos plebis Patres se auctore fieri coëgit comitiis, quibus plebei magistratus creabantur. (i) al. Tifata. (k) al quinquaginta. (l) al. quosque in Senatum. al. quoque è Senatu. (m) al. Herculanea. al. Herculana. (n) al. cum plebe. (o) al. Sampnitas. (p) al. omnium. (q) al. tractaretur. (r) al. auxilio Tarentinis venit: bellum Romanis intulit. (s) al. Lævinium. (t) al. Heream. (u) fugavit. (x) al. *militibus*. (y) al. *subire*. (z) al. confugit. (a) al. trajicit. (b) al. elata est. (c) Vulsinia . . . . periit. (d) al. servorum. (e) al. Decimus. al. Decius Muræna. (f) al. omnes aut in carcere &c. (g) al. frater dicti Cæci fuit. (h) al. Primus. (i) al. phalangem. al. eaque legationem. (k) alii quæ in parenthesi, omittunt. (l) al. Himilco dux.

cessum est, ut prælucente funali, & præcinente tibicine, à cœna publicè rediret.

Atilius Calatinus. Ejus res gestæ.

CAP. XXXIX. Atilius Calatinus dux Romanorum adversus Carthaginienseis missus, ex maximis & munitissimis civitatibus, Enna, (m) Drepano, Lilybæo, hostilia præsidia dejecit. Panormum cepit. (Totamque Siciliam pervagatus, paucis navibus magnam hostium classem, duce Amilcare, superavit.) Sed cum ad Camarinam (n) ab hostibus obsessam festinaret, à Pœnis in angustiis clausus est, ubi Tribunus militum Calpurnius Flamma acceptis trecentis sociis in superiorem locum evasit, Consulem liberavit: ipse cum trecentis pugnans cecidit: postea ab Atilio semianimis inventus est. Senatus magno postea terrori hostibus fuit. Atilius gloriose triumphavit.

Calpurnius Flamma Atilium liberat.

Atilius triumphat. U. C. 498. Ol. 131. a. C. N. 255.

M. Atilius Regulus. Ejus res gestæ.

CAP. XL. Marcus Atilius Regulus Consul, fusis Sallentinis triumphavit: primusque Romanorum ducum in Africam classem trajecit: ea quassata de Amilcare (o) naveis longas treis & sexaginta accepit. Oppida ducenta, & hominum ducenta millia cepit. Absente eo, conjugi & liberis ob paupertatem sumptus publice dati. Mox arte Xanthippi Lacedæmonii Mercenarii militis captus in carcerem missus. Legatus de permutandis captivis Romam missus, dato jurejurando, *ut si non impetrasset, ita demum rediret:* in Senatu conditionem dissuasit: rejectisque à se (p) conjuge & liberis, Carthaginem regressus: ubi in arcam ligneam conjectus, clavis introrsum actis vigiliis ac dolore punitus est.

Capitur. U. C. 497. Ol. 131. a. C. N. 256.

Et crudeliter occiditur.

C. Lutatius Catulus.

CAP. XLI. Cajus Lutatius (q) Catulus primo Punico bello trecentis navibus adversum Pœnos profectus, sexcentas eorum naveis commeatibus & aliis oneribus impeditas, duce Annone (r) apud Ægates, insulas inter Siciliam & Africam, depressit, aut cepit, finemque bello imposuit. Pacem petentibus hac conditione concessit, Sicilia, Sardinia, & ceteris insulis inter Italiam Africamque decederent: Hispania citra Iberum fluvium ut abstinerent.

Pœnis victis pacem concedit. U. C. 510. Ol. 134. a. C. N. 243.

Annibal Amilcaris filius.

CAP. XLII. Annibal Amilcaris filius novem (s) annos natus, à patre aris admotus, odium in Romanos perrenne juravit. Exinde socius & miles in castris patris fuit. Mortuo eo causam belli quærens, Saguntum Romanis fœderatam intra sex menses evertit. Tum Alpibus patefactis, in Italiam trajecit. P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam: Flaminium apud Trasimenum: Paullum & Varronem apud Cannas superavit. Cumque Urbem capere posset, in Campaniam devertit, cujus deliciis elanguit. Et cum ad tertium ab Urbe lapidem castra posuisset, tempestatibus repulsus, primum à Fabio Maximo fractus (t) deinde à Valerio Flacco repulsus, à Graccho & Marcello fugatus, in Africam revocatus, à Scipione superatus, ad Antiochum regem Syriæ confugit, eumque hostem Romanis fecit: quo victo, ad Prusiam Bithyniæ regem concessit: unde Romana legatione per T. Flamininum repetitus; ne Romanis traderetur, hausto, quod sub anuli gemma habebat, veneno, absumptus est, positus apud Libyssam in arca lapidea, (u) in qua hodieque inscriptum est, ANNIBAL HIC SITUS EST.

Saguntum evertit. U. C. 534. Ol. 140. a. C. N. 219. In Italiam trajicit. Ejus res gestæ in Italia.

Victus.

Ad Antiochum. Et ad Prusiam fugit.

Veneno se ipsum absumit. U. C. 569. Ol. 149. a. C. N. 184. Ejus Epitaphium.

Q. Fabius Maximus Cunctator. Annibalem vincit. U. C. 543. Ol. 142. a. C. N. 210.

CAP. XLIII. (25) Quinctus Fabius Maximus *Cunctator: Verrucossus* à verruca in labris sita, *Ovicula* (x) à clementia morum dictus: Consul de Liguribus triumphavit. Annibalem mora fregit. Minucium Magistrum equitum imperio sibi æquari passus est: nihilominus periclitanti subvenit. Annibalem in agro Falerno inclusit. Manlium (y) Statilium transfugere ad hosteis volentem, equo & armis donatis retinuit: & Lucano cuidam fortissimo, ob amorem mulieris infrequenti, eandem emptam dono dedit. Tarentum ab hostibus recepit: Herculis signum inde tralatum in Capitolio dedicavit. De redemptione captivorum cum hostibus pepigit: quod pactum (z) cum à Senatu improbaretur, fundum suum ducentis millibus vendidit, & fidei suæ satisfecit.

Captivos redimit.

P. Scipio Nasica. U. C. 548. Ol. 143. a. C. N. 205.

CAP. XLIV. Publius Scipio Nasica, à Senatu vir optimus judicatus, Matrem Deum hospitio recepit. Is cum adversum auspicia Consulem se à Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicavit. Censor statuas, quas sibi quisque per ambitionem in foro ponebat, sustulit. Consul Delminium urbem Delmatarum expugnavit. Imperatoris nomen à militibus; & ab Senatu triumphum oblatum recusavit: Eloquentia primus, Juris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus: unde vulgo *Corculum* dictus.

Statuas sibi positas tollit. Ejus modestia. Et eruditio.

M. Marcellus.

CAP. XLV. (26) Marcus Marcellus Virdumarum Gallorum ducem singulari prælio fudit. (Spolia opima Jovi Feretrio tertius à Romulo consecravit. Primus docuit quomodo milites cederent, nec terga præberent. Annibalem) (a) apud Nolam, locorum angustia adjutus, vinci docuit. Syracusas per treis annos expugnavit. Et cum per calumniam triumphus ei à Senatu negaretur, de sua sententia in Albano monte triumphavit. Quinquies Consul, insidiis Annibalis deceptus occubuit, & magnifice sepultus. Ossa Romam remissa, à prædonibus intercepta perierunt.

Annibalem vincit. Syracusas expugnat. Triumphat in monte Albano. U. C. 541. Ol. 142. a. C. N. 212. Deceptus occumbit.

Mater Deûm.

CAP. XLVI. Annibale Italiam devastante, ex responso librorum Sibyllinorum, Mater (b) Deûm è Pessinunte arcessita: cum adverso Tiberi veheretur, repente alto stetit: & cum moveri nullis viribus posset, ex libris cognitum est, castissimæ demum feminæ manu moveri posse. Tum Claudia, virgo Vestalis, falso incestus (c) suspecta, Deam oravit, *ut, si pu-*

à Claudia virgine Vestali movetur.

P 3

(m) al. Ætna. (n) al. Catinam. al. Cathynam. al. Cecinam. (o) al. quassatas duce Hamilcare. (p) al. ab amplexa. (q) al. Quinctus Luctatius. (r) al. Himilcone. (s) al. XI. (t) al. frustratus. (u) al. apud Libyssam in fine Nicomediensium in arca lapidea. (x) al. ut Verrucossus à Verruca in labris, ita Ovicula &c. (y) al. Marium. (z) al. quæ pactio. (a) al. alii quæ parenthesi, omittunt. (b) al. Matre. (c) al. incestu.

(25) Quinctus Fabius Maximus) Hujus numisma vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XXXVII. num. 4.
(26) Marcus Marcellus) Hujus numismata vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XLVI. num. 4. & Tab. XLVII. num. 1.

U.C. 548. Ol. 143. a. C. N. 205.

si pudicam sciret, sequeretur: & zona imposita navem movit. Simulacrum Matris Deûm, dum templum ædificatur, Nasicæ, qui vir optimus judicabatur, quasi hospiti datum. (*d*)

M. Porcius Cato.

CAP. XLVII. Marcus Porcius Cato, genere Tusculanus, à Valerio Flacco Romam solicitatus: Tribunus militum in Sicilia: Quæstor sub Scipione fortissimus; Prætor justissimus fuit: in prætura Sardiniam subegit, ubi ab Ennio Græcis literis institutus. Consul Celtiberos domuit: & ne rebellare possent, literas ad civitates singulas misit, ut muros diruerent: cum unaquæque sibi soli imperari putaret, fecerunt. Syriaco bello Tribunus militum sub M. Acilio Glabrione occupatis Thermopylarum jugis, præsidium hostium depulit. Censor L. Flamininum Consularem Senatu movit, quod ille in Gallia, ad cujusdam scorti spectaculum, eductum quendam è carcere, in convivio jugulari jussisset. Basilicam suo nomine primus fecit. Matronis, ornamenta erepta Oppia lege, repetentibus restitit. (*e*) Accusator assiduus malorum, Galbam octogenarius accusavit; ipse quadragies quater accusatus, gloriose absolutus. Carthaginem delendam censuit. Post octoginta annos filium genuit. Imago hujus, funeris gratia produci solet.

Celtiberos domat. — Aliæ res gestæ. — Matronis ornamenta disputat. U.C. 557. Ol. 146. a. C. N. 196.

Asdrubal in Italiam trajicit. U. C. 545. Ol. 143. a. C. N. 208.

CAP. XLVIII. Asdrubal frater Annibalis, ingentibus copiis in Italiam trajecit: actumque erat de Romano Imperio, si jungere se Annibali potuisset. Sed (27) Claudius Nero, qui in Apulia cum Annibale castra conjunxerat, relicta in castris parte, cum dilectis ad Asdrubalem properavit, & se Livio collegæ apud Senam oppidum & Metaurum flumen conjunxit: amboque Asdrubalem vicerunt. Nero regressus pari celeritate qua iverat, (*f*) caput Asdrubalis ante vallum Annibalis projecit: quo illo viso, *vinci se Fortuna Carthaginis* confessus est. Ob hæc Livius triumphans, Nero ovans, Urbem introierunt.

A Claudio Nerone & Livio vincitur. — Prioris ovatio posterioris triumphus.

P. Cornelius Scipio Africanus.

CAP. XLIX. (28) Publius Scipio ex virtutibus cognominatus *Africanus*, Jovis filius creditur: nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris ejus apparuit. Et ipsi parvulo draco circumfusus, nihil nocuit. In Capitolium intempesta nocte eunti (*g*) numquam canes allatraverunt. Nec hic quidquam prius cepit, quam in cella Jovis diutissime sedisset, quasi divinam mentem acciperet. Decem & octo annorum patrem apud Ticinum singulari virtute servavit. Clade Cannensi nobilissimos juvenes, Italiam deserere cupientes, sua auctoritate compescuit. Reliquias incolumes per media hostium castra Canusium perduxit. Viginti quatuor annorum Prætor in Hispaniam missus, Carthaginem novam, qua die venit, cepit. Virginem pulcerrimam, ad cujus aspectum concurrebatur, ad se vetuit adduci, patrique ejus ac sponso restitui jussit. (*h*) Asdrubalem Magonemque, fratres Annibalis, Hispania expulit: Amicitiam cum Syphace Maurorum rege conjunxit. Masanissam in societatem recepit. Victor domum regressus, Consul ante annos factus, concedente collega in Africam classe trajecit. Asdrubalis & Syphacis castra una nocte perrupit. Revocatum ex Italia Annibalem superavit. Victis Carthaginiensibus leges imposuit. Bello Antiochi legatus fratri fuit. Captum filium gratis recepit. A Petilliis ac Nævio Tribunis plebis (*i*) repetundarum accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit: *Hac die*, inquit, *Carthaginem vici: Bonum factum: in Capitolium eamus, & Dis supplicemus.* Inde in voluntarium exilium concessit: ubi reliquam egit ætatem. Moriens ab uxore petiit, ne corpus suum Romam referretur.

Ejus res gestæ. — Carthaginem novam capit. U. C. 542. Ol. 142. a. C. N. 211. — Asdrubalem & Magonem vincit. — In Africam trajicit. U. C. 548. Ol. 143. a. C. N. 205. — Repetundarum accusatus. — In exilio voluntario moritur.

U. C. 569. Ol. 149. a. C. N. 184. M. Livius Salinator. Ejus res gestæ.

CAP. L. (29) Livius Salinator primo Consul de Illyriis triumphavit: tandem ex invidia peculatus reus, ab omnibus tribubus, excepta Metia, condemnatus. Iterum cum Claudio Nerone inimico suo Consul, ne Respublica discordia male administraretur, amicitiam cum eo junxit, (*k*) & de victo Asdrubale, (*l*) triumphavit. Censor cum eodem collega omneis tribus, excepta Metia, ærarias fecit, stipendio privavit, eo crimine, quod aut prius se injuste condemnassent: aut postea tantos honores non recte tribuissent.

U. C. 548. Ol. 143. a. C. N. 205.

T. Quintius Flamininus. U. C. 554. Ol. 145. a. C. N. 199.

CAP. LI. Titus Quinctius Flamininus, (*m*) (Flaminii, qui apud Trasimenum periit, filius,) Consul Macedoniam sortitus, ducibus Caropis principis pastoribus, provinciam ingressus, Regem Philippum prælio fudit, castris exuit. Filium ejus Demetrium obsidem accepit: quem pecunia multatum in regnum restituit. A Nabide quoque Lacedæmonio filium obsidem accepit. Liberos etiam Græcos Nemeæ per præconem (*n*) pronuntiavit. Legatus etiam ad Prusiam, ut Annibalem repeteret, missus.

Ejus res gestæ.

M. Fulvius Nobilior.

CAP. LII. (30) Marcus (*o*) Fulvius Nobilior Prætor Hispanos superavit: (*p*) unde ovans Urbem introiit. Consul Ætolos, Ambraciotasque, qui bello Macedonico Romanis adfuerant; (*q*) post ad Antiochum defecerant; præliis frequentibus victos, & in Ambraciam oppidum coactos, in deditionem accepit: tantum signis tabulisque pictis spoliavit: de quibus triumphavit. Quam victoriam per se ma-

Ejus res gestæ. U. C. 563. Ol. 147. a. C. N. 190.

(*d*) al. Matris Deûm adduxit: (al. advexit) Templum ædificavit Nasica, qui vir optimus judicabatur. (*e*) al. Oppia lege petentibus restituit. (*f*) al. venerat. (*g*) al. euntem. al. eunte. (*h*) al. patrique ejus sponsor astitit. (*i*) al. à Petilio Actæo Tribuno pl. (*k*) al. injunxit. (*l*) al. & de Asdrubale. (*m*) al. Flaminius. (*n*) al. Ludos Junonis Samiæ per præconem &c. al. Liberos esse Græcos &c. (*o*) al. Quinctus. (*p*) al. Ætolos, Ambraciotasque superavit. (*q*) al. Consul Achæos qui bello Macedonico interfuerant.

(27) Claudius Nero) Hujus numisma vid. supra hoc Tomo Tab. VII. num. 3.
(28) Publius Scipio) Hujus numisma vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XLI. num. 2.
(29) Livius Salinator) Hujus numisma vid. supra hoc Tomo Tab. VII. num. 2.
(30) Marcus Fulvius Nobilior) Hujus numisma vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. LIX. num. 3.

magnificam, Quinctus Ennius (*r*) amicus ejus, insigni laude celebravit.

L. Scipio Asiaticus.

CAP. LIII. (31) Scipio Asiaticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in Africa virtutis nomine à fratre laudatus, Consul, Antiochum regem Syriæ, legato fratre, apud Sipylum montem, cum arcus hostium pluvia hebetati fuissent, vicit; & regni relicti à patre parte privavit: hinc *Asiaticus* dictus. Post reus (*s*) pecuniæ interceptæ, ne in carcerem duceretur, Gracchus pater Tribunus plebis, licet inimicus ejus intercessit: M. Cato Censor equum ei ignominiæ causa ademit.

Ejus res gestæ. U.C. 562. Ol. 147. a. C. N. 191.

Antiochus Syriæ Rex. Bellum Romanis infert. U.C. 561. Ol. 147. a. C. N. 192.

CAP. LIV. Antiochus Syriæ rex, nimia opum fiducia bellum Romanis intulit, specie Lysimachiæ repetundæ, quam à majoribus suis in Thracia conditam Romani possidebant: statimque Græciam insulasque ejus occupavit. In Euboea luxuria elanguit. Adventu Acilii Glabrionis excitatus, (*t*) Thermopylas occupavit: unde industria Marci Catonis ejectus in Asiam refugit. Navali prælio, cui Annibalem præfecerat, à L. Æmilio Regillo, superatus: filium Scipionis Africani, quem inter navigandum ceperat, patri remisit: qui ei, pro (*u*) reddenda gratia, suasit, *ut amicitiam Romanam peteret*; Antiochus spreto consilio apud Sipylum montem cum L. Scipione conflixit: victus, ut ultra Taurum montem relegatus à sodalibus, quos temulentus in convivio pulsaverat, occisus est.

Victus navali prælio. Et terrestri. Occiditur.

C. Manlius Vulso. Ejus res gestæ. U.C. 563. Ol. 147. a. C. N. 190.

CAP. LV. (32) Cnæus Manlius Vulso Consul, missus ad ordinandum Scipionis Asiatici provinciam, cupiditate (*x*) triumphi bellum Pisidis & Gallogræcis, qui Antiocho adfuerant, intulit. His facile victis, inter captivos uxor regis Orgiagontis (*y*) Centurioni cuidam in custodiam data: à quo vi stuprata, de injuria tacuit. Et post impetrata redemptione, marito adulterum (Centurionem) interficiendum tradidit.

Orgiagontis uxoris factum heroicum.

L. Paullus Æmilius. Ejus res gestæ.

CAP. LVI. (33) Lucius Paullus Æmilius, filius ejus qui apud Cannas cecidit, primo consulatu, quem post tres repulsas adeptus erat, de Liguribus (*z*) triumphavit. Rerum gestarum ordinem in tabula pictum publice posuit. Iterum Consul Persen Philippi filium, regem Macedonum, apud Samothracas cepit, victum (*a*) flevit, & assidere sibi jussit: tamen in triumphum duxit. In hac lætitia duos filios amisit: & progressus ad Populum, gratias Fortunæ egit, quod si quid adversi Reipublicæ imminebat, sua esset calamitate decisum. Ob hæc omnia, ei à Populo & à Senatu concessum est, *ut ludis Circensibus triumphali veste uteretur.* Ob hujus continentiam (*b*) & paupertatem, post mortem ejus dos uxori, nisi venditis possessionibus, non potuit exsolvi.

Duos filios amittit. U.C. 585. Ol. 153. a. C. N. 168.

Pauper moritur.

T. Sempronius Gracchus.

CAP. LVII. Tiberius Sempronius (*c*) Gracchus nobilissima familia ortus, Scipionem Asiaticum quamvis inimicum, duci in carcerem non est passus. Prætor Galliam domuit, Consul Hispaniam; altero Consulatu Sardiniam: tantumque captivorum adduxit, ut longa venditione res in Proverbium veniret, *Sardi venales.* Censor libertinos, qui rusticas tribus occuparant, (*d*) in quatuor urbanas divisit: ob quod à Populo collega ejus Claudius (nam ipsum auctoritas tuebatur) reus factus est: cum eum duæ classes condemnassent, (*e*) Tiberius juravit *se cum illo in exilium iturum:* ita reus absolutus est. Cum in domo Tiberii duo angues è geniali toro repsissent, (*f*) responso dato, *eum de dominis periturum, cujus sexus anguis fuisset occisus:* amore Corneliæ conjugis marem jussit interfici.

Ejus res gestæ. U.C. 583. Ol. 152. a. C. N. 172.

Reus absolvitur.

Ejus amor in conjugem.

P. Scipio Æmilianus.

CAP. LVIII. Publius Scipio Æmilianus, Paulli Macedonici filius, à Scipione Africano adoptatus, in Macedonia cum patre agens, victum Persen tam pertinaciter persequutus est, ut media nocte in castra redierit. (*ff*) Lucullo in Hispania (*g*) legatus, apud Intercatiam oppidum provocatorem singulari prœlio vicit. Muros hostilis (*h*) civitatis primus ascendit. Tribunus in Africa sub M. Manlio (*i*) imperatore, cohortes octo obsidione vallatas consilio & virtute servavit, à quibus corona obsidionali aurea donatus. Cum ædilitatem peteret, Consul ante annos ultro factus, Carthaginem intra sex menses delevit. Numantiam in Hispania, correcta (*k*) prius militum disciplina, fame vicit. Hinc Numantinus dictus. Cajo Lælio (*l*) plurimum usus: ad reges adeundos missus, duos secum, præter eum, servos duxit. Ob res gestas superbus, (*m*) Gracchum jure cæsum (*n*) videri respondit, obstrepente populo, *Taceant*, inquit, *quibus Italia noverca, non mater est:* addidit, *Quos sub corona vendidi.* Censor, Mummio collega segniore, in Senatu ait, *Utinam mihi collegam aut dedissetis, aut non dedissetis.* Suscepta Agrariorum causa, domi repente exanimis inventus, obvoluto capite elatus est, ne livor in ore appareret. Hujus patrimonium tam exiguum fuit, ut XXXII. libras argenti, duas & selibram (*o*) auri reliquerit.

Ejus res gestæ.

Carthaginem delet. U.C. 606. Ol. 168. a. C. N. 147.

Numantinus dicitur. U.C. 620. Ol. 161. a. C. N. 133.

Exanimis invenitur. U.C. 624. Ol. 162. a. C. N. 129.

Ejus paupertas.

C. Hostilius Mancinus.

CAP. LIX. Cajus Hostilius (*p*) Mancinus Consul (*q*) adversum Numantinos vetantibus avibus, & nescio qua voce revocante profectus, cum ad Numantiam venisset, (*r*) exercitum Popillii (*s*) acceptum prius corrigere decrevit:

Ejus res gestæ. U.C. 615. Ol. 160. a. C. N. 138.

(*r*) al. Marcus Ennius. (*s*) alii addunt: Hic cum Bojorum gente conflixit, in quo prælio XX. hostium millia interemit (al. interfecit) Post reus &c. (*t*) al. exercitus. (*u*) al. quasi pro. (*x*) al. cupidine. (*y*) al. Ortiagontis. (*z*) al. egerat de Liguribus. (*a*) al. vinctum. (*b*) licentiam. (*c*) al. Titus Sempronius. (*d*) al. occuparent. (*e*) al. & cum claudium condemnassent. (*f*) al. erepsissent. (*ff*) al. rediret. (*g*) al. Hispaniam. (*h*) al. hostiles. (*i*) al. sub Tito Manlio. al. sub Manilio. (*k*) al. correpta. (*l*) al. Panætio Philosopho. (*m*) al. superbe. (*n*) al. occisum. (*o*) al. semilibram. (*p*) al. Aulus Hostilius. (*q*) al. Prætor. (*r*) al. pervenisset. (*s*) al. Pompeji.

---

(31) Scipio Asiaticus) Hujus numisma vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. XXIX. num. 1.
(32) Cnæus Manlius Vulso) Hujus numisma vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. LIX. num. 2.
(33) Lucius Paullus Æmilius) Hujus numisma vid. Tom. I. Script. Hist. Rom. Tab. LXII. num. 5.

crevit: inde ſolitudinem petit. Eo die Numantini forte ſolemni nuptu filias locabant: & unam ſpecioſam duobus competentibus, pater puellæ conditionem tulit, *ut ei illa nuberet, qui hoſtis dextram retuliſſet.* Profecti juvenes, abſceſſum Romanorum in modum fugæ properantium cognoſcunt: rem ad ſuos referunt. Illi ſtatim quatuor millibus (*t*) viginti millia Romanorum ceciderunt. Mancinus, auctore Tiberio Graccho Quæſtore ſuo, in leges hoſtium fœdus percuſſit: quo per Senatum improbato, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus, augurio in caſtra deductus: (*u*) Præturam poſtea conſequutus eſt.

Fœdus in hoſtium leges percutit.

CAP. LX. (34) Lucius Mummius, devicta Achaia, *Achaicus:* Conſul adverſus Corinthios miſſus, victoriam alieno labore quæſitam intercepit. Nam cum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudiſſet, & duce Aritolao privaſſet; cum lictoribus & paucis equitibus in Metelli caſtra properavit, & Corinthios apud Leucopetram vicit duce Diæo, (*w*) qui domum refugit, eamque incendit: conjugem interfecit, & in ignem præcipitavit: ipſe veneno interiit. Mummius Corinthum ſignis tabuliſque ſpoliavit: quibus cum totam repleſſet Italiam; in domum ſuam nihil contulit.

L. Mummius Achaicus. Ejus res geſtæ. U. C. 606. Ol. 158. a. C. N. 147.

CAP. LXI. Quinctus Cæcilius Metellus à domita Macedonia, *Macedonicus*: Prætor Pſeudophilippum, qui idem Andriſcus dictus eſt, vicit. Achæos bis prælio fudit, triumphandos Mummio tradidit. Inviſus plebi ob nimiam ſeveritatem: & ideo poſt duas repulſas Conſul ægre factus, Arbachos in Hiſpania domuit. Apud Contebriam oppidum cohortes loco pulſas, redire & locum recipere juſſit. Cum omnia proprio & ſubito conſilio ageret, amico cuidam *quid acturus eſſet* roganti: *Tunicam,* inquit, *meam exurerem,* (*x*) *ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem.* Hic quatuor filiorum pater; ſupremo tempore humeris eorum ad ſepulcrum elatus eſt: ex quibus treis Conſulares, (*y*) unum etiam triumphantem vidit.

Q. Cæcilius Metellus Macedonicus. Ejus res geſtæ. U.C. 604. Ol. 157. a. C. N. 149. Ejus quatuor filii.

CAP. LXII. Quinctus Cæcilius Metellus, *Numidicus:* quia Conſul de Jugurtha rege Numidiæ triumphavit. Cenſor Quinctium, qui ſe Tiberii Gracchi filium mentiebatur, in cenſum non recepit. Idem in legem Appulejam per vim latam jurare noluit: quare in exilium actus, Smyrnæ exulavit: Calidia (*z*) deinde rogatione revocatus, cum ludis forte literas in Theatro accepiſſet, non prius eas legere dignatus eſt, quam ſpectaculum finiretur. Metellæ ſororis (*a*) ſuæ virum laudare noluit, quod is ſolus judicium contra leges detrectarat. (*b*)

Q. Cæcilius Metellus Numidicus. Ejus res geſtæ. In exilium agitur. Et revocatur. U. C. 653. Ol. 170. a. C. N. 100.

CAP. LXIII. Quinctus Metellus Pius, Numidici filius: Pius, quia patrem lacrymis & precibus aſſidue ab exilio revocavit. Prætor bello ſociali Q. Popedium (*c*) Marſorum ducem, interfecit. Conſul in Hiſpania Herculejos fratres oppreſſit: Sertorium Hiſpania expulit. Adoleſcens in petitione Præturæ & Pontificatus, Conſularibus viris prælatus eſt.

Q. Metellus Pius. Ejus res geſtæ. U. C. 672. Ol. 174. a. C. N. 81.

CAP. LXIV. Tiberius Gracchus, Africani ex filia nepos, Quæſtor Mancino in Hiſpania, fœdus ejus flagitioſum probavit. Periculum deditionis eloquentia gratia effugit. Tribunus plebis (legem) (*d*) tulit, *ne quis plus quingenta* (*e*) *agri jugera haberet.* Octavio collegæ intercedenti, novo exemplo magiſtratum abrogavit. Dein tulit, *ut ea familia, quæ ex Attali hereditate erat, ageretur: ut populo divideretur.* Deinde cum prorogare ſibi poteſtatem vellet, adverſis auſpiciis in publicum proceſſit, ſtatimque Capitolium petiit, manum ad caput referens: quo ſalutem ſuam Populo commendabat. Hoc nobilitas ita accepit, quaſi diadema poſceret: ſegniterque ceſſante Mucio Conſule; Scipio Naſica, ſequi ſe juſſis, qui ſalvam Rempublicam vellent, Gracchum in Capitolium perſequutus oppreſſit. Cujus corpus Lucretii Ædilis manu in Tiberim miſſum, unde ille *Veſpillo* dictus. Naſica ut invidiæ ſubtraheretur, per ſpeciem legationis in Aſiam ablegatus eſt.

Tib. Gracchus. Ejus res geſtæ. U.C. 615. Ol. 160. a. C. N. 138. Diadema quia poſcere videtur. Opprimitur.

CAP. LXV. Cajus Gracchus peſtilentem Sardiniam Quæſtor ſortitus, non veniente ſucceſſore, ſua ſponte diſceſſit. Aſculanæ & Fregellanæ defectionis invidiam ſuſtinuit. Tribunus plebis agrarias & frumentarias leges tulit. Colonos etiam Capuam & Tarentum mittendos cenſuit. Triumviros agris dividundis ſe, & Fulvium Flaccum, & C. Craſſum conſtituit. Minucio Rufo Tribuno plebis legibus ſuis obrogante (*f*) in Capitolium venit: ubi cum Atilius, præco Opimii Conſulis, in turba fuiſſet occiſus, in forum deſcendit, & imprudens concionem à Tribuno plebis avocavit: qua re arceſſitus, cum in Senatum non veniſſet, armata familia Aventinum occupavit, ubi ab Opimio victus, dum à templo Dianæ (*ff*) deſilit, talum intorſit, & Pomponio amico (*g*) apud portam Trigeminam, P. Lætorio in Ponte Sublicio perſequentibus reſiſtente, in lucum Furinæ pervenit. Ibi vel ſua, vel ſervi Euphori manu interfectus, caput à Septimulejo amico (*h*) Gracchi, ad Opimium relatum, auro expenſum fertur, propter avaritiam infuſo plumbo gravius effectum.

C. Gracchus. Ejus res geſtæ. Interficitur. U. C. 631. Ol. 164. a. C. N. 122.

CAP. LXVI. Marcus Livius Druſus, genere & eloquentia magnus, ſed ambitioſus & ſuperbus, Ædilis munus magnificentiſſimum dedit: ubi Remmio collegæ, quædam de utilitate Reipublicæ ſuggerenti, (*i*) *Quid tibi,* inquit, *cum republica noſtra?* Quæſtor in Aſia nullis inſignibus uti voluit, ne quid ipſo eſſet inſignius. Tribunus plebis Latinis civitatem, plebi

M. Livius Druſus. Ejus res geſtæ. U. C. 661. Ol. 172. a. C. N. 92.

(*t*) al. quatuor millibus ſuorum. (*u*) al. nec repetitus, à genero in caſtra reductus. (*w*) al. Dioneo. (*x*) al. *exuerem.* (*y*) al. Conſules. (*z*) al. Claudia. (*a*) al. Metellum ſororis. (*b*) al. quod is olim ſuum judicium & leges detrectarat. (*c*) al. Pompejum. (*d*) alii τὸ legem omittunt. (*e*) alii *mille.* (*f*) al. abrogante. (*ff*) al. Lunæ. (*g*) al. Pontino amico. (*h*) al. Septimo Arejo. al. Septimio Atello. (*i*) al. ubi Rubrio . . . . . ſuggerente.

(34) Lucius Mummius) Hujus numiſma vid. ſupra hoc Tomo Tab. IX. num. 1.

plebi agros, equitibus curiam, Senatui judicia permisit. Nimiæ liberalitatis fuit: ipse etiam professus, *nemini se ad largiendum præter cœlum & cœnum reliquisse*: ideoque cum pecunia egeret, multa contra dignitatem fecit. Magulsam Mauritaniæ principem ob regis simultatem profugum, accepta pecunia Boccho prodidit: quem ille elephanto objecit. Adherbalem filium Regis Numidarum obsidem domi suæ suppressit, redemptionem ejus occultam à patre sperans. Cæpionem inimicum, actionibus suis resistentem, ait *se de saxo Tarpejo præcipitaturum*. Philippo Consuli legibus Agrariis resistenti, ita collum in comitio obtorsit, ut multus sanguis efflueret è naribus: quam ille luxuriam opprobrans, *muriam de turdis esse* dicebat. (*k*) Idem ex gratia nimia in invidiam venit. Nam plebes acceptis agris gaudebat; expulsi dolebant: Equites in Senatum lecti lætabantur; sed præteriti quærebantur: Senatus permissis judiciis exultabat; sed societatem cum Equitibus ægre ferebat. Unde Livius anxius, ut Latinorum postulata differret, qui promissam civitatem flagitabant, repente in publico concidit, sive morbo comitiali, seu hausto caprino sanguine semianimis domum relatus. Vota pro illo per Italiam publice suscepta sunt: & cum Latini Consulem in Albano monte interfecturi essent, Philippum admonuit *ut caveret*. Unde in Senatu accusatus, cum domum se reciperet, immisso inter turbam percussore, corruit. Invidia cædis apud Philippum, & Cæpionem fuit.

Ob nimiam liberalitatem.

Multa contra dignitatem facit.

Ex gratia in invidiam venit.

Occiditur.

CAP. LXVII. Cajus Marius septies Consul, Arpinas, humili loco natus, primis honoribus per ordinem functus, legatus Metello in Numidia, criminando eum Consulatum adeptus, Jugurtham captum ante currum egit. In proximum annum Consul ultro factus, Teutones in Gallia apud Aquas Sextias, Cimbros in Italia in campo Caudio (*l*) vicit, deque his triumphavit. Sexies Consul per ordinem factus, Appulejum Saturninum Tribunum plebis, & Glauciam Prætorem seditiosos ex Senatusconsulto interemit. Et cum Sulpicia rogatione provinciam Sullæ eriperet, armis ab eo victus, Minturnis in palude delituit. Inventus, & in carcerem conjectus, immissum percussorem Gallum vultus auctoritate (*m*) deterruit: acceptaque navicula in Africam trajecit. Ibi diu exulavit. Mox Cinnana dominatione revocatus, ruptis ergastulis exercitum fecit: cæsisque inimicis injuriam ultus, septimo consulatu, ut quidam ferunt, voluntaria morte decessit.

Cajus Marius Pater.

Ejus res gestæ.

In Africa exulat.

Voluntaria morte decedit. U.C. 666. Ol. 173. a. C. N. 87.

CAP. LXVIII. Cajus Marius filius viginti quinque (*n*) annorum Consulatum invasit: quem honorem tam immaturum mater flevit. Hic patri sævitia similis, Curiam armatus obsedit, inimicos trucidavit, quorum corpora in Tiberim præcipitavit. In apparatu belli, quod contra Sullam parabatur, apud Sacriportum vigiliis & labore defessus, sub dio requievit: & absens victus, fugæ, non pugnæ interfuit. Præneste refugit, ubi per Lucretium Offellam (*o*) obsessus, tentata per cuniculum fuga, cum omnia septa intelligeret, jugulandum se Pontio Telesino præbuit.

Cajus Marius filius. Ejus res gestæ.

Jugulandum se præbet. U. C. 670. Ol. 174. a. C. N. 83.

CAP. LXIX. Lucius Cornelius Cinna flagitiosissimus, Rempublicam summa crudelitate vastavit. Primo consulatu legem de exulibus revocandis ferens, ab Octavio collega prohibitus, & honore privatus, Urbe profugit: vocatisque ad pileum servis, adversarios vicit: Octavium interfecit: Janiculum occupavit. Iterum & tertium Consulem se ipse fecit. Quarto consulatu cum bellum contra Sullam pararet, Anconæ (*p*) ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occisus est.

L. Cornelius Cinna. Ejus res gestæ.

Lapidibus occiditur. U. C. 668. Ol. 173. a. C. N. 85.

CAP. LXX. Cajus Flavius Fimbria (sævissimus quippe Cinnæ satelles) (*q*) Valerio Flacco Consuli legatus in Asiam profectus, per simultatem dimissus, corrupto exercitu, ducem interficiendum curavit. Ipse correptis imperii insignibus, provinciam ingressus, Mithradatem Pergamo expulit. Ilium, ubi tardius portæ patuerant, incendi jussit: ubi Minervæ templum inviolatum stetit, quod divina majestate servatum nemo dubitavit. Ibidem Fimbria militiæ principes securi percussit, mox à Sulla Pergami obsessus, (*r*) corrupto exercitu desertus semet occidit.

C. Flavius Fimbria. Ejus res gestæ.

Semet occidit. U. C. 668. Ol. 173. a. C. N. 85.

CAP. LXXI. Viriathus genere Lusitanus, ob paupertatem primo mercenarius, deinde alacritate venator, (*s*) audacia latro, ad postremum dux, bellum adversum Romanos sumpsit, eorumque Imperatorem Claudium Unimanum, dein C. Nigidium oppressit. Pacem à Populo (*t*) Romano maluit integer petere, quam victus: & cum alia dedisset, & arma retinerentur, bellum (*u*) renovavit. Cæpio cum vincere eum aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriathum humi (*x*) depositum peremerunt. Quæ victoria, quia empta erat, à Senatu non probata.

Viriathus Lusitanus.

Bellum adversus Romanos sumit.

A corruptis satellitibus perimitur. U. C. 612. Ol. 159. a. C. N. 141.

CAP. LXXII. Marcus Æmilius Scaurus nobilis, pauper: nam pater ejus, quamvis Patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit. Ipse primo (*y*) dubitavit, honores peteret, an argentariam faceret: sed eloquentiæ consultus, (*z*) ex ea gloriam peperit. Primo in Hispania corniculo (*a*) meruit: sub Oreste in Sardinia stipendia fecit. Ædilis, juri reddendo magis, quam muneri edendo studuit. Legatus Calpurnii, Jugurthæ adversus: tandem ejus (*b*) pecunia victus. Consul legem de sumptibus & libertinorum suffragiis tulit. P. Decium Prætorem transeunte ipso sedentem, jussit assurgere, eique vestem scidit, sellam concidit: *ne quis ad eum in jus iret*, edixit. Consul Ligures & Gantiscos domuit, atque de his triumphavit. Censor viam (*c*) Æmili-

M. Æmilius Scaurus.

Ex eloquentia gloriam pariter.

Ejus res gestæ. U. C. 619. Ol. 161. a. C. N. 134.

(*k*) al. *quæ ille luxuria comprobans, morti jam detrudi se* dicebat. (*l*) al. Claudio. al. Savidio. al. Rhaudio. (*m*) al. austeritate. (*n*) al. XXVII. (*o*) al. Afellam. (*p*) al. Ancone. al. Anchonæ. (*q*) al. sævissimus quippe satelles. al. curiæ satelles. (*r*) al. oppressus. (*s*) al. vector. al. victor. (*t*) al. à Popilio. (*u*) al. cum Italia decessisset, & aurum peteretur, bellum &c. (*x*) al. vino. al. humo. (*y*) al. officium exercuit. Idem primo &c. (*z*) al. consultans. (*a*) al. corniculum. (*b*) al. Prætor adversus Jugurtham pugnavit, tamen ejus &c. (*c*) alii τὸ viam omittunt.

Æmiliam ſtravit. Pontem Mulvium fecit. Tantumque auctoritate potuit, ut Opimium contra Gracchum; Marium contra Glauciam & Saturninum privato conſilio armaret. Idem filium ſuum, quia præſidium deſeruerat, in conſpectum ſuum vetuit accedere: Ille ob hoc dedecus mortem ſibi conſcivit. Scaurus ſenex cum à Vario tribuno plebis argueretur, *quaſi ſocios & Latium ad arma coëgiſſet*, apud Populum, ait. Varius Sucronenſis (*d*) *Æmilium Scaurum* ait *ſocios ad arma coëgiſſe*: Scaurus negat: *utri potius credendum putatis?*

Filius ejus ſibi mortem conſciſcit.

CAP. LXXIII. Lucius Appulejus Saturninus, Tribunus plebis ſeditioſus, ut gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, *ut veteranis centena agri jugera in Africa dividerentur*: intercedentem Bæbium collegam, facta per Populum lapidatione ſubmovit. Glauciæ Prætori, quod is eo die, quo ipſe concionem habebat, jus dicendo (*e*) partem Populi avocaſſet, ſellam concidit, ut magis popularis videretur. Quendam libertini ordinis ſubornavit, qui ſe Tiberii Gracchi filium fingeret. Ad hoc teſtimonium Sempronia ſoror Gracchorum producta, nec precibus, nec minis adduci potuit, ut dedecus familiæ agnoſceret. Saturninus Aulo Nonio (*f*) competitore interfecto Tribunus plebis refectus, Siciliam, Achaiam, Macedoniam novis colonis deſtinavit, & aurum, dolo, an ſcelere? Cæpionis partum, ad emptionem agrorum convertit. Aqua & igni interdixit ei, qui in leges ſuas non juraſſet. Huic legi multis nobilibus obrogantibus (*g*) cum tonuiſſet, clamavit: *Jam*, inquit: *niſi quieſcitis, grandinabit*. Metellus Numidicus exulare quam jurare maluit. Saturninus tertio Tribunus plebis refectus, ut ſatellitem ſuum Glauciam Prætorem, Conſulem faceret, Memmium (*h*) competitorem ejus campo Martio necandum curavit. Marius Senatuſconſulto armatus, quo cenſebatur, darent operam Conſules ne quid Reſpublica detrimenti caperet; Saturninum & Glauciam in Capitolium perſequutus (*i*) obſedit, maximoque aſtu inciſis fiſtulis, in deditionem accepit: nec deditis fides ſervata. Glauciæ fracta cervix: Appulejus cum in Curiam fugiſſet, lapidibus & tegulis deſuper interfectus eſt. Caput ejus Rabirius quidam Senator per convivia in ludibrium circumtulit.

L. Appulejus Saturninus. Ejus res geſtæ. U.C. 650. Ol. 169. a. C. N. 103.

Lapidibus & tegulis interficitur.

CAP. LXXIV. Lucius Lucullus nobilis, diſertus & dives, munus quæſtorium ampliſſimum dedit. Ptolemæum Regem Alexandriæ Conſuli Sullæ conciliavit: & mox per Murenam in Aſia claſſem Mithradatis. Prætor Africam juſtiſſime rexit. Adverſus Mithradatem Conſul miſſus, collegam ſuum Cottam Chalcedone (*k*) obſeſſum liberavit. Cyzicum obſidio ſolvit: Mithradatis copias ferro & fame afflixit, eumque regno ſuo Ponto expulit. Quem rurſum cum Tigrane rege Armeniæ ſubveniente (*l*) magna felicitate ſuperavit. Nimius in habitu: (*m*) maxime ſignorum & tabularum amore flagravit. Poſt cum alienata mente deſipere cepiſſet, tutela ejus M. Lucullo fratri permiſſa eſt.

L. Licinius Lucullus. Ejus res geſtæ. U. C. 66?. Ol. 173. a. C. N. 87.

Mente alienata deſipit.

CAP. LXXV. Cornelius Sulla, à fortuna, *Felix* dictus, cum parvulus à nutrice ferretur, mulier obvia, *Salve*, inquit, *puer tibi & Reipublicæ tuæ felix*: & ſtatim quæſita quæ hoc dixiſſet, non potuit inveniri. Hic Quæſtor Marii, Jugurtham à Boccho in deditionem accepit. Bello Cimbrico & Teutonico legatus, bonam operam navavit. Prætor inter civeis jus dixit. Prætor Ciliciam (*n*) provinciam habuit. Bello ſociali Samnites, Irpinoſque ſuperavit. Ne monumenta Bocchi tollerentur; Mario reſtitit. Conſul Aſiam ſortitus, Mithradatem apud Orchomenum, & Chæroneam prælio fudit. Archelaum præfectum (*o*) ejus Athenis vicit. (*p*) Portum Peiræum recepit. Enetos, & Dardanos in itinere ſuperavit. Cum rogatione (*q*) Sulpicia imperium ejus transferretur ad Marium, in Italiam regreſſus, corruptis adverſariorum exercitibus, Carbonem Italia expulit: Marium filium apud Sacriportum, Teleſinum apud portam (*r*) Collinam vicit. Mario Præneſte interfecto, *Felicem* ſe edicto appellavit. Proſcriptionis tabulas primus propoſuit. Novem millia deditorum (*s*) in villa publica cecidit. Numerum ſacerdotum auxit, Tribuniciam poteſtatem minuit. (*t*) Republica ordinata Dictaturam depoſuit: unde ſperni ceptus, (*u*) Puteolos conceſſit: & morbo, qui Phthiriaſis vocatur, interiit.

L. Cornelius Sulla. Felix prædicitur. Ejus res geſtæ. Felicem ſe appellat. Phthiriaſi interiit. U.C. 674. Ol. 175. a. C. N. 79.

CAP. LXXVI. Mithradates rex Ponti, oriundus à ſeptem Perſis, magna vi animi & corporis, ut ſexjuges equos regeret, duarum & viginti gentium (*x*) ore loqueretur. Bello ſociali diſſidentibus Romanis, Nicomedem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia expulit. Literas per totam Aſiam miſit, *ut quicumque Romanus eſſet, certa die interficeretur*: & factum eſt. Græciam inſulaſque omnes, excepta Rhodo, occupavit. Sulla eum prælio vicit, claſſem ejus proditione Archelai intercepit: ipſum apud Orchomenum (*y*) oppidum fudit, & oppreſſiſſet, niſi (*z*) adverſum Marium feſtinans, qualemcunque pacem componere maluiſſet. Deinde eum Cabiris (*a*) reſiſtentem Lucullus fudit. Mithradates poſt à Pompejo nocturno prælio victus, in regnum confugit: ubi per ſeditionem popularium (*b*) à Pharnace filio in turre obſeſſus, venenum ſumpſit. Quod cum tardius ſubiret, (*c*) quia adverſum venena multis antea medicaminibus corpus firmarat:

Mithradates Rex Ponti. Romanos in Aſia una die interfici curat. Victus à Sulla. U.C. 666. Ol. 173. a. C. N. 87. A Pompeio. Venenum fruſtra ſumit.

(*d*) al. Varius Veronenſis. al. Surius Sucronenſis. (*e*) al. jus dando. (*f*) al. Memmio. al. Nummio. al. Mummio. (*g*) al. multi nobiles obrogantes. al. abrogantes. (*h*) al. Mummium. (*i*) al. in Capitolium coëgit confugere, ibi eos perſequutus &c. (*k*) al. Chalcedoniæ. (*l*) al. venientem. (*m*) al. in ambitu. (*n*) al. Siciliam. (*o*) al. Archelaum prælio præfectum ejus &c. (*p*) al. Cathenis vinxit. (*q*) al. legatione. (*r*) al. Marium apud Sacriportum &c. al. Marium & Pontium Teleſinum apud portam &c. (*s*) al. dediticiorum. (*t*) al. imminuit. (*u*) al. ſpe deceptus. (*x*) al. quinquaginta gentium. (*y*) al. Orchienum. al. Dardanum. (*z*) al. & oppreſſit, & potuit capere niſi &c. (*a*) al. acrius. al. Argis. (*b*) al. popularem. (*c*) al. biberet. al. ebiberet. al. cum is tardius viveret.

marat: immiſſum percuſſorem Gallum Sithocum (*d*) auctoritate vultus territum revocavit, & in cædem ſuam manum trepidantis adjuvit.

Occiditur, U.C.689. Ol. 179. a. C. N. 64.

Cn. Pompejus Magnus. Ejus res geſtæ.

CAP. LXXVII. Cn. Pompejus Magnus, civili bello Sullæ partes ſequutus, ita egit, ut ab eo maxime diligeretur. Siciliam ſine bello à proſcriptis recepit. Numidiam Hiarbæ ereptam, Maſaniſſæ reſtituit. Viginti ſex annos natus triumphavit. Lepidum acta Sullæ reſcindere volentem, privatus Italia fugavit. (*e*) Prætor in Hiſpaniam pro Conſulibus (*f*) miſſus Sertorium vicit. Mox piratas intra quadrageſimum diem ſubegit. Tigranem ad deditionem, Mithradatem ad venenum compulit. Deinde mira felicitate (& celeritate) nunc in Septemtrione (*g*) Albanos, Colchos, Heniochos, Caſpios, Iberos: tunc in Oriente Parthos, Arabas, atque Judæos cum magno ſui terrore penetravit. Primus in Hircanum, Caſpium, Rubrum, & Arabicum mare uſque pervenit. Mox cum diviſo orbis imperio, Craſſus Syriam, Cæſar Galliam, Pompejus Urbem obtineret; poſt cædem Craſſi, Cæſarem dimittere exercitum juſſit: cujus infeſto adventu Urbe pulſus, in Pharſalia victus, ad Ptolemæum Alexandriæ regem confugit. Ejus imperio ab Achilla & Pothino ſatellitibus occiſus eſt: (Hujus latus ſub oculis uxoris & liberorum à Septimio (*h*) Ptolemæi præfecto mucrone confoſſum eſt. Jamque defuncti caput gladio præciſum, quod uſque ad ea tempora fuerat adoratum. (*i*) Truncus Nilo jactus, à Servio Codro (*k*) rogo inuſtus, (*l*) humatuſque eſt, inſcribente ſepulchro: HIC SITUS EST MAGNUS POMPEJUS. Caput ab Achilla Ptolemæi ſatellite, Ægyptio velamine involutum cum annulo Cæſari præſentatum eſt: qui non continens lacrymas, illud plurimis & pretioſiſſimis odoribus cremandum curavit.)

Triumviratus.

A Cæſare in Pharſalia vincitur. U.C.704. Ol. 182. a. C. N. 49. Occiditur.

Ejus Epitaphium.

ADDITAMENTUM VIRORUM ILLUSTRIUM

EX LIBRIS ANTIQUIS MANU DESCRIPTIS.

CAP. LXXVIII.

C. Julius Cæſar.

(35) CAjus Julius Cæſar, veneratione rerum geſtarum *Divus* dictus: contubernalis Thermo in Aſiam profectus; cum ſæpe ad Nicomedem regem Bithyniæ commearet, impudicitiæ infamatus eſt. Mox Dolabellam judicio oppreſſit. Dum ſtudiorum cauſa Rhodum petit, à piratis captus & redemptus, eosdem & poſtea captos punivit. Prætor Luſitaniam, & poſt Galliam, ab Alpibus uſque, & Oceanum bis claſſe transgreſſus, Britanniam ſubegit. Cum ei triumphus à Pompejo negaretur, armis eum Urbe pulſum in Pharſalia vicit. Capite ejus ablato flevit & honorifice ſepeliri fecit: mox à ſatellitibus Ptolemæi obſeſſus, eorum & Regis nece Pompejo parentavit. Pharnacem Mithradatis filium fama nominis fugavit. Jubam & Scipionem in Africa: Pompejos juvenes in Hiſpania apud Mundam oppidum ingenti prælio vicit: deinde ignoſcendo amicis odia cum armis depoſuit: nam Lentulum tantum, & Afranium, & Fauſtum Sullæ filium juſſit occidi. Dictator in perpetuum factus à Senatu; in curia, Caſſio & Bruto cædis auctoribus tribus & viginti vulneribus occiſus eſt: cujus corpore pro roſtris poſito, Sol orbem ſuum celaſſe dicitur.

Pompejum vincit. U.C.704. Ol. 182. a. C. N. 49.

Dictator perpetuus factus.

Occiditur. U.C.708. Ol. 183. a. C. N. 45.

CAP. LXXIX. (36) Cæſar Octavianus, ex Octavia familia in Juliam tralatus, in ultionem Julii Cæſaris, à quo hæres fuerat inſtitutus, Brutum & Caſſium cædis auctores in Macedonia vicit. Sextum Pompejum Cn. Pompeji F. bona paterna repetentem, in freto Siculo ſuperavit. Marcum Antonium Conſulem Syriam obtinentem, amore Cleopatræ devinctum, in Actiaco Ambraciæ littore debellavit: reliquam orbis partem per legatos domuit. Huic Parthi ſigna, quæ Craſſo ſuſtulerant, (*m*) ultro reddiderunt. Indi, Scythæ, (*n*) Sarmatæ, Daci, quos non domuerat, dona miſerunt. Jani gemini portas bis ante ſe clauſas; primo ſub Numa: iterum poſt primum Punicum bellum, ſua manu clauſit. Dictator in perpetuum factus, à Senatu, ob res geſtas *Divus Auguſtus* eſt appellatus.

Cæſar Octavianus.

Marcum Antonium debellat. U.C.709. Ol. 184. a. C. N. 44.

Jani portas claudit.

Dictator perpetuus. Divus Auguſtus appellatur. U.C.725. Ol. 188. a. C. N. 28.

CAP. LXXX. Cato Prætorius, Catonis Cenſorii pronepos, cum in domo avunculi Druſi educaretur, nec pretio, nec minis potuit adduci

Cato Prætorius.

(*d*) al. Bitocum. (*e*) al. abrogavit. (*f*) al. Proconſulibus. (*g*) al. mira felicitate in ſeptentrionem &c. (*h*) al. à Phothyno. al. à Theodoto. (*i*) al. ignoratum. (*k*) al. cedro. (*l*) al. à Servio inuſtus. (*m*) al. abſtulerant. (*n*) al. Inde Scythæ.

(35) Cajus Julius Cæſar) Quamvis jam aliquoties Julii Cæſaris effigiem exhibuimus, eandem hic denuo repetimus, ne ſeriem Virorum Illuſtrium, ab Aurelio Victore commemoratorum, in ipſo exordio præcidamus. Conſpice ideo adhuc ſemel vultum Cæſaris, Tab. XXII. num. 1. uti eum repreſſit Ill. MEDIOBARBUS in Numiſmatibus Impp. Romanorum pag. 3.

(36) Cæſar Octavianus) Et hujus effigiem dabimus iterum paullo poſt ad principium ſeriei Imperatorum Romanorum.

duci à Q. Popedio Silone (*o*) Marſorum Principe, ut favere ſe cauſæ Sociorum diceret. Quæſtor in Cyprum miſſus ad vehendam ex Ptolemæi hæreditate pecuniam, cum ſumma eam fide perduxit: præterea conjuratos puniendos cenſuit. Bello civili, Pompeji partes ſequutus eſt: quo victo exercitum per deſerta Africæ duxit, ubi Scipioni Conſulari delatum ad ſe imperium conceſſit. Victis partibus Uticam conceſſit, ubi filium hortatus, *ut clementiam Cæſaris experiretur*, ipſe lecto Platonis libro, qui de bonis mortis eſt, ſemet occidit.

Pompeji partes ſequitur.
Semet occidit. U. C. 707. Ol. Ol. 183. a. C. N. 46.

CAP. LXXXI.

M. Tullius Cicero.

(37) Marcus Tullius Cicero, genere Arpinas, patre Equite Romano natus, genus à Tito Tatio Rege duxit. Adoleſcens Roſciano judicio eloquentiam, & libertatem ſuam adverſum Sullanos oſtendit; ex quo veritus invidiam Athenas ſtudiorum gratia petivit, ubi Antiochum Academicum philoſophum ſtudioſe audivit: inde eloquentiæ gratia Aſiam, poſt Rhodum petiit, ubi Molonem (*p*) Græcum, Rhetorem tum diſertiſſimum magiſtrum habuit; qui fleſſe dicitur, *quod per hunc Græcia eloquentiæ laude privaretur*. Quæſtor Siciliam habuit. Ædilis C. Verrem repetundarum damnavit. Prætor Ciliciam latrociniis liberavit. Conſul conjuratos capite punivit. Mox invidia P. Clodii, inſtinctuque Cæſaris & Pompeji, quos dominationis ſuſpectos, eadem, qua quondam Sullanos, libertate perſtrinxerat, ſollicitatis Piſone & Gabinio Conſulibus, qui Macedoniam, Syriamque (*q*) provincias in ſtipendium opera hujus acceperant, in exilium actus: mox ipſo referente Pompejo rediit, eumque civili bello ſequutus eſt. Quo victo veniam à Cæſare ultro accepit: quo interfecto Auguſtum fovit; Antonium hoſtem judicavit. Et cum III. viros ſe feciſſent, Cæſar, Lepidus, Antoniuſque, concordia non aliter viſa eſt inter eos jungi poſſe; niſi Tullius necaretur: qui, immiſſis ab Antonio percuſſoribus, cum forte Formiis quieſceret, imminens exitium corvi auſpicio didicit: & fugiens occiſus eſt. Caput ad Antonium relatum.

Athenis Philoſophiæ.
Rhodi Rhetorico incumbit.
Quæſtor.
Ædilis.
Prætor.
Conſul.
Pompeji partes ſequitur.
Auguſtum fovet.
Occiditur. U. C. 709. Ol. 184. a. C. N. 44.

CAP. LXXXII.

Marcus Brutus.

(38) Marcus Brutus avunculi Catonis imitator, Athenis Philoſophiam, Rhodi eloquentiam didicit. Cytheridem mimam (*r*) cum Antonio & Gallo poëta amavit. Quæſtor in Galliam proficiſci noluit, quod is bonis omnibus diſplicebat. Cum Appio Claudio (*s*) in Cilicia fuit: & cum ille repetundarum accuſaretur; ipſe ne verbo quidem infamatus eſt. Civili bello à Catone ex Cilicia retractus, Pompejum ſequutus eſt: quo victo, veniam à Cæſare accepit, & Proconſul Galliam rexit, tamen cum aliis conjuratis in Curia Cæſarem occidit. Et ob invidiam veteranorum in Macedoniam miſſus, ab Auguſto campis Philippicis (*t*) victus, Stratoni cervicem præbuit.

Quæſtor.
Pompejum ſequitur.
Occiditur. U. C. 710. Ol. 184. a. C. N. 43.

CAP. LXXXIII.

C. Caſſius Longinus.

Cajus Caſſius Longinus Quæſtor Craſſi in Syria fuit, poſt cujus cædem, collectis reliquiis in Syriam rediit. Oſacem (*u*) præfectum regium apud Orontem fluvium ſuperavit. Dein quod coëmptis Syriacis mercibus fœdiſſime negotiaretur, *Carvota* cognominatus eſt. Tribunus plebis Cæſarem oppugnavit. Bello civili Pompejum ſequutus claſſi præfuit: à Cæſare veniam accepit, tamen adverſus eum conjurationis auctor cum Bruto fuit, & in cæde dubitanti cuidam, *Vel per me*, inquit, *feri:* magnoque exercitu comparato, in Macedonia Bruto conjunctus in campis Philippicis ab Antonio victus, cum eandem fortunam Bruti putaret, qui Cæſarem vicerat, Pandaro liberto jugulum præbuit. Cujus morte audita, Antonius exclamaſſe dicitur, *Vici.*

Pompejum ſequitur.
Occiditur. U. C. 710. Ol. 184. a. C. N. 43.

CAP. LXXXIV.

Sextus Pompejus.

(39) Sextus Pompejus in Hiſpania apud Mundam victus, amiſſo fratre reliquiis exercitus collectis Siciliam petiit: ubi ruptis ergaſtulis mare obſedit. Interceptis commeatibus Italiam vexavit: & cum mari feliciter uteretur, *Neptuni ſe filium* confeſſus eſt, eumque bobus auratis & equo placavit. Pace facta epulatus in navi cum Antonio & Cæſare non invenuſte ait: *Hæ ſunt meæ carinæ:* quia Romæ in Carinis domum ejus Antonius tenebat. Rupto per eundem Antonium fœdere, Sextus ab Auguſto per Agrippam navali prælio victus in Aſiam fugit, ubi ab Antonianis militibus occiſus eſt.

Cum Antonio & Cæſare epulatur.
Occiditur. U. C. 717. Ol. 186. a. C. N. 36.

CAP. LXXXV.

Marcus Antonius.


(40) Marcus Antonius in omnibus expeditionibus Julio Cæſari comes, Lupercalibus diadema ei imponere tentavit: mortuo divinos honores decrevit. Auguſtum perfidioſe tractavit, à quo apud Mutinam victus, Peruſii fame domitus, in Galliam fugit: ibi Lepidum ſibi collegam adjunxit: Brutum, exercitu ejus corrupto, occidit. Reparatis viribus in Italiam regreſſus cum Cæſare in gratiam rediit. Triumvir factus proſcriptionem à Lucio Cæſare avunculo ſuo cepit. In Syriam miſſus bellum Parthis intulit, à quibus victus, vix tertiam partem de quindecim legionibus in Ægyptum perduxit; ibi Cleopatræ amore devinctus in Actiaco littore ab Auguſto victus eſt. In Alexandriam regreſſus, cum habitu regio in ſolio regali ſediſſet, necem ſibi conſcivit.

Apud Mutinam ab Auguſto vincitur.
Iterum in Actiaca pugna. U. C. 721. Ol. 187. a. C. N. 32. Semet occidit.

CAP.

(*o*) al. ab Pedio Silone. (*p*) al. Milonem. (*q*) al. Aſiamque. (*r*) al. mimum. (*s*) al. cum Appio ſocio. (*t*) al. Philippiis. (*u*) al. Lyſacen. al. Syſacen.

(37) M. Tullius Cicero) Hujus effigiem, quam Tab. XXII. num. 2. exhibemus, GRONOVIUS ex Gemma delineatam protulit.
(38) M. Brutus) Effigiem M. Bruti, Cæſaris percuſſoris refert Numiſma Tab. XXII. num. 3. Conf. GOLTZII C. Julius Cæſar. Tab. XXI. num. 1.
(39) Sextus Pompejus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 13. vide Tab. XXII. num. 4.
(40) Marcus Antonius) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 13. vide Tab. XXII. num. 5.


Tab. XXII.
ad pagg. 123 124
125 126.
AR
D. IVLIVS
I
II
AR
L. PLAET. CEST BRVT. IMP.
III
AR
MAG. PIVS IMP. ITER.
IV
AR
ANTONI ARMENIA DEVICTA.
V
VI
ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ
ÆR
AR
CA ESAR
IMP. AVG.
VII
AR
TI. CAESAR AVGVSTI F. IMPERATOR VIR.
VIII

Cleopatra.

A Cæſare regnum Ptolemæi obtinet.

CAP. LXXXVI. (41) Cleopatra Ptolemæi regis Ægyptiorum filia à fratre ſuo Ptolemæo eodemque marito, quem fraudare regno voluerat, pulſa, ad Cæſarem bello civili in Alexandriam venit: ab eo ſpecie ſua & concubitu, regnum Ptolemæi & necem impetravit. Hæc tantæ libidinis fuit, ut ſæpe proſtiterit: tantæ pulchritudinis, ut multi noctem illius morte emerint. Poſtea Antonio juncta, cum eo victa, cum ſe illi inferias ferre ſimularet in Mauſoleo ejus, admotis aſpidibus periit.

Antonio jungitur.

Admotis aſpidibus perit. U. C. 721. Ol. 187, 2, C. N. 32.

(41) Cleopatra) Cleopatræ vultum exhibemus Tab. XXII. num. 6. ex nummo Domini Wren in Anglia, ut teſtatur HAYM. in Teſoro Britannico P. I. Vol. II. p. 27.



M. Tyroff direxit Norimbergæ

AURE-



M. Tyroff sculp. Norimbergæ.

AURELII VICTORIS HISTORIÆ ABBREVIATÆ PARS ALTERA:

Ab Augusto Octaviano, id est, à fine Titi Livii, usque ad Consulatum decimum Constantii Augusti, & Juliani Cæsaris tertium.

CAPUT I.

ANno Urbis septingentesimo fere, vicesimoque 11. etiam mos Romæ incessit, uni prorsus parendi: Namque (1) Octavianus patre Octavio, atque adoptione magni avunculi Cæsaris, ac mox Procerum consulto ob victoriam patriam (*a*) placide exercitam, Augusti cognomento dictus, illectis per dona militibus, atque annonæ curandæ specie vulgo, ceteros haud difficulter subegit: eoque modo annis quatuor circiter & quadraginta actis, morbo Nolæ consumptus: adjectis imperio civium Rhætis, Illyricoque, ac pacata externarum gentium ferocia, nisi Germaniæ: quamquam tertius post Numam victo Antonio, Janum clauserit, quod jure Romano, quiescentibus bellis accidebat. Mores viro civiles lepidique, flagrante haud modice luxuria, ludorumque cupidine atque ad somnum intemperantia. Doctorum, qui abunde erant, necessariorumque percultor, cum eloquentiæ studio, ac religionibus mire retineretur. (*b*) *Pater Patriæ*, ob clementiam, ac Tribunicia potestate perpetuo habitus: hincque uti Deo, Romæ provinciisque omnibus per urbes celeberrimas, vivo, mortuoque templa, sacerdotes, & collegia sacravere. Felix adeo (absque liberis tamen simulque conjugio) ut Indi, (*c*) Scythæ, Garamantes, ac Bactri legatos mitterent orando fœderi.

Octavianus.

Augustus dicitur. U. C. 725. Ol. 188. a. C. N. 28.

Nolæ moritur. U. C. 766. p. C. N. 14.

Janum claudit.

Doctorum cultor.

Pater Patriæ.

Ut Deus colitur.

CAP. II. Dein (2) Claudius Tiberius Nero in Augusti liberos è privigno redactus arrogatione, ubi quæ metuebantur, satis tuta animadvertit, Imperium complexus est, cujus nomen astu obtinebat: (*d*) subdolus & occultior, hisque sæpe simulando infensus, quæ maxime cuperet, & insidiose deditus, quæ odio erant: ingenio ad repentina longe acriore: bonis initiis idem perniciosus, quæsitissimis in omnem fere ætatem sexumque libidinibus: atque atrocius puniens insontes, suos pariter externosque. Adhuc dum urbes & conventus [adhuc] exsecratur, Capreas insulam quæsierat flagitiis obtentui. Quare solutis (*e*) militiæ artibus direpta pleraque juris Romani: nihilque præter Cappadocas, idque inter exedra, (*f*) in provincia subactum, remoto rege Archelao, compressaque Getulorum latrocinia, quæ de Farnace duce passim proruperant. Prætorias, quæ dispersæ proximis municipiis, seu Romæ,

Claudius Tiberius Nero.

Imperator. U. C. 766. p. C. N. 14.

Astuti & subdoli ingenii.

Libidinosi pariter ac atrocis.

Cappadocas subigit.

Getulos comprimit.

(*a*) al. partium. (*b*) al. teneretur. (*c*) al. Judæi. (*d*) al. abnuebat. (*e*) al. solitis. (*f*) al. exordia.

(1) Octavianus) Hujus vultum iterum damus Tab. XXII. num. 7. ex MEDIOBARBO pag. 21.
(2) Claudius Tiberius Nero) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 61. vid. Tab. XXII. num. 8.

Cohortes prætorias in caſtra redigit.

Romæ, quæque per domos habebantur, in caſtra apud Urbem redegit; qua tenebantur Præfecturam appellans, vel augens, Prætorio. Nam ceteros paritorum Præſideſque Auguſtus inſtituerat.

CAP. III. Igitur Claudio Tiberio jam inſidiis oppreſſo, cum imperium tres atque viginti, ævi octogeſimum, uno minus annos egiſſet, (3) CAJUS CÆSAR cognomento *Caligula* aventibus cunctis deligitur, majorum gratiæ parentiſque.

Cajus Cæſar Caligula. Imperator. U.C. 789. p. C.N. 37.

Nam per filiam proavus Auguſtus: genere materno, Agrippa; Druſus, Germanici pater, è quo is oriebatur, avi erant. Quorum modeſtia atque immaturo, abſque Octaviani, interitu, vulgus ſimul matris fratrumque, quos Tiberius exitio interceperat, permovebatur.

Spes de eo concepta.

Qua cauſa nitebantur omnes caſum tantæ familiæ lenire adoleſcentuli ſpe: tum quia natus in exercitu (unde cognomentum calciamento militari quæſiverat) legionibus carus acceptuſque habebatur. Præterea prudentiſſimus quiſque ſimilem fore ſui credebat, quod longe ſecus, *quaſi naturæ lege*, quæ crebro tamquam ex induſtria malos è bonis; agreſtes è doctoribus, & ceteros hujuſcemodi ſeu contra gignit. Quo demum exemplo ſapientium plures caruiſſe liberis utilius duxere. Ceterum in Caligula haudquaquam vero plurimum aberant; quippe qui diu immania animi ita pudore, ac parendi ſpecie obtexerat, uti merito vulgaretur, *neque meliores famulos* (g) *neque atrociorem dominum illo fuiſſe.* Denique nactus poteſtatem, uti talia ingenia veteris ſolent anni menſibus, egregia ad populum inter partes cum militibus geſſit: delataque conjuratione, quaſi minus credens, prædicaret, vix convenire in eum, cujus vita nullius oneri aut incommodo eſſet.

Crudelitas ejus.

Sed repente cæſis primum vario facinore innocentium paucioribus, tamquam belluæ hauſto ſanguine ingenium exercuit: itaque deinceps triennium conſumptum, cum Senatus atque optimi cujuſque multiplici clade terrarum orbis fœdaretur:

Libido.

quin etiam ſororum ſtupro ac matrimoniis illudens nobilibus Deorum habitu incedebat, cum *Jovem* ſe ob inceſtum; ex thoro (h) autem Bacchanali *Liberum* ſe aſſereret. Neque ſecus contactis ad unum legionibus, ſpe in Germaniam tranſgrediendi, conchas umbilicoſque in ora maris Oceani legi juſſit: cum ipſe nunc fluxo cultu Venerioque intereſſet; nunc armatus ſpolia à ſe non ex hominibus, ſed cœleſtium capi dictitaret: ſcilicet quod hujuſmodi piſces Græcorum dicto, quis augendi omnia ſtudium eſt, Nympharum lumina accepiſſet.

Et ſuperbia.

His elatus *Dominum* dici, atque inſigne regni capiti nectere tentaverat. Qua cauſa auctore Cherea (i) moti, quibus Romana virtus inerat, tanta pernicie Rempub. confoſſo eo levare: prælatumque excellens Bruti facinus ejecto Tarquinio foret, ſi per Quirites modo militia exerceretur. Verum ubi cives deſidia externos, Barbaroſque in exercitum cogere libido inceſſit; corruptis moribus libertas oppreſſa atque habendi auctum ſtudium.

Conſpiratio in eum.

Interim dum Senatus decreto gentem Cæſarum, etiam muliebri ſexu, omnemque affinitatem armati perſequuntur, forte unius ortus Epiri è cohortibus quæ palatium per opportunos locos obſidebant, Tib. (k) Claudium occultantem ſe reperit deformi latebra: protractoque eo exclamat apud ſocios, *ſi ſapiant, adeſſe principem.* Et ſane quia vecors erat, mitiſſimus videbatur imprudentibus: quæ res adverſum nefariam patrui (l) Neronis mentem auxilio, neque apud fratris filium Caligulam invidiæ fuit: quin etiam militares plebiſque animos conciliaverat, dum flagrante ſuorum dominatione, ipſe contemptui miſerabilior haberetur.

Occiditur. U.C. 793. p. C.N. 41.

Talia pleriſque memorantibus, repente eum, nullo retractante, quæ aderant turbæ circumſiſtunt, ſimulque affluebant reliqui militum & vulgi magna vis. Quod ubi Patres accepere, mittunt ocyus auſum comprimere. Sed poſtquam variis, tetriſque ſeditionibus civitas cunctique ordines lacerabantur tamquam ex imperio omnes dedere ſe. Ita Romæ Regia poteſtas firmata, proditumque, *apertius mortalium conatus vacuos à Fortuna caſſoſque eſſe.*

CAP. IV. (4) Igitur CLAUDIUS, quamquam ventri fœde obediens, vecors juxta atque immemor, paviduſque animi & ignavior eſſet;

Claudius Imperator. U.C. 793. p. C.N. 41.

Pleraque egregie conſultat.

pleraque per formidinem tamen egregie conſultabat, Nobilitatis præcipuæ conſiliis quæ metu colebatur: (m) quippe *ſtolidorum ingenia proinde agunt, uti monitores ſunt.*

Vitia comprimit.

Denique bonis auctoribus compreſſa per eum vitia, ac per Galliam Druidarum (n) famoſæ ſuperſtitiones: lata jura quam commodiſſima; curatum militiæ officium:

Fines regni retinet aut dat.

retenti fines, ſeu dati imperio Romano, Meſopotamia per Orientem, Rhenus, Danubiuſque ad Septemtrionem: & à Meridie Mauri acceſſere provinciis; demptis Regibus poſt Jubam: cæſaque Muſalamiorum manus; ſimul, ultima occaſus, Brittaniæ partes contuſæ, quam ſolam adiit, Oſtia profectus mari: nam cetera duces curavere.

Annonæ egeſtatem componit.

Adhuc annonæ egeſtas compoſita, quam Caligula induxerat, dum adactis toto orbe navigiis, pervium mare theatris curribuſque damno publico efficere contendit.

Cenſum novat.

Neque ſecus cenſu novato, cum Senatu motis pluribus laſcivum adoleſcentem, quem ſibi probatum parens aſſeruerat, retinuiſſet, Cenſorem & liberis patrem debere eſſe, recte adiecerat.

Meſſalina conjux. In pravum eum abſtrahit.

Aſt ubi Meſſalinæ conjugis, ſimulque libertorum delinimentis, quibus ſemet dediderat, in pravum abſtractus, non illa modo Tyrannorum admiſſa, verum quæ poſtremum genus mulierum, atque ſervile quibat facere viro amenti dominoque.

Meſſalinæ libido.

Namque uxor primo paſſimque, quaſi jure, adulteris utebatur: eoque extincti cum ſuis plerique, ingenio, ſeu metu abſtinentes: dum pervagatis mulierum artibus peti ſe à petitis criminatur. Dehinc atrocius accenſa, nobi-

(g) al. *meliorem famulum.* (h) al. è thoro. (i) al. Chærea. al. Cerea. (k) al. Titum. (l) al. patri. (m) al. Nobilitatis præcipue conſiliiſque metu colebatur. (n) al. Druydarum. al. Dryſularum.

(3) Cajus Cæſar) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 76. vide Tab. XXIII. num. 1.
(4) Claudius) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 80. vide Tab. XXIII. num. 2.

nobiliores quasque nuptas, & virgines, scortorum modo secum prostituerat: coactique mares uti adessent: quod si qui talia horruerat; affiicto crimine, in ipsum omnemque familiam sæviebatur. Namque Claudium, uti supra docuimus, natura performidolosum, injecto metu sui agitabant, maxime conjurationis: quo commento liberti etiam, quos vellent, perditum ibant. Qui primo sceleribus collubentes, ubi pares patronæ facti sunt, eam quoque ignaro, quasi jubente tamen, domino, per satellites interfecere. Et sane in id progressa mulier erat, uti, animi ac pellicum gratia Ostiam profecto, Romæ nuptias cum altero frequentaret, & hinc notior, dum mirum videtur apud Imperatorem virum, quam Imperatori nuptam esse. Ita liberti potestatem nacti summam stupris, exilio, cæde, proscriptionibus, omnia fœdabant, eoque herilem stultitiam perpulere, uti senex fratris filiam in nuptias concupisceret. Quæ quamvis superiore absurdior haberetur, idcircoque paria extimesceret; veneno conjugem interemit. Hujus anno sexto, cum quatuor regnarit, octingentesimus Urbis mire celebratus, visusque apud Ægyptum Phœnix, quam volucrem ferunt anno quinquagesimo (*o*) ex Arabis memoratos locos advolare: (*p*) atque in Ægeo mari repente insula ingens emersit, nocte qua defectus Lunæ acciderat. Tetrum funus, uti quodam in prisco Tarquinio, diu occultatum: dum arte mulieris corrupti custodes, ægrum simulant, atque ab eo mandatam interim privigno, quem paullo ante in liberos adsciverat, curam Reipublicæ.

Veneno interimitur. U. C. 806. p. C. N. 54.

Phœnix visus est.

CAP. V. Eo modo (5) L. DOMITIUS (nam id certe nomen Neroni, patre Domitio, erat) Imperator factus est. Qui cum longe adolescens dominatum parem annis vitrico gessisset, quinquennium tamen tantus fuit, augenda Urbe maxime, uti merito Trajanus sæpius testaretur, *procul differre cunctos principes Neronis quinquennio:* quo etiam Pontum in jus provinciæ, Polemonis permissu, redegit; cujus gratia *Polemoniacus* Pontus appellatur: itemque Cottias alpes, Cottio rege mortuo. Quare satis compertum *neque ævum impedimento virtuti esse: eam facile mutari, corrupto per licentiam ingenio: omissamque adolescentiæ quasi legem, perniciosius repeti.* Namque eo dedecore reliquum vitæ egit, uti pigeat, pudeatque memorare hujusmodi quemquam, nedum rectorem gentium fuisse. Qui dum psallere per cœtus, Græcorum invento, in certamen coronæ cœpisset; eo progressus est, uti neque suæ, neque aliorum pudicitiæ parcens, ad extremum amictus nubentium virginum specie, palam Senatu, dote data, cunctis festa more celebrantibus, in manum conveniret lecto ex omnibus prodigiosis. Quod sane in eo (narrantur scelera Neronis) levius æstimandum. Quippe noxiorum vinctis modo, pelle tectus feræ, utrique sexui genitalia vultu contrectabat; Exactor parium majore flagitio. Atque inter hæc matrem etiam contaminavisse plures habent; dum ea quoque dominandi ardore, scelere quolibet subjici filium cupit. Id ego, quamquam scriptoribus diversa firmantibus, verum puto. Namque *ubi mentem invaserint vitia nequaquam verecundiæ externis* (*q*) *societate humanius datur peccandi consuetudo, nova, & eo dulciora, affectans, ad extremos in suos agens:* quod his proditum magis, dum quasi quodam progressu, illa per alteros ad Patrui nuptias, atque alienorum cruciatibus mariti exitium: (*r*) hic, paullatim ad sacerdotem Vestæ, deinde in se, postremo uterque in sui scelus processerunt. Neque blandimentis talibus tamen coalescere potuere, sed eo præceps dati, (*s*) dum insidiantur invicem, mater perversa interiit. Igitur cum omne jus, fasque parricidio trivisset, ac magis, magisque in optimos sæviretur, conjuravere plures varia sane tempestate, ad liberandam Rempublicam. Quis proditis, cæsisque immanior, Urbem incendio plebem feris vulgo emissis, Senatum pari morte tollere decreverat, nova sede regno quæsita, maximeque incitante legato Parthorum, qui forte inter epulas, aulicis, uti mos est, canentibus, cum sibi citharistam poposcisset; responso dato, *liberum esse* adjecerat, *sumeret ipse quem vellet è suis,* ostentans qui convivio aderant: quod *liber sub imperio nullus haberetur.* Ac ni Galba, qui Hispaniæ præsidebat, cognito mandatum sui exitium, quamquam senecta ætate, imperio correpto subvenisset; tantum facinus haud dubie patraretur. Verum ejus adventu desertus undique, nisi ab spadone, quem quondam exsectum formare in mulierem tentaverat, semet ictu transegit: cum implorans percussorem, diune ad mortem quidem meruisset cujusquam officium.

L. Domitius Nero Imperator. U. C. 806. p. C. N. 54.

Auget Urbem per quinquennium.

Reliquum vitæ magno dedecore agit.

In matrem.

Et alios optimos sævit.

Novam sedem regno quærit.

Undique desertus.

Semet ictu transigit. U. C. 820. p. C. N. 68.

Hic finis Cæsarum genti fuit: quem fore prodigiorum multa denuntiavere, præcipueque eorum prædiis arescens lauri nemus dicatum triumphantibus; atque interitus gallinarum, quæ adeo multæ, albæque, aptiores erant religionibus, ut iis Romæ habeatur hodie locus.

CAP. VI. At (6) GALBA, (*t*) haud secus nobilis è gente clarissima Sulpiciorum, ubi Romam ingressus est, quasi luxuriæ aut etiam crudelitati auxilio ventitasset; rapere, trahere, vexare, ac fœdum in modum vastare cuncta, & polluere. Quibus rebus intestabilior (dum *gravius offendunt quos mollios consulturos spes erat*) simul quia opes militum nimis pecuniæ cupidus attenuaverat, Othone auctore interficitur: qui prælatum adoptione ejus Pisonem impatientius dolens, accensas cohortes, armatasque in forum deduxerat. Quo cum lorica tectus Galba tumultum leniturus contenderet; ad lacum Curtium cæsus est mense Imperii ac die septimo.

Galba Imperator. U. C. 820. p. C. N. 68.

Romam ingreditur.

Cuncta vastat & polluit.


Cæditur. U. C. 820. p. C. N. 98.

CAP.

(*o*) al. quingentesimo. (*p*) al. ex Arabiæ memoratis locis advolare. (*q*) al. *externæ.* (*r*) al. in mariti exitium. (*s*) al. dari. (*t*) al. T. Galba.

(5) L. Domitius nam id certe nomen Neroni, patre Domitio) Imperatoris Neronis vultum vide ex MEDIOBARBO pag. 88. Tab. XXIII. num. 3.

(6) Galba) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 98. vide Tab. XXIII. num. 4.


Tab. XXIII.
ad pag. 127. 128. 129
130.
ÆR
I
C. CAESAR GERMANICVS PONT. M. TR. POT.
E
ÆR
II
TI. CAESAR AVGVSTI F. IMPERATOR VII.
Z
ÆR
III
C. CAESAR GERMANICVS PONT. M. TR. POT.
ÆR
IV
TI. CLAVD. CAESAR AVG. P.M. TR. P. IMP. P.P.
H
ÆR
V
IMP. NERO CAESAR AVGVSTVS.
Δ
ÆR
VI
IMP. SER. SVLP. GALBA CAESAR AVG.
H
ÆR
VII
IMP. M. OTHO CAES. AVG.
F
ÆR
VIII
A. VITELLIVS IMP. GERMAN.
Γ
ÆR
IX
IMP. CAES. VESPASIANVS AVG. P. M. TR. P.
I
ÆR
X
TI. CAES. IMP. VESP. CENS. P.P.
E

Salvius Otho Imp. U. C. 820. p. C. N. 68.

CAP. VII. Igitur (7) Salvius Otho, Neroquoque quondam criminose familiaris, haud multo fine adolescentiæ grandior potentiam invadit. Qui dies fere quinque & octoginta præcognitis moribus potitus, postquam à Vitellio, qui è Gallia descenderat, Veronensi prælio pulsus est; mortem sibi conscivit.

à Vitellio pulsus.

Mortem sibi conscivit.

Aulus Vitellius.

CAP. VIII. Ita ad (8) Aulum Vitellium potestas delata; quæ progressu funestior talibus initiis foret, si Vespasianus aliquamdiu Judæorum bello; quod Neronis jussu susceperat, impensius attineretur. Is ubi gesta per Galbam, ipsumque oppressum accepit; simul quoniam legati Mœsiæ, Pannonicique exercitus hortantium venerant, Imperium capit. Namque milites prædicti, postquam Othonem prætoriis, (*u*) Vitellium Germanicianis legionibus factum competere, æmuli, ut inter se solent, ne dissimiles viderentur, Vespasianum perpulere; in quem jam Syriacæ corhortes ob egregia vitæ consenserant. Quippe Vespasianus nova Senator familia Reatinis majoribus, industria rebusque pacis ac militiæ longe nobilis habebatur. Hujus legatorum in Italiam transgressum, fusisque aqud Cremonam suis, Vitellius ab Sabino, Urbi profecto, Vespasiani fratre sestertium millies pepigerat, arbitris militibus Imperio decedere: sed postquam mox circumventum se nuntio ratus est, quasi renovato furore ipsum cæterosque adversæ partis, cum Capitolio, quod saluti remedium ceperant cremavit. Ast ubi vera esse, ac propinquare hostes patefactum est; productus è tugurio, quo se abdiderat, janitoris injecto laqueo, (*x*) parricidarum more, ad scalas Gemonias, perque eas pertractus; simul ictibus, quantum quisque valuerat, confosso corpore in Tiberim dejicitur tyrannidis octavo mense: anno natus septuaginta & quinque amplius.

Imperium capit. U. C. 821. p. C. N. 69.

Sabinum.

Cæterosque adversæ partis cum Capitolio cremat.

Per Scalas Gemonias pertrahitur.

Confoditur.

Et in Tiberim dejicitur. U. C. 821. p. C. N. 69.

Prædictorum Cæsarum laudes & vitia.

Hi omnes, quos paucis attigi, præcipueque Cæsarum gens, adeo literis culti, atque eloquentia fuere, ut ni cunctis vitiis (absque Augusto) nimii forent; tantæ artes profecto texissent modica flagitia. Quis rebus quamquam satis constet præstare mores; tamen cuique præsertim summo Rectori, utroque si queat, juxta opus: sin autem vitæ proposito in immensum progrediente, elegantiæ satis atque auctoritatis sumat eruditionem.

Vespasianus Imp. U. C. 821. p. C. N. 69.

Terrarum orbem reficit.

CAP. IX. Hoc item ex genere (9) Vespasianus, sanctus omnia, facundiæ haud egens promendis quæ senserat: exsanguem diu, fessumque terrarum orbem brevi refecit. Namque primum satellites tyrannidis, nisi qui forte atrocius longe processerant, flectere potius maluit, quam excruciatos delere: Prudentissime ratus, *nefaria ministeria à pluribus metu curari.* Dein conjurationum multas scelere inulto abscedere patiebatur; comiter, uti erat, stultitiæ arguens, qui ignorarent, *quanta moles molestitiaque imperio inesset.* Simul divinis deditus (quorum vera plerisque negotiis compererat) successores fidebat liberos Titum ac Domitianum fore. Præterea legibus æquissimis monendo, quodque vehementius est, vitæ specie vitiorum plura aboleverat: infirmius tamen, uti quidam pravem putant, adversum pecuniam: cum satis constet, ærarii inopia, ac labe urbium, novas eum neque aliquamdiu postea habitas, vectigalium pensiones exquisivisse. Namque Romæ Capitolium, quod conflagrasse supra memoravimus, ædes Pacis, Claudii monumenta, Amphitheatri tanta vis, multæque aliæ, ac forum cœpta ac patrata. Adhuc per omnes terras, qui jus Romanum est, renovatæ urbes cultu egregio, viæque operibus maximis munitæ, & cavati montes per Flaminiam, prono transgressu. Quæ tot tantaque brevi confecta, intactis cultoribus; prudentiam magis quam avaritiam probavere: simul censu more veterum exercito, Senatu motus probrosior quisque; ac lectis undique optimis viris, mille gentes compositæ, cum ducentas ægerrime reperisset, exstinctis sævitia Tyrannorum plerisque. Ac bello Rex Parthorum Vologesus in pacem coactus, atque in provinciam Syria, cui Palæstinæ nomen, Judæique annitente filio Tito: quem transgrediens in Italiam reliquerat externæ militiæ: mox victorem Præfectura Prætorio extulerat. Unde etiam honos is, ingens à principio, tumidior, atque alter ab Augusto imperio fuit. Verum hac tempestate dum honorum honestas despectatur, mistique bonis indocti, ac prudentibus inertes sunt; fecere nomen plerique potentia vacuum insolens per injurias, subjectum pessimo cuique, & annonæ specie rapax.

Coniurationes inulto patitur.

Divinis deditus est.

Vitæ specie vitia abolet.

Ærarium auget novis vectigalibus.

Probrosiores Senatu movet.

Vologesum in pacem, Syriam in provinciam cogit.

Titus Imperium adipiscitur. U. C. 831. p. C. N. 79.

CAP. X. Ceterum (10) Titus, postquam imperium adeptus est, incredibile [est] quantum, quem imitabatur, anteierit: præsertim literis, clementiaque ac muneribus. Denique dum concessa per priores Principes firmari ab insequentibus mos esset; simul Imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cavit, prospexitque: neque minus sancte facilis in tuendis, qui forte in se conspirassent: adeo ut cum amplissimi ordinis duo, abnuere cogitatum scelus nequirent; Patresque censuissent de confessis supplicium sumendum, deductus (*y*) in spectaculum se utrumque assidere jussit, petitoque ex industria gladiatoris, quorum pugnæ visebantur gladio, quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri comittere. Quis perculsis, & constantiam mirantibus: *Videtisne*, inquit, *potestates fato dari, frustraque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu?* Ita biennio post, ac menses fere novem, Amphitheatri perfecto opere, lautusque veneno interiit, anno ævi quadragesimo; cum ejus pater septuagesimo obiisset, Imperator decennii. Hujus sane mors adeo provinciis luctui fuit, uti, *generis humani delicias* appellantes, orbatum orbem deflerent.

Conspiratores in se tuetur.

Potestas fato dantur.

Amphiteatrum perficit.

Et veneno interit.

R CAP.

(*u*) al. postquam Othonem prædem prætoriis. (*x*) al. è turgurio, quo se abdiderat, janitoris, injecto laqueo &c. (*y*) al. deductos.

(7) Salvius Otho) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 102. vide Tab. XXIV. num. 5.
(8) Aulum Vitellium) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 104. vide Tab. XXIV. num. 6.
(9) Vespasianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 107. vide XXIII. num. 7.
(10) Titus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 119. vide Tab. XXIII. num. 8.

Domitianus Imperator. U. C. 833. p. C. N. 81.

CAP. XI. Igitur (11) DOMITIANUS fratris atque Imperatoris optimi nece, privato ſcelere publicoque amentior, ſimul maculoſæ adoleſcentiæ, prædas, cædem, ſupplicia agere occœpit. Major libidinum flagitio, ac plus quam ſuperbe utens Patribus: Quippe qui ſe *Dominum Deumque* dici coëgerit: quod confeſtim ab inſequentibus remotum, validius multo poſthac deinceps retulere. Sed Domitianus primo clementiam ſimulans, neque adeo iners domi, belloque tolerantior videbatur. Idcircoque Dacis & Cattorum manu devictis, Septembrem Octobremque menſes, Germanici ſuperiorem; è ſuo nomine alterum appellaverat: multaque opera inchoata per patrem, vel fratris ſtudio, atque in primis Capitolium abſolvit. Dehinc attrox cædibus bonorum, muſcarum agmina perſequebatur, poſtquam ad libidinem minus virium erat, cujus fœdum exercitium (z) Græcorum lingua κλινοπάλην vocabat: hincque jocorum pleraque: nam percunctanti cuidam, *Quiſquamne in Palatio eſſet*, reſponſum: *Ne muſca quidem, niſi forte apud palæſtram.* Is ergo magis magiſque ſævitia nimius, eoque ſuſpectior, etiam ſuis, libertorum conſilio, uxore non ignara, quæ amorem hiſtrionis viro prætulerat pœnas luit; quinto & quadrageſimo anno vitæ: dominationis circiter quintodecimo. At Senatus gladiatoris more funus ferri, radendumque nomen decrevit. Quo moti milites, quibus privatæ commoditates diſpendio publico largius procedunt, auctores necis ad ſupplicium petere, more ſuo ſeditioſius, cœperunt. Qui vix ægreque per prudentes cohibiti, tandem in gratiam Optimatum convenere: Neque minus per ſe moliebantur bellum, quod his converſum imperium mœſtitiæ erat, ob omiſſionem prædarum per dona munifica.

Dominus Deusque dicitur. — Dacos & Cattos devincit. — Eius atrocitas. — Libido. — Interficitur. — Auctores necis puniuntur.

Externi Imperatores ſequuntur.

Hactenus Romæ, ſeu per Italiam orti Imperium rexere: hinc advenæ. Neſcio quoque an, ut in Priſco Tarquinio, longe meliores. At mihi quidem audiendi multa legentique, plane compertum, *Urbem Romam externorum virtute, atque inſitivis artibus præcipue creviſſe.*

Nerva.

CAP. XII. Quid enim (12) NERVA, Cretenſi prudentius, magiſque moderatum? Qui cum extrema ætate apud Sequanos, quo tyranni defecit metu, (*a*) Imperium arbitrio legionum cepiſſet; ubi proſpexit, niſi à ſuperioribus robuſtioribuſque corpore, animoque geri non poſſe, menſe ſexto ac decimo ſemet eo abdicavit, dedicato prius foro, quod appellatur Pervium: quo ædes Minervæ eminentior conſurgit, & magnificentior. Id cum ſemper *egregium ſit*, *metiri quantum queas*, *neque ambitione præceps agi*: tum in imperio: cujus adeo cupidi mortales ſunt, ut id vel ultima ſenectus avide petat. Huc accedit quod ſuffecti virtute quantus conſilio eſſet, magis magiſque patefecit.

Imperium capit. U. C. 848. p. C. N. 96. — Imperio ſe abdicat.

Ulpius Trajanus Imperator. U. C. 850. p. C. N. 98.

CAP. XIII. Namque (13) ULPIUM TRAJANUM Italica Urbe Hiſpaniæ ortum, ampliſſimi ordinis tamen atque conſulari loco, adrogatum accepit & dedit. Hoc ægre clarior domi, ſeu militiæ reperietur. Quippe primus, aut ſolus etiam vires Romanas trans Iſtrum propagavit, domitis in provinciam Dacorum pileatis Saciſque nationibus, Decibalo Rege ac Sardoniis: ſimul ad ortum ſolis cunctæ gentes, quæ inter Indum & Euphratem amnes inclytos ſunt, concuſſæ bello, atque imperati obſides Perſarum Regi, nomine Coſdroë, & inter ea iter conditum per feras gentes, quo facile ab uſque Pontico mari, in Galliam permeatur. Caſtra ſuſpectioribus atque opportunis locis exſtructa; ponſque Danubio impoſitus; ac deductæ coloniarum pleræque. Adhuc Romæ à Domitiano capta fora, atque alia multa, pluſquam magnifice coluit, ordinavitque & annonæ perpetuæ mire conſultum, reperto firmatoque Piſtorum collegio: ſimul noſcendis ocyus, quæ ubique è Rep. gerebantur, admota media publici curſus. Quod equidem munus ſatis utile, in peſtem orbis Romani vertit poſteriorum avaritia, inſolentiaque: niſi quod his annis ſuffectæ vires Illyrico ſunt, Præfecto (*b*) medente Anatolio, *Boni*, *malique in Repub. nihil eſt*, *quod in diverſum traduci nequeat moribus præſidentium.* Æquus, clemens, patientiſſimus, atque in amicos perfidelis: Quippe qui Suræ familiari opus ſacraverit, quæ Suranæ ſunt: usque eo innocentiæ fidens, uti Præfectum Prætorio Saburanum nomine, cum inſigne poteſtatis, uti mos erat, pugionem daret, crebro monuerit: *Tibi iſtum ad munimentum mei committo*, *ſi recte agam*: *ſin aliter*, *in me magis:* Quod *moderatorem omnium vel errare minus fas ſit.* Quin etiam vinolentiam, quo vitio, uti Nerva, angebatur, (*c*) prudentia molliverat; *curari vetans juſſa poſt longiores epulas.* His virtutibus acto Imperio annos prope viginti, cum terræ motu gravi apud Antiochiam ceteraque Syriæ extremis afficeretur, rogatu Patrum militiam repetens, morbo periit, grandæva ætate adſcito prius ad Imperium Hadriano civem propinquoque. Abhinc diviſa nomina *Cæſarum* atque *Auguſti:* inductumque in Rempublicam, uti duo, ſeu plures ſummæ potentiæ, diſſimiles, cognomento ac poteſtate diſpari ſint. Quamquam alii Plotinæ Trajani conjugis favore imperium aſſequutum putent, quæ viri teſtamento hæredem regni inſtitutum ſimularat.

Dacos Sacas & Sardonios domat. — Danubio pontem imponit. Colonias deducit. — Curſum vehicularium inſtituit. — Æquus. — Clemens. — Morbo perit.

Ælius Hadrianus Imperator. U. C. 869. p. C. N. 117.

CAP. XIV. Igitur (14) ÆLIUS HADRIANUS eloquio, togæque ſtudiis accommodatior, pace ad Orientem compoſita Romam regreditur: ibi Græcorum more, ſeu Pompilii Numæ, cærimonias, leges, gymnaſia, doctoreſque curare occœpit; adeoque quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret: Atque initia Cereris, Liberæque quæ Eleuſina dicitur, (*d*) Atheni-

enſium

Cærimonias curat.

(*z*) al. exercitum. (*a*) al. quod tyrannidis fecit metu. al. quo tyrannidis fugit metu. (*b*) al. Profecto. (*c*) al. agebatur. (*d*) al. dicuntur.

(11) Domitianus) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 127. Vide Tab. XXIV. num. 1.
(12) Nerva) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 142. vide Tab. XXIV. num. 2.
(13) Ulpius Trajanus) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 146. vide Tab. XXIV. num. 3.
(14) Ælius Hadrianus) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 167. vide Tab. XXIV. num. 4.

Tab. XXIV.
ad pag. 130. 131.



Tab. XXV
ad pag. 131 132 133



Rößler sc. Norimb.

ensium modo Roma percoleret. Deinde, uti solet, tranquillis rebus, remissior rus proprium Tibur secessit, permissa Urbe (15) Lucio Ælio Cæsari: ipse, uti beatis locupletibus mos, palatia exstruere, curare epulas, signa, tabulas pictas: postremo omnia satis anxie prospicere, quæ luxus lasciviæque essent. Hinc orti rumores mali, injecisse stupra puberibus, atque Antinoi flagravisse famoso ministerio, neque alia de causa Urbem conditam ejus nomine, aut locasse Ephebo statuas: quæ quidem alii pia volunt, religiosaque: quippe Hadriano cupiente fatum producere, cum voluntarium ad vicem Magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinoum objecisse se referunt: hincque eum officia supradicta. Nos rem in medio relinquemus: quamquam in remisso ingenio suspectam æstimantes societatem ævi longe imparilis. Interim Ælio Cæsare mortuo, cum ipse anno parum valeret, idcircoque despectui haberetur, ad creandum Cæsarem Patres convocat. Quibus propere accurrentibus forte Antoninum conspexit senis soceri, aut genitoris anxios gressus levantem manu: quo mire oblectatus, adoptatum legibus Cæsarem jubet, statimque ab eo Senatus, cui ludibrio fuerat, magnam partem necari. Neque multo post apud Bajas tabe interiit: anno imperii, absque mense, vicesimo secundo, senecta viridiore. At Patres ne Principis oratu quidem ad Divi honorem eidem deferendum flectebantur; tantum amissos sui ordinis tot viros mœrebant. Sed postquam, subito prodiere, quorum exitium dolori erat, quique suos complexi, censent quod abnuerant.

Rus proprium Tibur secedit. Lucius Ælius Cæsar. — Quæ luxus & lasciviæ prospicit. — Ælius moritur. — Antoninus Cæsar. — Tabe interit Ælius Hadrianus.

CAP. XV. (16) Aurelio Antonino cognomentum Pii. Hunc fere nulla vitiorum labes maculavit. Vir veterrimæ familiæ, è Lanuvino municipio, Senator Urbis: adeo æqualis, probisque moribus, uti plane docuerit, neque *jugi pace, ac longo otio absoluta ingenia corrumpi*: eoque demum *fortunatas urbes fore, si regna sapientiæ sint*. Denique annis, quibus publica egit, viginti, idem mansit, celebrato magnifice Urbis nongentesimo. Nisi forte triumphorum expertem, socordiæ videtur: quod longe secus est, cum majus haud dubie sit, neque quemquam turbare ausum composita, neque ipsum ostentandi sui bellum fecisse quietis gentibus. Quinetiam maribus frustratus, filiæ viro Reipublicæ consultavit.

Aurelius Antoninus Pius Imperator. U. C. 890. p. C. N. 138. Ejus enconium. — Filiæ viro Reipublicæ consultat.

CAP. XVI. Namque M. Bojonium, qui (17) Aurelius Antoninus habetur, eodem oppido, pari nobilitate, philosophandi vero, eloquentiæque studiis longe præstantem in familiam atque imperium adscivit. Cujus divina omnia domi, militiæque facta, consultaque: quæ imprudentia regendæ conjugis attaminavit: quæ in tantum petulantiæ proruperat, ut in Campania sedens, (e) amœna littorum obsideret, ad legendos ex nauticis, quia plerumque nudi agunt, flagitiis aptiores. Igitur Aurelius, socero apud Lorios, anno vitæ post quintum & septuagesimum mortuo, confestim fratrem (18) Lucium Verum in societatem potentiæ accepit. Ejus ductu Persæ, cum primum superavissent, ad extremum triumpho cessere, Rege Vologeso. Lucius paucis diebus moritur: hincque materies fingendi, dolo consanguinei circumventum: quem ferunt, cum invidia gestarum rerum angeretur, fraudem inter cœnam exercuisse. Namque lita veneno cultri parte, vulvæ frustum, quod de industria solum erat, eo præcidit: consumtoque uno, uti mos est, inter familiares; alterum, qua virus contigerat, germano porrexit. Hæc in tanto viro credere, nisi animi ad scelus proni, non queunt. Quippe cum Lucium satis constet Altini Venetiæ urbe consumptum, tantumque Marco sapientiæ, (f) lenitudinis, innocentiæ ac literarum fuisse, ut is Marcomannos, cum filio Commodo, quem Cæsarem suffecerat, petiturus, philosophorum obtestantium circumfunderetur; ne se expeditioni aut pugnæ prius committeret, quam sectarum ardua & occulta explanavisset. Ita incerta belli ejus salute, doctrinæ studiis metuebantur: (g) tantumque illo imperante floruere artes bonæ, ut illam gloriam etiam temporum putem. Legum ambigua mire distincta, vadimoniorumque solemni remoti denuntiandæ litis, operiendæque ad diem commode jus introductum. Data cunctis promiscue (h) civitas Romana: multæ urbes conditæ, deductæ, repositæ, ornatæque; atque in primis Pœnorum Karthago: quam ignis fœde consumpserat; Asiæque Ephesus, ac Bithyniæ Nicomedia constratæ terræmotu, æque ac nostra ætate Nicomedia Cereali Consule. Triumphi acti ex nationibus quæ regi Marcomaro (i) ab usque urbe Pannoniæ, cui Carnuto nomen est, ad media Gallorum protendebantur. Ita anno Imperii octavo, decimoque, ævi validior, Vendobonæ interiit, maximo gemitu mortalium omnium. Denique qui sejuncti in aliis Patres, ac vulgus, (k) soli omnia decrevere, templa, columnas, sacerdotes.

M. Aurelius Antoninus Imperator. U. C. 913. p. C. N. 161. — Coniugis imprudentia. — Lucius Verus. — Persas superat. — Lucius moritur. — Commodus Cæsar. U. C. 928. p. C. N. 176. — Bonas artes florere facit. — Urbes condit. — Triumphos agit. — Moritur.

CAP. XVII. (19) At filius Sæva à principio dominatione detestabilior habebatur, præcipue per majorum controversam memoriam; quæ posteris usque eo gravius est, ut absque communi in impios odio, quasi corruptores generis exsecrabiliores sint. Bello plane impiger, quo in Quados prospere gesto, Septembrem mensem Commodum appellaverat. Mœnia (l) Romana potentia vix digna, lavandi usui instituit. Immiti prorsus feroque ingenio, adeo quidem ut gladiatores, specie depugnandi, crebro trucidaret: cum ipse ferrum objectum (m) veronibus plumbeis uteretur.

Commodus Imperator. U. C. 932. p. C. N. 180. — Bellum cum Quadis gerit. — Ejus sævitia.

(e) al. uti Campania sedens. (f) al. tantumque in arte sapientiæ. (g) al. Ita incerta belli ejus saluti & doctrinæ studiis metuebantur. (h) al. promissa. (i) al. Marcomanno. (k) al. quæ sejunctim aliis Patribus ac vulgus. (l) al. Amœnia. (m) al. cum ipsi ferro objecto.

(15) Lucio Ælio Cæsari) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 188. vide Tab. XXIV. num. 5.
(16) Aurelio Antonino) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 190. vide Tab. XXIV. num. 6.
(17) M. Aurelius Antoninus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 211. vide Tab. XXIV. num. 7.
(18) Lucium Verum) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 233. vide Tab. XXIV. num. 8.
(19) At filius) Commodus nimirum, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 240. vide Tab. XXV. num. 1.

retur. Cumque eo modo plures confeciſſet, forte eum Scæva (*n*) nomine, audacia ac robore corporis pugnandique arte pervidens, (*o*) ab ſtudio tali deteruit, qui ſpreto gladio, quem inutilem cernebat, *ſufficere utrique*, ait, *quo armabatur ipſe.* Eo metu, ne inter congreſſum, uti ſolet, exorto pugione conficeretur, Scævam removit, atque ad alios formidoloſior, in feras belluaſque ferociam convertit. Quis rebus cum inſatiabilem ſanguinis (*p*) cuncti horreſcerent; conjuravere (ne) id eum (*q*) maxime proximus, quippe *dominationi* adeo fidus nemo: ipſique ſatellites, dum inceſtam mentem pravamque putant, & Commodum quidem primo occultatius veneno petivere, anno regni tertio fere atque decimo. Cujus fruſtrata per cibum, quo ſe caſu repleverat; cum tamen alvi dolorem cauſaretur, auctore medico, principe factionis, in palæſtram perrexit. Ibi per miniſtrum ungendi (nam forte is quoque è conſilio erat) faucibus, quaſi arte exercitii, Pacchiorum modo (*r*) validius preſſis, exſpiravit. Quo cognito Senatus, qui ob feſta Januariorum frequens primo luci convenerat; ſimul plebes hoſtem Deorum atque hominum appellavere, radendumque nomen ſanxere: confeſtimque Præfecto Urbi (20) Aulo Helvio Pertinaci imperium defertur.

Interficitur.

Aulus Helvius Pertinax Imperator. U. C. 945. p. N. C. 193.

CAP. XVIII. Hic doctrinæ omnis ac moribus antiquiſſimis: immodice parcus, Curios æquaverat Fabricioſque. Eum milites, quis inhauſto jam, perditoque orbe ſatis videtur nihil, impulſore Didio, fœde jugulavere octogeſimo imperii die.

Jugulatur.

Didius Julianus Imperator. U. C. 945. p. C. N. 193.

CAP. XIX. At (21) Didius, (an Salvius?) Julianus fretus Prætorianis, quos in ſocietatem promiſſis magnificentioribus perpulerat, ex Præfectura vigilum, ad inſignia dominatus proceſſit. Genus ei pernobile, Juriſque urbani præſtans ſcientia: quippe qui primus Edictum, quod varie inconditeque à Prætoribus promebatur, in ordinem compoſuerit. Hincque ſatis compertum, *cohibendæ cupidini, ingenium ne juvet, eruditionem imbecillem eſſe.* Cum præceptor & aſper quidem, rectius vivendi, in facinus proceſſerit, quod novo ſupplicio plectendum ediderat: (*s*) neque tamen cupito potitus diu. Namque eum, acceptis ilico quæ acciderant, Septimius Severus, qui forte Syriæ legatus, in extremis terris bellum gerebat, Imperator creatus, pontem proxime Milvium acie devicit: miſſique qui fugientem inſequerentur, apud Palatium Romæ obtruncavere.

Juriſperitus.

Obtruncatur.

Septimius Severus Imperator. U. C. 945. p. C. N. 193.

CAP. XX. Igitur (22) Septimius, Pertinacis nece, ſimul flagitiorum odio, dolore, atque ira commotior, (*t*) cohortes Prætorias ſtatim militia exemit: cunctiſque partium cæſis, Helvium Senatus conſulto inter Divos refert; Salvii nomen, atque ejus ſcripta factave aboleri jubet: quod unum effici nequivit. *Tantum gratiæ doctarum artium valet, ut ſcriptoribus, ne ſævi mores quidem, ad memoriam officiant.* Quinetiam mors hujuſcemodi, ipſis gloriæ exſecrationi auctoribus eſt. Cum omnes, præcipuæque poſteri, ſic habent, illa ingenia niſi publico latrocinio, ac per dementiam, opprimi non potuiſſe. Quo bonis omnibus ac mihi fidendum magis, qui rure ortus, tenuique indocto patre in hæc tempora vitam præſtiti, ſtudiis tantis honeſtiorem. Quod equidem gentis noſtræ reor, * quo fato quodam bonorum parte fœcunda, quos eduxit tamen, quemque ad celſa ſuos habet: (*u*) velut Severum ipſum, quo præclarior in Republica fuit nemo: qui, quamquam exacta ætate, mortuum, juſtitio, elogioque lugendum ſanxere: aſtruentes illum juſtum naſci, aut emori minime conveniſſe. Scilicet quod corrigendis moribus nimium, poſtquam ad veterum innocentiam, quaſi mentium ſanitatem, pervenerat, clementem habuere. Ita honeſtas, quæ principio anxia habetur; ubi contigerit, voluptati luxuriæque eſt. (23) Pescennium Nigrum Cyzicenos, (24) Clodium Albinum Lugduni victos coëgit mori: quorum prior Ægyptum dux obtinens, bellum moverat, ſpe dominationis: alter Pertinacis auctor occidendi; cum eo metu in Britannos, quam provinciam à Commodo meruerat, tramittere nitebatur; in Gallia invaſerat Imperium. Horum infinita cæde crudelior habitus, ac cognomento Pertinax. Quamquam ob vitæ parſimoniam ſimilem, ipſum magis adſciviſſe plures putent: nobis mens (*x*) ad credendum prona, acerbitati impoſitum. Nam cum quidam hoſtium, quem tamen, ut bellis civilibus ſolet, conditio loci ad Albinum detulerat, cauſa expoſita, noviſſime concluſiſſet: *Quid, quæſo, faceres, ſi tu eſſes?* (*y*) ille reſpondit: *Ea perferrem, quæ tu.* Quo dicto, factoque durius nihil bonis: cum ſanctique hujuſcemodi diſſenſiones, quamvis ſtudioſius cœptas, (*z*) fortunæ increpent: magiſque in protegendis, quam ad perdendum cives, verum corrumpi patiantur. At iſte delendarum cupidus factionum, quo deinceps mitius ageret, neceſſitudinem facti ulciſci maluit, ne paullatim ſpe veniæ in labem publicam per conjurationes procederetur: ad quas vitio temporum animos intelligebat. (*a*) Neque ego abnuo *ea delictorum* quæ graſſari immodice cœperint, plus pæne

Salvii nomen aboleri jubet.

Artes amat.

corrigendis moribus nimium clemens.

Peſcennium Nigrum & Albinum mori cogit.

Unde Pertinacis cognomentum habet.

Factiones delet.

Delicta excidit.

(*n*) al. Sæva. (*o*) al. perfidens. al. pervigens vel perurgens. (*p*) al. Quis reus cum inſtabilem ſanguinis. (*q*) al. conjurave ire in eum. (*r*) al. nodo. (*s*) al. erat. (*t*) al. commodior. (*u*) al. qui rure ortus tenui, atque indocto parte in hæc tempora vitam præſtiti ſtudiis tantum honeſtiorem. Quod equidem gentis noſtræ reor, quæ fato quodam bonorum parum fœcunda, quos eduxit tamen cumque ad celſa ſuos habet. (*x*) al. metus. (*y*) al. *ſi tu hic eſſes.* (*z*) al. ſtudio ſuſceptas. (*a*) al. animatos vel animoſos intelligebat.

(20) Aulo Helvio Pertinaci) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 260. vide Tab. XXV. num. 2.
(21) At Didius) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 261. vide Tab. XXV. num. 3.
(22) Septimius) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 266. vide Tab. XXV. num. 4.
(23) Peſcennium Nigrum) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 263. vide Tab. XXV. num. 5.
(24) Clodium Albinum) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 264. vide Tab. XXV. num. 6.

pæne quam ſevere excidenda eſſe. Felix ac prudens, armis præcipue: adeo, ut nullo congreſſu niſi victor diſceſſerit: auxeritque imperium, ſubacto Perſarum Rege nomine Agarro. Neque minus Arabas, ſimul adortus ut eſt, in ditionem redegit, provinciæ modo. Adiabena quoque, ni terrarum macies deſpectaretur; in tributarios conceſſiſſet. Ob hæc tanta *Arabicum*, *Adiabenicum*, & *Parthici* cognomento Patres dixere. His majora aggreſſus, Britanniam, quæ ad ea utilis erat, (*b*) pulſis hoſtibus, muro munivit, per tranſverſam inſulam ducto, utrimque ad finem Oceani. Quinetiam Tripoli, cujus Lepti oppido oriebatur, bellicoſæ gentes ſubmotæ procul. Quæ facta (*c*) ardua, facilius eo patrabantur, quo implacabilis delictis ſtrenuum quemque præmiis extollebat. Denique ne parva latrocinia quidem impunita patiebatur, in ſuos animadvertens magis: quod vitio Ducum, aut etiam Præfectorum (*d*) fieri vir experiens intelligeret. Philoſophiæ, declamandi, cunctis poſtremo liberalium deditus ſtudiis: idemque ab ſe texta (*e*) ornatu & fide paribus compoſuit. Legum conditor longe æquabilium. Huic tanto domi, foriſque, uxoris probra ſummam gloriæ dempſere: quam adeo famoſe amplexus eſt, uti cognita libidine, ac ream conjurationis, retentarit. (*f*) Quod cum infimo turpe tum potentibus; illi magis cui non privati, neque ſinguli, aut flagitioſi; verum Imperia, exercitus atque ipſa vitia conceſſere. Nam (*g*) cum pedibus æger bellum moraretur, idque milites anixe ferrent, ejuſque filium Baſſianum, qui Cæſar una aderat, Auguſtum feciſſent; in tribunal ſe ferri, *adeſſe omnes, Imperatoremque ac Tribunos, Centuriones ac cohortes, quibus auctoribus acciderat, ſiſti, reorum* (*h*) *modo*, juſſit. Quo metu ſtratus humi victor, cum tantorum exercitus veniam precaretur, *Sentitiſne*, inquit, pulſans manu, *caput potius, quam pedes imperare?* Neque multo poſt Britanniæ municipio, cui Eboraci nomen, annis regni duodeviginti morbo exſtinctus eſt. Ortus Mediæ humili, (*i*) primo literis, deinde imbutus foro: quo parum commodante, uti rebus artis (*k*) ſolet; dum tentat, aut exquirit varia melioraque; conſcendit Imperium. Ibi graviora expertus, laborem, curas, metum, & incerta prorſus omnia: quaſi teſtis vitæ mortalium, *cuncta*, inquit, *fui; conducit nihil.* Funus quod liberi Geta Baſſianuſque Romam detulerant; mire celebratum, illatumque Marci ſepulcro: * adeo percoluerat, ut ejus gratia Commodum inter Divos referri ſuaſerit, fratem appellans; Baſſianoque Antonini vocabulum addiderat: quod ex illo poſt multos dubioſque eventus, auſpicia honorum cepiſſet patrocinio fiſci. * Deinde laborantibus ſecundarum initia earumque auctores memoriæ ſunt.

Perſas ſubigit. Arabas quoque. Adiabenas pariter. Unde cognomenta. Britanniam aggreditur. Tripoli gentes ſubmovet. Severius in ſuos animadvertit. Studiis eſt deditus. Uxoris probra. Baſſianus Cæſar. Septimius Severus morbo exſtinguitur. Splendide ſepelitur. Baſſianus Antoninus vocatur.

At poſteri, quaſi bellum inter ſe mandatis accepiſſent, confeſtim ſeceſſere. (25) Ita Geta, cui nomen paterno ab avo erat, cum ejus modeſtiore ingenio frater angeretur, obſeſſus interiit. Quæ victoria Papiniani exitio fœdior facta, ut ſane putant memoriæ curioſi: quippe quem ferunt illo tempore Baſſiani ſcrinia curaviſſe, monitumque, uti mos eſt, deſtinando Romam quam celerrime componeret, dolore Getæ dixiſſe: *haudquaquam pari facilitate velari parricidium qua fieret.* Idcirco morte affectum. Sed hæc improbe abſurda ſunt, cum conſtet ſatis, Præfecturam Prætorio geſſiſſe, neque incondite illum virum tantam contumeliam imponere potuiſſe, cui amori ac magiſterio erat. (*l*)

Geta interit. U. C. 964. p. C. N. 212. Papinianus occiditur.

CAP. XXI. Ceterum (26) Antoninus incognita munerum ſpecie Urbem Romanam adjiciens, quod indumenta in talos dimiſſa largiretur, *Caracalla* dictus: cum pari modo veſti, Antonianas (*m*) nomini ſuo daret. Alamannos gentem populoſam, ex equo mirifice pugnantem, prope Mœnum amnem devicit: patiens, communis, tranquilluſque: pari fortuna & eodem matrimonio, quo pater: namque Juliam novercam, cujus facinora ſupra memoravi, forma captus, conjugem affectavit, cum illa factioſior, aſpectui adoleſcentis, præſentiæ quaſi ignara, ſemet dediſſet intecto (*n*) corpore, aſſerentique, *Vellem, ſi liceret, uti:* petulantius multo (quippe quæ pudorem velamento exuerat) reſpondiſſet: *libet? plane licet.* Ægypti ſacra per eum deportata Romam, atque aucta Urbs magno acceſſu Viæ novæ, & ad lavandum abſoluta opera pulcri cultus. Quibus confectis cum Syriam circumgrederetur, (*o*) anno potentiæ ſexto moritur. Corporis reliqua luctu publico relata Romam, atque inter Antoninos funerata ſunt.

Antoninus Imperator. U. C. 963. p. C. N. 211. Caracalla dictus. Alamannos devincit. Juliam novercam conjugem affectat. Ægypti ſacra deportat Romam, quam operibus auget. Moritur.

CAP. XXII. Dehinc (27) Opilius Macrinus, qui Præfecturam Prætorio gerebat Imperator, ejuſque filius, (28) *Diadumenus* nomine Cæſar à legionibus appellatur. Quibus, eo quod ingens amiſſi Principis deſiderium erat, adoleſcentem *Antoninum* vocavere. Horum nihil præter ſævos atque inciviles animos interim reperimus. Qua gratia menſibus ferme quatuor ac decem vix retento imperio; per quos creati fuerant, interfecti ſunt.

Opilius Macrinus Imperator. Diadumenus Cæſar. U. C. 969. p. C. N. 217. Diadumenus Antoninus vocatur. Interficitur.

CAP. XXIII. Accituſque (29) Marcus Antoninus Baſſiano genitus, qui patre mortuo, in Solis ſacerdotium, quem Heliogabalum Syri vocant, tamquam aſylum inſidiarum metu confugerat, hincque *Heliogabalus* dictus: tranſlatoque Romam Dei ſimulacro in palatii pene-

Marcus Antoninus Imperator. U. C. 970. p. C. N. 218. Heliogabalus dicitur.

R 3 trabilis

(*b*) al. quoad utilis erat. al. quæ adeo utilis. (*c*) al. ſubmotæ. Proculque facta. (*d*) al. perfectionem. (*e*) al. ab ſe geſta. (*f*) al. retentaverit. (*g*) al. Jam. (*h*) al. *eorum.* (*i*) al. ortus enim ex humili. al. ortus familia humili. (*k*) al. arctis. (*l*) al. neque non incondite - - - - - - qui amori & magiſterio Getæ erat. (*m*) al. veſtes Antonianas. (*n*) al. interjecto. (*o*) al. circumgraderetur.

(25) Ita Geta) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 298. vide Tab. XXV. num. 7.
(26) Ceterum Antoninus) Nimirum M. Aurelius Antoninus Caracalla, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 284. vid. Tab. XXV. num. 8.
(27) Opilius Macrinus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 305. vide Tab. XXVI. num. 1.
(28) Diadumenus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 308. vide Tab. XXVI. num. 2.
(29) Marcus Antoninus - - - - Heliogabalus dictus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 309. vide Tab. XXVI. num. 3.

Ejus impuritas.

trabilis [palatia] constituit. Hoc impurius ne improbæ quidem aut petulantes mulieres fuere: quippe orbe toto obscœnissimos perquirebat, visendis tractandisve artibus libidinum ferendarum. Hæc cum augerentur in dies, ac magis magisque Alexandri, quem comperta Opilii (*p*) nece Cæsarem nobilitas nuncupaverat, amor cumularetur; in castris Prætoriis tricesimo regni mense oppressus est.

Opprimitur.

Aurelius Alexander Imperator. U. C. 974. p. C. N. 222.

CAP. XXIV. Statimque (30) AURELIO ALEXANDRO Syriæ orto, cui duplex, Cæsarea, & Archa nomen est, militibus quoque annitentibus Augusti potentia delata. Qui, quamquam adolescens, ingenio supra ævum tamen, confestim apparatu magno bellum adversum Xerxem Persarum regem movet: quo fuso fugatoque, in Galliam maturrime contendit; quæ Germanorum direptionibus tentabatur. Ibi tumultuantes legionum plerasque constantissime abjecit: quod in præsens gloriæ, mox exitio datum. Nam cum (*q*) tantæ severitatis vim milites inhorrescunt, (unde etiam *Severi* cognomentum accesserat) agentem casu cum paucis vico Britanniæ, cui vocabulum Sicila, (*r*) trucidavere. Opus Urbi florentissimum celebrio fabricatus est, matrisque cultu, quæ nomine Mamæa erat, plus quam pius. Adhuc Domitium Ulpianum, quem Heliogabalus Prætorianis præfecerat, eodem honore retinens; Paulloque inter exordia patriæ reddito, juris auctoribus, quantus erga optimos atque æqui studio esset, edocuit. Neque ultra annos tredecim Imperio functus Rempub. reliquit firmatam undique. Quæ jam tum à Romulo ad Septimium certatim evolans Bassiani consiliis, tamquam in summo constitit. Quo ne confestim laberetur Alexandri fuit. Abhinc dum dominandi suis quam subigendi externos cupientiores sunt, atque inter se armantur, magis Romanum statum quasi abrupto præcipitavere, immissique in imperium promiscue boni malique nobiles atque ignobiles ac Barbariæ (*s*) multi. Quippe ubi passim confusaque omnia, neque suo feruntur modo, quique fas putant, uti per turbam, rapere aliena officia, quæ regere nequeunt, & scientia bonarum artium fœde corrumpunt. Ita fortunæ vis licentiam nacta, perniciosa libidine mortales agit: quæ diu quidem virtute, uti muro prohibita, postquam pæne omnes flagitiis subacti sunt, etiam infirmis genere institutoque publica permisit.

Adversum Xerxem bellum movet.

Galliam pacat.

Severus cognominatur.

Trucidatur.

Imperium brevi firmat.

Quod à flagitiosis non attenditur.

Cajus Julius Maximinus Imperator. U. C. 987. p. C. N. 235.

CAP. XXV. Namque (31) CAJUS JULIUS MAXIMINUS, præsidens Trebellicæ (*t*) primus è militaribus, literarum fere rudis, potentiam cepit suffragiis legionum. Quod tamen etiam Patres, dum periculosum existimant inermes armato resistere, approbaverunt: (32) filiusque ejus pari nomine [Cajus Julius Maximinus] Cæsar factus est.

Filius ejus Cæsar.

CAP. XXVI. Quis biennium summis potitis, (*u*) haud incommode prælio gesto contra Germanos, repente (33) ANTONINUS GORDIANUS Africæ Proconsul, ab exercitu Princeps apud Thydri oppidum absens fit. Quo ut acitus pervenit tanquam ea re creatus (*w*) foret, seditione excipitur: qua lenita facile Carthaginem petit. Ibi cum avertendis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem divinam solitis ageret; repente hostia partum edidit. Id haruspices, atque ipse maxime, nam hujus scientiæ usu immodice prudens erat, ita accepere, illum quoque destinatum neci, verum liberis pariturum imperium: progressique conjectu longius liberi quoque exitum denuntiavere, mitem atque innoxium præsantes fore, ut illud pecus, nec diuturnum tamen subjectumque insidiis. Interim Romæ comperto (34) Gordiani interitu, hortante Domitio, Urbi Præfectus, reliquique indices vulgo cæduntur per Prætorias cohortes: quippe Gordianus, postquam delatum sibi imperium cognovit; præmia amplum in modum ostentans, Romam legatos ac literas destinaverat. Quibus necato eo frustratos se milites angebantur, genus hominum pecuniæ cupidius, fidumque ac bonum solo quæstu. At senatus metuens, ne nullis rectoribus specie captæ Urbis, atrociora acciderent, primo potestatum vices, mox conscriptis junioribus, (35) CLODIUM PUPIENUM, (*x*) (36) CÆCILIUM BALBINUM Cæsares constituit.

Antoninus Gordianus Imperator. U. C. 989. p. C. N. 237.

Carthaginem petit.

Perit.

Clodius Pupienus & Cæcilius Balbinus Cæsares.

Gordianus Imperator. U. C. 990. p. C. N. 238.

CAP. XXVII. Iisdemque per Africam diebus milites (37) GORDIANUM Gordiani filium, qui forte contubernio patris prætextatus, ac deinceps Præfectus Prætorio intererat, Augustum creavere: neque sane factum nobilitas aspernata. Denique accito eo, inter implana Urbis atque ipso sinu, Prætoriæ manus acie deletæ per gladiatorum familias, tironumque exercitum. Dum hæc Romæ geruntur, Julii Maximini, quos forte ea tempestate Thracia retinebat, acceptis quæ evenerant, Italiam propere petunt. Eos Pupienus Aquilæ (*y*) obsidione confecit, postquam prælio victus reliqui paullatim deseruerant. Horum imperio ad biennium per hujusmodi moras annus quæsitus. Neque multo post tumultu militarium Clodio Cæcilioque Romæ intra Palatium cæsis, Gordianus solus regnum obtinuit. Eoque anno lustri certamine, quod Nero Romam invexerat, aucto firmatoque, in Persas profectus est: cum prius Jani ædes, quas Marcus clauserat, patentes more veterum fecisset. Ibi


Competitores vincit.

Solus regnat.

Bellum Persicum.

(*q*) al: tum. (*r*) al. Sicilia. (*s*) al. ac Barbari. (*t*) al. Triballicæ. (*u*) al. Qui - - - potitus. (*w*) al. tanquam care creatus. (*x*) al. Cupienum. (*y*) al. Aquilejæ.

(30) Aurelio Alexandro - - - Severi cognomentum) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 317. vide Tab. XXVI. num. 4.
(31) Cajus Julius Maximinus) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 328. vid. Tab. XXVI. num. 5.
(32) Filiusque ejus pari nomine) Plerumque nominatur Maximus ut patet ex numo, in quo vultum ejus ex MEDIOBARB. pag. 330. vide Tab. XXVI. num. 6.
(33) Antoninus Gordianus) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 331. vide Tab. XXVI. num. 7.
(34) Gordiani interitu) Quia SEXT. AUR. VICTOR contra omnes Scriptores tantum duos Gordianos recenset, cum tamen tres fuerint, nimirum M. Antonius Gordianus I. quem paullo ante exhibuimus, deinde filius ejus qui cum ipso à militibus trucidatus est An. C. 238. & Junior dicitur; demum Gordianus III. posterioris filius, prioris nepos; hinc Gordiani II. vultum ex MEDIOBARB. pag. 332. ad hunc locum Tab. XXVI. num. 8. exhibemus.
(35) Clodium Pupienum) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 334. vide Tab. XXVII. num. 1.
(36) Cæcilium Balbinum) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 333. vide Tab. XXVII. num. 2.
(37) Gordianum Gordiani filium) Nimirum Gordianum III. Gordiani II. filium. Cujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 335. vide Tab. XXVII. num. 3.


Tab. XXVI
ad pag. 133 134
ÆR
I
IMP. C. M. OPEL. MACRINVS AVG.
E
ÆR
II
M. OPEL. DIADVMENIANVS CAES.
Γ
ÆR
III
IMP. ANTONINVS PIVS AVG.
Γ
ÆR
IV
IMP. SEV. ALEXANDER AVG.
Γ
ÆR
V
IMP. MAXIMINVS PIVS AVG.
Γ
ÆR
VI
MAXIMVS CAES. GERM.
Γ
ÆR
VII
IMP. M. ANT. GORDIANVS AFR. AVG.
Γ
ÆR
VIII
IMP. C. M. ANT. GORDIANVS AFR. AVG.
Γ

Tab. XXVII.
ad pag. 133 134 135



Infidiis perit.

Ibi geſto inſigniter bello, Marci Philippi Præfecti Prætorio inſidiis periit ſexennio Imperii.

Marcus Julius Philippus & filius Philippus Imperatores. U. C. 996. p. C. N. 244.

Annum Urbis milleſimum celebrant. U. C. 1000. p. C. N. 248.

CAP. XXVIII. Igitur (37*) MARCUS JULIUS PHILIPPUS Arabs Thraconites, ſumpto in conſortium (38) PHILIPPO filio, rebus ad Orientem compoſitis, conditoque apud Arabiam Philippopoli oppido, Romam venere: exſtructoque trans Tiberim lacu, quod eam partem aquæ penuria fatigabat, annum Urbis milleſimum ludis omnium generum celebrant. Et quoniam nomen admonuit; noſtra quoque ætate poſt mille, centeſimus, (z) Conſule Philippo, exceſſit, nullis, uti ſolet, ſolennibus frequentatus: adeo indies cura minima Romanæ Urbis. Quod equidem denuntiatum illo tempore prodigiis portentiſque. Ex quis unum memorare brevi libet. Nam cum Pontificum lege hoſtiæ mactarentur, ſuis utero maris, feminarum genitalia apparuere. Id haruſpices ſolutionem poſterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretati. Quod fruſtratum iri æſtimans Imperator Philippus, tum quia forte præteriens, filii ſimilem * pro merito Ephebum conſpexerat, uſum virilis ſcorti removendum honeſtiſſime conſultavit. Verumtamen manet: quippe conditione loci mutata, pejoribus flagitiis agitatur: (*a*) dum *avidius periculoſa, quibuſque mortales prohibentur, petunt.* Huc accedit, quod longe aliud Etruſcorum artes cecinerant, quæ *bonis parte plurima jacentibus molliſſimum quemque beatum fore* aſſerebant. Eos ego ignoraſſe verum plane puto. Etenim quamvis rerum omnium proſpero ſucceſſu: pudore amiſſo tamen, fortunatus quis eſſe poteſt? cum eodem retento, cetera tolerabilia ſint. His actis filio Urbi relicto, ipſe, quamquam debili per ætatem corpore, adverſum Decium profectus, Veronæ cadit, pulſo amiſſoque exercitu. Quis Romæ compertis, apud caſtra Prætoria filius interficitur. Annos potentiæ quinque egere.

Prodigium.

Philippus filius interficitur.

Decius Imperator. U. C. 1001. p. C. N. 249.

Etruſcus filius Cæſar.

Lucio Priſco defertur Imperium.

Julius Valens Imperium capit.

CAP. XXIX. (39) ET DECIUS Syrmienſium vico ortus, militiæ gradu ad Imperium conſpiraverat, lætiorque hoſtium nece; (40) filium ETRUSCUM nomine, Cæſarem facit: ſtatimque eo in Illyrios præmiſſo, Romæ aliquantum moratur mœnium gratia, quæ inſtituit dedicandorum. Et interea ad eum Jotapiani, qui Alexandri tumens ſtirpe, per Syriam tentans nova, militum arbitrio occubuerat: ora, uti mos eſt, inopinato feruntur, ſimulque per eos dies Lucio Priſco, qui Macedonas Præſidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concurſu, poſtquam direptis Thraciæ pleriſque illo pervenerant. Qua cauſa Decio, quam potuit maturrime Roma digreſſo, Julius Valens cupientiſſimo vulgo Imperium capit: verum utrique mox cæſi: cum Priſcum nobilitas hoſtem patriæ cenſuiſſet. Decii Barbaros trans Danubium perſectantes, Bruti fraude cecidere, exacto regni biennio. Sed Deciorum mortem plerique illuſtrem ferunt. Namque filium audacius congredientem cecidiſſe in acie; patrem autem cum perculſi milites ad ſolandum Imperatorem multa præfarentur, ſtrenue dixiſſe: *Detrimentum unius militis parum (b) videri ſibi.* Ita refecto bello cum impigre decertaret, interiiſſe pari modo.

Etruſcus cadit.

Decius interit.

Gallus & Hoſtilianus Imperatores. U. C. 1004. p. C. N. 252. Voluſianus Cæſar. Hoſtilianus moritur.

CAP. XXX. Hæc ubi patres comperere, (41) GALLO (42) HOSTILIANOQUE Auguſta Imperia; (43) VOLUSIANUM Gallo editum, Cæſarem decernunt. Dein peſtilentia oritur, qua atrocius ſæviente, Hoſtilianus interiit. Gallo Voluſianoque favor quæſitus, quod anxie ſtudioſeque tenuiſſimi cujuſque exſequias curarent.

Æmilius Æmilianus ſummam poteſtatem arripit. U. C. 1005. p. C. N. 253.

Morbo abſumitur.

CAP. XXXI. Igitur his Romæ morantibus, (44) ÆMILIUS ÆMILIANUS ſummam poteſtatem corruptis militibus arripuit. Ad quem expugnandum profecti, Interamnæ ab ſuis cæduntur, ſpe præmii majoris ab Æmilio; cui nullo labore ſeu detrimento victoria obveniebat: ſimul quia immodici per luxum laſciviamque, officia benevolentiæ corruperant. His ſane omnibus biennio profecit. Nam Æmilianus quoque tres menſes (*c*) uſus modeſto Imperio, morbo abſumptus eſt: cum Proceres primo hoſtem, dein extinctis ſuperioribus pro fortuna, uti ſolet, Auguſtum appellaviſſent. At milites, qui contracti undique apud Rhætias ob inſtans bellum morabantur.

Licinius Valerianus Imperator. U. C. 1005. p. C. N. 253. Gallienus filius Cæſar.

Bellum per Meſopotamiam.

Valerianus interit.

CAP. XXXII. (45) LICINIO (*d*) VALERIANO Imperium deferunt. Qui quamquam genere ſatis claro, tamen, uti mos tum etiam erat, militiam ſequebatur. (*e*) Ejus filium (46) GALLIENUM Senatus Cæſarem creat, ſtatimque Tiberis adulta ætate, (*f*) diluvii facie inundavit: Prudentes pernicioſum Reipublicæ cecinere, adoleſcentis fluxo ingenio, quia Etruria accitus venerat, unde amnis prædictus. Quod equidem confeſtim evenit. Nam cum ejus pater [dolo erat circumventus] bellum per Meſopotamiam anceps diuturnumque inſtruit, Perſarum Regis, cui nomen Sapor erat, dolo circumventus fœde laniatus interiit, Imperii anno ſexto, ætate robuſtiore.

Licinius Gallienus Imperator. U. C. 1005. p. C. N. 253. Competitores devincit, Ingebum, Regallianum.

CAP. XXXIII. Sub idem tempus LICINIUS GALLIENUS, cum à Gallia Germanos ſtrenue arceret, in Illyricum properans deſcendit. Ibi Ingebum, quem curantem Pannonios, (*g*) comperta Valeriani clade, imperandi cupido inceſſerat, Murſiæ devicit: moxque Regallianum, (*h*) qui receptis militibus, quos Murſina labes reliquos fecerat, bellum duplicaverat. His proſpere, ac ſupra vota cedentibus, *more hominum, ſecundis ſolutior,* rem Romanam quaſi nau-

(z) al. centeſimo Conſule. (*a*) al. agitur. (*b*) al. *parvum.* (*c*) quatuor, menſes. (*d*) al. Illicinio. (*e*) al. ſequebantur. (*f*) al. æſtate. (*g*) al. Pannonos. (*h*) al. Regillianum.

(37*) Marcus Julius Philippus) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 343. vide Tab. XXVII. num. 4.
(38) Philippo filio) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 349. vide Tab. XXVII. num. 5.
(39) Et Decius) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 352. vide Tab. XXVII. num. 6.
(40) Filium Etruſcum nomine) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 355. vide Tab. XXVII. num. 7.
(41) Gallo) C. Vibii Treboniani Galli vultum ex MEDIOB. pag. 358. vide Tab. XXVII. num. 8.
(42) Hoſtilianoque) C. Valentis Hoſtiliani Meſſii Quinti vultum ex MEDIOB. pag. 356. vid. Tab. XXVIII. num. 1.
(43) Voluſianum) Hujus vultum ex MEDIOB. pag. 361. vide Tab. XXVIII. num. 2.
(44) Æmilius Æmilianus) Hujus vultum ex VAILLANT Numiſm. æreis Immp. P. II. pag. 227. vid. Tab. XXVIII. num. 3.
(45) Licinio Valeriano) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 365. vid. Tab. XXVIII. num. 4.
(46) Gallienum) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 369. vid. Tab. XXVIII. num. 5.

Saloninus Cæsar. Motus externi.

ſi naufragio dedit, (47) cum SALONINO filio, cui honorem Cæſaris contulerat, adeo uti Thraciam (*i*) Gothi libere progreſſi, Macedonas Achæoſque & Aſiæ finitima occuparent: Meſopotamiam Parthi: Orienti latrones ſeu mulier dominaretur Alemannorum vi, tunc æque Italiam, Francorum gentes, direpta Gallia, Hiſpaniam poſſiderent, vaſtato ac pæne direpto Tarraconenſium oppido, nactiſque in tempore navigiis pars in uſque Africam permearet: (*k*) & amiſſa trans Iſtrum, quæ Trajanus quæſierat. Ita quaſi ventis undique ſævientibus, parvis maxima; ima ſummis orbe toto miſcebantur. Simulque Romam peſtilentia graſſabatur, quæ ſæpe curis gravioribus, atque animi deſperatione oritur. Inter hæc ipſe popinas, ganeaſque obiens, lenonum ac vinariorum (*l*) amicitiis hærebat, expoſitus Saloninæ conjugi atque amori flagitioſo filiæ Attali Germanorum Regis, Pipæ nomine: qua cauſa etiam civiles motus longe atrociores orti.

Motus civiles. Poſtumus Imperium affectat.

Namque primus omnium (48) *Poſtumus*, qui forte Barbaris per Galliam præſidebat, imperium ereptum ierat: exploſaque Germanorum multitudine, Lolliani (*m*) bello excipitur: quo non minus feliciter fuſo, ſuorum tumultu periit: quod flagitantibus Maguntiacorum (*n*) direptiones, quia Lollianum juverant, abnuiſſet.

Qui perit. Marius regnum capit.

Igitur eo occiſo, (49) *Marius* ferri quondam opifex, neque etiam tum militiæ ſatis clarus, regnum capit. Proinde cuncta ad extremum reciderant, uti talibus imperia ac virtutum omnium decus ludibrio eſſent. Hinc denique jlocaliter dictum, *nequaquam mirum videri, ſi rem Romanam Marius reficere contenderet, quam Marius ejuſdem artis auctor ſtirpiſque ac nominis, ſolidaviſſet.*

Quo jugulato Victorinus deligitur.

Hoc jugulato poſt biduum, (49*) *Victorinus* deligitur belli ſcientia Poſtumo par: verum libidine præcipiti; qua cohibita in exordio, poſt biennii imperium, conſtupratis vi pleriſque, ubi Attitiani conjugem concupivit, facinuſque ab ea viro patefactum eſt: accenſis furtim militibus per ſeditionem Agrippinæ occiditur.

Qui occiditur.

Tantum Actuariorum, quorum loco Attitianus habebatur, in exercitu factiones vigent, ut arduum petentibus malitia patraretur: genus hominum præſertim hac tempeſtate, nequam, venale, callidum, ſeditioſum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandaſque quaſi ab natura factum: annonæ dominans, eoque utilia curantibus, & fortunis aratorum infeſtum: prudens in tempore his largiendi quorum vecordia damnoque opes contraxerit. Interim Victoria, (50) amiſſo Victorino filio, legionibus grandi pecunia comprobantibus, (51) Tetricum Imperatorem facit; qui familia nobili, præſidatu Aquitanos tuebatur: (52) filioque ejus Tetrico Cæſarea inſignia impartiuntur.

Tetricus Imperium affectat. Filius ejus Cæſar.

At Romæ Gallienus pacata omnia, ignaris publici mali, improbe ſuadebat: crebro etiam, uti rebus ex voluntate geſtis ſolet, ludos ac feſta triumphorum, quo promptius ſimulata confirmarentur, exercens.

Gallieni Imperatoris deſidia.

Sed poſtquam periculum propinquabat, tandem Urbe egreditur. Namque Aureolus, cum per Rhætias legionibus præeſſet, excitus, uti mos eſt, ſocordia tam ignavi ducis, ſumpto Imperio Romam contendebat.

Aureolus ſumit Imperium.

Eum Gallienus apud pontem, cui ex eo Aureoli nomen eſt, fuſum acie Mediolanum coëgit: (*o*) quam urbem cum machinationibus omnis generis oppugnat, ab ſuis interiit.

Gallienum fundit. Ipſe interit.

Quippe Aureolus ubi ſolvendi obſidii ſpem inanem videt, ducum Gallieni Tribunorumque nomina, quaſi deſtinata ab eo ad necem, aſtu compoſuit, literaſque è muro, quam occultiſſime potuit, abjecit: quæ forte à memoratis repertæ, metum ſuſpicionemque injecere mandati exitii; verum eas effluxiſſe in curia miniſtrorum. Qua cauſa (*p*) Aureliani conſilio, cujus gratia in exercitu atque honore præſtabant, ſimulata proruptione hoſtium, nullis, uti re trepida ac repentina ſolet, tectum ſtipatoribus, tabernaculo educunt nocte intemperata: teloque trajicitur, cujuſnam, per tenebras incertum.

Gallienus telo trajicitur.

Ita auctoris neciſne errore, an quia bono publico acciderat, inulta cædes fuit. Quamquam eo prolapſi mores ſunt, uti *ſuo, quam Reipub. magiſque potentiæ, quam gloriæ ſtudio plures agant.*

Plerique in Rep. potentiæ quam gloriæ ſtudent.

Hinc quoque rerum vis ac nominum corrupta; dum plerumque potior flagitio, ubi armis ſuperaverit, tyrannidem amotam vocaverit, damno publico oppreſſos. Quinetiam aliquanti pari libidine in cæleſtium numerum referuntur, ægre exſequiis digni. Quis ni *fides rerum geſtarum* obſtitiſſet, quæ neque honeſtos præmiis memoriæ fruſtrari ſinit, neque improbis æternam illuſtremque famam procedere; nequiquam (*q*) peteretur virtus: cum verum illud atque unicum decus peſſimo cuique gratia tribueretur, demptum impie bonis.

Gallienus divus dicitur.


Denique Gallienum ſubacti à Claudio Patres, quod ejus arbitrio Imperium cepiſſet, Divum dixere. Nam cum profluvio ſanguinis, vulnere tam gravi, mortem ſibi adeſſe intelligeret, inſignia Imperii ad Claudium deſtinaverat, honore Tribunatus Ticini retinentem præſidiariam manum.

Inſignia ad Claudium deſtinat.


Quod ſane extortum: cum neque Gallieni flagitia, dum urbes (*r*) erunt, occultari queant; & quiſque peſſimus erit, par ſimiliſque ſemper ipſi habebitur. Adeo Principes atque Optimi mortalium, vitæ decore, quam quæſitis nominibus, atque compoſitis, quantum conjiciatur, cœlum adeunt; ſeu fama hominum Dei celebrantur modo. At Senatus comperto tali exitio, ſatellites propinquoſque per ſcalas Gemonias præceps agendos decrevit, patronoque fiſci in Curiam perduci effoſſos oculos pependiſſe ſatis conſtat:

(*i*) al. Trachiam. (*k*) al. per ſinus uſque Africam permearent. (*l*) al. mimorum. (*m*) al. Leliani. (*n*) al. Moguntiacorum. (*o*) al. cogit. (*p*) al. Quo caſu. (*q*) al. ne cuiquam. (*r*) al. urbs.

(47) Cum Salonino filio) P. Licinii Cornelii Salonini Valeriani vultum ex MEDIOBARBO pag. 381. vide Tab. XXVIII. num. 6.
(48) Poſtumus) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 391. vide Tab. XXVIII. num. 7.
(49) Marius) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 397. vide Tab. XXVIII. num. 8.
(49*) Victorinus) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 397. vide Tab. XXIX. num. 1.
(50) Amiſſo Victorino filio) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 398. vide Tab. XXIX. num. 2.
(51) Tetricum Imperatorem facit) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 399. vide Tab. XXIX. num. 3.
(52) Filioque ejus Tetrico) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 400. vide Tab. XXIX. num. 4.



Tab. XXVIII
ad pag. 135. 136.
Æ
I
C. VALENS HOSTIL. MES. QUINTUS N.C.
Æ
II
IMP. C. VIB. VOLUSIANO AUG.
ÆR
III
IMP. CAES. AEMILIANUS. AUG.
Æ
IV
IMP. VALERIANUS P. F. AUG.
Æ
V
IMP. C. P. LIC. GALLIENUS AUG.
ÆR
VI
DIVO CAES. VALERIANO.
Æ
VII
IMP. C. POSTUMUS P. F. AUG.
Æ
VIII
IMP. C. M. AUR. MARIUS AUG.


Tab XXIX.
ad pag. 136 135.
ÆR
I
IMP. C. M. PIAVVONIVS VICTORINVS PF. AVG.
Γ
ÆR
II
IMP. C. PI. VICTORINVS AVG.
Γ
ÆR
III
IMP. PESV. TETRICVS AVG.
Γ
ÆR
IV
C. PAC. TETRICVS A.
Γ
ÆR
V
IMP. CLAVDIVS CAES.
Γ
ÆR
VI
IMP. AVRELIANVS AVG.
Γ
Æ
VII
IMP. C. CL. TACITVS AVG.
Γ
Æ
VIII
IMP. C. M. ANN. FLORIANVS AVG.
Γ

conſtat: cum inruens vulgus, pari clamore, Terram matrem, Deoſque Inferos precaretur, ſedes impias uti Gallieno darent. Ac niſi Claudius confeſtim recepta Mediolani urbe, tamquam poſtulato exercitus parcendum, qui forte eorum ſupererant præcepiſſet; nobilitas plebeſque atrocius graſſarentur. Et Patres quidem, præter commune Romani malum orbis, ſtimulabat proprii ordinis contumelia: quia primus ipſe, metu ſocordiæ ſuæ, ne Imperium ad Optimos nobilium transferretur, Senatum militia vetuit; etiam adire exercitum. Huic novem annorum potentia fuit.

Occiditur.

Claudius Imperator. U.C. 1020. p. C. N. 268.

CAP. XXXIV. Sed (53) Claudii Imperium milites, *quos fere contra ingenium perditæ res ſubigunt* (*s*) *recta conſulere*; ubi afflicta omnia perſpexere, avide approbant, extolluntque, viri laborum patientis, æquique ac prorſus dediti Reipublicæ. Quippe ut longo intervallo Deciorum morem renovaverit. Nam cum pellere Gothos cuperet, quos diuturnitas nimis validos, ac prope incolas effecerat, proditum ex libris Sibyllinis eſt, *primum ordinis ampliſſimi victoriæ vovendum.* Cumque is qui eſſe videbatur, ſemet obtuliſſet; ſibi potius id muneris competere oſtendit, qui revera Senatus, atque omnium Princeps erat. Ita nullo exercitus detrimento fuſi Barbari ſummotique, poſtquam Imperator vitam Reipublicæ dono dedit: Adeo *bonis ſalus civium ac longa ſui memoria cariora ſunt:* quæ non gloriæ modo, verum etiam ratione quadam poſterorum felicitati proficiunt. Hoc ſiquidem Conſtantius & Conſtantinus, atque Imperatores noſtri * * * corporiſque acceptior militibus, præmiorum ſpe, ſeu laſciviæ. Quo ægra aſperiorque victoria fuit, dum, uti mos ſubditis erat, ſtudio impune peccandi, remiſſa Imperia promptius quam utilia defendunt.

In bello cum Gothis.

Vitam Reipublicæ dono dat.

Aurelianus Imperator. U.C. 1022. p. C.N. 270.

CAP. XXXV. Ceterum (54) Aurelianus ſucceſſu tanto vehementior, confeſtim quaſi belli reliquiæ ſupereſſent, in Perſas progreſſus eſt. Quis deletis, Italiam repetivit, cujus urbes Alamannorum vexationibus affligebantur. Simul Germanis Gallia demotis; Tetrici, de quo ſupra commemoravimus, cæſæ legiones, proditore ipſo duce. Nam Tetricus, cum Fauſtini Præſidis dolo corruptis militibus plerumque peteretur, Aureliani per literas præſidium imploraverat; eique adventanti, producta ad ſpeciem acie, inter pugnam ſe dedit. Ita, uti rectore nullo ſolet, turbati ordines oppreſſi ſunt. Ipſe poſt Celſum biennii Imperii in triumphum ductus; Lucaniæ Correcturam, filioque veniam atque honorem Senatorium cooptavit. Neque ſecus intra Urbem monetæ opifices deleti: qui cum auctore Feliciſſimo rationali nummariam notam corroſiſſent, pœnæ metu bellum fecerant; uſque eo grave, ut per Cœlium montem congreſſi, ſeptem fere millia bellatorum confecerint. His tot tantiſque proſpere geſtis fanum Romæ Soli magnificum conſtituit, donariis ornans opulentis: ac ne unquam, quæ per Gallienum evenerant, acciderent; muris Urbem quam validiſſimis laxiore ambitu circumſepſit: ſimulque uſus porcinæ carnis, quo Plebi Romanæ affatim cederet; prudenter municiceque proſpectavit; deletæque fiſcales & quadruplatorum, quæ Urbem miſerabiliter affecerant, calumniæ; conſumptis igni tabulis monumentiſque hujuſcemodi negotiorum: atque ad Græciæ (*t*) morem decreta abolitione, inter quæ avaritiæ peculatum, provinciarum prædatores, contra morem militarium, quorum è numero erat, immane quantum ſpectabatur. Qua cauſa miniſtri ſcelere, cui ſecretorum officium crediderat, circumventus, apud Cœnofrurium (*u*) interiit: cum ille prædæ conſcientia delictique, ſcripta callide compoſita Tribunis, quaſi per gratiam, prodidiſſet, quibus interfici jubebantur: illique eo metu accenſi facinus patravere. Interea milites, omiſſo Principe, Legatos ſtatim Romam deſtinant, uti ſuopte arbitratu Patres Imperatorem deligerent. Quibus hoc ipſorum potiſſimum convenire munus reſpondentibus; rurſum legiones ad eos rejiciunt. Ita utrimque pudore ac modeſtia decertabatur, rara in hominibus virtute, rebus præſertim hujuſmodi, ac prope ignota militibus. Tantum ille vir ſeveritate atque incorruptis artibus potuit, ut ejus necis auctoribus exitio; pravis metui; ſimulata dubiis; optimo cuique deſiderio; nemini inſolentiæ aut oſtentationi eſſet: atque etiam ſoli, quaſi Romulo, Interregni ſpecies obvenit, longe vero glorioſior. Quod factum præcipue edocuit, *cuncta in orbis modo verti; nihilque accidere, quod rurſum Naturæ vis ferre nequeat ævi ſpatio:* Adhuc *virtutibus Principum res attolli facile, vel afflictas; eaſque firmiores præceps vitiis dari.*

Tetricum vincit.

In triumphum ducit. Corrector Lucaniæ fit. Aurelianus monetæ opifices delet.

Soli fanum conſtituit.

Urbem muris circumſepit.

Miniſtri ſcelere circumventus interit.

Milites à Patribus Imperatorem petunt.

Patres à militibus.

Interregnum.

CAP. XXXVI. Igitur tandem Senatus, menſe circiter poſt Aureliani interitum ſexto, (55) Tacitum è conſularibus mitem ſane virum, Imperatorem creat: cunctis fere lætioribus, quod militari ferocia legendi jus Principis Proceres recepiſſent. Quæ tamen lætitia brevis, neque exitu tolerabili fuit. Namque Tacito confeſtim à ducenteſima regni luce, Tyanæ mortuo, cum tamen prius auctores Aureliani necis, maximeque Mucaperem ducem, quod ipſius ictu occiderat, excruciaviſſet; (56) Florianus ejuſdem frater, nullo Senatus ſeu militum conſulto Imperium invaſerat.

Tacitus Imperator. U.C. 1027. p. C. N. 275.

Moritur.

Florianus Imperium invadit. U.C. 1027. p. C. N. 275.

CAP. XXXVII. Qui uno menſe aut altero vix retentata (*x*) dominatione apud Tarſum ab ſuis interficitur. Poſt quem (57) Probum in Illyrico factum accepere, ingenti belli ſcientia exercitandiſque varie militibus, ac duranda juventute prope Hannibalem alterum. Namque ut ille oleis (*y*) Africæ pleraque per legiones, quarum otium Reipublicæ atque doctoribus ſuſpectum rebatur: eodem modo hic Galliam

Interficitur.

Probus Imperator. U. C. 1028. p. C. N. 276.

S

(*s*) al. *ſubjungunt.* (*t*) al. gratiæ. (*u*) al. Cænophrurium. (*x*) al. retenta. (*y*) al. ut ille utile olei.

(53) Claudii Imperium) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 401. vide Tab. XXIX. num. 5.
(54) Aurelianus) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 405. vide Tab. XXIX. n. 6.
(55) Tacitum) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 409. vide Tab. XXIX. num. 7.
(56) Florianus) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 411. vide Tab. XXIX. n. 8.
(57) Probum) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 412. vide Tab. XXX. n. 1.

Galliam vinetis replet. Barbaros atterit.

liam Pannoniaſque & Mœſorum colles vineis replevit: poſtea ſane quam Barbarorum attritæ gentes ſunt, quæ noſtris principibus ſuorum ſcelere interfectis, irruperant; ſimul cæſis, Saturnino per Orientem: Agrippinæ Bonoſo exercitu; nam utrique dominatum tentaverant, ſumpta, cui duces præerant, manu: Qua cauſa receptis omnibus pacatiſque dixiſſe proditur: *Brevi milites fruſtra fore.* Hinc denique magis irritati paullo cis ſextum annum apud Sirmium trucidavere, cum ad ſiccandam lacunis ac foſſa Urbem ipſi patriam adigerentur, quæ paluſtri ſolo hiemalibus aquis corrumpitur.

Saturninum & Bonoſum cædit. Trucidatur.

Abhinc militaris potentia convaluit, ac Senatui Imperium, creandique jus Principis ereptum ad noſtram memoriam; incertum an ipſo cupiente per deſidiam, an metu ſeu diſſenſionum odio. Quippe amiſſo Gallieni edicto, refici militia potuit, concedentibus modeſte legionibus, Tacito regnante, neque Florianus temere invaſiſſet: aut judicio, manipularium cuiquam, bono licet, Imperium daretur; ampliſſimo ac tanto ordine in caſtris degente. Verum dum oblectantur otio, ſimulque divitiis pavent, quarum uſum affluentiamque æternitate majus putant, munivere militaribus ac pæne Barbaris viam in ſe ac poſteros dominandi.

Milites Imperium & jus creandi Principem ad ſe rapiunt.

Carus Imperator. Carinus & Numerianus Cæſares. U.C. 1034. p. C. N. 282.

CAP. XXXVIII. Igitur (58) Carus Præfectura pollens Prætorii, Auguſto habitu, * liberis Cæſaribus (59) Carino (60) Numerianoque. Et quoniam cognita Probi morte Barbarorum quique opportune invaſerant, miſſo ad munimentum Galliæ majore filio, Numeriani comitatu in Meſopotamiam pergit protinus; quod ea Perſarum quaſi ſolemni bello ſubeſt. Ubi fuſis hoſtibus, dum gloriæ inconſulte avidior, Cteſiphonta urbem Parthiæ inclytam transgreditur; fulminis tactu conflagravit. Id quidam jure ei accidiſſe referunt. Nam cum oracula docuiſſent, *aduſque oppidum memoratum perveniri victoria licere*; longius delatus pœnas luit. Proinde *arduum fatalia devertere; eoque futuri notio ſuperflua.* (z) At Numerianus, amiſſo patre ſimul confectum æſtimans bellum, cum exercitum reductaret; Apri Præfecti Prætorio ſoceri inſidiis exſtinguitur: qui caſum detulit adoleſcentis oculorum dolor. Denique diu facinus occultatum, dum clauſum lectica cadaver, ſpecie ægri, ne vento obtunderetur acies, geſtabatur.

Carus fulminis tactu conflagrat. Numerianus occiditur.

Valerius Diocletianus Imperator. U.C. 1036. p. C. N. 284.

CAP. XXXIX. Sed poſtquam odore tabeſcentium membrorum ſcelus proditum eſt; Ducum conſilio, Tribunorumque (61) Valerius Diocletianus domeſticos regens ob Sapientiam deligitur; magnus vir; his moribus tamen: quippe qui primus ex auro veſte quæſita, ſerici ac purpuræ gemmarumque vim plantis concupiverit: quæ quamquam plus quam civilia, tumidique & affluentis animi: levia tamen præ ceteris: namque ſe primus omnium Caligulam poſt, Domitianumque *Dominum* palam dici paſſus, & adorari ſe, appellarique uti Deum. Quis rebus, quantum ingenium eſt, compertum habeo, *humillimos quoſque, maxime ubi alta acceſſerunt; ſuperbia atque ambitione immodicos eſſe.* Hinc Marius Patrum memoria; hinc iſte noſtra, communem habitum ſupergreſſi, dum animus potentiæ expers, tanquam inedia refecti, inſatiabilis eſt. Quo mihi mirum videtur, Nobilitati pleroſque ſuperbiam dare: quæ gentis Patriciæ memor; moleſtiarum, quis agitatur, remedio, eminere paullulum pluris habet. Verum hæc in Valerio obducta ceteris bonis: eoque ipſo quod Dominum dici paſſus; parentem egit: ſatiſque conſtat, prudentem virum edocere voluiſſe, atrocitatem rerum magis, quam nominum officere. (a)

Dominum & Deum ſe dici paſſus.

Carinus.

Interim Carinus eorum quæ acciderant, certior; ſpe facilius erumpentis metus ſe datum iri; Illyricum propere Italiæ circuitu petit. Ibi (62) Julianum pulſa ejus acie, obtruncat. Namque is cum Venetos Correctura ageret, Cari morte cognita, Imperium avens eripere, adventanti hoſti obviam proceſſit. At Carinus ubi Mœſiam contigit, ilico Murgum (b) juxta Diocletiano congreſſus, dum victos avide premeret; ſuorum ictu interiit, quod libidine impatiens militarium nuptas affectabat: quarum infeſtiores viri; iram tamen doloremque in eventum belli diſtulerant. Quo proſperius cedente, metu ne hujuſmodi ingenium magis magiſque victoria inſoleſceret; ſeſe ulti ſunt. Is finis Caro, liberiſque: Narbone patria, Imperium biennii fuere.

Julianum vincit. Qui Imperium affectarat. Carinus cum Diocletiano congrediens interit.


Diocletianus.

Igitur Valerius prima ad exercitum concione, cum educto gladio, ſolem intuens, obteſtaretur, *ignarum cladis Numeriani, neque Imperii cupientem ſe fuiſſe;* Aprum proxime aſtantem ictu transegit: cujus dolo, ut ſupra docuimus, adoleſcens bonus facunduſque & gener occiderat: ceteris venia data, retentique hoſtium fere omnes; ac maxime vir inſignis Ariſtobulus Præfectus Prætorio per officia ſua. Quæ res poſt memoriam humanam nova atque inopinabilis fuit; civili bello, fortunis, fama, dignitate, ſpoliatum neminem: cum *pie admodum manſueteque geri lætemur, exilio, proſcriptioni, atque etiam ſuppliciis & cædibus modum fieri.* Quid ea memorem, adſciviſſe conſortio multos externoſque, tuendi, prolatandive gratia Juris Romani? Namque ubi comperit Carini diſceſſu, Helianum Amandumque per Galliam excita manu agreſtium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis late agris pleraſque urbium tentare; (63) Maximianum ſtatim, fidum amicitia, quamquam ſemiagreſtem, militiæ tamen,

Aprum occidit. Ariſtobulus Præfectus Prætorio. Motus Heliani & Amandi. Maximianum Diocletianus Imperatorem jubet.

(z) al. *perflua.* (a) al. efficere. (b) al. Marcum. al. Margum.

(58) Carus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 418. vide Tab. XXX. num. 2.
(59) Carino) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 419. vide Tab. XXX. num. 3.
(60) Numerianoque) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 421. vide Tab. XXX. num. 4.
(61) Valerius Diocletianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 422. vide Tab. XXX. num. 5.
(62) Julianum) Hujus vultum quidem ex MEDIOBARBO pag. 495. vide Tab. XXX. num. 6. Sed & alium num. 7. ex nummo rariſſimo ac præſtantiſſimo, à nemine unquam publicato. Averſa ejus duas repræſentat figuras ſtantes cum inſcriptione: PANNONIÆ AUG. Quæ verba vel patriam Juliani vel Provinciæ erga ipſum devotionem denotat. Multis precibus fatigatus conceſſi hunc nummum Equiti Anglo Domino ANDREW FOUNTAIN, qui eum modo in theſauro ſuo numorum eximio conſervat. Ita Dominus de KLETTENBERG.
(63) Maximianum) Maximiani Herculei vultum ex MEDIOBARBO pag. 430. vide Tab. XXX. num. 8.


Tab. XXX.
ad pag. 135. 138. 139.
AR
IMP. PROBVS AVG.
I
Γ
AR
IMP. C. M. AVR. CARVS P. F. AVG.
II
Γ
ÆR
IMP. C. M. AVR. CARINVS NOB. C.
III
Δ
ÆR
M. AVR. NVMERIANVS NOB. C.
IV
Δ
AR
IMP. C. C. VAL. DIOCLETIANVS P. F. AVG.
V
Γ
AR
FL. CL. IVLIANVS NOB. CAES.
VI
Γ
AR
M. AVR. IVLIANVS. P. F. AVG.
VII
Γ
ÆR
IMP. MAXIMIANVS P. F. AVG.
VIII
Δ
ÆR
IMP. CARAVSIVS P. F. AVG.
XI
Γ

men, atque ingenio bonum; Imperatorem jubet. Huic postea cultu numinis, *Herculei* cognomentum accessit: uti Valerio Jovium. Unde etiam militaribus auxiliis longe in exercitum præstantibus nomen impositum. Sed Herculius in Galliam profectus, fusis hostibus aut acceptis, quieta omnia brevi patraverat. Quo bello (64) CORAUSIUS, Menapiæ civis, factis promptioribus enituit: eoque eum, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur; parandæ classi ac pro propulsandis Germanis maria infestantibus, perfecere. Hoc elatior, cum parum multos opprimeret, neque prædæ omnia in ærarium referret; Herculii metu, à quo se cædi jussum compererat; Britanniam hausto Imperio capessivit. Eodem tempore Orientem Persæ; Africam Julianus, ac nationes Quinquegentanæ graviter quatiebant. Adhuc apud Ægypti Alexandriam Achilleus nomine, dominationis insignia induerat. His de causis (65) JULIUM CONSTANTIUM, (66) GALERIUM MAXIMIANUM, cui cognomen *Armentario* erat, creatos Cæsares, in affinitatem vocant. Prior Herculii privignam, alter Diocletiano editam sortiuntur, diremptis prioribus conjugiis: ut in Nerone Tiberio, ac Julia filia Augustus quondam fecerat. His sane omnibus Illyricum patria fuit: qui quamquam humanitatis parum; Juris tamen ac militiæ miseriis imbuti satis optimi Reipublicæ fuere. Quare constat *sanctos prudentesque sensu mali promptius fieri: contraque expertes ærumnarum, dum opibus suis cunctos æstimant; minus consulere.* Sed horum concordia maxime edocuit *virtuti ingenium, usumque bonæ militiæ, quanta his Aureliani Probique institutio fuit, pæne sat esse.* Denique Valerium, ut parentem, seu Dei Magni suspiciebant modo: quod quale quantumque sit, ab Urbis conditore ad nostram ætatem propinquorum facinoribus patefactum est. Et quoniam bellorum moles, de qua supra memoravimus, acrius urgebat; quasi partito Imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa; Africa Italiaque Herculio: Illyricique oræ ad usque Ponti fretum, Galerio: cetera Valerius retentavit. Hinc denique parti Italiæ invectum tributorum ingens malum. Nam cum omnis eadem functione, moderataque ageret, quo exercitus atque Imperator, qui semper aut maxima parte aderant, ali possent; pensionibus, inducta lex nova. Quæ sane illorum temporum modestia tolerabilis in perniciem processit. His tempestatibus interim Jovio Alexandriam profecto, provincia credita Maximiano Cæsari, uti relictis finibus in Mesopotamiam progrederetur, ad arcendos Persarum impetus. A quis primo graviter vexatus, contracto confestim exercitu è veteranis ac tironibus, per Armeniam in hostes contendit; quæ ferme sola seu facilior vincendi via est. Denique ibidem Narseum Regem in deditionem subegit: simul liberos, conjugesque & aulam regiam: adeo victor, ut ni Valerius, cujus nutu omnia gerebantur, incertum qua causa, abnuisset; Romani fasces in provinciam novam ferrentur. Verum pars terrarum tamen nobis utilior quæsita: quæ cum acrius reposcuntur, bellum recens susceptum est, grave admodum perniciosumque. At in Ægypto Achilleus facili negotio pulsus, pœnas luit. Per Africam gestæ res pari modo; solique Corausio remissum Insulæ imperium, postquam jussis ac munimento Incolarum contra gentes bellicosas opportunior habitus. Quem sane sexennio post (67) ALLECTUS nomine, dolo circumvenit. Qui cum ejus permissu summæ rei præesset, flagitiorum & ob ea mortis formidine, per scelus imperium extorserat: quo usum brevi, Constantius, Asclepiodoto, qui Prætorianis Præfectus præerat, cum parte classis ac legionum præmisso, delevit. Et interea cæsi Marcomanni, Carporumque natio translata omnis in nostrum solum; cujus fere pars jam tum ab Aureliano erat. Neque minore studio pacis officia vincta legibus æquissimis: ac remoto pestilenti frumentariorum genere: quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt. Qui cum ad explorandum annunciandumque, qui forte in Provinciis motus exsisterent, instituti viderentur; compositis nefarie criminationibus, injecto passim metu, præcipue remotissimo cuique, cuncta fœde diripiebant: simul annona, Urbis, ac stipendiariorum salus anxie, soliciteque habita: honestiorumque provectu; & è contra, suppliciis flagitiosi cujusque, virtutum studia augebantur: veterrimæ religione castissime curatæ: ac mirum in modum novis adhuc cultisque mœnibus, Romana culmina & ceteræ urbes ornatæ; maxime Carthago, Mediolanum, Nicomedia. Neque tamen cum hæc agerent, extra vitia fuerunt: Quippe Herculis libidine tanta agebatur, ut ne ab obsidum corporibus quidem animi labem conprimeret: Valerio parum honesta in amicos fides erat, discordiarum sane metu: dum enuntiationibus posse agitari quietem consortii putat. Hinc etiam quasi truncatæ vires Urbis, imminuto Prætoriarum cohortium atque in armis vulgi numero: quo quidem plures volunt imperium posuisse. Namque imminentium scrutator, ubi fato intestinas clades, & quasi fragorem quendam impendere comperit status Romani: celebrato regni vicesimo anno valentior curam R. P. abjecit: cum in sententiam Herculium ægerrime traduxisset: cui anno minus potentia fuerat: & quamquam aliis alia æstimantibus veri gratia corrupta sit; nobis tamen excellenti natura videtur ad communem vitam spreto ambitu descendisse.

[Marginal notes: U.C. 1038. P.C.N. 286. Maximianus Herculei & Diocletianus Jovii cognomen accipiunt. — Corausius. — Imperium in Britannia affectat. — Julius Constantius & Galerius Maximianus Cæsares. U.C. 1043. P.C.N. 291. — Diocletianus magno honore habetur. — Bellorum molem. — Cæsaribus committit. — Maximianus Narseum vincit. — Achilleus in Ægypto punitur. — Corausius circumventus. — à Constantio deletur. — Frumentarii remoti. — Maximini libido. — Diocletianus. — Imperium ponit. U.C. 1057. P.C.N. 305.]

(64) Corausius) vel Carausius. Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 428. vide Tab. XXX. num. 9.
(65) Julium Constantium) vel potius Flavium Valerium Constantium, cuius vultum ex MEDIOBARBO pag. 532. vide Tab. XXXI. num. 1.
(66) Galerium Maximianum cui cognomen Armentario erat) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 441. vide Tab. XXXI. num. 2.
(67) Allectus) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 429. vide Tab. XXXI. num. 3.

Conſtantius & Armentarius Imperatores. U. C. 1057. p. C. N. 305. Severus & Maximinus Cæſares.

CAP. XL. Igitur CONSTANTIO, Armentarioque his ſuccedentibus, (68) SEVERUS (69) MAXIMINUSque Illyricorum indigenæ Cæſares: Prior Italiam; poſterior in, quæ Jovius obtinuerat, (c) deſtinantur. Quod tolerare nequiens (70) CONSTANTINUS, (d) cujus jam tum à puero ingens potensque animus ardore imperitandi agitabatur; fugæ commento, cum ad fruſtrandos inſequentes publica jumenta, quaqua iter egerat, interficeret; in Britanniam pervenit. Nam is à Galerio religionis ſpecie, ad vicem obſidis tenebatur. Et forte iisdem diebus ibidem Conſtantium patrem vitæ ultima agebant. (e) Quo mortuo cunctis, qui aderant, annitentibus, imperium capit. Interim Romæ vulgus, turmæque Prætoriæ (71) MAXENTIUM, retractante diu patre Herculio, Imperatorem confirmant. Quod ubi Armentarius accepit; Severum Cæſarem, qui caſu ad Urbem erat; arma in hoſtem ferre propere jubet. Is circum muros cum ageret, deſertus à ſuis, quos præmiorum illecebris Maxentius traduxerat, fugiens obſeſſusque Ravennæ obiit. Hoc acrior Galerius, adſcito in conſilium Jovio, (72) LICINIUM vetere cognitum amicitia Cæſarem, creat Auguſtum: eoque ad munimentum Illyrici, ac Thraciæ relicto, Romam contendit. Ibi cum obſidione diſtineretur; militibus eadem qua ſuperiores via attentatis, metu ne defereretur, Italia deceſſit: paulloque poſt vulnere peſtilenti conſumptus eſt: cum agrum ſatis Reipublicæ commodantem, cæſis immanibus ſilvis, atque emiſſo in Danubium lacu Pelſone apud Pannonios feciſſet. Cujus gratia provinciam uxoris nomine *Valeriam* appellavit. Huic quinquennii Imperium; Conſtantio annuum fuit: cum ſane uterque potentiam Cæſarum annos tredecim geſſiſſent. Adeo miri naturæ officiis, ut ea, ſi à doctis pectoribus proficiſcerentur, neque inſulſitate offenderent; haud dubie præcipua haberentur. Quare compertum eſt *eruditionem, elegantiam, comitatem præſertim, Principibus neceſſarias eſſe: cum ſine his naturæ bona quaſi incompta, aut etiam horrida deſpectui ſint: contraque ea Perſarum Regi Cyro æternam gloriam paraverint.* At memoria mea Conſtantinum, (f) quamquam ceteris promptum virtutibus, ad uſque aſtra votis omnium ſubvexere. Qui profecto ſi munificentiæ atque ambitioni modum, hiſque artibus ſtatuiſſet, quis præcipue adulta ingenia gloriæ ſtudio progreſſa longius in contrarium labuntur; haud multum abeſſet Deo. Is ubi vaſtari Urbem, atque Italiam comperit, pulſoſque ſeu redemptos exercitus, & Imperatores duos, compoſita pace per Gallias; Maxentium petit. Ea tempeſtate apud Pœnos (73) ALEXANDER pro-Præfecto gerens, dominatui ſtolide incubuerat: cum ipſe debili ætate, agreſtibus ac Pannonicis parentibus vecordior; milites, tumultuarieque quæſiti; armorum vix medium haberetur. Denique eum à Tyranno miſſi pauciſſimis cohortibus Rufus Voluſianus Præfectus Prætorio, ac militares duces levi certamine confecere. Quo victo, Maxentius Carthaginem terrarum decus, ſimul Africæ pulcriora vaſtari, diripi, incendique juſſerat; ferus, inhumanusque ac libidine multo tetrior: adhuc pavidus & imbellis, atque in deſidiam fœde pronus: uſque eo, ut flagrante per Italiam bello, fuſiſque apud Veronam ſuis; nihilo ſegnius ſolita curaret; neque patris exitio moveretur. Namque Herculius natura impotentior, ſimul filii ſegnitiæ metuens, inconſulte imperium repetiverat: cumque ſpecie officii dolis compoſitis Conſtantinum generum tentaret acerbe, jure tandem interierat. Sed Maxentius atrocior in dies, tandem Urbe in Saxa rubra millia ferme novem ægerrime progreſſus; dum cæſa acie fugiens ſemet Romam reciperet, inſidiis, quas hoſtis apud pontem Milvium locaverat, in transgreſſu Tiberi interceptus eſt, tyrannidis anno ſexto. Hujus nece incredibile quantum lætitia, gaudioque Senatus ac plebes exſultaverint: quos in tantum afflictaverat, uti Prætorianis cædem vulgi quondam annuerit; primusque inſtituto peſſimo numinum ſpecie Patres aratoreſque pecuniam conferre prodigenti ſibi cogeret: Quorum odio Prætoriæ legiones, ac ſubſidia factionibus aptiora, quam Urbi Romæ; ſublata penitus, ſimul arma atque uſus indumenti militaris: adhuc cuncta opera, quæ magnifice conſtruxerat, Urbis fanum, atque Baſilicam, Flavii meritis Patres ſacravere. A quo etiam poſt Circus maximus excultus mirifice: atque ad lavandum inſtitutum opus ceteris haud multo diſpar. Statuæ locis quam celeberrimis, quarum plures ex auro, aut argenteæ ſunt: tum per Africam ſacerdotium decretum Flaviæ genti, Cirtæque oppido, quod obſidione Alexandri ceciderat, repoſito exornatoque, nomen *Conſtantina* inditum: adeo *acceptius præſtantiusque Tyrannorum depulſoribus nihil eſt: quorum gratia eo demum auctior erit; ſi modeſti ipſi atque abſtinentes ſint.* Quippe *humanæ mentes, fruſtratæ boni ſpe, aſperius offenduntur, cum mutato rectore flagitioſo, ærumnarum vis manet.* (g)

Conſtantius in Britannia moritur. Ubi Conſtantinus Imperium capit. U. C. 1058. p. C. N. 306. Maxentius Imperator.

Severus moritur.

Licinius Auguſtus creatur.

Moritur.

Conſtantinus.

Maxentium petit.

Maxentius Africam vaſtat.

Inſidiis intercipitur.


CAP. XLI. Dum hæc in Italia geruntur, Maximinus ad Orientem, poſt biennii anguſtum Imperium fuſus, fugatusque à LICINIO, apud Tarſum perit. Ita poteſtas orbis Romani duobus quæſita: qui quamvis per Flavii ſororem nuptam Licinio, connexi inter ſe erant; ob diverſos mores tamen anxie triennium congruere quivere. Namque illi præter admodum magna cetera; huic parſimonia, & ea quidem


Maximinus fugatur.

Licinius quærit Imperium.

(c) al. priori Italia, poſteriori quæ Jovius obtinuerat, deſtinantur. (d) al. Conſtantius. (e) al. iiſdem diebus Conſtantinum patrem fata ultima perurgebant. (f) al. Conſtantium. (g) al. *vi manet.*

(68) Severus) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 448. vide Tab. XXXI. num. 4.
(69) Maximinusque) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 445. vide Tab. XXXI. num. 5.
(70) Conſtantinus) Magnus nimirum, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 458. vide Tab. XXXI. num. 6.
(71) Maxentium) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 449. vide Tab. XXXI. num. 7.
(72) Licinium) C. Valerium Licinianum Licinium nimirum. Cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 452. vide Tab. XXXI. num. 8.
(73) Alexander) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 445. vide Tab. XXXII. num. 1.


Tab. XXXI
ad pag. 139. 140
ÆR
I
D.N.FL. CONSTANTIVS NOB. C.
Γ
Æ
II
MAXIMIANVS NOB. CAES.
Γ
Æ
III
IMP. C. ALLECTVS P.F. AVG.
Γ
ÆR
IV
SEVERVS NOB. CAESAR
Γ
ÆR
V
MAXIMINVS NOB. CAESAR.
Γ
ÆR
VI
IMP. CONSTANTINVS AVG.
Γ
ÆR
VII
IMP. C. MAXENTIVS P. F. AVG.
Γ
Æ
VIII
IMP. LICI NIVS AVG.
Γ



Tab XXXII
ad pag 140 141.

quidem agreſtis, tantummodo inerat. Denique Conſtantinus cunctos hoſtes honore ac fortunis manentibus texit, recepitque: eo pius, ut etiam vetus veterrimumque ſupplicium patibulorum & cruribus ſuffringendis primus removerit. Hinc pro conditore, ſeu Deo habitus. Licinio ne inſontium quidem ac nobilium Philoſophorum ſervili more cruciatus adhibiti modum fecere. Quo ſane variis præliis pulſo, cum eum prorſus opprimere arduum videretur; ſimul affinitatis gratia recepti (*b*) conſortio, adſcriptique imperio Cæſarum communes liberi, (74) CRISPUS, (75) CONSTANTINUSque Flavio geniti: LICINIANUS Licinio. Quod equidem vix diuturnum: neque his qui aſſumebantur felix fore, defectu Solis fœdato iisdem menſibus die, patefactum. Itaque ſexennio poſt rupta pace apud Thracas Licinius pulſus, Chalcedona conceſſit. Ibi ad auxilium ſui (76) MARTINIANO ad Imperium cooptato, (*i*) una oppreſſus eſt. Eo modo Reſpub. unius arbitrio geri cœpit, liberis Cæſarum nomina diverſa retentantibus: namque ea tempeſtate Imperatori noſtro (77) CONSTANTIO inſigne Cæſaris datum. Quorum cum natu grandior, incertum qua cauſa, patris judicio occidiſſet; repente Calocerus magiſter pecoris camelorum, Cyprum inſulam ſpecie regni demens capeſſiverat: (*k*) quo excruciato, ut fas erat, ſervili aut latronum more, condenda urbe formidandisque religionibus ingentem animum avocavit: ſimul novandæ militiæ ordine. Et interea Gothorum Sarmatarumque ſtratæ gentes: filiusque cunctorum minor, (78) CONSTANS nomine Cæſar fit. Cujus gratia Reipublicæ permiſtionem fore oſtentorum mira prodidere: quippe ea nocte quæ commiſſi imperii diem ſequebatur; igni continuo cœli facies conflagravit. Abhinc conſumpto fere biennio, fratris filium, cui ex patre (79) DALMATIO nomen fuit, Cæſarem juſſit, aſſiſtentibus valide militaribus. Ita anno Imperii triceſimo ſecundoque, cum totum orbem tredecim tenuiſſe; ſexaginta natus, atque amplius duo: in Perſas tendens, à quis bellum irrumpere acceperat; rure proximo Nicomediæ, Achyronam vocant, exceſſit: cum (ad) id tetrum ſidus regnis, quod *crinitum* vocant, portendiſſet. Funus relatum in urbem ſui nominis. Quod ſane P. R. ægerrime tulit: quippe cujus armis, legibus, clementi imperio, quaſi novatam Urbem Romanam arbitraretur. Pons per Danubium ductus: caſtra caſtellaque pluribus locis commode poſita. Remotæ olei frumentique adventitiæ præbitiones, quibus Tripolis ac Nicæa acerbius angebantur. Quæ res ſuperiores Severi imperio, gratantes civi obtulerant; verteratque gratiam muneribus in perniciem poſterorum diſſimulatio: alteros Marcus Bojonius afflixerat mulcta, quod Hipparchum præſtanti ingenio indigenam fuiſſe ignoraviſſent. Fiſcales moleſtiæ ſeverius preſſæ: cunctaque divino ritui paria viderentur; ni parum dignis ad publica aditum conceſſiſſet. Quæ quamquam ſæpius accidere; tamen, *in ſummo ingenio, atque optimis Reipublicæ moribus, quamvis parva vitia, elucent magis; eoque notantur facile: quin etiam acrius ſæpe officiunt; cum ob auctoris decus in virtutes potiſſimum accipiuntur, atque ad imitandum invitamento ſunt.* Igitur confeſtim Dalmatius, incertum quo ſuaſore, interficitur: ſtatimque triennio poſt minimum maximumq; fatali bello Conſtantinus cadit. Qua Conſtans victoria tumidior; ſimul per ætatem cautus parum, atque animi vehemens: adhuc miniſtrorum pravitate exſecrabilis, atque præceps in avaritiam, deſpectumque militarium, anno poſt triumphum decimo, (80) MAGNENTII ſcelere circumventus eſt: externarum ſane gentium compreſſis motibus: quarum obſides pretio quæſitos pueros venuſtiores quod cultius habuerat; libidine hujusmodi arſiſſe pro certo habetur. Quæ tamen vitia utinam manſiſſent: namque Magnentii, ut pote gentis Barbaræ, diro atroque ingenio; ſimul his quæ poſt accidere, adeo exſtincta omnia ſunt; ut illud Imperium haud injuria deſideraretur. Tum quia (81) VETRANIO literarum prorſus expers, ingenio ſtolidior, idcircoque agreſti vecordia peſſimus, cum per Illyrios peditum magiſterio milites curaret; dominationem, ortus Mœſiæ ſuperioris locis ſqualidioribus, improbe occupaverat.

CAP. XLII. Eum CONSTANTIUS cis menſem decimum facundiæ vi dejectum imperio in privatum otium removit. Quæ gloria poſt natum imperium, ſoli proceſſit eloquio, clementiaque. Nam cum magna parte utrimque exercitus conveniſſent, habita ad ſpeciem judicii concione; quod fere vix aut multo ſanguine obtinendum erat, eloquentia patravit. Quæ res ſatis edocuit *non modo domi, verum militiæ quoque dicendi copiam reſtare: qua demum vel ardua proclivius eo conficiuntur, ſi modeſtia atque integritate ſuperet.* Quod maxime cognitum è noſtro Principe: quem tamen quo minus ſtatim in hoſtes alios ad Italiam contenderet, hiems aſpera, clauſæque Alpes tardavere. Interim Romæ corrupto vulgo; ſimul Magnentii odii Potentianus materna ſtirpe Flavio propinquus, cæſo Urbis præfecto, armataque gladiatorum manu Imperator fit. Cujus ſtolidum ingenium adeo Plebi Romanæ, Patribusque exitio fuit, uti paſſim domus, fora, viæ, templaque cruore, ac cadaveribus opple-

Marginal notes: Conſtantinus ſupplicium patibulorum removet. — Conſortium Imperii. U. C. 1067. p. C. N. 315. Criſpus, Conſtantinus & Licinianus Cæſares. — Rupta pace Licinius pellitur. Et cum Martiniano opprimitur. — Conſtantinus Imperator ſolus. Conſtantius Cæſar. — Calocerus rebellis. — Conſtans Cæſar. — Dalmatius Cæſar. — Conſtantinus Imperator moritur. U. C. 1089. p. C. N. 337. — Ejus memorabilia facta. — Dalmatius interficitur. — Conſtantinus cadit. U. C. 1092. p. C. N. 340. — Conſtans à Magnentio circumventus. U. C. 1102. p. C. N. 350. — Vetranio dominationem occupat. — Conſtantius Imperator. U. C. 1089. p. C. N. 337. — Vetranionem eloquentia imperio dejicit. — Competitores Conſtantii. Potentianus.

(*b*) al. refecti. (*i*) al. coaptato. (*k*) al. compeſciverat.

(74) Criſpus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 470. vide Tab. XXXII. num. 2.
(75) Conſtantinus) Junior nimirum. Cujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 473. vide Tab. XXXII. num. 3.
(76) Martiniano) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 458. vide Tab. XXXII. num. 4.
(77) Conſtantius) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 486. vide Tab. XXXII. num. 5.
(78) Conſtans) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 478. vide Tab. XXXII. num. 6.
(79) Dalmatio) vel Delmatio. Cujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 469. vide Tab. XXXII. num. 7.
(80) Magnentii ſcelere) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 482. vide Tab. XXXII. num. 8.
(81) Vetranio) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 486. vide Tab. XXXIII. num. 1.

opplerentur, bustorum modo: neque per eum tantum, verum etiam advolantibus Magnentianis: (*l*) qui tricesimo die, triduo minus, hostem perculerant. Sed jam antea cum externi motus suspectarentur; Magnentius fratri (82) DECENTIO Gallias; Constantius (83) GALLO, cujus nomen suo mutaverat, Orientem, Cæsarem commiserant. Ipse inter se acrioribus præliis per triennium congressi; ad extremum Constantius fugientem in Galliam persequutus varie ambos supplicio semet adegit interficere. Et interea Judæorum seditio, qui Patricium nefarie in regni specie sustulerant, oppressa. Neque multo post ob sævitiam atque animum trucem, Gallus Augusti jussu interiit. Ita longo intervallo annum fere post septuagesimum, relata ad unum cura Reipublicæ. Quæ recens quieta à civili trepidatione, Silvano in Imperium coacto, tentari rursus occœperat. Is namque Silvanus in Gallia ortus Barbaris parentibus, ordine militiæ simul à Magnentio ad Constantium transgressu, pedestre ad magisterium adolescentior meruerat. E quo dum altius per metum seu dementiam conscendisset; legionum, à quis præsidium speraverat, tumultu; octavum circa ac vicesimum diem trucidatus est. Qua causa ne quid apud Gallos natura præcipites novaretur, præsertim Germanis pleraque earum partium populantibus; JULIANUM Cæsarem: cognatione acceptum sibi Transalpinis præfecit: isque nationes feras brevi subegit, captis famosis regibus. Quæ quamquam in ejus fortuna, Principis tamen & consilio accidere. Quod adeo præstat, ut Tiberius, Galeriusque subjecti aliis egregia pleraque; suo autem ductu atque auspicio minus paria experti sint. At Julius Constantius, annos tres atque viginti Augustum imperium regens, cum externis motibus, modo civilibus exercetur, ægre ab armis abest. Quis tyrannide tantorum depulsa, sustentoque interim Persarum impetu, genti Sarmatarum, magno decore, (*m*) considens apud eos Regem dedit. Quod Cnæum Pompejum in Tigrane restituisse, vixque paucos majorum fecisse comperimus. Placidus, clemensque pro negotio: literarum ad elegantiam prudens; atque orandi (*n*) genere leni jucundoque: laboris patiens ac destinandi sagittas mire promptus: cibi omnis, libidinis, atque omnium cupidinum victor; cultu genitoris satis pius, suique nimis custos: gnarus *vita bonorum Principum Reipublicæ quietem regi*. Hæc tanta tamque inclyta, tenue studium probandis provinciarum ac militiæ rectoribus, simul ministrorum parte maxima absurdi mores: adhuc neglectus boni cujusque fœdavere. Atque uti verum absolvam brevi, ut Imperatore ipso clarius; ita Apparitorum plerisque magis atrox nihil.

Magnentius. Decentius. Patricius. Gallus. Silvanus. Oppressi omnes. Constantius Julianum Cæsarem facit, U. C. 1107, p. C. N. 355. Julius Constantius Imperator. Placidus, clemens, literarum prudens.

(*l*) Magnianis. (*m*) al. dedecore. (*n*) al. ornandi.

(82) Decentio) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 484. vide Tab. XXXIII. num. 2.
(83) Gallo) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 494. vide Tab. XXXIII. num. 3.



DE



M. Tyroff fec: Norimbergae.

DE VITA ET MORIBUS IMPERATORUM ROMANORUM, EXCERPTA EX LIBRIS SEXTI AURELII VICTORIS, (a)

A CÆSARE AUGUSTO *USQUE AD* THEODOSIUM *IMPERATOREM.*

CAPUT I.

Mos Romæ uni parendi.

ANno Urbis conditæ septingentesimo vigesimo secundo; ab exactis vero regibus quadringentesimo octogesimoque, mos Romæ repetitus uni prorsus parendi, pro Rege Imperatori vel sanctiori (b) nomine AUGUSTO appellato.

Octavianus Augustus. U.C. 721. Ol. 187. a. C. N. 32.

OCTAVIANUS igitur patre Octavio senatore genitus, maternum genus ab Ænea per Juliam familiam sortitus, adoptione vero CAJI Cæsaris majoris avunculi, Cajus Cæsar dictus, deinde ob victoriam AUGUSTUS cognominatus est.

Tribuniciam potestatem exercet. Eius res gestæ in Ægypto.

Iste in imperio positus, tribuniciam potestatem per se exercuit. Regionem Ægypti, inundatione Nili accessu difficilem, inviamque paludibus, in provinciæ formam redegit. Quam ut annonæ Urbis copiosam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas, labore militum patefecit. Hujus tempore ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur.

In Hispania & Germania.

Iste Cantabros & Aquitanos, Rhætos, (c) Vindelicos, Delmatas numero provinciarum Populi Romani (d) conjunxit. Suevos, Cattosque delevit, Sucambros in Galliam transtulit. Pannonios stipendiariis (e) adjecit. Getarum populos, Basternasque lacessitos bellis, ad concordiam compulit.

In Asia.

Huic Persæ obsides obtulerunt: creandique regis (f) arbitrium permiserunt. Ad hunc Indi, Scythæ, Garamantes, Æthiopes, legatos cum donis miserunt. Adeo namque turbas, (g) bella, simultates exsecratus est, ut, nisi justis de causis, numquam genti cuiquam bellum intulerit. Jactantisque esse ingenii & levissimi dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id est folia infructuosa, in discrimen per incertos eventus certaminum, securitatem civium præcipitare. Neque Imperatori bono quicquam minus quam *temeritatem* congruere. *Satis celeriter fieri, quidquid (b) commode geritur.* (i) ARMAQUE nisi majoris emolumenti (k) causa nequaquam movenda esse: ne compendio tenui, jactura gravi, petita victoria, similis sit hamo aureo piscantibus: cujus abrupti, amissique detrimentum, nullo capturæ lucro pensari

(a) al. Victorini. (b) al. severiori. (c) al. Rætos. al. Rhetos. al. Retos. (d) al. provinciarum numero populo Romano. (e) al. Stipendiarios. (f) al. creandi reges. (g) al. Adeo denique turbas. (h) al. *Quod.* (i) al. *gereretur.* (k) al. spei.

Nota) Quorum Imperatorum, Cæsarum & Tyrannorum in hac SEXTI AURELII VICTORIS Epitome omittimus vultus, illos quære in præcedente ejusdem Historia abbreviata de Cæsaribus, suis locis.

Trans Rhenum vastatum exercitum perdolet.

sari potest. Hujus tempore trans Rhenum vastatus est Romanus exercitus, atque tribuni & proprætor cæsus. Quod in tantum perdoluit, (*l*) ut cerebri valido incussu (*m*) parietem pulsaret, veste capilloque, ac reliquis lugentium indiciis deformis. Avunculi quoque inventum vehementer arguebat, qui milites commilitones, novo blandoque more appellans, dum affectat carior fieri, auctoritatem principis emolliverat. Denique erga cives clementissime versatus est. In amicos fidus extitit. Quorum præcipui erant ob taciturnitatem Mæcenas, ob patientiam laboris, modestiamque Agrippa. Diligebat præterea Virgilium. Rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. Liberalibus studiis, præsertim eloquentiæ in tantum incumbens, ut nullus, ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret. (*n*) Leges alias novas, alias correctas protulit suo nomine. Auxit, ornavitque Romam ædificiis multis, isto glorians dicto, *Urbem lateritiam reperi, relinquo marmoream.* Fuit mitis, gratus, civilis animi & lepidi, corpore toto pulcer, sed oculis magis. Quorum aciem clarissimorum siderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab intendentibus tamquam solis radiis aspectui suo. (*o*) A cujus facie cum quidam miles oculos averteret, & interrogaretur ab eo, *cur ita faceret*, respondit: *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum.* Nec tamen vir tantus vitiis caruit. (*p*) Fuit enim paullulum impatiens, leviter (*q*) iracundus, occulte invidus, palam factiosus: porro autem dominandi, supra quam æstimari potest, avidissimus, studiosissimus aleæ lusor. Cumque esset cibi ac vini multum, (*r*) aliquatenus vero somni abstinens, serviebat tamen libidini usque ad probrum vulgaris famæ. Nam inter duodecim catamitos, totidemque puellas accumbere (*s*) solitus erat. Abjecta quoque uxore Scribonia, amore alienæ conjugis possessus, Liviam quasi merito concedente sibi conjunxit. Cujus (*t*) Liviæ jam erant filii Tiberius & Drusus. Cumque esset luxuriæ serviens, erat tamen ejusdem vitii severissimus ultor, *more hominum qui in ulciscendis vitiis*, quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt. Nam & poëtam Ovidium, qui & Naso, pro eo, quod tres libellos amatoriæ artis conscripserat, exsilio damnavit. Quodque est læti animi, vel amœni, oblectabatur omni genere spectaculorum, præcipue ferarum incognita specie, & infinito numero. Annos septem & septuaginta ingressus, Nolæ morbo interiit. Quamquam alii scribant dolo Liviæ extinctum, metuentis, ne, quia privignæ filium Agrippam, quem odio novercali in insulam relegaverat, reduci compererat, eo summam rerum adepto, pœnas daret. Igitur mortuum, seu necatum, multis novisque honoribus Senatus censuit decorandum. (*u*) Nam præter id quod antea PATREM PATRIÆ dixerat, templa tam Romæ, quam per Urbes celeberrimas ei consecravit, cunctis vulgo jactantibus, *utinam aut non nasceretur, aut non moreretur.* Alterum [enim] pessimi incepti, exitus præclari alterum. Nam & in adipiscendo principatu oppressor libertatis est habitus, & in gerendo, cives sic amavit, ut tridui frumento in horreis quondam viso statuisset veneno mori, si è provinciis classes interea non venirent. Quibus advectis, felicitati (*x*) ejus, salus patriæ est attributa. Imperavit annos quinquaginta sex, duodecim cum Antonio, quadraginta & quatuor solus. Qui certe numquam aut Reipublicæ ad se potentiam traxisset, aut tamdiu ea potiretur, nisi magnis naturæ & studiorum bonis abundasset.

Clemens erga cives. In amicos fidus. Studiis liberalibus incumbit. Leges fert & corrigit. Urbem auget. Pulcher corpore. Ejus vitia. Scribonia. Livia. Ultor vitiorum accerrimus. Ovidium exilio damnat. Nolæ interit. Post mortem honoribus decoratur.

CAP. II. Claudius Tiberius Liviæ filius, Cæsaris Octaviani privignus imperavit annos viginti tres. Iste, quia Claudius Tiberius Nero dicebatur, eleganter à jocularibus, *Caldius Biberius Mero*, ob vinolentiam nominatus est. Satis prudens in armis, satisque fortunatus ante sumptum Imperium sub Augusto fuit: ut non immerito Reipublicæ dominatus ei committeretur. Inerat ei scientia literarum multa. Eloquio clarior; sed ingenio pessimo, truci, avaro, insidioso, simulans ea se velle, quæ nollet: his quasi infensus, quibus consultum cupiebat: his vero, quos oderat, quasi benivolus apparens. Repentinis responsionibus aut consiliis melior, quam meditatis. Denique delatum à Patribus principatum (quod quidem astu fecerat) (*y*) ficte abnuere, quid singuli dicerent, vel sentirent atrociter explorans: quæ res bonos quosque (*z*) pessum dedit. Æstimantes enim ex animo cum longa oratione imperialis molestiæ magnitudinem declinare, cum sententias ad ejus voluntatem promunt, incessere exitia postrema. Iste Cappadocas in provinciam, remoto Archelao Rege eorum, redegit. Getulorum latrocinia repressit. Maraboduum Suevorum Regem callide circumvenit. Cum immani furore insontes, [noxios] (*a*) suos pariter externosque puniret, resolutis (*b*) militiæ artibus, Armenia per Parthos, Mœsia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentibus direptæ sunt. Iste post septuagesimum (*c*) octavum annum, & mensem quartum, insidiis Caligulæ exstinctus est.

Claudius Tiberius Nero Imperator. U. C. 766. p. C. N. 14. Prudens in armis. Eloquio clarus. Principatum ficte abnuit. Ejus res gestæ. Insidiis exstinguitur.

CAP. III. CALIGULA imperavit annos quatuor. Iste filius Germanici, (*d*) quia natus in exercitu fuerat cognomentum calciamenti militaris, id est, *Caligulæ* sortitus est. Ante principatum omnibus carus, acceptusque fuit: in principatu vero talis, ut non immerito vulgaretur, atrociorem illo dominum non fuisse. Denique tres sorores suas stupro maculavit. Incedebat habitu deorum suorum: Jovem ob incestum, è choro autem (*e*) bacchanali,

Cajus Caligula Imperator. U. C. 789. p. N. C. 37. Ejus incestus. Jovem se dicit.

(*l*) al. Quod in tantum accidisse perdoluit. (*m*) al. incursu. (*n*) al. dictaret. (*o*) al. ab intuentibus tamquam solis radiis adspectu suo. (*p*) al. Nec tamen virtus vitiis caruit. (*q*) al. leniter. (*r*) al multi. (*s*) al. accubare. (*t*) al. Cui. (*u*) al. honorandum. (*x*) al. felicitate. (*y*) al. perfecerat. (*z*) al. quoque. (*a*) al. & noxios. (*b*) al. relictis. (*c*) al. post octogesimum. (*d*) al. Ipse filius fuit Germanici. (*e*) al. Jovem ob incestum inter matronas, choro autem &c.

Liberum.

chanali, *Liberum* se asserebat. De quo nescio an decuerit memoriæ prodi, nisi forte quia juvat de principibus nosse omnia, ut improbi saltem famæ metu talia declinent. In palatio matronas nobiles publicæ libidini subjecit. Primus diademate capiti imposito *Dominum* se jussit appellari. In spatio trium millium, quod in sinu Puteolano inter moles jacet, duplici ordine naves contexens, arenæ aggestu ad terræ speciem viam solidatam, phalerato equo insignis quercea corona, quasi triumphans indutus aureo paludamento, curru bijugi decurrit. Dehinc à militibus confossus interiit.

Et Dominum.

A militibus confoditur.

Claudius Tiberius Imperator. U.C. 793. p. C.N. 41.

CAP. IV. CLAUDIUS TIBERIUS, (*f*) Drusi, Tiberii fratris, filius, Caligulæ patruus, imperavit annos quatuordecim. Iste, cum Senatus censuisset, gentem Cæsarum exterminari, (*g*) deformi latebra latens (*h*) repertus à militibus, quia vecors erat, [&] mitissimus videbatur imprudentibus, Imperator, effectus est. Hic ventri, vino, libidini fœdæ (*i*) obediens, vecors & prope hebes, ignavus ac pavidus, libertorum & conjugis imperiis subjectus fuit. Hujus tempore Scribonianus Camillus intra Delmatias Imperator creatus, continuo occiditur. Mauri provinciis accessere. Cæsa Musulamiorum manus est. (*k*) Aqua Claudia Romæ inducta. (*l*) Hujus uxor Messallina primo [clam, mox] passim, quasi jure, adulteriis (*m*) utebatur. Ex quo facto plures metu abstinentes, exstincti sunt. Dehinc atrocius accensa, nobiliores quasque nuptas & virgines, scortorum modo secum proposuerat: coactique mares, ut adessent. Quod si quis talia horruerat, adficto crimine, in ipsum, omnemque familiam ejus sæviebatur: ut magis videretur sub Imperatore, viro quam Imperatori, nupta esse. Ita liberti ejus potestatem adepti, (*n*) stupris, exilio, cæde, proscriptionibus, omnia fœdabant. Ex quibus Felicem legionibus Judææ præfecit: POSIDIO (*o*) eunucho post triumphum Britannicum, inter militarium fortissimos, arma insignia tamquam participi victoriæ dono dedit. POLYBUM (*p*) inter Consules medium incedere fecit. Hos omnes anteibat NARCISSUS ab epistolis, dominum se gerens ipsius domini, Pallasque prætoriis ornamentis sublimatus, adeo divites, ut causante eo inopiam fisci, lepidissime famoso elogio vulgatum sit, *Abunde ei pecuniam fore, si à duobus libertis in societatem reciperetur.* Hujus temporibus visus est apud Ægyptum *Phœnix*, quam ferunt volucrem anno quingentesimo ex Arabia memoratos locos advolare: atque in Ægæo mari repente insula emersit. Hic Agrippianam Germanici fratris sui filiam uxorem duxit: quæ filio Imperium procurans, primo privignos insidiis multiformibus dehinc ipsum conjugem veneno interemit. Vixit annos sexaginta quatuor: cujus funus ut quondam in Tarquinio Prisco diu occultatum. Dum arte muliebri corrupti custodes ægrum simulant, Nero privignus ejus Imperii jura suscepit.

Libertorum & conjugis imperiis subjectus. *Ejus res gestæ.* *Messalina uxor.* *Ejus libido.* *Liberti ad summos honores producuntur.* *Phœnix videtur.* *Agrippina uxor Imperatoris Claudii.* *A qua veneno interemitur.*

Domitius Nero Imperator. U.C. 806. p. C.N. 54.

CAP. V. DOMITIUS NERO, patre Domitio Aënobarbo (*q*) genitus, matre Agrippina, imperavit annos tredecim. Iste quinquennio tolerabilis visus. Unde quidam prodidere, Trajanum solitum dicere, *procul distare cunctos principes* [à] *Neronis quinquennio.* Hic in Urbe amphitheatrum & lavacra construxit. Pontum in jus provinciæ, Polemonis reguli permissu redegit, à quo *Polemoniacus Pontus*, appellatus est: itemque Cottias Alpes, Cottio Rege mortuo. Eo namque dedecore reliquum vitæ egit, ut pudeat memorare hujuscemodi quemquam. Eo progressus est, ut neque suæ, neque aliorum pudicitiæ parcens, ad extremum amictus nubentium virginum specie, palam convocato Senatu dote dicta, cunctis festa de more frequentantibus, nuberet. Pelle tectus feræ, utrique sexui genitalia vultu contrectabat. Matrem etiam stupro contaminavit: quam postmodum interemit. Octaviam & Sabinam cognomento Poppæam, in matrimonium duxit, viris earum trucidatis. Tunc Galba in Hispania procul & Cajus (*r*) Julius Imperium corripuere. Ubi adventare Nero Galbam didicit, Senatusque sententia constitutum, ut more majorum collo in furcam conjecto, virgis ad necem cæderetur: desertus undique, noctis medio, egressus Urbem, sequentibus Phaone, (*s*) Epaphrodito, Neophytoque, (*t*) & spadone Sporo, quem quondam [Nero] exsectum formare in muliere tentaverat, semet ictu gladii transegit, adjuvante trepidantem manum impuro, de quo diximus, eunucho [Sporo:] cum sane prius nullo reperto, à quo feriretur, exclamaret, *Itane nec amicum habeo, nec inimicum: dedecorose vixi, turpius peream*, Periit anno ætatis tricesimo secundo. Hunc Persæ in tantum dilexerunt, ut legatos mitterent, orantes copiam construendi monumenta (*u*). Cæterum adeo cunctæ provinciæ omnisque Roma interitu ejus exsultavit, ut plebs induta pileis manumissionum, tamquam sævo exempta domino, triumpharet.

Quinquennio tolerabilis. *Magno dedecore reliquum vitæ agit.* *Matrem stupro contaminat.* *Octavia & Sabina Poppæa uxores.* *Desertus undique.* *Semet ictu gladii transigit.* *Magno gaudio Romanorum.*

Galba Imperator. U.C. 820. p. C.N. 68.

CAP. VI. GALBA nobili Sulpiciorum genere progenitus, imperavit menses septem, diesque totidem. Iste in adolescentes infamis, ad vescendum intemperans fuit: trium amicorum consilio, id est, Vinii, (*x*) Cornelii, & Iceli (*y*) cuncta disponens, adeo ut intra Palatinas ædes pariter habitarent, & vulgo Pædagogi dicerentur. Hinc ante sumptam nominationem multas provincias egregie administravit: militem severissime tractans, ita ut ingresso eo castra, vulgaretur statim, *Disce miles militare*, (*z*) *Galba est, non Gætulicus.* Cum septuagesimum tertium ætatis annum ageret, dum factione Othonis accensas regiones lorica tectus lenire contenderet, ad lacum Curtium cæsus est.

Ejus amici. *Provincias egregie administrat.* *Militem severe tractat.* *Occiditur.*

(*f*) al. Claudius Titus. (*g*) al. exterminare. (*h*) al. latere. (*i*) al. fœde. (*k*) al. Mauri provinciis à Cæsare pulsi: cæsa &c. al. Mauri provinciis à Cæsare cæsa insulanorum &c. (*l*) al. introducta. (*m*) al. adulteris. (*n*) al. potestatem summam adepti. (*o*) al. Possidonio. (*p*) al. Polybium. (*q*) Ahenobarbo. (*r*) al. in Hispania Proconsul & Cajus. (*s*) al. Faone. (*t*) al. Neophitoque. (*u*) al. monimenta. (*x*) al. Vinnii. al. Junii. (*y*) al. Icelij. (*z*) al. *Disce militare miles.*

Salvius Otho Imperator. U. C. 820. p. C. N. 68. Vita omni turpis. A Vittelio victus semet gladio transfigit.

CAP. VII. Salvius Otho splenditis ortus majoribus, ex oppido Ferentino, (*a*) imperavit menses quatuor, vita omni turpis, maxime adolescentia. Hic à Vitellio primum apud Placentiam, dehinc apud Bebriacum (*b*) victus, semet gladio transfixit anno ætatis tricesimo septimo. Adeo amabilis militibus propriis, ut plerique corpore ejus viso, suis manibus interierint.

Vitellius Imperator. U. C. 821. p. C. N. 69. Crudelis, avarus & profusus.

CAP. VIII. Vitellius ortus familia nobili, patre Lucio Vitellio ter Consule, imperavit menses octo. Iste mente crudelis (*c*) avarusque cum profusione fuit. Hujus tempore Vespasianus in Oriente principatum arripuit: à cujus militibus certamine sub muris Urbis habito, superatus, è palatio, quo se abdiderat Vitellius, vinctis (*d*) à tergo manibus, productus, circumducitur ad spectaculum vulgi. Ac ne homo imprudens, in extremis saltem, malorum, quæ gesserat, rubore faciem demitteret, subjecto in mentum gladio, seminudus, multis cœno, fimo, & ceteris turpioribus dictu, purgamentis, vultum ejus incessentibus, per scalas Gemonias trahitur: ubi Sabinum Vespasiani fratrem necari permiserat. Numerosis ictibus cofossus interiit. Vixit annos quinquaginta septem. Hi omnes, quos paucis attigi, præcipue Cæsarum gens, adeo literis culti, atque eloquentia fuere, ut ni cunctis vitiis, absque Augusto, nimii forent, (*e*) profecto texissent (*f*) immodica (*ff*) flagitia.

A Vespasiano superatus. Per scalas Gemonias trahitur.

Vespasianus Imperator. U. C. 821. p. C. N. 69. Amicorum motus fert patienter.

CAP. IX. Vespasianus imperavit annos decem. Hujus inter cetera bona illud singulare fuit, inimicitias oblivisci, adeo, ut Vitellii hostis sui filiam locupletissime dotatam, splendidissimo conjungeret viro. Ferebat patienter amicorum motus, (*g*) contumeliis eorum, ut erat facetissimus, [dictis] jocularibus respondens. Namque Licinium Mucianum, (*h*) quo adjutore Imperium pervenerat, fiducia meritorum insolentem, lepidem flectebat, adhibito aliquo utrique familiari, id unum dicens. *Nosti me virum esse.* Sed quid mirum in amicis, cum etiam causidicorum obliqua dicta, & philosophorum contumaciam contemneret? Iste exsaguem diu, fessumque terrarum orbem brevi refecit. Namque primum satellites tyrannidis, nisi qui forte atrocius longe processerant, flectere potius maluit, quam excruciatos delere, prudentissime ratus, nefaria ministeria à pluribus metu curari. Præterea legibus æquissimis monendo, quodque vehementius est, vitæ specie, vitiorum plura aboleverat. Infirmus tamen, uti quidam prave putant, adversus pecuniam, cum satis constet ærarii inopia, & clade urbium, novas eum neque postea habitas vectigalium pensiones exquisivisse. Hic Romam deformem incendiis veteribus ac ruinis, permissa, si domini deessent, volentibus ædificandi copia, Capitolium, ædem Pacis, Claudii monumenta reparavit: multaque nova instituit. Per omnes terras, qua jus Romanum est, renovatæ urbes cultu egregio: viæ operibus maximis munitæ sunt. Tunc cavati montes per Flaminiam sunt prono transgressu, (*i*) quæ vulgariter Pertusa (*k*) Petra vocitatur. Mille gentes compositæ, cum ducentas ægerrime reperisset, exstinctis sævitia tyrannorum plerisque. Rex Parthorum Vologeses metu solo in pace (*l*) coactus est. Syria seu Palæstina, nec non Cilicia Trachea, & Commagene, (*m*) quam hodie Augustophratensem nominamus, provinciis accessere. Judæi quoque additi sunt. Hic monentibus amicis, ut caveret à Metio Pomposiano, de quo sermo percrebuerat regnaturum, Consulem fecit, alludens tali cavillo, *quandoque memor erit tanti beneficii.* Institutum vero uniforme omni Imperio tenuit. Vigilare de nocte, publicisque actibus absolutis caros admittere, dum salutatur calceamenta sumens & regium vestitum. Post autem negotiis quæcumque advenissent, auditis, exerceri vectatione, deinde requiescere: postremo ubi lavisset, remissiore animo convivium curabat. Plura dicere studium coegit Imperatoris boni, quem ab Augusti morte post annos sex & quinquaginta, Romana respublica exsanguis sævitia tyrannorum, quasi fato quodam, ne penitus rueret, assequuta est. Itaque annum agens vitæ absque uno septuagesimum, feriis joca, quibus delectabatur, admiscens, interiit. Quippe primo cum crinitum sidus apparuisset, *Istud*, inquit, *ad Regem Persarum pertinet, cui capillus effusior.* Deinde, ventris eluvie fessus, & assurgens, *Stantem*, ait, *Imperatorem excedere terris decet.*

Causidicorum dicta contemnit. Clemens. Et justus. Nova vectigalia exquirit. Romam reparat. Vologesem in pacem cogit. Res gestæ in Asia. Ejus modus vivendi. Moritur. Ejus jocosetia.

Titus Vespasianus Imperator. U. C. 831. p. C. N. 79. Studiis deditus. Ejus virtutes. Berenice. Dimittitur.

CAP. X. Titus vocabulo patris etiam Vespasianus dictus, matre liberta Domitilla nomine genitus, imperavit annos duos, & menses duos, diesque viginti. Iste à puero præclaris studiis, probitatis, militiæ, literarum instatissime deditus, quo contenderit, animi & corporis muneribus ostendit. Hic ubi patriæ curam suscepit, incredibile est, quantum quos imitabitur, anteierit, præcipue clementia, liberalitate, honorificentia, ac pecuniæ contemptu: quæ eo amplius grata fuere, quod ex nonnullis à privato adhuc patratis, (*n*) asperior, luxuriæ & avaritiæ amans credebatur fore. (*o*) Namque præfecturam prætorianam patre imperante adeptus, suspectum quemque & oppositum sibi, immissis, qui per theatra & castra invidiosa jactantes ad pœnam poscerent, quasi criminis convictos oppressit. In quibus (*p*) Cæcinam (*q*) consularem adhibitum cœnæ, vix dum triclinio egressum, ob suspicionem stupratæ Berenices (*r*) uxoris suæ, jugulari jussit. Jurgia autem sub patre venumdata rapinarum cupidum: unde Neronem cuncti vocantes opinantesque (*s*) summam rerum nactum graviter acceperant. Sed hæc in melius conversa adeo ei immortalem gloriam contulere, ut deliciæ atque amor humani generis appellaretur. Denique ut subiit pondus regium, Berenicem nuptias suas sperantem, regredi domum, & enervatorum greges abire præce-

(*a*) al. Ferentano. (*b*) al. Betriacum. (*c*) al. iste tumens, crudelis. (*d*) al. vinctus. (*e*) al. dediti forent. (*f*) al. traxissent. (*ff*) al. modica. (*g*) al. monitus. (*h*) al. Mutianum. (*i*) al. transgressui. (*k*) al. pertunsa. (*l*) in pacem. (*m*) al. Syria cui Palæstina nomen est, Ciliciaque ac Trachia & Comagene. (*n*) al. paratis. (*o*) al. luxuriæque & avaritiæ amans credebatur. (*p*) al. in queis. (*q*) al. Cæcinnam. (*r*) al. Berenicis. (*s*) al. opinantes vocantesque.

præcepit. Quo facto, quasi signum protulit mutatæ intemperantiæ. Dehinc cum donata (*t*) concessave à prioribus principibus firmare insequentes solerent simul [ut] Imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cavit. Quadam etiam die, recordans vesperi nihil se cuiquam præstitisse, venerando cœlestique dicto *Amici*, ait, *perdidimus diem:* quia erat magnificæ liberalitatis. Clementiam vero usque eo perduxit amplissimi ordinis duo cum adversus eum conjurassent: neque abnuere cogitatum scelus quirent, monuerit primo: post deductos (*u*) in spectaculum secum, utrimque assidere jusserit: petitoque ex industria Mirmillonum, quorum pugnæ visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri commiserit: quibus perculsis & constantiam mirantibus diceret. *Videtisne potestates* (*x*) *fato dari, frustraque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu?* Fratrem quoque Domitianum parantem insidias, militumque animos sollicitantem, flens sæpius obtestatus est, *ne parricidio assequi cuperet: quod & se volente esset obventurum ei, & jam haberet, cum sit particeps potestatis:* Hujus tempore mons Vesuvius in Campania ardere cœpit: incendiumque Romæ sine nocturna requie per triduum fuit. Lues quoque, quanta vix umquam antea, (fuit.) Quibus malis nonnullis vexatis, (*y*) pecunia propria subvenit, cunctis remediorum generibus, non ægrotantes per semetipsum reficiens, nunc consolans suorum mortibus afflictos. Vixit annos quadraginta unum: & in eodem, quo pater, apud Sabinos agro, febri interiit. Hujus mors, credi vix potest, quantum luctus Urbi, provinciisque intulerit, adeo, ut eum *delicias publicas*, sicut diximus, appellantes, quasi perpetuo custode orbatum terrarum orbem deflerent.

Ejus Liberalitas.

Malis nonnullis vexatur.

Febri interit.

CAP. XI. DOMITIANUS VESPASIANI & DOMITILLÆ libertæ filius, germanus Titi, imperavit annos quindecim. Iste primo clementiam simulans, neque adeo iners, domi bellique tolerantior videbatur: idcircoque Cattos Germanosque devicit. Jus æquissime dixit. Romæ multa ædificia vel cœpta, vel à fundamentis construxit. Bibliothecas incendio consumptas, petitis undique, præsertim Alexandria, exemplis, reparavit. Sagittarum tam doctus fuit, ut inter patentes digitos extentæ manus viri procul positi spicula ejus transvolarent. Dehinc atrox cædibus, bonorum supplicia agere cœpit: ac more Caligulæ *Dominum* sese *Deumque* dici coëgit: segnisque (*z*) ridicule, remotis omnibus, muscarum agmina persequebatur. Furens libidine: cujus fœdum exercitium, Græcorum lingua κλινοπάλην vocabat. Hinc percontanti cuidam, *quisnamne in palatio esset*, responsum [est,] *Ne musca quidem.* His ejus sævitiis, ac maxime injuria verborum, qua [se] scortum vocari dolebat, accensus Antonius, curans Germaniam superiorem, Imperium corripuit. Quo per Norbanum Appium (*a*) acie strato Domitianus longe tetrior, in omne hominum genus, etiam in suos, ferarum more grassabatur. Igitur metu crudelitatis, & conscientiæ suæ conjuravere plerique, impulsoribus Parthenio procurante cubiculum, & Stephano, & tum ob fraudem interceptæ pecuniæ supplicium suspectante, Clodiano, adscita etiam in consilium tyranni uxore Domitia, ob amorem Paridis histrionis à principe cruciatus formidante. Domitianum multis vulneribus confodiunt, post annum quintum & quadragesimum vitæ. At Senatus gladiatoris more funus efferri, radendumque nomen decrevit. Hujus tempore sæculares ludi celebrati sunt.

Domitianus Imperator. U. C. 833. p. C. N. 81.

Ejus res gestæ.

Sævitia.

Et libido.

Domitia uxor.

Multis vulneribus confoditur.

Ludi sæculares.

Hactenus Romæ, seu per Italiam orti Imperium rexere: hinc advenæ. Unde compertum est, Urbem Romam externorum virtute crevisse. Quid enim Nerva prudentius aut moderatius? quid Trajano divinius? quid præstantius Adriano?

CAP. XII. COCCEJUS NERVA, oppido Narniensi genitus, imperavit menses tredecim, (*b*) dies decem. Iste cum Imperium suscepisset, mox rumore orto, vivere atque affore Domitianum, perinde trepidavit, ut colore mutato, verbis amissis, (*c*) vix consisteret. Sed à Parthenio confirmatus, recepta fiducia, ad solemne delenimentum conversus est. Qui cum in curiam à Senatu gratanter exceptus esset, solus ex omnibus Arrius Antoninus (*d*) vir acer, eique amicissimus conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, *gratulari se*, ait, *Senatui & populo, provinciisque; ipsi autem nequaquam: cui satius fuerat malos semper principes eludere, quam tanti oneris vim sustinentem, non molestiis* (*e*) *modo & periculis subjici, sed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum: qui cum se mereri omnia præsumunt, si quidquam non extorserint, atrociores sunt ipsis quoque hostibus.* Iste quidquid antea pœnæ nomine tributis accesserat, indulsit: afflictas civitates relevavit: puellas, puerosque natos parentibus egestosis (*f*) sumptu publico per Italiæ oppida ali jussit. Hic ne accessum malignorum (*g*) terreret, Junii Maurici constantis viri dicto (ita) admonetur. Qui convivio familiari adhibitus, cum Vejentonem, consulari honori functum quidem apud Domitianum, tamen multos occultis criminationibus persequutum, adesse vidisset; inter colloquia mentione Catulli facta calumniatoris præcipui, dicente Nerva, *Quid nunc faceret, si Domitiano supervixisset? Nobiscum*, inquit Mauricus, *cœnaret.* Hic jurgiorum disceptator & scientissimus & frequens fuit. Calpurnium Crassum, promissis ingentibus animos militum pertentantem, detectum, confessumque, Tarentum cum uxore removit, Patribus lenitatem ejus increpantibus. Cumque interfectores Domitiani ac exitium poscerentur, tantum est consternatus ut neque vomitum, neque impetum ventris valeret differre. Et tamen vehementer obstitit, dictitans *æquius esse mortem subire, quam auctoritatem Imperii fœdare, proditis*

Coccejus Nerva Imperator. U. C. 848. p. C. N. 96.

A Senatu gratanter excipitur.

Ejus clementia.

Interfectoribus Domitiani ad exitium postulantis, consternatur.

(*t*) al. damnata. (*u*) al. eductos. (*x*) al. *Potestatem.* (*y*) al. Quibus tamen malis nullo vexato. (*z*) al. dignisque. (*a*) al. Narbonum Lappium. (*b*) al. Menses XVI. & dies X. (*c*) al. amicis. (*d*) al. Arius Antonius. (*e*) al. *haud molestiis.* (*f*) al. egestuosis. (*g*) al. accessu malivolorum.

ditis potentiæ ſumendæ auctoribus. Sed milites neglecto principe, requiſitos, Petronium [Stephanum] uno ictu: Parthenium vero demptis prius genitalibus, & in os conjectis, jugulavere, redempto magnis ſumptibus Caſperio: qui ſcelere tam truci inſolentior, Nervam compulit referre apud populum (*h*) gratias militibus, quia nefandos peſſimoſque (*i*) omnium mortalium peremiſſent. Hic Trajanum in liberi locum, inque partem Imperii adoptavit: (*k*) cum quo tribus vixit menſibus. (*l*) Qui dum ſuggerente ira, voce quam maxima, contra quendam Regulum nomine inclamaret, ſudore correptus eſt. Quo refrigeſcente, horror capitis nimius initium febri fuit: nec multo poſt, vitam finivit, anno ætatis ſexageſimo tertio. Cujus corpus à Senatu quondam Auguſto honore delatum in ſepulcro Auguſti ſepultum eſt. (*m*) Eoque die quo interiit, ſolis defectio facta eſt.

Trajanum adoptat. — Vitam finit. — Auguſte ſepelitur.

CAX. XIII. Ulpius Trajanus ex Urbe Tudertina, *Ulpius* ab avo dictus, *Trajanus* à Trajo paterni generis auctore, vel de nomine Trajani patris ſic appellatus, imperavit annis viginti. Iſte talem ſe Reipublicæ præbuit, qualem vix ægreque exprimere valuerunt ſummorum ſcriptorum miranda ingenia. Hic Imperium apud Agrippinam nobilem Galliæ coloniam ſuſcepit, habens diligentiam in re militari, in civilibus lenitatem, in ſublevandis civitatibus largitionem. Cumque duo ſint, quæ ab egregiis principibus expectentur, SANCTITAS DOMI, IN ARMIS FORTITUDO, UTROBIQUE PRUDENTIA: tantus erat in eo maximarum rerum modus, ut quaſi temperamento quodam virtutes miſcuiſſe videretur: niſi quia cibo, vinoque paullulum deditus erat. Liberalis in amicos: & tamquam vitæ conditione par, ſocietatibus perfrui. Hic ob honorem Suræ, cujus ſtudio Imperium arripuerat, lavacra condidit. De quo ſupervacaneum videtur cuncta velle nominatim prodere, cum ſatis ſit excultum atque emendatum dixiſſe. Fuit enim patiens laboris, ſtudioſus optimi cujuſque, ac bellicoſi: magis [que] ſimpliciora ingenia aut eruditiſſimos, quamvis ipſe parcæ eſſet ſcientiæ, moderateque eloquens, diligebat. Juſtitiæ vero, ac Juris humani Divinique, tam repertor novi, quam inveterati cuſtos. Quæ omnia eo majora viſebantur, quo [niam] per multos atque atroces tyrannos perdito atque proſtrato ſtatu Romano, in remedium tantorum malorum divinitus credebantur opportune datus; (*n*) uſque eo, ut adveniens Imperium ejus pleraque mirificia denuntiaverint. In quibus præcipuum, cornix è faſtigio Capitolii Atticis ſermonibus effata, καλῶς ἔςαι. Hujus exuſti corporis cineres relati Romam, humatique Trajani foro ſub ejus columna: & imago ſuperpoſita, ſicuti triumphantes ſolent, in Urbem invecta, Senatu præeunte & exercitu. Eo tempore, multo pernicioſius, quam ſub Nerva, Tiberis inundavit, magna clade ædium: & terræ motus gravis per provincias multas, atroxque peſtilentia, fameſque & incendia facta ſunt. Quibus omnibus Trajanus per exquiſita remedia plurimum opitulatus eſt; ſtatuens, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumptus, ſi quando talia contingerent, exitioſos. Unde merito PATER PATRIÆ dictus eſt. Vixit annos ſexaginta quatuor.

Ulpius Trajanus Imperator. U. C. 850. p. C. N. 98. — Ejus laudes. — Ob virtutes. — Liberalitas. — Diligentia. — Jurisprudentia. — Exuritur. — Humatur. — Pater Patriæ dicitur.

CAP. XIV. Ælius Adrianus ſtirpis Italicæ, (*o*) Ælio Adriano Trajani principis conſobrino Adriæ orto genitus, quod oppidum agri Piceni, etiam mari Adriatico nomen dedit, imperavit annis viginti (*p*) duobus. Hic Græcis literis impenſius eruditus, à pleriſque *Græculus* appellatus eſt. Athenienſium ſtudia, moreſque hauſit (*q*) non ſermone tantum, ſed & ceteris diſciplinis, canendi, pſallendi, medendique ſcientia, muſicus, geometra (*r*) pictor, fictor (*s*) ex ære vel marmore proxime Polycletos & Euphranoras. Perinde omnino ad iſta erat factus, ut elegantius numquam quidquam (*t*) humanæ res expertæ videantur. Memor ſupra quam cuiquam credibile eſt, locos, negotia, milites, abſentes quoque nominibus recenſere. Immenſi laboris, quippe qui provincias omnes pedibus (*u*) circumierit, agmen comitantium prævertens, cum oppida univerſa reſtitueret, augeret ordinibus. Namque ad ſpecimen legionum militarium, fabros, perpendiculatores, architectos, genuſque cunctum exſtruendorum mœnium, ſeu decorandorum in cohortes centuriaverat. Varius, multiplex, multiformis: ad vitia atque virtutes quaſi arbiter genitus, impetum mentis quodam artificio regens, ingenium invidum, triſte, laſcivum, & ad oſtentationem ſui inſolens, callide regebat, continentiam, facilitatem, clementiam ſimulans, contraque diſſimulans ardorem gloriæ, (*x*) quo flagrabat. Acerrimus (*y*) ad laceſſendum pariter & reſpondendum ſeriis, joco, maledictis: referre carmen carmini, dictum dicto: prorſus ut meditatum crederes adverſus omnia. Hujus uxor Sabina, dum prope ſervilibus injuriis afficitur, ad mortem voluntariam compulſa eſt. Quæ palam jactabat, *quam immane ingenium pertuliſſet: & laboraſſe,* (*z*) *ne ex eo ad humani generis perniciem gravidaretur.* Hic morbo ſubtercutaneo, (*a*) quem diu placide pertulerat, victus, dolore ardens, (*b*) impatientiſque, plures è Senatu exſtinxit. A Regibus multis pace occultis (*c*) muneribus impetrata, jactabat palam *plus ſe otio adeptum, quam armis ceteros.* Officia ſane publica, & palatina, nec non militiæ in eam formam ſtatuit, quæ paucis per Con-

Ælius Adrianus Imperator. U. C. 869. p. C. N. 117. — Athenienſium ſtudia & mores hauſit. — Felicis memoriæ. — Et immenſi laboris eſt. — Ad vitia & virtus quaſi arbiter genitus. — Simulator & Diſſimulator. — Sabina uxor. — Morbo ſubtercutaneo conſumitur.

(*h*) al. ad populum. (*i*) al. quod peſſimos nefandoſque. (*k*) al. cooptavit. (*l*) al. annis. (*m*) al. quondam Auguſti honore delato in ſepulcro Auguſto &c. (*n*) al. electus (*o*) al. Italiæ. (*p*) al. XII. (*q*) al. auxit. (*r*) al. muſicis, geometria. (*s*) al. fictorque. al. fictor æmulatorque. (*t*) al. proinde omnino ad iſta & facetus, ut elegantius umquam raro quidquam &c. (*u*) al. paſſibus, (*x*) al. clementiam ſimulans ardore gloriæ. (*y*) al. Acer nimis. (*z*) al. *Quæ palam jactabat ſe, quod immane ingenium probaviſſet, elaboraſſe* &c. (*a*) al. ſuccutaneo. (*b*) al. arduus. (*c*) al. occultius.

Constantinum immutatis hodie perseverat. (*d*) Vixit annos sexaginta duos: dehinc miserabili exitu consumptus est, cruciatu membrorum fere omnium confectus, in tantum ut crebro sese interficiendum ministrorum fidissimis precans offerret: ac ne in semetipsum sæviret, custodia carissimorum servaretur.

Antoninus Pius Imperator. U. C. 890. p. C. N. 138.

CAP. XV. ANTONINUS FULVIUS, seu Bojonius dictus, postea etiam Pius cognominatus, imperavit annos viginti tres. Iste ab Adriano in filium adoptatus, cujus gener fuerat, tantæ bonitatis in principatu fuit, ut haud dubie sine exemplo vixerit. Quamvis eum Numæ contulerit ætas sua, cum orbem terræ nullo bello per annos viginti tres auctoritate sola rexerit, adeo trementibus eum atque amantibus cunctis Regibus, nationibusque, & populis, ut Parentem seu Patronum magis quam Dominum Imperatoremve reputarent: (*e*) omnesque uno ore in cœlestium morem (*f*) propitium optantes, de controversiis inter se judicem poscerent. Ad quem etiam Indi, Bactri, (*g*) Hyrcani legatos misere, justitia tanti Imperatoris comperta, quam ornabat vultu sereno & pulcro, (*h*) procerus membra, decenter validus. Priusquam salutandus prodiret, degustans panis aliquantulum, (*i*) ne frigescente circum præcordia per jejunium sanguine, viribus exesis interciperetur, eoque actuum publicorum laboribus minime sufficeret. (*k*) Quæ incredibili diligentia ad speciem optimi patrisfamilias exsequebatur. Appetentia gloriæ carens, & ostentatione: adeo mansuetus, ut instantibus (*l*) Patribus ad eos qui contra eum conjuraverant, persequendos, compresserit quæstionem, præfatus, necesse non esse, sceleris in semetipsum Cupidos, pertinacius indagari: ne si plures reperirentur, quantis odio esset, intelligeretur. Igitur cum esset annorum septuaginta duorum apud Lorios villa propria, millibus passuum duodecim ab Urbe, febri paucorum dierum post tres atque viginti annos Imperii consumptus est. Ob cujus honorem, templa, sacerdotes atque infinita alia decreta sunt. Usque eo autem mitis fuit, ut cum ob inopiæ frumentariæ suspicionem lapidibus à plebe Romana perstringeretur, maluerit ratione exposita placare, quam ulcisci seditionem.

Sine exemplo vivit.

Justitiam vultu ornat.

Ejus diligentia.

Clementia.

Febri consumitur.

Marcus Antoninus Imperator. U. C. 913. p. C. N. 161.

CAP. XVI. MARCUS autem ANTONINUS (*m*) imperavit annos decem & octo. Iste virtutum omnium, cœlestisque ingenii exstitit, ærumnisque publicis (*n*) quasi defensor objectus est. Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profecto quasi uno lapsu ruissent omnia status Romani. Quippe ab armis nusquam quies (*o*) erat: perque omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliamque bella fervebant: terræmotus non sine interitu civitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locustarum species agris infestæ, prorsus, ut prope nihil, (*p*) quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod non illo imperante sævierit. Credo divinitus attributum ut dum mundi lex, seu natura aliudve quid (*q*) hominibus incognitum ea mala gignit, rectorum consiliis tamquam medicinæ remediis leniatur.

Ejus res gestæ.

Is propinquum suum, LUCIUM ANNIUM (*r*) VERUM, ad Imperii partem novo benivolentiæ genere adscivit. Qui Verus inter Altinum atque Concordiam (*s*) iter faciens, ictu sanguinis, quem morbum Græci ἀπόπληξιν vocant, undecimo Imperii anno exstinctus est. Carminum maxime [Tragicorum] studiosus, ingenii aspero atque lascivi. Post cujus obitum Marcus Antoninus Rempublicam solus tenuit. A principio vitæ tranquillissimus, adeo, ut ab infantia [vultum] nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaverit. Philosophiæ studens, literarumque Græcarum peritissimus. Hic permisit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu, quo ipse, & ministris similibus, exhiberent. Hi cum ærario exhausto, largitiones, quas militibus impenderet, non haberet, neque indicere provincialibus, aut Senatui aliquid vellet: instrumentum regii cultus, facta in foro Trajani sectione, distraxit, vasa aurea, pocula crystallina & murrhina, uxoriam ac suam sericam & auream vestem multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menses venditio habita est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emptoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt. Molestus nulli fuit, qui maluit semel empta retinere. Hujus tempore Cassius tyrannidem arripiens, exstinctus est. Ipse vitæ anno quinquagesimo nono, apud Vendobonam morbo consumptus est. De ejus morte nuntio Romam pervecto, confusa luctu publico Urbe, Senatus in curia veste tetra amictus (*t*) lacrymans convenit. Et quod de Romulo ægre creditum est, omnes pari sensu (*u*) præsumpserunt, Marcum cœlo receptum esse. Ob cujus honorem templa, columnæ, multaque (*x*) alia decreta sunt.

Lucium Annium Verum in Imperii partem adscifcit.

Vultum numquam mutat. Philosophiæ & Græcis literis studet.

Regii cultus Instrumentum distrahit.

Morbo exstinguitur.

Maximo dolore Romanorum.

Aurelius Commodus Imperator. U. C. 932. p. C. N. 180.

CAP. XVII. AURELIUS COMMODUS Marci Antonini filius, Antoninus & ipse dictus, imperavit annos tredecim. Hic qualis futurus esset, in ipso primordio ostendit. Nam cum in supremis moneretur à parente, *attritos jam Barbaros ne permitteret vires recipere*; respondit, *Ab incolumi quamvis paullatim*, (*y*) *negotia perfici posse; à mortuo* [*vero*] *nihil*. Sævior omnibus libidine atque avaritia, crudelitate. Nulli fidus: magisque in eos atrox, quos amplissimis honoribus donisque ingentibus extulerat. In tantum depravatus, ut gladiatoriis armis sæpissime in amphitheatro dimicaverit. Huic Marcia generis libertini, forma tamen meretriciisque artibus pollens, cum animum ejus penitus devinxisset, egresso è balneo, veneni poculum obtulit. Ad extremum ab im- misso

Sævus.

Infidus.

Gladiator.

A Palestrita

(*d*) al. perseverant. (*e*) al. Imperatorem vere putarent. (*f*) al. in morem cœlestium. (*g*) al. Bactriani. (*h*) al. vultu serie pulcro &c. (*i*) al. aliquantum. (*k*) al. eoque actui publicorum minime sufficeret. (*l*) al. instigantibus. (*m*) al. M. Aur. Antoninus. (*n*) al. plurimis. (*o*) al. quies nunquam. (*p*) al. locustarum species infestæ prorsus; ut nihil &c. (*q*) al. aliunde quid. (*r*) al. Annæum. (*s*) al. Qui Veronam inter atque Concordiam. (*t*) al. veste trita indutus. (*u*) al. consensu. (*x*) al. columnæ, sacerdotes, multaque. (*y*) al. *incolumi vis paullatim*.

comprimitur. miſſo validiſſimo palæſtrita, compreſſis faucibus exſpiravit, anno vitæ tricesimo ſecundo.

Helvius Pertinax Imperator. U. C. 945. p. 193.

CAP. XVIII. HELVIUS PERTINAX imperavit dies octoginta quinque. Iſte coactus [imperavit:] repugnanſque Imperium ſuſcipiens, tale cognomentum ſortitus eſt. Origine gentis ſordida, (z) præfecturam Urbi agens Imperator effectus, ſcelere Juliani multis vulneribus obtruncatur, annos natus ſeptem atque ſexaginta. Hujus caput tota Urbe circumvectum eſt. Hoc exitu obiit vir ad humanæ converſationis exemplum per laboris genera univerſa aſſumptus, provectuſque eo, (a) ut *Fortunæ* vocaretur *Pila.* Nam libertino genitus patre apud Ligures in agro ſqualido Lollii Gentiani, cujus in præfectura quoque clientem ſe eſſe libentiſſime fatebatur, fuit doctor litterarum, quæ à Grammaticis traduntur. Blandus magis quam beneficus. Unde eum Græco nomine Χρηςόλογον (b) appellavere. Numquam injuria accepta ad ulciſcendum ductus. Amabat ſimplicitatem: communem (c) ſe affatu, convivio, inceſſu præbebat. Huic mortuo *Divi* nomen decretum eſt: ob cujus laudem ingeminatis ad vocis uſque defectum, plauſibus, acclamatum eſt, *Pertinace imperante ſecuri viximus: neminem timuimus. Patri pio, Patri Senatus, Patri omnium bonorum.*

Obtruncatur. Fortunæ pila vocatur. Χρηςόλογος. Et Divus. Ejus laus.

Didius Julianus Imperator. U. C. 945. p. C. N. 193.

CAP. XIX. DIDIUS JULIANUS, ortu Mediolanenſis, imperavit menſibus ſeptem. Vir nobilis, jure peritiſſimus, factioſus, præceps, regni avidus. Hoc tempore Niger Peſcennius (d) apud Antiochiam; in Pannoniæ Sabaria Septimius Severus, creantur Auguſti. Ab hoc Severo Julianus in abditas palatii balneas ductus, extenta damnatorum modo cervice, decollatur: caputque ejus in roſtris ponitur.

Alii Auguſti. Decollatur.

Septimius Severus Imperator. U. C. 945. p. C. N. 193.

CAP. XX. SEPTIMIUS SEVERUS imperavit annos decem & octo. Hic Peſcennium interemit, hominem omnium turpitudinum. Sub eo etiam ALBINUS, qui in Gallia ſe Cæſarem fecerat, apud Lugdunum occiditur. Hic Severus filios ſuos ſucceſſores reliquit, BASSIANUM & GETAM. Hic in Britannia vallum per triginta duo paſſuum millia à mari ad mare deduxit. Fuit bellicoſiſſimus omnium, qui ante eum fuerunt. Acer ingenio, ad omnia quæ intendiſſet, in finem perſeverans. Benivolentia, quo inclinaſſet, mirabili ac perpetua. Ad quærendum diligens; ad largiendum liberalis. In amicos, inimicoſque pariter vehemens: quippe qui Lateranum, Cilonem, Anulinum, Baſſum, cæteroſque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis: quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur, ac Laterani. Hic nulli in dominatu ſuo permiſit honores venumdari. Latinis literis ſufficienter inſtructus, Græcis ſermonibus eruditus. Punica eloquentia promptior, quippe genitus apud Leptim provinciæ Africæ. Is dum membrorum omnium, maxime pedum, dolorem pati nequiret; veneni vice, quod ei negabatur, cibum gravis ac plurimæ carnis avidius invaſit: quem cum conficere non poſſet, cruditate (e) preſſus, (f) expiravit. Vixit annos ſexaginta quinque.

Anti Cæſares occidit. Filios ſuos ſucceſſores relinquit. Ejus res geſtæ. Bellicoſus. Acer ingenio. In amicos, inimicoſque vehemens. Honores venumdari non patitur. Literis eruditus. Moritur.

Aurelius Antoninus Caracalla Imperator. U. C. 963. p. C. N. 211.

CAP. XXI. AURELIANUS ANTONINUS BASSIANUS CARACALLA Severi filius Lugduni genitus, imperavit ſolus annos ſex. Hic Baſſianus ex avi materni nomine dictus eſt. At cum è Gallia veſtem plurimam devexiſſet, talareſque caracallas feciſſet, coëgiſſetque plebem ad ſe ſalutandum indutam talibus introire, de nomine hujuſce veſtis *Caracalla* cognominatus eſt. Hic fratrem ſuum *Getam* peremit: ob quam cauſam, furore pœnas dedit Dirarum inſectatione, quæ non immerito ultrices vocantur: à quo poſt furore convaluit. Hic corpore *Alexandri* Macedonis conſpecto, *Magnum* atque *Alexandrum* ſe juſſit appellari, aſſentantium fallaciis eo perductus, ut truci fronte, & ad lævum humerum converſa cervice, quod in ore (g) Alexandri notaverat incedens, fidem vultus ſimillimi parſuaderet ſibi. Fuit impatiens libidinis, quippe qui novercam ſuam duxit uxorem. Cum Carras iter faceret, apud Edeſſam ſecedens ad officia naturalia, à milite, qui quaſi ad cuſtodiam ſequebatur, interfectus eſt. Vixit annos fere triginta. Corpus ejus Romam relatum eſt.

Fratrem Getam peremit. Magnum & Alexandrum ſe dicit. Ejus libido. Interficitur.

Macrinus & Diadumenus Imperatores. U. C. 969. p. C. N. 217.

CAP. XXII. MACRINUS cum DIADUMENO filio ab exercitu Imperatores creati, imperaverunt menſes quatuordecim. Et ab eodem exercitu obtruncantur, pro eo, quia Macrinus militarem luxuriam, ſtipendiaque profuſiora comprimeret.

Obtruncantur.

Aurelius Antoninus Heliogabalus Imperator. U. C. 970. p. C. N. 218.

CAP. XXIII. AURELIUS ANTONINUS VARIUS, idem HELIOGABALUS dictus, Caracallæ ex Semea (h) conſobrina (i) occulte ſtuprata filius, imperavit biennio & menſibus octo. Hujus matris Semeæ avus Baſſianus nomine, fuerat Solis ſacerdos: quem Phœnices, unde erat, Heliogabalum nominant: à quo iſte Heliogabalus dictus eſt. Is cum Romam ingenti militum & Senatus exſpectatione veniſſet, probris ſe omnibus contaminavit. Cupiditatem ſtupri, quam adſequi naturæ defectu non poterat, (k) in ſe convertens, muliebri nomine *Baſſianam* ſe pro *Baſſiano* juſſerat appellari. Veſtalem virginem quaſi matrimonio jungens ſuo; abſciſſiſque genitalibus, matri ſe Magnæ ſacravit. Hic Marcellum, qui poſt Alexander eſt dictus, conſobrinum ſuum, Cæſarem fecit. Ipſe tumultu militari interfectus eſt. Hujus corpus per Urbis vias, more canini cadaveris, à milite (l) tractum eſt, militari cavillo appellantium, indomitæ & rabidæ libidinis catulam. Noviſſime cum anguſtum foramen cloacæ corpus minime reciperet, uſque ad Tiberim ductum, adjecto pondere, ne umquam emergeret, in fluvium projectum eſt. Vixit annos ſedecim: atque ex rebus, quæ acciderant; (m) *Tiberinus*, *Tractitiuſque* appellatus eſt.

Probris ſe omnibus contaminat. Interficitur.

Severus Alexander Imperator. U. C. 974. p. C. N. 222.

CAP. XXIV. SEVERUS ALEXANDER imperavit annos tredecim. Hic bonus reipublicæ, fuit ærumnoſus. Sub hoc imperante, Taurinus Auguſtus effectus, ob timorem ipſe ſe Eu-phrati

(z) al. Origine ortus ſordida. (a) al. ad ſummos provectus uſque eo &c. (b) al. Χρηςόατον. (c) al. comem. (d) al. Piſcennius. (e) al. crudelitate. (f) al. cruditatem paſſus eſt. (g) al. quod in more. (h) al. Samea. (i) al. concubina. (k) al. nondum poterat. (l) al. à militibus. (m) al. ex re, quæ acciderat.

phrati fluvio objecit. Tunc etiam Maximinus regnum arripuit, pluribus de exercitu corruptis. Alexander vero cum deseri se [met] à stipatoribus vidisset, *matrem sibi causam fuisse mortis* exclamans, accurrenti percussori, obvoluto capite, cervices [suas] valide compressas (*n*) præbuit, anno vitæ vicesimo sexto. Hujus mater Mamæa, eo filium coëgerat, ut illa ipsa quamvis permodica, si mensæ prandioque superessent, alteri convivio reponerentur.

Capite truncatur.

Mammæa mater ejus.

CAP. XXV. JULIUS MAXIMINUS Thrax, è militaribus, imperavit annos tres. Is dum persequitur pecuniosos, insontes pariter noxiosque, apud Aquilejam seditione militum (*o*) discerptus est una cum filio, conclamantibus cunctis militari joco, ex *Pessimo genere, nec catulum habendum.*

Julius Maximinus Imperator, U.C.987. p. C.N. 235.

Cum filio discerpitur.

CAP. XXVI. Hujus imperio duo GORDIANI, pater & filius principatum arripientes, unus post unum interiere. Pari etiam tenore PUPIENUS (*p*) & BALBINUS regnum invadentes, perempti sunt.

Gordiani Imperatores. U.C.989. p. C.N. 237. Intereunt.

Pupienus & Balbinus perimuntur.

CAP. XXVII. GORDIANUS nepos Gordiani ex filia, ortus Romæ clarissimo patre, imperavit annos sex. Apud Ctesiphontem, à Philippo Præfecto prætorio accensis in seditionem militibus, occiditur anno vitæ undevicesimo. Corpus ejus prope fines Romani Persicique Imperii positum, nomen loco dedit SEPULCRUM GORDIANI.

Gordianus Imperator. U.C.990. p. C.N. 238.

Occiditur.

Ejus sepulchrum.

CAP. XXVIII. MARCUS JULIUS PHILIPPUS imperavit annos quinque. Veronæ ab exercitu interfectus est, medio capite supra ordines dentium præciso. Filius autem ejus CAJUS JULIUS (*q*) SATURNINUS, quem potentiæ sociaverat, Romæ occiditur agens annum duodecimum. Adeo severi & tristis animi, ut jam tum à quinquenni ætate, nullo prorsus cujusque commento ad ridendum solvi potuerit: patremque ludis sæcularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notaverit aversato. Is Philippus humillimo ortus loco fuit, patre nobilissimo latronum ductore.

Marcus Julius Philippus Imperator. U.C. 996. p. C.N. 244.

Cajus Julius Saturninus.

Severi animi.

CAP. XXIX. DECIUS è Pannonia inferiore, Bubaliæ natus, imperavit menses triginta. Hic DECIUM filium suum Cæsarem fecit: vir artibus cunctis, virtutibusque instructus, placidus & communis domi: in armis promptissimus. In solo Barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri. Filius vero ejus bello extinctus est. Vixit annos quinquaginta. Hujus temporibus VALENS LICINIANUS (*r*) Imperator effectus est.

Decius Imperator, U.C.1001. p. C.N. 249.

Filium Decium Cæsarem facit.

Pater submergitur.

Filius extinguitur.

Valens Licinianus Imperator.

CAP. XXX. VIBIUS (*s*) GALLUS cum VOLUSIANO filio imperaverunt annos duos. Horum temporibus HOSTILIANUS PERPENNA à Senatu Imperator creatus, nec multo post pestilentia consumptus est.

Gallus & Volusianus Imperatores. U.C.1004. p. C.N. 252.

Hostilianus Perpenna Imperator. U.C.1004. p. C.N. 252.

CAP. XXXI. Sub his etiam ÆMILIANUS in Mœsia Imperator effectus est: contra quem ambo profecti, apud Interamnam (*t*) ab exercitu suo cæduntur, anno ætatis pater septimo circiter & quadragesimo: (*u*) creati in insula Meninge, quæ nunc Girba dicitur. ÆMILIANUS vero menses quatuor dominatus, apud Spoletium, sive Pontem quem ab ejus cæde *Sanguinarium* accepisse nomen fuerunt, inter Otriculum, Narniamque, [Spoletium] & Urbem Romam regione media positum. Fuit autem genere Maurus, pugnax, nec tamen præceps. Vixit annis quatuor minus quinquaginta. (*v*)

Æmilianus Imperator. U.C. 1005. p. C.N. 253.

Occiditur.

CAP. XXXII. LICINIUS VALERIANUS cognomento COLOBIUS, imperavit annos quindecim, parentibus ortus splendidissimis, stolidus tamen & multum iners, neque ad usum aliquem publici officii, consilio seu gestis accommodatus. Hic filium suum GALLIENUM Augustum fecit, Gallienique filium (1) CORNELIUM VALERIANUM Cæsarem. His imperantibus (2) REGILLIANUS in Mœsia: CASSIUS, LABIENUS, POSTUMUS in Gallia, Gallieni filio interfecto, Imperatores effecti sunt. Pari modo (3) ÆLIANUS apud Moguntiacum, in Ægypto ÆMILIANUS, apud Macedonas VALENS, Mediolani (4) AUREOLUS dominatum invasere. Valerianus vero in Mesopotamia bellum gerens, à Sapore Persarum Rege superatus, mox etiam captus; apud Parthos ignobili servitute consenuit. Nam quamdiu vixit, Rex ejusdem provinciæ incurvato eo pedem cervicibus ejus imponens, equum conscendere solitus erat.

Licinius Valerianus Imperator. U.C.1005. p. C.N. 253.

Gallienus Imperator. U.C. 1005. p. C.N. 253.

Cornelius Valerianus Cæsar.

Anti Cæsares.

CAP. XXXIII. GALLIENUS quidem in locum Cornelii filii sui, SALONI[A]NUM alterum filium subrogavit, amori diverso pellicum deditus, Saloninæ conjugis, & concubinæ, quam per pactionem concessa parte superioris Pannoniæ, à patre Marcommanorum Rege, matrimonii specie susceperat, PIPAM (*w*) nomine. Novissime adversus AUREOLUM profectus est. Quem cum apud Pontem, qui ex ejus nomine *Aureolus* appellatur, obtententum detrusumque Mediolanum obsedit, ejusdem Aureoli commento à suis interiit. Regnavit annos quindecim, cum patre septem, [&] solus octo. Vixit annos quinquaginta.

Saloninus Cæsar.

Salonina conjux & concubina Gallieni.

Gallienus adversus Aureolum proficiscitur.

A suis interit.

CAP. XXXIV. CLAUDIUS imperavit annis duobus. (*x*) Hunc plerique putant Gordiano satum, dum adolescens à muliere (*y*) matura instituereretur ad uxorem. Hic Claudius, Gallieni morientis sententia Imperator designatus: ad quem Ticini positum, per Gallonium Basilium indumenta regia direxerat. Extinctoque à suis Aureolo, receptis legionibus, adver-

Claudius Imperator. U.C. 1020. p. C.N. 268.

(*n*) al. compressus. (*o*) al. apud seditionem militum. (*p*) al. Pupianus. (*q*) al. Gallus Julius. (*r*) al. Lucinianus. (*s*) al. Virius. (*t*) al. Interamnem. (*u*) al. septimo circiter & LX. (*v*) al. tribus minus quinquaginta. (*w*) al. Pipam. al. Piparam. (*x*) al. annum unum, mensibus novem. (*y*) al. dum ab Licensa muliere. al. dum alii Licensa muliere.

(1) Cornelium Valerianum) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 381. vide Tab. XXXIII. num. 4.
(2) Regillianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 386. vide Tab. XXXIII. num. 5.
(3) Ælianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 391. vide Tab. XXXIII. num. 6.
(4) Aureolus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 387. vide Tab. XXXIII. num. 7.

Alamannos fundit. adversum aciem Alamannorum (z) haud procul à lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, ut ægre pars dimidia superfuerit. Victorinus regnum capit. His diebus Victorinus regnum cepit. Claudius vero, cum ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognovisset sententiæ in Senatu dicendæ primi morte remedium desiderari, Pomponio Basso, qui tunc erat, se offerente, ipse vitam suam, haud passus responsa frustrari, dono Reipublicæ dedit, præfatus neminem tanti ordinis primas habere, nisi ipsum Imperatorem. Vitam suam Reip. dono dat. Ea res sic erat cunctis grata, ut non divi vocabulum modo, sed ex auro statuam prope ipsum Jovis simulacrum, atque in curia imaginem auream proceres sacraverint. Honores illi exhibiti.

Quintillus fratri succedit & interimitur. Huic successit frater ejus (5) QUINTILLUS. Is paucis diebus Imperium tenens, interemptus est.

Aurelianus Imperator. U.C. 1022. p. C. N. 270. CAP. XXXV. AURELIANUS genitus patre mediocri, &, ut quidam ferunt, Aurelii clarissimi senatoris colono inter Daciam & Macedoniam, imperavit annis quinque, mensibus sex. Iste haud dissimilis fuit Magno Alexandro, seu Cæsari dictatori. Ejus res gestæ. Nam Romanum orbem triennio ab invasoribus receptavit: cum Alexander annis tredecim (a) per victorias ingentes ad Indiam pervenerit: & Cajus Cæsar decennio subjecerit Gallos, adversum cives quadriennio congressus. Iste in Italia tribus præliis victor fuit, apud Placentiam, juxta amnem Metaurum ac fanum Fortunæ, postremo Ticinensibus [in] campis. Hujus tempore apud Delmatas SEPTIMIUS (b) Imperator effectus, mox à suis obtruncatur. Monetarios rebellantes compescit. Hoc tempore in Urbe Roma Monetarii rebellarunt, quos Aurelianus victor (c) ultima crudelitate compescuit. Primus diademate utitur. Iste primus apud Romanos *Diadema* capiti innexuit: gemmisque, & aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, (d) usus est. Hic muris validioribus & laxioribus Urbem sepsit. Porcinæ carnis usum populo instituit. Tetricum provehit. Hic Tetricum, qui Imperator ab exercitu in Galliis effectus fuerat, correctorem Lucaniæ provexit, aspergens (e) hominem eleganti joco, *Sublimius habendum regere aliquam Italiæ partem, quam trans Alpes regnare.* Novissime fraude servi sui, qui ad quosdam militares viros amicos ipsius, nomina (f) pertulit annotata, falso manum ejus imitatus, tamquam Aurelianus ipsos pararet occidere, ab iisdem interfectus est [in] itineris medio, quod inter Constantinopolim & Heracliam est. Interficitur. Fuit sævus & sanguinarius, & trux omni tempore, etiam filii sororis interfector. Ejus indoles. Hoc tempore septem mensibus interregni species evenit. Interregnum.

Tacitus Imperator. U.C. 1027. p. C. N. 275. Moritur. CAP. XXXVI. TACITUS post hunc suscepit Imperium, vir egregie moratus: qui ducentesimo Imperii die apud Tarsum febri moritur.

Florianus Imperator. Huic successit FLORIANUS. Sed cum magna pars exercitus equitum, Probum militiæ peritum legisset, Florianus dierum sexaginta quasi per ludum Imperio usus, incisis à semetipso venis, effuso sanguine consumptus est. U.C. 1027. p. C. N. 275. Incisis venis consumitur.

Probus Imperator. U.C. 1028. p. C. N. 276. CAP. XXXVII. PROBUS, genitus patre agresti, hortorum studioso, Delmatio sanguine, (ff) imperavit annos sex. Iste SATURNINUM in Oriente, (6) PROCULUM & BONOSUM Agrippinæ Imperatores effectos, oppressit. Anti Cæsares opprimit. Vineas Gallos & Pannonios habere permisit. Ejus res gesta. Opere militari Almam montem apud Sirmium, & Aureum apud Mœsiam superiorem, vineis consevit. Hic Sirmii (g) in turri ferrata occiditur.


Carus Imperator. U.C. 1034. p. C. N. 282. CAP. XXXVIII. CARUS Narbonæ natus, imperavit annos duos. Iste confestim CARINUM & NUMERIANUM Cæsares fecit. Carinus & Numerianus Cæsares. Hic apud Ctesiphonta ictu fulminis interiit. NUMERIANUS quoque filius ejus, cum oculorum dolore correptus [in] lecticula veheretur, impulsore Apro, qui socer ejus erat, per insidias occisus est. Numerianus occiditur. Cum dolo occultaretur ipsius mors, quousque APER invadere posset Imperium, fœtore cadaveris scelus est proditum. Hinc SABINUS JULIANUS invadens Imperium, à Carino in campis Veronensibus occiditur. Sabinus Julianus Anti Cæsar. Hic Carinus omnibus se sceleribus inquinavit. Plurimos innoxios fictis criminibus occidit, Matrimonia nobilium corrupit. Condiscipulis quoque, qui eum in auditorio verbi fatigatione taxaverunt, perniciosus fuit. Ad extremum trucidatur ejus præcipue tribuni dextera, cujus dicebatur conjugem polluisse. Carinus trucidatur.

Diocletianus Imperator. U.C. 1036. p. C. N. 284. CAP. XXXIX. DIOCLETIANUS Delmata, Anulini senatoris libertinus, matre pariter atque oppido nomine Dioclea, quorum vocabulis, donec Imperium sumeret, *Diocles* appellatus, ubi orbis Romani potentiam cepit, Grajum nomen in Romanum morem convertit, imperavit annis viginti quinque. Is MAXIMIANUM Augustum effecit. Maximianus Augustus, Constantius & Galerianus Cæsares. CONSTANTIUM & GALERIUM MAXIMIANUM cognomento *Armentarium*, Cæsares creavit, tradens Constantio THEODORAM Herculii Maximiani privignam, abjecta uxore priori. Hoc tempore CARAUSIO (h) in Galliis, ACHILLEUS apud Ægyptum, JULIANUS in Italia Imperatores effecti, diverso exitu periere. Anti Cæsares. E quibus Julianus acto per costas pugione, in ignem se abjecit. Diocletianus vero apud Nicomediam sponte imperiales fasces relinquens, in propriis consenuit. Diocletianus Imperium relinquit. Qui dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum Imperium rogaretur, tamquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit, *Utinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto numquam istud tentandum judicaretis.* Vixit annos sexaginta octo, ex quibus communi habitu prope novem egit. Morte consumptus est, ut satis patuit, Moritur.

(z) adversus gentem Germanorum. (a) al. annis vix X. (b) al. Septiminus. (c) al. victos. (d) al. visebatur. (e) al. asserens. (f) al. τὸ nomina omittunt. (ff) al. nomine. (g) al. Sirmio. (h) al. Charausio.

(5) Quintillus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 404. vide Tab. XXXIII. num. 8.
(6) Proculum) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 418. vide Tab. XXXIV. num. 1.

Tab. XXXIII
ad pagg. ~~142.~~ 151. 152.



tuit, per formidinem voluntaria. (*i*) Quippe cum à Constantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam, quo minus interesse valeret, excusavisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio favisse, ac Maximino favere, suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse.

Veneno sumpto.

Constantius & Armentarius Augusti. Cæsares.

CAP. XL. His diebus CONSTANTIUS Constantini pater, atque ARMEMTARIUS Cæsares, Augusti appellantur, creatis Cæsaribus, SEVERO per Italiam, MAXIMINO Galerii sororis filio per Orientem: eodemque tempore CONSTANTINUS Cæsar efficitur. MAXENTIUS Imperator in villa sex millibus ab Urbe discreta, itinere Lavicano: dehinc LICINIUS, Augustus efficitur: parique modo ALEXANDER apud Carthaginem Imperator fit: similique modo VALENS Imperator creatur, quorum exitus iste fuit.

Imperatores. U. C. 1057. p. C. N. 305.

Anti-Cæsares extinquuntur.

SEVERUS, ab Herculio Maximiano Romæ ad tres tabernas (*k*) exstinguitur: funusque ejus Gallieni sepulcro infertur: quod ab Urbe (*l*) abest per Appiam millibus novem. GALERIUS MAXIMIANUS, consumptis genitalibus defecit. MAXIMIANUS HERCULIUS à Constantino apud Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas mortis genere postremo, fractis laqueo cervicibus luit. (*m*) ALEXANDER à Constantini exercitu jugulatur. MAXENTIUS dum adversus Constantinum congreditur, (*n*) paullo superius à ponte Milvio, in pontem navigiis compositum ab latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est: voratumque limo, pondere thoracis, corpus vix repertum. MAXIMINUS apud Tarsum morte simplici periit. VALENS à Licinio morte mulctatur. Fuerunt autem morum hujusmodi. AURELIUS MAXIMIANUS cognomento HERCULIUS, ferus natura, ardens libidine, consiliis stolidus, ortu agresti, Pannonioque. Nam etiam nunc haud longe Sirmio, eminet locus palatio ibidem constructo, ubi parentes ejus exercebant opera mercenaria. Ætate interiit sexagenarius, annorum viginti Imperator. Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium, & Faustam conjugem Constantini: cujus patri Constantio tradiderat Theodoram privignam. Sed Maxentium suppositum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis auspicio pravissimi cœpti à puero. (*o*) Is Maximianus carus nulli umquam fuit, ne patri, aut socero quidem Galerio. GALERIUS autem fuit (licet inculta agrestique justitia) satis laudabilis, pulcer corpore, eximius & felix bellator, ortus parentibus agrariis, pastor armentorum: unde ei cognomen ARMENTARIUS fuit. Ortus Dacia Ripensi, ibique sepultus est: quem locum *Romulianum* ex vocabulo (*p*) Romulæ matris appellarat. Is insolenter affirmare ausus est, *matrem more Olympiadis Alexandri magni creatricis, compressam dracone semet concepisse.* GALERIUS MAXIMINUS sorore Armentarii progenitus, veroque nomine ante Imperium DAZA dictus, Cæsar quadriennio, dehinc per Orientem Augustus triennio fuit: ortu quidem atque instituto pastorali, verum sapientissimi cujusque, ac literatorum cultor, ingenio quieto, vini avidior. Quo ebrius, quædam corrupta mente aspera jubebat: qui cum pigeret factum, differri, quæ præcepisset, in tempus (*q*) sobrium, ac matutinum statuit. ALEXANDER fuit Phryx origine, ingenio timidus, inferior adversus laborem vitio senectæ. (*r*)

Herculi mores.

Galerii Armentarii mores.

Galerii Maximini mores.

Alexandri mores.

CAP. XLI. His omnibus absumptis, Imperii jura penes Constantinum & Licinium devenere. CONSTANTINUS, Constantii (*s*) Imperatoris & Helenæ filius, imperavit annos triginta. Hic, dum juvenculus à Galerio in Urbe Roma, religionis specie obses teneretur, fugam arripiens, atque ad frustrandos insequentes, publica jumenta, quaqua iter ageret, interficiens, ad patrem in Britanniam pervenit: (*t*) & forte eisdem diebus ibidem Constantium parentem fata ultima perurgebant. Quo mortuo, cunctis qui aderant annitentibus, sed præcipue Eroco (*u*) Alamannorum Rege, auxilii gratia Constantium comitato, Imperium capit. Hic sororem suam Constantiam Licinio Mediolanum accito, conjungit: filiumque suum CRISPUM nomine, ex Minervina concubina susceptum, item (*x*) CONSTANTINUM, iisdem diebus natum oppido Arelatensi, (6) LICINIANUMQUE Licinii filium, mensium fere viginti, Cæsares effecit. Verum enimvero ut Imperia Difficile Concordiam custodiunt, dissidium (*y*) inter Licinium Constantinumque exoritur: primumque apud Cibalas juxta paludem Hiulcam (*z*) nomine, Constantino nocte castra Licinii irrumpente, Licinius fugam petiit: Byzantiumque fuga volucri pervenit. Ibi MARTINIANUM officiorum magistrum Cæsarem creat. Dehinc Constantinus acie potior apud Bithyniam adegit Licinium pacta salute indumentum regium offerre per uxorem. Inde Thessalonicam missum, paullo post eum Martinianumque jugulari jubet. Hic Licinius annum dominationis fere post quintumdecimum, (*a*) vitæ proxime sexagesimum, occiditur. (*b*) Avaritiæ cupidine omnium pessimus, neque alienus à luxu venerio, asper admodum, haud mediocriter impatiens: infestus literis: quas per inscitiam immodicam, virus ac pestem publicam nominabat, præcipue forensem industriam. Agraribus (*c*) plane, ac rusticantibus, quia ab eo genere ortus altusque erat, (*d*) satis utilis: ac militiæ custos

Constantinus M. Imperator. U. C 1058. p. C. N. 306.

Crispus Cæsar.

Constantinus Cæsar. Licinianus Cæsar.

Licinius occiditur.

Ejus mores.

U ad

(*i*) al. voluntariam. (*k*) al. Romæ intra tabernas. (*l*) al. ex Urbe. (*m*) al. dedit. (*n*) al. egreditur. (*o*) al. gratissimi partus à puero. (*p*) al. etiam vocabulo. (*q*) al. quod cum pigeret, factumque differri præcipisset in tempus. (*r*) al. senectæ ætatis. (*s*) al. Constantis. (*t*) al. quaqua iter egerat interfecit, & ad patrem in Britanniam situm pervenit. (*u*) al. Croco. (*x*) al. idem. (*y*) al. discidium. (*z*) al. Vulcam. (*a*) al. quartumdecimum. (*b*) al. occidit. (*c*) al. Agrariis. (*d*) al. quod ab eo genere ortus auctusque erat.

(7) Licinianumque) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 456. vide Tab. XXXIV. num. 2.

ad veterum instituta severissimus. Spadonum & Aulicorum omnium vehemens domitor, tineas soricesque palatii eos appellans.

Constantinus M. Imperator solus.

At Constantinus, obtento totius Romani Imperii, mira bellorum felicitate, regimine, Fausta conjuge, ut putant, suggerente, Crispum filium necari jubet. Dehinc uxorem suam Faustam in balneas ardentes conjectam interemit, cum eum mater Helena dolore nimio nepotis increparet. Fuit vero ultra quam æstimari potest, laudis avidus. Hic Trajanum herbam parietariam ob titulos multos (e) ædibus inscriptos, appellare solitus erat. Hic pontem in Danubio construxit. Habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate. Commodissimus tamen rebus multis fuit: Calumnias sedare legibus severissimis: nutrire artes bonas, præcipue studia litterarum: legere ipse, scribere, meditari, audire legationes, & querimonias provinciarum. Cumque liberis filioque fratris (8) DELMATIO, Cæsaribus confirmatis, tres & sexaginta annos vixisset, ex quibus dimidios ita, ut tredecim solus imperaret, morbo consumptus est. Irrisor potius quam blandus. Unde proverbio vulgari, Trachala decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis pupillus, ob profusiones immodicas nominatus. Corpus sepultum in Byzantio, Constantinopoli dicta. Quo mortuo, Delmatius militum vi necatur. Ita ad tres orbis Romani dominatio redacta est, Constantinum, & Constantium, ac Constantem filios Constantini. Hi singuli has partes regendas habuerunt: CONSTANTINUS junior cuncta trans Alpes: CONSTANTIUS à freto Propontidis, Asiam atque Orientem: CONSTANS Illyricum, Italiamque, & Africam, Delmatiam, Thraciam, (f) Macedoniamque, & Achajam: (9) ANIBALIANUS Delmatii Cæsaris consanguineus, Armeniam, nationesque circumsocias.

Faustam Conjugem interimit. Constantini mores. Moritur. Romanum Imperium dividitur. U. C. 1089. p. N. C. 337. Inter Constantinum, Constantium & Constantem.

Interim ob Italiæ, Africæque jus dissentire statim Constantinus & Constans [cœperunt.] Constantinus latrocinii specie dum incautus, fœdeque temulentus in aliena irruit, obtruncatus est, projectusque in fluvium, cui nomen Alsa est, non longe ab Aquileia. Constans vero venandi cupidine [ductus,] dum per silvas saltusque erraret, conspiravere aliquanti militares in ejus necem, auctoribus Chrestio & Marcellino, simulque Magnentio: qui ubi patrandi negotii dies placuit, Marcellinus natalem filii simulans, plerosque ad cœnam rogat. Itaqua in multam noctem convivio celebrato: MAGNENTIUS, quasi ad ventris secreta secedens, habitum venerabilem capit. Ea re cognita, Constans fugere conatus, apud Helenam oppidum Pyrenæo proximum, à Gaisone cum lectissimis misso interficitur, anno tertiodecimo Augustæ dominationis, (nam Cæsar triennio fuerat) ævi septimo vicesimoque. Hic fuit debilis pedibus manibusque, articulorum dolore: fortunatus cœli temperie, fructuum proventu, nulla à Barbaris formidine: quæ profecto majora fierent, si provinciarum rectores non pretio, sed judicio provexisset. Hujus morte cognita, VETRANIO magister militum Imperium in Pannonia apud Mursiam corripuit: quem Constantius non post multos dies regno exuit, grandævæ ætati (g) non vitam modo, sed etiam voluptarium otium concedens. Fuit autem prope ad stultitiam simplicissimus.


Constantinus obtruncatur. U. C. 1092. p. C. N. 340. Constans interficitur. U. C. 1102. p. C. N. 350. Ejus indoles. Vetranio Imperium affectat.

CAP. XLII. CONSTANTIUS GALLUM fratrem patruelem Cæsarem pronuntiat, sororem Constantinam illi conjungens, MAGNENTIUS quoque DECENTIUM consanguineum suum trans Alpes Cæsarem creavit. His diebus Romæ (10) NEPOTIANUS Eutropiæ Constantini sororis filius, hortantibus perditis, Augusti nomen rapit: quem octavo die vicesimoque Magnentius oppressit. Hoc tempore Constantius cum Magnentio apud Mursiam dimicans vicit. In quo bello pæne numquam amplius Romanæ consumptæ sunt vires, totiusque Imperii fortunæ pessumdatæ. Dehinc cum se Magnentius in Italiam recepisset, apud Ticinum plures fudit; incautius, &, ut in victoria solet, audacius persequentes. Nec multo post apud Lugdunum coangustatus, gladio occulte proviso, ictum pulsu parietis juvans, transfosso latere; ut erat vasti corporis, vulnere, naribusque & ore cruorem effundens; mense Imperii quadragesimo secundo, ætatis anno prope quinquagesimo, exspiravit. Ortus parentibus barbaris, qui Galliam inhabitant. Legendi studio promptus, sermonis acer, animi tumidi, & immodice timidus: artifex tamen ad occultandam audaciæ specie formidinem. Ejus morte audita, Decentius laqueo fasciæ ad collum posito, (h) vitam finivit. Hoc tempore Gallus Cæsar à Constantio occiditur. Imperavit annos tres. (i) SILVANUS Imperator effectus, die Imperii vicesimo octavo perimitur. Fuit ingenio blandissimus. Quamquam barbaro patre genitus, tamen institutione Romana satis cultus & patiens. CONSTANTIUS CLAUDIUM JULIANUM, fratrem Galli, honore Cæsaris assumit, annos natum fere tres atque viginti. Iste in campis Argentoratensibus apud Gallias, cum paucis militibus, infinitas hostium copias delevit. Stabant acervi montium similes: fluebat cruor fluminum modo, captus Rex nobilis Chonodomarius, (k) fusi omnes optimates, redditus limes Romanæ possessionis: ac postmodum cum Alamannis dimicans, potentissimum eorum Regem Badomarium (l) cepit. Hic à militibus Gallicanis Augustus pronuntiatur. Hinc (m) Constantius urgere legationibus, ut in statum nomenque pristinum revertatur. Julianus mandatis mollioribus refert

Constantius Imperator solus, U. C. 1102. p. C. N. 350. Creat Cæsares. Nepotianus opprimitur. Bellum cum Magnentio. Qui moritur. Eius mores. Gallus Cæsar occiditur. Silvanus Imperator occiditur. Julianus fit Cæsar. Juliani res gestæ. Augustus pronuntiatur.

(e) al. multis. (f) al. Delmatius Trachiam. (g) al. grandævo ætate. (h) al. laqueo fascia composito. (i) al. annos IIII. (k) al. Nodomarius. (l) al. Baldomarum. (m) al. Hunc.

(8) Delmatio) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 469. vide Tab. XXXIV. num. 3.
(9) Anibalianus) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 470. vide Tab. XXXIV. num. 4.
(10) Nepotianus) Huius vultum ex MEDIOBARBO pag. 482. vide Tab. XXXIV. num. 5.


Tab. XXXIV
ad pag. 152. 153. 154. 155.
I
IMP. C. T. AEL. PROCVLVS AVG.
II
D. N. VAL. LICIN. LICINIVS NOB. C.
III
FL. DELMA TIVS NOB. C.
IV
FL. CL. HANNIBALIANO REGI.
V
FL. POP. NEPOTIANVS P. F. AVG.
VI
D. N. IOVIAN VS P. F. AVG.
VII
D. N. VALENTINIANVS P. F. AVG.
VIII
D. N. VALEN S. P. F. AVG.

fert se sub nomine celsi Imperii multo officiosius pariturum. Hinc Constantius magis magisque ardens dolore, atque, ut erat talium impatiens, in radicibus Tauri montis apud Mopsocrenen febri acerrima, quam indignatio nimia vigiliis augebat, interiit anno ævi quarto & quadragesimo, Imperii nono atque tricesimo, verum Augustus quarto vicesimoque: octo solus, cum fratribus atque Magnentio sedecim, quindecim Cæsar. Felix bellis civilibus, externis lacrymabilis: mirus artifex in sagittis: à cibo, vinoque & somno multum [in] temperans, (n) patiens laboris, facundiæ cupidus: quam cum assequi tarditate ingenii non posset, aliis invidebat. Spadonum, aulicorumque amori deditus, & uxorum: quibus contentus, nulla libidine transversa, aut injusta polluebatur. Sed ex conjugibus, quas plurimas sortitus est, præcipue Eusebiam dilexit, decoram quidem, verum per Amantias (o) & Gorgonias, & alia importuna ministeria vexantem famam viri, contra quam FEMINIS MODESTIORIBUS mos est: quarum sæpe præcepta maritos juvant. Namque ut ceteras omittam, Pompejam Plotina, incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Trajani: cujus procuratores cum provincias calumniis agitarent, adeo ut unus ex iis diceretur *locupletum (p) quemque ita convenire. Quæ habes* [*ad mensam?*] alter, *Unde habes?* tertius, *Pone quæ habes:* (q) illa conjugem corripuit: atque increpans, quod laudis esset (r) incuriosus: talem reddidit, ut postea exactiones improbans & detestans, (s) *Fiscum Lienem* vocaret, quod eo crescente, artus reliqui tabescant.

Constantius moritur.

Ejus mores.

Eusebia conjux.

Pompeja Plotina.

CAP. XLIII. Igitur Julianus, redacta ad unum se orbis Romani curatione, gloriæ nimis cupidus, in Persas proficiscitur. Illic à transfuga quodam in insidias deductus, cum eum hinc inde Parthi urgerent, è castris jam positis, (t) arrepto tantum clypeo procurrit. Cumque inconsulto ardore nititur ordines ad prælium componere, ab uno ex hostibus & quidem fugiente, conto percutitur. Relatusque in tabernaculum, rursusque ad hortandos suos egressus, paullatim sanguine vacuatus, circa noctis fere medium defecit, præfatus, *consulto sese de Imperio nihil mandare, ne, uti solet, in multitudine discrepantibus studiis amicorum, ex invidia reipublicæ, Discordia exercitus periculum pararet.* (u) Fuerat in eo literarum ac negotiorum ingens scientia. Æquaverat (x) philosophos, & Græcorum sapientissimos. Usu promptior corporis, quam validior (y) quidem, sed brevis fuit. Hæc minuebat quarundam rerum neglectus modus. Cupido laudis immodica: cultus numinum superstitiosus: audax plus, quam Imperatorem decet: cui salus propria, cum semper ad securitatem omnium, [tum] maxime in bello conservanda est. (z) Ita illum cupido gloriæ flagrantior pervicerat, ut neque terræmotu, neque plerisque præsagiis, quibus vetabatur petere Persidem, adductus (a) sit finem ponere ardori: ac ne noctu quidem visus ingens globus cœlo labi, diem belli cautum præstiterit.

Julianus Imperator. U. C. 1113, p. C. N. 361.

Conto percutitur.

Ejus ultima.

Ejus indoles.

CAP. XLIV. (11) JOVIANUS genitus patre Varroniano, incola (b) agri Singidonensis provinciæ Pannoniæ, imperavit menses octo. Ejus patri, cum liberos crebros amitteret, præceptum somnio est, eum, qui jam instanteu xoris partu edendus foret, diceret (c) Jovianum. Hic fuit insignis corpore, lætus ingenio, literarum studiosus. Hic [dum] à Perside hieme aspera mediaque Constantinopolim accelerans, cruditate stomachi, tectorio novi operis gravatus [esset] repente interiit, annos gerens proxime quadraginta.

Jovianus Imperator. U. C. 1116. p. C. N. 364.

Ejus indoles.

Repente interit.

CAP. XLV. (12) VALENTINIANUS imperavit annos duodecim, minus diebus centum. Hujus pater Gratianus, mediocri stirpe ortus apud Cibalas, *Funarius* appellatus est, eo quod venalicium funem portanti quinque milites nequirent extorquere. Eo merito adscitus in militiam, usque ad præfecturæ prætorianæ potentiam conscendit: ob cujus apud milites commendationem, Valentiniano Imperium resistenti aggeritur. Hic VALENTEM consanguineum suum sibi socium in Imperio adscivit: ac demum Gratianum filium, necdum plene puberum, hortatu socrus & uxoris Augustum creavit. Hic Valentinianus fuit vultu decens, solers ingenio, animo gravis, sermone cultissimus. Quamquam enim ad loquendum parcus, severus, vehemens, infestus tamen vitiis, maximeque avaritiæ: cujus punitor ipse fuit acer: & in iis quæ memoraturus sum, Hadriano proximus. Genera vetustissimorum meminisse, nova arma meditari: fingere terra (d) seu limo simulacra: prudenter uti locis, temporibus, sermonibus: atque, ut breviter concludam, si ei infidis (e) hominibus, quibus sese quasi fidissimis prudentissimisque dederat, carere, aut probatis, eruditisque monitoribus uti licuisset, perfectus haud dubie princeps enituisset. Hujus tempore Firmus apud Mauritaniam regnum invadens, extinguitur. Valentinianus apud Bergentionem legationi Quadorum respondens, anno ævi quinto & quinquagesimo, impetu sanguinis, voce amissa, sensu integer, exspiravit. Quod quidem intemperantia cibi, ac saturitate, (f) qua artus diffuderat, accidisse plures retulere. Itaque eo mortuo, VALENTINIANUS adhuc quadriennis, auctore Equitio, ac Merobaude propinquo, ubi cum matre fuerat allatus, creatus est Imperator. (ff)

Valentinianus Imperator. U. C. 1116. p. C. N. 364.

Valentem socium adscifcit.

Gratianum Augustum creat.

Valentiniani mores.

Moritur.

Valentinianus junior Imperator. U. C. 1127. p. C. N. 375.

CAP. XLVI. (13) VALENS una cum VALENTI-

Valens Imperator.

(n) al. multum temperans. (o) al. Adamantias. (p) al. *locupletium.* al. *locupletissimum quemque.* (q) al. *Quare habes? alter unde habes? tertius pone quod habes.* (r) al. laudis suæ esset. (s) al. improbas detestans. (t) al. urgerent, armis jam positis. (u) al. *studiis amico . . . discordiam &c.* (x) al. Eo juverat. (y) al. quo validus. (z) al. omnium, in bello maxime conservanda est. (a) al. abductus. (b) al. insula. (c) dicere. (d) al. cera. (e) al. fœdis. (f) al. securitate. (ff) al. Equitio & Merobaudo è propinquo . . . . creatus Imperator.

(11) Jovianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 499. vide Tab. XXXIV. num. 6.
(12) Valentinianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 500. vide Tab. XXXIV. num. 7.
(13) Valens) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 505. vide Tab. XXXIV. num. 8.

U.C. 1116. p. C. N. 364.

LENTINIANO germano suo, de quo diximus, regnavit annos tredecim, menses quinque. Hic Valens cum Gotthis lacrymabili bello commisso, sagittis saucius, in casam deportatur vilissimam: ubi supervenientibus Gotthis, ignique supposito, incendio concrematus est.

Crematur. Ejus mores.

In quo probanda hæc fuere. Fuit possessoribus consultor bonus. Mutare judices rarius. In amicos fidus. Irasci sine noxa ac periculo cujusque. Sane valde timidus. Hujus temporibus PROCOPIUS tyrannidem invadens, exstinguitur.

Procopius tyrannus.

Gratianus Imperator. U.C. 1127. p. C. N. 375.

CAP. XLVII. (14) GRATIANUS genitus Sirmii, imperavit cum patre Valentiniano annos octo, dies octoginta quinque: cum patruo (15) & fratre tres: cum eodem fratre ac Theodosio quatuor: & [cum] his omnibus, accedente Arcadio, menses sex.

Ejus res gestæ.

Hic apud Argentarium oppidum Galliæ triginta Alamannorum millia in bello exstinxit. Hic, cum animadvertisset, Thraciam Daciamque tamquam genitales terras possidentibus Gotthis, Taifalis, (*g*) atque omni pernicie atrocioribus Hunnis, & Alanis, extremum periculum instare nomini Romano; accito ab Hispania THEODOSIO; cunctis faventibus, agenti annum à tricesimo tertium, Imperium committit.

Theodosio Imperium committit. Literis fuit mediocriter institutus.

Fuit autem Gratianus literis haud mediocriter institutus: carmen facere, ornate loqui, explicare controversias, Rhetorum (*h*) more. Nihil aliud die noctuque agere quam spiculis meditari: summæque voluptatis, divinæque artis credere ferire [perite sibi] destinata. Parcus cibi somnique: & vini ac libidinis victor, cunctisque fuisset plenus bonis, si ad cognoscendam Reipublicæ gerendæ (*i*) scientiam animum intendisset, à qua prope alienus, non modo voluntate, sed etiam exercito fuit.

Exercitum negligit.

Nam dum exercitum negligeret, & paucos ex ALANIS, quos ingenti auro ad se transtulerat, anteferret veteri ac Romano militi, adeoque Barbarorum comitatu & prope amicitia capitur, ut nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit.

Gratianus à Maximo tyranno, Fugatus & exstinguitur.

Hoc tempore cum (16) MAXIMUS apud Britanniam tyrannidem arripuisset, & in Galliam transmisisset, ab infensis Gratiano legionibus exceptus, Gratianum fugavit: nec mora, exstinxit. Qui vixit annis XXXVIII.

Theodosius Imperator. U.C. 1131. p. C. N. 379.

CAP. XLVIII. (17) THEODOSIUS genitus patre HONORIO, matre THERMANTIA, genere Hispanus, originem à Trajano principe trahens: à Gratiano Augusto apud Sirmium Imperator effectus, regnavit annos decem & septem. Huic ferunt nomen somnio parentes monitos sacravisse, ut Latine intelligamus, *A Deo datum.* De hoc etiam oraculo in Asia divulgatum est, *eum Valenti successurum, cujus nomen* [è] Θ & E & O *atque* Δ *Græcis literis initiaretur.*

Theodorus punitur.

Qua cognatione principii deceptus THEODORUS, cum sibi Imperium præsumeret, scelestæ cupidinis supplicia persolvit. (*k*)

Theodosii res gestæ.

Fuit autem Theodosius propagator Reipublicæ, atque defensor eximius. Nam Hunnos & Gotthos, qui eam sub Valente defatigassent, diversis præliis vicit. Cum Persis quoque petitus (*l*) pacem pepigit.

Tyrannos vincit.

Maximum autem tyrannum, qui Gratianum interfecerat, & sibi Gallias vindicabat, apud Aquilejam exstinxit: (18) VICTOREMque ejus filium, intra infantiæ annos à Maximo patre Augustum factum, necavit. (19) EUGENIUM quoque tyrannum, atque Arbogastem superavit, deletis eorum decem millibus pugnatorum. Hic etenim Eugenius confusus viribus Arbogastis, postquam apud Viennam Valentinianum exstinxerat, regnum invasit: sed mox simul cum vita Imperium perdidit.

Theodosii indoles.


Fuit autem Thedosius moribus & corpore Trajano similis, quantum scripta veterum, & picturæ docent. Sic eminens status, membra eadem, par cæsaries, os, absque eo, quod illi aliquantum vellendo steriles genæ, neque tam ingentes oculi erant, nescio an & tanta gratia, tantusque flos in facie, seu tanta dignitas in incessu. Mens vero prorsus similis, adeo ut nihil dici queat, quod non ex libris in istum videatur transferri. Clemens animus, misericors, communis, solo habitu differre se cæteris putans: in omnes homines honorificus, verum effusius in bonos: simplicia ingenia æque diligere, erudita mirari, sed innoxia: largiri magno animo magna: amare cives vel privato contubernio cognitos, eosque honoribus, pecunia, beneficiis cæteris munerari, præsertim quorum erga se aspero casu (*m*) officia probaverat. Illa tamen, quibus Trajanus aspersus est, vinolentiam & cupidinem (*n*) triumphandi, usque eo detestatus [est,] ut bella non moverit, sed invenerit: prohibueritque lege, ministeria lasciva, psaltriasque commissationibus adhiberi: tantum pudori tribuens & continentiæ, ut consobrinarum nuptias vetuerit, tamquam sororum.

Mediocriter doctus.

Literis, si multum perfectos (*o*) contemplemur, mediocriter doctus: sagax plane, multumque diligens ad [cog] noscenda (*p*) majorum gesta. E quibus non desinebat exsecrari, quorum facta superba, crudelia, libertati (*q*) infesta legerat, ut Cinnam, Marium, Sullamque, atque universos dominantium, præcipue tamen perfidos & ingratos. Irasci sane rebus indignis, sed flecti cito: unde modica dilatione emolliebantur aliquando severa (*r*) præcepta. Habuitque à naturæ (*s*) munere, quod Augustus à philosophiæ doctore [didicerat.] Qui cum vidisset eum facile commo-

(*g*) al. Thaiphalis. (*h*) al. controversa Rhetorum &c. (*i*) al. regendæ. (*k*) al. Imperium deberi præsumeret . . . . persolverat. (*l*) al. appetitus. (*m*) al. erga se vel patrem aspero casu. (*n*) al. vinolentiam scilicet & cupidinem. (*o* al. si nimium profectos. (*p*) al. ad noscenda. (*q*) al. libertatique. (*r*) al. severe. (*s*) al. à natura.

(14) Gratianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 508. vide Tab. XXXV. num. 1.
(15) Et fratre) Nimirum Valentiniano Juniore. Cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 511. vide Tab. XXXV. num. 2.
(16) Maximus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 513. vide Tab. XXXV. num. 3.
(17) Theodosius) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 516. vide Tab. XXXV. num. 4.
(18) Victoremque) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 515. vide Tab. XXXV. num. 5.
(19) Eugenium) Magnus nimirum, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 520. vide Tab. XXXV. num. 6.


Tab. XXXV.
ad pag. 156. 157.
I
Æ
D.N. GRATIANVS P.F. AVG.
Γ
II
Æ
D.N. VALENTINIANVS IVN. P.F. AVG.
Γ
III
ÆR
D.N. MAG. MA XIMVS P.F. AVG.
Δ
IV
Æ
D.N. THEODO SIVS P.F. AVG.
Γ
V
Æ
D.N. FL. VIC TOR P.F. AVG.
Γ
VI
Æ
D.N. EVGENI VS P.F. AVG.
Γ
VII
ÆR
D.N. ARCADI VS P.F. AVG.
Δ
VIII
ÆR
D.N. HONORI VS P.F. AVG.
Δ


commoveri, ne asperum aliquid statueret, monuit, [ut] ubi irasci cœpisset, quatuor atque viginti Græcas literas memoria recenseret: ut illa concitatio, quæ momenti est, mente alio traducta, parvi temporis interjectus languesceret. Melior haud dubie, quod est raræ virtutis, post auctam annis potentiam regalem, multoque maxime post civilem victoriam. Nam & annonæ curam sollicitius attendere, & auri argentique grande pondus sublati, atque expensi à tyranno, (*t*) multis è suo restituere, cum benigni principum, & quidem vix fundos solerent nudos, ac deformata prædia, concedere. Jam illa minutiora, &, ut dicetur, *intra Aulam:* quæ quidem quia occulta sunt, magis naturæ hominum curiosæ oculos auresque ad se trahunt: patruum colere tamquam genitorem: fratris mortui sororisque liberos habere pro suis: cognatos affinesque parentis animo complecti: elegans lætumque convivium dare, non tamen sumptuosum: miscere colloquia pro personis, studio, (*u*) dignitatibus, sermone cum gravitate jucundo: blandus pater, concors maritus. Exercebatur neque ad illecebras, neque ad lassitudinem. Ambulationibus magis, cum esset otium, reficiebat animum: ac vescendi continentia valetudinem regebat: sicque in pace, rebus humanis: annum agens quinquagesimum, apud Mediolanum excessit: utramque Rempublicam utrique, (*x*) id est, (20) ARCADIO & (21) HONORIO, quietam relinquens. Corpus ejus eodem anno Constantinopolim translatum atque sepultum est.

Moritur.

Arcadius & Honorius. U.C. 1145. p. C. N. 393. Constantinopoli sepultus.

(*t*) al. à tyrannis. (*u*) al. studia. (*x*) al. utrisque filiis.

(20) Arcadio) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 521. vide Tab. XXXV. num. 7.
(21) Honorio) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 523. vide Tab. XXXV. num. 8.



M. Tyroff direxit Norimbergæ.

SEXTI RUFI
V.C. DICTATORIS, MAGISTRI MILITUM,
BREVIARIUM
RERUM GESTARUM
POPULI ROMANI
AD VALENTINIANUM AUGUSTUM.



M. Tyroff fec. Norimbergæ.

SEXTI RUFI
V.C DICTATORIS, MAGISTRI MILITUM,
BREVIARIUM
RERUM GESTARUM
POPULI ROMANI
AD VALENTINIANUM AUGUSTUM. (a)

PIO, PERPETUO,
DOMINO
VALENTINIANO
IMPERATORI & SEMPER AUGUSTO
SEXTUS RUFUS V.C. (b)

Occaſio ſcribendi.

BRevem (c) fieri clementia tua [libellum] præcepit. Parebo libens præceptis, quippe cui deſit facultas latius eloquendi: [ac] morem ſequutus calculatorum, (d) qui ingentes ſummas ære breviori (e) exprimunt, res geſtas ſignabo, non eloquar. Accipe ergo, quæ (f) breviter dicta (ff) brevius compurentur: ut annos & ætatem Reipublicæ ac præteriti facta temporis, non tam legere tibi [glorioſe Princeps] quam numerare videaris.

Genera imperandi breviter exponuntur.

Ab Urbe igitur condita in ortum perennitatis veſtræ, quo proſperius [factum (g)] Imperium Rom. ſortitus es, anni numerantur mille centum decem & ſeptem, ſic ſub Regibus, CCXLIII. ſub Conſulibus, CCCCLXVII. ſub Imperatoribus CCCCVII. Regnaverunt Romæ per annos ducentos quadraginta tres, Reges (numero) ſeptem. Romulus regnavit annos XXXVII. Senatores, per quinos dies (ſinguli,) annum unum. Numa Pompilius regnavit annos XLIII. Tullus Hoſtilius regnavit annos XXXII. Ancus Marcius regnavit

Reges.

X

(a) al. Sexti Rufi Feſti V. C. Breviarium Rerum Geſtarum Populi Romani. (b) al. D. N. Valentiniano Imperatori Pio, Perpetuo, ſemper Auguſto, Sex. Rufus. V. C. (c) al. De Breviario rerum geſtarum Pop. R. brevem &c. (d) al. caculorum. (e) al. æris brevioribus. (f) al. quod. (ff) al. dictis. (g) al. fratrum.

vit annos XXIV. Tarquinius Priſcus regnavit annos XXXVIII. Servius Tullius regnavit annos XLIV. L. Tarquinius Superbus regno expulſus eſt anno XXV. Conſules (deinde) fuerunt à Bruto & Publicola in Panſam & Hirtium, numero quadringenti decem ſeptem, præter eos, qui in eundem annum ſorte aliqua ſunt ſubrogati, per annos CCCCLXVII. Novem enim annis Romæ Conſules defuerunt ita: ſub decemviris, annis duobus, ſub Tribunis militum, (*h*) annis tribus: Sine magiſtratibus Roma fuit annis quatuor. Imperatores ab Octaviano Cæſare Auguſto, uſque ad Jovianum fuerunt [numero] quadraginta tres, per annos CCCCVIII.

Conſules.

Imperatores.

Sub his igitur tribus imperandi generibus, hoc eſt Regio, Conſulari, & Imperatorio, quantum Roma profecerit, breviter intimabo.

Progreſſus Romanorum ſub Regibus.

Sub Regibus ſeptem, per annos CCXLIII. non amplius quam uſque ad Portum atque Oſtiam (intra) octavum decimum miliarium à portis urbis Romæ, utpote adhuc parvæ & à paſtoribus conditæ, cum finitimæ circum civitates premerent, Romanum proceſſit Imperium.

Sub Conſulibus.

Sub Conſulibus, inter quos non nunquam (&) Dictatores fuerunt, per annos ſimul quadringentos ſexaginta ſeptem, uſque trans Padum Italia occupata eſt, Africa ſubacta, Hiſpaniæ acceſſerunt. Galliæ & Britanniæ tributariæ factæ ſunt. Inde Illyrici, Iſtri, (*i*) Liburni, Dalmatæ, domiti ſunt. Ad Achaiam tranſitum eſt. Macedones ſubacti. Cum Dardanis, Mœſis & Thracibus bellatum eſt, [etiam (*k*)] ad Danubium uſque perventum. In Aſia expulſo Antiocho, primum pedem poſuere Romani. Mithridate victo, Ponti regnum (*l*) occupatum; (*m*) & Armenia minor, quam idem tenuerat, armis obtenta eſt. In Meſopotamiam Romanus pervenit exercitus. Cum Parthis fœdus initum eſt. Contra Carduneos (*n*) ac Saracenos & Arabas bellatum eſt. Judæa omnis victa eſt. Cilicia & Syria in poteſtatem Populi Romani venerunt. (*o*) [Ægypti fœderati erant.]

Sub Imperatoribus.

Sub Imperatoribus vero per annos quadringentos ſeptem, quum diverſa Reipubl. fortuna multi Principes imperarent, acceſſerunt [tamen] * Romano orbi Alpes maritimæ, Alpes Cottiæ, Rhetiæ, Noricæ, Pannoniæ, Mœſiæ & omnis ora Danubii in provincias eſt redacta. Pontus omnis, Armenia minor, Oriens totus cum Meſopotamia, Aſſyriis, (*p*) Arabia & Ægypto, ſub Imperii Romani jura tranſivit. Quo autem ordine ſingulas provincias Romana Reſpublica aſſecuta ſit, (*q*) * oſtenditur ita. (*r*)

Ordo, quo Provinciæ à Romanis aſſecutæ.

Sicilia.

Prima provinciarum *Sicilia* facta eſt. Eam, victo Hierone Siculorum rege, Marcellus Conſul obtinuit. Deinde à Prætoribus recta eſt, poſtea commiſſa eſt Præſidibus: (*s*) nunc à Conſularibus adminiſtratur. *Sardiniam & Corſicam* Metellus vicit. Qui & triumphavit de Sardis, qui rebellavere ſæpe. (*t*) Juncta adminiſtratio harum inſularum fuerat: poſt, [quælibet] ſuos Prætores habuit, nunc ſingulæ à [ſuis] præſidibus reguntur. (*u*) In *Africam* pro defenſione Siculorum Romana tranſmiſſa ſunt ſigna. (*w*) Ter Africa rebellavit: ad extremum, delata per Africanum Scipionem Carthagine, provincia facta eſt, nunc ſub Proconſulibus agit. *Numidia* ab amicis regibus tenebatur: ſed Jugurthæ, ob necatos Adherbalem & Hiempſalem Micipſæ regis filios, bellum indictum eſt, & eo per Metellum Conſulem attrito, per Marium capto, in Populi Romani poteſtatem Numidia pervenit. *Mauritaniæ* à Boccho [rege] obtentæ ſunt. Sed ſubacta omni Africa, Mauros Juba rex tenebat, qui in cauſa belli civilis, à Julio (*x*) Cæſare victus, mortem ſibi propria manu conſcivit. Ita Mauritaniæ noſtræ eſſe cœperunt: ac per omnem Africam ſex provinciæ factæ ſunt. Ipſa ubi Carthago eſt, Proconſularis; Numidia, Conſularis; [Byzacium, Conſularis;] Tripolis, & Mauritaniæ duæ, hoc eſt, Sitifenſis & Cæſarienſis, ſunt Præſidales. *Hiſpanis* primum auxilium adverſus Afros per Scipiones (*y*) tulimus. Rebellantes Luſitanos in Hiſpania per Decimum Brutum obtinuimus, & uſque Gades ad Oceanum mare pervenimus. Poſt [ea] ad Hiſpanos tumultuantes [D. Junius] Silanus cum exercitu miſſus, eos vicit. (*z*) Celtiberi in Hiſpania ſæpe rebellavere: ſed miſſo juniore Scipione, (*a*) cum excidio Numantiæ ſubacti ſunt. Omnes pene (*b*) Hiſpaniæ occaſione belli Sertoriani, per Metellum & Pompejum in deditionem (*c*) acceptæ ſunt: poſtea prorogato in quinquennium imperio, (*d*) à Pompejo perdomitiæ [ſunt.] Ad extremum quoque ab Octaviano Cæſare Auguſto, Cantabri & Aſtures, qui freti montibus reſiſtebant, deleti ſunt. Ac per omnes Hiſpanias ſex ſunt nunc provinciæ: Tarraconenſis, Carthaginenſis, Luſitania, Gallæcia, (*e*) Bætica. Trans fretum (*f*) etiam in ſolo terræ Africæ, (*ff*) provincia Hiſpaniarum (*g*) eſt, quæ Tingitanica (*h*) Mauritania cognominatur. Ex his Bætica & Luſitania, Conſulares: ceteræ Præſidales ſunt. Cum *Gallis* graviſſima bella Populus Romanus habuit. Galli enim etiam illam (*i*) partem Italiæ, in qua nunc Mediolanum eſt, uſque ad Rubiconem fluvium tenebant: in tantum viribus freti, ut Romam ipſam bellum peterent, & cæſis exercitibus Romanis, apud Alliam fluvium, mœnia urbis intrarent, Capitoliumque obſiderent; ad cujus arcem ſexcenti nobiliſſimi Senatores conſu-

Sardinia & Corſica.

Africa.

Numidia.

Mauritania.

Africæ provinciæ.

Hiſpania.

Hiſpaniæ provinciæ.

Gallia.

(*h*) al. militaribus. (*i*) al. Illyricum, Iſtria. (*k*) al. &. (*l*) al. Pontus ejus regnum. (*m*) al. regnum eſt occupatum. (*n*) al. Coduenos. (*o*) al. pervenerunt. (*p*) al. ac Syriis. (*q*) al. eſt. (*r*) al. ita oſtenditur infra. (*s*) al. Deinde à Prætoribus recta, poſtea & commiſſa Præſidibus. (*t*) al. de Sardis. Rebellavere ſæpe Sardi. (*u*) al. Poſt, ſuos quæque Prætores habuit, nunc ſingulæ à Præſidibus reguntur. (*w*) al. Romana arma transmiſſa ſunt. (*x*) al. ab Auguſto. (*y*) al. Scipione. (*z*) al. Poſtea ad Hiſpanos tumultuantes Sylla miſſus, eos vicit. (*a*) al. minore Africano. (*b*) al. prope. (*c*) al. ditionem noſtram. (*d*) al. quinquenni imperio. (*e*) al. Callectia. (*f*) al. freta. (*ff*) al. Africanæ. (*g*) Hiſpaniæ. (*h*) al. Tingitana. (*i*) al. eam.

confugerant, qui mille auri pondo (*k*) se [ab] obsidione redemerunt. Postea Gallos victores remeantes, (*l*) Camillus, qui in exilio erat, collecta de agris multitudine, oppressit, aurum & signa quæ Galli ceperant, reportavit. Cum Gallis multi Consules, Prætores, ac Dictatores, eventu vario conflixerunt. Marius Gallos de Italia expulit, & transcensis Alpibus, feliciter adversus eos pugnavit. C. Cæsar (*m*) cum decem legionibus, quæ tercena (*n*) millia militum Italorum habuerunt, per annos octo, ab Alpibus ad Rhenum usque Gallias subegit. Cum barbaris ultra Rhenum positis conflixit: in Britanniam transivit. Decimo anno (*o*) Gallias & Britannias tributarias fecit. Sunt in Gallia (*p*) cum Aquitania & Britanniis provinciæ octodecim: (*q*) Alpes maritimæ, Provincia Narbonensis, Viennensis, Novempopulana, Aquitaniæ duæ, Lugdunenses duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ. In Britannia, Maxima Cæsariensis, [Flavia,] (*r*) Britannia prima, Britannia secunda.

Galliæ Provinciæ, & Britanniæ.

Illyricum.

Illyricum ab ora maritima paullatim aggressi sumus. Lævinus Consul Adriaticum atque Ionicum mare primum ingressus, maritimas obtinuit civitates. *Creta* per Metellum Proconsulem, qui *Creticus* dictus est, provincia facta est. *Græcis* in fidem nostram confugientibus, ad Achaiam accessimus. Athenienses, adversus Philippum Macedonum regem auxilium nostrum petierunt. Libera diu sub amicitiis nostris Achaia fuit. Ad extremum legatis Romanorum (*s*) apud Corinthum violatis, per L. Mummium Proconsulem capta Corinthus, (*t*) Achaia omnis obtenta est. *Epirotæ*, qui aliquando cum rege Pyrrho, etiam ad Italiam transire præsumpserant, victi: atque (*u*) *Thessali* simul cum Achivorum & Macedonum regionibus nobis accesserunt. *Macedonia* ter rebellavit, sub Philippo, sub Perseo, (*w*) sub Pseudophilippo. Philippum Flamminius, (*x*) Perseum (*y*) Paulus, Pseudophilippum Metellus oppressit: quorum triumphis, Macedonia [quoque] Populo Romano adjuncta est. *Illyricos*, (*z*) quia (*a*) Macedonibus auxilium tulerant, ex eadem occasione per L. Anicium (*b*) Prætorem vicimus, & eos cum rege Gentio in deditionem accepimus. *Dardanos* & *Mœsios* (*c*) Curius (*d*) proconsul subegit: & primus Romanorum ducum ad Danubium usque pervenit. Sub Julio & Octaviano Augusto Cæsaribus per (*e*) Alpes Julias iter factum est. *Alpinis* omnibus victis, *Noricorum* provinciæ accesserunt. Bathone Pannoniorum rege subacto, in ditionem nostram *Pannoniæ* venerunt. Amantinis inter Savum (*f*) & Dravum prostratis, regio Savensis (*g*) ac Secundorum Pannoniorum loca obtenta sunt. *Marcomanni* & *Quadi*, de locis Valeriæ, quæ sunt inter Danubium & Dravum, pulsi sunt, & limites inter Romanos ac Barbaros ab Augusta Vindelicum per Noricum, Pannonias ac Mœsiam est constitutus. Trajanus *Dacos* sub rege Decibalo vicit, & Daciam trans Danubium in solo barbarico (*h*) provinciam fecit, quæ in circuitu decies centena millia passuum habuit. Sed sub Gallieno Imperatore amissa est: & per Aurelianum, translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœsiæ [ac Dardaniæ] factæ sunt. Provincias habet *Illyricus* septem & decem. Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Suaviam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas. Et in diœcesi *Macedoniæ* sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri duæ, Prævalis & Creta. In *Thracias* Macedonici belli occasione transcursum est. Sævissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In Thraciæ regionibus etiam Scordisci habitaverunt, pariter crudeles & callidi, (*k*) de quorum sævitia multa fabulose (*l*) memorantur, quod hostiis captivorum diis suis [aliquando] litaverint, (*m*) atque sanguinem humanum in ossibus capitum potare sint soliti. Sæpe per eos Romanus est cæsus exercitus. Marcus Didius vagantes Thracas repressit. Marcus Drusus intra fines proprios continuit, M. Minucius in Ebri fluminis glacie vastavit. Per Appium Claudium Proconsulem, hi qui Rhodopen incolebant, victi sunt. Europæ maritimas urbes antea Romana classis obtinuit. Marcus Lucullus per Thracias cum Bessis primus conflixit, ipsamque caput gentis Thraciam vicit. Hemimontanos subegit: Eumolpiadam, quæ nunc Philippopolis dicitur; Uscudaniam (*n*) quæ modo Adrianopolis nominatur, in ditionem nostram redegit. Capylen (*o*) cepit. Supra Pontum positas civitates occupavit, Apolloniam, Calatim, (*p*) Parthenopolim, (*q*) Tomos, Istrum, ad Danubium usque perveniens, Romana Scythis arma monstravit. Ita ditioni (*r*) Reipublicæ sex Thraciarum provinciæ sunt acquisitæ: Thracia, Hæmimons, (*s*) Mœsia inferior, Scythia, Rhodope, Europa, in qua nunc secundæ arces Romani orbis sunt constitutæ, Constantinopolis.

Creta. Achaia. Corinthus. Epirus. Thessalia. Macedonia. Dardania & Mœsia. Noricum. Pannonia. Dacia. Illyrici Provinciæ. Macedoniæ provinciæ. Thracia. Thraciæ Provinciæ.

Nunc Eoas partes, totumque Orientem, ac positas sub vicino sole provincias, qui auctores sceptris tuis paruerint, explicabo, quo studium clementiæ tuæ, quod in iisdem propagandis habes, amplius excitetur. *Asia* societate Attali Regis nota Romanis est: eamque Attali testamento relictam hæreditario jure possidemus. (*t*) Ne quid tamen Populus Romanus non viribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho Syriarum rege maximo est vindi-

Asia.

(*k*) al. libris. (*l*) al. Postea Gallos cum victoria remeantes. (*m*) al. Ceterum C. Cæsar. (*n*) al. quaterna. (*o*) al. Decem annis. (*p*) Sunt Galliæ. (*q*) al. decem & octo. (*r*) al. Flavia Cæsariensis. (*s*) al. Romanis. (*t*) al. Corintho. (*u*) al. ac. (*w*) al. Perse. (*x*) al. Flaminius. (*y*) al. Persen. (*z*) al. Illyrios. (*a*) al. qui. (*b*) al. per * Ancilium. (*c*) Mœsiacos. (*d*) al. Curio. (*e*) al. Sub Julio & Octaviano Augusto per &c. (*f*) al. Suavum. (*g*) al. Suaviensis. (*h*) al. Barbariæ. (*i*) al. Habet Illyricus decem & septem provincias. (*k*) al. pariter crudele & calidum genus. (*l*) al. multa de sævitia prædictorum fabulosa &c. (*m*) al. liberaverint. (*n*) al. Uscudamam: (*o*) al. Calyben. (*p*) al. Galatum. (*q*) al. Phthinopolim. (*r*) al. In ditionem. (*s*) al. Æmimontus. (*t*) al. possedimus.

Ejuſque Provinciæ.

vindicata. Eadem occaſione etiam *Lydia*, ſedes antiqua regnorum *Caria*, *Helleſpontus*, (*u*) ac *Phrygia*, (*x*) in poteſtatem Populi Romani juncta deditione pervenerunt. (*y*) *Rhodiis*, & *Inſularum populis* experti, primum infeſtiſſimos poſt iisdem fideliſſimis [auxiliatoribus] uſi ſumus. Ita Rhodus, & Inſulæ primum liberæ (*z*) agebat; poſtea in conſuetudine parendi Romanis, clementer provocati (*a*) pervenerunt: & ſub Veſpaſiano principe, *Inſularum provincia* facta eſt. *Pamphyliam*, *Lyciam*, *Phrygiam*, *Piſidiam*, *Inſauriam* Servilius Proconſul ad bellum piratarum miſſus, obtinuit. *Bythaniam* defuncti regis Nicomedis teſtamento ſumus aſſequuti. *Gallogræciam*, id eſt, (*b*) *Gallatiam* (ſunt enim, ut nomen ſonat, (*c*) è Galliis Gallatæ) (*d*) quod Antiocho contra Romanos auxilium præbuiſſent, (*e*) invaſimus. Manlius Proconſul (*f*) Gallatas perſequutus eſt, & confugientes partim in Olympum, partim in Magabam (*ff*) montem, qui nunc Modiacus dicitur, de arduis eos in plana detruſit: victoſque in perpetuam pacem redegit. Poſtea Gallatiam Deiotarus Tetrarches nobis permittentibus tenuit. Ad extremum ſub Octaviano Cæſare Auguſto Gallatia in formam provinciæ redacta eſt. Ea (*g*) primus (*h*) Lollius Proprætor adminiſtravit. *Cappadoces* primo (*i*) ſocietatem noſtram ſub Ariarathe (*k*) rege [per legatos] petiverunt, poſteaque (*l*) Ariobarzanes rex Cappadocum à Mithridate expulſus, Romanorum armis reſtitutus eſt: ſemperque in (*ll*) auxilia noſtra fuere Cappadoces: & ita majeſtatem coluere Romanam, ut in honorem Auguſti Cæſaris Mazaca civitas Cappadociæ maxima, Cæſarea nuncuparetur. Poſtremo quum ſub Imperatore Claudio Cæſare, Archelaus rex Cappadocum (*m*) Romam veniſſet, ibique diu detentus occubuiſſet, in provinciæ ſpeciem Cappadocia migravit. *Pontus* per Pompejum victo Mithridate rege Pontico, formam provinciæ accepit. *Paphlagoniam* Pylæmenes rex amicus Populi Romani tenuit. Sæpe ex ea pulſus, à nobis eſt reſtitutus. (*n*) Quo mortuo, provincia (*o*) Paphlagonibus impoſita eſt.

Inſularum provincia. Bythania. Gallogræcia. Cappadocia. Pontus. Paphlagonia.

Ultra juga *Tauri* montis, quemadmodum Romana perrexit poſſeſſio, conſequenti (*p*) locorum magis quam temporum ſervata digeſtione, monſtrabitur.

Syria.

Antiochus Syriæ rex potentiſſimus, bellum formidabile Populo Romano intulit. Trecenta (*q*) millia armatorum habuit: falcatis etiam curribus ac Elephantis aciem inſtruxit. A Scipione Conſule, fratre Scipionis Africani, [in Aſia (*r*)] apud Magneſiam victus, pace accepta, intra Taurum [montem] regnare permiſſus eſt. Ejus filii ſub clientela Populi Romani regnum Syriæ retinuerunt. Quibus defunctis, Syriarum provinciis potiti ſumus. *Cilices* & *Iſauros*, qui ſe piratis & prædonibus maritimis junxerant, Servilius Proconſul ad prædonum bellum miſſus, ſubegit, & viam per Taurum montem primus inſtituit: iſque de Cilicibus & Iſauris triumphavit, atque *Iſauricus* eſt cognominatus. *Cyprus*, famoſa divitiis, paupertatem Populi Romani, ut occuparetur, ſollicitavit. Eam Rex fœderatus [Ptolemæus] regebat: ſed tanta fuit penuria ærarii Romani, & tam ingens fama opum Cypriarum, ut lege lata (*s*) [per P. Clodium trib. pl.] Cyprus confiſcari juberetur. Quo accepto nuntio, rex Cyprus venenum ſumpſit: quo vitam prius quam divitias amitteret. Cato Cyprias opes [Romam] navibus advexit. Ita ut jus ejus inſulæ avarius [magis] quam juſtius ſimus (*t*) aſſecuti. *Cyrenas* cum ceteris civitatibus *Lybiæ Pentapolis*, Ptolomæi antiquioris liberalitate accepimus. (*u*) *Lybiam* ſupremo Apionis regis arbitrio ſumus aſſequuti. *Ægyptus* omnis, ſub amicis regibus fuerat: ſed victa cum Antonio Cleopatra, provinciæ formam Octaviani Cæſaris Auguſti temporibus accepit. Et primum apud Alexandrinos Cornelius Gallus [Romanus judex] adminiſtravit. Per confinia *Armeniarum* primum ſub L. Lucullo Romana trans Taurum ſigna transmiſſa ſunt. Phylarchi (*x*) *Saracenorum* in Oſdrœna (*y*) ſuperati ceſſere. In *Meſopotamia* ab eodem Lucullo Niſibis capta eſt. Poſtea per Pompejum eadem loca armis obtenta ſunt. *Syria Pœhnices* (*z*) bello à Tigrane Armeniorum rege recepta eſt. *Arabes* & *Judæi* in Palæſtina victi ſunt. Ad extremum ſub Trajano principe, regi majoris Armeniæ diadema ſublatum eſt: & per Trajanum *Armenia*, *Meſopotamia*, *Syriæ* (*a*) & *Arabia*, (*b*) provinciæ factæ ſunt: ac limes Orientalis ſupra ripas fluminis Tigridis conſtitutus eſt. (*c*) Sed Hadrianus, qui ſucceſſit Trajano, invidens gloriæ Trajani, ſponte ſua Armeniam, Meſopotamiam & Aſſyriam reddidit: (*d*) ac medium inter Perſas & Romanos Euphratem eſſe voluit. Sed poſtea ſub Antoninis duobus, Marco & Vero, & Severo Pertinace, ceteriſque principibus Romanis, qui adverſus Parthos eventum vario dimicaverunt, quater amiſſa, quater recepta Meſopotamia eſt. Ac Diocletiani temporibus, victis prima congreſſione Romanis, ſecundo autem conflictu ſuperato rege Narſe, (*e*) uxore ejus ac filiabus captis, & cum ſumma pudicitiæ cuſtodia reſervatis, pace facta, Meſopotamia eſt reſtituta, & ſupra (*f*) ripam Tigridis limes eſt reformatus: (*g*) ita

Cyprus. Cyrene. Lybia. Ægyptus. Armenia. Saraceni. Meſopotamia. Arabes & Judæi. Perſia ſub Hadriano. Sub Antoninis. Sub Diocletiano.

(*u*) al. Elleſpontus. (*x*) al. Phrygiæ. (*y*) al. ditione venerunt. (*z*) al. libere. (*a*) al. parendi, Romanis clementer provocantibus. (*b*) al. hoc eſt. (*c*) al. reſonat. (*d*) al. ex Gallicis Gallatæque. (*e*) al. præbuiſſet. (*f*) al. Mummius Proconſule. (*ff*) al. Megabeam. (*g*) al. Et. (*h*) al. primum. (*i*) al. primum. (*k*) al. Epafrace. (*l*) al. poſteaquam. (*ll*) al. inter. (*m*) al. ex Cappadocia. (*n*) al. regno à nobis eſt reſtitutus. (*o*) al. provinciæ jus - - - - impoſitum. (*p*) al. conſequenter. (*q*) al. In quo trecenta &c. (*r*) al. Ab Scipione Africano in Aſia. (*s*) al. data. (*t*) al. Ita jus - - - - - ſumus aſſecuti. (*u*) al. ſuſcepimus. (*x*) al. Fylarchi. (*y*) al. Oſrœna. (*z*) al. Syriæ, Phonice - - - - - receptæ. (*a*) al. *Aſſyria.* (*b*) al. *Arabiæ.* (*c*) al. eſt inſtitutus. (*d*) al. Armeniam, Aſiam, Meſopotamiam reddidit. (*e*) al. Narſeo. (*f*) al. ſuper. (*g*) al. refirmatus.

ita, ut quinque gentium trans Tigridem constitutarum ditionem assequeremur. Quæ conditio fœderis in tempus Divi (*h*) Constantii conservata (*i*) duravit.

Scio nunc, inclyte princeps, quo tua pergat (*k*) intentio. Requiris profecto quoties *Babyloniæ* & Romanorum arma collata sint, & quibus vicibus sagittis pila contenderint. Breviter eventus enumerabo bellorum. Furto hostes in paucis invenies esse lætatos: vera autem virtute semper Romanos probabis exstitisse victores. Primum à L. Sylla Proconsule Arsaces rex *Parthorum* missa legatione amicitiam Populi Romani rogavit, ac meruit. L. Luculus Mithridatem regno Ponti exutum ad Armeniam persequutus est. Tigranem Armeniorum regem cum septem millibus clibanariis, & centum viginti millibus sagittariorum, ipse cum decem & octo millibus Romanorum vicit. Tigranocertam (*l*) maximam Armeniæ civitatem expugnavit. Madenam (*m*) optimam Armeniorum regionem obtinuit: per Melitenam ad Mesopotamiam descendit. Nisibim cum fratre regis (*n*) cepit. Tendere in Persas paratus, successorem accepit. Cn. Pompejus expertæ felicitatis ad Mithridaticum bellum missus, Mithridatem in Armenia minore nocte aggressus, prælio superavit: cæsis duobus & quadraginta millibus hostium, castra ejus invasit. Mithridates enim cum uxore & duobus comitibus in Bosphoros fugit: ibi desperatione rerum suarum, venenum hausit, & quum parum ageret vis veneni, (*o*) à milite suo ut ferro percuteretur, imperavit. Pompejus auxiliatorem (*p*) Mithridatis Tigranem Armeniorum (*q*) regem persequutus est. Ille se [ei] oblato diademate apud Araxata dedidit. Receptæ sunt ab eo Mesopotamia, Syriæ, & aliquanta pars Phœnices: atque inter Armeniam majorem regnare permissus est. Idem Pompejus Bosphoranis & Colchis Aristarchum regem imposuit. Cum Albanis conflixit. Orœsi Albanorum regi ter victo, pacem dedit. Iberiam Cum Arthoce (*r*) rege in deditionem accepit. Saracenos & Arabas vicit. Judæa capta, Hierosolymam obtinuit. Cum Persis fœdus fecit. (*s*) Rediens apud Antiocham, Daphnensem lucum, delectatus loci amœnitate & aquarum abundantia, addito nemore consecravit. Marcus Crassus Consul adversus Parthos rebellantes missus est. Is cum pacem missa à Parthis (*t*) legatione rogaretur, apud Ctesiphontem responsurum se ait. Apud Zeugmam trajecit Euphratem, & à transfuga quodam Abgaro (*u*) inductus, ad ignotam camporum solitudinem descendit. Ibi undique circumvolantibus sagittariorum agminibus, cum Sillace & Surena (*x*) præfectis regiis est cinctus exercitus, & vi telorum obrutus. Ipse Crassus, quum ad colloquium sollicitatus vivus pene capi potuisset, repugnantibus tribunis evaserat: & dum fugam petit, occisus est. Caput ejus cum dextera manu resectum, ad regem perlatum est: atque ita ludibrio habitum, ut faucibus ejus aurum liquefactum infunderetur: scilicet qui ardens cupiditate prædandi, pacem regi dare rogatus abnuerat, etiam mortui ejus reliquias auri flamma combureret. C. (*y*) Cassius quæstor Crassi, vir strenuus, reliquias fusi collegit exercitus. Contra Persas in Syriam irrumpentes, ter cum summa admiratione conflixit, eosque trans Euphratem redactos vastavit. Parthi Labieno duce (qui Ponpejanarum partium fuerat, & victus ad Persas refugerat) in Syriam irruperunt, ac totam provinciam occupaverunt. Sed Publius Ventidius Bassus Parthos, qui ducente Labienio Syriam invaserant, occurrens in Tauro (*z*) monte, cum paucis fugavit, Labienum occidit. Persecutus est Parthos, (*a*) & ad internecionem stravit. (*b*) Qua congressione Parthorum regis filium eadem die qua Crassus victus fuerat, occidit: ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Parthis (*c*) primus triumphavit. Marcus Antonius *Mediam* ingressus, quæ nunc Medena appellatur, bellum Parthis intulit, & primis eos præliis vicit. Verum post, duabus legionibus amissis, cum fame, pestilentia, tempestatibusque premeretur, vix per Armeniam, Parthis insequentibus, revocavit exercitum: tanto per monumenta temporum terrore perculsus, ut à gladiatore suo percuti postularet, ne vivus veniret in hostium potestatem. Sub OCTAVIO CÆSARE AUGUSTO Armenia cum Parthis conspiravit. Claudius Cæsar nepos Augusti, cum exercitu missus ad Orientem, cum pro majestate (*d*) Romani nominis facile cuncta sedasset, atque ei se Armenii, qui tunc temporis validiores erant, cum Parthis dedidissent, judicesque ex instituto Pompeji dictis (*e*) gentibus Claudius Cæsar præficeret, Domnes quidam, quem Parthis Arsaces præposuerat, proditione simulata, libellum in quo scripti thesauri continerentur, obtulit, quem cum Romanus Imperator legeret intentius, cultro Domnes aggressus Claudium vulneravit. (*f*) Percussor quidem à militibus confossus (*g*) est: Claudius vulneratus, (*h*) regressus in Syriam, obiit. Parthi ad satisfactionem tam audacis admissi, obsides tunc primum (*i*) Octaviano Cæsari Augusto dederunt, & erepta sub Crasso signa retulerunt. Pacatis gentibus Orientis, Augustus Cæsar etiam *Indorum* legationem primus accepit. NERO, quem turpissimum Imperatorem Romana est passa Respublica, amisit Armenias duas. Tum [Romanæ] legiones duæ sub jugum à Parthis (*k*) missæ, extremo dedecore Romani exercitus sacramenta fœdarunt TRAJANUS, qui post Augustum Romanæ Reipublicæ movit lacertos, Armeniam recepit à Parthis. Sublato diademate, regi Armeniæ majoris regnum ademit. Albanis regem dedit. Iberos, Bos-

Babylonia. Mithridaticum bellum. Pompeji progressus in Asia. Crassi. Interitus. Post mortem ludibrio habetur. Cassii progressus in Asia. Ventidii pariter. M. Antonii progressus in Asia. Octavii Augusti. Claudii Cæsaris. Neronis. Trajani.

 phoranos,

(*h*) al. Divalis. (*i*) al. reservata. (*k*) al. pergit. (*l*) al. Tigranocerta. (*m*) al. Adenam (*n*) al. cum Fraate rege. (*o*) al. & quum vis veneni parum esset. (*p*) al. auxiliarem (*q*) al. armeniarum. (*r*) al. Artace. (*s*) al. icit. (*t*) al. Persis. (*u*) al. Mazoro. (*x*) al. cum Camsilate & Supinate. (*y*) al. Lucius. (*z*) al. in Capro. (*a*) al. Persas. (*b*) al. delevit. (*c*) al. Persis. (*d*) al. per majestatem. (*e*) al. prædictis. (*f*) al. ultro aggressus gladio vulneravit. (*g*) al. occisus. (*h*) al. ex vulnere. (*i*) al. primo. (*k*) al. Persis.

phoranos, Colchos, in fidem Romanæ ditionis accepit. (*l*) Saracenorum (*m*) loca & Arabum occupavit. Corduenos (*n*) & Marcomedos obtinuit Anthemusiam (*o*) optimam Persidis regionem, Seleuciamque & Ctesiphontem ac Babyloniam accepit, & tenuit. Usque ad Indiæ fines post Alexandrum accessit. In mari rubro classem instituit. Provincias fecit Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam, quæ inter Tigridem atque Euphratem sita, irriguis amnibus instar Ægypti fœcundatur. HADRIANUM gloriæ Trajani certum est invidisse, qui ei successit (*p*) in imperio; sponte propria reductis (*q*) exercitibus, Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam concessit, & inter Romanos & Parthos (*r*) [medium] Euphratem esse voluit.

Hadriani.

ANTONINI duo, Marcus & Verus, ille socer, hic gener, (*s*) pariter Augusti, Imperator (*t*) orbis æquata prius potestate tenuerunt. Sed ex his Antoninus junior ad expeditionem Parthicam profectus est: multaque [&] ingentia adversus Persas feliciter gessit. Seleuciam Assyriæ urbem cum quadringentis millibus hostium cepit, ingenti gloria de Parthis (*u*) cum socero triumphavit. SEPTIMIUS SEVERUS, natione Afer, acerrimus Imperator, Parthos strenuissime (*x*) vicit: Adiabenos delevit, Arabas [interiores] obtinuit, & Arabiam provinciam fecit. Huic cognomina ex victoriis quæsita sunt. Nam Parthicus, (*y*) Adiabenicus, & Arabicus est cognominatus. ANTONINUS [*Bassianus*] cognomento *Caracalla*, filius Severi Imperatoris, expeditionem in Parthos (*z*) parans, in Osroëna (*a*) apud Edessam propera (*b*) morte obiit & ibidem sepultus est. AURELIUS ALEXANDER, quasi fato quodam in exitium Persicæ gentis natus, (*c*) juvenis admodum Romani gubernacula suscepit Imperii. Ipse Persarum regem nobilissimum Xerxem gloriose vicit. Hic Alexander scriniorum magistrum habuit Ulpianum Jurisconsultum. (*d*) De Parthis (*e*) Romæ pompa spectabili triumphavit. Sub GORDIANO [acri] ex juventutis fiducia rebellantes Parthi, ingentibus præliis contusi sunt. Isque de Perside rediens victor, fraude Philippi, qui præfectus prætorii erat, occisus est. Milites ei tumulum vicesimo miliario à Cercusio (*f*) castro, quod & nunc exstat, ædificaverunt, atque exsequias ejus Romam cum maxima venerationis reverentia (*g*) deduxerunt.

Antoninorum. Septimii Severi. Antonini Caracallæ. Aurelii Alexandri. Gordiani.

VALERIANI infausti principis fortunam tædet referre. Is cum GALLIENO suscepit Imperium, sed hunc (*h*) exercitus, Gallienum Senatus Imperatorem fecisset. In Mesopotamia (*i*) adversus Persas Valerianus congressus, à Sapore Persarum rege superatus est, & captus, in dedecore servitutis (*k*) consenuit. Sub Gallieno Mesopotamia invasa, (*l*) etiam (*m*) Syriam sibi Persæ cœperant vindicare, nisi, quod turpe dictu est, Odenatus Decurio Palmyrenus, collecta Syrorum agrestium manu, acriter restitisset, & fusis aliquoties Persis, non modo nostrum militem defendisset, sed etiam ad Ctesiphontem, Romani ultor Imperii, quod mirum est dictu, penetrasset. (*n*) AURELIANI Imperatoris gloriæ Zenobia Odenati uxor accessit. Etenim (*o*) post mortem mariti fœminea ditione Orientis tenebat imperium: quam Aurelianus multis clibanariorum & sagittariorum millibus fretam, apud Himmas (*p*) haud procul ab Antiochia vicit, & captam Romæ triumphans ante currum duxit. CARI Imperatoris victoria de Persis, nimium potens superno numini visa est. Nam ad invidiam cœlestis indignationis pertinuisse credenda est. (*q*) Is enim ingressus Persidem, quasi nullo obsistente vastavit: Colchen & Ctesiphontem urbes [Persarum] nobilissimas cepit. Quum victor totius gentis castra super Tigridem haberet, fulminis ictu (*r*) interiit. Sub DIOCLETIANO principe pompa victoriæ de Persis nota est. MAXIMIANUS Cæsar, prima congressione quum contra innumeram mulitudinem cum paucis acriter dimicasset, pulsus recessit: ac tanta indignatione à Diocletiano susceptus est, (*s*) ut ante carpentum ejusper aliquot millia passuum cucurrerit purperatus, & quum vix impetrasset, ut reparato de limitaneis Daciæ exercitu, eventum Martis repeteret, in Armenia majore ipse Imperator, cum duobus equitibus exploravit hostes, & cum viginti [quinque] millibus militum superveniens castris hostilibus, subito innumera Persarum agmina aggressus, ad internecionem cæcidit. Rex Persarum Narseus effugit, uxor ejus & filiæ captæ sunt, & [cum] maxima pudicitiæ custodia reservatæ. Pro qua admiratione Persæ non modo armis, sed etiam moribus superiores esse Romanos confessi sunt: ac Mesopotamiam (*t*) cum Transtigritanis quinque regionibus reddiderunt. Pax factam usque ad nostram memoriam Reipublicæ utilis perduravit.

Valeriani. Gallieni. Zebonia uxor Aureliani. Cari progressus in Asia. Diocletiani. Maximiani.

CONSTANTINUS rerum dominus, extremo vitæ suæ tempore, expeditionem paravit in Persas. Toto enim orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis gloriosior victoria, cunctis (*u*) in Persas descendebat agminibus. Sub cujus adventu (*x*) Babyloniæ in tantum regna trepidarunt, ut supplex eorum legatio (*y*) occurreret, Persasque facturos imperata promitteret. Nec tamen pro assiduis eruptionibus, quas sub Constantino Cæsare per Orientem tentaverant, veniam meruerunt. CONSTANTIUS in Persas vario ac magis difficili pugnavit eventu. Præter enim

Constantini. Constantii.

(*l*) al. recepit. (*m*) al. Oroënorum. (*n*) al. Cardenos. (*o*) al. Antemusium. (*p*) al. successor. (*q*) al. imperio. Hic sponte propria inde reductis. (*r*) al. ac Persas. (*s*) al. Verus, hoc est, socer & gener. (*t*) al. Imperium. (*u*) al. Persis. (*x*) al. strenue (*y*) al. Parthicus enim. (*z*) al. Persas. (*a*) al. Hosphoenia. (*b*) al. propria. (*c*) al. renatus. (*d*) al. Juris consultorem. (*e*) al. Persis. (*f*) al. Circesso. (*g*) al. cum maxima reverentia. (*h*) al. cum Valerianum. (*i*) al. E quibus in Mesopotamia. (*k*) al. in dedecori servitute. (*l*) al. Mesopotamiam invaserant. (*m*) al. & jam. (*n*) al. restitisset. Is fusis - - - - defendit - - - - penetravit. (*o*) al. Ea enim. (*p*) al. Imas. (*q*) al. pertinuisse credendum. (*r*) al. vi fulminis ictus. (*s*) al. recessit. Hic tanta à Diacletiano indignatione susceptus est. (*t*) al. confessi sunt. Mesopotamiam &c. (*u*) al. multis. (*x*) al. adventum. (*y*) al. supplex ad eum legatio Persarum accurreret, & facturos &c.


enim leves excubantium in limite congressiones, acriori (z) Marte novies decertatum est, per duces suos septies: ipse præsens bis affuit veris & gravibus pugnis. Verum Sifavena, Singarena, præsente Constantio, & iterum Singarena (a) Constantiniensium, & Amida (b) capta est. Grave sub eo principe Respublica vulnus accepit. Ter autem est à Persis obsessa Nisibis, sed majore sui detrimento, dum obsideret hostis affectus est. Narsensi (c) autem bello, ubi Narseus occiditur, superiores discessimus. Nocturna vero in agro Eleiensi prope Singaram pugna, (d) ubi [præsens] Constantius affuit, omnium expeditionum compensatus fuisset eventus, si, locis ac nocte adversantibus, percitos ferocia milites, ab intempestivo pugnandi tempore, Imperator ipse ad alloquendum revocare potuisset; qui tamen invicti viribus, improvisi (e) adversus sitim aquarum subsidiis, incumbente jam vespere, castra Persarum aggressi, ruptis munitionibus, occupaverunt, fugatoque rege, quum à prælio respirantes, prætentis (f) luminibus [repertæ] inhiarent aquæ, nimbo sagittarum obruti sunt, cum stolide ad dirigendos certius in se ictus lumina ipsi per noctem accensa præberent. Juliano in externos hostes expertæ felicitatis principi, adversus Persas modus defuit. Is enim ingenti apparatu, utpote totius orbis regnator, infesta in Persas (g) signa commovit; instructam commeatibus classem (h) per Eufratem invexit. Strenuus in regressu, (i) multa Persarum oppida ac castella, aut suscepit dedita, aut manu cepit. Cum contra Ctesiphontem, in Tigridis & Euphratis ripa jam mixti castra haberet, ludosque campestres, ut hosti sollicitudinem demeret, per diem agitasset, noctis medio impositos navibus milites, in ulteriorem ripam repente transvexit. Qui per ardua nitentes, qua difficilis etiam per diem, & nullo prohibente fuisset ascensus, Persas terrore subito miscuerunt, versisque agminibus totius gentis, apertas Ctesiphontis portas (k) victor miles intrasset, ni major prædarum occasio fuisset, quam cura (l) victoriæ. Tantam adeptus gloriam, cum de reditu à comitibus admoneretur, intentioni suæ magis credidit: & exustis navibus, quum à transfuga, qui se ad fallendum objecerat, inductus, in Madenam, viæ compendia sectaretur, dextrum adversa Tigridis ripa nudato militum latere, iter relegens, dum (m) incautius per agmen errat, exito pulvere, ereptus è suorum conspectu, ab hostium obvio equite, conto per ilia ictus, inguinum tenus vulneratus est. Inter effusionem nimii sanguinis, cum suorum ordines licet saucius instaurasset, (n) cunctantem animam, multis (o) suos alloquutus, efflavit. Jovianus præliis (p) superiorem, sed confusum [subita] morte amissi Imperatoris, suscepit exercitum. Quum commeatus deficerent, & via in reditu prolixior immineret, & Persæ crebris excursibus nunc à fronte, nunc à tergo, mediorum quoque latera incursantes, iter agminis morarentur, consumptis aliquot diebus, tanta reverentia Romani nominis fuit, ut à Persis prius de pace sermo haberetur, ac reduci confessus inedia exercitus sineretur: conditionibus (quod numquam antea accidit) dispendiosis Romanæ Reipublicæ impositis, ut Nisibis, & pars Mesopotamiæ traderetur: quibus cupidior regni, quam gloriæ, Jovianus Imperio rudis acquievit.

Juliani. Joviani.

Conclusio Breviarii.

Quam magno deinceps ore, tua, Princeps invicte (q) facta inclyta sunt personanda: Quibus me licet imparem dicendi nisu, & ævo gravior præparabo. (r) Maneat modo concessa Dei nutu, cui credis, & ab amico cui creditus es numine indulta felicitas, ut post hanc (s) ingentem de Gothis, etiam Babyloniæ tibi palma pacis accedat.

(z) al. majori. (a) al. ac Segarena. (b) al, Constantiniensi quoque & cum Amida &c. (c) al. Narsanensi. (d) al. nocturna vero Elliensi prope Singaram pugna. (e) al. qui tamen invicti viribus improvisis, &c. (f) al. patentibus. (g) al. Parthos. (h) al. instructa commeatibus classe. (i) al. Strenuus ingressu. (k) al. apertis Ctesiphontem portis. (l) al. præda. (m) al. cum. (n) al. cum suorum ordines motos instaurasset. (o) al. multa. (p) al. prælio. (q) al. ô Princeps invicte. (r) al. parabo. (s) al. Maneat modo concessa divinitus & ab amico, cui credis & creditus es, numine indulta felicitas, ut ad hanc &c.



EU-

EUTROPII
V. C.
BREVIARIUM HISTORIÆ ROMANÆ,
AB
URBE CONDITA
AD ANNUM EJUSDEM URBIS
M. C. IX.



M. Tyroff direxit Norimbergæ

EUTROPII
V. C.
BREVIARIUM
HISTORIÆ ROMANÆ

DOMINO (*a*)
VALENTI.
GOTHICO, MAXIMO, PERPETUO, AUGUSTO.

Res Romanas ex voluntate mansuetudinis tuæ ab Urbe condita ad nostram memoriam, quæ in negotiis, vel bellicis, vel civilibus eminebant, per ordinem temporum brevi narratione collegi; strictim additis etiam iis, quæ in principum vitis egregia exstiterunt; ut tranquillitatis tuæ possit mens divina lætari, prius se illustrium virorum facta in administrando imperio sequutam, quam cognosceret lectione.

LIBER I.

CAPUT I.

Romanum Imperium, quo neque ab exordio ullum fere minus, neque incrementis toto orbe amplius humana potest memoria recordari, à Romulo exordium habet: qui Rheæ Silviæ, (*b*) Vestalis virginis filius, & (quantum putatus est) Martis, cum Remo fratre, uno partu editus est. Is, cum inter pastores latrocinaretur, decimo octavo anno nativitatis suæ, (*c*) urbem exiguam in Palatino monte constituit, XI. Kal. MAJI. Olympiadis sextæ anno tertio, post Trojæ excidium, ut qui plurimum minimumque tradunt, trecentesimo nonagesimo quarto. Condita civitate, quam ex nomine suo Romam vocavit, hæc ferme (*d*) egit. Multitudinem finitimorum in civitatem recepit: centum ex Senioribus elegit, (*e*) quorum consilio omnia ageret; quos Senatores nominavit propter senectutem. Tunc, cum uxores ipse & populus (*f*) non haberent, invitavit ad spectaculum Ludorum vicinas Urbis (*g*) nationes; atque earum Virgines rapuit. Commotis bellis propter raptarum injuriam, Cæninenses vicit, Antemnates, Crustuminos, (*h*) Sabinos, Fidenates, Veientes. Hæc omnia oppida

Romuli natales. U. C. an. 18. Ol. 2. a. C. N. 770.

Romulus Romam condit. U. C. I. Ol. 7. a. C. N. 752.

(*a*) al. D. N. (*b*) al. Rheæ Silviæ omittunt. (*c*) al. octodecim annos natus. (*d*) al. fere.
(*e*) al. legit. (*f*) al. populus suus. (*g*) al. Urbis Romæ. (*h*) al. Crustumios.

oppida Urbem cingunt. Et, cum orta ſubitò tempeſtate non comparuiſſet, anno regni trigeſimo ſeptimo, ad Deos tranſiſſe creditus eſt, & conſecratus. (*i*) Deinde Romæ per quinos dies Senatores imperaverunt, & his regnantibus annus unus completus eſt.

Ad Deos tranſit. Interregnum unius anni.

CAP. II. Poſtea Numa Pompilius rex creatus eſt: qui bellum nullum quidem geſſit, ſed non minus civitati, quam Romulus profuit. Nam & Leges Romanis Moresque conſtituit; qui conſuetudine præliorum jam latrones ac ſemibarbari putabantur. Annum deſcripſit in decem menſes, prius ſine aliqua computatione confuſum: & infinita Romæ ſacra ac Templa conſtituit. Morbo deceſſit, quadrageſimo & tertio (*k*) Imperii anno.

Numa Pompilius, Rex II. Romanorum. U. C. 38. Ol. 16. a. C. N. 715.

CAP. III. Huic ſucceſſit Tullus Hoſtilius. Hic bella reparavit; Albanos vicit, qui ab Urbe Roma duodecimo milliario ſunt. Vejentes & Fidenates, quorum alii ſexto milliario abſunt ab Urbe Roma, (*l*) alii octavo decimo, bello ſuperavit. Urbem ampliavit, adjecto Cœlio monte. Cum triginta duobus annis regnaſſet, fulmine ictus, cum domo ſuo arſit.

Tullus Hoſtilius, Rex III. Romanorum. U. C. 81. Ol. 27. a. C. N. 672.

CAP. IV. Poſt hunc Ancus Martius, Numæ ex filia nepos, ſuſcepit imperium. Contra Latinos dimicavit: Aventinum montem civitati adjecit, & Janiculum: atque Oſtiam civitatem ſupra mare ſextodecimo milliario ab Urbe Roma condidit. Vigeſimo & quarto (*m*) anno imperii morbo periit.

Ancus Martius, Rex IV. Romanorum. U. C. 113. Ol. 35. a. C. N. 640.

CAP. V. Deinde regnum Priſcus Tarquinius accepit. Hic numerum Senatorum duplicavit; Circum Romæ ædificavit; Ludos Romanos inſtituit, qui ad noſtram memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos; & non parum agrorum, ſublatum iisdem, Urbis Romæ territorio adjunxit; primusque triumphans Urbem intravit. Muros fecit & Cloacas: Capitolium inchoavit. Triceſimo octavo Imperii anno per Anci filios occiſus eſt, Regis ejus, cui ipſe ſucceſſerat.

Priſcus Tarquinius, Rex V. Romanorum. U. C. 137. Ol. 41. a. C. N. 616.

CAP. VI. Poſt hunc Servius Tullius ſuſcepit Imperium, genitus ex nobili fœmina, captiva tamen, & ancilla. Hic quoque Sabinos ſubegit, montes tres, Quirinalem, Viminalem, Eſquilinum Urbi adjunxit, foſſas circa (*n*) murum duxit. Primus omnium Cenſum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub eo Roma omnibus in Cenſum delatis, habuit capitum octoginta quatuor millia civium Romanorum, cum his qui in agris erant. Occiſus eſt XLV. imperii anno, ſcelere generi ſui Tarquinii Superbi, filii ejus regis, cui ipſe ſucceſſerat; & filiæ ſuæ, quam Tarquinius habebat uxorem.

Servius Tullius, Rex VI. Romanorum. U. C. 175. Ol. 50. a. C. N. 578.

CAP. VII. L. Tarquinius Superbus, ſeptimus atque ultimus regum, Volſcos (quæ gens ad Campaniam euntibus non longe ab urbe eſt) vicit; Gabios civitatem & Sueſſam Pometiam ſubegit; cum Thuſcis pacem fecit; & Templum Jovi in Capitolio ædificavit. Poſtea Ardeam oppugnans, in octavo decimo milliario ab Urbe poſitam civitatem imperium perdidit. Nam cum filius ejus, & ipſe Tarquinius junior, nobiliſſimam fœminam Lucretiam, eandem pudiciſſimam Collatini uxorem ſtupraſſet, eaque de injuria marito & patri & amicis queſta fuiſſet, in omnium conſpectu ſe occidit. Propter quam cauſam, Brutus, parens; & ipſe Tarquinius, populum concitavit, & Tarquinio ademit imperium. Mox exercitus quoque eum, qui civitatem Ardeam cum ipſo rege oppugnabat, reliquit: veniensque ad Urbem rex, portis clauſis excluſus eſt. Cumque imperaſſet annos viginti quinque, cum uxore & liberis ſuis fugit. Ita Romæ regnatum eſt per ſeptem reges annis ducentis quadraginta tribus, cum adhuc Roma, ubi plurimum, vix uſque ad quintum decimum milliarium poſſideret.

L. Tarquinius Superbus, Rex VII. Romanorum. U. C. 219. Ol. 61. a. C. N. 534.

Finis Regni Romani.

CAP. VIII. Hinc Conſules cœpere pro uno rege duo hac cauſa creari, ut ſi unus malus eſſe voluiſſet, alter eum, habens poteſtatem ſimilem, coërceret. Et placuit, ne Imperium longius, quam annum haberent, (*o*) ne per diuturnitatem poteſtatis inſolentiores redderentur, ſed civiles ſemper eſſent, qui ſe poſt annum ſcirent futuros eſſe privatos. Fuerunt igitur anno primo, expulſis regibus, Coſſ. Lucius Julius Brutus, (qui maxime egerat, ut Tarquinius pelleretur) & Tarquinius Collatinus, maritus Lucretiæ. Sed Tarquinio Collatino ſtatim ſublata dignitas eſt. Placuerat enim, ne quisquam in Urbe maneret, qui Tarquinius vocaretur. Qui accepto (*p*) omni patrimonio ſuo, ea Urbe migravit; & loco ipſius factus eſt Valerius Publicola Coſ.

Conſulare Imperium. U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510.

L. Jun. Brutus & L. Tarq. Collatinus Primi Conſules.

Valer. Publicola Cos.

CAP. IX. Commovit tamen bellum Urbi Romæ (*q*) rex Tarquinius, qui fuerat expulſus: & collectis multis gentibus, ut in regnum poſſet reſtitui, dimicavit. In prima pugna Brutus [Conſul] & Aruns Tarquinii filius invicem ſe occiderunt. Romani tamen ex ea pugna victores receſſerunt. Brutum Romanæ matronæ defenſorem pudicitiæ ſuæ, quaſi communem patrem, per annum luxerunt. Valerius Publicola Spurium Lucretium Tricipitinum collegam ſibi fecit, Lucretiæ patrem: quo morbo mortuo, iterum Horatium Pulvillum collegam ſibi ſumpſit. Ita primus annus quinque Conſules habuit: cum Tarquinius [Collatinus] Urbe ceſſiſſet propter nomen, Brutus prælio periſſet; Sp. Lucretius morbo mortuus eſſet.

Bellum cum Tarquiniis.

Bruti mors.

Conſules primi anni.

CAP. X. Secundo quoque anno iterum Tarquinius, ut reciperetur in regnum, bellum Romanis intulit, auxilium ei ferente Porſena Tuſciæ rege: & Romam pene cepit. Verum tum quoque victus eſt. Tertio anno poſt reges exactos, Tarquinius cum ſuſcipi non poſſet in regnum, neque ei Porſena, qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium præſtaret, Tuſculum ſe contulit; quæ civitas non longe ab Urbe eſt: atque ibi per quatuordecim annos privatus cum uxore perſenuit. (*r*) Quarto anno poſt reges exactos, cum Sabini Romanis bellum intuliſſent, victi ſunt; & de his eſt triumphatum. Quinto anno, [Lucius] Valerius ille Bruti collega, & IV. Coſſ. fataliter mortuus eſt; adeo pauper [factus] ut collatis

Continuatio belli cum Tarquiniis. U. C. 244. Ol. 67. a. C. N. 509.

Bellum cum Sabinis.

U. C. 247. Ol. 68. a. C. N. 506.

(*i*) al. tranſiſſe creditus, conſecratus eſt. (*k*) al. quadrageſimo tertio. (*l* al. Romana. (*m*) al. vigeſimo quarto. (*n*) al. circum. (*o*) al annum unum haberent. (*p*) al. Ergo accepto &c. (*q*) al. Romanæ. (*r*) al. conſenuit.

collatis à populo nummis, ſumptum habuerit ſepulturæ: quem matronæ, ſicut Brutum, annum luxerunt.

CAP. XI. Nono anno poſt reges exactos, cum gener Tarquinii ad injuriam ſoceri vindicandam, ingentem collegiſſet exercitum, nova Romæ (*s*) dignitas eſt creata, quæ Dictatura appellatur, major quam Conſularis. (*t*) Eodem anno etiam Magiſter Equitum factus eſt, qui Dictatori obſequeretur. Neque quidquam ſimilius poteſt dici, quam Dictatura antiqua huic Imperii poteſtati, quam nunc Tranquillitas veſtra habet; maxime cum Auguſtus quoque Octavianus, de quo poſtea dicemus; & ante eum C. Cæſar, ſub Dictaturæ nomine atque honore regnaverint. Dictator autem Romæ primus fuit Largius: Magiſter Equitum primus Spurius Caſſius.

Dictator & Magiſter Equitum inſtituuntur. U.C. 252. Ol. 69. a. C. N. 501.

CAP. XII. Sexto decimo anno poſt reges exactos, ſeditionem Populus Romæ fecit, tamquam à Senatu atque Conſulibus premeretur. Tum & ipſe ſibi Tribunos Plebis, quaſi proprios judices & defenſores, creavit, per quos contra Senatum & Conſules tutus eſſe poſſet. Sequenti anno Volſci bellum (*u*) reparaverunt: victi & capti, etiam (*x*) Coriolos civitatem, quam habebant optimam, perdiderunt.

Seditio populi Romani. U. C. 258. Ol. 71. a. C. N. 495. Tribuni plebis inſtituuntur.

Bellum cum Volſcis. U. C. 261. Ol. 72. a. C. N. 492.

CAP. XIII. Octavo decimo anno poſt ejectos reges, (*y*) expulſus ex Urbe Quintius Marcius dux Romanorum, qui Coriolos ceperat, Volſcorum civitatem: ad ipſos Volſcos contendit iratus; & auxilia contra Romanos accepit, Romanosque ſæpe vicit. Uſque ad quintum milliarium Urbis acceſſit, oppugnaturus etiam patriam ſuam, Legatis, qui pacem petebant, repudiatis; niſi ad eum mater Veturia & uxor Volumnia ex Urbe veniſſent: quarum fletu & deprecatione ſuperatus, removit exercitum. Atque hic ſecundus poſt Tarquinium fuit, qui dux contra patriam ſuam eſſet.

Q. Marcius Coriolanus Urbem Patriam aggreditur.

CAP. XIV. Cæſone Fabio & Tito Virginio Coſſ. trecenti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant, contra Veientes bellum ſoli ſuſceperunt, promittentes Senatui & Populo, per ſe omne certamen implendum. Itaque profecti omnes nobiles, & qui ſinguli magnorum exercituum duces eſſe deberent, in prælio conciderunt. Unus omnino ſuperfuit ex tanta familia, qui propter ætatem puerilem duci non potuerat ad pugnam. Poſt hæc Cenſus in Urbe habitus eſt, & inventa ſunt civium capitum CXIX. millia.

Bellum cum Veientibus Fabii gerunt. U.C. 273. Ol. 75. a. C. N. 480.

Fabii CCC. occiſi.

Cenſus.

CAP. XV. Sequenti anno, cum in Algido monte, ab Urbe duodecimo ferme milliario, Romanus obſideretur exercitus, Lucius Quintius Cincinnatus Dictator eſt factus: qui agrum quatuor jugerum poſſidens, manibus ſuis colebat. Is cum in opere & arans eſſet inventus, ſudore deterſo; togam prætextam accepit: cæſis hoſtibus, liberavit exercitum.

L. Quintius Cincinnatus Dictator. U.C. 294. Ol. 80. a. C. N. 459.

CAP. XVI. Anno CCC. & altero ab Urbe Condita imperium conſulare ceſſavit; & pro duobus Conſulibus decem facti ſunt, qui ſummam poteſtatem haberent, Decemviri nominati. Sed cum primo anno bene egiſſent, ſecundo unus ex iis Appius Claudius, Virginii cujusdam, qui honeſtis jam ſtipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginem corrumpere voluit: quam pater occidit, ne ſtuprum à decemviro ſuſtineret: & regreſſus ad milites movit tumultum. Sublata eſt Decemviralis (*z*) poteſtas, ipſique damnati ſunt.

Decemviri creati. U. C. 301. Ol. 82. a. C. N. 452.

CAP. XVII. Anno trecenteſimo decimo quinto ab Urbe Condita, Fidenates contra Romanos rebellarunt. Auxilium præſtabant his Veientes, & rex Veientium Tolumnius. Quæ ambæ civitates tam vicinæ Urbi ſunt, ut Fidenæ VII. Veientes XVIII. milliario abſint. Conjunxerunt ſe his & Volſci. Sed M. (*a*) Æmilio Dictatore, & Lucio Quintio Cincinnato Magiſtro Equitum, victi, etiam regem perdiderunt. Fidenæ captæ, & exciſæ.

Bellum cum Fidenatibus & Veientibus. U.C. 316. Ol. 85. a. C. N. 437.

Et Volſcis.

CAP. XVIII. Poſt XX. inde annos Veientani rebellaverunt. Dictator contra ipſos miſſus eſt Furius Camillus, qui primum eos vicit acie: mox etiam civitatem diu obſidens cepit, antiquiſſimam, Italiæque ditiſſimam. Poſt eam cepit & Faliſcos, non minus nobilem civitatem. Sed commota eſt ei invidia, quaſi prædam male diviſiſſet: damnatusque ob eam cauſam, & expulſus civitate eſt. Statim Galli Senones ad Urbem venerunt, & victos Romanos undecimo milliario à Roma (*b*) apud flumen Alliam ſecuti, etiam Urbem occupaverunt; neque defendi quidquam niſi Capitolium potuit. Quod cum diu obſediſſent, & jam Romani fame laborarent, à Camillo, qui in vicina civitate exſulabat, Gallis ſuperventum eſt, graviſſimeque victi ſunt. Poſtea tamen, accepto etiam auro, ne Capitolium obſiderent, receſſerunt: ſed ſequutus eos Camillus, ita cecidit, ut & aurum, quod his datum fuerat, & omnia, quæ ceperant, militaria ſigna revocaret. Ita tertio triumphans Urbem ingreſſus eſt, & appellatus ſecundus Romulus; quaſi & ipſe patriæ conditor.

Veientani victi. U.C. 327. Ol. 88. a. C. N. 426.

Pariter & Faliſci.

Bellum cum Gallis Senonibus.

Qui Urbem capiunt. U.C. 363. Ol. 97. a. C. N. 390.

à Camillo vincuntur. U. C. 365. Ol. 98. a. C. N. 388.

LIBER II.

CAPUT I.

Anno trecenteſimo ſexageſimo quinto ab Urbe condita poſt captam autem primo, dignitates mutatæ ſunt; & pro duobus Coſſ. facti Tribuni Militares, Conſulari poteſtate. Hinc jam cœpit Romana res creſcere. Nam Camillus eo anno Volſcorum civitatem, quæ per ſeptuaginta annos bellum geſſerat, vicit; & Æquorum urbem, & Sutrinorum: atque omnes, deletis eorum exercitibus, occupavit; & tres ſimul triumphos egit. Titus etiam Quintius Cincinnatus Prænestinos

Tribuni Militares, Conſulari poteſtate facti. U. C. 309. Ol. 84. a. C. N. 444.

Volſci Æqui & Sutrini victi.

Præneſtini pariter.

Y 3

(*s*) al. Romanæ. (*t*) al. Conſulatus. (*u*) al. Volſci [contra Romanos] bellum. (*x*) al. & victi acie, etiam &c. (*y*) al. poſtquam ejecti reges erant. (*z*) al. Decemviris. (*a*) al. Mamerco. (*b*) al. ab Urbe Roma.

nestinos, qui usque ad Urbis Romæ portas bello venerant, persecutus, ad flumen Alliam vicit; & civitates, quæ sub ipsis agebant, Romanis adjunxit. Ipsum Præneste aggressus, in deditionem accepit: quæ omnia ab eo gesta sunt viginti diebus, triumphusque ipsi decretus. Verum dignitas tribunorum militarium non diu perseveravit. Nam post aliquantum nullos placuit fieri: & quadriennium ita in Urbe fluxit, ut potestates ibi majores non essent. Resumpserunt (*c*) tamen Tribuni militares Consulari potestate iterum dignitatem, & triennio perseveraverunt. Rursus Coss. facti.

Tribuni militares abrogati.

CAP. II. Lucio Genucio, & Quintio Servilio Coss. mortuus est Camillus: honor ei secundus post Romulum delatus est. Titus Quintius Dictator adversus Gallos, qui in Italiam venerant, missus est. Hi ab Urbe quarto milliario trans Anienem fluvium consederant. Nobilissimus è (*d*) Senatoribus Titus Manlius, provocantem Gallum ad singulare certamen, congressus occidit: & sublato torque aureo colloque suo imposito, in perpetuum Torquati sibi & posteris cognomen accepit. Galli fugati sunt: mox per Cajum Sulpicium Dictatorem etiam victi. Non multo post à Cajo Marcio Tusci victi sunt; VIII. millia captivorum ex his in triumphum ducti. (*e*)

U.C.an.388. Ol.103.a.C.N.365.
Bellum cum Gallis. U.C.392.Ol.104.a.C.N.361.
T. Manlius Torquatus.
Galli victi.
Et Tusci.

CAP. III. Census iterum habitus est. Et cum Latini, qui à Romanis subacti erant, milites præstare nollent, ex Romanis tantum tirones lecti sunt, factæque legiones decem, qui modus sexaginta vel amplius armatorum millia efficiebat. Parvis adhuc Romanis rebus: tanta tamen in re militari virtus erat. Quæ cum profectæ essent adversus Gallos, duce Lucio Furio Camillo, quidam ex Gallis unum è Romanis, qui esset optimus, provocavit. Tum se Marcus Valerius Tribunus militum obtulit, & cum processisset armatus, corvus ei supra dextrum brachium sedit. Mox commissa adversus Gallum pugna, idem corvus alis & unguibus Galli oculos verberavit, ne rectum posset adspicere. Ita ut à Tribuno Valerio interfectus non solum victoriam ei, sed etiam nomen dederit. Nam postea idem Corvinus est dictus. Ac propter hoc meritum annorum trium viginti Coss. est factus. Latini, qui noluerunt milites dare, hoc quoque à Romanis exigere cœperunt, ut unus Consul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur. Quod cum esset negatum, bellum contra eos susceptum est, & ingenti pugna superati sunt: ac de his perdomitis triumphatum est. Statuæ Coss. ob meritum victoriæ in rostris positæ sunt. [Eo anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita est.]

Census.
M. Valerius Corvinus. U.C.407.Ol.108.a.C.N.346.
Bellum cum Latinis.
Alexandria condita.

CAP. IV. Jam Romani potentes esse cœperunt. Bellum enim in centesimo & tricesimo fere milliario ab Urbe apud Samnites gerebatur, qui medii sunt inter Picenum, Campaniam, & Apuliam. L. Papirius Cursor cum honore Dictatoris ad id bellum profectus est. Qui, cum Romam rediisset, Q. Fabio Maximo, magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, præcepit, ne se absente pugnaret. Ille, occasione reperta, felicissime dimicavit, & Samnites delevit. Ob quam rem à Dictatore capitis damnatus, quod se vetante pugnasset, ingenti favore militum & populi liberatus est: tanta Papirio seditione commota, ut pene ipse interficeretur. Postea Samnites, Romanos, Tito Veturio & Spurio Postumio Coss. ingenti dedecore vicerunt, [& sub jugum miserunt.] Pax tamen à Senatu & Populo soluta est, quæ cum ipsis propter necessitatem facta fuerat. Postea Samnites victi sunt à L. Papirio Consule: septem millia eorum sub jugum missa. Papirius de Samnitibus triumphavit. Eo tempore Appius Claudius Censor aquam Claudiam induxit, & viam Appiam stravit.

Bellum cum Samnitibus. U.C.430.Ol.114.a.C.N.323.
Qui à Papirio delentur.
Samnites Romanos vincunt, & sub jugum mittunt. U.C.433.Ol.115.a.C.N.320.

CAP. V. Samnites, reparato bello, Q. Fabium Maximum vicerunt, tribus millibus hominum occisis. Postea cum pater (*f*) Fabius Maximus legatus, datus fuisset, & Samnites vicit, & plurima eorum oppida cepit. Deinde P. Cornelius Rufinus, Manius Aurius Dentatus, ambo Coss. contra Samnites missi, ingentibus præliis eos confecere. Tum bellum cum Samnitibus per annos novem & XL. actum sustulerunt. Neque ullus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigaverit. Interjectis aliquot annis, iterum se Gallorum copiæ contra Romanos Tuscis Samnitibusque junxerunt: sed cum Romam tenderent, à Cn. Cornelio Dolabella Coss. deletæ sunt.

Samnites victi & sub jugum missi. U.C.434.Ol.115.a.C.N.319.
Finis belli Samnitici. U.C.462.Ol.122.a.C.N.291.

CAP. VI. Eodem tempore Tarentinis, qui jam in ultima Italia sunt, bellum indictum est: quia legatis Romanorum injuriam fecissent. Hi Pyrrhum, Epiri regem, contra Romanos auxilio (*g*) poposcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. Is mox (*h*) ad Italiam venit. Tumque primum Romani cum transmarino hoste dimicaverunt. Missus est contra eum Consul P. Valerius Lævinus: qui cum exploratores Pyrrhi cepisset, jussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum, tumque dimitti, ut renunciarent Pyrrho, quæcunque à Romanis agerentur. Commissa mox pugna, cum jam Pyrrhus fugeret, elephantorum auxilio vicit: quos incognitos Romani expaverunt: sed nox prælio finem dedit. Lævinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eosque summo honore tractavit; occisos sepelivit. Quos cum adverso vulnere & truci vultu, etiam mortuos jacere vidisset, tulisse ad cœlum manus dicitur, cum hac voce: *Se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.*

Bellum cum Tarentinis. U.C.470.Ol.124.a.C.N.283.
Et cum Pyrrho.
Pyrrhus Romanos vincit. U.C.473.Ol.125.a.C.N.280.

CAP. VII. Pyrrhus (*i*) conjunctis (*k*) sibi Samnitibus, Lucanis, Brutiisque, Romam perrexit, omnia ferro igneque vastavit. Campaniam depopulatus est, atque ad Præneste venit, milliario ab Urbe octavo decimo. Mox terrore exercitus, qui eum cum Consule sequebatur, in Campaniam se recepit. Legati ad Pyrrhum de redimendis captivis missi, ab eo honorifice suscepti sunt, captivos sine pretio Romam misit. Unum ex Legatis Romanorum Fabricium sic admiratus est, ut cum eum

Pyrrhi humanitas in Romanos.

(*c*) al. Præsumpserunt. (*d*) al. de. (*e*) al. adducta. (*f*) al. ejus. (*g*) al. in auxilium. (*h*) al. Hic mox. (*i*) al. Postea Pyrrhus. (*k*) al. junctis.

eum pauperem esse cognovisset, quarta parte regni promissa, sollicitare voluerit, ut ad se transiret; contemptusque à Fabricio est. Quare cum Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem æquis conditionibus peteret, præcipuum virum Cineam nomine; ita ut Pyrrhus partem Italiæ, quam jam armis occupaverat, obtineret. Pax displicuit; remandatumque Pyrrho à Senatu est, *eum cum Romanis, nisi ex Italia recesisset, pacem habere non posse.* Tum Romani jusserunt captivos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, quod se armis defendere potuissent; (*l*) nec ante eos ad veterem statum reverti, quam sibi notorum (*m*) hostium occisorum spolia retulissent. Ita Legatus Pyrrhi reversus est. A quo cum quæreret Pyrrhus, *qualem Romam comperisset*, Cineas dixit, *Regum se patriam vidisse. Scilicet tales illic fore omnes, qualis unus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Græciam putaretur.*

Ab ipsis pacem petit.

Sed non impetrat.

CAP. VIII. Missi sunt contra Pyrrhum duces P. Sulpicius, & Decius Mus (*n*) Coss. Certamine commisso, Pyrrhus vulneratus est, elephanti interfecti, XX. millia cæsa hostium, & ex Romanis tantum quinque millia. Pyrrhus [Tarentum] fugatus. Interjecto anno, contra Pyrrhum Fabricius est missus; qui prius inter legatos sollicitari non poterat, quarta parte Regni promissa. Tum, cum vicina castra ipse & Rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens *veneno Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur.* Quem Fabricius vinctum reduci jussit ad dominum, Pyrrhoque dici, quæ contra caput ejus medicus spopondisset. Tunc Rex admiratus, (*o*) dixisse fertur: *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam Sol à cursu suo averti potest.* Tunc Rex in Siciliam profectus est; Fabricius, victis Samnitibus & Lucanis, triumphavit. Coss. deinde Manius Curius Dentatus, & Cornelius Lentulus, adversum Pyrrhum missi sunt. Et Curius contra eum pugnavit, exercitum ejus cæcidit, ipsum Tarentum fugavit, [castra cepit.] Ea die cæsa [tum] hostium XXIII. millia. Curius [Dentatus] in consulatu triumphavit. Primus Romam elephantos quatuor duxit. Pyrrhus etiam à Tarento mox recessit, & apud Argos, Græciæ civitatem, occisus est.

Pyrrhus vulneratur.

Fabricii in Pyrrhum magnanimitas.

Pyrrhus Italia discedit. U.C.477. Ol. 126. a. C. N. 276.

Pyrrhus occiditur.

CAP. IX. C. Fabricio Luscino & C. Claudio Cinna Coss. anno Urbis conditæ CCCCLXI. Legati Alexandrini à Ptolemæo missi, Romam venere; & à Romanis amicitiam, quam petierant, obtinuerunt. Quintio Gulone, C. Fabio Pictore Coss. Picentes bellum commovere, & ab insequentibus Coss. Pub. Sempronio, Appio Claudio victi sunt: & de his triumphatum est. Conditæ à Romanis civitates, Ariminum in Gallia, & Beneventum in Samnio. Marco Attilio Regulo, Lucio Junio Libone Coss. Salentinis [in Apulia] bellum indictum est: captique sunt cum civitate simul Brundusini, & de his [iterum] triumphatum est.

Ptolemæus amicitiam Romanorum petit.

Picentes victi.

Salentini victi.

CAP. X. Anno CCCCLXXVII, cum jam clarum Urbis Romæ nomen esset, arma tamen extra Italiam mota non fuerant. Ut igitur cognosceretur, quæ copiæ Romanorum essent, census est habitus: inventa sunt civium capita (*p*) CCXCII. millia, CCCXXXIV. Quanquam à condita Urbe numquam bella cessassent. Et contra Afros bellum susceptum est primum, Appio Claudio, Quinto Fulvio Coss. In Sicilia contra eos pugnatum est; & Appius Claudius de Afris & rege Siciliæ Hierone triumphavit. Insequenti anno, Valerio Marco & Octacilio Coss. in Sicilia à Romanis res magnæ gestæ sunt. Taurominitani, Catanenses, & præterea quinquaginta civitates in fidem acceptæ sunt. Tertio anno in Sicilia contra Hieronem [Regem Siculorum] bellum paratum est. Is cum omni nobilitate Syracusanorum pacem à Romanis impetravit, deditque argenti (*q*) talenta ducenta. Afri in Sicilia victi sunt, & de his secundo Romæ triumphatum est. Quinto anno belli Punici, quod contra Afros gerebatur, primum Romani Cajo Duillio & Cnæo Cornelio Asina Coss. in mari dimicaverunt, paratis navibus rostratis, quas Liburnas vocant. Consul Cornelius fraude deceptus est. Duillius commisso prælio, Carthaginiensium ducem vicit, XXXI. naves cepit; XIV. mersit, VII. millia hostium cepit, III. [millia] occidit. Neque ulla victoria Romanis gratior fuit, quod invicti terra, jam [etiam] mari plurimum possent. Cajo Aquillio Floro, Lucio Scipione Coss. Scipio Corsicam & Sardiniam vastavit, (*r*) multa millia inde captivorum abduxit, triumphum egit. (*s*)

Census.

Bellum Punicum Primum. U.C. 488. Ol. 128. a. C. N. 265.

Hiero Rex Siciliæ.

Naves rostratæ. U. C. 492. Ol. 129. a. C. N. 261.

Corsica & Sardinia vastatæ. U. C. 493. Ol. 130. a. C. N. 260.

CAP. XI. L. Manlio Volsone, M. Attilio Regulo Coss. bellum in Africam translatum est: contra Hamilcarem Carthaginiensium ducem, in mari pugnatum, victusque est. Nam perditis LXIV. navibus, retro se recepit: Romani XXII. amiserunt. Sed cum in Africam transissent, primam Clypeam Africæ civitatem in deditionem acceperunt. Consules usque ad Carthaginem processerunt, multisque vastatis oppidis, Manlius victor Romam rediit, & XXVII. millia captivorum reduxit. Attilius Regulus in Africa remansit. Is contra Afros aciem instruxit, contra tres Carthaginiensium duces dimicans, victor fuit. XVIII. millia hostium cæcidit, quinque millia cum XVIII. Elephantis cepit, LXXIII. civitates in fidem accepit. Tum victi Carthaginienses, pacem à Romanis petierunt: quam cum Regulus nollet nisi durissimis conditionibus dare, Afri auxilium à Lacedæmoniis petierunt: & duce Xanthippo qui à Lacedæmoniis missus fuerat, Romanorum dux Regulus victus est ultima pernicie. Nam duo millia hominum tantum ex omni Romano exercitu refugerunt, quindecim millia cum Imperatore Regulo capta sunt, XXX. millia occisa; Regulus ipse in catenas conjectus.

Bellum in Africa. U. C. 502. Ol. 132. a. C. N. 251.

M. Attilius Regulus.

A Carthaginiensibus victus.

CAP. XII. Marco Æmilio Paullo, Servio Fulvio Nobiliore Coss. ambo Romani Consules ad (*t*) Africam profecti sunt, cum trecentarum navium classe; Clypeam petunt, & contra

(*l*) al. quod armati capti fuissent. (*m*) al. quam binorum. (*n*) al. D. Mummius. (*o*) al. admirans eum. (*p*) al. capitum. (*q*) al. impetravit deditione argenti. (*r*) al. vicit. (*s*) al. triumphavit. (*t*) al. in.

Carthaginienses navali prælio victi. U. C. 497. Ol. 131. a. C. N. 256.

tra Carthaginienses venerunt, primum Afros navali certamine superant. Æmilius Consul centum & quatuor naves hostium demersit, triginta cum pugnatoribus cepit; quindecim millia hostium aut occidit, aut cepit; militem suum ingenti præda ditavit. Et subacta Africa tum fuisset, nisi tanta fames fuisset, ut diutius exspectare exercitus non posset. Consules cum victrice classe redeuntes, circa Siciliam naufragium passi sunt: & tanta tempestas fuit, ut ex quadringentis sexaginta quatuor navibus, octoginta servari vix potuerint. Neque ullo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani tamen statim ducentas naves reparaverunt, neque in aliquo animus his infractus fuit.

Romani naufragium patiuntur.

CAP. XIII. Cnæus Servilius Cæpio, & C. Sempronius Blæsus Coss. cum ducentis sexaginta navibus ad Africam profecti sunt, aliquot civitates ceperunt: prædam ingentem reducentes, naufragium passi sunt. Itaque cum continuæ calamitates Romanis displicerent, decrevit Senatus, ut à maritimis præliis recederetur, (*u*) & tantum sexaginta naves ad præsidium Italiæ salvæ essent. Lucio Cæcilio Metello, Cajo Furio Placido Coss. Metellus in Sicilia Afrorum ducem cum CXXX. elephantis, & magnis copiis venientem supperavit, XX. millia hostium cæcidit, sex & XX. elephantos cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat, collegit, & Romam deduxit ingenti pompa; cum CXXX. elephantorum numerus omnia itinera compleret.

Rursus naufragium patiuntur. U. C. 499. Ol. 131. a. C. N. 254.

Carthaginienses victi. U. C. 501. Ol. 132. a. C. N. 252.

CAP. XIV. Post hæc mala Carthaginienses Regulum ducem, quem ceperant, petierunt, *ut Romam proficisceretur, & pacem à Romanis obtineret, ac permutationem captivorum faceret.* Ille Romam cum venisset, inductus in Senatum, nihil quasi Romanus egit: dixitque, *se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desiisse.* Itaque & uxorem à complexu removit, & Romanis suasit, ne pax cum Pœnis fieret. *Illos enim fractos tot casibus, spem nullam habere; se tanti non esse, ut tot millia captivorum propter unum se, & senem, & paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur.* Itaque obtinuit. Nam Afros pacem petentes nullus admisit. Ipse Carthaginem rediit; offerentibusque Romanis, *ut eum Romæ tenerent,* negavit *se in ea Urbe mansurum, in qua, postquam Afris servierat, dignitatem honesti civis habere non posset.* Regressus igitur ad (*w*) Africam, omnibus suppliciis exstinctus est.

M. Attilius Regulus.

Pacem cum Carthaginiensibus dissuadet.

Misere exstinguitur.

CAP. XV. P. Claudio Pulchro, (*x*) & C. Junio Coss. Claudius contra auspicia pugnavit, & à Carthaginiensibus victus est. Nam ex ducentis & viginti navibus cum XXX. fugit: XC. cum pugnatoribus captæ sunt, demersæ ceteræ, viginti millia capta. Alius quoque Consul classem naufragio amisit, exercitum tamen salvum habuit; quia vicina littora erant.

Romani à Carthaginiensibus victi. U. C. 503. Ol. 132. a. C. N. 250.

Naufragium Romani patiuntur.

CAP. XVI. Cajo Luctatio Catulo, Aulo Postumio Albino Coss. anno belli Punici XXIII. Catulo bellum contra Afros commissum est. Profectus est cum CCC. navibus in Siciliam. Afri contra ipsum CCCC. paraverunt. Nunquam in mari tantis copiis pugnatum est. Luctatius Catulus navem æger ascendit: vulneratus enim in pugna superiore fuerat. Contra Lilybæum civitatem Siciliæ pugnatum est ingenti virtute Romanorum. Nam LXXIII. Carthaginiensium naves captæ sunt, CXXV. demersæ; XXXII. millia hostium capta, XIII. millia occisa. Infinitum auri argentique pondus (*y*) in potestatem Romanorum redactum. Ex classe Romanorum (*z*) duodecim naves demersæ. (*a*) Pugnatum est VI. Idus Martias. Statim Carthaginienses pacem petierunt: tributa est iis pax. (*b*) Captivi Romanorum, qui tenebantur à Carthaginiensibus, redditi sunt. Etiam Carthaginienses petierunt, ut redimi eos captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus jussit sine pretio dari eos, qui in publica custodia essent. Qui autem à privatis tenerentur, ut pretio dominis reddito, Carthaginem redirent; atque id pretium ex fisco magis, quam à Carthaginiensibus solveretur. Quinctus Luctatius, Aulus Manlius Coss. creati, bellum Faliscis intulerunt quæ civitas Italiæ opulenta quondam fuit: quod ambo Coss. intra sex dies, quam venerant, transegerunt, XV. millibus hostium cæsis; (*c*) ceteris pace concessa, (*d*) agro tamen ex medietate sublato.

C. Luctatius Catulus.

Carthaginienses navali prælio vincit.

Pax cum Carthaginiensibus. U. C. 510. Ol. 134. a. C. N. 243.

Bellum cum Faliscis. U. C. 511. Ol. 134. a. C. N. 242.

LIBER III.

CAPUT I.

FInito igitur Punico bello, quod XXIII. annos gestum (*e*) est, Romani jam clarissima gloria noti, legatos ad Ptolemæum, Ægypti regem, miserunt, auxilia promittentes; quia rex Syriæ Antiochus ei bellum intulerat. Ille gratias [Romanis] egit; auxilia non accepit. Jam enim fuerat pugna transacta. Eodem tempore potentissimus rex Siciliæ Hiero, Romam venit ad ludos spectandos; & ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit. Lucio Cornelio Lentulo, Fulvio Flacco Coss. quibus Hiero Romam venerat, etiam contra Ligures intra Italiam bellum gestum est, & de his triumphatum. Carthaginienses tum (*f*) bellum reparare tentabant, Sardinienses, qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandum impellentes. Venit tamen legatio Carthaginiensium Romam, & pacem impetravit. Tito Manlio Torquato, Cajo Attilio Balbo Coss. de Sardis triumphatum est: & pace omnibus locis facta, Romani nullum bellum habuerunt. Quod his post Romam conditam semel tantum, Numa Pompilio regnante, contigerat.

Legati Romanorum ad Ptolemæum.

Hiero Rex Siciliæ Romam venit. U. C. 515. Ol. 135. a. C. N. 238.

Lucius

(*u*) al. discederetur. (*w*) al. in. (*x*) al. Post Ap. Pulchro. (*y*) al. prædæ. (*z*) al. Romana. (*a*) al. submersæ. (*b*) al. tributaque iis pax. (*c*) al. XV. millia hominum cæsa. (*d*) al. pax ceteris concessa. (*e*) al. tractum. al. contractum. (*f*) al. tamen.

Lucius Postumius Albinus, Cnæus Fulvius Centumalus Coss. bellum contra Illyrios gesserunt: & multis civitatibus captis, etiam reges in deditionem acceperunt; ac tum primum de Illyriis triumphatum est.

Illyrii victi. U.C. 523. Ol. 137. a. C.N. 230.

CAP. II. Lucio Æmilio Cos. ingentes Gallorum copiæ Alpes transierunt. Sed pro Romanis tota Italia consensit; traditumque est Fabio historico, qui ei bello interfuit. DCCC. millia hominum parata ad id bellum fuisse. Sed res per Cos. tum prospere gesta est. XL. millia hostium interfecta sunt, & triumphus Æmilio decretus. Aliquot deinde annis post, contra Gallos intra Italiam pugnatum est. Finitumque est bellum, (*g*) Marco Claudio Marcello, Cnæo Cornelio Scipione Coss. Tunc Marcellus cum parva manu Equitum dimicavit, & Regem Gallorum, Viridomarum nomine, manu sua occidit. Postea cum collega suo ingentes copias Gallorum peremit; Mediolanum expugnavit; grandem prædam Romam pertulit: ac triumphans Marcellus spolia Galli, stipiti imposita, humeris suis vexit, M. Minucio, P. Cornelio Coss. Istris bellum illatum est, quia latrocinati naves Romanorum fuerant, quæ frumenta exhibebant: perdomitique sunt omnes.

Galli victi.

Viridomarus Rex Gallorum occisus. U.C. 530. Ol. 139. a. C.N. 223.

Istri domiti. U.C. 531. Ol. 139. a. C.N. 222.

CAP. III. Eodem anno bellum Punicum secundum Romanis illatum est per Annibalem Carthaginiensium ducem: qui Saguntum Hispaniæ civitatem, Romanis amicam, oppugnare aggressus est, agens vicesimum ætatis annum; copiis congregatis CL. millium peditum, & XX. millium equitum. Huic Romani per legatos denuntiaverunt, ut bello abstineret. Is legatis parere noluit. Romani etiam à Carthaginiensibus petierunt, (*h*) ut mandaretur Annibali, ne bellum contra socios Populi Romani gereret. Dura responsa à Carthaginiensibus reddita. Saguntini interea fame victi sunt; captique ab Annibale, ultimis pœnis afficiuntur. Tum Publius Cornelius Scipio cum exercitu in Hispaniam profectus est; Tiberius Sempronius in Siciliam: bellum Carthaginiensibus indictum est.

Bellum Punicum secundum. U.C. 533. Ol. 140. a. C.N. 220. Ejus causa.

Annibal Saguntum capit. U.C. 534. Ol. 140. a. C.N. 219.

CAP. IV. Annibal, relicto in Hispania fratre Asdrubale, Pyrenæum transit; Alpes adhuc in ea parte invias, sibi patefecit. Traditur ad Italiam LXXX. millia peditum, & XX. millia equitum, septem & XXX. Elephantos adduxisse. Interea multi Ligures & Galli Annibali se conjunxerunt. Sempronius Gracchus, cognito ad Italiam Annibalis adventu, è Sicilia exercitum Ariminum trajecit. Publius Cornelius Scipio Annibali primus occurrit, commisso prælio, fugatis suis, ipse vulneratus in castra rediit. Sempronius Gracchus & ipse conflixit apud Trebiam [amnem.] Is quoque vincitur. Annibali multi se in Italia dediderunt. Inde ad Tusciam veniens, Annibal, Flaminio Consuli occurrit; ipsum Flaminium interemit: Romanorum XXV. millia cæsa sunt: ceteri diffugerunt. Missus adversus Annibalem postea à Romanis, Quintus Fabius Maximus. Is eum, differendo pugnam, ab impetu fregit: mox inventa occasione vicit.

Annibalis in Italiam expeditio. U.C. 535. Ol. 140. a. C.N. 218.

Ejus felices progressus.

Q. Fabius Maximus.

CAP. V. Quingentesimo & quadragesimo anno à condita Urbe Lucius Æmilius, P. Terentius Varro, contra Annibalem mittuntur, Fabioque succedunt. Qui Fabius ambos Coss. monuit, ut Annibalem callidum & impatientem ducem non aliter vincerent, quam prælium differendo. Verum cum impatientia Varronis Cos. contradicente Cos. altero, [id est, Æmilio Paullo,] apud vicum qui Cannæ appellatur, in Apulia pugnatum esset, ambo Coss. ab Annibale vincuntur. In ea pugna tria millia Afrorum pereunt, magna pars de exercitu Annibalis sauciatur: nullo tamen Punico bello Romani gravius accepti sunt. Periit enim in eo Paullus Æmilius Cos. Consulares aut (*i*) Prætorii XX. Senatores capti aut occisi XXX. nobiliores (*k*) viri CCC. militum XL. millia; equitum tria millia & quingenti. (*l*) In quibus malis nemo tamen Romanorum pacis mentionem habere dignatus est. Servi, quod nunquam ante, manumissi & milites facti sunt.

Cannensis pugna. U.C. 536. Ol. 140. a. C.N. 217.

Qua Romani victi.

CAP. VI. Post eam pugnam multæ Italiæ civitates, quæ Romanis paruerant, se ad Annibalem transtulerunt. Annibal Romanis obtulit, ut captivos redimerent, responsumque est à Senatu: *Eos cives non esse necessarios, qui, cum armati essent, capi potuissent.* Ille omnes postea variis suppliciis interfecit, & tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos è manibus equitum Romanorum, Senatorum, & militum detraxerat. Interea in Hispania, ubi frater Annibalis Asdrubal remanserat cum magno exercitu, ut eam totam Afris subigeret, à duobus Scipionibus, Romanis ducibus, vincitur; perditque (*m*) in pugna XXXV. millia hominum. Ex his capiuntur X. millia; occiduntur XXV. Mittuntur ei à Carthaginiensibus ad reparandas vires XII. millia peditum, IV. millia equitum, XX. elephanti.

Asdrubal in Hispania à Scipionibus vincitur.

CAP. VII. Anno quarto postquam in Italiam Annibal venit, Marcus Claudius Marcellus Cos. apud Nolam, civitatem Campaniæ, contra Annibalem bene pugnavit. Annibal multas civitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, & Bruttios occupavit. Quo tempore etiam rex Macedoniæ Philippus ad eum legatos misit, promittens auxilia contra Romanos, [sub] hac conditione, ut, deletis Romanis, ipse quoque contra Græcos ab Annibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi, & re cognita, Romani in Macedoniam Marcum Valerium Lævinum ire jusserunt; in Sardiniam Titum Manlium Torquatum proconsulem. Nam etiam ea solicitata ab Annibale Romanos deseruerat. Ita uno tempore quatuor locis pugnabatur; in Italia contra Annibalem: in Hispania contra fratrem ejus Asdrubalem: in Macedonia contra Philippum: in Sardinia contra Sardos, & alteram Asdrubalem Carthaginiensem. Is à Tito Manlio Proconsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, vivus est captus, occisa cum eo XII. millia,

Philippus Rex Macedoniæ Annibali auxilia promittit.

Bellum Macedonicum. U.C. 538. Ol. 141. a. C.N. 215.

(*g*) al. Finito bello. (*h*) al. Romani etiam Carthaginem miserunt. (*i*) al. &. (*k*) al. nobiles. (*l*) al. quadringenti. (*m*) al. perdiditque.

Sardinia subacta. lia, capti mille quingenti, & à Romanis Sardinia ſubacta. Manlius victor, captivos & Aſdrubalem Romam reportavit. Interea etiam Philippus à Lævino in Macedonia vincitur, & in Hiſpania à Scipionibus Asdrubal, & Mago, tertius frater Annibalis.

Philippus victus.

Asdrubal pariter & Mago. U. C. 541. Ol. 142. a. C. N. 212.

CAP. VIII. Decimo anno, poſtquam Annibal in Italiam venerat, P. Sulpicio, Cnæo Fulvio Coſſ. Annibal uſque ad quartum milliarium Urbis acceſſit, equites ejus uſque ad portas. Mox Conſulum metu, cum exercitu venientium, Annibal ad Campaniam ſe recepit. In Hiſpania à fratre Asdrubale ambo Scipiones, qui per multos annos victores fuerant, interficiuntur: exercitus tamen integer manſit: caſu enim magis, quam virtute erant decepti. Quo tempore etiam à Conſule Marcello Siciliæ magna pars capta eſt, quam tenere Afri cœperant: & nobiliſſima urbes Syracuſana præda ingens Romam perlata eſt. Lævinus in Macedonia cum Philippo, & multis Græciæ populis, & rege Aſiæ Attalo amicitiam fecit: & ad Siciliam profectus, Annonem quendam Afrorum ducem apud Agrigentum civitatem cum ipſo oppido cepit, eumque Romam cum captivis [nobilibus] miſit; XL. civitates in deditionem accepit. XXVI. expugnavit. Ita omni Sicilia recepta, Macedonia fracta, [cum] ingenti gloria Romam regreſſus eſt. Annibal in Italia Cnæum Fulvium Conſulem ſubito aggreſſus, cum octo millibus hominum interfecit.

Cn. & P. Scipionum interitus.

Syracuſæ captæ. U. C. 540. Ol. 141. a. C. N. 213.

CAP. IX. Interea ad Hiſpanias, ubi, occiſis duobus Scipionibus, nullus Romanus dux erat, Publius Cornelius Scipio mittitur, filius Publii Scipionis, qui ibidem bellum geſſerat, annos natus quatuor & viginti; vir Romanorum omnium & ſua ætate, & poſteriori tempore fere primus. Is Carthaginem Hiſpaniæ capit; in qua omne aurum & argentum, & belli apparatum Afri habebant; nobiliſſimos quoque obſides, quos ab Hiſpanis acceperat: Magonem etiam, fratrem Annibalis, ibidem capit, quem Romam cum aliis mittit. Romæ ingens lætitia poſt hunc nuntium fuit. Scipio Hiſpanorum obſides parentibus reddidit. Quare omnes fere Hiſpania ad eum uno animo tranſierunt. Poſt quæ Asdrubalem, Annibalis fratrem, victum fugat, & prædam maximam capit. Interea in Italia Coſ. Q. Fabius Maximus Tarentum cepit; (*n*) in qua ingentes copiæ Annibalis erant. Ibi (*o*) etiam ducem Annibalis Carthalonem occidit, XXV. millia captivorum vendidit, prædam militibus diſpertivit, pecuniam hominum venditorum ad fiſcum retulit. Tum multæ civitates Romanorum, quæ ad Annibalem tranſierant prius, rurſus ſe Fabio Maximo dediderunt. (*p*)

P. Cornelius Scipio.

Carthaginem novam capit. U. C. 542. Ol. 142. a. C. N. 211.

Asdrubalem vincit.

Q. Fabius Maximus.

CAP. X. Inſequenti anno Scipio in Hiſpania egregias res egit, & per ſe, & per fratrem ſuum Lucium Scipionem; LXX. civitates recepit. In Italia tamen male pugnatum eſt. Nam Claudius Marcellus Coſ. ab Annibale occiſus eſt. Tertio anno poſtquam Scipio ad Hiſpaniam profectus eſt, (*q*) rurſus res inclytas gerit. Regem Hiſpaniarum magno prælio victum, in amicitiam accepit, & primus omnium à victo obſides non popoſcit. Deſperans Annibal Hiſpanias contra Scipionem ducem diutius poſſe retineri, fratrem ſuum Asdrubalem in Italiam cum omnibus copiis evocavit. Is veniens eodem itinere, quo [etiam] Annibal venerat, à Conſulibus [Appio] Claudio Nerone, & Marco Livio Salinatore, apud Senam, Piceni civitatem, in inſidias compoſitas incidit: ſtrenue tamen pugnans occiſus eſt; ingentes ejus copiæ captæ aut interfectæ ſunt, magnum pondus auri atque argenti Romam relatum. Poſt hæc Annibal diffidere [jam] de belli cœpit eventu. Romanis ingens animus acceſſit. Itaque [&] ipſi evocaverunt ex Hiſpania Publium Cornelium Scipionem. Is Romam cum ingenti gloria venit. Quinto Cæcilio, Lucio Valerio Coſſ. omnes civitates, quæ in Bruttiis ab Annibale tenebantur, Romanis ſe tradiderunt.

Scipionis ulteriores res geſtæ in Hiſpania.

Asdrubal in Italiam veniens. U. C. 545. Ol. 143. a. C. N. 208.

Occiditur.

P. Cornelio Scipio Romam venit.

CAP. XI. Anno XIV. poſtquam in Italiam Annibal venerat, Scipio, qui [multa] bene in Hiſpania egerat, Conſul eſt factus, & in Africam miſſus. Cui viro divinum quiddam ineſſe exiſtimabatur, adeo ut putaretur etiam cum numinibus habere ſermonem. Is in Africa contra Annonem ducem Afrorum pugnavit, exercitum ejus interfecit. Secundo prælio caſtra cepit, cum quatuor millibus & quingentis militibus; XI. millibus occiſis. Syphacem Numidiæ regem, qui ſe Afris conjunxerat, capit, & caſtra ejus invadit. Syphax cum nobiliſſimis Numidis, & infinitis ſpoliis, ab Scipione Romam mittitur. Qua re audita, omnis fere Italia Annibalem deſerit. Ipſe à Carthaginienſibus in Africam redire jubetur, quam Scipio vaſtabat. Ita anno XVII. ab Annibale Italia liberata eſt. [Quam flens dicitur reliquiſſe.]

In Africam mittitur.

Ejus felices progreſſus.

Annibal in Africam redit.

CAP. XII. Legati Carthaginienſium pacem à Scipione petierunt, ab eo ad Senatum Romam miſſi ſunt: XLV. dies his induciæ (*r*) datæ ſunt, quouſque Romam ire & regredi poſſent; & XXX. millia pondo argenti ab his accepta ſunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem juſſit cum Carthaginienſibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, *ne amplius, quam XXX. naves haberent, quingenta millia pondo argenti darent. Captivos & perfugas redderent.* Interim Annibale veniente ad Africam, pax turbata eſt, multa hoſtilia ab Afris facta ſunt. Legati tamen eorum ex Urbe venientes, à Romanis capti ſunt, & jubente Scipione dimiſſi. Annibal quoque frequentibus præliis victus à Scipione, petit etiam ipſe pacem. Cum ventum eſſet ad colloquium, iiſdem conditionibus data eſt, quibus prius; addita quingentis millibus pondo argenti, C. millia librarum, propter novam perfidiam. Carthaginienſibus conditiones diſplicuerunt, juſſeruntque Annibalem pugnare. Infertur à Scipione, & Maſiniſſa, alio rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum.

Carthaginienſes pacem petunt.

Quæ datur.

Sed ab Annibale turbatur.

CAP. XIII. Annibal tres exploratores ad Scipionis caſtra miſit: quos captos Scipio circumdu-

(*n*) al. recepit. (*o*) al. Et ibi. (*p*) al. reddiderunt. (*q*) al. fuerat. (*r*) al. quadraginta & quinque diebus induciæ.

cumduci per castra jussit, ostendique eis totum exercitum; mox etiam prandium dari, dimittique, ut renuntiarent Annibali, quæ apud Romanos vidissent. Interea prælium ab utroque duce instructum est, quale vix ulla memoria fuit, cum peritissimi viri copias suas ad bellum educerent. Scipio victor recedit, pene ipso Annibale capto: qui primum cum multis equitibus, deinde cum XX. postremo cum quatuor evasit. Inventa in castris Annibalis argenti pondo XX. millia, auri octingenta, cetera supellectili copiosa. Post id certamen pax cum Carthaginiensibus facta est. Scipio Romam rediit, [&] ingenti gloria triumphavit, atque AFRICANUS ex eo appellari cœptus est. Finem accepit secundum Punicum bellum, post annum nonum decimum, quam cœperat.

Quo victo.

Firmatur. U. C. 551. Ol. 144. a. C. N. 202.

Scipio Africanus appellatur.

LIBER IV.

CAPUT I.

Bellum Macedonicum. U. C. 551. Ol. 144. a. C. N. 202.

TRansacto Punico bello, secutum est Macedonicum contra Philippum regem. Quingentesimo & quinquagesimo primo anno ab Urbe Condita T. Quintius Flamininus adversus Philippum regem mittitur: prospere rem gessit. Pax ei data est his legibus, *ne Græciæ civitatibus, quas Romani contra eum defenderant,* (s) *bellum inferret: ut captivos & transfugas redderet: quinquaginta solum naves haberet: reliquas Romanis daret:* (t) *per annos decem quaterna millia pondo argenti præstaret: & obsidem daret filium suum Demetrium.* T. Quintius etiam Lacedæmoniis intulit bellum; ducem eorum Nabidem vicit; & quibus voluit conditionibus, in fidem accepit. Ingenti gloria duxit ante currum nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium, & Armenem Nabidis.

Pax.

Lacedæmonii in fidem accepti.

CAP. II. Transacto bello Macedonico, secutum est Syriacum contra Antiochum regem, P. Cornelio Scipione, M. Acilio Glabrione Coss. Huic Antiocho Annibal se junxerat; Carthaginem patriam suam, [metu,] ne Romanis traderetur, relinquens. M. Acilius Glabrio in Achaia pugnavit bene. Castra regis Antiochi nocturna pugna capta sunt; ipse fugatur. Philippo, quia contra Antiochum Romanis auxilio fuisset, filius Demetrius redditus est. L. Cornelio Scipione, C. Lælio Coss. Scipio Africanus fratri suo [&] Cornelio Scipioni Consuli, legatus contra Antiochum profectus est. Annibal, qui cum Antiocho erat, navali prælio victus est. Ipse postea Antiochus circa Sipylum [&] Magnesiam (u) Asiæ civitatem, à Cos. Cornelio Scipione ingenti prælio fusus est. Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes, Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit. Quinquaginta millia peditum, IV. millia equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt. Tum rex Antiochus pacem petit: (x) quæ iisdem conditionibus data est à Senatu, (y) quamquam victo, quibus ante offerebatur; *ut ex Europa & Asia recederet, atque intra Taurum se contineret, X. millia talentorum, & XX. obsides præberet, Annibalem concitatorem belli dederet.* Eumeni regi donatæ sunt [à Senatu] omnes Asiæ civitates, quas Antiochus bello perdiderat: & Rhodiis, qui auxilium Romanis contra Regem Antiochum tulerant, multæ urbes concessæ sunt. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit. Nomen & ipse, ad imitationem fratris, ASIATICI accepit, (quia Asiam vicerat: sicuti frater ipsius propter Africam domitam, AFRICANUS appellabatur.) Spurio Postumio Albino, Q. Marcio Philippo Coss. M. Fulvius de Ætolis triumphavit. Annibal, qui victo Antiocho, ne Romanis traderetur, ad Prusiam, Bithyniæ regem, fugerat, repetitus etiam ab eo est per Titum Quintium Flamininum: & cum tradendus esset Romanis, venenum bibit, & apud Libyssam, in finibus Nicomediensium, sepultus est.

Bellum Syriacum. U. C. 561. Ol. 147. a. C. N. 192.

Antiochus Rex Syriæ fugatus.

Et vincitur.

Pax. U. C. 563. Ol. 147. a. C. N. 190.

L. Cornelius Scipio Asiaticus.

Annibal veneno perit. U. C. 569. Ol. 149. a. C. N. 184.

CAP. III. Philippo rege Macedoniæ mortuo, qui & adversum Romanos bellum gesserat, & postea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat, filius ejus Perseus in Macedonia rebellavit, ingentibus copiis ad bellum paratis. Nam adjutores habebat Cotyn Thraciæ regem; Illyrici regem, Gentium nomine. Romanis autem in auxilium erant Eumenes Asiæ rex, Ariarathes Cappadociæ, Antiochus Syriæ, Ptolemæus Ægypti, Masinissa Numidiæ. Prusias autem rex Bithyniæ, quamquam sororem Persei uxorem haberet, utrisque se æquum præbuit. Dux Romanorum P. Licinius Cos. est à rege gravi prælio victus. Neque tamen Romani, quanquam superati, regi petenti pacem præstare voluerunt, nisi his conditionibus; *ut se & suos Senatui & Populo Romano dederet.* Mox missus contra eum Lucius Æmilius Paullus Cos. & in Illyricum C. Anicius prætor contra Gentium. Sed Gentius facile uno prælio victus, mox se dedidit. Mater ejus, & uxor, & [duo] filii, frater quoque ejus, simul in potestatem Romanorum venerunt. Ita bello intra dies XXX. perfecto, ante cognitum est Gentium victum, quam cœptum bellum nuntiaretur.

Perseus contra Romanos rebellat. U. C. 581. Ol. 152. a. C. N. 172.

Romanos vincit.

Sed à Paullo vincitur. U. C. 584. Ol. 152. a. C. N. 169.

CAP. IV. Cum Perseo autem Æmilius Paullus Cos. tertio nonas Septembris dimicavit, vicitque eum, XX. millibus peditum ejus occisis. Equitatus cum rege fugit integer. Romanorum centum milites amissi sunt: urbes Macedoniæ omnes, quas rex tenuerat, Romanis se dediderunt. Ipse Rex, cum desereretur ab amicis, venit in Paulli potestatem. Sed honorem ei Æmilius, non quasi victo, habuit. Nam & volentem sibi ad pedes cadere, non permisit, sed juxta se in sella collocavit. Macedonibus & Illyriis hæ leges datæ sunt, (z) *ut liberi essent, & dimidium eorum tributorum præstarent, quæ regibus præstitissent:* ut appareret Populum Romanum pro æquitate magis, quam

Capitur.

Macedonia & Illyria Provinciæ factæ.

(s) al. *defenderent.* (t) al. *redderet.* (u) al. circa Magnesiam ad Sipylum. (x) al. iniit. (y) al. datur à Senatu. (z) al. hæ leges à Romanis datæ.

quam avaritia dimicare. Atque (*a*) in conventu infinitorum populorum Paullus hæc pronuntiavit, & legationes multarum gentium, quæ ad eum venerant, magnificentissime (*b*) convivio pavit, dicens: *Ejusdem hominis esse debere, & bello vincere, & convivii apparatu elegantem esse.* Mox septuaginta civitates Epiri, quæ rebellarant, cepit: prædam militibus distribuit. Romam [cum] ingenti pompa rediit, in nave Persei; quæ inusitatæ magnitudinis fuisse traditur, adeo ut XVI. ordines dicatur habuisse remorum. Triumphavit [autem] magnificentissime in curru aureo, cum duobus filiis utroque latere adstantibus. Ducti sunt ante currum duo regis filii, & ipse Perseus, XLV. annos natus. Post eum etiam C. Anicius de Illyriis triumphavit. Gentius cum fratre & filiis ante currum ductus est. Ad hoc spectaculum multarum gentium reges Romam venerunt. Inter alios etiam venit Attalus, atque Eumenes, Asiæ reges; atque Prusias Bithiniæ. Magno honore accepti sunt: [&] permittente Senatu, [dona,] quæ attulerant, in Capitolio posuerunt. Prusias etiam filium suum Nicomedem Senatui commendavit. Insequenti anno Lucius Memmius in Hispania (*c*) bene pugnavit. Marcellus postea Consul res ibidem prospere gessit.

Paulli magnificentia.

Paulli triumphus. U.C. 585. Ol. 153. a. C.N. 168.

Reges multarum gentium Romam veniunt.

CAP. V. Tertium deinde bellum contra Carthaginem suscipitur, sexcentesimo & altero anno ab Urbe condita, L. Manlio Censorino, & Marco Manilio Consulibus, anno LI. postquam secundum Punicum bellum transactum erat. Hi profecti Carthaginem oppugnaverunt. Contra eos Asdrubal dux Carthaginiensium dimicabat. Famea dux alius, equitatui præerat Carthaginiensium. Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, tribunus ibi militabat. Hujus apud omnes ingens metus & reverentia erat. Nam & paratissimus ad dimicandum, & consultissimus habebatur. Itaque per eum multa prospere à Coss. gesta sunt. Neque quidquam magis vel Asdrubal, vel Famea vitabant, quam contra eam Romanorum partem committere, ubi Scipio dimicabat. Per idem tempus Masinissa, rex Numidarum, per annos sexaginta fere amicus Populi Romani, anno vitæ suæ XCVII. mortuus est, XLIV. filiis relictis. Scipionem divisorem regni inter filios esse jussit. Cum igitur clarum Scipionis nomen esset, juvenis adhuc Consul est factus, & contra Carthaginem missus. Is eam cepit ac diruit. Spolia ibi inventa, quæ [de] variarum civitatum excidiis Carthago collegerat: & ornamenta urbium civitatibus Siciliæ, Italiæ, Africæ reddidit, quæ sua recognoscebant. Ita Carthago septingentesimo anno, quam (*d*) condita erat, deleta est. Scipio nomen, quod avus ejus acceperat, meruit; scilicet ut propter virtutem etiam ipse Africanus Junior vocaretur.

Bellum Punicum tertium. U.C. 602. Ol. 157. a. C.N. 151.

Masinissa moritur.

Scipio Carthaginem capit & diruit. U.C. 606. Ol. 158. a. C.N. 147.

CAP. VI. Interim in Macedonia quidam Pseudophilippus arma movit, & Romanum prætorem, Publium Juvencium, contra se missum; ad internecionem vicit. Post eum Q. Cæcilius Metellus dux à Romanis contra Pseudophilippum missus est, & XXV. millibus ex militibus ejus occisis, Macedoniam recepit. Ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit. Corinthiis quoque bellum indictum est, nobilissimæ Græciæ civitati, propter injuriam legatorum Romanorum. Hanc Mummius [Consul] cepit ac diruit. Tres igitur Romæ simul celeberrimi triumphi fuerunt: Africani, ex Africa, ante cujus currum ductus est Asdrubal: Metelli, ex Macedonia, cujus currum præcessit Andriscus, qui & Pseudophilippus dicitur: Mummii, ex Corintho, ante quem signa ænea, & pictæ tabulæ, & alia urbis clarissimæ ornamenta prælata sunt.

Pseudophilippus in Macedonia.

Vincitur. U.C. 605. Ol. 158. a. C.N. 148.

Corinthus victa. U.C. 606. Ol. 158. a. C.N. 147.

Triumphus. Africanus. Macedonicus. Corinthiacus.

CAP. VII. Iterum in Macedonia Pseudoperseus, qui se Persei filium esse dicebat, collectis servis, rebellavit: & cum septemdecim (*e*) armatorum millia haberet, à Tremellio quæstore superatus est. (His diebus Androgynus Romæ visus, jussu aruspicum in mare mersus est.) Eodem tempore Metellus in Celtiberia apud Hispanos res egregias gessit. Successit ei Quintus Pompejus, nec multo post Quintus quoque Cæpio ad idem bellum missus est; quod quidem Viriatus contra Romanos in Lusitania gerebat. Quo metu Viriatus à suis interfectus est, cum quatuordecim annos (*f*) Hispanias adversum Romanos movisset. Pastor primo fuit, mox latronum dux. Postremo tantos ad bellum populos concitavit, ut assertor, contra Romanos, Hispaniæ putaretur. Cum interfectores ejus præmium à Cæpione Consule peterent, responsum est: *nunquam Romanis placuisse, Imperatorem à suis militibus interfici.*

Pseudoperseus in Macedonia.

Celtiberi.

Et Lusitani victi. U.C. 612. Ol. 159. a. C.N. 141.

CAP. VIII. Quintus Pompejus deinde Consul à Numantinis, quæ Hispaniæ civitas fuit opulentissima, superatus, pacem ignobilem fecit. Post eum Cajus Hostilius Mancinus Cos. iterum cum Numantinis pacem fecit infamem; quam Populus & Senatus jussit infringi, atque ipsum Mancinum hostibus tradi: ut in illo, quem auctorem fœderis habebant, injuriam soluti fœderis vindicarent. Post tantam igitur ignominiam, qua à Numantinis bis Romani exercitus fuerant subjugati, Publius Scipio Africanus, secundo Consul factus, [&] ad Numantiam missus est. Is primum militem vitiosum & ignavum, exercendo magis, quam puniendo, sine aliqua acerbitate correxit. Tum multas Hispaniæ civitates partim bello (*g*) cepit, partim in deditionem accepit. Postremo ipsam Numantiam, diu obsessam, fame confecit, (*h*) & à solo evertit: reliquam provinciam in fidem accepit. Eo tempore Attalas rex Asiæ, frater Eumenis, mortuus est, heredemque Populum Romanum reliquit. Ita Imperio Romano per testamentum Asia accessit. Mox etiam (*i*) Decimus Junius Brutus de Gallæcis & Lusitanis triumphavit magna gloria: & Publius Scipio Africanus de Numantinis secundum triumphum egit, XIV. anno, postquam priorem de Africa egerat.

Pax ignobilis cum Numantinis.

Scipio Africanus Numantinos vincit. U.C. 620. Ol. 161. a. C.N. 133.

Attalus heredes scribit Romanos.


Triumphus de Gallæcis, Lusitanis, & Numantinis.

CAP. IX. Motum interim in Asia bellum est ab Aristonico, Eumenis filio, qui ex concubina

Bellum Asiaticum. U.C. 698. Ol. 181. a. C.N. 55.

(*a*) al. Itaque. (*b*) al. magnificentissimo. (*c*) al. Lusitania. (*d*) al. postquam. (*e*) al. sexdecim. (*f*) al. annis. (*g*) al. vi. (*h*) al. vicit. (*i*) al. τὸ etiam omittunt.

Tab. XXXVI.
ad pag. 181. 187. 188.



mani milites ex utroque exercitu trecenti (*s*) perierunt. Tria & triginta signa cimbris sublata sunt. Ex his exercitus Marii duo reportavit, Catuli exercitus XXX & unum. Is belli finis fuit. Triumphus utrique decretus est.

CAP. II. Sexto Julio Cæsare, & L. Marcio Philippo Coss. sexcentesimo quinquagesimo [anno] ab Urbe Condita cum prope alia omnia bella cessarent, in Italia gravissimum bellum Picentes, Marsi, Pelignique moverunt. Qui, cum annis numerosis jam Populo Romano obedirent, tum libertatem sibi æquam asserere cœperunt. Perniciosum admodum hoc bellum fuit. P. Rutilius Consul in eo occisus est: Cæpio nobilis juvenis, & Porcius Cato, alius Cos. Duces autem adversus Romanos Picentibus & Marsis fuerunt, Titus Vietius, (*t*) Hierius (*u*) Asinius, Titus Herennius, (*x*) Aulus Cluentius. A Romanis bene contra eos pugnatum est, à C. Mario, qui sexies Consul fuerat; & à Cnæo Pompejo: maxime tamen à Lucio Cornelio Sylla, qui inter alia [facta] egregia, ita Cluentium, hostium ducem, eum magnis copiis fudit, ut ex suis nec unum amitteret. Quadriennio, cum gravi tamen calamitate, hoc bellum tractum est. Quinto demum anno finem accepit per Lucium Cornelium Syllam Consulem, cum antea in eodem bello ipse multa strenue prætor (*y*) gessisset.

Bellum cum Picentibus, Marsis, & Pelignis. U. C. 662. Ol. 172. a. C. N. 91.

CAP. III. Anno Urbis conditæ sexcentesimo sexagesimo secundo, primum Romæ bellum civile commotum est. Eodem anno etiam Mithridaticum. Causam bello civili [C. Marius] sexies Cos. dedit. Nam cum Sylla Consul contra Mithridatem gesturus bellum, qui Asiam & Achaiam occupaverat, mitteretur: isque exercitum in Campania paullisper teneret, ut belli Socialis, (de quo diximus) quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiæ tollerentur: Marius affectavit, ut ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. Quare Sylla commotus, cum exercitu ad Urbem venit. Illic contra Marium & Sulpicium dimicavit. Primus Urbem Romam ingressus est; Sulpicium interfecit; Marium fugavit. Atque ita Coss. ordinatis in futurum annum, (*z*) Cnæo Octavio, & L. Cornelio Cinna, ad Asiam profectus est. Mithridates enim, qui Ponti rex erat, atque Armeniam minorem, & totum Ponticum mare in circuitu cum Bosphoro tenebat, primo Nicomedem, amicum Populi Romani, Bithynia voluit expellere, Senatuique mandavit, bellum se ei propter injurias, quas passus fuerat, illaturum. A Senatu responsum est Mithridati, *si id faceret, quod & ipse bellum à Romanis pateretur*. Quare iratus Cappadociam statim occupavit, & ex ea Ariobatzanem regem & amicum Populi Romani fugavit. Mox etiam Bithyniam invasit, & Paphlagoniam, pulsis ex ea regibus, amicis Populi Romani, Pylæmene & Nicomede. Inde [ad] Ephesum contendit, & per omnem Asiam literas misit, *ut ubicunque inventi essent cives Romani, uno die occiderentur*. Interea etiam Athenæ, civitas Achaiæ, ab Aristone Atheniensi Mithridati tradita est. Miserat enim jam ad Achaiam Mithridates Archelaum ducem suum, cum centum & viginti millibus equitum ac peditum: per quem etiam reliqua Græcia occupata est.

Bellum Marianum civile. U. C. 664. Ol. 172. a. C. N. 89.

Causa belli civilis primi.

Progressus Mithridatis.

CAP. IV. Sylla Archelaum apud Pyræeum non longe ab Athenis obsedit, ipsamque urbem cepit. Postea commisso prælio contra Archelaum, ita eum vicit, ut ex CXX. millibus vix decem superessent Archelao, & ex Syllæ exercitu quatuordecim tantum homines interficerentur. Hac pugna Mithridates cognita, LXX. millia lectissima ex Asia Archelao misit, contra quem Sylla iterum commisit. Primo prælio viginti millia hostium interfecta sunt, filiusque Archelai Diogenes: secundo omnes Mithridatis copiæ exstinctæ sunt. Archelaus ipse triduo nudus in paludibus latuit. Hac re audita, Mithridates cum Sylla de pace agere cœpit. Interim eo tempore Sylla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas, & Mœsos partim vicit, alios in fidem accepit. Sed cum legati à rege Mithridate, qui pacem petebant, venissent, non aliter se daturum Sylla esse respondit, *nisi rex, relictis his quæ occupaverat, ad regnum suum rediisset*. Postea tamen ad colloquium ambo venerunt. Pax inter eos ordinata est, *ut Sylla ad bellum civile festinans, à tergo periculum non haberet*.

Archelaus victus.

Mithridates victus.

Pax.

CAP. V. Nam dum Sylla in Achaia atque Asia Mithridatem vicit, Marius, qui fugatus erat, & Cornelius Cinna, unus ex Consulibus, bellum in Italia repararunt: & ingressi Urbem Romam, nobilissimos ex Senatu, & Consulares viros interfecerunt; multos proscripserunt: ipsius Syllæ domo eversa, filios & uxorem in (*a*) fugam compulerunt. Universus reliquus Senatus ex Urbe fugiens, ad Syllam in Græciam venit, orans *ut patriæ subveniret*. Ille in Italiam trajecit, bellum civile gesturus adversus Norbanum & Scipionem Coss. [Et] primo prælio contra Norbanum dimicavit, non longe à Capua. Tum VII. millia ejus cecidit, VI. millia cepit: centum viginti quatuor suorum amisit. Inde etiam se ad Scipionem convertit, & ante prælium totum ejus exercitum sine sanguine in deditionem accepit. Sed cum Romæ mutati Consules essent, & Marius, Marii filius ac Papirius Carbo consulatum accepissent, Sylla [tamen] contra Marium juniorem dimicavit: & XV. millibus ejus occisus, CCCC. (*b*) de suis perdidit. Mox etiam [&] Urbem ingressus est. Marium Marii filium, Præneste persecutus obsedit, & ad mortem compulit. Rursus pugnam gravissimam habuit contra Lamponium & Carinatem, duces partis Marianæ, ad portam Collinam, LXXX. millia hostium in eo prælio contra Syllam fuisse dicuntur, XII. millia se Syllæ dediderunt. Ceteri in acie, in castris, in fuga, insatiabili ira victoris consumpti sunt.

Marii & Cinnæ motus Romæ.

Contra quos Sylla.

Sylla Victor.

CAP. VI. Cnæus quoque Carbo, Cos. alter, ab Arimino ad Siciliam fugit; & ibi per Cnæum Pompejum interfectus est: quem adolescentem

(*s*) al. ter mille. (*t*) al. Vettius. (*u*) al. Hierus. (*x*) al. Legennius. (*y*) al. strenue, sed prætor &c. (*z*) al. ordinatis futuro anno. (*a*) al. ad. (*b*) al. quatuor millia.

lescentem Sylla annos unum & viginti natum, cognita ejus industria, traditis exercitibus præfecerat, ut secundus [à] Sylla haberetur. Occiso ergo Carbone, Pompejus Siciliam recepit. Transgressus inde ad Africam, Domitium, Marianæ partis ducem, & Hiarbam, (c) regem Mauritaniæ, qui Domitio auxilium ferebat, occidit. Post hæc Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphavit. Cnæus etiam Pompejus (quod nulli Romanorum tributum erat) quartum & XX. annum agens, de Africa triumphavit. Hunc finem habuerunt duo bella funestissima, Italicum, quod est Sociale dictum; & Civile: quæ ambo tractata sunt per annos decem. Consumpserunt ultra CL. millia hominum: viros consulares XXIV, prætorios VII, ædilitios LX, Senatores fere CCC.

Syllæ de Mithridate triumphus.

LIBER VI.

CAPUT I.

Marco Æmilio Lepido, Quinto Catulo Consulibus, cum Sylla rempublicam composuisset, bella nova exarserunt: unum, in Hispania; aliud, in Pamphylia & Cilicia; tertium, in Macedonia: quartum, in Dalmatia. Nam Sertorius, qui partium Marianarum fuerat, timens fortunam ceterorum, qui interempti erant, ad bellum commovit Hispanias. Missi sunt contra eum duces, Quintus Cæcilius Metellus, filius ejus, qui Jugurtham [Regem] vicit; & Lucius Domitius prætor. A Sertorii duce Herculeio (d) Domitius occisus est. Metellus vario successu contra Sertorium dimicavit. Postea, cum impar pugnæ solus Metellus putaretur, Cnæus Pompejus ad Hispanias missus est. Ita duobus ducibus adversis Sertorius fortuna varia sæpe pugnavit. Octavo demum anno (e) à suis occisus est, & finis ei bello datus est per Cn. Pompejum adolescentem, & Quintum Metellum Pium: atque omnes prope Hispaniæ in ditionem Populi Romani redactæ sunt.

Bellum Sertorianum. U. C. 673. Ol. 175. a. C. N. 80.

Sertorius occiditur. U. C. 676. Ol. 175. a. C. N. 77.

CAP. II. Ad Macedoniam missus est Appius Claudius post consulatum levia prælia habuit contra varias gentes, quæ Rhodopam (f) provinciam incolebant: atque ibi morbo mortuus est. Missus ei successor Cnæus Scribonius Curio post Consulatum. Is Dardanos vicit, & usque ad Danubium penetravit; triumphumque meruit, & intra triennium finem bello dedit.

Bellum Macedonicum.

Componitur.

CAP. III. Ad Ciliciam & Pamphyliam missus est P. Servilius ex Consule, vir strenuus. Is Ciliciam subegit, Lyciæ urbes clarissimas oppugnavit, & cepit. In his Phaselidem, Olympum, Corycum Ciliciæ. Isauros quoque aggressus, in deditionem redegit, (g) atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum in Isauriam (h) iter fecit. Revertens, triumphum accepit, & nomen Isaurici meruit.

Bellum in Pamphylia & Cilicia.

A Servilio finitur.

CAP. IV. Ad Illyrium missus est Cnæus Cosconius proconsule: multam partem Dalmatiæ subegit, Salonas cepit, & composito bello Romam post biennium rediit. Iisdem temporibus Consul Marcus Æmilius Lepidus, Catuli collega, bellum civile voluit commovere: intra tamen unam æstatem motus (i) ejus oppressus est. Ita uno tempore multi simul triumphi fuerunt: Metelli ex Hispania, Pompeji secundus ex Hispania, Curionis ex Macedonia, Servilii ex Isauria.

Bellum Illyricum.

Cosconius componit.

Varii triumphi.

CAP. V. Anno Urbis conditæ DCLXXVI. L. Licinio Lucullo, & Marco Aurelio Cotta Coss. mortuus est Nicomedes rex Bithyniæ, & testamento (k) Populum Romanum fecit heredem. Mithridates, pace rupta, Bithyniam & Asiam rursus voluit invadere. Adversus eum ambo Consules missi, variam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem victus ab eo acie, etiam intra oppidum coactus est, & obsessus. Sed cum se inde Mithridates Cyzicum transtulisset, ut Cyzico capta, totam Asiam invaderet, Lucullus ei alter Consul occurrit: ac dum Mithridates in obsidione Cyzici commoraretur, ipse eum à tergo obsedit, fameque consumpsit, & multis præliis vicit. Postremo Byzantium (quæ nunc Constantinopolis est) fugavit. Navali quoque prælio duces ejus Lucullus oppressit. Ita una hieme & æstate à Lucullo [ad] centum fere millia hominum ex parte regis exstincta sunt.

Nicomedes Romanos heredes scribit.

Bellum Mithridaticum.

Mithridates victus terra & mari.

CAP. VI. Anno Urbis Romæ DCLXXVIII. Macedoniam provinciam M. Licinius Lucullus accepit, consobrinus ejus, (l) qui contra Mithridatem bellum gerebat. Et in Italia novum bellum subito commotum est. Septuaginta enim & quatuor gladiatores ducibus Spartaco, Chryso, (m) & Oenomao, effracto Capuæ ludo, effugerunt: & per Italiam vagantes, pene non levius bellum in ea, quam Annibal, moverunt. (n) Nam multis ducibus, & duobus simul Romanorum Consulibus victis, sexaginta fere millium armatorum exercitum congregaverunt: victique sunt in Apulia à M. Licinio Crasso proconsule, & post multas calamitates Italiæ, tertio anno, bello huic finis imponitur. (o)

Bellum Spartacium. U. C. 679. Ol. 176. a. C. N. 74.

Spartacus vincitur. U. C. 681. Ol. 177. a. C. N. 72.

CAP. VII. Sexcentesimo octogesimo primo Urbis conditæ anno, P. Cornelio Lentulo, & Cnæo Aufidio Oreste Coss. duo tantum gravia bella in Imperio Romano erant, Mithridaticum & Macedonicum. Hæc duo Luculli agebant, L. Lucullus, & M. Lucullus, L. ergo Lucullus post pugnam Cyzicenam, qua vicerat Mithridatem; & navalem, qua duces ejus oppresserat, persecutus est eum: & recepta Paphlagonia atque Bithynia, etiam regnum ejus invasit. Sinopen & Amisum, civitates Ponti nobilissimas (p) cepit. Secundo prælio apud

Bellum Mithridaticum. U. C. 659. Ol. 171. a. C. N. 94.

(c) al. Hierdam. (d) al. Hirtuleio. (e) al. Octavo decimo anno. (f) al. Varodopam. (g) al. coëgit. (h) al. in Tauro. (i) al. nixus. (k) al. & per testamentum. (l) al. consobrinus Luculli. (m) al. Crixo. (n) al. quam Annibal moverat, paraverunt. (o) al. impositus. (p) al. bellicosissimas.

apud Cabira civitatem, quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, cum XXX. millia lectissima regis, à quinque Romanorum millibus vastata essent, Mithridates fugatus, & castra ejus direpta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem sublata est. Susceptus tamen est Mithridates post fugam à Tigrane Armeniæ rege, qui tum ingenti gloria imperabat: Persas sæpe vicerat, Mesopotamiam occupaverat, & Syriam, Phœnicis partem. Ergo Lucullus repetens hostem fugatum, etiam regnum Tigranis, qui Armeniis imperabat, ingressus est. Tigranocerta civitatem Armeniæ nobilissimam, cepit. Ipsum regem, cum sexcentis millibus clibanariorum, & centum millibus sagittariorum & armatorum venientem, decem & octo millia militum habens ita vicit, ut magnam partem Armeniorum deleverit. Inde Nisibin profectus, eam quoque civitatem cum regis fratre cepit. Sed hi, quos in Ponto Lucullus reliquerat, cum exercitus parte, ut regiones victas etiam Romanorum tuerentur, negligenter se & avare agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt: atque ita bellum renovatum est. Lucullo paranti, capta Nisibi, contra Persas expeditionem, successor est missus.

Mithridates fugatur. *A Tigrane Armeniæ rege suscipitur.* *Qui etiam vincitur.*

CAP. VIII. Alter Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti prælio in Æmo monte superavit. Oppidum Uscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo aggressus est, vicit: Cabylen cepit: usque ad Danubium penetravit. Inde multas super Pontum positas civitates aggressus est. Illic Apolloniam evertit; Calatim, Parthenopolim, Tomos, Istrum, Burziaonem (q) omnem cepit: belloque confecto, Romam rediit. Ambo tamen triumpharunt: Lucullus, qui contra Mithridatem pugnaverat, majori gloria, cum tantorum regnorum victor rediisset.

Bellum Macedonicum. *Conficitur.*

CAP. IX. Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod, recedente Lucullo, rex collectis auxiliis reparaverat, bellum Creticum ortum est. Ad id missus Cæcilius Metellus, ingentibus præliis intra triennium omnem provinciam cepit; appellatusque est CRETICUS, atque ex insula triumphavit. Quo tempore Libya quoque Romano Imperio per testamentum Apionis, qui ejus rex fuerat, accessit: in qua inclytæ civitates erant, Berenice, Ptolemais, & Cyrene.

Bellum Creticum. U.C. 684. Ol. 177. a. C. N. 69. Conficitur. U.C. 690. Ol. 179. a. C. N. 63.

CAP. X. Dum hæc geruntur, Piratæ omnia mari infestabant, ita ut navigatio Romanis, toto orbe victoribus, sola tuta non esset. Quare id bellum Cnæo Pompejo decretum est: quod intra paucos menses ingenti felicitate & celeritate confecit. Mox ei delatum est bellum etiam contra regem Mithridatem & Tigranem: quo suscepto, Mithridatem in Armenia minore nocturno prælio vicit, castra diripuit, quadraginta millibus ejus occisis, viginti tantum de exercitu suo perdidit, & duos centuriones. Mithridates cum uxore fugit, & duobus comitibus. Neque multo post, cum in suos sæviret, Pharnacis filii sui seditione apud milites, ad mortem (r) coactus, venenum hausit. Hunc finem habuit Mithridates. Periit autem apud Bosphorum, vir ingentis industriæ consiliique. Regnavit annis sexaginta: vixit septuaginta duobus. [Contra Romanos bellum habuit annos quadraginta.]

Bellum Piraticum. U.C. an. 685. Ol. 178. a. C. N. 68. *A Pompejo conficitur.* *Qui & Mithridatem vincit. U.C. 688. Ol. 178. a. C. N. 65.* *Mithridates venenum haurit.*

CAP. XI. Tigrani deinde Pompejus bellum intulit. Ille se [ei] dedidit, & in castra Pompeji sexto decimo milliario ab Artaxata venit: ac diadema suum, cum procubuisset ad genua Pompeji, in manibus ejus collocavit: quod ei Pompejus reposuit, honorificeque eum habitum, regni tamen parte mulctavit, & grandi pecunia. Adempta est ei Syria, Phœnice, Sophene: sex millia præterea talentorum argenti, quæ Populo Romano daret: quia bellum sine causa Romanis commovisset. Pompejus mox etiam Albanis bellum intulit, & eorum regem Orodem ter vicit. (s) Postremo per epistolas & munera rogatus, veniam ei ac pacem dedit. Iberiæ quoque regem Arthacem vicit acie, & in deditionem accepit. Armeniam minorem Deiotaro, Galatiæ regi donavit; quia socius belli Mithridatici fuerat. Attalo & Pylæmeni Paphlagoniam reddidit. (t) Aristarchum Colchis regem imposuit. Mox Ituræos & Arabes vicit: & cum venisset in Syriam Seleuciam, vicinam Antiochiæ civitatem, libertate donavit; [eo] quod regem Tigranem non recepisset. Antiochensibus obsides reddidit: aliquantum agrorum Daphnensibus dedit, quo locus ibi spatiosior fieret: delectatus amœnitate loci, & aquarum abundantia. Inde ad Judæam transgressus, Hierosolymam caput gentis, tertio mense cepit; duodecim millibus Judæorum occisis, ceteris in fidem acceptis. His gestis, in Asiam se recepit, & finem antiquissimo bello dedit.

Pompeji reliquæ res gestæ. cum Tigrane. *Cum Albanis.* *Cum Arthace.* *Cum Ituræis, Arabibus & Syris.* *Cum Judæis.*

CAP. XII. Marco Tullio Cicerone [oratore] C. Antonio Coss. anno ab Urbe condita DCLXXXIX. Lucius Sergius Catilina, nobilissimi generis vir, sed ingenii pravissimi, ad delendam patriam conjuravit cum quibusdam, claris quidem, sed audacibus viris. A Cicerone Urbe expulsus est: socii ejus deprehensi, in carcere strangulati sunt: ab Antonio, altero Consule, Catilina ipse [in] prælio victus est, & interfectus.

Bellum Catilinarium. U.C. 689. Ol. 179. a. C. N. 64. *Catilina interficitur. U.C. 690. Ol. 179. a. C. N. 63.*

CAP. XIII. Sexcentesimo nonagesimo anno ab Urbe Condita D. Junio Silano, & L. Murena Coss. Metellus de Creta triumphavit. Pompejus de bello Piratico & Mithridatico. Nulla unquam Pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante ejus currum filius Mithridatis, filius Tigranis, Aristobulus rex Judæorum. Prælata ingens pecunia, auri atque argenti infinitum pondus. Hoc tempore nullam per orbem terrarum grave bellum erat.

Varii triumphi.

CAP. XIV. Anno Urbis conditæ DCXCVIII. Cajus Julius Cæsar, qui postea imperavit, cum L. Bibulo Consul est factus. Decreta est ei Gallia & Illyricum, cum legionibus decem. Is primo vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur. Deinde vincendo, per bella gravissima usque ad Oceanum - Britannicum processit. (u) Domuit autem annis fere IX. omnem

C. Julius Cæsar Consul. U.C. 695. Ol. 180. a. C. N. 58. Ejus res gestæ. *In Gallia.*

(q) al. Buziam. (r) al. Pharnacis filii sui instinctu, militum seditione ad mortem &c. (s) al. Orodem scilicet, prudenter vicit. (t) al. dedit. (u) al. accessit.

mnem Galliam, quæ inter alpes, flumen Rhodanum, Rhenum, & Oceanum est, & circuitu patet ad bis [&] tricies centena millia passuum. Britannis mox bellum intulit; quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat: & eos quoque victos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Galliæ autem tributi nomine annnum imperavit Sestertium quadringenties. Germanosque trans Rhenum aggressus, immanissimis præliis vicit. Inter tot successus ter male pugnavit; apud Avernos semel præsens, & absens in Germania bis. Nam legati ejus duo, Titurius & Arunculeius, per insidias cæsi sunt.

In Britannia. In Germania.

CAP. XV. Circa eadem tempora, anno Urbis conditæ DCXCVII. M. Licinius Crassus, collega Cnæi Pompeji Magni, in consulatu secundo, contra Parthos missus. Et cum circa Carras contra omina & auspicia dimicasset, à Surena, Orodis regis duce victus ad postremum interfectus est, cum filio clarissimo & præstantissimo juvene. Reliquiæ exercitus per C. Cassium quæstorem servatæ sunt: qui singulari animo perditas res tanta virtute restituit, ut Persas, rediens trans Euphratem, crebris præliis vinceret.

Bellum Parthicum, U. C. 698. Ol. 181. a. C. N. 55. Infeliciter à Crasso gestum.

CAP. XVI. Hinc jam bellum civile successit execrandum & lacrymabile; quo, præter calamitates, quæ in præliis acciderunt, etiam Romani nominis fortuna mutata est. Cæsar enim, rediens è Gallia victor, cœpit poscere alterum consulatum: atque cum sine dubietate aliqua deferretur, (*x*) contradictum est à Marcello Consule, à Bibulo, à Pompejo, à Catone; jussusque dimissis exercitibus ad Urbem redire. Propter quam injuriam, ab Arimino, ubi milites congregatos habebat, adversum patriam cum exercitu venit. Consules cum Pompejo, Senatusque omnis, atque universa nobilitas ex Urbe fugit, & in Græciam transivit: apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompejo duce, contra Cæsarem bellum paravit. Cæsar, vacuam Urbem ingressus, Dictatorem se fecit. Inde Hispanias petiit. Ibi Pompeji exercitus validissimos & fortissimos, cum tribus ducibus L. Afranio, M. Petreio, M. Varone, superavit. Inde regressus, in Græciam transiit: adversum Pompejum dimicavit. Primo prælio victus & fugatus: evasit tamen, quia nocte interveniente, Pompejus sequi noluit. Dixitque Cæsar, *Nec Pompeium scire vincere, & illo tantum die se potuisse superari.* Deinde in Thessalia apud Pharsaliam (*y*) productis utrimque ingentibus copiis, dimicaverunt. Pompeii acies habuit XL. millia peditum, equitum in sinistro cornu VII. millia, in dextro quingentos. Præterea totius Orientis auxilia, totamque nobilitatem, innumeros senatores, prætorios, consulares, & qui magnorum jam populorum victores fuissent. Cæsar in acie sua habuit peditum non integra XXX. millia, equites mille. Nunquam adhuc Romanæ copiæ [in unum] neque majores, neque melioribus ducibus, convenerant, totum terrarum orbem facile subacturæ, si contra Barbaros ducerentur. Pugnatum tamen est ingenti contentione; victusque ad postremum Pompeius, & castra ejus direpta sunt. Ipse fugatus, Alexandriam petiit, ut à rege Ægypti, cui tutor à Senatu datus fuerat, propter juvenilem ejus ætatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis, quam amicitiam secutus, occidit Pompeium, caput ejus & annulum Cæsari misit. Quo conspecto, Cæsar [etiam] lacrymas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, & generi quondam sui.

Bellum civile primum. Inter Cæsarem & Pompejum, U. C. 703. Ol. 182. a. C. N. 50. Cæsar à Pompejo vincitur & fugatur. Pompeji acies. Cæsaris acies. Pompejus victus. Fugatus. Et occisus. U. C. 704. Ol. 182. a. C. N. 49.

CAP. XVII. Mox Cæsar Alexandriam venit. Ipsi quoque Ptolemæus parare voluit insidias. Qua causa regi bellum illatum est. Victus in Nilo periit, inventumque est corpus ejus cum lorica aurea. Cæsar Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, Ptolemæi sorori, cum qua consuetudinem stupri habuerat. [Quæ postea regio comitatu urbem ingressa est.] Rediens inde Cæsar Pharnacem, Mithridatis magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto, & multas Populi Romani provincias occupantem, vicit acie: postea ad mortem coëgit.

Cæsar Ptolemæum vincit. Pharnacem pariter.

CAP. XVIII. Inde Romam regressus tertio se Consulem fecit cum M. Æmilio Lepido, qui ei magister equitum dictatori (*z*) ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas cum Juba, Mauretaniæ rege bellum reparaverat. Duces autem Romani erant, P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani. (Hic etiam socer Magni Pompeii fuerat) M. Petreius, Q. Varro, (*a*) M. Porcius Cato, L. Cornelius Faustus, Syllæ dictatoris filius. Contra hos commisso prælio, post multas dimicationes, victor fuit Cæsar. Cato, Scipio, Petreius, Juba, ipsi se occiderunt: Faustus [Syllæ quondam dictatoris filius] Pompeii gener, à Cæsare interfectus est.

Cæsar tertio Consul. U. C. 707. Ol. 183. a. C. N. 46. Bellum in Africa.

CAP. XIX. Post annum Cæsar Romam regressus, quarto se Consulem fecit, & statim ad Hispanias est profectus, ubi Pompeii filii, Cnæus & Sextus, ingens bellum reparaverant. Multa prælia fuerunt: ultimum prælium apud Mundam civitatem: in quo adeo Cæsar pene victus est, ut fugientibus suis se voluerit occidere; ne post tantam rei militaris gloriam, in potestatem adolescentium, natus annos sex & quinquaginta, veniret. Denique reparatis suis vicit, & Pompeii filius major occisus est, minor fugit.

Cæsar quarto Consul. U. C. 708. Ol. 183. a. C. N. 45. Bellum in Hispania cum Pompeji filiis. Quos Cæsar vincit.

CAP. XX. Inde Cæsar toto orbe bellis civilibus compositis, Romam rediit; agere insolentius cœpit, & contra consuetudinem Romanæ libertatis. Cum ergo & honores ex sua voluntate præstaret, qui à Populo antea deferebantur, nec Senatui ad se venienti assurgeret, aliaque regia ac pene tyrannica faceret; conjuratum est in eum à LX. vel amplius senatoribus, equitibusque Romanis. Præcipui fuerunt, inter conjuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romæ Consul fuerat, & reges expulerat: C. Cassius, & Servilius Casca. Ergo Cæsar, cum Senatus die quadam inter ceteros venisset ad curiam, XXIII. vulneribus confossus est.

Cæsari honores conferuntur. Conjuratio in eum. Confoditur. U. C. 708. Ol. 183. a. C. N. 45.

(*x*) al. aliqui deferrent. (*y*) al. Salæopharsalum. (*z*) al. qui ei Dictatori magister equitum. (*a*) al. Varus.

LIBER VII.

CAPUT I.

Bellum civile secundum.

ANno Urbis septingentesimo fere ac nono interfecto Cæsare, bella civilia reparata sunt. Percussoribus enim Cæsaris Senatus favebat. Antonius Consul, partium Cæsaris, civili bello opprimere eos conabatur. Ergo turbata Republica multa Antonius scelera committens, à Senatu hostis judicatus est. Missi ad eum persequendum duo Coss. Pansa & Hirtius, & Octavianus adolescens, annos XVIII. natus, Cæsaris nepos, quem ille testamento heredem reliquerat, & nomen suum ferre jusserat. Hic est, qui postea AUGUSTUS est dictus, & rerum potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, vicerunt eum. Evenit tamen, ut victores Coss. ambo morerentur. Quare tres exercitus uni Cæsari paruerunt. Fugatus Antonius amisso exercitu, confugit ad Lepidum, qui Cæsari magister equitum fuerat, & tum copias militum grandes habebat; à quo susceptus est. Mox Lepido operam dante, Cæsar pacem cum Antonio fecit, & quasi vindicaturus patris sui mortem, à quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus est; extorsitque ut sibi XX. annos consulatus daretur. Senatum proscripsit, cum Antonio & Lepido, & Rempublicam armis tenere cœpit. Per hos etiam Cicero orator occisus est, multique alii nobiles.

Inter Antonium & Octavianum. U. C. 709. Ol. 184. a. C. N. 44.

Cicero occiditur.

Brutus & Cassius bellum movent. U. C. 709. Ol. 184. a. C. N. 44.

CAP. II. Interea Brutus & Cassius, interfectores Cæsaris, ingens bellum moverunt. Erant enim per Macedoniam & Orientem multi exercitus, quos occupaverunt. Profecti sunt igitur contra eos, Cæsar Octavianus Augustus, & M. Antonius, (remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus) apud Philippos, Macedoniæ urbem, contra eos pugnaverunt. Primo prælio victi sunt Antonius & Cæsar. Periit tamen dux nobilitatis Cassius. Secundo Brutus, & infinita nobilitas, quæ cum illis bellum gesserat. (*b*) Ac sic inter eos divisa est Respublica, Augustus Hispanias, Gallias, Italiam teneret: Antonius Asiam, Pontum, Orientem. Sed intra Italiam L. Antonius Coss. bellum civile commovit. Frater ejus, qui cum Cæsare contra Brutum & Cassium dimicaverat. Is apud Perusium, Tusciæ civitatem, victus & captus est, neque occisus.

Sed vincuntur & interficiuntur. U. C. 710. Ol. 184. a. C. N. 43.

Bellum cum Sexto Pompejo. U. C. 714. Ol. 185. a. C. N. 39.

CAP. III. Interim à Sexto Pompeio, Cnæi Pompeii Magni filio, ingens bellum in Sicilia commotum est, his, qui superfuerant ex partibus Bruti Cassiique, ad eum confluentibus. Bellatum per Cæsarem Augustum Octavianum, & M. Antonium adversus Sextum Pompeium: pax postremo convenit. Eo tempore M. Agrippa in Aquitania rem prospere gessit: & L. Ventidius Bassus irrumpentes in Syriam Persas, tribus præliis vicit. Pacorum, regis Orodis filium, interfecit eo ipso die, quo olim Orodes, Persarum rex, per ducem Surenam, Crassum occiderat. Hic primus de Parthis justissimum triumphum [Romæ] egit. Interim Pompeius pacem rupit, & navali prælio victus, fugiens ad Asiam, interfectus est.

Bellum Parthicum. U. C. 714. Ol. 185. a. C. N. 39.

Parthi vincuntur, eodem anno.

CAP. IV. Antonius, qui Asiam & Orientem tenebat, repudiata sorore Cæsaris Augusti Octaviani, Cleopatram, reginam Ægypti, duxit uxorem. Contra Persas ipse etiam pugnavit: primis eos præliis vicit: regrediens tamen, fame & pestilentia laboravit. Et cum instarent Parthi fugienti, ipsis pro victoria cessit. (*c*) Hic quoque ingens bellum civile commovit, cogente uxore Cleopatra, regina Ægypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in Urbe regnare. Victus est ab Augusto navali pugna clara & illustri, apud Actium, qui locus in Epiro est; ex qua fugit in Ægyptum: & desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit. Cleopatra [sibi] aspidem admisit, & veneno ejus extincta est. Ægyptus per Octavianum Augustum Imperio Romano adjecta est: præpositusque ei (*d*) Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Ægyptus Romanum judicem habuit. Ita bellis tota orbe confectis, OCTAVIANUS AUGUSTUS Romam rediit, XII. (post) quam Consul fuerat. Ex eo rempublicam per quadraginta & quatuor annos solus obtinuit. Ante enim XII. annis cum Antonio & Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus ejus usque ad finem LVI. anni fuere.

Antonius Cleopatram ducit.

Male contra Persas rem gerit.

Civile bellum inter Antonium & Octavianum Augustum. U. C. 720. Ol. 186. a. C. N. 33.

Antonius vincitur.

Ipse se interimit. U. C. 721. Ol. 187. a. C. N. 32.

Ægyptus Romano Imperio adjicitur.

Octavianus Augustus Imperator.

CAP. V. Obiit autem LXXVI. anno morte communi, (*e*) in oppido Campaniæ Atella. Romæ in campo Martio sepelitur. (*f*) Vir, qui non immerito ex maxima (*g*) parte Deo similis est putatus. Neque enim facile ullus eo aut in bellis felicior fuit, aut in pace moderatior. [XLIV. annis, quibus solus gessit Imperium,] civilissime vixit: in cunctos liberalissimus, in amicos fidelissimus, quos tantis evexit honoribus, ut pæne æquaret fastigio suo. Nullo tempore (ante eum) res Romana magis floruit. Nam exceptis civilibus bellis, in quibus invictus fuit, Romano adjecit Imperio Ægyptum, Cantabriam, Dalmatiam, sæpe ante victam, sed penitus tunc subactam: Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhætiam, Vindelicos, & Salassos in Alpibus; omnes Ponti maritimas civitates: in his nobilissimas, Bosphorum, & Panticapæon. Vicit autem præliis Dacos; Germanorum ingentes copias cecidit; ipsos quoque trans Albim fluvium submovit, qui in Barbarico longe ultra Rhenum est. Hoc tamen [bellum] per Drusum privignum suum administravit, sicut per privignum Tiberium alterum, Pannonicum. Quo bello CCCC. millia captiorum ex Germania transtulit, & supra (*h*) ripam Rheni in Gallia collocavit. Armeniam à Parthis recepit: obsides,

Augustus moritur. U. C. 766. p. C. N. 14.

Ejus indoles, Res gestæ.

(*b*) al. Secundo Brutum, & infinitam nobilitatem, quæ cum illis bellum gesserat, interfecerunt. (*c*) al. ipse pro victore cessit. (*d*) al. præpositusque (ejus factus est.) (*e*) al. Extinctus est morte communi. (*f*) al. sepultus est. (*g*) al. majori. (*h*) al. super.

fides, (quod nulli antea) Persæ ei dederunt: (reddiderunt) etiam signa Romana, quæ Crasso victo ademerant. Scythæ, & Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera & legatos ad eum miserunt. Galatia quoque sub hoc provincia facta est, cum antea regnum fuisset: primusque eam M. Lollius pro prætore administravit. Tanto autem amore (etiam) apud Barbaros fuit, ut reges Populi Romani amici, in honorem ejus conderent civitates, quas Cæsareas nominarent: sicut in Mauritania à rege Juba, & in Palæstina, quæ nunc urbs est clarissima. Multi autem reges ex regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur; & habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculum vel equum (*i*) ipsius cucurrerunt. Moriens Divus appellatus est. Rempublicam beatissimam Tiberio successori reliquit, qui privignus ei, (*k*) mox gener, postremo adoptione filius fuerat.

Veneratio apud exteros.

Divus appellatur.

CAP. VI. Tiberius ingenti socordia imperium gessit, gravi crudelitate, & scelesta avaritia, turpi libidine. Nam nusquam ipse pugnavit: bella per legatos suos gessit: quosdam reges [ad se] per blanditias evocatos, numquam remisit: in quibus Archelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in provinciæ formam redegit, & maximam civitatem appellari nomine suo jussit, quæ nunc Cæsarea dicitur, cum Mazaca antea vocaretur. Hic tertio & vigesimo Imperii anno, ætatis LXXIX. ingenti omnium gaudio mortuus est in Campania.

Tiberius Imperator. U. C. 766. p. C. N. 14. Ejus res gestæ.

Moritur.

CAP. VII. Successit ei Cajus Cæsar cognomento *Caligula*, Drusi privigni Augusti, & ipsius Tiberii nepos: sceleratissimus, ac funestissimus, & qui etiam Tiberii dedecora purgaverit. Bellum contra Germanos suscepit; & ingressus Sueviam, nihil strenue fecit. Stupra sororibus intulit: ex una etiam natam filiam agnovit. Cum adversum cunctos ingenti avaritia, libidine, crudelitate sæviret, interfectus in palatio est anno ætatis suæ XXXIX. imperii III. mense X. dieque VIII.

Cajus Caligula Imperator. U. C. 789. p. C. N. 37.

Ejus incestus.

Interficitur.

CAP. VIII. Post hunc Claudius fuit, patruus Caligulæ, (2) Drusi, qui apud Mogontiacum monimentum habet, (*m*) filius: cujus & Caligula nepos erat. Hic medie imperavit, multa gerens tranquille, atque moderate, quædam crudeliter atque insulse. Britanniæ intulit bellum, quam nullus Romanorum post Julium (*n*) Cæsarem attigerat: eaque devicta per Cnæum Sentium, & Aulum Plautium, illustres & nobiles viros, triumphum celebrem egit. Quasdam insulas etiam ultra Britanniam in Oceano positas Romano Imperio addidit, quæ appellantur Orcades. Filioque suo (*o*) Britannici nomen imposuit. Tam civilis autem circa quosdam amicos exstitit, ut etiam Plautium, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie (*p*) fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, & conscendenti Capitolium lævus incederet. Is vixit annos LXIV. imperavit XIV. post mortem consecratus est, Divusque appellatus.

Claudius Imperator. U. C. 793. p. C. N. 41. Ejus res gestæ.

Britannicus.

Moritur.

CAP. IX. Successit huic Nero, Caligulæ (*q*) avunculo suo simillimus: qui Imperium Romanum & deformavit, & diminuit: inusitatæ luxuriæ, sumptuumque, ut qui exemplo Caji Caligulæ calidis & frigidis [se] lavaret unguentis, retibus aureis piscaretur, quæ blatteis funibus extrahebat. Infinitam partem Senatus interfecit. Bonis omnibus hostis fuit. Ad postremum se tanto dedecore prostituit, ut saltaret & cantaret in scena citharœdico habitu & tragico. Parricidia multa commisit, fratre, uxore, matre, interfectis. Urbem Romam incendit, ut spectaculi ejus imaginem cerneret, quali olim Troia capta arserat. In re militari nihil omnino ausus, Britanniam pene amisit. Nam duo sub hoc nobilissima oppida capta illic atque eversa sunt. Armeniam Parthi sustulerunt, legionesque Romanas sub jugum miserunt. Duæ tamen provinciæ sub eo factæ sunt, Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone; & Alpes Cottiæ, [Cottio] rege defuncto. Propter hæc (*r*) Romanæ urbi (*s*) exsecrabilis, ab omnibus simul destitutus, & à Senatu hostis judicatus, quum quæreretur ad pœnam, (quæ pœna erat talis, ut nudus per publicum ductus, furca capiti ejus inserta, virgis usque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de saxo) è palatio fugit, & in suburbano liberti sui, quod est inter Salariam & Numentanam viam, ad quartum Urbis milliarium, interfectus est. (*t*) Is Ædificavit Romæ thermas, quæ ante *Neronianæ* dictæ, nunc *Alexandrinæ* appellantur. Obiit trigesimo & altero ætatis anno, Imperii XIV. atque in eo omnis familia Augusti consumpta est.

Nero Imperator. U. C. 806. p. C. N. 54. Ejus res gestæ.

Magno dedecore vicit.

Ab omnibus desertus.

Interficitur. Ejus thermæ.

CAP. X. Huic Servius Galba successit, antiquissimæ nobilitatis Senator. Cum LXXIII. annum ageret ætatis, ab Hispanis & Gallis Imperator electus, mox ab universo exercitu libenter acceptus est. Nam privata ejus vita insignis fuerat militaribus & civilibus rebus. Sæpe Consul, sæpe pro consule, frequenter dux in gravissimis bellis. Hujus breve Imperium fuit, & quod bona haberet exordia, nisi ad severitatem propensior videretur. Insidiis tamen Othonis occisus est, Imperii mense septimo: jugulatus in foro Romæ, sepultusque in hortis suis, qui sunt Aurelia via, (*u*) non longe ab Urbe Roma.

Servius Galba Imperator. U. C. 820. p. C. N. 68.

Ejus res gestæ privatæ.

Publicæ.

Occiditur.

CAP. XI. Otho, occiso Galba, invasit Imperium: materno genere nobilior quam paterno, neutro tamen obscuro. In privata vita mollis, [& Neroni familiaris.] In imperio docu-

Otho Imperator. U. C. 820. p. C. N. 68.

(*i*) al. currum. (*k*) al. ejus. (*l*) al. cognovit. (*m*) al. apud Maguntiam cum filio monimentum habet. (*n*) al. Cajum. (*o*) al. Filio autem suo. (*p*) al. multa ac egregia. (*q*) al. Nero, nepos Caji Caligulæ &c. (*r*) al. Per hæc. (*s*) al. Romano orbi. (*t*) al. interfecit. (*u*) al. in Aurelia via.

(2) Drusi, qui apud Mogontiacum monimentum habet) Rudera hujus monimenti adhuc visuntur Moguntiæ in castello S. Jacobi, & à nobis exhibentur Tab. XXXVI. num. 2. Appellatur hoc monimentum vulgo der Eichelstein quia glandis figuram præ se fert. Pluribus de eodem egit R. P. SERRARIUS S. J. Rer. Moguntiacar. Lib. I. Cap. XV. pag. 57. seqq.

Ejus res gestæ.

documentum sui non potuit ostendere. Nam cum iisdem temporibus, quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius factus esset à Germanicianis exercitibus Imperator, bello contra eum suscepto, cum apud Bebriacum in Italia levi (*x*) prælio victus esset, ingentes (*y*) tamen copias haberet, sponte semetipsum occîdit. Petentibus militibus, *ne tam cito de belli desperaret eventu, cum tanti se non esse dixisset, ut propter eum civile bellum oriretur*, voluntaria morte obiit, trigesimo & octavo ætatis anno, nonagesimo & quinto Imperii die.

Semetipsum occidit.

Vitellius Imperator. U. C. 821. p. C. N. 69. Ejus res gestæ.

CAP. XII. Dein VITELLIUS Imperio potitus est, familia honorata magis quam nobili. Nam pater ejus non admodum clare natus, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. Hic cum multo dedecore imperavit, & gravi sævitia notabilis, præcipue ingluvie & voracitate. Quippe cum de die sæpe quarto vel quinto feratur epulatus. Notissima certe cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit; in qua super ceteros sumtus, duo millia piscium, septem avium millia apposita traduntur. Hic cum Neroni similis esse vellet, atque id adeo præ se ferret, ut etiam exsequias Neronis, quæ humiliter sepultæ fuerant, honoraret; à Vespasiani ducibus occisus est, interfecto prius Sabino, Vespasiani Imperatoris fratre, quem cum Capitolio incendit. Interfectus autem, & cum magno dedecore tractus per Urbem Romam publice, nudus, erecta coma, & capite subjecto ad mentum gladio, stercore in vultum, & pectus ab omnibus obviis appetitus. Postremo jugulatus, & in Tiberim dejectus, etiam communi caruit sepultura. Periit autem ætatis anno septimo & quinquagesimo, Imperii mense VIII. & die uno.

Neroni similis.

Occiditur.

In Tiberim dejicitur.

Vespasianus Imperator. U. C. 821. p. C. N. 69. Ejus res gestæ privatæ.

DAP. XIII. VESPASIANUS huic successit, factus apud Palæstinam Imperator: princeps quidem obscure natus, sed optimis comparandus. Privata vita illustris, ut qui à Claudio in Germaniam, deinde in Britanniam missus, tricies & bis cum hoste conflixerit; duas validissimas gentes, XX. oppida, insulam Vectam, Britanniæ proximam, Imperio moderatissime gessit: pecuniæ tamen avidior fuit, ita ut eam nulli injuste auferret: quam cum omni diligentiæ provisione colligeret, tamen studiosissime largiebatur, præcipue indigentibus. Nec facile ante eum cujusquam principis vel major est liberalitas comperta, vel justior. Placidissimæ bonitatis, (*z*) ut qui majestatis quoque contra se reos non facile puniret ultra exsilii pœnam. Sub hoc Judæa Romano accessit Imperio; & Hierosolyma, quæ fuit urbs clarissima Palæstinæ. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, quæ liberæ ante hoc tempus fuerant; item Thracheam, Ciliciam, Commagenen, (*a*) quæ sub regibus amicis erant, in provinciarum formam redegit. Offensarum & inimicitiarum immemor fuit. Convitia à causidicis & philosophis in se dicta, leniter tulit. Diligens tamen coërcitor disciplinæ militaris. (3) Hic cum Tito filio de Hierosolymis triumphavit. Per hæc cum Senatui & populo, postremo cunctis amabilis ac jucundus esset, profluvio ventris exstinctus est in villa propria, circa Sabinos, annum ætatis agens LXIX. Imperii nonum, & diem septimum: atque inter divos relatus est. Genituram filiorum ita cognitam habuit, ut cum multæ contra eum conjurationes fierent, quas patefactas in ingenti dissimulatione contempsit, in Senatu dixerit, (4) *aut filios sibi successuros, aut neminem.*

Publicæ.

Liberalitas ejus.

Judæam Romano Imperio acquirit.

De qua triumphat.

Moritur.

Titus Vespasianus Imperator, U. C. 831. p. C. N. 79. Ejus virtutes, Doctrina.

CAP. XIV. Huic TITUS filius successit, qui & ipse VESPASIANUS est dictus, vir omnium virtutum genere mirabilis, adeo, ut *amor & Deliciæ humani generis* diceretur. Facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus. Causas latine egit; poëmata & tragœdias græce composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, XII. propugnatores XII. sagittarum ictibus confixit. Romæ tantæ civilitatis in Imperio fuit, ut nullum omnino puniret. Convictos adversum sese conjurationis, ita dimisit, ut in eadem familiaritate, qua antea, habuerit. Facilitatis tantæ fuit & liberalitatis, ut nulli quicquam negaret: & cum ab amicis reprehenderetur, respondit, *Nullum tristem debere ab Imperatore discedere.* Præterea (*b*) cum quadam die in cœna recordatus fuisset, nihil se illo cuiquam præstitisse, dixit: *O amici, hodie diem perdidi.* Hic Romæ amphiteathrum ædificavit, & quinque millia ferarum in dedicatione ejus occidit. Per hæc inusitato favore dilectus, morbo periit in ea, qua pater, villa, post biennium, menses octo, dies XX. quam Imperator erat factus, ætatis anno altero & XL. Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tamquam in propria doluerint orbitate. Senatus obitu ipsius circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam, & tantas ei mortuo gratias laudesque congessit, quantas nec vivo umquam egerat, nec præsenti. Inter divos relatus est.

Facilitas & liberalitas.

Opera publica.

Moritur.

Magno luctu totius Romæ.

Domitianus Imperator. U. C. 833. p. C. N. 81.

CAP. XV. DOMITIANUS mox accepit Imperium, frater ipsius junior. Neroni, aut, Caligulæ, aut Tiberio similior, quam patri vel fratri suo. Primis tamen annis moderatus in Imperio fuit, mox ad ingentia vitia progressus, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, avaritiæ, tantum in se odium concitavit, ut merita, & patris & fratris aboleret. Interfecit nobilissimos ex Senatu: *Dominum se & Deum* primus appellari jussit. Nullam sibi nisi auream & argenteam statuam in Capitolio poni passus est. Consobrinos suos interfecit. Superbia quoque

Ejus vitia.

(*x*) al. brevi. (*y*) al. complures. (*z*) al. lenitatis. (*a*) al. Thraciam, Ciliciam, Tracheam, & Commagenen. (*b*) al. Propterea.

(3) Hic cum Tito filio de Hierosolymis triumphavit) In memoriam captæ Judææ cusus est numus Tab. XXXVI. num. 3. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. pag. 630. Triumphum vero de Hierosolymis Vespasiani patris exhibet numus Tab. XXXVII. num. 1. & filii Titi Vespasiani Tab. XXXVII. num. 2. Conf. OSSELIUS. Thes. Numism. Antiqu. Tab. XCI. num. 7. & Tab. XCII. num. 5. Ubi adhuc notandum ultimi numi currui triumphali impositum esse Candelabrum potius aureum, in templo Hierosolymitano repertum, vel aliud templi ejusdem Instrumentum sacrum, quam flosculum, qualis aliorum nummorum curribus triumphalibus imponitur.

(4) Aut filios sibi successores, aut neminem) Hanc voluntatem etiam Imp. Vespasianus in nummis expressit, in quibus Cæsares appellat, ut habent nummi Tab. XXXVII. num. 3. 4. 5. & 6. Conf. BEGER. loc. cit. Tom. II. pag. 631.


Tab. XXXVII.
ad pag. 188. 189.
ÆR
I
S C
Δ
AR
II
T R.P. VIII. IMP. XIIII. COS. VII. P. P.
Γ
AR
III
CAESAR. AVG. F. COS. CAESAR. AVG. F. P. R.
Γ
AR
IV
TITVS ET DOMITIAN. CAESARES PRINC. IVVENT.
Γ
AR
V
TITVS ET DOMITIAN. CAESARES PRINC. IV VENT.
Γ
ÆR
VI
T. IMP. CAESAR. COS. DES. II. CAESAR. DOMIT. COS DES. II.
H
VII
COS.RV.P.
Latitudo Patellarum.
Altitudo Patellarum.

Res gestæ. quoque in eo execrabilis fuit. Expeditiones quatuor habuit; unam adverſus Sarmatas, alteram adverſus Cattos, duas adverſum Dacos. De Dacis Cattisque publice quidem triumphum egit. De Sarmatis ſolam lauream uſurpavit. Multas quidem (*c*) calamitates iisdem bellis paſſus eſt. Nam in Sarmatia legio ejus cum duce interfecta eſt, (*d*) & à Dacis Ap. Sabinus conſularis, & Cornelius Fuſcus, præfectus prætorio, cum magnis exercitibus occiſi ſunt. *Opera publica.* Romæ quoque multa opera fecit; in his Capitolium & Forum tranſitorium, Odeum, divorum porticus, Iſeum, Serapheum, ac Stadium. (*e*) Verum cum ob ſcelera univerſis exoſus eſſe cepiſſet, *Interficitur.* interfectus eſt ſuorum conjuratione in palatio, anno ætatis XLV. Imperii quinto decimo. Funus ejus cum ingenti dedecore per veſpillones exportatum, & ignobiliter [eſt] ſepultum.

LIBER VIII.

CAPUT I.

Anno octingenteſimo & quinquageſimo ab Urbe Condita, Vetere & Valente conſulibus, reſpulica ad proſperrimum ſtatum rediit, bonis principibus ingenti felicitate commiſſa. Domitiano enim exitiali tyranno NERVA ſucceſſit; *Nerva Imperator. U. C. 848. p. C. N. 96.* vir in privata vita moderatus & ſtrenuus, nobilitatis mediæ. Qui ſenex admodum, operam dante Petronio Secundo, præfecto prætorio; item Parthenio interfectore Domitiani, Imperator factus, *Ejus clementia.* æquiſſimum ſe [& civiliſſimum] præbuit. Reipublicæ divina proviſione conſuluit, Trajanum adoptando. *Moritur.* Mortuus eſt Romæ poſt annum & quatuor menſes Imperii ſui, ac dies octo; ætatis ſeptuageſimo & altero anno atque inter divos relatus eſt.

CAP. II. *Ulpius Trajanus Imperator. U. C. 850. p. C. N. 98.* Succeſſit ei ULPIUS TRAJANUS CRINITUS, natus Italicæ in Hiſpania, familia antiqua magis, quam clara. Nam pater ejus primum Coſ. fuit. Imperator autem apud Agrippinam [civitatem] in Galliis factus eſt. *Ejus laudes.* Rempublicam ita adminiſtravit, ut omnibus principibus merito præferatur. Inuſitatæ civilitatis & fortitudinis fuit. Romani Imperii, quod poſt Auguſtum defenſum magis fuerat, quam nobiliter ampliatum, fines longo lateque *Res gestæ.* diffudit: Urbes trans Rhenum in Germania reparavit. Daciam, Decibalo victo, ſubegit, provincia trans Danubium facta, in his agris, quos nunc Taiphali habent, (*f*) [&] Victophali & Thervingi. (*ff*) Ea provincia decies centena millia in circuitu tenet. (*g*) Armeniam, quam occupaverant Parthi, recepit, Parthamaſire (*h*) occiſo, qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Iberorum regem, & Sauromatarum, & Boſphoranorum, & Arabum, & Oſdroënorum, & Colchorum, in fidem accepit. Adiabenos, (*i*) Marchomedos occupavit: & Anthemuſium magnam Perſidis regionem; Seleuciam, & Cteſiphontem, Babylonem & Edeſſios vicit, ac tenuit: uſque ad Indiæ fines & mare rubrum acceſſit: atque ibi tres provincias fecit, Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam, cum his gentibus quæ Madenam attingunt. Arabiam poſtea in provinciæ formam redegit. In mari rubro claſſem inſtituit; ut per eam Indiæ fines vaſtaret. Gloriam tamen militarem civilitate & moderatione ſuperavit, *Clementia.* Romæ & per provincias æqualem ſe omnibus exhibens; amicos ſalutandi cauſa frequentans, vel ægrotantes vel cum feſtos dies habuiſſent, convivia cum iisdem (*k*) indiſcreta viciſſim habens: ſæpe in vehiculis eorum ſedens: nullum Senatorum lædens: nihil injuſtum ad augendum fiſcum agens; *Liberalitas.* liberalis in cunctos, (*l*) publice privatimque ditans omnes & honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognoviſſe: (*m*) orbem terrarum ædificans, multas immunitates civitatibus tribuens; nihil non tranquillum & placidum agens, adeo, ut omni ejus ætate unus tantum ſenator damnatus ſit; atque is (*n*) tamen per Senatum, ignorante Trajano. *Omnibus charus.* Ob hoc per orbem terrarum Deo proximus, nihil non venerationis meruit, & vivus & mortuus. Inter alia dicta hoc illius fertur egregium: amicis enim culpantibus, quod nimis circa omnes comis eſſet, reſpondit: *Talem ſe Imperatorem eſſe privatis, quales eſſe ſibi Imperatores privatus optaſſet.* Poſt ingentem igitur gloriam belli domique quæſitam, è Perſide rediens, apud Seleuciam Iſauriæ profluvio ventris exſtinctus eſt. *Moritur.* Obiit autem ætatis anno LXII. menſe nono, & die quarto [Imperii anno XIX. menſe VI. die XV.) Inter divos relatus eſt, Solusque omnium intra Urbem ſepultus. (*o*) Oſſa ejus collocata in (5) urna aurea, in foro, quod ædificavit, ſub columna ſita ſunt: cujus altitudo CXLIV. pedes habet. *Ejus grata memoria apud Poſteros ſervatur.* Hujus tantum memoriæ delatum eſt, ut uſque ad noſtram ætatem non aliter (*p*) in Senatu principibus acclametur, *niſi felicior Auguſto,* melior

(*c*) al. tamen. (*d*) al. In Sarmatia legiones. . . . . . . interfectæ. (*e*) al. Iſium, ac Serapium & ſtadium. (*f*) al. tenent. (*ff*) al. & Thervingi habent. (*g*) al. millia paſſuum in circuitu tenuit. (*h*) al. Pharnace Syro. al. Sarmato rege. al. Sarmato Syriæ. (*i*) al. Carduenos. (*k*) al. eis. (*l*) al. in cunctos fuit. (*m*) al. quos mediocritate cognoviſſet (*n*) al. at is. (*o*) al. Inter divos relatus eſt. Solus omnium intra Urbem ſepultus eſt. (*p*) al. aliud.

(5) Urna) Exhibemus Tibi, Erudite Lector, hac occaſione Urnam Muſæi noſtri elegantiſſimam integerrimamque ex terra ſigillata rubra facta, figurisque ornata, una cum duabus patellis & urceolo ex eadem terra. Moguntiæ in monte S. Jacobi non procul à Druſi monimento reperta ſunt omnia, eaque nunc poſſidet Nob. Eques Anglus Fountain, in locum plurimorum elegantiſſimorum numismatum, quæ mihi pro iisdem obtulit. Ita Duus de KLETTENBERG. Vid. Tab. XXXVII. num. 7. & Tab. XXXVIII. num. 1.

melior Trajano. Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, ut vel aſſentantibus [vel vere laudantibus] occaſione magnificentiſſimi præſtet exempli.

Ælius Adrianus. U. C. 869. p. C. N. 117.

CAP. III. Defuncto Trajano, Ælius Adrianus creatus eſt princeps; ſine aliqua quidem voluntate Trajani, ſed operam dante Plotina, Trajani uxore. Nam eum Trajanus, quamquam conſobrinæ filium, vivens noluerat adoptare.

Ejus res geſtæ.

Natus & ipſe Italicæ in Hiſpania; qui Trajani gloriæ invidens, ſtatim provincias tres reliquit, quas Trajanus addiderat; & de Aſſyria, Meſopotamia, & Armenia, revocavit (*q*) exercitus; ac finem Imperii eſſe voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conatum, amici deterruerunt, ne multi cives Romani Barbaris traderentur; propterea quod Trajanus, victa Dacia, ex toto orbe Romano (*r*) infinitas eo copias hominum tranſtulerat, ad agros & urbes collendas. Dacia enim diuturno bello Decibali [viris] fuerat exhauſta. Pacem tamen omni Imperii ſui tempore habuit ſemel tantum per præſidem dimicavit: orbem Romanum circumivit, & multa ædificavit.

Doctrina. Clementia.

Facundiſſimus Latino ſermone, Græco eruditiſſimus fuit. Non magnam clementiæ gloriam habuit. Diligentiſſimus tamen circa ærarium, & militum diſciplinam. Obiit in Campania, major ſexagenario, Imperii anno XXI. menſe X. die XXIX. Senatus ei tribuere noluit divinos honores: tamen cum ſucceſſor ipſius Titus Aurelius Fulvius Antoninus hoc vehementer exigeret, & univerſi ſenatores palam reſiſterent, tandem obtinuit.

T. Antoninus Pius Imperator. U. C. 890. p. C. N. 138. Ejus laudes.

CAP. IV. Ergo Adriano ſucceſſit T. Antoninus Fulvius Bojonius, idem etiam Pius nominatus; genere claro, ſed non admodum vetere: Vir inſignis, & qui merito Numæ Pompilio conferatur, (*s*) ita ut Romulo Trajanus æquetur. (*t*) Vixit ingenti honeſtate privatus: majori, in Imperio. Nulli acerbus, cunctis benignus: in re militari moderata gloria, defendere magis provincias, quam amplificare ſtudens.

Juſtitia.

Viros juſtiſſimos ad adminiſtrandam rempublicam quærens, bonis honorem habens, improbos ſine aliqua acerbitate deteſtans.

Apud exteros auctoritas.

Regibus amicis venerabilis non minus, quam terribilis: adeo ut Barbarorum plurimæ nationes diſpoſitis armis, ad eum controverſias ſuas liteſque deferrent, ſententiæque ejus parerent.

Liberalitas.

Hic ante Imperium ditiſſimus, opes quidem ſuas ſtipendiis militum, & circa amicos liberalitatibus minuit; verum Ærarium opulentum reliquit.

Clementia. Moritur.

Pius propter clementiam dictus eſt. Obiit apud Lorium, villam ſuam milliario ab Urbe XII. vitæ anno LXXIII. Imperii XXIII. atque inter Divos (*u*) relatus eſt, & merito conſecratus.

M. Antoninus Imperator. U. C. 913. p. C. N. 161.

CAP. V. Poſt hunc imperavit M. Antoninus Verus; haud dubie nobiliſſimus: quippe cum ejus origo paterna à Numa Pompilio, materna à Salentino rege penderet: [&] cum eo L. Annius Antoninus Verus.

Lucius Verus Imperator.

Tumque primum Romana reſpublica duobus, æquo jure imperium adminiſtrantibus, paruit; cum uſque ad eum ſingulos ſemper habuiſſet Auguſtos. Hi & genere inter ſe conjuncti fuerunt, & affinitate. Nam Verus Annius Antoninus, M. Antonini filiam in matrimonium habuit. M. [autem] Antoninus gener Antonini Pii fuit, per uxorem Galleriam (*x*) Fauſtinam juniorem conſobrinam ſuam.

Bellum contra Parthos.

Hi bellum contra Parthos geſſerunt, qui poſt victoriam Trajani tum primum rebellaverunt. Verus Antoninus ad id profectus eſt: qui Antiochiæ & circa Armeniam agens, multa per duces & ingentia paravit. Seleuciam Aſſyriæ urbem nobiliſſimam, cum quingentis (*y*) millibus hominum cepit. Parthicum triumphum revexit: cum fratre eodemque ſocero triumphavit.

Lucius Verus moritur.

Obiit tamen in Venetia, cum à Concordia civitate Altinum proficiſceretur, & cum fratre in vehiculo ſederet, ſubito ſanguine ictus, caſu morbi, quem Græci ἀποπληξιν vocant. Vir ingenii parum civilis; reverentia tamen fratris nihil umquam atrox auſus. Cum obiiſſet umdecimo Imperii anno, inter Deos (*z*) relatus eſt.

M. Antoninus Imperator ſolus. U. C. 924. p. C. N. 172. Ejus indoles.

CAP. VI. Poſt eum Marcus Antoninus ſolus rempublicam tenuit: [vir] quem mirari facilius quis, quam laudare poſſit. A principio vitæ tranquilliſſimus; adeo ut in (*a*) infantia quoque vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaret.

Studia & mores.

Philoſophiæ deditus Stoicæ; ipſe etiam non ſolum vitæ moribus, ſed etiam eruditione philoſophus. Tantæ admirationis adhuc juvenis, ut eum ſucceſſorem paraverit Adrianus relinquere: adoptato tamen Antonino Pio, generum eſſe ei idcirco voluerit, ut hoc ordine ad imperium perveniret. Inſtitutus eſt ad philoſophiam per Apollonium Chalcedonium; ad ſcientiam literarum Græcarum, per Sextum Chæronenſem, Plutarchi nepotem. Latinas autem literas eum Fronto, orator nobiliſſimus, docuit.

Virtutes.

Hic cum omnibus Romæ æquo jure egit. Ad nullam inſolentiam elatus. (*b*) Imperii faſtu; (*c*) liberalitas promptiſſimæ; provincias ingenti benignitate & moderatione tractavit. Contra Germanos eo principe res feliciter geſtæ ſunt.

Bellum Marcomannicum.

Bellum ipſe unum geſſit Marcomannicum: ſed quantum nulla memoria fuit, adeo, ut Punicis conferatur. Nam eo gravius eſt factum, quod univerſi exercitus perierant. Sub hoc enim tantus caſus peſtilentiæ fuit, ut poſt victoriam Perſicam, Romæ ac per Italiam provinciaſque, maxima hominum pars, militum omnes fere copiæ languore defecerint. Ingenti ergo labore & moderatione, cum apud Carnuntum jugi triennio perſeveraſſet, bellum Marcomannicum confecit; quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque omnis barbaria commoverat. Multa hominum millia interfecit: ac Pannoniis ſervitio liberatis, Romæ rurſus cum Commodo Antonino filio ſuo, quem jam Cæſarem fecerat, triumphavit.

Commodus Cæſar. U. C. 928. p. C. N. 176.

Ad hujus belli ſumptum, ærario (*d*) exhauſto, cum largitiones nullas haberet, nevellet,

(*q*) al. addiderat; id eſt, Aſſyriam, Meſopotamiam, & Armeniam. Revocavit &c. (*r*) al. orbe Romanorum. (*s*) al. comparatur. (*t*) al. ita ut Romulo & Trajano æquetur. (*u*) al. Deos. (*x*) al. Valeriam. (*y*) al. quadraginta. (*z*) al. divos, (*a*) al. ex. (*b*) al. elatus eſt. (*c*) al. faſtigio. (*d*) al. ad hujus belli uſus, exhauſto.

que indicere provincialibus aut Senatui aliquid vellet, inſtrumentum (*e*) regii cultus, facta in foro divi Trajani ſectione, diſtraxit; vaſa aurea, pocula criſtallina & murrhina, uxoriam ac ſuam ſcriniam ac auream veſtem; multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menſes venditio habita eſt, multumque auri redactum. Poſt victoriam tamen emptoribus pretia reſtituit, qui reddere comparata voluerunt. Moleſtus nulli fuit, qui maluit ſemel empta retinere. Hic permiſit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu, quo ipſe, & miniſtris ſimilibus, exhiberent. In editione munerum poſt victoriam adeo magnificus fuit, ut centum ſimul leones exhibuiſſe tradatur.

Singularis ejus liberalitas.

M. Antoninus moritur.

CAP. VII. Cum igitur fortunatam rempublicam & virtute & manſuetudine reddidiſſet, obiit XVIII. Imperii anno, vitæ LXI. Et omnibus certatim adnitentibus, inter Divos (*f*) relatus eſt. Hujus ſucceſſor L. ANTONINUS COMMODUS, nihil paternum habuit; niſi quod contra Germanos feliciter & ipſe pugnavit. Septembrem menſem ad nomen ſuum transferre conatus eſt, ut *Commodus* diceretur. Sed luxuria & obſcœnitate depravatus gladiatoriis armis ſæpiſſime in ludo, deinceps (*g*) etiam in amphitheatro cum hujuſmodi hominibus [ſæpe] dimicavit. Obiit morte ſubita, adeo ſtrangulatus, vel veneno interfectus putaretur: cum annis XII. poſt patrem, & octo menſibus imperaſſet; tanta exſecratione omnium, ut hoſtis humani generis etiam mortuus judicaretur.

L. Antoninus Commodus Imperator. U. C. 932. p. C. N. 180.
Ejus vita.
Interficitur.

CAP. VIII. Huic ſucceſſit PERTINAX, grandævus jam, ut (*h*) qui ſeptuagenariam attigiſſet ætatem, præfecturam Urbi tum agens, ex S. C. imperare juſſus. Octogeſimo Imperii die prætorianorum militum ſeditione, & Juliani ſcelere occiſus.

Pertinax Imperator. U. C. 945. p. C. N. 193.
Occiditur.

CAP. IX. Poſt eum SALVIUS JULIANUS rempublicam invaſit; vir nobilis, & juris peritiſſimus; nepos Salvii Juliani, qui ſub divo Adriano *perpetuum* compoſuit *edictum*. Victus eſt à Severo apud Milvium pontem, interfectus in palatio. Vixit menſibus ſeptem, poſtquam cœperat imperare. Hinc imperii Romani adminiſtrationem SEPTIMIUS SEVERUS accepit; oriundus ex Africa, provincia Tripolitana, oppido Lepti Solus omni memoria & ante & poſtea ex Africa Imperator fuit. Hic primum fiſci advocatus, mox militaris tribunus, per multa deinde ac (*i*) varia officia atque honores, uſque ad adminiſtrationem totius reipublicæ pervenit. Pertinacem ſe appellari voluit, in honorem ejus Pertinacis, qui à Juliano fuerat (*k*) occiſus. Parcus admodum fuit, natura ſævus. Bella multa & feliciter geſſit. Peſcennium Nigrum, qui in Ægypto & Syria rebellaverat, apud Cyzicum interfecit. Parthos vicit. Arabas eo uſque ſuperavit, ut etiam provinciam ibi faceret. Idcirco Parthicus & Arabicus dictus eſt. (*l*) Multa toto Romano orbe reparavit. Sub eo etiam CLODIUS ALBINUS, qui in occidendo Pertinace ſocius fuerat Juliano, Cæſarem ſe in Gallia fecit: victuſque apud Lugdunum eſt, & interfectus. (*m*) Severus autem præter bellicam gloriam, etiam civilibus ſtudiis clarus fuit, & literis doctus, philoſophiæ ſcientiam ad plenum adeptus. Noviſſimum bellum in Britannia habuit: utque receptas provincias omni ſecuritate muniret, vallum per XXXII. millia paſſuum à mari ad mare deduxit. Deceſſit Eboraci admodum ſenex, Imperii anno XVI. menſe IV. & Divus appellatus eſt. Nam filios duos ſucceſſores reliquit, Baſſianum & Getam. Sed Baſſiano Antonini nomen à Senatu (*n*) voluit imponi. Itaque dictus eſt M. Aurelius Antoninus Baſſianus, patrique ſucceſſit. Nam Geta hoſtis publicus judicatus, confeſtim periit.

Salvius Julianus Imperator. U. C. 945. p. C. N. 193.
Interficitur.
Septimius Severus Imperator. U. C. 945. p. C. N. 193.
Ejus merita.
Res geſtæ.
Clodius Albinus tyrannus.
Severi ſtudia.
Vallum Britannicum.
Moritur.
Baſſianus & Geta Cæſares.
Geta periit. U. C. 964. p. C. N. 212.

CAP. X. MARCUS igitur AURELIUS ANTONINUS BASSIANUS, idemque CARACALLA, morum fere paternorum fuit, paullo aſperior, & minax. Opus Romæ egregium fecit lavacri, quæ Antonianæ appellantur. Nihil præterea memorabile. Impatiens libidinis; (*o*) ut qui novercam ſuam Juliam, uxorem duxerit. Defunctus eſt in Oſdroëne apud Edeſſam: moliens adverſum Parthos expeditionem, Imperii anno VI. menſe II. vix egreſſus ætatis XLIII. annum. Funere publico elatus eſt.

M. Aurel. Antonin. Baſſianus Caracalla Imperator. U. C. 963. p. C. N. 211.
Ejus facta.
Libido.
Moritur.

CAP. XI. OPILIUS deinde MACRINUS, qui Præfectus prætorio erat, cum filio DIADUMENIANO facti Imperatores, nihil memorabile ex temporis brevitate geſſerunt. Nam imperium eorum, duûm (*p*) menſium, & unius anni fuit. Seditione militari ambo pariter occiſi ſunt.

Opilius Macrinus Imperator, & Diadumenianus. U. C. 969. p. C. N. 217.
Occiditur.

CAP. XII. Creatus eſt poſt hos M. AURELIUS ANTONINUS. Hic Antonini Caracallæ filius putabatur. Sacerdos autem Heliogabali (*q*) templi erat. Is cum Romam [ingenti] & militum & Senatus exſpectatione veniſſet, probris ſe omnibus contaminavit. Impudiciſſime & obſcœniſſime vixit, biennioque poſt & VIII. menſibus tumultu interfectus eſt militari, & cum eo mater Semia Syra. (*r*)

M. Aur. Antoninus Imperator. U. C. 970. p. C. N. 218.
Ejus impuritas.
Interficitur.

CAP. XIII. Succeſſit huic AURELIUS ALEXANDER; ab exercitu Cæſar, à Senatu Auguſtus nominatus: juvenis admodum. Suſceptoque adverſus Perſas bello, Xerxem eorum regemglorioſiſſime vicit. Militarem diſciplinam ſeveriſſime rexit. Quaſdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. Aſſeſſorem habuit, vel ſcrinii magiſtrum Ulpianum, juris conditorem. Romæ quoque favorabilis fuit. Periit in Gallia, militari tumultu, XIII. Imperii anno, & die VIII. In matrem ſuam Mammæam unice pius.

Aurelius Alexander Imperator. U. C. 974. p. C. N. 222.
Ulpianus, juris conditor.
Interficitur.

LIBER

(*e*) al. inſtrumenta. (*f*) al. deos. (*g*) al. deinde. (*h*) al. &. (*i*) al. &. (*k*) al. fuit. (*l*) al. Parthos vicit, & Arabas interiores, & Adiabenos. Arabas quoque ſuperavit, ut - - - - Arabicus, & Adiabenicus dictus eſt. (*m*) al. victuſque apud Lugdunum, eſt interfectus. (*n*) al. nomen Senatus voluit imponi. (*o*) al. nihil præterea memorabile. Impatiens libidinis. (*p*) al. duorum. (*q*) al. Elagabali. (*r*) al. Soæmias.

LIBER IX.

CAPUT I.

Maximinus Imperator. U. C. 987. p. C. N. 235.

POst hunc MAXIMINUS ex corpore militari primus ad Imperium accessit, sola militum voluntate, cum nulla Senatus intercessisset auctoritas, neque ipse Senator esset. Is bello adversus Germanos feliciter gesto, cum à militibus esset Imperator appellatus, à Pupieno Aquileiæ occisus est, deserentibus eum militibus suis, cum filio adhuc puero, cum quo imperaverat triennio & paucis diebus.

Occiditur.

Pupienus Balbinus & Gordianus Imperatores. U. C. 989. p. C. N. 237.

CAP. II. Postea tres simul Augusti fuerunt, PUPIENUS, BALBINUS, & GORDIANUS: duo superiores obscurissimo genere, Gordianus nobilis: quippe cujus pater, (*s*) senior Gordianus, consensu militum, cum Proconsulatum Africæ gereret, Maximo (*t*) imperante, princeps [fuisset] electus. Itaque cum Romam venissent Balbinus & Pupienus, in palatio interfecti sunt; soli Gordiano Imperium reservatum. (*u*) Gordianus, admodum puer, cum Tranquillinam (*x*) Romæ duxisset uxorem, Janum geminum aperuit; & ad orientem profectus, Parthis bellum intulit, qui jam moliebantur erumpere. Quod quidem mox feliciter gessit, præliisque ingentibus Persas afflixit. Rediens, haud longe à Romanis finibus interfectus est, fraude Philippi, qui post eum imperavit. Miles ei tumulum vigesimo milliario à Circesso, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati imminens, ædificavit; exsequias Romam revexit; ipsum Divum appellavit.

Interfecti omnes.

Gordianus III. Imperator. U. C. 990. p. C. N. 238.

Interficitur.

Philippi duo pater & filius Imperatores. U. C. 996. p. C. N. 244.

CAP. III. PHILIPPI duo, filius ac (*y*) pater, Gordiano occiso, Imperium invaserunt, atque exercitu incolumi reducto, ad Italiam è Syria profecti sunt. His imperantibus, millesimus annus Romæ Urbis ingenti ludorum apparatu spectaculorumque celebratus est. Ambo inde ab exercitu interfecti sunt: senior Philippus Veronæ, Romæ junior. Annis quinque imperaverunt; inter divos tamen relati sunt.

Ambo interfecti.

Decius Imperator. U. C. 1001. p. C. N. 249.

CAP. IV. Post hos DECIUS, è Pannonia inferiore Budaliæ (*z*) natus, Imperium sumpsit. Bellum civile, quod in Gallia motum fuerat, oppressit. Filium suum Cæsarem fecit. Romæ lavacrum ædificavit. Cum biennio ipse & filius ejus imperassent, uterque in barbarico interfecti sunt, & inter Divos relati. (*a*)

Etruscus filius Cæsar.

Interfecti.

Gallus & Volusianus Imperatores. U. C. 1004. p. C. N. 252.

CAP. V. Mox Imperatores creati sunt GALLUS, HOSTILIANUS, & Galli filius VOLUSIANUS. Sub his Æmilianus in Mœsia res novas molitus est: ad quum opprimendum cum ambo profecti essent, Interamnæ interfecti sunt, non completo biennio. Nihil omnino clarum gesserunt. Sola pestilentia, & morbis, atque ægritudinibus notus eorum principatus fuit. ÆMILIANUS obscurissime natus, obscurius imperavit, ac tertio mense exstinctus est.

Æmilius tyrannus. U. C. 1005. p. C. N. 253.

Licinius Valerianus Imperator. U. C. 1005. p. C. N. 253. Gallienus Cæsar.

CAP. VI. Hinc LICINIUS VALERIANUS in Rhætia & Norico agens, ab exercitu Imperator, & mox Augustus est factus. GALLIENUS quoque Romæ à Senatu Cæsar est appellatus. Horum Imperium Romano nomini perniciosum, & pene exitiabile fuit, vel (*b*) infelicitate principum, vel ignavia. Germani Ravennam usque venerunt. (*c*) Valerianus in Mesopotamia bellum gerens, à Sapore Persarum rege superatus est. Mox etiam captus, apud Parthos ignobili servitute consenuit. Nam quamdiu vixit, rex ejusdem provinciæ, incurvato eo, pedem ejus cervicibus imponens, solitus erat equum conscendere. Gallienus, cum adolescens factus esset Augustus, Imperium primum feliciter, mox commode, ad ultimum perniciose gessit. Nam juvenis in Gallia & Illyrico multa strenue fecit, occiso apud Mursam (*d*) INGENUO, qui purpuram sumpserat, & (6) TREBELLIANO. Diu placidus & quietus, mox in omnem Lasciviam dissolutus, tenendæ reipublicæ habenas probrosa ignavia & desperatione laxavit. (*e*) Alamanni (*f*) vastatis Galliis in Italiam irruperunt. (*g*) Dacia, quæ à Trajano ultra Danubium fuerat adjecta, amissa est. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, vastata per Gothos. Pannonia à Sarmatis Quadisque populata est. Germani usque ad Hispanias penetraverunt, & civitatem nobilem Tarraconem expugnaverunt. Parthi Mesopotamia occupata, Syram sibi cœperunt vindicare.

Valeriani ignobilis servitus.

Gallienus Imperator. U. C. 1005. p. C. N. 253.

Ingenuus & Trebellianus tyranni.

Male Gallienus imperat.

Postumus tyrannus.

CAP. VII. Tum jam desperatis rebus, & deleto pene Imperio Romano, POSTUMUS (*h*) in Gallia, obscurissime natus, purpuram sumpsit: & per annos decem ita imperavit, ut consumptas pene provincias ingenti virtute & moderatione reparaverit, qui seditione militum interfectus est, quod Mogontiacum, (*i*) quæ adversum eum rebellaverat, (7) LOLLIANO res novas moliente, diripiendam militibus tradere noluisset. Post eum MARIUS, utilissimus opifex, purpuram accepit: (*k*) & secundo die interfectus est. VICTORINUS postea Galliarum accepit Imperium, vir strenuissimus. Sed cum nimiæ libidinis esset, & matrimonia aliena corrumperet, Agrippinæ occisus est, actuario (*l*) quodam machinante dolum, Imperii sui anno secundo. Huic successit TETRICUS Senator, qui Aquitaniam honore præsidis administrans, absens à militibus Imperator electus est; & apud Burdegalam purpuram sumpsit; seditiones multas militum pertulit. Sed dum (*m*) hæc in Gallia

Interficitur.

Lollianus tyrannus.


Marius tyrannus.

Victorinus tyrannus.

Tetricus tyrannus.

(*s*) al. frater. (*t*) al. Maximino. (*u*) al. Imperio servato. (*x*) al. Tranquillam. (*y*) al. & (*z*) al. Bubaliæ. (*a*) al. interfecti sunt. Senior meruit inter Divos referri. (*b*) al. fuit, ita ut vel. (*c*) al. ignavia, Germani - - - - venirent. (*d*) al. Mursiam. (*e*) al. relaxavit. (*f*) al. Alemanni. (*g*) al. penetraverunt. (*h*) al. Posthumius. (*i*) al. Moguntiacum. (*k*) al. sumpsit. (*l*) al. Acturio. (*m*) al. cum.

(6) Trebelliano) Hujus Vultum ex MEDIOBARBO pag. 390. vide Tab. XXXVIII. num. 2.
(7) Lolliano) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 396. vide Tab. XXXVIII. num. 3.


Tab. XXXVIII.
ad pag. 189. 192.
193. 195.
I.
II
ÆR
IMP. CAES. C. TREBELLIANVS. AVG.
III
ÆR
IMP. C. LOLLIANVS. P. F. AVG.
IV
ÆR
ZHNOBIA
CEΠT. CEB.
V
ÆR
IMP. C. T. AEL. PROCVLVS AVG.
VI
ÆR
FLCL. IVLIANVS NOB. CAES.
Altitudo Urnæ et Urcei.
Dimidium Latitudinis.

Gallia geruntur, (*n*) in Oriente per Odenatum Perſæ victi ſunt, defenſa Syria, recepta Meſopotamia, uſque ad Cteſiphontem Odenatus penetravit. Ita Gallieno rempublicam deſerente, Romanum Imperium in Occidente per Poſtumum, per ODENATUM in Oriente, ſervatum eſt.

Odenatus tyrannus.

CAP. VIII. Gallienus interea [fraude Aureoli ducis ſui] Mediolani cum fratre Valeriano occiſus eſt, Imperii anno nono. CLAUDIUSQUE ei ſucceſſit, à militibus electus, à Senatu appellatus Auguſtus. Hic Gothos, Illyricum, Macedoniamque vaſtantes, ingenti prælio vicit. Parcus vir, ac modeſtus, & juſti tenax, & (*o*) reipublicæ gerendæ idoneus: qui tamen intra [imperii] biennium morbo interiit, (*p*) & Divus appellatus eſt. Senatus ingenti eum honore decoravit, ſcilicet ut in curia clypeus ipſi aureus, item in Capitolio ſtatua aurea poneretur. QUINTILIUS poſt eum, Claudii frater, conſenſu militum Imperator electus eſt. Vir unicæ moderationis & civilitatis, (*q*) æquatus fratri, vel præponendus. Conſenſu Senatus appellatus Auguſtus, ſeptimo decimo die Imperii occiſus eſt.

Claudius Imperator. U.C. 1020. p. C. N. 268.

Moritur.

Quintilius Imperator. U.C. 1022. p. C. N. 270.

Occiditur.

CAP. IX. Poſt eum AURELIANUS ſuſcepit Imperium, Dacia Ripenſi oriundus: vir in bello potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propenſioris, quique (*r*) Gothos ſtrenuiſſime vicit. Romanam ditionem ad fines priſtinos varia bellorum felicitate revocavit. Superavit in Gallia TETRICUM, qui à militibus Imperator electus apud Catalaunos: ipſo Tetrico prodente exercitum ſuum, cujus aſſiduas ſeditiones ferre non poterat. Quinetiam per literas occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia verſu Virgiliano uteretur: *Eripe me his invicte malis.* (8) ZENOBIAM quoque occiſo marito Odenato, qui Orientem tenebat, haud longe ab Antiochia ſine (*s*) gravi prælio cepit. Ingreſſuſque Romam, nobilem triumphum, quaſi receptor Orientis Occidentiſque, egit; currum, præcedentibus Tetrico & Zenobia: qui quidem Tetricus corrector Lucaniæ poſtea fuit: ac privatus diutiſſime vixit. Zenobia autem, poſteros, qui adhuc manent, Romæ reliquit. Hoc imperante etiam monetarii in Urbe rebellaverunt, vitiatis pecuniis, & Feliciſſimo rationali interfecto: quos Aurelianus victos ultima crudelitate compeſcuit: plurimos nobiles capite damnavit: ſævus & ſanguinarius, ac neceſſarius magis in quibuſdam, quam in ullo amabilis Imperator. Trux omni tempore, etiam filii ſororis interfector: diſciplinæ tamen militaris, & morum diſſolutorum magna ex parte corrector. Urbem Romam muris firmioribus cinxit; Templum Soli ædificavit; in quo infinitum auri gemmarumque conſtituit. Provinciam Daciam, quam Trajanus ultra Danubium fecerat, intermiſit, vaſtato omni Illyrico & [Mœſia, deſperans eam poſſe retineri: abductoſque Romanos ex urbibus & agris Daciæ,] in media Mœſia collocavit: & eſt in dextera Danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in læva. Occiditur ſervi ſui fraude, qui ad quoſdam militares viros, amicos ipſius, nomina pertulit annotata, falſo manum ejus imitatus, tamquam Aurelianus ipſos pararet occidere. Itaque ut præveniretur, ab iiſdem interfectus eſt in itineris medio, quod inter Conſtantinopolim & Heracleam eſt ſtratæ veteris: Locus Cænophrurium appellatur. Mors tamen ejus inulta non fuit. Meruit quoque inter Divos referri. [Imperavit annos V. menſes VI.]

Aurelianus Imperator. U.C. 1022. p. C. N. 270.

Ejus res geſtæ.

Tetricus tyrannus.

Zenobia.

Triumphus ejus nobilis.

Monetarios compeſcuit.

Ejus indoles.

Opera publica.

Occiditur.

CAP. X. TACITUS poſt hunc ſuſcepit Imperium, vir egregie moratus (*t*) & Reipublicæ gerendæ idoneus. Nihil tamen clarum potuit oſtendere, intra VI. menſem Imperii morte præventus. FLORIANUS, qui Tacito ſucceſſerat, duobus menſibus, & diebus XX. in Imperio fuit; neque quicquam dignum memoria egit.

Tacitus Imperator. U.C. 1027. p. C. N. 275.

Moritur.

Florianus tyrannus. U.C. 1027. p. C. N. 275.

CAP. XI. Poſt hunc PROBUS, vir illuſtris gloria militari, ad adminiſtrationem reipublicæ acceſſit. Gallias à Barbaris occupatas, ingenti præliorum felicitate inſtituit. Quoſdam Imperium uſurpare conatos, ſcilicet SATURNINUM in Oriente (9) PROCULUM, & BONOSUM Agrippinæ, certaminibus oppreſſit. Vineas Gallos & Pannonios habere permiſit. Opere militari Almum montem apud Syrmium, & Aureum apud Mœſiam ſuperiorem vineis conſevit, & provincialibus colendas dedit. Hic cum bella innumera geſſiſſet, pace parta, dixit, *Brevi milites neceſſarios non futuros.* Vir acer, ſtrenuus, (*u*) juſtus, & qui Aurelianum æquaret gloria militari, morum autem (*x*) civilitate ſuperaret. Interfectus eſt tamen (*y*) Synmii, tumultu militari, in turre ferrata. [Imperavit annos VI. menſes quatuor.]

Probus Imperator. U.C. 1028. p. C. N. 276.

Saturninus, Proculus, Bonoſus oppreſſi.

Probi res geſtæ.

Interficitur.

CAP. XII. Poſt hunc CARUS eſt factus Auguſtus, Narbonæ natus in Gallia. Qui (*z*) confeſtim CARINUM & NUMERIANUM filios, Cæſares fecit, [cum quibus regnavit duobus annis.] Sed dum bellum adverſus Sarmatas gerit, nuntiato Perſarum tumultu, ad Orientem profectus, res contra Perſas nobiles geſſit. Ipſos prælio fudit. Cochen (*a*) & Cteſiphontem urbes nobiliſſimas cepit. Et cum caſtra ſupra Tigridem haberet, ictu divini fulminis periit. Numerianus quoque filius ejus, quem ſecum ad Perſas duxerat, adoleſcens egregiæ idolis cum oculorum dolore correptus lecticula veheretur, impulſore Apro, qui ſocer ejus erat, per inſidias occiſus eſt: & cum dolo occultaretur ipſius mors, [quouſque Aper invadere poſſet Imperium,] fœtore cadaveris prodita eſt. Milites enim, qui eum ſequebantur, fœtore commoti, diductis lecticulæ palliis, poſt aliquot dies mortem ejus notam habere

Carus Imperator.

Carinus & Numerianus Cæſares. U.C. 1034. p. C. N. 282.

Cari res geſtæ.

Ictu fulminis perit.

Numerianus occiditur.

(*n*) al. agerentur. (*o*) al. atque. (*p*) al. periit. (*q*) al. Vir unica moderationis & civilitatis laude. (*r*) al. crudelitatem propenſior, is quoque &c. (*s*) al. non ſine. (*t*) al. morigeratus. (*u*) al. ac ſtrenuus: (*x*) al. tamen. (*y*) al. interfectus autem eſt. (*z*) al. Is. (*a*) al. Seleuciam.

(8) Zenobiam) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 385. vide Tab. XXXVIII. num. 4.
(9) Proculum) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 418. vide Tab. XXXVIII, num. 5.

Cari vitia.

bere potuerunt. Inter ea CARINUS, quem Cæſarem in Parthos proficiſcens Carus in Illyrico, Gallia, Italia relinquerat, omnibus ſe ſceleribus coinquinavit: plurimos innoxios, fictis criminibus occidit: matrimonia nobilia corrupit. Condiſcipulis quoque, qui eum in auditorio vel levi fatigatione taxaverant, perniciosus fuit. Ob quæ [omnibus bonis (*b*)] inviſus, non multo poſt pœnas dedit.

Diocletianus Imperator. U. C. 1036. p. C. N. 284.

CAP. XIII. Nam de Perſide victa (*c*) exercitus rediens, cum Carum Auguſtum fulmine, Numerianum Cæſarem inſidiis perdidiſſet, DIOCLETIANUM Imperatorem creavit, Dalmatia oriundum, virum obſcuriſſime natum, adeo ut pleriſque ſcribæ filius, à nonnullis Anulini (*d*) ſenatoris libertinus fuiſſe credatur. Is prima militum concione juravit, Numerianum nullo ſuo dolo interfectum. Et cum juxta eum Aper, qui Numeriano inſidias fecerat, conſtitiſſet, in conſpectu exercitus, manu Diocletiani, [gladio] percuſſus eſt. Poſtea Carinum, omni (*e*) odio & deteſtatione vi ventem, apud Murgum ingenti prælio vicit, proditum ab exercitu ſuo, quem fortiorem habebat; certe deſertum, inter Viminacium atque Aureum montem. Ita rerum Romanarum potitus, cum tumultum ruſticani in Gallia concitaſſent, & factioni ſuæ Bagaudarum (*f*) nomen imponerent, duces autem haberent Amandum & Ælianum, ad ſubigendos eos Maximianum Herculium Cæſarem miſit: qui levibus præliis agreſtes domuit, & partem (*g*) Galliæ reformavit. Poſt hæc tempora etiam CARAUSIUS, qui viliſſime natus, in ſtrenuæ (*h*) militiæ ordine famam egregiam fuerat conſecutus: cum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, multis barbaris ſæpe captis, nec præda integra aut provincialibus reddita, aut Imperatoribus miſſa, cum ſuſpicio eſſe cœpiſſet, conſulto ab eo admitti barbaros, ut tranſeuntes cum præda exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret: à Maximiano juſſus occidi, purpuram ſumpſit, & Britannias occupavit.

Aprum occidit.

Carinum vincit.

Motus in Gallia.

Maximianus Herculius componit.

Carauſius.

Imperium in Britannia affectat.

CAP. XIV. Ita cum per omnem orbem terrarum res turbatæ eſſent, [&] Carauſius in Britannis rebellaret, Achilleus in Ægypto Africam Quinquegentiani infeſtarent, Orienti Narſeus bellum inferret, Diocletianus MAXIMIANUM HERCULIUM ex Cæſare fecit Auguſtum; CONSTANTIUM & MAXIMIANUM Cæſares. Quorum Conſtantius per filiam nepos Claudii traditur; Maximianus Galerius in Dacia haud longe à Sardica natus. Atque ut eos [etiam] affinitate conjungeret, Conſtantius privignam Herculii Theodoram accepit, ex qua poſtea ſex liberos, Conſtantini fratres, habuit. Galerius Diocletiani Valeriam, ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulſi. Cum Carauſio tamen, cum bella fruſtra tentata eſſent contra virum rei militaris peritiſſimum, ad poſtremum pax convenit. Eum poſt ſeptennium ALLECTUS ſocius ejus occidit, atque ipſe poſt eum Brittannias triennio tenuit. Qui ductu Aſclepiodoti, præfecti prætorio, eſt oppreſſus. Ita Britanniæ decimo anno receptæ. (*i*)

Maximianus Herculius Imperator. U. C. 1038. p. C. N. 286.

Conſtantius & Maximianus Cæſares. U. C. 1043. p. C. N. 291.

Theodora Conſtantii uxor.

Valeria Maximiani uxor.

Allectus Carauſium occidit.

Qui ipſe opprimitur.

Conſtantini res geſtæ in Gallia.

CAP. XV. Per idem tempus à Conſtantio Cæſare in Gallia pugnatum eſt circa Lingones. Die una adverſam & ſecundam fortunam expertus eſt. Nam cum repente Barbaris ingruentibus, intra civitatem eſſet coactus, tam præcipiti neceſſitate, ut clauſis portis per murum funibus tolleretur; vix quinque horis mediis adventante exercitu, ſexaginta fere millia Alamannorum cecidit. Maximianus quoque Auguſtus bellum in Africa profligavit, domitis Quinquegentianis, & ad pacem redactis. Diocletianus obſeſſum Alexandriæ ACHILLEUM, octavo fere menſe ſuperavit, eumque interfecit. Victoria acerbe uſus eſt. Totam Ægyptum gravibus proſcriptionibus cædibuſque fœdavit. Et tamen occaſione ordinavit provide multa, & diſpoſuit, quæ ad noſtram ætatem manent. Galerius Maximianus primo adverſus Narſeum, adverſum prælium habuit, (*k*) inter Callinicum Carraſque congreſſus, cum inſolente magis quam ignave dimicaſſet. Admodum enim parva manu cum copioſiſſimo hoſte commiſit. Pulſus igitur & ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere occurriſſet, tanta inſolentia fertur à Diocletiano exceptus, ut per aliquod paſſuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurriſſe. Mox tamen per Illyricum Mœſiamque contractis copiis, rurſus cum Narſeo, Ormiſdæ & Saporis avo, in Armenia majori pugnavit ſucceſſu ingenti, nec minore conſilio, ſimulque (*l*) fortitudine: quippe qui etiam ſpeculatoris munus cum altero ac (*m*) tertio equite ſuſceperit. Pulſo Narſeo caſtra ejus diripuit; uxores, ſorores, liberos cepit: (*n*) infinitam extrinſecus Perſarum nobilitatem, gazam Perſicam copioſiſſimam: ipſum in ultimas regni (*o*) ſolitudines coëgit. (*p*) Quare à Diocletiano, in Meſopotamia [cum præſidiis] tum morante, ovans regreſſus, ingenti honore ſuſceptus eſt. Varia deinceps & ſimul & viritim bella geſſerunt; Carpis & Baſternis ſubactis, Sarmatis victis: quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt.

Maximiani res geſtæ in Africa.

Achilleus interficitur.

Maximianus.

Narſeum vicit.

Diocletiani indoles.

CAP. XVI. Diocletianus moratus callide fuit, ſagax præterea, & admodum ſubtilis ingenio, & qui ſeveritatem ſuam aliena invidia vellet explere. Diligentiſſimus tamen, & ſolertiſſimus princeps; & qui in Imperio Romano primus Regiæ conſuetudinis formam magis, quam Romanæ libertatis invexit: adorarique ſe juſſit, cum ante eum cuncti ſalutarentur: ornamenta gemmarum veſtibus calceamentiſque indidit. Nam prius Imperii inſigne in chlamyde purpurea tantum erat, reliqua communia. Herculius autem propalam ferus, & incivilis ingenii, aſperitatem ſuam etiam vultus horrore ſignificans. Hic naturæ ſuæ indulgens, Diocletiano in omnibus, etiam ſeve-

Herculii indoles.

(*h*) al. hominibus. (*c*) al. Victor. (*d*) al. Amullini. (*e*) al. omnium. (*f*) al. Baucadarum. (*g*) al. pacem. (*h*) al. ſtrenuo. (*i*) al. ita Britannia - - - - recepta eſt. (*k*) al. primo adverſum prælium, exin ſecundum habuit. (*l*) al. ſimul &. (*m*) al. aut. (*n*) al. ſuſcepit. (*o*) al. regionis. (*p*) al. egit.

severioribus consiliis, obsecutus. (*q*) Cum tamen (*r*) ingravescente ævo, parum se idoneum Diocletianus moderando Imperio esse sentiret, auctor Herculio fuit, ut in vitam privatam concederent, & stationem tuendæ reipublicæ viridioribus junioribusque mandarent. Cui ægre collega obtemperavit. Tamen uterque una die privato habitu Imperii insigne mutavit. Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani, post triumphum inclytum, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant, pompa ferculorum illustri, qua Narsei conjuges, [sororesque] & liberi ante currum ducti sunt. Concesserunt tunc Salonas unus, alter in Lucaniam. Diocletianus privatus in villa, quæ haud procul à Salonis est, præclaro otio senuit: inusitata virtute usus, ut solus omnium post conditum Romanum Imperium ex tanto fastigio sponte ad privatæ vitæ statum civilitatemque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, ut cum privatus obiisset, inter Divos tamen referretur.

Diocletianus & Herculius Imperium ponunt. U.C. 1057. P. C. N. 305.

LIBER X.

CAPUT I.

Constantius & Galerius Imperatores. U.C. 1057. P. C. N. 305.

His igitur abeuntibus, in administrationem reipublicæ CONSTANTIUS & GALERIUS Augusti creati sunt, divisusque inter eos Romanus orbis; ut Galliam, Italiam, Africam Constantius: Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret; sumptis duobus Cæsaribus. Constantius tamen, contentus dignitate Augusti, Italiæ atque Africæ administrandæ solicitudinem recusavit. Vir egregius, & præstantissimæ civilitatis: divitiis provincialium ac privatorum studens, (*s*) fisci commoda non admodum affectans; dicensque: (*t*) *melius publicas opes à privatis haberi, quam intra unum claustrum reservari.* Adeo autem cultus modici, ut feriatis (*u*) diebus, si [cum] amicis numerosioribus esset epulandum, privatorum eis argento ostiatim petito triclinia sternerentur. Hic non modo amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit; præcipue quod Diocletiani suspectam prudentiam, & Maximiniani (*x*) sanguinariam temeritatem Imperio ejus evaserant. Obiit in Britannia Eboraci, principatus anno tertio decimo atque inter divos relatus est.

Severus & Maximinus Cæsares.

Constantii indoles.

Moritur.

CAP II. GALERIUS, vir & probe moratus, & egregius in re militari, cum Italiam quoque, sinente Constantio, administrationi suæ accessisse sentiret, Cæsares duos creavit. [MAXIMINUM, quem Orienti præfecit; & SEVERUM, cui Italiam dedit; ipse in Illyrica commoratus est.] Verum Constantio mortuo, CONSTANTINUS, ex obscuriori matrimonio ejus filius in Britannia creatus est Imperator, & in locum patris exoptatissimus moderator accessit. Romæ interea prætoriani, excitato tumultu, MAXENTIUM Herculii filium, qui haud procul ab Urbe in villa publica morabatur, Augustum nuncupaverunt. Quo nuntio Maximianus Herculius ad spem erectus resumendi fastigii, quod invitus amiserat, Romam advolavit è (*y*) Lucania, quam sedem privatus elegerat, in agris amœnissimis consenescens. Diocletianumque etiam per literas adhortatus est, ut depositam resumeret potestatem, quas ille irritas habuit. Sed adversum motum prætorianorum atque Maxentii, SEVERUS Cæsar Romam missus à Galerio, cum exercitu venit: obsidensque Urbem, militum suorum scelere desertus est. Auctæ Maxentio opes, confirmatumque Imperium. Severus fugiens, Ravennæ interfectus est. Herculius tamen Maximianus, post hæc in concione exercitus, filium Maxentium denudare conatus, seditionem & convitia militum tulit. Inde ad Gallias profectus est, dolo composito, tamquam à filio esset expulsus, ut Constantino genero jungeretur. Moliens tamen Constantinum reperta occasione interficere, qui in Galliis militum & provincialium ingenti jam favore regnabat, cæsis Francis, atque Alamannis, captisque eorum regibus, quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, objecit. Detectis igitur insidiis per Faustam filiam, quæ dolum viro enuntiaverat, profugit Herculius Massiliæque oppressus, (*z*) (ex ea etenim navigare ad filium præparabat) pœnas dedit justissimo exitu. Vir ad omnem asperitatem sævitiamque proclivus, infidus, incommodus, civilitatis penitus expers.

Galerii mores.

Constantinus in Britannia imperium capit. U.C. 1058. P. C. N. 306.

Maxentius Imperator.

Severus interfectus.

Herculius opprimitur.

CAP. III. Per hoc tempus LICINIUS à Galerio Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello, quod adversus Narseum gesserat, strenuis laboribus & officiis acceptus. Mors Galerii confestim secuta est. Respublica tum ab [his] quatuor Imperatoribus tenebatur, Constantino & Maxentio, filiis Augustorum, Licinio & Maximino, (*a*) novis hominibus. Quinto tamen Constantinus Imperii sui anno, bellum adversum Maxentium civile commovit. Copias ejus multis præliis fudit. Ipsum postremo Romæ adversus nobiles omnibus exitiis sævientem, apud pontem Milvium vicit, Italiaque est potitus. Non multo post deinceps in Oriente quoque adversus Licinium MAXIMINUS res novas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum morte prævenit.

Licinius Imperator.

Galerius moritur.

Quatuor Imperatores.

Maxentius à Constantino victus.

Maximinus fugatus.

CAP. IV. CONSTANTINUS tamen vir ingens (*b*) & omnia efficere nitens, quæ animo præparasset, simul principatum totius orbis affectans. Licinio bellum intulit; quamvis necessitudo illi & affinitas cum eo esset. Nam soror ejus Constantia nupta Licinio erat. Ac primo eum in Pannonia, secundo ingenti apparatu bellum apud Cibalas instruentem, repentinus oppressit, omnique Dardania, Mœsia, Macedonia potitus, numerosas provincias occupavit. Varia deinceps inter eos bella, & pax reconcilia-

Constantinus Licinio bellum infert.

 ta

(*q*) al. in omnibus est sanioribus consiliis obsecutus. (*r*) al. autem. (*s*) al. divinis - - - - studiis. (*t*) al. ducensque. (*u*) al. festis. (*x*) al. Maximiani. (*y*) al. à. (*z*) al. Profugit Herculius Massiliam, ibique oppressus &c. (*a*) al. Maximiano. (*b*) al. magnus.

Qui vincitur.

ta, ruptaque est. Postremo Licinius navali & terrestri prælio victus, apud Nicomediam se dedidit;

Et occiditur.

& contra religionem sacramenti Thessalonicæ privatus occisus est.

Constantinus M. solus Imperator.

Eo tempore res Romana sub uno Augusto, & tribus Cæsaribus (quod nunquam alias) fuit; cum liberi Constantini Galliæ, Orienti, Italiæque præessent. Verum insolentia rerum secundarum aliquantum Constantinum ex illa favorabili animi docilitate mutavit. Primum necessitudines persecutus,

Crispus Cæsar interficitur.

[Crispum filium] egregium virum, & sororis filium, commodæ indolis juvenem, interfecit: mox uxorem, post numerosos amicos. Vir primo Imperii tempore optimis principibus, ultimo mediis comparandus.

Constantini M. virtutes.

Innumeræ in eo animi corporisque virtutes claruerunt. Militaris gloriæ appetentissimus, fortuna in bello prospera fuit; verum ita, ut non superaret industriam. Nam etiam Gotthos post civile bellum varie profligavit, pace his ad postremum data, ingentemque apud Barbaras gentes memoriam gratiæ collocavit. Civilibus artibus, & liberalibus studiis deditus; affectator justi amoris, (*c*) quem ab omnibus sibi (*d*) & liberalitate & docilitate quæsivit. Sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos egregius: nihil occasionum prætermittens, quo opulentiores eos clarioresque præstaret.

Leges ab eo latæ.

Multas leges rogavit; quasdam ex bono & æquo, plerasque (*e*) superfluas, nonnullas severas.

Constantinopolim evehit.

Primusque Urbem nominis sui ad tantum fastigium evehere molitus est, ut Romæ æmulam faceret. Bellum adversus Parthos moliens, qui jam Mesopotamiam fatigabant, uno & trigesimo anno Imperii, ætatis sexto & sexagesimo, Nicomediæ in villa publica obiit.

Moritur. U. C. 1089. p. C. N. 337.

Denuntiata mors ejus etiam per crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis aliquamdiu fulsit, eam Græci κομήτην vocant; atque inter Divos meruit referri.

CAP. V. Successores filios tres reliquit, atque unum fratris filium.

Dalmatius Cæsar opprimitur.

Verum DALMATIUS Cæsar prosperrima indole, neque patruo absimilis, haud multo post oppressus est factione militari, & Constantino, patruele suo, sinente potius, quam jubente. (*f*)

Constantinus Imperator interimitur. U.C. 1092. p. C. N. 340.

CONSTANTINUM porro bellum fratri inferentem, & apud Aquileiam inconsultius prælium aggressum, Constantis duces interemerunt. Ita respublica ad duos Augustos redacta est.

Constans solus Imperator.

CONSTANTIS Imperium strenuum aliquamdiu, & justum fuit. Mox cum & valetudine improspera, & amicis pravioribus uteretur, ad gravia vitia conversus, cum intolerabilis provincialibus, militibus injucundus esset, factione MAGNENTII occisus est.

à Magnentio occiditur. U.C. 1102. p. C. N. 350.

Obiit haud longe (*g*) ab Hispaniis, in castro, cui Helenæ nomen est, anno Imperii decimo septimo, ætatis trigesimo; rebus tamen plurimis strenue in militia gestis, exercituique per omne vitæ tempus (*h*) sine gravi crudelitate terribilis.

Constantius Imperator. U.C. 1089. p. C. N. 337.

CAP. VI. Diversa CONSTANTII fortuna fuit. A Persis enim multa & gravia perpessus, sæpe captis oppidis, obsessis urbibus, cæsis exercitibus: nullumque ei contra Saporem prosperum prælium fuit; nisi quod, apud Singaram, haud dubiam victoriam ferocia militum amisit; qui pugnam seditiose & stolide contra rationem belli, die jam præcipiti, poposcerunt. Post Constantis necem, Magnentio Italiam, Africam, Gallias, obtinente, etiam Illyricum res novas habuit, VETRANIONE ad Imperium consensu militum electo:

Vetranio tyrannus.

quem grandævum jam, & cunctis amabilem, diuturnitate & felicitate militiæ, ad tuendum Illyricum, principem creaverunt: virum probum & morum veterum, ac jucundæ civilitatis; sed omnium liberalium artium expertem adeo, ut ne elementa quidem primarum literarum, nisi grandævus & jam Imperator, acceperit. Sed à Constantio, qui ad ultionem fraternæ necis, bellum civile commoverat, abrogatum est Vetranioni imperium: qui novo inusitatoque more, consensu militum deponere insigne compulsus est. Romæ quoque tumultus fuit,

Nepotianus.

NEPOTIANO, Constantini sororis filio, per gladiatoriam manum imperium invadente, (*i*) qui sævis exordiis dignum exitum nactus est. Vigesimo enim atque octavo die à Magnentianis ducibus oppressus, pœnas dedit;

Opprimitur.

caputque ejus pilo per Urbem circumlatum est: gravissimæ (*k*) proscriptiones & nobilium cædes fuerunt. Non multo post Magnentius apud Mursam profligatus acie est, ac pene captus. Ingentes Romani Imperii vires ea dimicatione consumptæ sunt, ad quælibet [bella] externa idoneæ, quæ multum triumphorum possent securitatisque conferre.

Gallus Cæsar.

CAP. VII. Orienti mox à Constantino Cæsar est datus, patrui filius GALLUS, Magnentiusque diversis præliis victus, vim vitæ suæ apud Lugdunum attulit, Imperii anno tertio, mense septimo. Frater quoque ejus Senonis, quem ad tuendas Gallias Cæsarem miserat. Per hæc tempora etiam à Constantio, multis incivilibus gestis, Gallus Cæsar occisus est:

Occiditur.

vir natura ferus, (*l*) & ad tyrannidem pronior, si suo jure imperare licuisset.

Silvanus extinguitur.

SILVANUS quoque in Gallia res novas molitus, ante diem trigesimum exstinctus est, [solusque in Imperio Romano eo tempore Constantius princeps & Augustus fuit.]

Julianus Cæsar. U. C. 1107. p. C. N. 355.

Mox JULIANUM Cæsarem ad Gallias misit, patruelem suum, Galli fratrem; tradita ei in matrimonium sorore: cum multa oppida Barbari expugnassent, alia obsiderent, ubique fœda vastitas esset, Romanumque Imperium non dubia jam calamitate nutaret.

Alamanni à Juliano victi.

A quo modicis copiis apud Argentoratum, Galliæ urbem, ingentes Alamannorum copiæ exstinctæ sunt. Rex nobilissimus captus. Galliæ restitutæ. Multa postea per eundem Julianum egregie (*m*) adversum Barbaros gesta sunt. Submotique ultra Rhenum Germani, & finibus suis Romanum Imperium restitutum. Neque multo post, cum Germanici (*n*) jam exercitus à Galliarum præsidio tollerentur, consensu militum Julianus factus Augustus est. Interjectoque anno, ad Illyricum obtinendum profectus [est], Constantio Parthicis bellis occupato.

Constantius moritur.

Quibus rebus cognitis

(*c*) al. justitiæ & amoris. (*d*) al. quæ omnino sibi &c. (*e*) al. pluresque. (*f*) al. libente. (*g*) al. autem non. (*h*) per omnem vitam & tempus. (*i*) al. vendicante. (*k*) al. gravissimæque. (*l*) al. ferox. (*m*) al. egregia. (*n*) al. Germanici. ni.

gnitis (*o*) ad bellum civile converſus, in itinere obiit, inter Ciliciam Cappadociamque, anno Imperii octavo & trigeſimo, ætatis quinto & quadrageſimo, meruitque inter Divos referri. Vir egregiæ tranquillitatis, placidus, nimis amicis & familiaribus credens; mox etiam uxoribus deditior: qui tamen primis Imperii annis ingenti ſe modeſtia egerit. Familiarium etiam locupletator: neque inhonoros ſinens, quorum laborioſa expertus fuiſſet officia. Ad ſeveritatem tamen propenſior, ſi ſuſpicio Imperii moveretur, mitis alias: & cujus incivilibus magis, quam in externis bellis, ſit laudanda fortuna.

Ejus indoles.

CAP. VIII. (10) Hinc JULIANUS rerum potitus eſt, ingentique apparatu Parthis intulit bellum: cui expeditioni ego quoque interfui. Aliquot oppida & caſtella Perſarum in deditionem accepit, vel vi oppugnavit. (*p*) Aſſyriamque populatus, caſtra apud Cteſiphontem ſtativa aliquamdiu habuit: remeanſque victor, dum ſe inconſultius præliis inſerit, hoſtili manu interfectus eſt, ſexto Kalend. Julias, Imperii anno ſeptimo, ætatis altero & trigeſimo: atque inter Divos relatus eſt. Vir egregius & rempublicam inſigniter moderaturus, ſi per fata licuiſſet: Liberalibus diſciplinis apprime eruditus; græcis doctior, atque adeo ut latina eruditione nequaquam cum græca ſcientia conveniret. Facundia ingenti & prompta, memoriæ tenaciſſimæ, (*q*) in quibuſdam philoſopho propior. In amicos liberalis: ſed minus diligens, quam [tantum] principem decuit. Fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriæ ejus inferrent. In provinciales juſtiſſimus, tributorum, quatenus ferri poſſet, oppreſſor. (*r*) Civilis in cunctos; mediocrem habens ærarii curam: gloriæ avidus, ac per eam animi plecumque immodici. Religionis (*s*) Chriſtianæ inſectator; perinde tamen, ut cruore abſtineret; Marco Antonino non abſimilis: quem etiam æmulari ſtudebat.

Julianus Imperator. U. C. 1113. p. C. N. 361. Ejus res geſtæ.

Doctrina.

Ejus indoles.

Religionis Chriſtianæ inſectator.

CAP. IX. Poſt hunc JOVIANUS, qui tunc domeſticus (*t*) militabat, ad obtinendum Imperium conſenſu exercitus electus eſt: commendatione patris, quam ſua, militibus notior. Qui jam turbatis rebus, exercitu quoque inopia laborante, uno à Perſis atque altero prælio victus, pacem cum Sapore neceſſariam quidem, ſed ignobilem fecit: multatus finibus, ac nonnulla Imperii Romani parte tradita, quod ante eum annis mille centum & duobus de viginti fere, (*u*) ex quo Romanum Imperium conditum erat, numquam accidit. Quin etiam legiones noſtræ, ita & apud Caudium, per Pontium Teleſinum, ita & in Hiſpania apud Numantiam, & in Numidia ſub jugum miſſæ ſunt, ut nihil tamen finium traderetur. Ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret, ſi fœderis neceſſitatem, cum integrum fuit, mutare voluiſſet: ſicut à Romanis, omnibus his bellis, quæ (*x*) memoravi, factum eſt. Nam & Samnitibus, & Numantinis, & Numidis confeſtim bella illata ſunt. Neque pax rata fuit. Sed dum æmulum Imperii veretur, intra Orientem reſidens, gloriæ parum conſuluit. Itaque iter ingreſſus, atque Illyricum petens, in Galatiæ finibus repentina morte obiit. Vir alias neque iners, neque imprudens. Multi exanimatum opinantur nimia crudelitate: nimiis enim epulis inter cœnandum indulſerat. Alii odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis grave quieſcentibus erat. Quidam nimietate (*y*) prunarum, quas gravi frigore adoleri multas juſſerat. Deceſſit Imperii menſe ſeptimo, quarto decimo (*z*) Kal. Martias: ætatis, ut, qui plurimum ac minimum tradunt, tertio & trigeſimo anno, ac benignitate principum, qui ei ſucceſſerunt, inter Divos relatus eſt. Nam & civilitate propior, & natura admodum liberalis fuit.

Jovianus Imperator. U. C. 1116. p. C. N. 364.

Pacem ignobilem cum Perſis facit.

Moritur. U. C. 1116. p. C. N. 364.

CAP. X. Is ſtatus erat Romanæ rei, Joviano eodem & Varroniano Coſſ. anno Urbis conditæ milleſimo centeſimo nono & decimo. (*a*) Quia autem ad inclytos principes venerandoſque perventum eſt, interim operi modum dabimus. Nam reliqua ſtylo majore dicenda ſunt, quæ nunc non tam prætermittimus, quam ad majorem ſcribendi diligentiam reſervamus.


Concluſio operis.

(*o*) al. Qui rebus cognitis &c. (*p*) al. expugnavit. (*q*) al. Facundia ingenti; promptæ memoriæ & tenaciſſimæ. (*r*) al. repreſſor. (*s*) al. [Nimius] (*t*) al. modeſtius. (*u*) al. annis CCC. & viginti duobus fere. (*x*) al. quæcumque. (*y*) al. nimia vi. (*z*) al. tertio decimo. (*a*) al. centeſimo & nono decimo.

(10) Hinc Julianus rerum potitus eſt) Erudite Lector. Huc revoca Juliani hujus Imperatoris vultum quem errore memoriæ exhibuimus ſupra ad pag. 138. num. 62. Tab. XXX. num. 6. Eadem enim Tabula num. 7. non exhibetur ex Cimeliarchio Domini de KLETTENBERG vultus Juliani Imperatoris vulgo dicti Apoſtatæ, ſed Juliani tyranni, qui ſub Diocletiano Imperatore Imperium affectarat. Atque ne error hic confuſionem pariat, Juliani Imperatoris vultum, ex MEDIOBARBO pag. 495. adhuc ſemel exhibemus Tab. XXXVIII. num. 6.



PAULLI DIACONI
DE
GESTIS ROMANORUM
AD
EUTROPII HISTORIAM
LIBRI ADDITI.



PAULLI DIACONI
DE
GESTIS ROMANORUM
AD
EUTROPII HISTORIAM ADDITUS.
LIBER XI.



ANno ab Urbe condita MCXIX. VALENTINIANUS XXXVIII. è Pannonia Cibaliensi editus, cum esset Tribunus Scutariorum, apud Niceam Augustus appellatus, fratrem VALENTEM Constantinopoli in communionem regni assumpsit. Hujus pater Gratianus mediocri stirpe ortus, apud Cibalas Funerarius appellatus est, eo quod Venalitium funem portanti, quinque milites nequiverint extorquere. Eo merito adscitus in militiam, usque ad Præfecti prætorio potentiam conscendit: ob cujus apud milites commendationem, Valentiniano Imperium resistenti illatum est. Qui cum sub Juliano Augusto Christianitatis integram fidem gereret: cum, ut dictum est, Scutariorum Tribunus esset, jussus ab Imperatore sacrilego, *aut immolare idolis, aut militia excedere*, sponte discessit. Nec mora, Juliano interfecto, Jovinianoque mortuo, Valentinianus, qui (1) pro nomine CHRISTI amiserat tribunatum, in locum persecutoris sui accepit Imperium.

Valentinianus Imperator. U. C. 1116. p. C. N. 364.

Valentinianus Christianam fidem colit.

Quem Julianus.

Persequitur.

CAP. II. Qui cum jam anno tertio Imperii cum Valente fratre ageret; GRATIANUM filium, nec dum bene puberem, hortatu socrus & uxoris Augustum creavit. Eodem anno apud Atrebatas vera lana de nubibus pluviæ mixta defluxit: Constantinopoli grando miræ magnitudinis decidens, nonnullos hominum extinxit. Procopius apud Constantinopolim his diebus tyrannidem invadens, apud Phrygiam salutarem exstinctus est: plurimique ejus partis cæsi, atque proscripti sunt. Per hæc tempora terræmotus per totum orbem factus est. Ita mare littus egressum est, ut Siciliæ, multarumque insularum urbes concussæ & subrutæ, innumerabiles ferme populos ruinis oppresserint.

Gratianus Augustus.

Procopius.

CAP. III. Valens interea ab Eudoxio Arrianæ hæreseos Episcopo baptizatus, in sævissimam hæresim delapsus est: conatusque catholicos persequi, sed fratris autoritate compressus est. Ea tempestate Athanaricus rex Gothorum CHRISTIANOS in gente sua crudelissime persequitur, & ad coronam martyrii sublimavit. Valentinianus Saxones, gentem in Oceani littoribus, & paludibus inviis sitam, virtute

Valens Christianus.

Athanaricus Christianos persequitur.

Valentinianus Saxones opprimit.

(1) Pro nomine Christi) Christianæ religioni Valentinianum Imp. deditum fuisse, in numis ejus labarum, cum Christi monogrammate ostenditur Tab. XXXIX. num. 1. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. p. 824.

virtute atque agilitate terribilem, in Romanos fineis eruptionem meditantem. in Francorum finibus oppressit. Burgundionum quoque plus quam LXXX. millia armatorum ripæ Rheni fluminis insederant: qui tamen non multo post tempore Christiani effecti sunt. Valentinus inter hæc in Britannia ante quam tyrannidem invaderet, oppressus est.

Burgundiones Christiani.

Valentinus oppressus.

CAP. IV. Valentinianus anno Imperii sui XI. cum Sarmatæ sese per Pannonias diffudissent, eosque vastarent, bellum in eos parans, dum apud Brigionem oppidum Quadorum legationi responderet, anno ejus quinto & quinquagesimo, subita effusione sanguinis, quæ Græce ἀπόληξις vocatur, voce amissa, sensu integer expiravit. Quod quidem intemperantia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse plures retulerunt. Fuit autem Imperator egregius, vultu decens, solerti ingenio, animo gravis, moribus Aureliano similis, sermone cultissimus: quamquam esset ad loquendum parcus, severus, vehemens, infestus vitiis, maxime avaritiæ. Severitatem tamen ejus & parcitatem quidam crudelitatem & avaritiam interpretabantur. Acer in iis, quæ memoraturus sum, Adrianoque proximus probatur: pingere venustissime pronus; multa meminisse; arma nova meditari; fingere cera seu limo simulacra; prudenter uti locis, temporibus, sermone, atque ut breviter concludam, si ei infidis hominibus quibus sese quasi fidissimis & prudentissimis dederat, carere, aut probatis uti licuisset, perfectus haud dubie princeps enituisset.

Valentinianus moritur.

Ejus indoles.

CAP.V. Anno ab Urbe Condita MCXXVIII. Imperium Orientis IV. annis, Valentiniano mortuo tenuit: Gratiano Valentiniani filio in Occidentali parte regnante, qui sibi VALENTINIANUM fratrem parvulum admodum, socium creavit Imperii. Hic enim Valentinianus, dudum laudante uxore sua pulchritudinem Justinæ, sibi eam sociavit in matrimonio: legesque propter illam concessit: *ut omnes qui voluissent, impune bina matrimonia susciperent.* Nam diu populosas fore gentes, quia hoc apud eas solenne est. Accepta ergo, ut diximus, Valentinianus Justina, edidit ex ipsa IV. filios: Valentinianum, quem sibi, ut præmisimus, Gratianus sociavit in regno & Gratam, Justamque, & Gallam.

Gratianus Imperator. U. C. 1127. p. C. N. 375. Et Valentinianus junior.

Valentiniani uxor Justina.

Liberi.

CAP. VI. Valens igitur impietatem, quam dudum meditatus fuerat, operibus explens, lege data, *ut monachi militarent:* nolentes, per Tribunos & milites fustibus jussit interfici. Quorum innumeram multitudinem per vastas tunc Ægypti solitudines diffusam constat, præcipue quæ apud Nitriam martyrii consecuta est palmam: ac per singulas ubique provincias, adversus Catholicas ecclesias, & rectæ fidei populos, diversa sunt illata incommoda.

Valentis impietas.

CAP. VII. Interea in Africæ partibus, Thirmus sese, excitatis Maurorum gentibus regem constituens, Africam, Mauritaniamque vastavit. Contra quem Theodosius, Theodosii, qui post Imperio præfuit, pater, à Valentiniano missus, effusas Maurorum gentes, multis præliis fregit: ipsum quoque Thirmum afflictum & oppressum, ad mortem coëgit. Qui postea quam experimentissima providentia Africam composuisset; stimulante invidia jussus à Valente interfici, apud Carthaginem baptizari in remissionem peccatorum præoptavit: ac demum gloriosa morte occumbens, percussori jugulum ultro præbuit.

Thirmus.

A Theodosio

Opprimitur.

Theodosius Christianus.

Occiditur.

CAP. VIII. Ea tempestate gens Hunnorum diu inaccessis seclusa montibus, repentina rabie percita, exarsit in Gothos, eosque conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gothi transito Danubio fugientes, à Valente sine ulla fœderis pactione suscepti sunt. Deinde propter intolerabilem avaritiam Maximi ducis fame compulsi in arma surgentes, victo Valentis exercitu, sese per Thracias infudere, omnia cædibus, incendiisque vastantes. Quibus cognitis, Valens Antiochia egressus, cum adversum Gothos exercitum aptaret: sera peccati pœnitentia stimulatus, Episcopos, ceterosque sanctos revocari de exiliis imperavit. Denique lacrymabili cum Gothis bello commisso, ad primum Gothorum impetum perturbatæ equitum Romanorum turmæ, nudatos pedites deseruere. Qui mox equitatu hostium septi, ac sagittarum nubibus obruti: insuper cum amentes metu, huc, illucque fugitarent, funditus interiere. Ipse Imperator cum sagitta saucius, versusque in fugam, ob dolorem nimium sæpe equo laberetur, atque in vilissimam casulam deportatus esset, supervenientibus Gothis, igneque supposito, concrematus est. Denique petentibus Gothis, ut eis Episcopos mitteret, à quibus fidei rudimenta susciperent: Valens doctores ad eos Arriani dogmatis misit, sicque universa illa gens effecta est Arriana.

Hunni.

Gothi.

Valentem vincunt.

Qui vulneratur.

Et concrematur.

CAP. IX. Justo itaque Dei judicio ab illis igne crematus est, quos ipse perfidiæ succenderat igne. Gothi vero Imperatore occiso, jam securi ad urbem properant Constantinopolitanam, ubi adhuc Dominica Augusta Valentis uxor multas pecunias plebi largita, ab urbis vastatione hostes submovit, regnumque cognatis fideliter viriliterque servavit.

Valentis uxor dominica.

CAP. X. Anno ab Urbe condita MCXXXII. GRATIANUS XL. ab Augusto, post mortem Valentis, VI. annis Imperium tenuit, quamvis jam dudum ante cum patruo Valente, & cum Valentiniano fratre regnaret. Igitur Gratianus admodum juvenis, cum inæstimabilem multitudinem hostium, Romanis infusam finibus cerneret: fretus Christi potentia, longe impari militum numero sese in hostem dedit. Et continuo apud Argentariam oppidum Galliarum, formidolosissimum bellum incredibili felicitate confecit. Nam plus quam XXX. millia Alemannorum, minimo Romanorum detrimento, in prælio interfecta narrantur.

Gratianus Imperator solus.

Eius bellum cum Alemannis.

Quos vincit.

CAP. XI. Hoc denique ei recta fidei cultura tribuit. Nam cum usque ad id tempus Italia Arrianæ perfidiæ morbo langueret: post Auxentii seram mortem, cum Ambrosius ex pagano judice, subito apud Mediolanum divino nutu Episcopus fuisset ex cunctis electus: moxque catholico baptismate tinctus, præsul esset ordinatus: cumque pro fide catholica libros Gratiano Imperatori porrexisset: ac reverentia,

Gratianus fit Christianus.

tia, qua debuerat, susceptus esset: universa statim ad rectam fidem Italia repullulavit.

B. Martinus in Gallia.

CAP. XII. Eo tempore in Galliis apud Tyronos, multis beatissimus Martinus florebat virtutibus: totoque orbe, doctrinis & scientia clarus, apud Bethlehem civitatem Palestinæ situs radiabat Hieronymus. Porro Gratianus, cum animadvertisset Thraciam, Daciamque tanquam genitales terras possidentibus Gothis Triballisque atque omni pernicie atrocioribus Hunnis & Alanis, extremum Romano nomini periculum instare, eadem provisione, qua quondam legerat, Nerva Hispanum virum Trajanum, per quem Respublica reparata est, accitum & ipse nihilo minus æque ab Hispania Theodosium, faventibus cunctis, apud Syrmium purpuram induit, ætatis annum III. & XXX. agentem, Orientisque & Thraciæ simul Imperio præfecit.

Hieronymus in Palestina. Gratiani res gestæ.

Theodosius Imperator. U.C. 1131. p. C. N. 379. Ejus res gestæ.

CAP. XIII. Itaque THEODOSIUS afflictam Rempublicam ira Dei, omnem fiduciam sui ad opem Christi referens, maximas illas Scythicas gentes, formidatas cunctis majoribus, & Alexandro quoque illi magno evitatas, ac tunc extincto Romano exercitu, Romanis equis, armisque structissimas, hoc est, Alanos, Hunnos, & Gothos incunctanter aggressus, magnis, multisque præliis vicit: urbem Constantinopolim victor intravit. Et ne parvam ipsam Romani exercitus manum, assidue bellando deterreret: extemplo fœdus, cum Athanarico rege Gothorum percussit.

Athanaricus Constantinopolim venit.

CAP. XIV. Athanaricus Constantinopolim ad Theodosium venit: quem ille mira jucunditate & affectione recepit. Denique cum urbem Athanaricus intrasset, & tam ædificia civitatis, quam exornati quasi ad diem festum populi frequentiam cerneret, ac per singula mente inhæreret: cumque deinceps Imperatoris regiam ingressus, obsequia, officiaque diversa conspiceret. *Sine dubio*, inquit, *Deus terrenus est Imperator: contra quem quicunque manus levare nisus fuerit, ipse sui sanguinis reus extitit.* Nec mora tamen superveniente valetudine, rebus humanis excessit. Cujus exequias Imperator ipse præcedens, dignæ eum sepulturæ tradidit. Ac universæ Gothorum gentes, rege defuncto, aspicientes virtutem, benignitatemque Imperatoris Theodosii, Romano sese Imperatori dediderunt.

Moritur.

Gothi se dedunt Theodosio.

CAP. XV. In iisdem etiam diebus, Parthi, ceteræque barbaræ nationes, Romano prius nomini inimicæ, ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos, pacemque supplices poposcerunt: factumque cum eis fœdus est. Interea cum Theodosius in civitate subactis Barborum gentibus, Thracias tandem ab hostibus liberas reddidisset, & Arcadium filium suum consortem fecisset Imperii: MAXIMUS, vir quidem strenuus & probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset, in Britannia invitus ab exercitu Imperator creatus, in Galliam transiit. At vero Gratianus, dum exercitus negligeret, & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri ac Romano militi anteferret, adeoque Barbarorum comitatu & prope amicitia caperetur: ut nonnunquam eodem habitu iter faceret: odia contra se militum excitavit.

Parthi pacem petunt.

Maximus tyrannus. U.C. 1134. p. C. N. 382.

CAP. XVI. Maximus ergo ab infensis Gratiani legionibus exceptus, eundem subita incursione perterritum, in Italiam transire meditantem, dolis circumventum interfecit, ætatis IX. & XX. annos habentem, fratremque ejus Valentinianum Augustum etiam expulit. Valentinianus in Orientem refugiens à Theodosio paterna pietate susceptus est. Fuit autem Gratianus literis haud mediocriter institutus. Carmen facere probatus, ornate loqui, explicare controversias Rhetorum more: nihil aliud die, noctuque agere, quam spiculis meditari; summæque voluptatis, divinæque artis credere, destinata ferire: parcus cibi somnique ac libidinis victor: cunctisque fuisset plenus bonis, si ad cognoscendam Reipublicæ gerendæ scientiam animum intendisset: à qua prope alienus non modo voluntate, sed etiam exercitio fuit.

Interficitur.

Gratiani indoles & studia.

LIBER XII.

CAPUT I.

Theodosius Imperator solus.

ANno ab Urbe Condita M. CXXXVIII. THEODOSIUS genitus patre Theodosio, matre Thermantia, XLI. Imperator, interfecto per Maximum Gratiano, Imperium Romani orbis obtinuit solus, mansitque in eo annis XI. cum jam in Orientis partibus VI. annis, Gratiano vivente, regnasset. Itaque justis causis ad bellum civile permotus: cum è duobus Augustis fratribus, unius interfecti ultionem, alterius restitutionem procuraret, sese adversum Maximum tyrannum sola fide major (nam longe minor universi apparatus bellici comparatione) propripuit, Aquileiæ Maximus insederat: Andragathius comes ejus, summam belli administrabat. Qui cum largissimis militum copiis, astuto consilio, omnes Alpium & fluminum aditus communisset: dum navali expeditione incautum hostem prævenire parat & obruere: sponte insuper eadem, quæ obstruxerat claustra, deseruit.

Bellum civile.

AdversumMaximum.

Andragathius Dux belli.

CAP. II. Ita Theodosius nemine sentiente Alpes intravit: atque Aquileiam improvisus adveniens, magnum hostem Maximum ac trucem, & ab immanissimis quoque Germanorum gentibus tributa, ac dispendia solo terrore nominis exigentem, sine controversia clausit, cepit, occidit. Hanc Maximi perditionem Beatus Martinus ante prædixit. Valentinianus recepto Italiæ potitus Imperio est. Andragathius comes, cognita Maximi nece, præcipitem sese è navi in undas dedit, ac suffocatus est. Theodosius incruentam victoriam, Deo procurante, suscepit. VICTOREM quoque Maximi

Maximus capitur.

Et occisus. U.C. 1140. p. C. N. 388.

Andragathius se suffocat.

Victor vincitur.

ximi filium, quem Imperatorem pater Gallis infantuli ætate reliquerat, extinxit. Valentinianus junior, cum in Gallias transiisset, ibique tranquille Rempublicam ageret, apud Viennam dolo Arbogastis comitis sui strangulatus: atque ut voluntariam sibi consciviſſe mortem putaretur, laqueo suspensus est.

Valentinianus junior strangulatur.

CAP. III. Quo extincto, Arbogastes tyrannum creavit EUGENIUM, eligens hominem, cui titulum Imperatoris imponeret, ipse acturus Imperium. Vir Barbarus, animo, consilio, manu, audacia, potentiaque nimius: contraxit undique innumeras, invictasque copias, vel Romanorum præsidiis, vel auxiliis Barbarorum: aliis potestate, aliis cognatione subnixus. Denique extabat genere Francus, cultorque sordidissimus Idolorum. Igitur Eugenius atque Arbogastes, cum instructa acie Alpium transitus tenerent, Theodosius expers cibi ac somni, orationi incumbens totam noctem pervigil exegit: cum tamen se esse destitutum à suis sciret, ab hostibus circumseptum nesciret: fiducialiter arma corripiens, signoque crucis signum prælio dedit: ac se in bellum, etiam si nemo sequeretur, victor futurus immisit. Nam consultus Joannes Anachoreta eum victorem spoponderat. Quem cum Arbitio hostilium partium comes, ignarum circumpositis excepisset insidiis: conversus mox ad reverentiam Augusti, eum non solum periculo liberavit, verum etiam auxilio instruxit.

Eugenius ab Arbogaste tyrannus creatus. U. C. 1143. p. C. N. 391.

Contra quos Theodosius.

Bellum parat.

CAP. IV. Cumque ad congressionem ventum esset, vehemens turbo ventorum à parte Theodosii in ora hostium ruit, qui ab ejus parte spicula missa, valenter hosti infigeret, & hostili manu missa repelleret. Nec mora, parva suorum data strage, victori se Theodosio hostilis exercitus prostravit. Eugenius captus, atque interfectus est. Arbogastes se sua manu percussit. Præmiserat namque prius Theodosius X. millia armatorum Gothorum, quæ ab Arbogaste comite funditus deleta sunt, quos utique Theodosio perdidisse, magis lucrum quam detrimentum fuit. Ad cujus laudem ob insignem victoriam (2) Poëta quidam eximius sed infidelis, inter cetera hos versiculos cecinit:

Eosque miraculose vincit. U. C. 1146. p. C. N. 394.

Theodosii laus.

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther:
Et conjurati veniunt ad classica venti.

CAP. V. Huic ferunt somnio nomen parentes monitos sacravisse: quod in latinum, *à Deo datum* potest intelligi. De hoc etiam oraculo in Asia divulgatum est: eum Valenti successurum, cujus nomen Θ. & O. atque Δ. literis initiaretur. Qua cognitione principii deceptus Theodorus: cum sibi Imperium deberi præsumeret, sceleſtæ cupidinis supplicia persolvit. Fuit autem Theodosius propagator Reipublicæ, atque defensor eximius, moribus & corpore Trajano similis, quantum scripta veterum & picturæ docent: à quo & originem traxit. Sic eminens status, membra eadem, par cæsaries, os simile, absque eo, quod illi aliquantulum vellendo, steriles genæ, neque tamen ingentes oculi erant: nescio an tanta gratia, tantusque flos in facie, seu tanta dignitas in incessu fuisset. Mens verò prorsus similis: adeo, ut nihil dici queat, quod non ex libris ejus in istum videatur transferri. Clemens animus, misericors, communis solo habitu differre se à ceteris putans. In omnes honorificus: verum effusus in bonos: simplicia ingenia æque diligere: erudita mirari, sed innoxia, largiri magno animo magna: amare cives vel privato contubernio cognitos, eosque honoribus, pecunia, beneficiis ceteris munerari, præsertim quorum erga se velut patrem aspero casu officia comprobasset: illa tamen, quibus Trajanus aspersus est, vinolentiam scilicet, & cupidinem triumphandi, usque adeo detestabatur, ut bella non moverit, sed invenerit, prohibueritque lege ministeria lasciva, psaltriasque comessationibus adhiberi: tantum pudori tribuens & continentiæ, ut consobrinarum nuptias tanquam sororum vetuerit. Literis mediocriter doctus, sagax plane, multumque diligens ad noscenda gesta majorum. Execrabatur, cum legisset superbiam dominantium, præcipue perfidos & ingratos. Irasci sane rebus indignis, sed subito flecti: unde dilatione modica emolliebat interdum severa præcepta: habuitque à Naturæ munere, quod Augustus à Philosophiæ doctore. Qui cum vidisset eum facile commoveri ne asperum aliquid statueret, monuit, ut ubi irasci cepisset, IV. atque XX. Græcas literas memoria recenseret: ut illa concitatio, quæ momenti est alio traducta, parvi temporis interjectu languesceret. Melior haud dubie, quod est raræ virtutis, post auctam annis potentiam regalem. Auri argentique pondera sublata è tyrannis, multis ex suo restituit. Inerat ei cura pietatis eximiæ. Colere patruum tanquam genitorem: fratris mortui, sororisque liberos habere pro suis. Cognatos, affinesque parentis animo complecti. Elegans, lætumque convivium dare, nec tamen sumptuosum. Miscere colloquia pro personis, studio, dignitatibus, sermone cum gravitate jucundo: blandus pater, concors maritus. Exercebatur neque ad illecebras, neque ad lassitudinem: ambulationibus, cum esset otium, animum reficiens. Regebat valetudinem continentia vescendi. Hujus & apud homines mansuetudo, & quanta extiterit apud Deum devotio, hoc uno monstratur exemplo. Nam cum apud Mediolanum Missarum fruiturus solennis, ecclesiam vellet intrare: cumque Beatus Ambrosius pro quodam facinore, nisi publice pœniteret, non admissurum se diceret: & prohibitionem humiliter pertulit, & satisfactionem non erubescens, indictum ab Episcopo pœnitentiæ modum devotus excepit.

Theodorus tyrannus.

Theodosii virtutes ample recensentur.

Ejus devotio.

CAP. VI. Huic sociata in conjugio Flacilla fuit, ex qua Arcadium & Honorium genuit: qua defuncta, Gallam Valentiniani Majoris & Justinæ filiam, Valentiniani quoque Junioris sororem in matrimoniam duxit, quæ ei Placidiam peperit: cui postea de matris nomine Gallæ cognomentum accessit. Itaque quinquage-

Theodosii uxores & liberi.

(2) Poëta quidam) CLAUDIANUS nimirum de tertio Consulatu HONORII Augusti versu 96.

Theodosius moritur. U.C. 1147. p. C. N. 395.

quagesimum Theodosius annum agens ætatis, in pace apud Mediolanum rebus excessit humanis: utramque Rempublicam utrisque filiis, Arcadio & Honorio quietam relinquens. Corpus ejus eodem anno Constantinopolim translatum atque sepultum est.

LIBER XIII.

CAPUT I.

Arcadius Orientis, Honorius Occidentis Imperatores. U.C. 1147. p. C. N. 395.

Anno ab Urbe Condita MCXLIX. Arcadius Augustus in Oriente factus, Honorius frater ejus in Occidente XLII. loco commune Imperium diversis tantum sedibus tenere cœperunt. Quorum pater curam viris potentissimis mandaverat habere, id est, Rufino Orientalis aulæ, Stiliconi Occidentalis Imperii. Vixitque Arcadius post patris excessum annis XII. Imperiique summam Theodosio filio parvo admodum moriens tradidit.

Arcadius moritur. U.C. 1160. p. C. N. 408.

Gildonis machinationes.

CAP. II. Interea Gildo comes Africæ, cognita Theodosii morte, arbitratus minimam in parvulis spem fore, Africam jure proprio cœpit usurpare. Hujus frater Mascelzer germani perfidiam perhorrescens, in Italiam rediit. Gildo duos ejus filios, quos pater reliquerat, dolo circumventos occidit. Ad hunc jam hostem bello insequendum, Mascelzer frater missus est. Mascelzer jam à Theodosio sciens, quantum viribus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi clementiam Dei impetraret, Caprariam insulam adiit. Inde secum sanctos viros adducens, cum quibus orationibus ac jejuniis dies aliquot continuavit & noctes. Ante triduum quoque quam hosti contiguus fieret, cernit noctu Beatum Ambrosium paullo ante defunctum, quando victoriam caperet, diem sibi indicantem & locum: ac tertio demum die, post noctem orationibus hymnisque pervigilem cum V. solummodo millibus adversus LXXX. millia hostium pergens, eos Dei nutu sine bello in deditionem accepit. Quo viso, auxiliarii Gildonis Barbari ilico terga dedere. Gildo & ipse fugam arripiens, ascensa navi, cum in Africam rediisset, post aliquot dies strangulatus, interiit.

Frater Mascelzer detegit.

Atque Gildonem auxilio divino vincit.

Mascelzeris insolentia.

CAP. III. Sane idem Mascelzer rerum secundarum insolentia tumens, ecclesiam Dei temerare ausus est: atque ex ea quosdam non dubitavit extrahere: secuta mox pœna sacrilegum est: nam post aliquantulum temporis ipse punitus est. Interea Rufinus, cui Orientalis aulæ à Theodosio cura commissa est, malo perfidiæ depravatus, cum Barbarorum solatiis regnum tentaret invadere, morte justissima pœnas luit.

Punitur. Rufini perfidia punita.

Stiliconis perfidia.

CAP. IV. Stilico quoque Occidentis tutor Imperii, immemor collatorum beneficiorum, immemor affinitatis: nam socer extabat Honorii, regnum & ipse Eucherio filio affectans, ingentia Reipublicæ intulit mala. Nam sæpe cum delere posset Barbaros, fovit eos: sæpe Alaricum cum Gothis suis vicit, sæpe conclusit, sæpeque dimisit. Cui quis fuerit exitus, suo melius loco dicetur. Inter hæc omnium antiquorum præsentiumque hostium longe immanissimus Radagasus rex Gothorum, totam repentino impetu invadit Italiam: nam fuisse in ejus populo plus quam ducenta millia Gothorum ferunt. Hic supra hanc incredibilem multitudinem, indomitamque virtutem Barbarus erat, & Scytha: qui omnem humani generis sanguinem, diis suis propinare devoverat.

Radagasus rex

Gothorum Italiam invadit.

Terror Romæ.

CAP. V. Invadit ilico Romam pavor infinitus: fit omnium paganorum in Urbe concursus: declamatur à cunctis, se hæc ideo perpeti, quod neglecta fuerunt magnorum sacra deorum. Magnis querelis ubique agere: & continuo de repetendis sacris, celebrandisque tractatur: fere in tota Urbe blasphemiæ ad nomen Christi tanquam lues aliqua probris ingravantur. Conducuntur à Romanis adversus Radagasum duo pagani duces, Gothorum Sarus, & Virdinus Hunnorum. Sed non sinit Deus rem suæ potentiæ, infidelium virtute tueri. Contritus namque divinitus Radagasus in aspero Fesulani montis jugo, urgente undique timore, concluditur. Agminaque quibus angusta dudum videbatur Italia, latendi spe in unum ac parvum montis verticem truduntur: quo cum fame & siti conficerentur, Rex Radagasus solus spem fugæ sumens, captus à Romanis, in vincula conjicitur, ac paullisper retentus, vita privatur. Tanta vero multitudo captivorum Gothorum fuisse fertur, ut in vilissimarum pecudum modum singulis aureis passim greges hominum venderentur.

Radagasus captus & occisus. U.C. 1157. p. C. N. 405.

Alaricus Italiam ingreditur.

CAP. VI. Interea Alaricus Italiam ingressus, cum ab Honorio sedem, qua cum suo exercitu consistere posset, expeteret. Honorius deliberato consilio, ei Gallias concessit: qui dum ad Gallias pergens, ob recuperationem jumentorum apud Polentiam aliquantulum resedisset, Stilico comes in perniciem Reipublicæ Gothos pertentans: dum eos insidiis aggredi cuperet, belli summam Saulo pagano duci commisit: qui ipso sacratissimo die Paschæ, Gothis nil tale suspicantibus, super eos irruit, magnamque eorum partem prostravit. Nam primum perturbati Gothi, ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more solito cohortantur, victoremque virtute potiori prosternunt exercitum. Hinc in rabiem furoris excitantur, captum iter deserentes, Romam contendunt petere: cuncta, per quæ ierant, igni ferroque vastantes. Nec mora, venientes Urbem capiunt, devastant, incendunt: dato tamen prius præcepto, ut si qui in sancta loca, præcipue sanctorum Apostolorum Petri & Paulli Basilicas confugissent, hos in primis inviolatos, securosque finerent: deinde quantum possunt, prædæ inhiantes, sanguine temperarent.

Gothi prostrati.

Romam petunt. Quam capiunt & vastant. U.C. 1161. p. C. N. 409.

CAP. VII. Capta itaque Roma est MCLXIV. conditionis suæ anno, die sane tertia, sponte Gothi Urbe discedunt: facto aliquantarum ædium

Gothi sponte Urbe cedunt.

dium incendio, ſed ne tanto quidem, quantum olim à Cæſare factum eſt. Deinde per Campaniam, Lucaniam, Bruttiamque ſimili ſtrage bacchantes, Rhegium pervenere, in Siciliam transfretare cupientes: quo cum tranſmeare aſcenſis navibus vellent, perpeſſi naufragium plures ſuorum amiſerunt. Alaricus inter hæc dum quid ageret, deliberaret: apud Coſentiam morte ſubita defunctus eſt. Gothi Baſentum amnem de alveo ſuo captivorum labore derivantes, Alaricum in medio ejus alveo cum multis opibus ſepeliunt: amnemque meatui proprio reddentes, ne quis locum ſcire poſſet, captivos qui interfuerant extinguunt. Regem deinceps Athaulfum Alarici affinem Gothi conſtituentes, Romam redeunt; ſi quid reſidui fuit, more locuſtarum eradunt: auferentes deinde Gallam Placidiam, Theodoſii principis filiam, ſororem Honorii: quam ſibi Athaulfus apud forum Cornelii connubio copulavit: quæ multo poſt Reipublicæ commodo fuit. Nam ad hoc mariti animum, acerrimo ingenio ſubtilibuſque blandimentis eum inflexit: ut ultro à Romanis pacem expeteret: qui ad Gallias proficiſcens apud Barcinonem fraude ſuorum occiſus eſt.

Alaricus moritur. Et in amne Baſento ſepelitur. Athaulfus rex Gothorum. Gallam Placidiam ducit uxorem. U. C. 1166. p. C. N. 414. Occiditur.

CAP. VIII. Poſt quem Genſericus regnum capiens, dum pacem Romanis ſervare diſponit: & ipſe à ſuis peremptus eſt. Deinde Wallia regnandi jura ſuſcepit: ad hoc electus à Gothis, ut pacem infringeret, ad hoc à Deo ordinatus, ut confirmaret. Interea comes Stilico Vandalorum perfidæ & doloſæ gentis genere editus, Eucherium, ut dictum eſt, filium jam à puero Chriſtianorum perſecutionem meditantem, ut Imperio ſubſtitueret, ante biennium Romanæ irruptionis gentes, copiis, viribuſque intolerabiles, hoc eſt Alemannorum, Suevorum, Vandalorum, Burgundionum, ultro in arma ſuſcitavit: eaſque pulſare Gallias voluit, ut ſub hac neceſſitate à genero in filium extorquere poſſet Imperium. Tandem ubi Imperatori Honorio, exercituique Romano hæc tam ingentia damna patefacta ſunt: commoto juſtiſſime exercitu, occiſus eſt Stilico: qui ut unum puerum purpuram indueret, totius humani generis ſanguinem dedit. Occiſus eſt ipſe, Eucheriuſque filius ejus, paucique cum iisdem ſatellites tantarum molitionum puniti ſunt.

Genſericus rex Gothorum occiditur. Wallia Rex Gothorum. U. C. 1171. p. C. N. 419. Stiliconis Vandali machinationes. Occiditur. Ipſiuſque filius Eucherius.

CAP. IX. Eodem tempore clariſſima loca Urbis fluminibus dirupta ſunt, quæ inflammari ab hoſtibus nequiverunt. Inter hæc apud Britannias Gratianus tyrannus mox creatus occiditur. Cujus loco Conſtantinus ex infima militia, propter ſolam ſpem nominis, ſine merito virtutis eligitur: qui ad Gallias tranſiens, ſæpe à Barbaris incerto fœdere illuſus, detrimento magis Reipublicæ fuit quam augmento. Tunc duo juvenes locupletes, Didymus & Veridianus, acceptis propriis ſervulis & Vernaculis, ſeſe Patriamque à Barbaris & Tyranno defendere moliti ſunt. Adverſum hos Conſtantinus, CONSTANTEM filium ex monacho Cæſarem factum, cum quibusdam fœderatis Barbaris in Hiſpanias miſit. Conſtans Barbarorum fultus auxilio, eos primo prælio peremit: quibus Barbaris dum clauſtra Pyrenæi montis commiſſa fuiſſent, ab eis tota, quæ per Gallias bacchabatur, ferocitas gentium Hiſpanarum provinciis intromiſſa eſt. Itaque poſt multas ſtrages, incendia, & rapinas, tandem diviſis ſedibus, Barbari ad aratra converſi, Romanorum reſiduos ceperunt: ut ſocios amicoſque foverent.

Gratianus tyrannus. Conſtantinus pariter. Didymi & Veridiani machinationes. Qui perimuntur.

LIBER XIV.

CAPUT I.

IGitur Imperator Honorius, dum vires Reipublicæ quotidianis cerneret labefactari incommodis, virum ſtrenuum & bellicoſum Conſtantium comitem ad Gallias cum exercitu miſit. Is mox ut Galliam ingreſſus eſt, continuo Conſtantium tyrannum apud Aretalem exſtinxit. Conſtans vero ejus filius à Geruntio ſuo comite Viennæ peremptus eſt. In cujus locum Gerontius Maximum quendam ſubſtituens, à militibus ſuis jugulatur. Maximus deinde purpura exutus in Hiſpania exulans obiit: exinde (3) JOVINUS apud Gallias mox ut aſſurrexit, cecidit. SEBASTIANUS tyrannus frater ejus continuo creatus occiſus eſt. Tertullus Conſul, qui ſe principem in Senatu futurum gloriatus eſt, pari nihilominus exitu periit. Attalus à Gothis Imperator effectus eſt. Poſtmodum captus à Conſtantio, miſſuſque Honorio, truncata manu: vitæ relictus eſt. Heraclius quoque cum Sabino genero cum tribus millibus ac ſeptingentis navibus ex Africa Romam tendens, ſed per occurſum comitis marini territus, & in fugam verſus, arrepta navi ſolus Carthaginem rediit, ibique peremptus eſt. Hos omnes Honorius optima religione, magnaque Conſtantii induſtria ſuperavit. Merito ſane: nam his diebus præcipiente Honorio, favente Conſtantio, ſopitis apud Africam hæreticis, pax eccleſiis redditur: in qua fulgentiſſimus tunc apud Hipponem Regium, totiuſque magiſter Eccleſiæ florebat Auguſtinus.

Tyranni Conſtantius. Conſtans. Maximus. Jovinus. Sebaſtianus. Tertullus. Attalus. Heraclius & Sabinus pereunt.

CAP. II. Interea Wallia Gothorum rex Dei judicio territus: Placidiam apud ſe honeſte habitam, exigente Conſtantio, fratri Honorio reddidit: pacemque cum eo datis obſidibus pepigit: ſeque pro Romanis adverſum Barbaros, qui Hiſpanias invaſerant, pugnaturum ſpopondit. Mittunt è contrario Wandalorum, Suevorumque reges principi Honorio legationem his verbis: *Tu cum omnibus pacem habe: omnium obſides accipe: Nos nobis confligimus: nobis perimus. Vicimus tibi, tuæ erit quæſtus Reipublicæ ſi utrique pereamus.* His itaque tantis

Wallia Placidiam Honorio reddit. Legatio Wandalorum & Suevorum ad Honorium.

(3) Jovinus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 531. vid. Tab. XXXIX. num. 2.

tantis incommodis, Deo favente, ſopitis, Honorius Gallam Placidiam germanam ſuam, Conſtantio ſuo Comiti, fide integerrimo, & ingenti viro jam dudum promiſſam, magno cunctorum gaudio ſociavit, ex qua Valentinianum filium Conſtantius genuit, qui poſtea Reipublicæ Imperium geſſit.

Placidia Conſtantio nubit. U.C.1169.P.C.N.417.

CAP. III. Hoc in tempore fœdus Conſtantius pepigit firmiſſimum cum rege Gothorum Wallia, tribuens ei ad habitandum Aquitaniam Galliæ provinciam, ejuſdemque provinciæ quaſdam civitates vicinas. Cernens itaque Honorius ubique ſe CONSTANTII virtute & ingenio, ſeu per bella, ſeu pacis moderatione tueri, eum cunctis adnitentibus apud Ravennam in regni conſortium adſcivit, qui nec dum ſeptem menſibus evolutis, ex hac luce ſubtractus eſt. His diebus apud Bethlehem Paleſtinæ, beatiſſimus Hieronymus, expletis nonaginta & octo vitæ annis ad Chriſtum migravit. Sequenti tempore, Maximus apud Hiſpanias factione Joviniani, qui tunc in re militari primus habebatur, tyrannidem arripuit. Nec multo poſt ſuperati utrique & capti ab Honorii exercitu, eidem cum apud Ravennam tricennalia ſua perageret, præſentantur.

Fœdus Honorii cum Wallia. U.C.1171.P.C.N.419. Cui Aquitaniam concedit.

Conſtantium in regni conſortium adſciſcit.

Maximus tyrannus.

Ab Honorio victus.

CAP. IV. Hac tempeſtate Britanni, Scotorum, Pictonumque infeſtationes non ferentes, Romam mittunt, ac ſub ſubjectione promiſſa, contra hoſtes auxilia flagitant. Quibus ſtatim ab Honorio miſſa militum legio, magnam Barbarorum multitudinem ſtravit, ceteroſque Britanniæ finibus expulit. Sed mox, ut deceſſere Romani, advectis iterum navibus, hoſtes obvia quæque ſibi conculcant ac devorant. Rurſumque advolant Romani, cæſumque hoſtem trans maria fugant.

Britannis auxilium mittit Honorius.

CAP. V. Hoc tempore dum Wandali, Alanique Hiſpaniam infeſtarent, Honorius ad eas defenſandas, Caſtinum ducem cum exercitu dirigit: qui Caſtinus præclarum virum Bonifacium, ac bellicis artibus exercitatum, inepto & injurioſo ſuo imperio, ab expeditionis ſuæ ſocietate avertit. Bonifacius vero periculoſum ſibi indignumque ratus eum ſequi, quem diſcordem ſuperbientemque expertus eſſet, celeriter ſe ad portum urbis, atque inde ad Africam proripuit: magnumque poſtmodum Reipublicæ detrimentum, totiusque Africæ cauſa excidii extitit. Caſtinus vero tanto collega ob ſuam intemperantiam privatus, nihil dignum in Hiſpaniis geſſit.

Caſtinus ad defenſandam Hiſpaniam mittitur.

Bonifacium collegam offendit.

CAP. VI. Inter hæc Placidia Auguſta à fratre Honorio pulſa, ad Orientem cum Honorio & Valentiniano filiis profecta, (4) à THEODOSIO AUGUSTO, Arcadii alterius Germani ſui filio, honorifice libenterque ſuſcepta eſt. Honorius vero poſtquam cum minore, de quo præmiſſum eſt, THEODOSIO Arcadii Germani ſui filio, annis XV. imperaſſet: cum jam antea cum fratre XIII. annis, ac ſub patre XII. regnaſſet; Rempublicam ut cupierat, pacatam relinquens, apud Urbem Romam vita exemptus eſt: corpuſque ejus juxta Beati Petri Apoſtoli atrium in Mauſolæo ſepultum eſt. Huic ſoboles nulla fuit. Nam duæ Stiliconis filiæ, id eſt, Maria & Hermantia, una, poſt alteram ei conjugio ſociatæ, utræque Dei judicio inopinata morte præventæ, ex hac luce virgines migravere. Fuit ſane Honorius moribus & religione patri Theodoſio non valde abſimilis: cujus temporibus quamvis multa externa bella ſurrexerunt, vel nullo, vel minimo ſanguine quieverunt.

Placidia ad Theodoſium fugit. U.C.1175.P.C.N.423.

Honorius moritur. U.C.1175.P.C.N.423.

Ejus uxores.

Ejus indoles.

CAP. VII. Exempto rebus humanis Honorio, fultus præſidio Caſtini magiſtri militum Joannes invadit Imperium, anno ab Urbe condita cIↃ CLXXVII. Theodoſius Arcadii filius, quadrageſimus tertius regum Romanorum, Orientale regebat Imperium. Qui comperto patrui ſui Honorii funere, mox Valentinianum amitæ ſuæ Placidiæ filium Cæſarem effectum, cum matre ſua Auguſta ad recipiendum Occidentis dirigit regnum. Quo tempore Joannes, dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bellare poſcit, ad defenſionem ſui infirmior factus eſt. Denique veniens Placidia Auguſta & Valentinianus Cæſar, mira felicitate eum continuo opprimunt, regnique gubernacula victores arripiunt: quorum tunc milites crudeliter Ravennam depopulati ſunt, eo quod illius maxime cives tyrannicæ parti favisſent. Caſtinum vero magiſtrum militum damnat exilio, cujus arripuiſſe factione Joannes tyrannidem credebatur. Data Aëtio venia, eo quod Hunni, quos per ipſum Joannes acceperat, ejus ſtudio remeaſſent ad propria. (5) VALENTINIANUS igitur conſenſu totius Italiæ Imperator efficitur. Itemque ex decreto Theodoſii Auguſtus appellatur.

Joannes Imperium invadit.

A Valentiniano opprimitur.

Valentinianus Imperator. U.C.1177.P.C.N.425.

CAP. VIII. Dum hæc geruntur, Archillas nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatum eſt: donec imminente Aëtio, non impuniti abſceſſerunt. Bonifacius inter hæc apud Africam potentia, gloriaque augebatur. Mittuntur adverſus eum Mavortius & Galbio: qui dum Bonifacium obſidere parant, ab eo interempti ſunt. Exinde gentibus, quæ uti navibus neſciebant: dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum eſt. Rurſus contra Bonifacium Sigiſuldus comes dirigitur. Bonifacius vero ſentiens ſe non poſſe tuto Africam tenere, cernenſque ſibi periculum inſtare, in perniciem Reipublicæ effervefcens, Wandalorum, Alanorumque gentem cum Genſerico ſuo rege ab Hiſpanis evocatos, Africæ intromiſit: qui cunctam pæne Africam ferro, flamma, rapinis crudeliſſime devaſtantes, catholicam inſuper fidem Arriana impietate ſubvertere. Sub hoc turbine beatiſſimus, de quo præmiſſum eſt, Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, ne civitatis ſuæ ruinam cerneret, tertio ejus obſidionis menſe, ſex & ſeptuaginta annis vitæ expletis, ex quibus quadraginta in clericatu, ſeu Epiſcopatu tranſegerat, ad Chriſtum perrexit.

Bonifacius potentia in Africa pollet.

Contra Sigiſuldus mittitur.

Bonifacius Wandalos in Africam vocat. U.C.1179.P.C.N.427.

S. Auguſtinus moritur. U.C.1182.P.C.N.430.

CAP. IX. Eodem tempore pace totius orbis ex mirabili conſenſione, Bonifacius ab Africa ad Italiam per Urbem rediit, accepta magiſtri

Bonifacius in Urbem redit.

(4) Theodoſio Auguſto) Theodoſii Junioris vultum ex MEDIOBARBO pag. 532. vide Tab. XXXIX. num. 3.
(5) Valentinianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 537. vide Tab. XXXIX. num. 4.

giſtri militum dignitate. Qui cum reſiſtentem ſibi Aëtium prælio ſuperaſſet: paucis interjectis diebus, morbo exſtinctus eſt. Aëtius vero, cum depoſita dignitate in agro ſuo degeret, ibique eum quidam ejus æmulus, repentino incurſu opprimere tentaſſet, profugit ad Urbem, atque illinc ad Dalmatiam: deinde Pannonias ad Hunnos pervenit: quorum amicitiis, auxilioque uſus, pacem principum & jus interpolatæ poteſtatis obtinuit: nec multo poſt patriciatus etiam dignitatem adeptus eſt. Poſt eam igitur, quæ præmiſſa eſt, Africæ cladem, data per Trigetium ad habitandum Wandalis Africæ portione, pax eisdem neceſſaria magis, quam utilis data eſt.

Et moritur. Aetius. — Hunnos adverſus Valentinianum excitat. — Wandalis pax data.

CAP. X. His etiam temporibus Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem, Aëtius patricius bello obtrivit, pacemque ei ſupplicanti conceſſit. Interea Gothi pacis placita perturbant, & pleraque municipia vicina ſuis ſedibus occupant. Cumque eſſent maxime oppido Narbonenſi infeſti, civesque ejus longa obſidione & fame affligerent: adveniens comes Litorius, hoſtes in fugam vertit: & civitatem allata frumenti copia à fame liberavit. Dehinc anno ſequenti, bellum adverſum Gotthos, Hunnis auxiliantibus, geſtum eſt. Hac tempeſtate Genſericus apud Africam intra habitationis ſuæ limites, cupiens catholicam fidem, Arriana impietate ſubvertere: quosdam noſtrorum Epiſcopos eatenus perſecutus eſt, ut eos privatos jure baſilicarum ſuarum etiam civitatibus pelleret, cum ipſorum conſtantia nullis ſuperbiſſimi regis terroribus cederet.

Gundicarius ab Aëtio victus. — Gothi Narbonenſem oppidum infeſtant. U.C. 1188. p. C. N. 436. — Genſericus. — Perſequitur Epiſcopos catholicos.

CAP. XI. His denique diebus Valentinianus Auguſtus ad Theodoſium principem ſuum fratruelem Conſtantinopolim profectus eſt: filiamque ejus uxorem accepit. Per idem tempus piratæ multas inſulas, præcipue Siciliam, populati ſunt. Inter hæc Litorius, qui ſecunda ab Aëtio patricia poteſtate Hunnis auxiliantibus præerat, dum Aëtii gloriam ſuperare appetit: dum Aëtii gloriam ſuperare appetit: dumque Aruſpicum reſponſis, & dæmonum ſignificationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conſeruit: ac primum quidem magnam hoſtium ſtragem dedit. Poſtmodum vero ſuis pæne omnibus trucidatis, ipſe à Gothis turpiter captus eſt. Poſtremo pax cum iisdem facta eſt, cum eam Romani poſt hujus lacrymabilis belli perniciem, humilius, quam unquam antea popoſciſſent.

Valentinianus Conſtantinopolim proficiſcitur. — Litorius. — Infeliciter cum Gothis pugnat.

CAP. XII. Aëtio itaque rebus, quæ in Galliis componebantur, intento, Genſericus, de cujus amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis invadit, omnesque opes ejus, excruciatis diverſo genere tormentorum civibus, in jus ſuum vertit: nec ab eccleſiarum ſpoliatione abſtinens, quas ſacris vaſis exinanitas, & ſacerdotum adminiſtratione privatas, non jam divini cultus loca, ſed ſuorum eſſe juſſit habitacula, in univerſum captivi populi ordinem ſævus: ſed præcipue nobilitati & religioni infeſtus, ut omnino non poſſet agnoſci, hominibus magis, an Deo bellum intuliſſet. Igitur Carthago ab Wandalis hoc modo capta eſt, annis quingentis octoginta & quinque evolutis, poſtquam Romano cœperat juri parere. Sequenti deinde anno, Genſericus ad Siciliam tranſiens, dum magnis eam calamitatibus affligeret, accepto nuntio de (6) Sebaſtiano, qui ab Hiſpanis ad Africam tenderet, celeriter Carthaginem rediit, ratus periculoſum ſibi, ac ſuis fore, ſi vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuiſſet. Verum ille amicum ſe magis quam hoſtem videri volens, dum de regis Barbari amicitiis improviſe præſumpſit, infelici morte peremptus eſt.

Genſericus Carthaginem capit. — Et ſpoliat. — Siciliam affligit. Sebaſtianus. — Occiditur.

CAP. XIII. Poſt hoc Imperator Theodoſius bellum contra Wandalos movit, Arovindo, & Auſila, atque Germano ducibus magna cum claſſe directis, qui longis cunctationibus differentes negotium, Siciliæ magis oneri quam Africæ præſidio fuere. Per hæc tempora Hunnis Thracias, & Illyricum ſæva populationi vaſtantibus, exercitus, qui Siciliæ morabatur, ad defenſionem orientalium provinciarum revertitur. Sub his fere diebus ita terribili terræ motu Roma concuſſa eſt: ut plurimæ ejus ædes, ædificiaque corruerint. Britanni itaque, de quibus præmiſſum eſt, cum rurſus Scotorum, Pictonumque incurſionibus premerentur, mittunt Aëtio epiſtolam lacrymis, ærumniſque refertam, ejusque quantocius auxilium efflagitant: quibus cum Aëtius minime annuiſſet, eo quod contra viciniores hoſtes occupatus exiſteret: quidam Britannorum ſtrenue reſiſtentes hoſtes abigunt: quidam vero coacti hoſtibus ſubjiciuntur. Denique ſubactam Picti extremam ejusdem inſulæ partem, eam ſibi habitationem fecere: nec ultra exinde hactenus valuerunt expelli. At vero reſidui Britannorum, dum continuos Scotorum impetus formidarent, ultro jam de Romanorum præſidio diffidentes, Anglicorum gentes cum ſuo rege Vertegerno ad defenſionem ſuæ patriæ invitavere: quos amicabili ſocietate exceptos, verſa in contrario vice, hoſtes pro adjutoribus, impugnatoresque ſenſere.

Theodoſii bellum contra Wandalos. — Hunni Thraciam & Illyricum vaſtant. — Britanni à Romanis contra Pictos & Scotos auxilium petunt. — Quod dum non impetrant, Anglos vocant.


CAP. XV. Sequenti deinceps tempore gens Anglorum, ſive Saxonum Britanniam tribus longis navibus advehitur: quorum dum iter proſperum domi fama retuliſſet, mittitur nihilominus exercitus multiplex: qui ſociatus prioribus, primum hoſtes, propter quos petebatur, abigit. Deinde in Britones arma convertens, convicta occaſione, quaſi pro ſe eis militantibus minus ſtipendia præparaſſent, totam prope inſulam ab orientali ejus plaga, uſque ac occidentalem incendio ſibi, ſeu gladio ſubegit. At vero Theodoſius, dum abſque viginti uno ſuperioribus annis, quos cum Honorio patruo regnaverat, ſeptem & viginti annis Imperium geſſiſſet, ex quibus & cum Valentiniano genero XXV. tranſegit, apud Conſtantinopolim morbo conſumptus obiit, ibique ſepultus eſt.

A quibus fugatis hoſtibus, ſubiguntur. — Theodoſius moritur. U. C. 4202. p. C. N. 450.

LIBER

(6) Sebaſtiano) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 531. vide Tab. XXXIX. num. 5.

Tab. XXXIX.
ad pag. 201. 206. 207
208. 209. 211.



LIBER XV.

CAPUT I.

Marcianus Imperator Orientis. U. C. 1202. p. C. N. 450.

Anno ab Urbe Condita cIↃccIV. defuncto Theodosio, quadragesimo quarto in numero, Marcianus Orientali aulæ præficitur Imperator. Ceterum Valentiniani tempore hujus vel superioris Imperatoris curriculis ascribuntur. Igitur Valentinianus Occidui rector Imperii, pacis ea tempestate fœdera cum Genserico Wandalorum rege firmavit: certisque spatiis Africa inter utrosque divisa est. Gensericus de rerum successu tumidus, dum etiam apud suos superbiret, valida adversus eum conspiratio est facta. Quorum molitione detecta, diversis ab eo excruciati periere suppliciis. Horum siquidem funeribus, non minus virium amisit, quam si exsuperatns belli certamine fuisset.

Cum Genserico pacem firmat.

Attilæ Regis Hunnorum devastationes.

CAP. II. Interea rex Hunnorum (7) Attila, dum cum fratre Bleda regnum intra Pannonias, Daciamque gereret: Macedoniam, Mysiam, & Achaiam, utrasque etiam Thracias immanissima rabie devastaret: Bledam suum germanum regnique consortem peremit, ejusque sibi parere populos compulit. Fultus itaque fortissimarum gentium, quas sibi subjugarat, præsidio, ad Occidentale moliendum animum intendit Imperium. Erant siquidem subjecti ejus dominio rex ille Gepidarum famosissimus Ardaticus. Walamir etiam Gothorum regnator, Niso ipso, cui tum serviebat, rege nobilior: fortissimæ nihilominus gentes Marcomanni, Suevi, Quadi, præterea Heruli, Turlingi, sive Tungricum propriis regulis, aliæque præter has Barbaræ nationes Aquilonis in finibus commorantes.

Gentes ei subjectæ.

CAP. III. Horum omnium Attila superbus Imperium quamquam virium robore facile se posse adipisci putaret, quod cuperet, non minori tamen consilii astutia, quam armorum fortitudine hostes aggredi satagebat. Prævidens itaque sagacitate, qua callebat, non sibi fore tutum, si Gothi, qui intra Gallias morabantur, Romanis auxilio jungerentur: amicum se Gothis simulans, adversum Romanos se adserit præliaturum: Romanorumque è diverso quasi amicitias appetens, in Gothos eorum videlicet hostes se pollicetur arma moturum. Agebat itaque hæc versuta barbaries: quatenus si hos posset à societate dividere, facilius utrosque singulari certamine proculcaret. Quas ejus astutias Aëtius non minori acumine prævidens, legatos ad Theodoricum, qui eo tempore Gothis apud Tolosam regnabat, dirigit: qui cum eo pacis fœdera sociarent. Annuit, juxta Aëtii votum Romanorum legatis Theodoricus: jungitque cum eis non minus sibi prospiciens firmissimum fœdus, promittitque se pariter pugnaturum.

Romanos aggredi satagit.

Aëtii & Theodorici contra Attilam fœdus.

Romanorum confœderati.

CAP. IV. Fuere interea Romanis auxilio Burgundiones, Alani cum Sangibano suo rege, Franci, Saxones, Riparioli, Labrones, Sarmatæ, Armoritiani, Liticiani, ac pene totius populi Occidentis. Quos omnes Aëtius ne impar Attilæ occurreret, ad belli adsciverat societatem. Convenitur ex utraque parte in campos Catalaunicos, qui centum in longitudine leucis, & ex latitudine sepruaginta, ut Gallis mos est metiri, feruntur. Attila itaque primo impetu, mox ut Gallias ingressus est, Gundicacium Burgundionum regem, sibi occurrentem; protrivit. Deinde cum ad locum certaminis ventum esset, inquirit aruspicem, *si quid sibi de belli sorte venturum prædicaret.* Qui arte dæmoniaca exta pecudum perscrutans, Attilæ infausta denuntiat: hoc tamen quantulumcunque solatium fore, quod summus de parte hostili in certamine ductor occumberet.

Conveniunt in Campis Catalaunicis.

CAP. V. Attila, dum hæc de Aëtii interitu, cujus mortem sitiebat, denuntiari putaret: non dubitavit vel cum suorum perditione bellum committere, dummodo Aëtium suis moribus fortiter obsistentem posset extinguere. Committit itaque pugnam, jam in vesperum die vergente: ut si superaretur ab hostibus, imminentis se noctis tenebris occultaret. Conveniunt hinc inde fortissimæ nationes, conseruntur acies: fit bellum acre nimis, & pertinax, quale vix ulla narratur historia: nec antea præliandi ardore quievere, quam eis nox superveniens pugnandi voluntatem adimeret. Eo siquidem prælio, CLXXX. millia hominum cæsa referuntur. Tantumque est sanguinis effusum, ut parvulus, qui ibidem labebatur rivulus, immodicus subito torrens effectus, cadavera secum traheret peremptorum. Attilam autem de morte Aëtii sua suspicio fefellit. Nam incolumi Aëtio rex ibi Gothorum Theodoricus occubuit. In quo prælio quamvis neuter cessisset exercitus, constat tamen Attillam fuisse superatum. Qui cum die altera intra plaustrorum munimenta se continens erumpere non auderet: nec tamen cessaret tubis, & clamore perstrepere.

Pugna committitur. U. C. 1203. p. C. N. 451.

Magna atrocitate.

Theodoricus occiditur.

CAP. VI. Turismundus Theodorici regis filius dolens de paterno funere, statuit Attilam obsidione coartare: & eum ejusque exercitum ad internecionem usque delere. Tunc Attila de vitæ fiducia jam desperans, ex equitatoriis ingentem pyram sellis construxit: ut ibidem se Gothis imminentibus, supposito igne cremaret, nec aut quisquam de ejus lætaretur vulnere, aut rex tantarum gentium in potestatem hostium deveniret. Aëtius verò caute perpendens, Romanos à Gothis perempto Attila deprimi, nec deinceps adversum Gothos, si necessitas incumberet, habere solatium, filio Theodorici, quasi ejus rebus consulens, persuadet,

Attilæ desperata consilia.

Aëtii consilia versuta.

(7) Rex Hunnorum Attila) Hujus Vultum ex MEDIOBARBO pag. 546. vide Tab. XXXIX. num. 6.

ſuadet, ut domum reverteretur, regnum paternum arriperet: ne ſi ab ejus invaderetur germanis, acerbius ei eſſet cum ſuis, quam cum hoſtibus dimicare. Hoc ille conſilium tanquam pro ſua ſalute prolatum libenter amplectens, domum reverſus eſt, regnumque paternum ſuſcepit.

Attilam ab interitu liberant.

CAP. VII. Ceterum Aëtius & ob hoc talia machinatus eſt, ut Attilam ab ejus impreſſione ſubduceret. Inſcia heu mens hominum, quantum hac proviſione detrimentum patriæ, dum avertere cupit, ingeſſit. At vero Attila cernens ſe relictum, hoſtes ad propria remeaſſe, erectis animis, ac ſpe ſalutis elevatus, Pannonias repedavit: multoque potiorem exercitum coacervans, Italiam furibundus introiit: ac primum Aquileiam civitatem, in ipſo Italiæ ſitam, principio expugnare aggreſſus eſt. Quam continuo triennio obſidens, cum adverſus eam, ſtrenue civibus repugnantibus, nihil prævaleret, jamque murmur ſui exercitus non valentis famis tolerare penuriam audiret: cum die quadam civitatem circuit, ut ex qua eam parte facilius poſſet expugnare inquireret: cernit repente aves in ædificiorum faſtigiis nidificare ſolitas, quæ Ciconiæ vocantur, uno impetu ex urbe migrare, fœtusque ſuos ſublatos, roſtris per rura forinſecus deportare. *Adſpicite*, inquit ad ſuos, *jam aves futurorum præſcias, perituram relinquere civitatem.* Statimque adhibitis machinis, tormentisque, hortatur ſuos: acriter expugnat urbem, ac ſine mora capit, diripiuntur opes captivantur, vel trucidantur cives, reſiduum direptionis igni ſuppoſito flamma conſumit.

Attila Aquilejam obſidet. U. C. 1205. p. C. N. 453.

Et expugnat.

CAP. VIII. Fuerat ſiquidem in ea civitate fœminarum nobiliſſima Dugna nomine, forma quidem eximia, & candore pudicitiæ amplius decorata. Hæc dum habitaculum ſupra ipſa urbis mœnia haberet, turremque excelſam ſuæ domui imminentem, ſub qua Natiſſa fluvius vitreis labebatur fluentis: ne ſordidiſſimis hoſtibus ludibrium fieret, animæque pulchritudinem velut illata libidine vitiaret, mox ut ingreſſum hoſtium, captamque urbem præſenſit, è ſumma ſe eadem turre obvoluto capite in gurgitem præcipitem dedit: metumque amittendæ pudicitiæ memorabili exitu terminavit.

Dugnæ fœminæ nobiliſſimæ factum egregium.

CAP. IX. Plura præterea ejusdem regionis caſtella immanis hoſtis, vel captivatis civibus, ſuccendit ac diruit. Concordiam, Altinum, ſive Patavium vicinas Aquileiæ civitates, fulminis inſtar demolitionis ſolo coæquavit. Exinde per univerſas Venetiæ urbes, hoc eſt, Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, ſeu reliquas, nullo reſiſtente, Hunni bacchabantur. Mediolanum, Ticinumque pari ſorte diripiunt: ab igne tamen abſtinentes & ferro. Deinde Æmiliæ civitatibus ſimiliter exſpoliatis, noviſſime eo loco, quo Mincius fluvius in Padum confluit, caſtra metati ſunt. Ubi Attila conſiſtens, dum utrum adiret Romam, an deſiſteret, animo fluctuaret: non Urbi, cui infeſtus erat, conſulens, ſed Alarici exemplum pavens, qui captæ à ſe Urbi non diutius ſupervixit.

Ulteriores in Italia Attilæ progreſſus.

Romam petere Attila cogitat.

CAP. X. Dum ergo has animo tempeſtates revolveret, repente illi legatio placidiſſima à Roma advenit. Nam per ſe vir ſanctiſſimus Leo Papa ad eum acceſſit. Qui cum ad regem Barbarum ingreſſus eſſet, cuncta, ut optaverat, obtinens: non ſolum Romæ, ſed totius Italiæ ſalutem reportavit: territus namque nutu Dei Attila fuerat: nec aliud Chriſti ſacerdoti loqui valuit, niſi quod ipſe præoptabat. Fertur itaque poſt diſceſſum Pontificis interrogatum eſſe Attilam à ſuis, *cur ultra ſolitum morem tantam reverentiam Romano Pontifici adhibuerit, quandoquidem pene ad omnia, quæ ſibi ille imperaſſet, obtemperaret:* tum regem reſpondiſſe, *non ſe ejus qui advenerat, perſonam reveritum eſſe, ſed alium ſe virum juxta eum in habitu ſacerdotali aſtantem vidiſſe, forma auguſta & canicie venerabilem, illumque evaginato gladio ſibi terribiliter mortem minitantem, niſi cuncta, quæ ille expetebat, expleſſet.*

Sed per Leonem Pontificem dehortatur.

CAP. XI. Igitur Attila tali modo à ſua ſævitia repreſſus, relicta Italia, Pannonias repetit; ad quem Honoria, Valentiniani Principis Germana, dum à fratre ob decus pudicitiæ diſtricte ſervaretur, ſuum Eunuchum dirigit: quatenus eam ſibi à fratre in matrimonium extorqueret. Accepto itaque hoc Attila nuntio, qui jam Italiæ fines exceſſerat, nec ſtatim fatigato exercitu regredi poterat, mandat Valentiniano Imperatori, minitans peiora ſe proxime illaturum Italiæ, niſi mox ei ſuam germanam cum parte regni debita transmiſiſſet. Qui reverſus ad proprias ſedes, ſupra plures, quas habebat uxores, puellam valde decoram indicto nomine, ſibi in matrimonium junxit. Ob cujus nuptias profuſa convivia exercens, dum tantum vini, quantum nunquam antea inſimul bibiſſet, cum ſupinus quieſceret, eruptione ſanguinis, qui ei de naribus ſolitus erat effluere, ſuffocatus & exſtinctus eſt. Eadem denique apud Conſtantinopolim nocte, Marciano Imperatori in ſomnis Dominus apparens, arcum Attilæ fractum oſtendit: quo ſcilicet armorum genere gens illa fidere in bello maxime ſolet.

Attila repetit Pannoniam. U. C. 1205. p. C. N. 453.

Honoriam Valentiniani ſororem ducit uxorem.

Sed in nuptiis moritur.

CAP. XII. Dum hæc geruntur, apud Britanniam Pelagianæ hæreſeos aſſertores Britannorum tentant ſubvertere fidem: qui à Gallorum Epiſcopis auxilium petentes, ad rectæ fidei defenſionem ſanctiſſimum virum Germanum, multisque jam virtutibus clarum, Altiſiodorenſis Eccleſiæ epiſcopum accipiunt: & Lupum Tracaſenum præſulem, atque Apoſtolicæ gratiæ virum, qui non minus ſignorum miraculis, quam doctrinæ verbis, omnes ad ſanæ fidei confeſſionem reduxerat. Ecce autem adhuc ibidem ſanctis Epiſcopis exiſtentibus, valida Saxonum, Pictonumque manus Britanniam advehitur. Nihilominus Britones mox arma corripientes, hoſtibus obviam pergunt: cum quibus beatiſſimus Germanus Epiſcopus ſponte ſe offerens, una pergit ad prælium. Cumque ipſe dux belli ante confectam aciem conſtitiſſet jamque hoſtes conglobati propius adventarent, non tubæ clangoribus, non gladiis fidens, imperat ſolummodum ſanctus antiſtes: *ut, cum ipſe prior inclamaſſet, omnes voce conſona eundem reſponderent ſermonem.* Moxque elevata magna voce, *Alleluja* ſonavit:

Pelagiana hæreſis in Britannia opprimitur.

Saxones & Picti Britannos infeſtantes

Miraculoſe vincuntur.

vit: cumque omnis exercitus sublato ad sidera clamore, *Alleluja* respondisset: cunctaque per circuitum loca resultassent, continuo tantus hostes pavor invadit, ut dissoluta acie fugam arripientes, ac si singulorum cervicibus gladius immineret, tremebundi ad propria refugerent. Igitur quia virtus semper invidiam parit: Valentinianus Imperator, quantum res docuit, prosperos Aëtii successus, ut præmissum est, pertimescens, eum, simulque Boëtium senatorem nobilissimum gladio peremit. Ita vir bellicosissimus Aëtius, & quondam Attilæ regis potentissimi terror occubuit: cum quo pariter & Occidentis Imperium, salusque Reipublicæ corruit: nec hactenus ultra valuit relevari. Sed nequaquam Valentiniano mors Aëtii impune cessit, nam & ipse anno sequenti à Trasila Aëtii milite, cum XXX. annis Imperium gessisset, confossus interiit. E quibus cum Theodosio socero XXV. cum Marciano V. imperavit.

Aëtius & Boëtius à Valentiniano occiduntur. U. C. 1206. p. C. N. 454.

Valentinianus confoditur.

CAP. XIII. Mortuo Valentiniano regni jura MAXIMUS apud Urbem invadens, nec dum duobus expletis mensibus, à Romanis peremptus est. Continuo advectis ex Africa navibus, adest Gensericus cum validissimo suæ gentis exercitu, fultus insuper præsidio Maurorum, cum adhuc Romanæ ecclesiæ beatissimus Leo ageret pontificatum. Percussis itaque Romanis tam terribili nuntio, nobilibusque simul, aut popularibus ex Urbe fugientibus, Urbem omni præsidio vacuam, Gensericus obtinuit; occurrentes sibi extra portam eodem sancto Leone episcopo: cujus supplicatio ita eum, Deo adjuvante, lenivit: ut quia omnia potestati ejus essent tradita, ab igne tamen & cæde abstinerent, atque suppliciis quatuordecim interim dies secura, & libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est. Multaque millia captivorum, prout cuique ætate an arte placuerunt: cum regina Eudoxia, quæ Gensericum ad hoc facinus invitaverat: duabusque ejus filiabus Carthaginem abductæ sunt.

Maximus perimitur. U. C. 1206. p. C. N. 455.

Gensericus Romam occupat.

Eudoxia cum filiabus Carthaginem abducitur.

CAP. XIV. Capta itaque hoc modo à Genserico Roma est, postquam eam primo Alaricus invaserat. Sed jam vice expletis ab eo tempore XLIII. annis, à conditione sua cIↃ CC. atque VIII. evolutis. Relicta itaque Urbe, per Campaniam sese Wandali Maurique effundentes, cuncta ferro, flammisque consumunt: quidquid superesse potest, diripiunt. Captivamque nobilissimam civitatem ad solum usque adjiciunt, captivant, prædantur. Nolam nihilominus Urbem ditissimam, aliasque quamplures pari ruina prosternunt. (*a*) Neapolim præterea, quasque ob infirmitatem capere non poterant, rebus agrariis exinanitas relinquunt, quicunque gladio superfuerant, captivitatis jugo subjiciuntur.

Wandalorum in Campania sævitia.

CAP. XV. Inter has procellas vir piissimus Paulinus Nolanæ urbis episcopus, postquam quidquid habere potuit in captivorum redemptionem expendit: novissime cum nihil ei aliud, nisi ipse sibi solummodo superesset, pro cujusdam viduæ filio maternas non valens ferre piis visceribus lacrymas: cum eadem ad Africam proficiscens, quo jam hostes descenderant, sese barbaro viro vice vicaria in servitium tradidit, cujus sanctitas cum apud eandem barbaram gentem Dei nutu cognita fuisset: demum cum omnibus suis civibus ad Urbem propriam remeavit. At vero Gensericus, postquam ditatus Italiæ opibus ad Africam regressus est: Valentiniani principis natam, quam ab Urbe captivitatis sorte abduxerat, Transimundo filio suo in matrimonium copulavit, ex qua Hildericus natus est, qui quartus postmodum à Genserico in Wandalis apud Africam regnavit. Recedente igitur ab Urbe Genserico, Romani insequenti mense exinanitæ Reipublicæ Imperatorem (8) AVITUM præficiunt. Wisigothæ quoque circa hæc tempora cum rege suo Theoderico, Theoderici filio, transcensis Pyrenæi jugis, Hispanias invadunt. At vero (9) MARCIANUS Imperator, cum apud Constantinopolim VII. annis regnum administrasset, facta suorum conspiratione peremptus est.

Paulini Episcopi Nolani singularis charitas.

Gensericus in Africam redit.

Transimundus filiam Valentiniani uxorem ducit.

Avitus Imperator Occidentis. U. C. 1206. p. C. N. 455.

Wisigothæ Hispaniam invadunt.

Marcianus perimitur.

LIBER XVI.

CAPUT I.

ANno ab Urbe Condita cIↃ CCXI. post Marciani Imperatoris interitum, (10) LEO quintus ac quadragesimus Romanorum Regum, apud Urbem Constantinopolim Augustali potitus est dignitate: qui deinceps sequenti tempore LEONEM suum filium, sui Imperii consortem effecit. Exempto quoque in Italia humanis rebus Avito, (11) MAJORIANUS apud Ravennam invadit Imperium: quod cum prope annis IV. obtinuisset, haud procul à Tertrionensi civitate juxta Hiriam flumen occisus est: statimque SEVERUS apud Ravennam Imperator efficitur, & Augustus appellatur. Tertio hujus Imperii anno, Biorgor rex Alanorum cum exercitu adveniens occurrente patritio Ricimere, superatus non longe à Bergomo civitate Venetiæ, atque exstinctus est. Severus cum quatuor annis imperasset, morte propria apud Urbem occubuit.

Leo Imperator Orientis. U. C. 1209. p. C. N. 457.

Majorianus Imperator Occidentis. U. C. 1209. p. C. N. 457.

Severus Imperator Occidentis. U. C. 1213. p. C. N. 461.

Moritur.

CAP. II. Eodem tempore egresso inopinate igne, magna Constantinopolis ædium strage cremata est. Deinde totius consensu militiæ, post Severi mortem, jura Imperii (12) ANTEMIUS

Antemius Imperator Occidentis.

(*a*) al. aliæque quamplures pari ruina prosternuntur.

(8) Avitum) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 542. vide Tab. XXXIX. num. 7.
(9) Marcianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 542. vide Tab. XXXIX. num. 8.
(10) Leo) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 544. vide Tab. XL. num. 1.
(11) Majorianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 547. vide Tab. XL. num. 2.
(12) Antemius) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 549. vide Tab. XL. num. 3.

U.C. 1219. p. C. N. 467. Servandus in exilium missus. Romanus occiditur.

temius suscepit. Sequenti anno SERVANDUS Gallorum præfectus, Imperium tentans invadere, jussu Antemii principis in exilium trusus est. Rursus annali emenso spatio, ROMANUS patritius Imperii jam fraudulenter satagens arripere dignitatem, præcipiente Antemio capite cæsus est. His quoque diebus Gensericus iterum Italiam adventare navibus cupiens, à Basilico patritio navali superatus certamine, Carthaginem inglorius repedavit. At vero in Orientis partibus Asper patritius, Leoni Augusto insidias moliens suum filium Cæsarem effecit. Leo victorem exercitum statim è Sicilia vocans, patritium cum novello Cæsare, alioque ejus germano, digno vitæ mulctavit excidio.

Gensericus victus.

Asper cum filio exilio mulctatur.

Discordiæ inter Antemium & Ricimerum.

CAP. III. Hoc denique ipso in tempore, inter Antemium principem, ejusque generum Ricimerem patritium, qui tunc Mediolani positus præerat Liguriæ, magnus discordiarum fames exortus est, cui se vir senectute conspicuus Epiphanius Ticinensis episcopus interponens, eos primum ad concordiam revocavit. Deinde Barbarica perfidia fœdus Ricimer rumpit (erat enim Gothus prosapia) cum manu mox valida ad Urbem contendit: atque apud Anienis pontem castra posuit. Divisa itaque Roma est: & quidam favebant Antemio, quidam vero Ricimeris perfidiam sequebantur.

CAP. IV. Inter hæc Olimbrius à Leone Augusto missus ad Urbem venit: vivoque adhuc Antemio, regiam adeptus est potestatem. Billimer Galliatum rector, cognita adversus Antemium conspiratione Ricimeris, Antemio ferre præsidium cupiens, Romam properavit. Is cum Ricimere apud Adriani pontem prælium committens, continuo ab eo superatus atque occisus est. Exstincto Billimere, mox victor Ricimer Urbem invadens, IV. jam annos agentem jura Imperii Antemium gladio trucidavit. Præter famis denique morbique penuriam, quibus eo tempore Roma affligebatur, insuper etiam gravissime deprædata est: & exceptis duabus regionibus, in quibus Ricimer cum suis manebat: cetera omnia sunt prædatorum aviditate vastata. Sed non diutius de perfidia lætatus est Ricimer. Nam post mensem tertium excruciatus languoribus & ipse interiit.

Billimer occiditur.

Antemius à Ricimere trucidatur. Roma deprædatur.

Ricimer interit.

Olimbrius Imperator.

CAP. V. Mortuo Ricimere, OLIMBRIUS Imperator, Gundibarum ejus nepotem patritium effecit. Olimbrius quoque, dum septem menses Imperium gessisset, morte propria Romæ defunctus est. Post hujus funus, (13) LICERIUS domesticus à Gundibaro patritio, totius etiam voluntate exercitus, apud Ravennam Imperator efficitur. Anno deinde sequenti inopinate (14) NEPOS patritius cum exercitu veniens, Licerium regia exuit potestate: eumque apud Salonas, Dalmatiarum urbem Episcopum ordinavit.

Moritur. U.C. 1224. p. C. N. 472. Licerius Imperator. U. C. 1225. p. C. N. 473.

Nepos Imperator. U.C. 1226. p. C. N. 474.

Lites inter Nepotem & Euricum.

CAP. VI. Eo tempore cum apud Tolosam Wisigothorum populis Euricus regnaret, ac per Italiæ & Galliæ fineis inter Nepotem, & Euricum litium fomenta crevissent, bellumque è diverso utrique præpararent: interveniente Epiphanio, de quo præmissum est, Ticinensi Episcopo, fœdere inter eos jura firmata sunt. Haud procul ab his temporibus, Theodoricus cognomento Strabo, Triaci filius, cum magna Ostrogothorum multitudine, usque ad quartum Urbis milliarium armatus advenit: nulli tamen Romanorum noxius: continuoque ad Illyricum reversus, exstinctus est.

CAP. VII. Exigit nunc locus dicere, quam ob causam Gothorum alii Ostrogothæ, alii vero Wisigothæ sint dicti: opportunumque est aliquantulum ad superiora tempora regredi, quatenus horum ratio vocabulorum possit exponi. Temporibus Valentiniani superioris Augusti, cum intra Thraciæ fines Gothorum tunc populi communiter habitarent, bifarie per Alaricum ac Fridigernum divisi, decreverunt, ut utramque Rempublicam, id est, Fridigernus cum suis Orientalem: Alaricus vero cum suo exercitu Occidentalem opprimeret. Hi ergo, qui cum Fridigerno in Orientali remanserant parte, lingua patria ab Oriente Ostrogothæ, id est, Orientales Gothi dicti sunt. Isti vero, qui Occiduas petiere regiones, ab Occidente Wisigothæ, id est, Occidentales Gothi sunt appellati.

Gothi cur Ostrogothi & Wisigothi dicti.

CAP. VIII. Leo igitur Augustus, postquam Orientale, decem & septem annis rexit Imperium, diem clausit extremum. Mortuo Leone, (15) ZENO continuo Augustalem nactus est dignitatem. Leonem itaque, de quo præmissum est, quem pater Leo in regni adsciverat potestatem: mater sua, Zenonis Imperium formidans, occulte clericum fecit. Exigente autem vehementer Zenone, ut filium proderet, pro eo alium forma similem obtulit. Qui Leo deinceps in clericatu ad Justiniani usque tempora vixit. Ipso quoque anno (16) AUGUSTULUS apud Italiam adversus Nepotem cum exercitu veniens, effugato eo, Imperii regimen invasit. Annali deinceps circulo evoluto, cum rege Wandalorum Genserico fœdus initum est ab Oreste patricio.

Leo moritur.

Zeno Imperator Orientis. U. C. 1226. p. C. N. 474.

Augustulus Imperator Occidentis. U. C. 1227. p. C. N. 475.

CAP. IX. Hæc dum apud Romanos geruntur, Odoacer cum fortissima Herulorum multitudine, fretus insuper Tertullingorum sive Scyrorum auxiliis, Italiam ab extremis Pannoniæ finibus properare contendit: qui dum adhuc per Noricorum rura exercitum duceret, cognita Severini fama Christi domini servi, qui illis tunc degebat in locis, ad eum, ut sibi benedictionem petiturus accessit. Qui dum benedictione percepta, ab ejus egredi cellula vellet: & caput, ne superliminari ostii, eo quod proceræ esset staturæ, allideret, inclinasset: à Dei viro, futurorum præscio, mox talia audivit: *Vade nunc ad Italiam, vade Odoacer vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus.* Hæc ille verba re-

Odoacer Rex Herulorum.

Italiam petit.

A Severino benedictionem percipit.

(13) Licerius) vel Glycerius, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 550. vide Tab. XL. num. 4.
(14) Nepos) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 553. vide Tab. XL. num. 5.
(15) Zeno) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 551. vide Tab. XL. num. 6.
(16) Augustulus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 554. vide Tab. XL. num. 7.

ba rerum exitu comprobavit: nam aliquantis postmodum annis, totius Italiæ insuper & Urbis usus est potestate.

Odoacris progressus in Italia.

CAP. X. Ingresso itaque Italiam Odoacre, statim ei apud Liguriæ terminos Orestes, patritius occurrit, qui adversus fortissimam multitudinem nihil se prævalere conspiciens, maxime cum eum jam quidam suorum deseruissent, metu trepidus, intra Ticinum se munitionis fiducia conclusit. Mox adveniens cum exercitu Odoacer, expugnatam fortiter ingreditur civitatem: vastantur universa rapinis, sævit ubique gladius, divina quoque, privataque ædificia ignis absumit. Captus demum Orestes ab hostibus, Placentiam usque perducitur: ibique gladio detruncatur. Exinde per universas iidem Barbari urbes diffusi, cunctam sine aliqua tarditate Italiam juri proprio subdidere: multasque tunc civitates parantes resistere, exstinctis habitatoribus ad solum usque dejecere.

Odoacer regiam arripit dignitatem. U.C. 1229. p. C. N. 477.

CAP. XI. Odoacer itaque prosperos sibi cernens successus accrescere, statim regiam arripuit potestatem. Augustulus quidem, qui Imperii præsumpserat dignitatem, cernens universam Italiam Odoacris viribus subdi, inopinabili metu perterritus, sponte miserabilis purpuram abjiciens, cum vix XI. mensibus rempublicam obtinuisset, Imperialem deposuit majestatem. Ita Romanorum apud Romam Imperium toto terrarum orbe venerabile, & Augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto quondam Octaviano erecta est, cum hoc Augustulo periit, anno Urbis Conditæ, CIƆCCXXIX. A Cajo vero Cæsare, qui primo singularem arripuit principatum, anno IƆXVII: Ab incarnatione vero Domini anno CCCCLXXV.

Finis Regni Romani Occidentalis cum Augustulo. U.C. 1229. p. C. N. 477.

Odoacer Roma & Italia potitur.

CAP. XII. Igitur dejecto ab Augustali dignitate Augustulo, Urbem Odoacer ingressus, totius Italiæ adeptus est regnum: quod cum annis XIV. nullo inquietante tenuisset, ab Orientis tunc partibus veniens Gothorum rex Theodericus, Italiam possessurus intravit. Sed ut ad liquidum, ob quam causam, vel unde advenerit, possit agnosci: necesse est aliquantisper ad superiora repedare.

Theodericus Italiæ imperat.

Causa ejus adventus in Italiam altius petitur.

CAP. XIII. Walamir Ostrogothorum rex, de quo superiori bello præmissum est, quod Attilæ Hunnorum regi subjectus exstiterit: mox ut Attila occubuit, ab Hunnorum se suoque dominio, avitæ libertatis memor excussit. Idem quoque & Gepidarum rex Ardaricus, ceteræque Hunnis subjectæ faciunt nationes. Hunni vero dolentes Walamirum, ejusque exercitum, non solum se à suæ ditionis jugo excussisse, sed etiam ceteris nationibus, ut similia facerent, incentores fuisse: mox ut fugitiva mancipia eos insequentes, ad servitutem pristinam armis aggressi sunt revocare. Conglobatis itaque suis, super Hunnos Walamir irruit: tantaque in eos cæde grassatus est, ut de reliquo, qui superfuerant Hunni, Ostrogothorum arma formidarent. Leo denique Imperator cum Gothis post hæc Illyricum vastantibus, fœdus iniit: Ac Theodericum Thiodimeris filium, ex Arilena concubina genitum, ab Walamire ejus patruo obsidem accepit.

CAP. XIV. Occiso deinde Walamire à Scyris, Thiodimer ejus germanus, regia jura suscepit. Diviso deinceps regno, Thiodimer Orientis, Vindimer vero occiduum imperium sortitur devastandum. Sed mox, ut Vindimer Italiam ingressus est, rebus excessit humanis, successorem Vindimer filium relinquens. Vindimer vero, acceptis à Licerio tunc Imperatore muneribus, Gallias contendit: seseque cum parentibus Wisigothis jungens, unum populum effecit. Interea dum suavi patrata victoria Vindimer domum revertitur, Theodericum filium à Leone Imperatore missum, gratanter excepit: qui Theodericus, dum jam octavum decimum annum ageret, & inscio patre aliquantis secum satellitibus adscitis, vicinam sibi Sarmatarum gentem invadens, optima ex eorum navibus patri spolia, prædamque copiosam reportavit.

CAP. XV. Theodimere itaque vita decedente, universis adnitentibus, ad regni gubernacula Theodericus ascendit. Quod factum cum ad Zenonem Augustum perlatum esset, gratanter accepit: eumque ad se rursus evocatum Constantinopolim, magno simul & honore & divitiis extulit, in tantum, ut etiam consularibus eum fascibus sublimaret: quæ dignitas post Imperiale fastigium prima est: æneamque illi equestrem statuam ante suum palatium collocaret. At vero dum hujuscemodi Theodericus delitiis apud Constantinopolim affluerat, gens illius, id est, Ostrogothæ, dum eis per fidei sanctionem prædas agere more solito non liceret: nec tamen ab Imperatore oblata stipendia sufficere possent, cœpere non minimam egestatis penuriam pati. Execrantur fœdus compositum, vituperant inutilem pactionem, mittuntque continuo ad Theodericum, qui dicerent: *quod, cum ipse Græcorum epulis superflueret, illi inopiæ miserias sustinerent. Hortantur ut si suis, sibique consulere velit, citius redeat: quatenas ne cuncta gens pessundetur: & novas ad habitandum sedes exquirant.* His Theodericus cognitis, ad Augustum Zenonem confestim accedit: questus, insuper penuriamque suorum exponit: Italiam sibi dari postulat: absolutionem efflagitat, adjiciens: *quod si superare Odoacrem posset, Italiamque obtinere, ad ejus redundaret gloriam, à quo directus fuisset, si in bello superatus foret, nihilominus lucris accresceret: quandoquidem quotidianorum stipendiorum exactoribus careret.* Talia Zeno audiens, contristatus quidem est, eo quod eum nollet dimittere. Attamen deliberato consilio, Reipublicæ utilitati prospiciens, ejus petitionibus annuit: Italiam ei per pragmaticum tribuens, sacri etiam velaminis dono confirmavit: Senatumque illi, Populumque Romanum commendans, abire permisit.

Theodericus à Zenone honoratur.

CAP. XVI. Egressus igitur Constantinopolim Theodericus, ad Ostrogothas revertitur: hortaturque continuo, ut quam primum parati sint; quatenus possessuri Italiam proficiscantur. Attamen prius quam ad Italiam adventaret, Trasillam Gepidarum regem insidias sibi molientem, bello superans, exstinxit: Busamque Bulgarorum regem magna cum suis agminibus cæde prostravit. Egressus itaque à Mysia cum omni Ostrogothorum multitudine,

Theodericus Trasillam vincit, Busamque Bulgarorum regem.

Theodorici adventus in Italiam.

dine, universaque suppellectili, per Syrmium, Pannoniasque iter faciens, ad Italiam venit. Ac primum juxta Sontium flumen, quod non longe ab Aquileia labitur, castra componens, dum uberrimis, quæ eo loco habentur pascuis, fatigata aliquantulum ex itineris longitudine jumenta reficeret: ibi mox ei cum grandi suorum exercitu totius Odoacer Italiæ viribus occurrit. Quem Theodericus alacriter excipiens, magno superatum prælio postremo in fugam convertit. Exinde Theodericus movens, cum Veronam venisset: iterum adversus eum Odoacer non minori, quam prius, belli sese apparatu opponit. Contra quem Theodericus haud procul Veronensi urbe confligens, nimia ejus exercitum cæde contrivit: ipsumque pariter & omnem illius multitudinem dare terga coëgit. Qui dum fugæ metu se præcipites in Athesim fluvium mergunt: ex magna parte rapidissimis ejus gurgitibus impliciti, suffocantur. Theodericus vero, dum ipso impetu subsequitur fugientes, Veronam ilico, pavore civibus consternatis, invadit. Odoacer autem cum iis qui evaserant, fugiens, Romam contendit. Sed obseratis continuo portis, exclusus est. Qui cum sibi denegari introitum cerneret, omnia quæ attingere potuit, gladio, flammisque consumpsit. Inde quoque egrediens, Ravennam ingressus est. Ibique quibus se adversum hostes tueretur, munitionum præparare obstacula cœpit.

Odoacrum vincit. U. C. 1245. p. C. N. 493.

Theodericus Mediolanum pervenit.

CAP. XVII. Theodericus itaque à Verona digrediens, Mediolanum pervenit: ubi dum consisteret, magna ad eum multitudo militum, pluresque Italiæ populi convenere. Sed paucis interjectis diebus, rursus deditus totus exercitus, Tuffa quodam nomine instigante, Odoacris se partibus reddidit. Ea res Theodericum in tantum perterruit: ut se suumque exercitum apud Ticinensem urbem muniret. Talium rerum varietates Burgundionum rex Gundubadus adspiciens, Liguriam cum ingenti exercitu ingressus, cuncta quæ reperire poterat, pro voluntate diripiens, infinitum secum ad Gallias captivorum multitudinem adduxit.

Gundubadus Rex Burgundionum Liguriam diripit.

CAP. XVIII. Theodericus itaque aliquamdiu intra munitiones exercitum retinens, demum relictis sibi matre, sororibus, universaque vulgi multitudine, nihil plane dubius de Epiphanii viri sanctissimi fide, cum expeditis armatorum cuneis ad Odoacris obsidionem Ravennam perrexit: dumque eo loco, cui Pinetum nomen est, non procul ab Urbe castra posuisset, per continuum pene triennium Odoacrem obsedit. Qui cum frequenter ex Urbe cum suis egrediens, ejus exercitum inquietaret: novissime noctu in castra irruens, magna Theoderici exercitum strage prostravit. Victus ad extremum fortissime Gothis resistentibus, in Urbem confugit. Nec multo postea à Theoderico in fide susceptus, ab eo truculente peremptus est.

Theodericus Odoacrem Ravennæ obsidet.

Odoacer occiditur.

CAP. XIX. Egressis denique à Ticinensi urbe post triennium Gothis, eandem mox urbem Rugi invasere, cuncta per circuitum loca, simulque & civitatem continuum biennium populatione vastantes, cum beatissimus Epiphanius superesset: cujus in tantis periculis sanctitate cives relevabantur afflicti. Hic à Theoderico Gallias ad Gundubadum pro captivis redimendis directus, excepta innumera multitudine, pro quibus primum tribuit sex millia captivorum, ob solam sanctitatis suæ reverentiam sibi concessa secum reduxit. Igitur Theodericus exstincto apud Ravennam Odoacre, totius Italiæ adeptus est ditionem. Nec multo post Romam profectus, à Romanis magno gaudio susceptus est, quibus ille singulis tritici ad subsidium annis viginti millia modiorum concessit.

S. Epiphanius captivos redimit.

CAP. XX. Dum hæc apud Italiam geruntur, à Bulgaris universa Thracia devastatur. Constantinopolis etiam ipsis diebus maximo conflagravit incendio. At vero apud Africam Honoricus, qui mortuo Genserico in regnum successerat, Arriana perfidia, trusis in exilium, effugatisque amplius, quam CCCXXXIV. catholicis Episcopis, & ecclesiis eorum clausis, plebem variis suppliciis affecit. Et quidem innumeris manus abscindens, linguas eorum præcidit: nec tamen loquelam Catholicæ confessionis eripere potuit. Apud Britanniam quoque Ambrosius Aurelianus, qui solus forte Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, purpuram induit: Victoresque Saxones, Britonum ducens exercitum superavit sæpe. Atque ex eo tempore, nunc hi, nunc illi palmam victoriæ habuerunt: donec Saxones potentiores effecti, tota per longum insula potirentur.

Bulgari Thraciam devastant.

Honoricus Arrianos fovet.

Catholicos persequitur.

Saxones Britannia potiti.

CAP. XXI. Theodericus interea, ut sui regni vires constabiliret: Audefredam Ludovici Francorum regis filiam sibi in matrimonium junxit: Almafredam germanam suam, Wandalorum regi Honorico: ejus Almafredæ filiam Malabergam, Toringorum regi Ermenfredo: Theodicodo quoque & Ostrogotho ex concubina filias, alteram Alarico Wisigothorum regi, alteram Sigismundo Burgundionum consociavit. Amalasiuntham vero tertiam filiam, Eutharico ex Alemannorum stirpe venienti, evocato ab Hispania tradidit. Nec fuit aliqua vicina Italiæ gens, quæ Theoderico aut conjunctionis affinitate, aut pactionis fœdere sociata non fuerit. Zeno itaque Augustus, cum per annos XVII. Reipublicæ præfuisset, apud Urbem Constantinopolim vitæ terminum accepit.

Theoderici affinitates & pacta cum gentibus Italiæ.

LIBER XVII.

CAPUT I.

CEſſante jam Romanæ Urbis Imperio: utilius, aptiuſque mihi videtur ab annis Dominicæ Incarnationis, ſupputationis lineam deducere: quo facilius quid quo tempore actum ſit, poſſit agnoſci. Anno ab Incarnatione Domini CCCCXCII. poſt Zenonis exceſſum (17) ANASTASIUS purpuram induit: qui XLVII. in Regum numero exſtitit. Hic Romani decus Imperii, Eutychianæ hæreſeos illuvie maculavit. Hujus temporibus tanta propter Symmachi & Laurentii electionem Romæ diſſentio facta eſt: ut Fauſtus ſenatorum nobiliſſimus, & Exconſul: & alius Exconſul Probinus Laurentii partibus faventes, adverſus Fauſtum Exconſulem, ceteroſque, qui Symmacho adhærebant, pontifici bellum inferrent: multaſque cædes, & homicidia in medio Urbis facientes, pleroſque ex ſacerdotali numero, multos etiam clericorum, perplures civium Romanorum exſtinguerent.

Anaſtaſius Imperator Orientis. U. C. 1243. p. C. N. 491.

Electioni Symmachi in Pontificem contradicitur.

Et bellum ideo excitatur.

CAP. II. Eo tempore Tranſamundus, qui fratri Honorico apud Africam in Wandalorum regna ſucceſſerat: fratris vel patris Genſerici ſecutus perfidiam, clauſis Catholicorum eccleſiis, ducentos viginti Epiſcopos in Sardiniam exilio relegavit. Quibus Beatus Papa Symmachus quotidiana ſubſidia miniſtrare non deſtitit.

Wandali Catholicos in Africa perſequuntur.

CAP. III. Inter has tempeſtates Beatus Fulgentius in confeſſione fidei, & ſcientia floruit. His ipſis apud Africam diebus dum Arrianus quidam Olympius nomine, corpus aquis balnealibus abluens, indigna quædam & blaſphema de Sanctæ Trinitatis fide verba evomeret, veniente ſubito ignito cælitus jaculo viſibiliter combuſtus eſt. Barbas quoque quidam Arrianus Epiſcopus, dum contra regulam fidei, minorem ſcilicet Patre Filium, & Spiritum Sanctum aſſerere cupiens, baptizaturus dixiſſet: *Baptizo te ego Barbas in nomine Patris majoris, & Filii minoris in Spiritu Sancto:* ſtatim aqua, quæ ad baptizandum allata fuerat, nuſquam comparuit. Quod adſpiciens, qui baptizandus erat, confeſtim ad Eccleſiam Catholicam confugiens, juxta morem fidei, baptiſmum Chriſti ſuſcepit. Theodericus vero, dum per idem tempus pacifice apud Italiam regnaret, per ſingula quæque celebriora loca, regia ſibi habitacula conſtruxit.

S. Fulgentius.

Olympii hæreſis in baptiſmo.

Theodericus pacifice regnat.

CAP. IV. Anaſtaſius itaque dum in hæreſi, qua delapſus fuerat, perſeveraret, duaſque in Chriſto naturas, deitatis videlicet, & humanitatis, Eutychem hæreſiarcham ſequens, denegaret: Hormiſda Papa, qui Symmacho ſucceſſerat, dixerit Evodium Ticinenſem Epiſcopum, alioſque cum eo Conſtantinopolim legatos, cum Catholicæ Fidei inſcripto, quatenus Anaſtaſium ad Eccleſiæ reduceret gremium. Is non ſolum ſalubria eorum monita ſprevit, ſed inſuper etiam à ſuis aſpectibus eos non ſine contumelia expulit: navique fragili impoſitos mandat, ne uſpiam per totam Græciam ad aliquam civitatem accederent: quam ejus impiam temeritatem divina continuo ultio ſubſecuta eſt. Nam cum jam ſeptimum & vigeſimum Imperii annum ageret, ictu fulminis percuſſus interiit.

Anaſtaſius hæreſin de duabus naturis in Chriſto

Non vult ejurare.

Ictu fulminis interit.

CAP. V. Anno ab Incarnatione Domini quingenteſimo octavodecimo, punito Anaſtaſio hæretico, (18) JUSTINUS Catholicus Auguſtali potitus eſt ſolio, ad hunc ob cauſam reintegrandæ fidei directus ab Hormiſda pontifice vir ſanctitate præcipuus, Germanus, Capuanæ urbis Epiſcopus, digne ſuſceptus eſt: multorumque dubia corda in fide ſolidavit.

Juſtinus Imperator Orientis. U. C. 1270. p. C. N. 518.

Germanus Epiſcopus.

CAP. VI. Eo tempore apud Africam defuncto Tranſamundo Wandalorum rege Arrianæ perfidiæ, Hildericus ejus filius ex captiva Valentiniani principis filia ortus, adeptus eſt regnum. Qui non patrem hæreticum, ſed matris catholicæ monita ſequens, rectæ fidei cultor enituit. Hunc pater Tranſamundus ad mortem veniens, quia cernebat eum Catholicæ parti favere, ſacramenti nodis adſtringere curavit, ne unquam in ſuo regno Catholicis conſuleret. Qui mox, ut ſuus genitor vita caruit, priuſquam etiam regni jura aſſumeret, univerſos Epiſcopos, quos Tranſamundus in exilium coëgerat, regredi fecit: eiſque eccleſias reformare cœpit: ſeptuaginta jam & quatuor evolutis annis, ex quo à Genſerico primitus apud Africam eccleſiæ fuerant deſtitutæ.

Hildericus rex Wandalorum.

Catholicus.

CAP. VII. At vero in Orientis partibus, dum adhuc eo tempore per loca ſingula Arriana hæreſis vigeret, Juſtinus ardore Orthodoxæ Fidei omnimodis ſatagere cœpit, ut hæreticorum nomen exſtingueret: ſtatuitque, *ut ubique eorum eccleſias catholica religione conſecraret.* Quod dum in Italia rex Theodericus Arriana lue pollutus audiſſet: Joannem Papam, ſimulque cum eo Theodorum Importunum, atque Agapitum conſulares viros, aliumque Agapitum patritium, Conſtantinopolim ad Juſtinum principem dirigit: mandatque per eos interminitans, *ut niſi quantocius hæreticis eccleſias ſuas redderent, eoſque in pace degere ſinerent, univerſos Italiæ populos ipſe gladio exſtingueret.* Qui pervenientes ad Auguſtum, cum ab eo digne, ut competebat, ſuſcepti eſſent: magnis eum de ſua ſuorumque ſalute ſolliciti fletibus poſtulant: *ut ſuæ legationis ſeriem, quanquam eſſet injuſta, libenter exciperet, Italiæque perituræ conſuleret.* Quorum fletibus Juſtinus permotus, eis, quod petebatur, conceſſit: Arrianoſque ſuo juri reliquit. Dum hi in itinere demorantur, Theodericus rabie ſuæ iniquitatis ſtimulatus, Symmachum Exconſulem, ac patritium, & Boëtium ſeniorem & Exconſulem Catholicos viros gladio trucidavit.

Juſtinus Arrianos perſequitur.

Quos Theodericus tuetur.

Theoderici crudelitas.

CAP.

(17) Anaſtaſius) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 554. vide Tab. XL. num. 8.
(18) Juſtinus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 558. vide Tab. XLI. num. 1.

CAP. VIII. His diebus exstincto à Francis Alarico Wisigothorum rege, Theodericus per Ibbam suum comitem plus quam XXX. millia Francorum cædens, Thiodem suum armigerum post mortem Alarici, tutorem Athalarici nepotis constituit: Joannes vero pontifex revertens à Constantinopoli, dum cum iis, cum quibus ierat, profectus ad Theodericum Ravennam fuisset: Theodericus ductus malitia, quod eum Justinus Catholicæ pietatis defensor honorifice suscepisset, eum simul cum sociis carceris afflictione peremit. Sed hanc ejus immanissimam crudelitatem mox animadversio divina secuta est. Nam nonagesimo octavo post hoc facinus die, subita morte defunctus est: cujus animam solitarius quidam apud Liparam insulam, vir magnæ virtutis aspexit, inter Joannem Papam & Symmachum patritium deduci, & in Vulcani ollam, quæ ei loco proxima erat, demergi. Theoderico tali modo punito, Gothi sibi Athalaricum, de quo præmissum est, ex Theoderici filia procreatum, cum eandem Amalasiuntha matre sua in regnum præficiunt. At vero Justinus cum Augustalem dignitatem annis XI. administrasset apud Constantinopolim in pace quievit.

Subita morte punitur.

Athalaricus r xGothorum. U. C. 1258. p. C. N. 506.

Justinus moritur.

CAP. IX. Anno ab Incarnatione Domini quingentesimo vigesimo nono, (19) JUSTINIANUS sororis Justini filius Romanorum principum nonus ac quadragesimus, Augustalem adeptus est principatum. Qui mox, ut imperialia jura suscepit ad reparationem Reipublicæ status animum intendit. Ac primum per Bellisarium patritium, ingentem virum, Persas aggressus est: qui transgressis Romanorum terminis, eorum regiones graviter populabantur: quos Bellisarius magnis præliis fudit. Atque ex voluntate principis Constantinopolim triumphans ingressus est.

Justinianus Imperator Orientis. U. C. 1279. p. C. N. 527.

Per Bellisarium Persas vincit.

CAP. X. Interea Athalaricus Gothorum rex, cum nondum expletis quatuor annis regnasset, immatura morte præventus, vitæ subtractus est: cujus mater Amalasiuntha post ejus funus Theodatum socium adscivit in regnum. Sed (20) THEODATUS idem immemor collati beneficii, eam post aliquod tempus in balneo strangulari præcepit: & quia ipsa dum adviveret, se, suumque filium principi commendaverat, audita Justinianus Augustus ejus morte, gravi mox adversus Theodatum iracundia exarsit. Sentiens Theodatus sibi infensum habere principem, Beatam Papam Agapitum Constantinopolim dirigit, quatenus apud Justinianum ei factorum impunitatem impetraret.

Athalaricus moritur.

Theodatus regnum Gothorum invadit. U. C. 1268. p. C. N. 516.

Agapitus Pontifex. U. C. 1287. p. C. N. 535.

CAP. XI. Qui Sanctus Pontifex dum Justinianum principem adisset: facta cum eodem de fide collatione, reperit eum in Eutychetis dogma corruisse, à quo primitus graves Beatus Antistes minas perpessus est. Sed cum illius inconcussam in Fide Catholica Justinianus constantiam cerneret: siquidem adhoc usque verbis progressum fuerat, ut talia à Præsule audiret: *Ego ad Justinianum Imperatorem Christianissimum venire desideravi, sed Diocletianum inveni.* Tandem ex voluntate Dei, ejus monitis acquiescens, ad Catholicæ Fidei confessionem cum multis pariter, qui similiter desipiebant, regressus est. Anthemium quoque ejusdem regiæ civitatis Episcopum, præfatæ hæreseos defensorem, convictum publice communione privavit: ac, persuaso principe, in exilium cogit. Nec multum post idem Pontifex, apud eandem urbem diem obiit.

Justinianum ab hæresi Eutychetis retrahit.

Anthemium quoque Episcopum Constantinopolitanum.

CAP. XII. Interea ad Africam, quam jam multis annis Wandali possidebant, à Justiniano cum exercitu Bellisarius missus est: qui mox prælio cum Wandalis commisso, eorum magnas copias fudit, regemque ipsorum Gilimerum vivum capiens, Constantinopolim misit. Carthago quoque post annum suæ excessionis XCVI. recepta est. Porro dum Agapitus Pontifex, qui à Justino principe pacem Theodato postularet, apud Constantinopolim obiisset: Justinianus Bellisarium patritium multis jam præliis gloriosum adversus Theodatum dirigit: utque etiam Italiam à Gothorum servitio liberaret.

Bellisarius Wandalos vincit.

CAP. XIII. Bellisarius itaque, dum aliquantum temporis apud Siciliam moram faceret, rex Gothorum Theodatus extinctus est. Hujus in loco Vitigis successit: qui mox ut regnum invasit, Ravennam profectus, Amalasiunthæ reginæ filiam per vim secum auferens, sibi matrimonio junxit. Conceptas ergo contra Theodatum Bellisarius belli vires in Vitigem convertit. Egressusque ex Sicilia ad Campaniam, Neapolim venit, quem Neapolitani cives noluerunt excipere. Qui indignatus acriter ad ejusdem urbis expugnationem totis se viribus erexit. Aliquantisque fortiter in pugnam diebus deductis, tandem per vim capiens ingressus est. Tantaque non solum in Gothos, qui ibi morabantur, sed etiam in cives ira deſævit, ut non ætati, non sexui, postremo, non sanctimonialibus, vel ipsis etiam sacerdotibus parceret. Viros in conspectu conjugum miserabili visu perimens superstites matres, ac liberos captivitatis jugo abduxit; cuncta rapinis diripiens. Nec à sacrosanctis Ecclesiis exspoliandis abstinuit: indeque egrediens Romam properavit.

Theodatus moritur. Vitiges Gothorum rex. U. C. 1271. p. C. N. 519.

Bellisarii sævitia in Gothos.

CAP. XIV. Quo Romam ingresso, Gothi qui in Urbe morabantur, noctu inde egressi, relictis patentibus portis, Ravennam fugiunt. Vitigis, ut talia comperit, mox adversus Bellisarium Romam cum ingenti exercitu venit. Bellisarius non aptum sibi tempus ad bella conjiciens, intra Urbis se mœnia clausit, eamque circumsepsit. Gothi Urbem obsidentes, universa per circuitum direptionibus & incendiis absumunt: quoscunque Romanos reperiunt, gladio exstinguunt, cuncta sacra loca denudantes, ipsis etiam venerabilium matyrum sepulcris manus impias inferunt, continue Urbem impugnant, sed cauta Bellisarii defensatur industria. Præter belli instantiam, agebatur insuper Roma famis penuria. Tanta siquidem per universum mundum eo anno maxime apud Liguriam

Romam ingreditur.

In qua Gothi ipsum obsident.

Magna fames.

---

(19) Justinianus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 561. vide Tab. XLI. num. 2.
(20) Theodatus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 567. vide Tab. XLI. num. 3.

Liguriam fames excreverat: ut, ſicut vir ſanctiſſimus Datius Mediolanenſis antiſtes retulit, pleræque matres infelicium natorum membra comederent.

CAP. XV. Cumque per annum continuum Gothi Romam obſediſſent, demum territi Ravennam rediere. Belliſarius vero proficiſcens Neapolim, eamque, ut competebat, ordinatam relinquens, Romam regreſſus eſt. Statimque ei à THEODORA Auguſta præceptio allata eſt, ut Papam Silverium convictum accuſatione falſorum teſtium in exilium truderet: eo quod Anthemium hæreticum Conſtantinopolitanum Epiſcopum revocare noluiſſet: quod Belliſarius, licet nolens, nihil moratus effecit. Pulſus denique Papa Silverius ad Pontiam inſulam eſt, in qua & exulans obiit. Vitigis vero coacto rurſus in unum magno Gothorum exercitu, cum Belliſario conflixit: factaque maxima ſuorum ſtrage, in fugam converſus eſt. Quem Joannes magiſter militum, cognomento Sanguinarius, noctu fugientem perſequens, vivum comprehendit. Romamque ad Belliſarium adduxit. Patrata Belliſarius victoria, Conſtantinopolim rediit, ſecum Vitigem deferens: quo viſo Juſtinianus valde lætatus eſt: eique non multo poſt patritio effecto, adminiſtrationem illi juxta Perſarum terminos tribuit: ibique Vitigis degens vitam finivit. Belliſarius vero dignis affectus honoribus; iterato ad Africam adverſus Guntarith mittitur: qui Wandalos rurſus ſollicitans, apud eos arripuerat regnum.

Juſſu Theodoræ. Silverius Pontifex. à Belliſario in exilium mittitur. Belliſarius Vitigem vincit, capit. Et Conſtantinopolim ducit.

CAP. XVI. Belliſarius, ut Africam attigit, Guntarith ſub dolo pacis ilico peremit: rebelles ſiduoſque Wandalorum Reipublicæ jugo ſubſtravit. Victor exinde Belliſarius Romam venit. Auream crucem centum librarum pretioſiſſimis gemmis exornatam, in qua ſuas victorias deſcripſerat, Beata Petro per manus Papæ Vigilii obtulit. His apud Caſinum temporibus, poſt ſolitariam vitam ſancto degens cænobio, ſtupendis Beatiſſimus Pater Benedictus, nec minus futurorum præſcius, radiabat virtutibus.

Belliſarius Wandalos in Africa vincit. S. Benedictus.

CAP. XVII. Hac etiam ætate gens Langbardorum amica tunc Populi Romani apud Pannonias degebat: quibus in regni gubernaculo Audoinus præerat. Is eo tempore cum Turiſcendo Gepidarum rege confligens, per Alboinum ſuum filium juvenem ſtrenuum victoriam nactus eſt. Denique inter ipſas Alboinus ſeſe acies Turiſmandum Turiſcendi regis filium appetentem alacriter aggreſſus, exſtinxit; perturbatiſque hac occaſione Gepidis ſuis victoriam peperit. At vero apud Urbem Romam Papa Vigilius, ob eandem, quam & prædeceſſor, (*a*) ſuus cauſam, indignatione Auguſtæ per Antimum Scribonem ductus Conſtantinopolim, indeque in exilium actus eſt. Captos igitur Vitige, Gothi Tranſpadani Ildebrandum ſibi regem conſtituunt, qui eodem anno perimitur. Cui ſucceſſit Errarius, & ipſe nondum anno expleto jugulatus. Dehinc ſibi Badiulam, qui & Totila dicebatur, in regnum præficiunt. Moxque collecto undique exercitu, univerſam rurſus Italiam invadunt.

Langbardorum res geſtæ in Pannonia. Vigilius Pontifex in exilium actus. Ildebrandus rex Gothorum. Errarius. Badiula. Totila.

CAP. XVIII. Exinde per Campaniam, virique Dei Benedicti Patris cœnobium iter facientes perveniunt: perque Lucaniæ, ac Bruttiorum fines Regium proficiſcuntur. Nec mora Siculum tranſgreſſi fretum Siciliam invadunt. Inde quoque Romam petunt: eamque obſidionibus circumcludunt. Quæ tantam tunc famis penuriam perpeſſa eſt, ut præ magnitudine inopiæ natorum ſuorum carnes comedere vellent. Feſſis nimium Romanis, nec valentibus mœnia tueri, Totila à porta Oſtienſi Urbem ingreſſus eſt. Qui parcere Romanis cupiens, per totam noctem clangere buccinam jubet: quo ſe à Gothorum gladiis, aut Eccleſiis tuerentur, aut quibuſcunque locis occulerent. Habitavitque aliquanto temporis cum Romanis, quaſi pater cum filiis. Hanc illi (ut videtur conjici) animi benignitatem: qui nimiæ antea crudelitatis exſtiterat, Beati Patris Benedicti, quem olim adierat, monitio contulit.

Gothi Italiam invadunt. Romam capiunt. U. C. 1286. p. C. N. 534.

CAP. XIX. Elapſi ab Urbe aliqui è numero ſenatorum, Conſtantinopolim afflicti properant: quibus calamitatibus Roma ſubjiceretur, principi narrant: qui ſtatim Narſem Eunuchum ſuum & cubicularium, cum manu valida mittit: ut afflictæ Romæ quantocius ſubveniat. Is ad Italiam veniens, magno cum Gothis certamine conflixit. Quibus ad internecionem pene conſumptis, regem Totilam, qui ultra jam X. annos regnaverat, interfecit: univerſamque Italiam ad Reipublicæ jura reduxit. Quia vero reſtant adhuc, quæ de Juſtiniani Auguſti felicitate dicantur, in ſequenti, Deo Præſule, libello promenda ſunt.

Contra quos Narſes mittitur. Qui eos vincit & Totilam regem interficit. U. C. 1286. p. C. N. 534.

LIBER XVIII.

CAPUT I.

CUm jam, ut permiſſum eſt, Romanorum deſierit apud Italos Imperium, plurimæque gentes irruerent contra ipſos, ad juſque pertranſierat Pelaſgum: hac tempeſtate JUSTINIANUS Auguſtus Romanum felici ſorte regebat Imperium. Qui & bella proſpere geſſit, & in cauſis civilibus mirificus exſtitit. Nam per Belliſarium Wandalorum gentem, capto eorum rege Gilimere uſque ad internecionem delevit: Africamque totam poſt annos XCVI. Imperio Romano reſtituit: rurſuſque Belliſarii viribus Gothorum in Italia gentem capto Vitige eorum rege, ſuperavit. Mauroſque poſt hæc Africam infeſtantes, eorumque regem Attilam per Joannem Exconſulem mirabili virtute proſtravit. Pari etiam modo, ut alias gentes belli jure compreſſit, quam ob cauſam propter honorum omnium victorias, ut Alamanicus, Gothicus, Alanicus, Wandalicus, Africanuſque dicere-

Juſtiniani res geſtæ. Per Belliſarium. Unde varia cognomina acquiſivit.

(*a*) al. anteceſſor. al. deceſſor.

Justiniani cura circa leges.

diceretur, habere hæc nomina meruit. Leges etiam Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, & inutilis dissonantia, mirabili brevitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quæ utique in multis voluminibus habebantur, intra XII. libros coartavit.

Codex.

Idem quoque volumen Codicem Justiniani appellari præcepit. Rursusque singulorum magistratuum sive judicum leges, quæ usque ad duo millia pene librorum erant extensæ, intra L. librorum numerum redegit: eumque

Digesta.

Codicem Digestorum sive Pandectarum vocabulo nuncupavit.

Institutiones.

Quatuor etiam institutionum libros, in quibus breviter universarum legum textus comprehenditur, noviter composuit, novas quoque leges, quas ipse statuerat, in unum volumen redactas, id est, Codicem, Novellam nuncupari sancivit.

Novellæ. Ejus opera publica.

Exstruxit quoque idem princeps intra Constantinopolim Urbem ipsi domino, qui est sapientia Dei Patris, templum, quod Græco vocabulo, ἁγιάν σοφίαν, id est, sanctam] sapientiam nominavit. Cujus opus adeo cuncta ædificia excellit: ut in totis terrarum spatiis huic simile non possit inveniri. Erat enim hic princeps fide Catholicus, in operibus rectus. in judiciis justus: ideoque omnia ei concurrebant in bonum.

Cassiodorus.

CAP. II. Hujus temporibus Cassiodorus apud Urbem Romam tam sæculari, quam divina scientia claruit, qui inter cetera, quæ nobiliter scripsit psalmorum occulta præcipue potentissime reseravit. Hic primum Consul denique senator, ad postremum vero monachus exstitit.

Dionysius.

Hoc etiam tempore Dionysius Alba in Urbe Roma constitutus, paschalem calculum miranda argumentatione composuit.

Arator.

Tuncque nihilominus Arator Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus poëta mirabilis, apostolorum actus versibus hexametris exaravit.

S. Benedictus.

CAP. III. His quoque diebus Beatissimus Benedictus Pater, & primus in loco, qui Sublacus dicitur, qui ab Urbe Roma XL. millibus passuum abest: & postea in castro Casini, quod Clarum appellatur, & magnæ vitæ meritis, & Apostolicis virtutibus effulsit. Igitur cum circumquaque Langbardorum victoriæ

Narses.

personarent: Narses chartularius imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellum adversus Totilam Gothorum regem præparans, cum jam pridem Langbardos fœderatos haberet, legatos ad Alboinum dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis auxilium ministraret.

Ab Alboino contra Gothos & Langbardos auxilium impetrat.

Tunc Alboinus electam è suis manum direxit: qui per maris Adriatici sinum in Italiam transvecti, sociati Romanis, pugnam inierunt cum Gothis. Quibus usque ad internecionem deletis, pariter cum suo Totila rege, onerati multis muneribus, victores ad propria remearunt: omnique tempore, quo Langbardi Pannoniam possederunt, Romanæ Reipublicæ adversus æmulos audjutores fuerunt.

Priscianus.

Tunc quoque apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis Grammaticæ artis (ut ita dixerim) profunda rimatus est.

CAP. IV. His temporibus Narses etiam Buccellino duci bellum intulit: quem Theudebertus rex Francorum, cum in Italiam introisset, reversus ad Gallias cum Amingho duce ad subjiciendam Italiam reliquerat.

Buccellinus.

Qui Buccellinus cum pene totam Italiam direptionibus vastaret, & Theudeberto suo regi de præda Italiæ munera copiosa conferret: & cum in Campania hyemare disponeret: tandem in loco, cui Tanetum nomen est, gravi bello à Narsete superatus, exstinctus est. Aminghus vero, cum Avidin Gothorum comiti contra Narsetem rebellanti auxilium ferre conatus fuisset, utrique à Narsete superati sunt.

à Narsete victus. Similiter Aminghus & Avidis.

Avidin captus, Constantinopolim exulatur; Aminghus vero, qui ei auxilium præbuerat, Narsetis gladio perimitur. Tertius vero Francorum dux nomine Leutharius, Buccellini germanus, dum multa præda onustus ad patriam cuperet reverti, inter Veronam & Tridentum juxta lacum Benacum, propria morte defunctus est.

Leutharius moritur.

Sindual Brentorum rex pariter à Narsete victus.

CAP. V. Habuit nihilominus Narses certamen adversus Sindual Brentorum regem: qui adhuc de Herulorum stirpe remanserat, quos secum in Italiam veniens, solummodo Odoacer adduxerat. Huic Narses fideliter sibi primum adhærenti, multa beneficia contulit. Sed novissime superbe rebellantem, & regnare cupientem, bello superatum & captum, celsa de trabe suspendit. Eo quoque tempore Narses patritius per Dagistheum magistrum militum, virum bellicosum & fortem, universos Italiæ fines obtinuit.

Narses patritiatus honore augetur.

Hic Narses quidem primus carthularius fuit: deinde propter virtutem merito patritiatus honorem meruit.

Ejus indoles.

Erat autem vir piissimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in recuperandis basilicis studiosus satis: vigiliis, & orationibus in tantum studens, ut plus supplicationibus ad Deum profusis, quam armis bellicis victoriam obtineret.

Justinianus minor Imperator Orientis. U.C. 1317. p. C. N. 565.

CAP. VI. Inter hæc Justiniano principe vita decedente, (21) JUSTINIANUS minor Rempublicam apud Constantinopolim gerendam suscepit.

Vitalis Episcopus exilio damnatur.


His quoque temporibus Narses patritius, cujus ad omnia studium vigilabat, Vitalem Episcopum Altinæ civitatis, qui ante annos plurimos ad Francorum regem confugerat: hoc est, ad Agathensem civitatem, tandem apprehensum apud Siciliam exilio damnavit. Igitur deleta, vel superata, Narses omni Gothorum gente, & iis quoque, de quibus diximus, pari modo devictis, dum multum auri & argenti, seu ceterarum rerum divitias acquisisset: magnam ab his ducibus, qui multa contra hostes eorum laboraverat, invidiam pertulit:

Invidia adversus Narsetem.

qui contra eum Justiniano Augusto, & ejus conjugi Sophiæ in hæc verba suggesserunt, dicentes: *Quia expedierat Romanos Gothis potius servire, quam Græcis, ubi Narses eunuchus imperat, & nos servitio opprimit, & hoc noster Piissimus Princeps ignorat: Aut libera à nos de manu ejus, aut certe & civitatem Romam, & nos ipsos gentibus tradimus.* Cumque hæc Narses audisset, hæc breviter retulit verba: *Si male feci cum Romanis, male inveniam*

(21) Justinianus minor) vel potius Justinus II. Cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 569. vide Tab. XLI. num. 4.

Tab. XL.
ad pag. 211.212.213



inveniam. Tunc Auguſtus in tantum adverſus Narſetem commotus eſt, ut ſtatim in Italiam Longinum præfectum mitteret, qui Narſetis locum obtineret.

Narſes vocatur Conſtantinopolim.

CAP. VII. Narſes vero his cognitis, valde pertimuit: & in tantum maxime à Sophia Auguſta territus eſt, ut regredi ultra Conſtantinopolim non auderet. Cui illa inter cetera, quod eunuchus erat, hoc fertur mandaſſe, *ut cum puellis in gynecio lanarum faceret perſas dividere.* Ad quæ verba Narſes dicitur in hæc reſponſa dediſſe: *Talem ſe telam ordinaturum, qualem ipſa dum viveret, deponere non poſſet.* Itaque odio, metuque exagitatus, in Neapolim Campaniæ civitatem ſecedens, legatos mox ad Langbardorum gentem dirigit, ut paupera Pannoniorum rura deſererent: & ad Italiam cunctis repletam divitiis poſſidendam venirent: ſimulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, mittit: quatenus eorum ad veniendum animos poſſit allicere. Langbardi læta nuntia, & quæ ipſi præcipue optabant, grantanter ſuſcipiunt. Denique futuris commodis animos attollunt: continuo apud Italiam terribilia noctu ſigna viſa ſunt: hoc eſt, igneæ acies in cœlo apparuerunt, eum, qui poſtea effuſus eſt, ſanguinem coruſcantes. Narſes vero de Campania Romam regreſſus, ibidem non poſt multum tempus ex hac luce ſubtractus eſt. Cujus corpus poſitum in locello plumbeo, cum omnibus ejuſdem divitiis, Conſtantinopolim eſt perlatum.

Sophiæ Auguſtæ erga Narſetem vilipendentia.

Narſes Langbardos in Italiam vocat.

Narſes moritur.

CAP. VIII. Per hæc tempora apud Conſtantinopolim, ut ſupra præmiſſum eſt, Juſtinianus minor regnabat, vir in omni avaritia deditus, contemptor pauperum, ſenatorum ſpoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus ea, quæ rapiebat, auri talenta congregaret: quem etiam ferunt in hæreſim Pelagianam delapſum. Hic cum à divinis aurem cordis averteret, juſto Dei judicio, amiſſo rationis intellectu, amens effectus eſt. Hic & Tiberium Cæſarem adſcivit, qui ei palatium vel ſingulas provincias gubernaret, hominem juſtum, utilem, ſtrenuum, ſapientem, eleemoſynarium, in judiciis æquum, in victoriis clarum, &, quod his omnibus ſupereminet, veriſſimum Chriſtianum.

Juſtiniani minoris indoles.

In hæreſim Pelagianam delabitur.

Tiberius Cæſar.

Ejus indoles.

CAP. IX. Hic cum multa de theſauris, quos Juſtianianus aggregaverat, pauperibus erogaret Sophia Auguſta frequentius increpabat eum, quod Rempublicam redegiſſet in paupertatem, dicens: *Quod ego multis annis congregavi, tu intra paucum tempus prodige diſpergis.* Ajebat autem ille: *Confido in Domino, quia non deerit pecunia fiſco noſtro, tantum ut pauperes eleemoſynam accipiant: ut captivi redimantur, hoc eſt magnus theſaurus, dicente domino: theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi neque erugo, neque tinea corrumpit: & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de his, quæ Dominus tribuit, congregemus theſauros in cœlo, & Dominus nobis augere dignabitur in ſæculo.* Igitur cum Juſtinianus XI. annis regnaſſet, amentiam, quam incurrerat, tandem cum vita finivit. Bella ſane, quæ per Narſetem patritium Gothis, vel Francis illata ſuperius per anticipationem diximus, hujus temporibus geſta ſunt. Denique & cum Roma temporibus Benedicti Papæ, vaſtantibus omnia per circuitum Langbardis, famis penuria laborat, multa frumenti millia navibus, ab Ægypto dirigens, eam ſub ſtudio miſericordiæ relevavit.

Ejus munificentia in pauperes.

CAP. X. Mortuo igitur Juſtiniano, (22) Tiberius Constantinus Romanorum regum quinquageſimus ſumpſit Imperium. Hic cum, ut ſuperius diximus, Juſtiniano adhuc Cæſare palatium regeret, & multas quotidie eleemoſynas faceret, magnam ei Dominus copiam ſubminiſtravit. Nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux dominica ſculpta, & ait: *Crucem Domini, qua frontem noſtram & pectora munire debemus, eam ſub pedibus conculcamus?* & dicto citius juſſit eandem tabulam auferri de foſſa. Qua levata atque erecta, inveniunt ſubter & aliam hoc ſignum habentem, qui & ipſam juſſit auferri. Qua amota, repererunt & tertiam, juſſuque ejus cum hæc fuiſſet ablata, inveniunt magnum theſaurum, habentem ſupra mille auri centenaria. Sublatumque aurum pauperibus adhuc abundantius, quam conſuetus fuerat, largitur.

Tiberius Conſtantinus Imperator Orientis. U.C. 1330. p. C. N. 578.

Theſaurum invenit.

CAP. XI. Narſes quoque patritius Italiæ, cum in quadam civitate intra Italiam domum magnam haberet, ut ſupra memoratam urbem advenit: ibique in domum ſuam occulte ciſternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri, atque argenti repoſuit: interfectiſque omnibus conſciis, uni tantummodo hoc per juramentum ab eo exigens commendavit. Defuncto vero Narſete, ſupradictus ſenex ad Cæſarem Tiberium veniens, dixit: *Si mihi aliquid prodeſt,* inquit, *magnam rem, Cæſar dicam.* Cui ille, *Dic,* ait, *quid vis: proderit enim tibi, ſi quo nobis profuturum eſſe narraveris. Theſaurum,* inquit, *Narſetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ poſitus, celare non poſſum.* Tunc Cæſar Tiberius gaviſus, mittit uſque ad locum pueros ſuos. Præcedente vero ſene, hi ſequuntur attenti: pervenienteſque ad ciſternam, deoperatamque ingrediuntur. In qua tantum auri vel argenti repertum eſt, ut per multos dies vix deportantibus potuiſſet evacuari. Quæ ille pene omnia ſecundum morem ſuum, erogatione largiflua diſpenſavit egenis.

Narſetis theſauris abſconditi.

Deteguntur.

CAP. XII. Hic cum Auguſtalem coronam accepturus eſſet: eumque ſecundum conſuetudinem ad ſpectaculum cum populus exſpectaret, inſidias ei præparavit Sophia Auguſta, ut Juſtinianum Juſtini nepotem ad dignitatem imperatoriam ſublimaret. Ille per loca ſancta prius procedens, deinde, vocato ad ſe Pontifice Urbis, cum Conſulibus, ac præfectis palatium ingreſſus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus in regni gloria eſt confirmatus: quod ejus adverſarii audientes, nihilque ei, qui in Domino ſpem ſuam poſuerat, officere

Juſtinianus & Sophia Auguſta Tiberio inſidias ſtruit.

Ee 2

(22) Tiberius Conſtantinus) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 573. vide Tab. XLI. num. 5.

officere valentes, magno ſunt confuſionis pudore cooperti.

CAP. XIII. Tranſactis autem paucis diebus, Juſtinianus pedibus ſe projecit Imperatoris, ob meritum gratiæ XV. ei auri centenaria deferens: quem ille ſecundum patientiæ ſuæ meritum colligens, ſibi in palatio aſſiſtere juſſit. Sophia vero Auguſta immemor promiſſionis, quam quondam in Tiberium habuerat, inſidias ei tentavit ingerere. Procedente autem ad villam, ut juxta ritum imperialem XXX. diebus ad vindemiam jucundaretur: vocato clam Juſtiniano, voluit eum ſublimare in regno: quo comperto, Tiberius curſu veloci Conſtantinopolim regreditur: apprehenſamque Auguſtam, omnibus Theſauris exſpoliavit, ſolum ei victum quotidianum in alimento relinquens. Segregatiſque pueris ejus ab ea, alios ex fidelibus ſuis poſuit, qui ei parêrent: mandans prorſus, ut nullus de anterioribus ad eam haberet acceſſum. Juſtinianum vero verbis ſolummodo objurgatum, tanto in poſterum amore dilexit, ut filio ejus filiam ſuam promitteret, rurſuſque filio filiam ſuam expeteret. Sed hæc res minime, quam ob cauſam neſcio, ad effectum pervenit. Hujus exercitus ab eo directus, Perſas potentiſſime debellavit: victorque regrediens, tantam molem prædæ cum XX. pariter elephantis detulit, ut humanæ crederetur poſſe ſufficere cupiditati.

Sophia punita.

Juſtinianus objurgatus.

CAP. XIV. Tiberius igitur Conſtantinus poſtquam Imperium VII. rexerat annis, ſentiens ſibi diem mortis imminere, una cum conſilio Sophiæ Auguſtæ, (23) MAURITIUM genere Cappadocem, virum ſtrenuum ad Imperium elegit: ornatamque ſuam filiam regalibus ornamentis, eam tradidit ei, dicens: *Sit tibi Imperium meum cum hac puella conceſſum: utere eo felix: memor ſemper, ut æquitate & juſtitia delecteris.* Hæc poſtquam dixit, de hac luce ad æternam patriam migravit, magnum luctum populis de ſua morte relinquens. Fuit enim ſummæ bonitatis, in eleemoſynis promptus, in judicio juſtus, in vindicando cautiſſimus: nullum deſpiciens, ſed omnes in bona voluntate complectens: omnes diligens, ipſe quoque eſt dilectus eſt à cunctis.

Tiberius moritur.

Mauritius Imperator Orientis. U.C. 1334. P. C. N. 582.

Indoles Tiberii.

CAP. XV. Quo defuncto, Mauritius indutus purpura, redimitus diademate, ad curiam proceſſit: acclamatiſque ſibi laudibus poſt largita populo munera, primus ex Græcorum genere in Imperio confirmatus eſt. Hoc tempore Mauritius Imperator, Childeperto Francorum regi L. millia ſolidorum per legatos ſuos direxit, ut cum exercitu ſuper Langbardos irrueret, eoſque de Italia exterminaret: qui cum innumera Francorum multitudine in Italiam ſubito introivit. Langbardi vero in civitatibus ſe communientes, intercurrentibus legatis, oblatiſque muneribus, pacem cum Childeperto fecerunt. Qui cum ad Gallias remeaſſet: cognito Imperator Mauritius, quia cum Langbardis fœdus inierat, quod ei ob detrimentum Langbardorum dederat, repetere cœpit. Sed ille ſuarûm virium fretus potentia, pro hac ne reſponſum reddere voluit.

Langbardi.

Cum Childeperto pacem faciunt.

CAP. XVI. His ita geſtis, Autharis rex, Brixellum civitatem ſuper Padi marginem poſitam, expugnare aggreſſus eſt: in qua Docíruph dux à Langbardis confugerat: ſeque partibus Imperatoris tradens, ſociatus militibus, Langbardorum exercitui fortiter reſiſtebat. Iſte ex Suevorum, hoc eſt, Alemannorum gente oriundus, inter Langbardos creverat: & quia erat forma idoneus, ducatus honorem meruerat. Sed ubi occaſionem ulciſcendæ ſuæ captivitatis reperit, contra Langbardorum illico arma ſurrexit. Adverſus quem Langbardi gravia bella geſſerunt: tandemque eum cum militibus quos ducebat, exſuperantes, Ravennam cedere compulerunt. Brixellus capta eſt, murique ejus uſque ad ſolum deſtructi ſunt.

Autharis Rex Langbardorum.

Ejus res geſtæ.

CAP. XVII. Poſt hæc Autharis rex cum Smaragdo patritio, qui tunc Ravennæ præerat, uſque in annum tertium pacem fecit. Denique per Benedictum Papam Pelagius Romanæ Eccleſiæ Pontifex abſque juſſione principis ordinatus eſt, eo quod Langbardi Romam per circuitum obſiderent, ne poſſet quiſquam à Roma progredi. Hic Pelagius Heliæ Acquileienſi epiſcopo, nolenti tria capitula Chalcedonenſis Synodi ſuſcipere, epiſtolam ſatis utilem miſit: quam Beatus Gregorius, cum eſſet adhuc Diaconus, conſcripſit. Rurſum Mauritius Auguſtus legatos ad Childepertum, mittens, eum, ut contra Langbardos exercitum in Italiam dirigeret, perſuaſit. Childepertus exiſtimans ſuam adhuc Germaniam apud Conſtantinopolim vivere, legatis Mauritii acquieſcens, ut ſuam poſſet ſororem accipere, iterum adverſus Langbardos Francorum exercitum in Italiam direxit: contra quos dum Langbardorum acies properarent, Franci & Alemanni inter ſe diſſenſionem habentes, ſine ullius conquiſitione ad patriam ſunt reverſi.

Pelagius II. Pontifex. U. C. 1329. P. C. N. 577.

Mauritius Imperator contra Langbardos irritat Francos.

CAP. XVIII. Eo tempore erat Diluvium in finibus Venetiarum & Liguriæ, ſeu ceteris regionibus Italiæ, quale poſt Noë tempora creditur non fuiſſe. Factæ ſunt lacunæ poſſeſſiones ſeu villarum, hominumque pariter & animantium magnum interitus. Deſtructa ſunt itinera, diſſipatæ viæ. Tantum tunc Atheſis fluvius excrevit, ut circa Baſilicam ſancti Zenoni martyris, quæ extra Veronenſis urbis muros ſita eſt, uſque ad ſuperiores feneſtras aquæ pertingerent. Licet, ſicut Beatus Gregorius poſtea Papa ſcripſit, in eandem Baſilicam aqua minime introivit. Urbis quoque ejuſdem Veronenſis muri ex parte aliqua, eadem ſunt inundatione ſubruti. Facta eſt autem hæc inundatio Kalend. Novemb. Sed & tantæ coruſcationes & tonitrua fuerunt, quantæ fieri vix æſtivo tempore ſolent. Poſt duos quoque menſes eadem urbs Veronenſium magna ex parte incendio concremata eſt. In hac diluvii effuſione in tantum apud Urbem Romam fluvius Tiberis excrevit, ut aquæ ejus ſuper muros Urbis influerent, & maximas in eas regiones occuparent. Tunc per alveum ejuſdem fluminis, cum multa ſerpentum multitudine, draco etiam magnæ miræque magnitudinis

Diluvium in Italia.

(23) Mauritium) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 575. vide Tab. XLI. num. 6.

Tab. XLI.
ad pag. 215. 216. 218.
219. 220 & 221.



gnitudinis per Urbem transiens, usque ad mare descendit.

CAP. XIX. Subsecuta est statim hanc inundationem gravissima pestilentia, quam inguinariam appellant: quæ tantæ populum stragi destinavit, ut de inæstimabili multitudine vix pauci remanerent. Primumque Pelagium Papam virum venerabilem perculit, & sine mora exstinxit. Deinde pastore interempto, sese per populum extendit. In hanc tanta tribulatione Beatissimus Gregorius, qui tunc Levita erat, à cunctis generaliter Papa electus est: qui dum septiformem Litaniam fieri ordinasset, unius horæ spatio, dum hi Deum precarentur, LXXX. ex eis subito ad terram corruentes, spiritum exhalarunt. Septiformis autem Litania dicta est: quia omnis Urbis populus à Beato Gregorio in septem partibus, deprecaturus Dominum, est divisus. In primo namque choro fuit omnis Clerus: in secundo omnes Abbates cum monachis suis: in tertio omnes Abbatissæ cum congregationibus suis: in quarto omnes infantes: in quinto omnes laici: in sexto universæ viduæ: in septimo omnes mulieres conjugatæ. Ideo autem de Beato Gregorio plura dicere omittimus, quia jam ante aliquot annos ejus vitam, Deo auxiliante, texuimus: in qua ea, quæ dicenda erant, juxta tenuitatis nostræ vires universa descripsimus.

Pestilentia subsequitur.

Gregorius I. M. Pontifex. U. C. 1362. p. C. N. 590.

CAP. XX. Hoc tempore Idem Beatus Gregorius, Augustinum, & Melitum, & Joannem, cum aliis pluribus monachis timentibus Deum, in Britanniam misit, eorumque prædicatione ad Christum Anglos convertunt. His diebus defuncto Helia Aquileiensi Patriarcha, postquam XV. annis se sacerdotem gesserat: Severus huic succedens, regendam suscepit ecclesiam: quem Smaragdus patritius veniens Ravenna, in gradus per semetipsum Basilica trahens, Ravennam eum in curiam duxit: cum aliis tribus ex Histria Episcopis, id est, Joanne Parentino, & Severo atque Vindemio, necnon etiam Antonino jam sene ecclesiæ defensore: quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Joanni Ravennati Episcopo, trium capitulorum damnatori, qui à tempore Papæ Vigilii vel Pelagii Romanæ Ecclesiæ desciverant societate. Exempto vero anno, è Ravenna ad gradus reversi sunt: quibus nec plebs communicare voluit, nec ceteri Episcopi eos receperunt. Smaragdus patritius à dæmonio non injuste correptus, successorem Romanorum patritiatus accipiens, Constantinopolim remeavit.

Apostoli Britanniæ.

Patriarchæ Aquilejensis.

Smaragdus.

CAP. XXI. Post hæc facta Synodus X. Episcoporum, in Martiano congregatur: ubi receperunt Severum Patriarcham Aquileiensem, dantem libellum erroris sui, qui trium capitulorum damnatoribus communicarat Ravennæ. Nomina vero Episcoporum, qui se ab hoc schismate continuerunt, hæc sunt: Petrus de Altino clarissimus, Ingenuus de Sabione, Angelus Tridentinus, Junior Veronensis, Horontius Vicentinus, Rusticus de Tarviso, Fontejus Feltrinus, Agellus de Acedo, Laurentius Belunensis, Massentius Juliensis, & Hadrianus Polensis. Cum Patriarcha autem isti Episcopi, Severus Parentinus, Joannes Patritius, Vindemius, & Joannes.

Severus Patriarcha Aquilejensis.

CAP. XXII. Igitur Mauritius Augustus, postquam unum & XX. annos rexit Imperium, cum filiis Theodosio, Tiberio, Constantinoque, à Phoca, qui fuit strator Prisci patricii, occiditur. Fuit autem utilis Reipublicæ, nam sæpe contra hostes dimicans, victoriam obtinuit. Hunni quoque, qui & Avares appellantur, ejus virtute devicti sunt. His diebus defuncto Severo Patriarcha, ordinatur loco ejus Joannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere, cum consensu regis etiam Gisulfi ducis. In gradus quoque ordinatus est à Romanis Candianus antistes. Rursus mense Novembri & Decembri stella Cometes apparuit. Candiano vero defuncto, apud gradus ordinatur Patriarcha Epiphanius, qui primicerius notariorum ab Episcopiscis, qui erant sub Romanis: & ex illo tempore cœperunt esse duo Patriarchæ.

Mauritius Imperator à Phoca occiditur. U. C. 1384. p. C. N. 602.

Joannes Patriarcha Aquilejensis.

Epiphanius Patriarcha Aquilejensis.

CAP. XXIII. (24) Phocas igitur, ut præmissum est, extincto Mauritio, ejusque filiis, Romanorum regnum invadit. Per octo annorum curricula principatus est. Hic rogante Papa Bonifacio, statuit Romanæ sedem Ecclesiæ, ut caput esset omnium Ecclesiarum: quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Idem alio Papa Bonifacio petente jussit in veteri fano, quod Pantheon vocabatur: ablatis idololatriæ sordibus, Ecclesiam Beatæ semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum Martyrum fieri: ut ubi quondam omnium non deorum, sed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum.

Phocas Imperator Orientis. U. C. 1384. p. C. N. 602.

Pantheon fit Ecclesia omnium Sanctorum.

CAP. XXIV. Hujus tempore, Prasini & Veneti per Orientem & Ægyptum civile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt. Persæ quoque adversus Rempublicam gravissima bella gerentes, multas Romanorum provincias, & ipsam Hierosolymam auferunt: & destruentes Ecclesias, sancta quoque profanantes, inter ornamenta locorum sanctorum vel communium, etiam vexillum Dominicæ crucis abducunt. Contra hunc Phocam Heraclianus, qui Africam regebat, rebellavit: atque cum exercitu veniens, eum vita, regnoque privavit, remque publicam Romanam (25) Heraclius ejusdem filius regendam suscepit.

Bellum cum Persis.

Phocas ab Heracliano interficitur.

Heraclius Imperator Orientis. U. C. 1392. p. C. N. 610.

CAP. XXV. His diebus defuncto Heraclio Augusto, apud Constantinopolim Heraclionas ejus filius cum matre Martina regni jura suscepit, rexitque Imperium duobus annis. Quo vita decedente, successit in loco ejus (26) Constantius germanus ejusdem filius Heraclii: imperavitque mensibus VI. Hoc etiam mortuo, Constantinus ejusdem filius ad regni dignitatem ascendit, tenuitque regnum annis XXVIII.

Heraclionas Imperator Orientis. U. C. 1423. p. C. N. 641.

Constantius Imperator. U. C. 1423. p. C. N. 641.

Constantinus vel Constans Imperator. U. C. 1424. p. C. N. 642.

(24) Phocas) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 580. vide Tab. XLI. num. 7.
(25) Heraclius) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 582. vide Tab. XLI. num. 8.
(26) Constantius) Hujus vultum ex BEGERI Th. Br. T. II. pag 855. vide Tab. XLII. num. 1.

Cæſarea regina Perſarum.

CAP. XXVI. Circa hæc tempora, regis Perſarum conjunx, nomine Cæſarea, de Perſide exiens, cum paucis ſuis fidelibus, privato habitu, propter Chriſtianæ fidei amorem, Conſtantinopolim venit. Quæ ab Imperatore honorifice ſuſcepta, poſt aliquot dies, ut deſiderabat, baptiſmum conſecuta eſt, & ab Auguſta de ſacro fonte levata eſt. Quod vir ejus Perſarum rex audiens, legatos Conſtantinopolim ad Auguſtum direxit, quatenus eidem uxorem ſuam redderet. Qui ad Imperatorem venientes, verbis regis Perſarum nuntiant: qui requirebat ſuam reginam; Imperator hoc audiens, remque omnino ignorans, eis reſponſum reddidit, dicens: *De regina, quam quæritis, fatemur, nos nihil ſcire, præterquam quod ad nos hic aliqua mulier privato habitu advenit.* Legati vero reſponderunt, dicentes: *Si placet, noſtro conſpectui, volumus hanc, quam dicitis mulierem videre.* Quæ cum juſſu Imperatoris adveniſſet, mox ut eam legati conſpiciunt, ad ejus veſtigia provolvuntur: eique venerabiliter, quia eam vir ſuus requireret, ſuggerunt. Quibus illa reſpondit, *Ite, renuntiate regi veſtro & domino, quia niſi ſicut ego jam credidi, ita & ipſe Chriſtum crediderit, me jam ultra conſortem tori habere non poterit.* Quid multa? Legati reverſi ad patriam, univerſa, quæ audierant, Regi renuntiant. Qui nihil moratus, cum LX. millibus viris Conſtantinopolim pacifice ad Imperatorem venit: à quo gratanter & ſatis digne ſuſceptus eſt: qui cum univerſis Chriſtum Dominum credens, pariter cum omnibus ſacri baptiſmatis unda perfuſus, & ab Auguſto de fonte levatus, Catholica fide confirmatus eſt: multiſque muneribus ab Auguſto honoratus, accepta ſua conjuge, lætus & gaudens ad ſuam patriam repedavit.

Baptizatur.

Rex Perſarum.

Pariter baptizatur.

Conſtans Langbardos aggreditur.

CAP. XXVII. His diebus (27) CONSTANTINUS, qui & Conſtans eſt appellatus, Italiam à Langbardorum manu eruere cupiens, Conſtantinopolim egreſſus, per littora iter habens, Athenas venit. Indeque mare transgreſſus Tarentum applicuit. Qui tamen prius ad ſolitarium quendam, qui prophetiæ ſpiritum habere dicebatur, abiit: ſtudioſe ab eo ſciſcitans, utrum gentem Langbardorum, quæ in Italia habitabat, ſuperare & obtinere poſſet. A quo cum ſervus Dei ſpatium unius noctis expetiſſet, ut pro hoc ipſo Dominum ſupplicaret: facto mane, ita eidem Auguſto reſpondit: *Gens Langbardorum ſuperari modo ab aliquo non poteſt: quia regina quædam ex alia provincia veniens, baſilicam Beati Joannis Baptiſtæ in Langbardorum finibus conſtruxit: & propter hoc ipſe Beatus Joannes pro Langbardorum gente continuo intercedit: Veniet autem tempus, quando ipſum oraculum habebitur deſpectui, & tunc gens ipſa peribit.* Quod nos ita factum eſſe probavimus, quia ante Langbardorum perditionem, eandem Beati Joannis baſilicam, quæ utique in loco, qui Modoëtia dicitur, eſt conſtituta, per viles perſonas ordinari conſpeximus: ita ut indignis perſonis & adulteris non vitæ merito, ſed præmii datione largiretur.

A viro ſancto dehortatur.

CAP. XXVIII. Igitur ut diximus, cum Conſtans Auguſtus Tarentum veniſſet, egreſſus exinde Beneventanorum fines invaſit: omneſque, per quas pene venerat, Langbardorum civitates cepit, Luceriamque opulentam Apuliæ civitatem expugnatam fortius invadens, diruit, & ad ſolum uſque proſtravit. Acheruntiam ſane propter munitiſſimam loci poſitionem capere minime potuit. Deinde cum omni ſuo exercitu Beneventum circumdedit, & eam vehementer expugnare cœpit. Ubi tunc Romualdi filius adhuc Juvenculus ducatum tenebat: qui ſtatim, ut Imperatoris adventum cognovit, nutritium ſuum nomine Seſualdum ad patrem Grimoaldum trans Padum direxit, obſecrans eum, ut quantocius veniret, filioque ſuo, ac Beneventanis, quos ipſe nutrierat, potenter ſuccurreret. Quod Grimoaldus rex audiens, ſtatim cum exercitu filio laturus auxilium, Beneventum pergere cœpit, quem plures ex Langbardis in itinere relinquentes, quia exſpoliaſſet palatium, & jam non reverſurus repeteret Beneventum.

Beneventum oppugnat.

Seſualdus nutrius Romualdi.

CAP. XXIX. Exercitus interim Conſtantis Beneventum diverſis machinis vehementer expugnabat: & contra Romualdus cum Langbardis fortiter reſiſtebat. Qui quamvis cum tanta multitudine congredi manu propter paucitatem exercitus non auderet: frequenter tamen cum expeditis juvenibus hoſtium caſtra irrumpens, magnas eiſdem inferebat undique clades. Cumque Grimoaldus ejus pater jam properaret, eundem nutritium ejus, de quo præmiſimus, ad filium miſit, qui ei ſuum adventum nuntiaret. Qui cum prope Beneventum veniſſet, à Græcis captus Imperatori delatus eſt: qui ab eo, *unde veniret* requirens, ille *ſe à Grimoaldo rege venire* dixit: *eundemque regem citius adventare* nuntiavit. Statimque Imperator territus, conſilium cum ſuis iniit, quatenus cum Romualdo paciſceretur, ut Neapolim poſſet reverti: acceptaque obſide Romualdi ſorore, cui nomen Giſa fuit, cum eodem pacem fecit. Ejus vero nutritum Geſualdum ad muros duci præcepit, *morte eidem minatus, ſi aliquid Romualdo, aut civibus de Grimoaldi adventu nuntiaret. Sed potius quidem aſſeveraret, eundem venire minime poſſe. Quod ille facturum, ut ei præcipiebatur,* promiſit: ſed cum prope muros adveniſſet, *velle ſe Romualdum vivere* dixit: quo cum Romualdus citius adveniſſet, ſic eum allocutus eſt. *Conſtans eſto domine Romualde, & habens fiduciam: noli turbari, quia tuus genitor citius tibi præbiturus auxilium aderit. Nam ſcias in iſta nocte juxta Satricum (a) fluvium cum valido exercitu manere: tantum obſecro, ut miſericordiam exhibeas meæ uxori & filiis: quia gens iſta perfida me vivere non ſinet.* Cumque hoc dixiſſet, juſſu Imperatoris caput ejus abſciſſum, atque cum belli machina, quam petrariam vocant, in urbem prolectum eſt. Quod caput Romu-

à Græcis capitur.

Et capite truncatur.

(a) al. *Sacegrum.*

(27) Conſtantinus) qui etiam Conſtans appellatur, cujus vultum ex BEGERO loc. cit. pag. 855. vide Tab. XLII. num. 2.

Romualdus ſibi juſſit deferri: idque lacrymis oſculatus eſt, dignoque in loco tumulari præcepit. Metuens ſubito Grimoaldi regis adventum Imperator, dimiſſa Beneventi obſidione, Neapolim proficiſcitur: cujus tamen exercitum Micola Capuanus comes, juxta fluenta Caloris fluminis, qui uſque hodie Pugna dicitur, vehementer attrivit.

CAP. XXX. Poſtquam vero Imperator Neapolim pervenit, unus ex ejus optimatibus, cui nomen Saburrus erat, ab Auguſto, ut fertur, XX. millia militum expetiit; ſeque cum Romualdo pugnaturum, victoremque ſpopondit. Qui cum accepto exercitu ad locum, cui nomen Floritius eſt, adveniſſet, ibique caſtra poſuiſſet; Grimoaldus, qui jam Beneventum advenerat, hæc audiens, contra eum proficiſci voluit. Cui filius, Romualdus; *Nec eſt opus*, inquit, *ſed tantum nobis partem de veſtro exercitu tribuite. Ego, Deo favente, cum eo pugnabo: & cum vicero, major utique gloria potentiæ veſtræ adſcribetur.* Factumque eſt, ut accepta aliqua parte de patris exercitu, pariterque cum ſuis hominibus contra Saburrum proficiſcitur: qui prius quam bellum cum eo iniret, à quatuor partibus tubas inſonare præcepit. Cumque utræque acies forti intentione pugnarent, tunc unus de regis exercitu nomine Amangus, qui contum regium ferre erat ſolitus, quendam Græculum eodem conto utriſque manibus fortiter percutiens de ſella, ſuper quam equitabat, ſuſtulit, eumque in aëra ſupra caput ſuum levavit. Quod cernens Græcorum exercitus, immenſo pavore perterritus, in fugam convertitur: ultimaque pernicie cæſus, ſibi fugiens mortem, Romualdo & Langbardis victoriam peperit.

Grimoaldus Romualdo auxilium fert.

Conſtans à Langbardis vincitur.

CAP. XXXI. Ita Saburrus, qui ſe Imperatori ſuo victoriæ trophæum de Langbardis promiſerat patrare, ad eum cum paucis remeans, ignominiam deportavit. Romualdus vero patrata de inimicis victoria, Beneventum triumphans ingreſſus eſt, patrique gaudium, & cunctis ſecuritatem, ſublato hoſtium timore, convexit. At vero Conſtans Auguſtus, cum nihil ſe contra Langbardos geſſiſſe conſpiceret, omnes ſævitiæ ſuæ minas contra ſuos, hoc eſt Romanos, contorſit. Nam ingreſſus Neapolim, Romam perrexit, cui ſexto ab Urbe milliario Vitalianus Papa cum ſacerdotibus, & Romano populo occurrit. Cui Auguſtus cum ad Beati Petri limina perveniſſet, obtulit ibi pallium auro textum: & manens apud Romam diebus XII. omnia, quæ fuerant antiquitus inſtructa ex ære, in ornamentum civitatis depoſuit, in tantum, ut etiam Baſilicam Beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, & condita fuerat in honorem omnium deorum, & jam ibi per conceſſionem ſuperiorum principum locus erat omnium martyrum, diſcooperiret, tegulaſque æreas exinde auferret, eaſque ſimul cum omnibus aliis ornamentis Conſtantinopolim tranſmitteret.

In Romanos ſævit.

CAP. XXXII. Deinde reverſus Imperator Neapolim, in littore Tyrrheno perrexit civitatem Rheginam. Ingreſſuſque Siciliam, per indictionem ſeptimam habitavit Syracuſas: & tales afflictiones in ſuo populo, ſeu habitatoribus, vel poſſeſſoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ exercuit, quales antea nunquam auditæ ſunt: ita, ut etiam uxores à maritis, vel filii à parentibus ſepararentur. Sed & alia multa & inaudita harum regionum populi ſunt perpeſſi, ita, ut alicui ſpes vitæ non relinqueretur. Nam & vaſa ſacra, vel ſimilia ſanctarum Dei Eccleſiarum, imperiali juſſu, & Græcorum avaritia ſublata ſunt.

Reliqua ejus ſævitia.

CAP. XXXIII. Manſit autem Imperator in Sicilia ab indictione ſeptima, uſque in duodecimam: ſed tandem tantarum iniquitatum pœnas luit: atque dum ſe in Balneo lavaret, à ſuis exſtinctus eſt, & ibidem magna cum ſolennitate à ſuis, ut decuit, tumulo traditus eſt. Interfecto igitur apud Syracuſas Conſtante Imperatore, Mezentius in Sicilia regnum arripuit: ſed abſque Orientalis exercitus voluntate, contra quem Italiæ milites, alii per Iſtriam, alii per partes Campaniæ, alii vero à partibus Africæ & Sardiniæ venientes in Syracuſas, eum vita privarunt. Multique ex judicibus ejus obtruncati, Conſtantinopolim perducti ſunt, cum quibus pariter & falſi Imperatoris caput eſt deportatum.

In Balneo tandem occiditur.

Mezentius Imperium affectans.

Occiditur.

CAP. XXXIV. Hæc audiens gens Sarracenorum, quæ jam Alexandriam & Ægyptum pervaſerat, ſubito cum multis navibus venientes, Siciliam invadunt, Syracuſas ingrediuntur, multamque ſtragem faciunt populorum, vix paucis evadentibus per munitiſſima caſtra & juga confugerunt montium; auferentes quoque prædam nimiam, & omnem illum, quem Conſtans Auguſtus à Roma abſtulerat ornatum, in re & diverſis ſpeciebus: ſicque Alexandriam ſimul reverſi ſunt. Porro regis filia, quam de Benevento obſidis nomine ſublatam diximus, in Siciliam veniens, diem ſuum clauſit extremum.

Sarraceni Siciliam ſpoliant.

CAP. XXXV. Igitur extincto, ut diximus, apud Siciliam Conſtante Auguſto, punitoque, qui ſucceſſerat, Mezentio tyranno, Romanorum regnum (28) CONSTANTINUS, Conſtantii Auguſti filius, ſuſcepit regendum, Romaniſque principatus eſt annis decem & ſeptem. Conſtantii ſane temporibus Theodorus Archiepiſcopus, & Hadrianus his temporibus Abbas exiſtens, vir æque doctiſſimus, à Vitaliano tunc Papa miſſi in Britanniam, plurimas Eccleſias Anglorum doctrinæ eccleſiaſticæ fruge fœcundarunt. E quibus etiam Theodorus Archiepiſcopus peccantium judicia quantis ſuppliciis, ſed pro unoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili & diſcreta conſideratione venuſtiſſime ac multum notabiliter deſcripſit.

Conſtantinus Imperator Orientis. U.C. 1450. p. C. N. 668.

Theodorus & Hadrianus ad convertendos Britannos mittuntur.

CAP. XXXVI. Dum hæc geruntur, hæreſis apud Conſtantinopolim orta eſt: quæ ita opinando erravit, quia unam in Domino noſtro JESU CHRISTO voluntatem & operationem aſſeverabat. Hanc autem hæreſim excitarunt Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Macharius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus. Quam ob cauſam Conſtantinus Auguſtus CL. Epiſcopos congregari fecit, inter quos fuerunt etiam

Concilium Conſtantinopolitanum Oecumenicum ſextum.

(28) Conſtantinus) Hujus vultum ex BEGERI Th. Br. T. II, pag. 856. vide Tab. XLII. num. 3.

U.C. 1450. p. C. N. 668.

etiam legati Sanctæ Romanæ ecclesiæ, missi ab Agathone Papa, Joannes diaconus, & Joannes Portuensis Episcopus, qui omnes eandem hæresim damnaverunt. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur: ac per hoc significatum est, quod sordes hereticæ pravitatis depulsæ sunt: & Gregorius quidem Patriarcha correctus est. Ceteri vero in sua defensione perseverantes, anathematis sunt ultione compulsi.

CAP. XXXVII. Eo tempore Damianus Ticinensis Ecclesiæ Episcopus, sub nomine Mansueti Mediolanensis Archiepiscopi hac de causa satis utilem, rectæque fidei epistolam composuit, quæ in præfata Synodo non mediocre suffragium tulit. Recta autem & vera fides est, ut sicut Domino nostro JESU CHRISTO duæ sunt naturæ, hoc est, Dei & hominis: sic etiam duæ credantur esse voluntates sive operationes. Vis audire de eo, quod Deitatis est? *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus.* Vis audire quod humanitatis? *Pater major me est.* Certe secundum humanitatem, cum Evangelista ait: *Jesus autem dormiebat in puppi super cervical.* Vide divinitatem: *tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Hæc est sexta Synodus universalis Constantinopoli celebrata, & Græcorum sermone conscripta, tempore Papæ Agathonis, & obsequente & adsistente Constantino principe intra septa palatii sui.

CAP. XXXVIII. Dehinc apud Constantinopolim Imperator moritur Constantinus, & ejus minor filius (29) JUSTINIANUS Romanorum regnum suscepit: cujus per X. annos gubernacula tenuit, ac Africam à Sarracenis abstulit, & cum eisdem pacem terra marique fecit. Hic Sergium Pontificem, qui in errorem illius Synodi, quam Constantinopoli fecerat, favere & subscribere noluit: misso Zacharia protospatario suo, jussit Constantinopolim deportari. Sed militia Ravennæ, vicinarumque partium, jussa principis nefanda contemnens, eundem Zachariam cum contumeliis ab Urbe Roma & injuriis expulit. Contra hunc Justinianum (30) LEO augustalem dignitatem arripiens, eum Imperio privavit, regnumque Romanorum tribus annis regens, Justinianum exulem in Ponto servavit. Rursusque (31) TIBERIUS contra hunc Leonem insurgens, regnum ejus invasit. Eumque toto, quo ipse regnavit, tempore, in eadem civitate custodia permaxima tenuit.

Justinianus Imperator Orientis. U. C. 1467. p. C. N. 685.

Leo Imperium invadit. U. C. 1477. p. C. N. 695.

Tiberius Imperium invadit. U. C. 1480. p. C. N. 698.

CAP. XXXIX. Hoc tempore Aquileia ob imperitiam fidei, quintum universale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus Beati Papæ Sergii monitis instructa, & ipsa huic cum ceteris Christi Ecclesiis annuere consentit. Facta est autem hæc Synodus Constantinopoli temporibus Papæ Julii, sub Justiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos, qui Beatam Mariam solum hominem, non Deum & hominem, genuisse affirmant. In qua Synodo catholice est institutum, ut Beata Maria semper Virgo Θεοτόκος diceretur, quia, sicut Catholica fides habet, non solum hominem, sed vere Deum & hominem genuit.

Concilium Constantinopolitanum Oecumenicum quintum. U. C. 1299. p. C. N. 547.

CAP. XL. Hoc tempore apud Gallias in Francorum regnum Anchis Arnulphi filius, qui de nomine Anchisæ quondam Trojani creditur appellatus, sub nomine Majoris domus gerebat principatum. At vero Justinianus, qui amisso principatu, in Ponto exulabat, auxilio Trebelli, Bulgarorum regis, regnum rursus recipiens, eos, qui se expulerant, patritios occidit. Leonem quoque & Tiberium, qui locum ejus usurparant, cepit, & in medio circo coram omni populo jugulari præcepit. Gallicinum vero Patriarcham Constantinopolitanum, erutis oculis, Romam misit: Cyrumque Abbatem, qui eum in Ponto exulem aluerat, Episcopum in loco Gallicini constituit. Hic Constantinum Papam ad se venire jubens, honorifice suscepit, ac remisit. Quem prostratus in terra, pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta ejus Ecclesiæ privilegia renovavit. Qui cum exercitum in Ponto mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegaverat: multum eum idem Venerabilis Papa prohibuit, ne hoc facere deberet, sed tamen inhibere non potuit. Exercitus quoque, qui missus contra Philippicum fuerat, ad partem se Philippici contulit, eumque Imperatorem fecit: qui Constantinopolim contra Justinianum veniens, cum eo ab Urbe milliario duodecimo pugnavit, vicit, & occidit, regnumque ejus adeptus est.

Justinianus Imperator restituitur. U. C. 1487. p. C. N. 705.

A Philippico vincitur & occiditur.

CAP. XLI. Imperavit autem Justinianus cum filio Tiberio in hac secunda vice annis VI. quem Leo in expulsione illius naribus detruncavit. Qui post iterum assumpto Imperio, quoties defluentem guttam rheumatis manu detersit, pene toties aliquos ex iis, qui contra eum fuerant, jugulari præcepit. At vero (32) PHILIPPICUS, qui & Dardanes, postquam imperiali dignitate confirmatus est, Cyrum, de quo dixeramus, de pontificatu ejectum, ad gubernandum monasterium suum Pontum redire præcepit. Hic Philippicus Constantino Papæ literas pravi dogmatis direxit: quas ille cum Apostolicæ sedis consilio respuit, & hujus rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri: quæ & gesta sex sanctarum Synodorum universalium continet. Nam & hujusmodi pictura, cum haberetur in Urbe regia, Philippicus jusserat auferri. Statuit populus, ne hæretici Imperatoris nomen aut chartam, aut figuram solitas susciperent. Unde nec ejus effigies in Ecclesia introducta est, nec nomen ad missarum solemnia prolatum.


Philippicus Dardanes Imperator Orientis. U. C. 1493. p. C. N. 711.

Sextum Concilium impugnat.

CAP. XLII. Hic cum anno uno & sex mensibus regnum gessisset, contra eum Anastasius, qui & Arthemius dictus est, insurgens, eum regno expulit, oculisque privavit, nec tamen occidit. Hic Anastasius literas Constantino Papæ Romam per Scholasticum patritium, & Exarchum Italiæ direxit: quibus se fautorem Catho-

Anastasius Imperator Orientis. U. C. 1495. p. C. N. 713.

(29) Justinianus) Hujus vultum ex BEGERO loc. cit. pag. 857. vide Tab. XLII. num. 4.
(30) Leo) Vel potius LEONTIUS, cujus vultum ex BEGERO loc. cit. vide Tab. XLII. num. 5.
(31) Tiberius) Hujus vultum ex BEGERO loc. cit. pag. 856. vide Tab. XLII. num. 6.
(32) Philippicus) Hujus vultum ex BEGERO loc. cit. pag. 858. vide Tab. XLII. num. 7.


Tab. XLII.
ad pag. 221. 222. 223
224. 225.
AR
I
DD.NN.HERACLIVSETHERACONST
Γ
AR
II
DN.CONS TANTIN
Γ
AR
III
D.N.CONSTAN TIN
Γ
AR
IV
DN.IVSTINIANVS.ET.TIBERIVS.P.P.A
Δ
AR
V
DN.LEON TIVS P.P.AVG.
Δ
AR
VI
D. TIBE RIVS. P.P.
Γ
AR
VII
DN.FILEPICVS
Δ
AR
VIII
DN.D.LEO NPAMVL.
Γ

Sextum Concilium defendit.

Catholicæ fidei, & ſanctæ ſextæ Synodi, vel Concilii prædicatorem eſſe declaravit.

CAP. XLIII. Hoc tempore Anaſtaſius Imperator, claſſem in Alexandriam contra Saracenos direxit: cujus exercitus ad aliud verſus Conſilium, ab itinere medio Conſtantinopolitanam Urbem regreſſus, Theodoſium Orthodoxum inquirens, Imperatorem elegit, atque coactum in ſolio imperiali confirmavit. Qui Theodoſius apud Niceam civitatem, Anaſtaſium gravi prælio vicit: datoque ſibi ſacramento, eum clericum fieri, ac presbyterum fecit ordinari. Ipſe vero, ut regnum ſuſcepit, mox in regia Urbe imaginem illam venerandam, in qua ſanctæ Synodus erant depictæ, & à Philippico fuerat dejecta, priſtino in loco erexit.

Theodoſius Imperator Orientis. U. C. 1497. p. C. N. 715.

Anaſtaſius monachus.

Tiberis inundatio.

CAP. XLIV. His diebus ita Tiberis fluvius inundavit, ut alveum ſuum egreſſus, multa Romanæ fecerit exitia civitati, ita ut via lata ad unam & ſemis ſtaturam excreſceret, atque ſancti Petri uſque ad pontem Milvium aquæ deſcendentes contingerent. Manſit autem diebus ſeptem, donec agentibus Litanias crebras civibus, octavo demum die reverſæ ſunt. Inter hæc defuncto Imperatore Theodoſio, qui uno ſolummodo Imperium rexerat anno, ejus in loco (33) Leo Auguſtus ſubrogatur.

Leo Imperator Orientis. U. C. 1499. p. C. N. 717.

Sarraceni Conſtantinopolim obſident.

CAP. XLV. Hoc etiam tempore, eadem Sarracenorum gens, cum immenſo exercitu Conſtantinopolim circumdedit, ac per continuum triennium obſedit, donec civibus multa inſtantia ad Deum clamantibus, plurimi eorum fame, & frigore, bello, peſtilentiaque perirent, ac ſic partes obſidionis abſcederent. Qui inde egreſſi, Bulgarorum gentem, quæ eſt ſupra Danubium, bello aggrediuntur: & ab hac quoque victi, ad ſuas naves refugiunt. Qui cum altum peterent, irruente ſubita tempeſtate, plurimis etiam merſis ſive contritis navibus, perierunt. Intra Conſtantinopolim vero trecenta millia peſtilentia perierunt.

A Bulgaris victi.

Leonis perſecutio in ſacras imagines.

CAP. XLVI. Hac tempeſtate Leo Imperator apud Conſtantinopolim Sanctorum imagines depoſitas incendit, Romanoque Pontifici ſimilia facere, ſi imperialem gratiam habere vellet, mandavit. Sed Pontifex hoc facere contempſit: omnes quoque Ravennæ exercitus, vel Venetiarum talibus juſſis uno animo reſtiterunt: & niſi eos Pontifex prohibuiſſet, Imperatorem ſuper ſe conſtituere aggreſſi fuiſſent.

Luitprandus Ravennam obſidet.

CAP. XLVII. Eo tempore, Langbardorum rex Luitprandus Ravennam obſedit, claſſem invaſit, atque deſtruxit. Tunc Paullus patritius extra Ravennam miſit, qui Pontificem interimerent. Sed Langbardis pro defenſione Pontificis repugnantibus, Spoletanis in ſolatio poſitis, & ex aliis partibus Langbardis Thuſcis reſiſtentibus, Conſilium Ravennatium diſſipatum eſt. Rurſus cum Ravennam Luitprandus regis nepos, & Peredeo Vicentius dux obtinerent: irruentibus ſubito Venetis, Luitprandus ab eis captus eſt: Peredeo viriliter pugnans occubuit.

Leonis Imperatoris ſævitia.

CAP. XLVIII. Per idem tempus Leo Auguſtus ad pejora progreſſus eſt: ita, ut compelleret omnes Conſtantinopolim habitantes, tam vi quam blandimentis, ut deponerent, ubicunque haberent, imagines, tam Salvatoris, quam ejus Sanctæ Genitricis, vel omnium Sanctorum, eaſque in medio civitatis incendio concremari fecit. Et quia plerique è populo tale ſcelus fieri præpediebant, aliquanti ex eis capite truncati, alii parte corporis mulctati ſunt. Hujus errori Germanus Patriarcha non conſentiens, à propria ſede depulſus eſt, & ejus in loco Anaſtaſius presbyter ordinatus eſt.

(33) Leo) Leo nimirum Iſaurus, cujus vultum ex BEGERO loc. cit. pag. 858. vide Tab. XLII. num. 8.



M. AU-

M. AURELII CASSIODORI
SENATORIS
V. C.
CHRONICON
AD
THEODERICUM REGEM.



MAGNI AURELII CASSIODORI

SENATORIS, V. C. & INLUSTRIS, EXQUÆSTORIS SACRI PALATII, EXCONSULIS ORDINARII, EXMAGISTRI OFFIC. PRÆF. PRÆT. ATQUE PATRITII.

CHRONICON

AD

THEODERICUM REGEM.

PRÆFATIO.

SApientia principali, qua semper magna revolvitis, in Ordinem me, Consules, digerere censuistis: ut qui annum ornaveritis glorioso nomine, redderetis Fastis veritatis pristinæ veritatem. Parui libens præceptis, & librariorum varietate detersa, operi fidem historicæ auctoritatis impressi, quatenus vester animus per inlustres delectatus eventus, blando compendio longissimam mundi pecurrat ætatem.

CHRONICON.

Diluvium. a. O. C. 1656.

AB ADAM primo homine usque ad diluvium, quod factum est sub Noë, colliguntur anni II ∞ CC XLII.

Causa diluvii.

Diluvium autem factum est propter gigantum nimiam feritatem, qui corporis magnitudine parique animi sævitia prævalentes, humanitatis jus omne confuderant.

Ninus.

Et à diluvio usque ad Ninum, qui primus omnium apud Assyrios regnavit, ann. . . . DCCCXIX.

REGES ASSYRII.

REGES ASSYRII. O. C. 2008. a. U. C. 1240. a. C. N. 1992.

NINUS itaque regnavit apud Assyrios annis LII.
Hujus imperii annis XLII. natus est Abraham. Is etiam condidit Niniven.

SEMIRAMIS uxor Nini regnavit annos XLII.
Hæc Babyloniæ muros instaurasse memoratur.

NINIAS filius Nini & Semiramidis regnavit annis . . . XXXVIII.

ARIUS regnavit ann. . . XXX.

ARELIUS regnavit ann. . . XL.

XERXES, qui & BALANEUS regnavit annis XXX.

ARMAMETRES regnavit ann. . XXXVIII.

BOLECHUS regnavit annis . XXXV.

BALEUS regnavit annis . : LII.

ALTADAS regnavit annis . XXXII.
Hujus temporibus fuit Prometheus vir sapiens.

MANCHALEUS regnavit ann. . XXX.

Hujus temporibus Atlas frater Promethei præcipuus Astrologus habetur.
IPHEREUS regnavit ann. . . XX.
MAMYLUS regnavit annis. . . XXX.
SPARETUS regnavit annis . . XL.
Hujus temporibus à Cecrope rege Athenæ sunt conditæ.
O. C. 2513. a. U. C. 1487. a. C. N. 725.
ASCADES regnavit annis . . XL.
Hujus temporibus Moses in monte Sina divinam suscepit legem.
AMYNTHES regnavit annis . . XIV.
Hujus temporibus Jesus, successor Mosis terram Palæstinorum Judæ ac genti distribuit.
BELOCHUS regnavit annis . . XXV.
BELLEPARES regnavit annis . . XXX.
LAMPRIDES regnavit annis . XXXII.
SOSARES regnavit annis . . XX.
Hujus temporibus equus velocissimus Pegasus invenitur.
LAMPARES regnavit annis . XXX.
PANIAS regnavit annis . . XIV.
SOSARMUS regnavit annis . . XIX.
Hujus temporibus Argonautarum navigatio, & Orpheus Thrax musicus opinabilis habetur.
MITHREUS regnavit annis . . XXVII.
Hujus temporibus Hercules athleticam exercuit, & Priamus apud Ilium regnat.
Per hos igitur reges Assyriorum colliguntur anni . . DCCCLII.

REGES LATINI.

REGES LATINI.
LATINUS regnavit annis . XXXII.
A quo Latini sunt appellati.
Troja capta. O. C. 2793. a. U. C. 455. a. C. N. 1207.
Hujus imperii ann. XXV. *Troja capta est, ad quem Æneas profugus venit; factusque gener ejus, ei successit in regnum.*
ÆNEAS post VIII. annos Trojæ captæ, regnavit in Italia annis . . III.
ASCANIUS filius ejus regnavit annis XXXVIII.
Qui Albanum condidit.
SILVIUS, Æneæ filius de Lavinia, regnavit annis . . XXIX.
Hujus temporibus Homerus poëta fuisse memoratur.
ÆNEAS SILVIUS regnavit annis . XXXII.
David Rex Judæorum.
Hujus temporibus Hebræorum rex David Hierosolymis regnavit.
O. C. 2919. a. U. C. 329. a. C. N. 1081. Carthago condita. Salomon Rex Judæorum.
LATINUS SILVIUS regnavit annis . L.
Hujus temporibus Amazones (a) *Asiam vastaverunt. Carthago condita est à Carchedone Tyrio, ut quidam dicunt. Salomon* [*quoque*] *filius David, regnans Hierosolymis, templum famosissimum condidit.*
ALBA SILVIUS regnavit annis . XXXIX.
ÆGYPTUS SILVIUS regnavit annis . XXIV.
CAPYS SILVIUS regnavit annis . XXVIII.
CAPETUS (b) SILVIUS regnavit annis . XIII.
TIBERINUS SILVIUS regnavit annis . VIII.
AGRIPPA SILVIUS regnavit annis . XL.
AREMULUS SILVIUS regnavit annis . XIX.
Hujus temporibus Lycurgus apud Lacedæmonas jura composuit.
AVENTINUS SILVIUS regnavit annis XXXVII.
A quo mons Romanorum, quia ibi sepultus est, nomen accepit.
PROCAS SILVIUS regnavit annis . XXIII.
AMULIUS SILVIUS regnavit annis . XLIV.
Qui fratrem suum NUMITOREM regno expulit, cujus tempora isti sunt applicata.

REGES ROMANI.

REGES ROMANI. O. C. 3230. U. C. 1. Ol. 7. a. C. N. 752.
ROMULUS regnavit annis . XXXVIII.
A quo Roma condita est, & ex Latinis Romani sunt nuncupati. (c) Hic primum C. constituit Senatores.
Hujus temporibus Syracusæ & Catina in Sicilia conditæ sunt.
NUMA POMPILIUS regnavit annis . XLI.
Qui duos menses anno addidit, Januarium & Februarium, cum ante hunc X. tantum menses apud Romanos fuissent. Capitolium quoque à fundamentis construxit.
Cujus etiam temporibus Sibylla in Samo insignis habita est.
TULLUS HOSTILIUS regnavit annis . XXXII.
Qui primus apud Romanos purpura usus est.
Cujus temporibus Chalcedon conditur, & Byzantium, quæ nunc Constantinopolis appellatur.
ANCUS MARCIUS regnavit annis . XXIII.
Qui sextodecimo milliario ab Urbe [Roma] Ostiam condidit.
TARQUINIUS PRISCUS regnavit annis XXXVII.
Hujus temporibus Massilia in Galliis condita est.
SERVIUS TULLIUS regnavit annis . XXXIV.
Qui primus censum instituit civium Romanorum.
Hujus temporibus apud Persas Cyrus primum regnare cœpit.
TARQUINIUS SUPERBUS regnavit annis XXXV.
Hujus temporibus Pythagoras physicus philosophus, clarus habetur.
Expulso autem Urbe Tarquinio, bini CONSULES cœperunt pro uno rege annis singulis administrare Rempublicam.

HINC CONSULES.

CONSULES ROMANI. O. C. 3490. U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510.
L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.
Hi annum integrum minime tenuerunt ad peragendum tempus. Aliis subrogatis, id est: P. Valerio, SP. Lucretio, & Horatio Pulvillo.
P. Valerius II. & Titus Lucretius.
[P. Valerius III. & M. Horatius II.]
Spurius Lartius, & Titus Hermenius.
P. Valerius III. & P. Postumius.
P. Valerius IV. & Titus Lucretius II.
Agrippa Menenius & P. Postumius.
Opiter Virginius & Sp. Cassius.
Postumius Cominius & T. Lartius.
His Coss. DICTATOR primus T. Lartius & MAGISTER EQUITUM SP. Cassius ordinantur.
Servius Sulpicius & M. Tullius.
T. Æbutius & L. Vetusius.
Q. Clœlius & T. Lartius.
A. Sempronius & M. Minucius.
A. Postumius & T. Virginius.
App. Claudius & P. Servilius.
C. Virginius & T. Vetusius.
Sp. Cassius & Postumus Cominius.
T. Geganius & P. Minucius.
M. Minucius & A. Sempronius.
Sp. Nautius & Sex. Furius.
T. Sicinius (d) & C. Aquilius.
Sp. Cassius & Proculus Virginius.
Ser. Cor-

(a) al. *Amasones.* (b) al. Carpentus. (c) al. conditi. (d) al. Siccius.

Ser. Cornelius & Q. Fabius.
L. Æmilius & Cæſo Fabius. (*e*)
M. Fabius & L. Valerius.
Q. Fabius & C. Julius.
Cæſo (*f*) Fabius & Sp. Furius.
M. Fabius & Cn. Manlius.
Cæſo (*g*) Fabius & T. Virginius.
L. Æmilius & C. Servilius.
C. Horatius & T. Menenius.
A. Virginius & Spurius Servilius.
C. Nautius & P. Valerius.
L. Furius & C. Manlius.
L. Æmilius & Opiter Virginius.
L. Pinarius & P. Furius.
Ap. Claudius & T. Quintius Capitolinus.
L. Valerius & Tib. Æmilius.
T. Numicius & A. Virginius.
T. Quintius II. & Q. Servilius.
T. Æmilius II. & Q. Fabius.
Q. Servilius & Sp. Poſtumius.
Q. Fabius II. & T. Quintius III.
A. Poſtumius Albus & Sp. Furius.
L. Æbutius & P. Servilius.
L. Lucretius Tricipitinus & T. Veturius Geminus.
P. Volumnius & Ser. Sulpicius.
C. Claudius & P. Valerius.
Q. Fabius III. & L. Cornelius Maluginenſis.
L. Minucius & L. Nautius.
Q. Minucius & M. Horatius Pulvillus.
M. Valerius & Sp. Virginius.
C. Veturius & T. Romilius.
Sp. Tarpejus & A. Aternius.

His Coss. legati Athenas miſſi ad leges deſcribendas.

Legati Athenas ad leges deſcribenda miſſi, O. C. 3545. U C. 298 Ol. 81. a. C. N. 455.

P. Curiatius & Sex. Quintilius.
T. Menenius & P. Seſtius.

Hoc tempore à Coss. ad Decemviros tranſlatum imperium eſt, per quos III. annis adminiſtrata reſpublica eſt, atque iterum Conſules creati ſunt.

Decemviri creati, O.C. 3548. U. C 301. Ol. 82. a. C. N. 452.

L. Valerius & M. Horatius.
L. Herminius & T. Virginius.
M. Geganius & C. Julius.
T. Quintius IV. & Agrippa Furius.
M. Genucius & T. Curiatius.
L. Papirius & L. Semprónius.
M. Geganius II. & T. Quintius V.
M. Fabius & Poſtumus Æbutius.
C. Furius Pacilus, & M. Papirius Craſſus.
Proculus Geganius & L. Menenius.
T. Quintius VI. & Agrippa Menenius.
M. Geganius III. & L. Sergius.
M. Cornelius Maluginenſis & L. Papirius Craſſus.
C. Julius II. & L. Virginius.
C. Julius III. & L. Virginius II.
T. Quintius Pennus & Cn. Julius Mento.
L. Papirius Craſſus & L. Julius.
L. Sergius II. & Hoſtus Lucretius.
A. Cornelius Coſſus & T. Quintius Pennus II.
P. Servilius Ahala & L. Papirius Mugilanus.
C. Sempronius & Q. Fabius Vibulanus.
Numerius Fabius Vibulanus & T. Quintius Capitolinus.
M. Cornelius Coſſus, & C. Furius Medullinus.
Q. Fabius Ambuſtus, & C. Furius Pacilus.
M. Papirius & C. Nautius.
M. Æmilius & C. Valerius.
Cn. Cornelius & L. Furius II.
L. Lucretius & Servius Sulpicius Camerinus.
L. Valerius Potitus, & M. Manlius.

His Coss. poſt Urbem captam redeuntes Gallos dux Romanus, nomine Camillus, extinxit: de quibus triumphans in Urbe, quaſi & ipſe patriæ conditor, Romulus meruit nuncupari. Tunc dignitates mutatæ ſunt, & in loco Conſulum per annos XXVII. Tribuni Militares fuerunt. Quibus ob inſolentiam remotis, per annos IV. poteſtas Conſulum tribunorumque ceſſavit. Deinde rurſus tribus annis per tribunos militares eſt adminiſtrata reſpublica. Poſt annos vero XXIV. reverſa eſt dignitas conſularis.

Roma à Gallis capta. O.C. 3610. U. C. 363. Ol. 97. a. C. N. 390.

Tribuni militum Romæ creati. O.C. 3556. U. C. 309. Ol. 84. a. C. N. 444.

L. Sextius de Plebe & L. Æmilius Mamercus patritius.
L. Genucius & Q. Servilius.
C. Sulpicius Pæticus & C. Licinius Stolo.
Cn. Genucius & L. Æmilius Mamercus II.
Q. Servilius Ahala & L. Genucius.
C. Sulpicius II. & C. Licinius.
C. Pœtilius Balbus & M. Fabius Ambuſtus.
M. Popillius Lænas & Cn. Manlius.
C. Plautius & C. Fabius.
C. Marcius & Cn. Manlius.
M. Fabius Ambuſtus II. & M. Popillius Lænas II.
C. Sulpicius Pæticus III. & M. Valerius Publicola.
M. Fabius III. & T. Quintius.
C. Sulpicius IV. & M. Valerius II.
P. Valerius & C. Marcius Rutilus II.
C. Sulpicius Pæticus & T. Quintius Pennus.
M. Popillius III. & L. Cornelius Scipio.
L. Furius Camillus & App. Claudius Craſſus.
M. Valerius Corvinus & M. Popillius Lænas IV.
T. Manlius Torquatus & C. Plautius.
M. Valerius II. & C. Pœtilius II.
M. Fabius Dorſo & Ser. Sulpicius Camerinus.
C. Marcius III. & T. Manlius II.
M. Valerius III. & A. Cornelius Coſſus.
C. Marcius Rutilus & Q. Servilius.
C. Plautius II. & L. Æmilius Mamercus.
T. Manlius III. & P. Decius Mus.
Ti. Æmilius Mamercus & Q. Publilius Philo.
L. Furius Camillus & C. Mænius.

His Coss. roſtra navium de Antiatibus in foro fixa ſunt.

Roſtra navium Antiatium in foro figuntur. O.C. 3664. U. C. 417. Ol. 111. a. C. N. 336.

C. Sulpicius Longus & P. Ælius Pætus.
L. Papirius Craſſus & Cæſo (*h*) Duilius.
M. Valerius IV. & M. Attilius Regulus.
T. Veturius & Sp. Poſtumius.
A. Cornelius II. & Cn. Domitius.

His Coss. pax cum Alexandro Epiri rege facta eſt.

Pax cum Alexandro Epiri rege. O. C. 3669. U. C. 422. Ol. 112. a. C. N. 331.

M. Claudius Marcellus & C. Valerius.
L. Papirius Craſſus II. & L. Plautius Venno.
L. Æmilius Mamercus & Cn. Plautius.
C. Plautius Proculus & P. Cornelius Scapula.
L. Cornelius Lentulus & Q. Publilius Philo II.
C. Pœtilius III. & L. Papirius Mugilanus.

His Coss. Alexandria in Ægypto condita.

Alexandria condita.

L. Furius

(*e*) al. & K. Fabius. (*f*) al. K. (*g*) al. K. (*h*) al. K.

O. C. 3676. U. C. 429. Ol. 114. a. C. N. 324.

L. Furius Camillus II. & Junius Brutus Scæva.
C. Sulpicius Longus II. & Q. Ælius. (*i*)
Q. Fabius & L. Fulvius.
T. Veturius Calvinus & Sp. Poſtumius.
L. Papirius & Q. Publilius Philo.
L. Papirius & Q. Aulus Cerretanus.
M. Foslius & L. Plautius Venno.
C. Junius Bubulcus & Q. Æmilius Barbula.
Sp. Nautius & M. Popillius.
L. Papirius Curſor & Q. Publilius. (*k*)
M. Pœtilius & C. Sulpicius.
L. Papirius Curſor & C. Junius Bubulcus II.
Marcus Valerius & P. Decius.

Via Appia & Aqua Claudia. O.C. 3689. U. C. 442. Ol. 117. a. C. N. 311.

His Coss. per Appium Claudium Cenſorem via facta & aqua inducta eſt, qnæ ipſius nomine nuncupantur,
C. Junius Bubulcus III. & Q. Æmilius Barbula II.
Q. Fabius II. & C. Marcius Rutilus.
Q. Fabius III. & P. Decius II.
App. Claudius & L. Volumnius.
His Coss. viæ per agros publicæ factæ.
P. Cornelius Arvina & Q. Marcius Tremulus.
L. Poſtumius & T. Minucius.
P. Sulpicius Saverrio & P. Sempronius Sophus.
L. Genucius & Ser. Cornelius.
M. Livius & L. Æmilius.
M. Valerius & Q. Appuleius.
M. Fulvius Pætus & T. Manlius Torquatus.
L. Cornelius Scipio & Cn. Fulvius.
Q. Fabius Maximus IV. & P. Decius Mus III.
L. Volumnius & App. Claudius.
Q. Fabius V. & P. Decius IV.
L. Poſtumius Megellus, & M. Atilius Regulus.
L. Papirius Curſor & Sp. Carvilius.
Q. Fabius Gurges, & D. Junius Brutus Scæva.
L. Poſtumius, & C. Junius.
P. Cornelius Rufinus & M. Curius Dentatus.
M. Valerius & Q. Cæditius.
Q. Marcius & P. Cornelius.
M. Marcellus & C. Nautius.
M. Valerius & C. Ælius.
C. Claudius & M. Æmilius.
C. Servilius & L. Cælius.
P. Cornelius Dolabella, & Cn. Domitius.
C. Fabricius & Q. Æmilius.
L. Æmilius, & Q. Marcius.
P. Valerius & Ti. Coruncanius.
P. Sulpicius & P. Decius.
C. Fabricius & Q. Æmilius.
P. Cornelius & C. Junius.
Q. Fabius & C. Genucius.
M. Curius & L. Lentulus.
Ser. Cornelius & M. Curius.
C. Fabius & C. Claudius.
L. Papirius Curſor, & Sp. Carvilius.
C. Quintius & L. Genucius.
C. Genucius & Cn. Cornelius.
P. Sempronius & App. Claudius.
M. Atilius & L. Julius Libo.
D. Junius & M. Fabius.
App. Claudius & Q. Fulvius.
M. Valerius & M. Otacilius.
L. Poſtumius & Q. Mamilius.
L. Valerius & L. Otacilius.
Cn. Cornelius & C. Duilius.
C. Aquilius & L. Cornelius.
A. Atilius Calatinus, & C. Sulpicius.
Cn. Cornelius & C. Atilius Serranus.
Q. Cædicius & L. Manlius.
M. Æmilius Paullus & Servius Fulvius Nobilior.
Cn. Cornelius & A. Atilius.
Cn. Servilius & C. Sempronius.
C. Aurelius Cotta, & P. Servilius.
L. Cæcilius Metellus, & C. Furius.
C. Atilius Regulus, & L. Manlius.
P. Claudius & L. Junius.
P. Servilius & C. Aurelius.
L. Cæcilius & N. Fabius.
M. Fabius & M. Otacilius.
M. Fabius & C. Atilius.
A. Manlius & C. Sempronius.
C. Fundanius & C. Sulpicius.
C. Lutatius Cerco & A. Poſtumius.
Q. Lutatius Catulus, & A. Manlius.
C. Claudius Centho & M. Sempronius.
His Coss. ludis Romanis primum Tragœdia & Comœdia à Lucio Livio ad ſcenam data.

Ludi ſcenici. O. C. 3636. U. C. 389. Ol. 104. a. C. N. 364.

C. Mamilius & Q. Valerius.
T. Sempronius & P. Cornelius.
L. Cornelius & Q. Fulvius.
C. Licinius & P. Cornelius.
T. Manlius Torquatus & C. Atilius.
L. Poſtumius & Sp. Carvilius.
Q. Fabius & M. Pomponius.
M. Lepidus & M. Poblicius.
C. Papirius & M. Pomponius.
M. Æmilius & M. Junius.
His Coss. Hamilcar Hannibalis pater, in Hiſpania bellum Romanis parans, occiſus eſt. Hic ſolitus eſt dicere, quatuor ſe filios contra P. R. velut Catulos leoninos educare.

Amilcar occiditur. O. C. 3780. U. C. 533. Ol. 140. a. C. N. 220.

L. Poſtumius & Cn. Fulvius.
Q. Fabius II. & Sp. Carvilius.
P. Valerius & M. Atilius.
L. Apuſtius & M. Valerius.
C. Atilius & L. Æmilius.
T. Manlius & Q. Fulvius II.
C. Flaminius & P. Furius Philus.
M. Marcellus & Cn. Cornelius.
P. Cornelius & M. Minucius.
L. Veturius & C. Lutatius.
His Coss. via Flaminia munita, & Circus factus qui Flaminius appellatur.
M. Livius & L. Æmilius.
His Coss. Hannibal Hamilcaris filius in Hiſpania bellum molitur.

Annibal in Hiſpania bellum molitur. O. C. 3780. U. C. 533. Ol. 140. a. C. N. 220.

P. Cornelius Scipio & Titius Sempronius Longus.
Cn. Servilius Geminus & C. Flaminius.
L. Æmilius Paullus & C. Terentius Varro.
Ti. Sempronius Gracchus & Q. Fabius Maximus III.
Q. Fabius Maximus IV. & M. Marcellus II.
Q. Fabius Maximus & Ti. Sempronius Gracchus.
Q. Fulvius Flaccus III. & Appius Claudius Pulcher II.
Cn. Fulvius Centimalus & P. Sulpicius Galba.
M. Marcellus III. & M. Valerius Lævinus.
Q. Fabius V. & Q. Fulvius Flaccus IV.

M. Mar-

(*i*) al. Aulius. (*k*) al. L. Papirius Jun. & Q. Publius.

M. Marcellus IV. & Ti. Quintius.
C. Claudius Nero & M. Livius Salinator.
L. Veturius Philo & Q. Cæcilius Metellus.
P. Scipio & P. Licinius Craſſus.
M. Cornelius Cethegus & P. Sempronius Tuditanus.
Cn. Servilius Cæpio & Cn. Servilius Geminus.
M. Servilius Geminus & T. Claudius Nero.
Cn. Cornelius Lentulus & P. Ælius Pætus.
P. Sulpicius Galba & C. Cotta.
L. Cornelius Lentulus & P. Villius.
Sex. Ælius Pætus & T. Quintius Flamininus.
C. Cornelius Cethegus & Q. Minucius Rufus.
L. Furius & M. Marcellus.
L. Valerius Flaccus & M. Porcius Cato.
P. Scipio Africanus II. & Tib. Sempronius Longus.
L. Cornelius Merula & Q. Minucius Thermus.
L. Quintius & Cn. Domitius Ænobarbus.
P. Cornelius Scipio Naſica & M. Acilius Glabrio.
L. Cornelius Scipio & C. Lælius Africanus.
M. Fulvius Nobilior & Cn. Manlius Vulſo.
M. Valerius Meſſala & C. Livius Salinator.
M. Æmilius Lepidus & C. Flaminius.
Sp. Poſtumius Albinus & Q. Marcius Philippus.

Athletarum certamen primum Romæ. O. C. 3813. U. C. 566. Ol. 148. a. C. N. 187.

His Coss. Athletarum certamina primum à Fulvio edita.
App. Claudius Pulcher & M. Sempronius Tuditanus.
P. Claudius Pulcher & L. Porcius Licinius.
M. Claudius Marcellus & Q. Fabius Labeo.

Annibal moritur. O. C. 3816. U. C. 569. Ol. 149. a. C. N. 184.

His Coss. Hannibal apud Pruſiam veneno periit.
L. Æmilius Paullus & Cn. Bæbius Tamphilus.
P. Cornelius Lentulus & M. Bæbius Tamphilus.
A. Poſtumius Albinus & C. Calpurnius Piſo.
Q. Fulvius & L. Manlius.
M. Junius & Cn. Manlius.
Tib. Sempronius & C. Claudius.
Cn. Cornelius & Q. Pœtillius.
M. Lepidus & Q. Mucius.
Sp. Poſtumius & Q. Mucius.
L. Poſtumius Albinus & M. Popillius.
C. Popillius & P. Ælius.
P. Licinius & C. Caſſius.
C. Hoſtilius Mancinus & C. Atilius.
L. Marcius Philippus & Q. Servilius.
L. Paullus II. & C. Licinius.
Q. Ælius Pætus & M. Junius.
M. Marcellus & C. Sulpicius.
Cn. Octavius & T. Manlius.
A Manlius & Quintus Caſſius.
T. Sempronius & M. Juvencius.
P. Scipio Naſica & C. Marcius.
M. Meſſala & C. Fannius.
L. Anicius & M. Cornelius.
Cn. Cornelius Dolabella & M. Fulvius.
M. Æmilius & C. Popillius.

Metalla in Macedonia inſtituta. O. C. 3832. U. C. 585. Ol. 153. a. C. N. 168.

His Coss. metalla in Macedonia inſtituta.
Sex. Julius & L. Aurelius.
L. Lentulus & C. Marcius.
P. Scipio & M. Claudius.
L. Poſtumius & Q. Optimius.
Q. Fulvius & T. Annius.

Conſules Kalend. Jan. creati.

Hi primi Conſules Calend. Januariis magiſtratum inierunt, propter ſubitum Celtiberiæ bellum.

O. C. 3848. U. C. 601. Ol. 157. a. C. N. 152.

M. Marcellus & L. Valerius.
L. Lucullus & A. Poſtumius.
L. Quintius & M. Acilius.
L. Marcius & M. Manlius.
Sp. Poſtumius & L. Piſo.
P. Africanus & C. Livius.
Cn. Cornelius & L. Mummius.
Q. Fabius Maximus & L. Hoſtilius.
Ser. Galba & L. Aurelius.
App. Claudius & Q. Metellus.
L. Metellus & Q. Maximus.
Cn. Cæpio & Q. Pompejus.
Q. Cæpio & C. Lælius.
Cn. Piſo & M. Popillius.
P. Scipio & D. Brutus.
M. Æmilius & C. Hoſtilius Mancinus.
P. Furius & Sex. Atilius Serranus.
Ser. Fulvius & Q. Calpurnius.

Scipio Conſul factus non Candidatus. O. C. 3854. U. C. 607. Ol. 158. a. C. N. 146.

His Coss. Æmilianus Scipio, ob Numantinum bellum, cum candidatus non eſſet, Conſul creatur.
P. Africanus & C. Fulvius Flaccus.
C. Mucius & L. Calpurnius.
P. Popillius & P. Rutilius.
P. Craſſus & L. Valerius Flaccus.
App. Claudius & M. Perpenna.
C. Sempronius & M. Aquilius.
Cn. Octavius & T. Annius.
L. Caſſius & L. Cinna.
M. Æmilius & L. Aurelius.
M. Plautius & M. Fulvius.
C. Caſſius Longinus & C. Sextius.
Q. Cæcilius & T. Quintius.
Cn. Domitius & C. Fannius.

Aquæ Sextiæ conditæ. O. C. 3879. U. C. 632. Ol. 164. a. C. N. 121.

His Coss. Sextius oppidum ædificavit, in quo Aquæ Sextiæ in Galliis.
L. Opimius & Q. Maximus.
P. Manlius & C. Papirius.
L. Cæcilius & L. Aurelius.
M. Cato & Q. Marcius.
L. Cæcilius & Q. Mucius.
C. Licinius Geta & Q. Maximus.
M. Metellus & M. Scaurus.
His Coss. L. Metellus & Cn. Domitius Cenſores artem ludicram ex Urbe removerunt, præter Latinum tibicinem cum cantore, & ludum talorum.
M. Acilius Balbus & C. Cato.
C. Cæcilius & Cn. Papirius.
M. Livius Druſus, & L. Piſo.
P. Scipio & L. Calpurnius Beſtia.
Sp. Poſtumius & M. Minucius.
Q. Metellus & M. Silanus.
Ser. Galba & M. Scaurus.
L. Caſſius & C. Marius.
Q. Servilius & C. Atilius Serranus.
His Coss. per Servilium Cæpionem Conſulem judicia Equitibus & Senatoribus communicata.
P. Rutilius Rufus & C. Manlius.
C. Marius II. & C. Flavius Fimbria.
C. Marius III. & L. Aurelius Oreſtes.
C. Marius IV. & Q. Lutatius.
C. Marius V. & M. Aquilius.
C. Marius VI. & L. Valerius Flaccus.
M. Antonius & A. Poſtumius.
Q. Metellus & T. Didius.
Cn. Lentulus & P. Craſſus.

Cn. Domitius & C. Cassius.

Ptolemæus Romanos hæredes reliquit. O. C. 3905. U C. 658. Ol. 171, a. C. N. 95.

His Coss. Ptolemæus Ægypti rex Populum Romanum hæredem reliquit.

P. Crassus & Q. Scævola.
C. Cœlius & L. Domitius.
C. Valerius Flaccus, & M. Herennius.
C. Claudius Pulcher & M. Perpenna.
L. Marcius & Sextus Julius.
L. Cæsar & C. Rutilius Lupus.
Cn. Pompejus & L. Porcius Cato.
L. Sylla & Q. Pompejus.
L. Cinna & Cn. Octavius.
L. Cinna II. & C. Marius VII.
L. Cinna III. & Cn. Papirius.
L. Cinna IV. & Cn. Papirius II.

His Coss. Asiam in XLIV. regiones Sylla distribuit.

L. Scipio & C. Norbanus.

His Coss. Capitolium custodum negligentia concrematur.

Cn. Carbo III. & C. Marius.
M. Tullius & Cn. Dolabella.
L. Sylla II. & Q. Metellus.
P. Servilius & App. Claudius.
M. Lepidus & Q. Catulus.
M. Æmilius & D. Brutus.
Cn. Octavius & C. Curio.
L. Octavius & C. Cotta.
L. Licinius Lucullus & M. Cotta.
M. Lucullus & C. Cassius.
L. Gellius & Cn. Lentulus.
Cn. Aufidius & P. Lentulus.
M. Crassus & Cn. Pompejus.
Q. Metellus & Q. Hortensius.

His Coss. à Q. Catulo reparatum dedicatumque Capitolium est.

L. Metellus & Q. Marcius.
C. Piso & Marcus Glabrio.
M. Lepidus & L. Torquatus.
L. Cæsar & Q. Marcius.
M. Cicero & C. Antonius.
D. Silanus & L. Muræna.
M. Pupius & M. Valerius.

Catilina perimitur. O. C. 3937. U. C. 690. Ol. 179. a. C. N. 63.

His Coss. Catilina in agro Pistoriensi à C. Antonio bello peremptus est.

Q. Metellus & L. Afranius.
C. Cæsar & M. Bibulus.
L. Piso & A. Gabinius.

His Coss. Clodii rogatione Cicero in exilium est profectus.

P. Lentulus & Q. Metellus.

His Coss. propter civiles dissensiones per SC. de exilio Cicero revocatur.

Cn. Lentulus & L. Philippus.
Cn. Pompejus & M. Crassus.
App. Claudius & L. Domitius.
Cn. Domitius & M. Messala.
Cn. Pompejus & Q. Metellus.
M. Marcellus & Ser. Sulpicius.
L. Paullus & M. Marcellus.
L. Lentulus & C. Marcellus.

Bellum Civile inter Cæsarem & Pompejum. O. C. 3950. U. C. 703. Ol. 182, a. C. N. 50.

His Coss. perniciosæ in Curia constantur de Pompejo Cæsareque discordiæ. Sed Cajus Julius Cæsar de Galliis veniens, Pompejum fugavit Italia, aurum atque argentum Romæ de ærario sustulit, ac primus Romanorum singulare obtinuit Imperium, à quo Cæsares Romani principes appellati. Imperavit autem annis IV. mensibus VI. Sub quo hi Consules fuerunt.

IMPERATORES ROMANI. CAJUS JULIUS CÆSAR. I.

Imperatores Romani. Cajus Julius Cæsar. O. C. 3951. U. C. 704. Ol. 182. a. C. N. 49.

C. Julius Cæsar II. & P. Servilius.
Q. Fusius & P. Vatinius.

His Coss. Cæsar Pompejum Pharsalico prælio superavit; Pompejus fugiens in Ægyptum, occisus est.

C. Julius Cæsar III. & M. Lepidus.
C. Julius Cæsar IV. & Fabius Maximus.

His Coss. C. Julius Cæsar per quatriduum triumphavit.

C. Julius Cæsar V. & M. Antonius.

His Coss. M. Antonius Lupercalibus sella aurea sedenti Cæsari diadema renuenti imposuit; atque Idibus Martiis Cæsar in Pompeja curia occisus est: cui successit Octavianus Cæsar, qui regnavit annis LVI. mensibus VI. per quæ tempora hi Consules extiterunt:

OCTAVIANUS AUGUSTUS, II.

Octavianus Augustus Imperator. O. C. 3969. U. C. 722. Ol. 187, a. C. N. 31.

C. Pansa & A. Hirtius.

His Coss. Cæsar Octavianus, Antonius, & Lepidus, amicitiæ fœdus inierunt. M. Cicero per Popillium militem Cajetæ occisus est annorum LXIII. Cæsar Octavianus forum Augustum ædificavit.

M. Lepidus & L. Plancus.
P. Servilius II. & L. Antonius.
Cn. Domitius & C. Asinius.
L. Censorinus & Cajus Calvisius.
App. Claudius & Cajus Norbanus.
M. Agrippa & L. Caninius.

His Coss. lacus Lucrinus in portum conversus est.

L. Gellius & M. Coccejus.
Sex. Pompejus & L. Cornificius.
L. Scribonius & L. Atratinus.
C. Cæsar I. & L. Volcatius.
Cn. Domitius & C. Sosius.
C. Cæsar II. & M. Messala.

His Coss. apud Actium M. Antonius à Cæsare superatur.

C. Cæsar III. & M. Crassus.

His Coss. Nicopolim Cæsar construit, ludos Actiacos instituit. Antonius à Cæsare prælio peremptus. Alexandriæ in Mausoleo cum Cleopatra reconditur.

C. Cæsar IV. & Sex. Apulejus.
C. Cæsar V. & M. Agrippa II.

His Coss. Parthorum dissensiones per Cæsarem sedatæ.

C. Cæsar VI. & M. Agrippa III.

His Coss. Cæsar leges protulit, judices ordinavit, provincias disposuit, & ideo Augustus cognominatus est. Cujus temporibus floruerunt Virgilius, Horatius & Livius.

C. Augustus Cæsar VII. & T. Statilius.
C. Aug. Cæsar VIII. & M. Silanus.

His Coss. Cantabros, Germanos, Salassos Cæsar perdomuit.

C. Aug. Cæsar IX. & C. Norbanus.

His

His Coss. Astures & Cantabrios per L. Lanium perdomuit. (*l*)
C. Aug. Cæsar XI. & Cn. Piso.
M. Marcellus & L. Aruntius.
M. Lollius & Q. Lepidus.
M. Appulejus & P. Silius.
His Coss. aquilas & signa Crassiana de Parthis Cæsar recepit.
C. Sentius & Q. Lucretius.
His Coss. Cæsari ex provinciis redeunti currus cum aurea corona decretus est; quo ascendere noluit.
Cn. Lentulus & P. Lentulus.
C. Furnius & C. Silanus.
L. Domitius & P. Scipio.
M. Drusus & L. Piso.
Cn. Lentulus & M. Crassus.
Tib. Nero & P. Quintilius.
M. Messala & P. Sulpicius.
Paullus Fabius & Q. Ælius.
Julius Antonius & Africanus Fabius.
Drusus Nero & L. Quintius.
His Coss. apud Lingonum gentem templum Cæsari Drusus sacravit.
C. Asinius & C. Marcius.
His Coss. inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti; per Sextum Appulejum Pannonii subacti.
Tib. Nero & Cn. Piso.
D. Lælius & C. Antistius.
C. Augustus Cæsar XII. & Sylla.
C. Calvisius & L. Passienus.
C. Lentulus & M. Messala.
His Coss. Dominus noster JESUS CHRISTUS filius DEI in Bethleem nascitur, anno Imperii Augusti XLI.
C. Aug. Cæsar XIII. & M. Plautius.
Cossus Lentulus & L. Piso
C. Aug. Cæsar XIV. & L. Paullus.
P. Vinicius & P Alphenus.
M. Servilius & M. Lamia.
Sex. Ælius & C. Sentius.
Cn. Cinna & L. Valerius.
His Coss. per dies VIII. Tiberis impetu miseranda clades hominum domorumque fuit.
M. Lepidus & L. Aruntius.
Q. Cæcilius & A. Licinius.
M. Furius & Sex. Nonius.
Q. Sulpicius & C. Poppæus.
P. Dolabella & C. Silanus.
M. Lepidus & T. Statilius.
Germanicus Cæsar & C. Fontejus.
L. Plancus & C. Silius.
Sex. Pompejus & Sex. Apulejus.
His Coss. Imperator Augustus obiit LXXVI. anno ætatis suæ, Imperii autem LVI. Nolæ. Huic successit in Imperium TIBERIUS CÆSAR, qui imperavit annis XXIII. Sub quo hi Consules fuerunt.

TIBERIUS CÆSAR, III.

TIBERIUS Imperator, U. C. 766. p. C. N. 14.

Drusus Cæsar & C. Norbanus.
Sisenna Statilius & L. Scribonius.
His Coss. Mathematici Urbe pelluntur.
L. Pomponius & C. Cæcilius.
Tib. Cæsar & Germanicus Cæsar.
M. Silanus & C. Norbanus.
His Coss. Germanicus Cæsar in Syria mortuus.
M. Valerius & M. Aurelius.
Tib. Cæsar & Drusus Cæsar.
D. Haterius & C. Sulpitius.
C. Asinius & C. Antistius.
His Coss. Drusus Cæsar publice funeratur.
Ser. Cornelius & L. Visellius.
M. Asinius, & Cossus Cornelius.
C. Calvisius, & Cn. Gætulicus.
L. Piso & M. Crassus.
Appius Silanus & P. Silius.
C. Rubellius & C. Fusius.
M. Vinicius & L. Cassius.
Tib. Cæsar III. Cos. [& solus.]
[Cn. Domitius & Camillus Scribonianus.]
His Coss. Dominus noster JESUS CHRISTUS passus est VIII. Calend. Aprilis; & defectio solis facta est, qualis ante vel postmodum numquam fuit.
[Vinicius & Longinus.]
Sulpicius & Sylla.
Priscus & Vitellius.
Gallus & Nonianus.
His Coss. Perseus Flaccus Satyricus poëta Volaterris nascitur.
Gallienus & Plautianus.
His Coss. Tiberius Imperator in Campania moritur; cui successit C. CÆSAR cognomento CALIGULA; qui regnavit annis tribus, & mensibus X. Sub quo hi Consules exstiterunt.

C. CALIGULA, IV.

C. CALIGULA Imperator. U. C. 789. p. C. N. 37.

Proculus & Nigrinus.
Julianus & Asprenas.
Publicola & Nerva.
His Coss. Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit.
Cæsar & Julianus.
His Coss. C. Cæsar cognomento Caligula, à protectoribus suis occiditur in Palatio, anno ætatis XXIV. Cui successit CLAUDIUS, qui imperavit annis XIII. mensibus VIII. diebus XXVIII. Sub quo hi Consules fuerunt.

CLAUDIUS, V.

CLAUDIUS Imperator. U. C. 793. p. C. N. 41.

Cæsar II. & Saturnnius.
Secundus & Venustus.
His Coss. Petrus Apostolus Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans, XXV. annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat.
Tiberius & Gallus.
Crispinus & Taurus.
His Coss. Claudius de Brittannis triumphavit, & Orcadas insulas Romano adjecit Imperio.
Vinicius & Cornelius.
His Coss. inter Theram & Therasiam exorta est insula, habens stadia XXX.
Asiaticus & Cornelius.
His Coss. descriptio Romæ facta est, & inventa sunt civium Romanorum centena millia & XLIV. & Thracia hucusque regnum, in provinciam regitur.
Tiberius II. & Vitellius.
Vitellius II. & Publicola.
Verannius & Gallus.

 Vetus

(*l*) al. Astures & Cantabri - - - - - - perdomiti.

Vetus & Servilianus.
Claudius & Orfitus.
Silvanus & Silvius.
Tiberius III. & Antoninus.
Silanus & Otho.
His Coss. Claudius moritur in Palatio, anno ætatis LXIV. Huic fucceffit Nero: qui regnavit annis XIII. menfibus VII. diebus XXVIII. Sub quo hi Confules fuerunt:

NERO CLAUDIUS Imperator. U. C. 806. p. C. N. 54.

NERO CLAUDIUS, VI.
Silanus II. & Antoninus II.
Marcellinus & Aviola.
His Coss. Sanctus Paulus Apoftolus Romam vinctus à Felice [Judeæ] præfide deftinatur. Probus etiam eruditiffimus grammaticus Romæ cognofcitur. Urfulus Tolofenfis celeberrime in Gallia Rhetoricam docet.
Nero & Vetus.
Nero II. & Pifo.
Nero III. & Meffala.
[C. Capito & Apronius.]
Nero IV. & Cornelius.
Pius & Turpilianus.
Macrinus & Gallus.
Craffus & Baffus.
His Coss. Thermæ à Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellavit; cujus odio, mutato vocabulo, nunc Alexandrinæ nominantur.
Silvanus & Paulinus.
His Coss. Nero, ut fimilitudinem Trojæ ardentis infpiceret, plurimam partem [Romanæ] Urbis incendit.
Telefinus & Apulejus.
His Coss. duæ provinciæ factæ funt, Pontus Polemoniacus, & Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto.
[Telefinus & Paullinus.]
Capito & Rufus.
Italicus & Turpilianus.
Silvanus & Otho.
His Coss. Romæ Sanctus Petrus & Paulus Apoftoli trucidati funt à Nerone; qui turpiter vivens, cum à Senatu quæreretur ad pœnam, è Palatio fugiens, ad IV. Urbis milliarium in fuburbano Nomentana via fefe interfecit, anno ætatis XXXII. Cui fucceffit Galba; qui regnavit menfibus VII. Poft hunc Otho, menfibus III. diebus V. Poft Vitellius regnavit menfibus VIII. die uno. Qui omnes infra fcriptos duos Confules tenuerunt.

GALBA Imperator. U. C. 820. p. C. N. 68. OTHO Imperator. U. C. 820. p. C. N. 68. VITELLIUS Imperator. U. C. 821. p. C. N. 69.

Vefpafianus & Titus.
Vefpafianus II. & Titus II.
His Coss. Vefpafianus fufcepit Imperium; qui regnavit annis IX. menfibus XI. diebus XXII. Sub quo hi Confules fuerunt:

VESPASIANUS Imperator. U. C. 821. p. C. N. 69.

VESPASIANUS VII.
Vefpafianus III. & Nerva.
Vefpafianus IV. & Titus III.
His Coss. Titus filius Vefpafiani Judæa capta, præter quos gladio interfecit, centum millia captivorum publice venundavit.
Vefpafianus V. & Titus IV.
Vefpafianus VI. & Titus V.
Vefpafianus VII. & Titus VI.
His Coss. Vefpafianus incenfum Capitolium ædificare orfus eft.
Commodus & Rufus.
Vefpafianus VIII. & Titus VII.
His Coss. Coloffus erectus eft, habens altitudinis pedes C. & VII.
Vefpafianus IX. & Titus VIII.
Silvanus & Verus.
Domitianus & Meffalinus.
His Coss. Vefpafianus eft mortuus profluvio ventris, in villa propria circa Sabinos. Cui Titus filius ejus fuccedens, in utraque lingua difertiffimus, regnavit annis II. menfibus II. Sub quo hi Confules extiterunt:

TITUS VESPASIANUS. U. C. 831. p. C. N. 79.

TITUS VESPASIANUS VIII.
Domitianus II. & Rufus II.
His Coss. Titus Amphitheatrum Romæ ædificavit, & in dedicatione ejus quinque millia ferarum occidit.
Domitianus III. & Sabinus.
His Coss. Titus morbo periit in eadem villa qua pater ejus, anno ætatis XLII. qui ob infignem manfuetudinem, *Deliciæ humani generis* appellatus eft. Cui fucceffit Domitianus frater Titi [junior,] crudeliffimus; qui imperavit annis XV. menfibus V. Sub quo hi Confules fuerunt:

FLAVIUS DOMITIANUS Imperator. U. C. 833. p. C. N. 81.

FLAVIUS DOMITIANUS, IX.
Domitianus IV. & Rufus III.
His Coss. Domitianus eunuchos fieri prohibuit.
Domitianus V. & Dolabella.
Domitianus VI. & Rufus IV.
Flavius & Trajanus.
Domitianus VII. & Nerva.
Trajanus II. & Glabrio.
His Coss. Primus Domitianus *Dominum* & *Deum* fe appellare juffit.
Domitianus VIII. & Saturninus.
Silvanus & Prifcus.
His Coss. Quintilianus ex Hifpania primus Romæ fcholam publicam & falarium è fifco accepit & claruit.
Afprenas & Clemens.
His Coss. multa mœnia & celeberrima Romæ facta funt; id eft, Capitolium, Forum tranfitorium, Divorum porticus, Ifium, Serapium, Stadium, Horrea piperataria, Vefpafiani templum, Minerva Chalcidica, Odæum. (m)
Domitianus IX. & Clemens II.
His Coss. infigniffima Romæ facta funt [opera; id eft,] forum Trajani, Thermæ Trajanæ, & Titianæ, Senatus ludus matutinus, Meta aurea, Meta fudans, & Pantheon.
Nerva II. & Rufus.
Fulvius & Vetus.
Sabinus & Antoninus.
Nerva III. & Trajanus III.
Senecio & Palma.
Trajanus IV. & Fronto.
His Coss. Apollonius Tyaneus philofophus infignis habetur. Domitianus occifus in Palatio, anno ætatis XXXV. cui Nerva fuccedens, regnat annum unum, menfes IV. Sub quo hi Confules fuerunt:

NERVA COCCEJUS U. C. 848. p. C. N. 96.

NERVA COCCEJUS, X.
Trajanus V. & Orfitus.
Senecio II. & Sura.
His Coss. Nerva morbo periit in hortis Salluftia-

(m) al. Odion.

lustianis, anno ætatis LXXII. cum jam TRAJANUM adoptasset in filium: cui succedens, imperavit annis XX. mensibus VI. diebus XV. Sub quo hi consules fuerunt:

D. TRAJANUS, XI.

D. TRAJANUS Imperator, U. C. 850. p. C. N. 98.

Trajanus VI. & Maximus.
Senecio III. & Sura II.
Urbanus & Marcellus.
Candidus & Quadratus.
His Coss. Trajanus de Dacis & Scythis triumphavit.
Commodus & Cerealis.
His Coss. Trajanus Iberos, Sauromatas, Osroënos, Arabas, Bosphoranos, Colchos, in fœdus accepit, Seleuciam, Ctesiphontem & Babylonem occupavit & tenuit.
Senecio IV. & Sura III.
His Coss. Trajanus in mari rubro classem instituit; ut per eam Indiæ fines vastaret.
Gallus & Bradua.
Africanus & Crispinus.
Crispinus II. & Solenus.
Piso & Rusticus.
Trajanus VII. & Africanus.
Celsus & Crispinus.
His Coss. Plinius Secundus Novoco mensis orator & historicus insignis habetur; cujus ingenii plurima opera exstant.
Asta & Piso.
Messala & Pedo.
Æmilius & Vetus.
Niger & Apronianus.
His Coss. Trajanus Armeniam, Assyriam, & Mesopotamiam provincias fecit.
Clarus & Alexander.
Hadrianus & Salinator.
Hadrianus II. & Rusticus.
Catilius & Fulvius.
His Coss. Trajanus apud Seleuciam Isauriæ profluvio ventris exstinctus est, anno ætatis LXIII. mense IX. die IV. cujus ossa, in urna aurea conlocata, sub columna fori, quæ ejus nomine vocitatur, recondita sunt: cujus columnæ altitudo in CXL. pedes erigitur. Huic successit HADRIANUS, utraque lingua peritissimus, Italicæ natus ex consobrina Trajani: qui regnavit annis XX. mensibus X. diebus XIX. Sub quo hi Consules fuerunt:

HADRIANUS, XII.

HADRIANUS Imparator, U. C. 869. p. C. N. 117.

Verus & Augur.
His Coss. Hadrianus Alexandriam à Romanis subversam, publicis instauravit expensis.
Aviola & Pansa.
His Coss. Hadrianus reliqua tributorum urbibus relaxavit, chartis publicis incensis; plurimos etiam ipsis tributis liberos fecit.
Paternus & Torquatus.
His Coss. Plutarchus philosophus insignis habetur.
Glabrio & Apronianus.
His Coss. Nicomediæ & Nicenæ urbis plurimis [terræ motu] conlapsis, Hadrianus ad instaurationem earum publicas largitur expensas.
Asiaticus & Quintus.
Verus & Ambiguus.
His Coss. Athenienfibus leges petentibus Hadrianus ex Draconis & Solonis reliquorumque libris jura composuit.
Gallicanus & Titianus.
His Coss. juxta Eleusinam civitatem [in] Cephiso fluvio Hadrianus pontem constravit.
Torquatus & Libo.
Celsus & Marcellinus.
Pontianus & Rufinus.
Augurinus & Sergianus.
Hiberus & Silanus.
His Coss. Hadrianus à Christianorum persecutione cessavit, & Pater Patriæ est appellatus.
Sergius II. & Verus.
Pompejanus & Atilianus.
His Coss. templum Romæ [&] Veneris factum est, quod nunc Urbis appellatur.
Pompejanus II. & Commodus.
His Coss. Hadrianus cum insignes & plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, bibliothecamque miri operis exstruxit.
Lælius & Albinus.
Camerinus & Niger.
Antoninus & Præsens.
Antoninus II. & Præsens II.
Severus & Sylvanus.
His Coss. Ælia civitas, id est Hierusalem, ab Ælio Hadriano condita est, & in fronte ejus portæ qua Bethleem egredimur, suo sculptus in marmore; significans Romanæ potestati subjacere Judæos.
Rufinus & Torquatus.
His Coss. Hadrianus morbo intercutis aquæ apud Baias moritur, major sexagenario. Cui successit ANTONINUS Pius; qui regnavit annis XXI. sub quo hi Consules fuerunt:

ANTONINUS PIUS, XIII.

ANTONINUS PIUS Imperator, U. C. 913. p. C. N. 161.

Torquatus II. & Herodes.
Aviola & Maximus.
Antoninus III. & Aurelius.
Gratus & Seleucus.
His Coss. Justinus Philosophus librum pro Christiana religione scriptum tradidit Antonino [Cæsari.]
Antoninus IV. & Aurelius II.
Largus & Messalinus.
Torquatus III. & Julianus.
Orfitus & Priscus.
Glabrio & Vetus.
Gordianus & Maximus.
Glabrio II. & Homulus.
Præsens & Rufus.
Commodus & Lateranus.
His Coss. Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus; & Basilides Scythopolitanus, philosophi illustres habentur, qui [Veri quoque] Cæsaris præceptores fuerunt.
Verus & Sabinus.
Sylvanus & Augurinus.
Barbatus & Regulus.
Tertullus & Sacerdos.
Quintillus & Priscus.
Verus II. & Bradua.
Antoninus V. & Aurelius III.
P. C. Antonini VI. & Aurelii IV.
Hoc tempore Antoninus Pius apud Lorium villam suam duodecimo ab Urbe milliario moritur, anno vitæ sexagesimo septimo. Usque ad hoc tempus singuli Augusti fuerunt. Cui successerunt filii sui, id est MARCUS ANTONINUS

TONINUS VERUS, & LUCIUS ANNIUS ANTONINUS SEVERUS, qui regnaverunt annis XIX. Sub quibus hi Consules fuerunt:

M. ANTONINUS & L. ANTONINUS Imperatores. U. C. 913. P. C. N. 161.

M. ANTONINUS VERUS XIII. ET L. ANNIUS ANTONINUS SEVERUS, XIV.

Duo Augusti Coss.
Rusticus & Aquilinus.
His Coss. Lucio Cæsari, Athenis sacrificanti, ignis in cœlo ab occidente in orientem ferri visus est.
L. Ælianus & Pastor.
Macrinus & Celsus.
His Coss. Fronto orator insignis habetur: qui Marcum Antoninum Verum Latinis literis erudivit.
Orsitus & Pudens.
His Coss. Lucius Cæsar de Parthis cum fratre Antonino triumphavit.
Pudens II. & Pollio.
Verus III. & Quadratus.
Apronianus & Paullus.
Priscus & Apollinaris.
Cethegus & Clarus.
Severus & Herennianus.
His Coss. Lucius Annius Antoninus Severus, anno regni undecimo, inter Concordiam & Altinum apoplexia exstinctus est, sedens cum fratre in vehiculo.
Orsitus & Maximus.
Severus II. & Pompejanus.
Gallus & Flaccus.
Piso & Julianus.
Pollio & Asper.
Commodus & Quintillus.
His Coss. Marcus Antoninus Verus Imperator Commodum filium suum consortem regni facit.
Orsitus & Rufus.
His Coss. Imperatores de hostibus triumphant; & pecuniam quæ fisco debebatur, provinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ Urbis foro, incendio concremarunt; ac, ne quid bonitatis deesset, severiores quasque leges novis constitutionibus temperarunt.
Commodus II. & Verus II.
His Coss. Antoninus Verus adeo in editione munerum magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuerit: qui post in Pannonia morbo periit. COMMODUS filius ejus à Senatu Augustus est appellatus; qui regnavit annis XIII. Sub quo hi Consules fuerunt:

ANTONINUS COMMODUS Imperator. U. C. 932. P. C. N. 180.

ANTONINUS COMMODUS, XV.

Præsens & Gordianus.
Commodus III. & Byrrhus.
Mamertinus & Rufus.
Commodus IV. & Victorinus.
Marullus & Ælianus.
His Coss. Thermæ Commodianæ Romæ factæ sunt.
Maternus & Bradua.
Commodus V. & Glabrio.
Crispinus & Ælianus.
Fuscianus & Sylanus.
Duo Sylani.
His Coss. Commodus Imperator Colossi capite sublato, suæ imaginis caput jussit imponi.
Commodus VI. & Septimianus.
Apronianus & Bradua.
Commodus VII. & Pertinax.
His Coss. Commodus strangulatur in domo Vestiliani, cui successit HELVIUS PERTINAX; qui regnavit mensibus VI. [Sub quo fuerunt Consules hi:]

HELVIUS PERTINAX Imperator. U. C. 945. P. C. N. 193.

HELVIUS PERTINAX, XVI.

Falco & Clarus.
His Coss. Pertinax occiditur in Palatio, major septuagenario, cui successit SEVERUS, provincia Tripolitana natus oppido Lepti, solusque Afer Imperator Romanus fuit, qui regnavit annis XVIII. Sub quo hi Consules fuerunt:

SEVERUS Imperator. U. C. 945. P. C. N. 193.

SEVERUS, XVII.

Severus & Albinus.
Tertullus & Clemens.
Dexter & Priscus.
Lateranus & Rufinus.
Saturninus & Gallus.
Annulinus & Fronto.
His Coss. Severus Parthos & Adiabenos superavit, Arabasque interiores ita cecidit, ut regionem eorum Romanam provinciam faceret. [Ob quæ Parthicus, Arabicus, & Adiabenicus cognominatus est.]
Severus II. & Victorinus.
Fabianus & Mucianus.
His Coss. Thermæ Severianæ apud Antiochiam & Romæ factæ, & Septizodium instructum est.
Severus III. & Antóninus.
Geta & Plautianus.
Cilo & Libo.
Antoninus II. & Geta II.
Albinus & Ælianus.
Asper & Maximus.
His Coss. Severus in Britannos bellum movit: ubi ut receptas provincias ab incursione barbarica faceret securiores, vallum per C XXXII. passuum millia à mari ad mare duxit.
Antoninus III. & Geta III.
Pompejanus & Avitus.
His Coss. Tertullianus Afer Christianorum scriptor celeberrimus habetur.
Faustinus & Rufus.
His Coss. Origenes scriptor Alexandriæ studiis eruditur.
Gentianus & Bassus.
His Coss. Severus Imperator Eboraci in Brittannia moritur. Cui successit ANTONINUS CARACALLA Severi filius, qui regnavit annis VII. Sub quo hi Consules fuerunt:

ANTONINUS CARACALLA Imperator. U. C. 963. P. C. N. 211.

ANTONINUS CARACALLA, XVIII.

Duo Aspri.
Antoninus & Balbinus.
Messala & Sabinus.
His Coss. Antoninus CARACALLA cognominatur propter genus vestis, quod Romæ erogaverat. [Et è contrario Caracallæ ex ejus nomine *Antonianæ* dictæ.]
Lætus & Cerealis.
Sabinus II. & Venustus.
His Coss. Antoninus Romæ Thermas sui nominis ædificavit.
Præsens & Extricatus.
Antoninus & Adventus.

His

His Coss. Antoninus interficitur inter Edessam & Carras, anno ætatis XLIII. Cui successit MACRINUS, Præfecturam Prætorianam gerens. Regnavit autem annum unum. Sub quo hi Consules fuerunt:

MACRINUS Imperator. U.C. 969. P. C. N. 217.

MACRINUS, XIX.

Antoninus II. & Sacerdos.

His Coss. Macrinus occiditur in Archelaide. Cui successit MARCUS AURELIUS ANTONINUS; qui regnavit annis IV. Sub quo hi Consules fuerunt:

M. AURELIUS ANTONINUS Imperator. U.C. 970. P. C. N. 218.

MARCUS AURELIUS ANTONINUS, XX.

Antoninus III. & Comazon.

Gratus & Seleucus.

His Coss. Heliogabalum templum Romæ ædificatur.

Alexander & Augustus.

His Coss. in Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, urbs condita est.

Maximus & Ælianus.

His Coss. M. Aurelius Antoninus Romæ occiditur tumultu militari. Cui successit ALEXANDER Mammeæ filius; qui regnavit annis XIII. Sub quo hi Consules fuerunt:

ALEXANDER Imperator. U.C. 974. P. C. N. 222.

ALEXANDER MAMMEÆ, XXI.

Julianus & Crispinus.

His Coss. Alexander Xerxem regem Persarum vicit.

Fuscus & Dexter.

Alexander II. & Marcellus.

Annianus & Maximus.

His Coss. Ulpianus Jurisconsultus, & assessor Alexandri insignissimus habetur.

Albinus & Maximus.

His Coss. Neronianæ thermæ Alexandrinæ vocatæ sunt.

Modestus & Probus.

Alexander III. & Dio.

Gratus & Seleucus.

His Coss. Origenes Alexandriæ clarus habetur.

Pompejanus & Felicianus.

Lupus & Maximus.

His Coss. Alexander in matrem Mammeam unice pius fuit; & ob hoc cunctis amabilis.

Maximus & Paternus.

Maximus II. & Urbanus.

Severus & Quintianus.

His Coss. Alexander occiditur Moguntiaci tumultu militari. Cui successit MAXIMINUS, regnans annis III. Primus omnium ex corpore militari [sine Senatus auctoritate ab exercitu] Imperator electus. Sub quo hi Consules fuerunt:

MAXIMINUS Imperator. U.C. 987. P. C. N. 235.

MAXIMINUS, XXII.

Maximinus & Africanus.

Perpetuus & Cornelianus.

Pius & Proculus.

His Coss. Maximinus Aquilejæ occiditur. Cui successit GORDIANUS; qui regnavit annis VI. Sub quo hi Consules fuerunt:

GORDIANUS Imperator. U.C. 989. P. C. N. 237.

GORDIANUS, XXIII.

Gordianus & Aviola.

Sabinus & Venustus.

His Coss. Gordiano Romam ingresso, PUPIENUS & BALBINUS, qui Imperium arripuerant, in Palatio occisi sunt.

Gordianus II. & Pompejanus.

Atticus & Prætextatus.

Arrianus & Pappus.

Peregrinus & Æmilianus.

His Coss. Gordianus admodum adolescens, Parthorum natione superata, cum victor reverteretur ad patriam, fraude Philippi Præfecti prætorio, haud longe à Romano solo interfectus est. Gordiano milites tumulum ædificant supra Euphratem, ossibus ejus Romam revectis. Cui successit PHILIPPUS; qui regnavit annis VI. Qui mox Philippum filium suum consortem regni fecit; primusque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit. Sub quo hi Consules fuerunt:

PHILIPPUS Imperator. U.C. 996. P. C. N. 244.

PHILIPPUS, XXIV.

Philippus & Titianus.

Præsens & Albinus.

Philippus II. & Philippus.

Philippus III. & Philippus II.

Æmilianus & Aquilinus.

His Coss. millesimus annus Urbis Romæ expletus est: ob quam solennitatem innumerabiles Philippus cum [Philippo] filio suo bestias in Circo magno interfecit, ludosque in campo Martio Theatrales tribus diebus ac noctibus populo pervigilante celebravit: quadraginta etiam missus natali Romanæ Urbis concurrerunt, & Agon mille annorum actus. Philippus urbem nominis sui in Thracia construxit.

Decius & Gratus.

Decius II. & Etrusticus.

His Coss. Philippus senior Veronæ, Romæ vero junior occiditur. His successit DECIUS; qui regnavit anno I. mensibus III. Quantum ad Consulatum autem, annum unum. Sub quo hi Consules fuerunt:

DECIUS Imperator. U.C. 1001. P. C. N. 249.

DECIUS, XXV.

Gallus & Volusianus.

His Coss. Decius lavacra publica ædificavit, quæ suo nomine appellari jussit. Decius cum filio suo in Abricio Thraciæ loco à Gothis occiditur. Cui successit GALLUS cum VOLUSIANO filio; qui regnaverunt annis II. & mensibus IV. Quantum ad Consulatum autem, annis tantum duobus. Sub quibus hi Consules fuerunt:

GALLUS & VOLUSIANUS Imperatores. U.C. 1004. P. C. N. 252.

GALLUS ET VOLUSIANUS, XXVI.

Volusianus II. & Maximus.

His Coss. Novatianus apparuit.

Valerianus & Gallienus.

His Coss. Gallus & Volusianus Interamnæ interfecti sunt. Quibus successerunt VALERIANUS & GALLIENUS; qui regnaverunt annis XV. Sub quibus hi Consules fuerunt:

VALERIANUS & GALLIENUS Imperatores. U.C. 1005. P. C. N. 253.

VALERIANUS ET GALLIENUS, XXVII.

Valerianus II. & Gallienus II.

Maximus II. & Glabrio.

Valerianus III. & Gallienus III.

His Coss. Cyprianus, primum rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis Episcopus, martyrio coronatur.

Tuscus & Bassus.

His

His Coss. Valerianus in Christianos persecutione commota, statim à Sapore Persarum rege capitur, ibique servitute miserabili consenescit.
Æmilianus & Bassus.
Sæcularis & Donatus.
Gallienus IV. & Gentianus.
Gallienus V. & Victorinus.
Albinus & Maximus.
His Coss. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, depopulatæ per Gothos, aliasque provincias barbarorum quassavit irruptio.
Gallienus VI. & Saturninus.
Valerianus & Lucillus.
Gallienus VII. & Sabinillus.
Paternus & Arcesilaus.
Paternus II. & Marrinianus.
Claudius & Paternus.
His Coss. Mediolani occiditur Gallienus. Cui successit CLAUDIUS; qui regnavit anno uno, mensibus IX. Sub quo hi Consules fuerunt:

CLAUDIUS Imperator. U. C. 1020. p. C. N. 268.

CLAUDIUS, XXVIII.

Antiochianus & Orfitus.
Valerianus & Bassus.
His Coss. Claudius barbaros [Gothos, Illyricum & Macedoniam] vastantes repellit, & Sirmii moritur. Huic successit QUINTILLUS Claudii frater, à Senatu Augustus appellatus: qui XVII. Imperii sui die Aquilejæ occiditur. Post quem AURELIANUS factus est Imperator; qui regnavit annis V. mensibus VI. Sub quo hi Consules fuerunt.

QUINTILLUS Imperator. U. C. 1020. p. C. N. 268.

AURELIANUS Imperator. U. C. 1022. p. C. N. 270.

AURELIANUS, XXIX.

Quietus & Voldumianus.
Tacitus & Placidianus.
Aurelianus & Capitolinus.
His Coss. Aurelianum Romæ triumphantem captivi Tetricus & Zenobia præcesserunt.
Aurelianus II. & Marcellus.
His Coss. Aurelianus templum Soli ædificat, [&] Romam firmioribus muris vallat.
Probus & Paulinus.
Probus II. & Paternus II.
His Coss. inter Constantinopolim & Heracleam Aurelianus occiditur. Cui successit TACITUS, qui regnavit menses VI. Sub quo hi Consules fuerunt.

TACITUS Imperator. U. C. 1027. p. C. N. 275.

TACITUS, XXX.

Probus III. & Paternus III.
His Coss. Tacitus in Ponto occisus est, & obtinuit FLORIANUS Imperium diebus LXXXIV. Hoc quoque apud Tarsum interfecto, PROBUS factus est Imperator; qui regnavit annis VI. mensibus III. Sub quo hi Consules fuerunt:

FLORIANUS Imperator. U. C. 1027. p. C. N. 275.

PROBUS Imperator. U. C. 1028. p. C. N. 276.

PROBUS, XXXI.

Messala & Gratus.
His Coss. Galliæ, quæ fuerant à Barbaris occupatæ, à Probo Romano restituuntur Imperio.
Probus IV. & Tiberianus.
Probus V. & Victorinus.
His Coss. insana Manichæorum hæresis exorta est.
Carus & Carinus.
Carus II. & Numerianus.
Diocletianus & Aristobulus.
His Coss. Probus apud Syrmium tumultu militari in turri, quæ vocatur Ferrata, occiditur. Cui successit CARUS cum filiis suis CARINO & NUMERIANO; qui regnaverunt annis II. Sub quibus hi Consules fuerunt:

CARUS CARINUS & NUMERIANUS Imperatores. U. C. 1034. p. C. N. 282.

CARUS, XXXII.

Maximus & Aquilinus.
His Coss. cum Carus devictis Parthis castra supra Tigridem posuisset, fulmine ictus interiit.
Diocletianus II. & Maximianus.
His Coss. Numerianus occiditur; Carinus apud Margum prælio victus interiit. Post quos DIOCLETIANUS Dalmata suscepit Imperium; qui regnavit annis XX. Sub quo hi Consules fuerunt:

DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS Imperatores. U. C. 1036. p. C. N. 284.

DIOCLETIANUS, XXXIII.

Maximianus II. & Januarius.
Bassus & Quintianus.
His Coss. Diocletianus in consortium regni HERCULIUM MAXIMIANUM adsumit.
Diocletianus III. & Maximianus III.
Tiberianus & Dio.
Annibalianus & Asclepiodotus.
Diocletianus IV. & Maximianus IV.
Constantius & Maximus.
Tuscus & Maximus.
Tuscus & Anulinus.
Diocletianus V. & Constantius II.
[Maximianus V. & Maximus II.]
Faustus & Gallus.
His Coss. primus Diocletianus adorari se jussit ut Deum, & gemmas vestibus calciamentisque conseruit; cum ante eum omnes Imperatores in modum judicum salutarentur, & tantum chlamydem purpuream à privato habitu plus haberent.
Diocletianus VI. & Maximianus VI.
Constantius III. & Maximus III.
Titianus & Nepotianus.
Constantius IV. & Maximus IV.
His Coss. LX. millia Alemannorum cæsa sunt.
Diocletianus VII. & Maximianus VII.
Diocletianus VIII. & Maximianus VIII.
Constantius V. & Maximus V.
Constantius VI. & Maximus VI.
His Coss. Diocletianus & Maximianus Augg. insigni pompa Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei conjuge, sororibus, liberis, & omni præda, qua Parthos exspoliaverant.
Diocletianus IX. & Constantinus.
Diocletianus X. & Maximus VII.
His Coss. Diocletianus Nicomediæ, Maximinianus Mediolani purpuram deposuerunt ob ætatis defectum. Et creati sunt CONSTANTIUS & GALERIUS [Augusti.] Sed Constantius, tantum Augusti dignitate contentus, cum esset otiosus, anni ipsius adscribuntur filio ejus CONSTANTINO; qui natus dicitur ex Helena concubina: qui regnavit annos XXX. menses X. Sub quo hi Consules fuerunt:

CONSTANTIUS Imperator. U. C. 1043. p. C. N. 291.

CONSTANTINUS & GALERIUS Imperatores U. C. 1043. p. C. N. 291.

CONSTANTINUS ET GALERIUS, XXXIV.

P. C. Diocletiani X. & Maximi VII.
II. P. C. Diocletiani X. & Maximi VII.
Maximus VIII. & Licinius.
Constantinus II. & Licinius II.

Constan-

Constantinus III. & Licinius III.
Volusianus & Annianus.
Constantinus IV. & Licinius IV.
Sabinus & Rufinus.
Gallicanus & Bassus.
Licinius V. & Crispus.
Constantinus V. & Licinius Cæsar.
Constantinus VI. & Constantius Cæsar.
Crispus II. & Constantius Cæs. II.
Probianus & Julianus.
Severus & Rufinus.
Crispus III. & Constantius III.
Paulinus & Julianus.
Constantinus VII. & Constantius IV.
Constantius V. & Maximus.
Januarius & Justus.

His Coss. vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.

Constantinus VIII. & Constantius VI.
Constantius VII. & Symmachus.
Bassus & Ablabius.
Pacatianus & Hilarianus.

His Coss. civitas quæ prius Byzantium dicta est, mutato nomine à Constantino CONSTANTINOPOLIS dicta.

Dalmatius & Zenophilus.
Optatus & Paulinus.
Constantius & Albinus.
Nepotianus & Facundus.
Felicianus & Titianus.
Ursus & Polemius.
Constantius II. & Constans.

His Coss. Constantinus Imperator, dum bellum pararet in Persas, in Acyrone villa publica, juxta Nicomediam moritur, annò ætatis LXVI. Post quem tres liberi ejus [Augusti] id est CONSTANTINUS, CONSTANTIUS, & CONSTANS; qui regnaverunt annis XXIII. mensibus V. diebus XXIII. Sub quibus hi Consules fuerunt:

CONSTANTINUS, CONSTANTIUS, ET CONSTANS, XXXV.

CONSTANTINUS, CONSTANTIUS & CONSTANS Imperatores. U.C. 1089. p. C. N. 337.

Acyndinus & Proculus.
Marcellinus & Probinus.
Constantius III. & Constans II.

His Coss. Constantinus bellum fratri Constantio inferens, juxta Aquilejam Alsæ occiditur.

Placidus & Romulus.
Leontius & Salustius,

His Coss. Franci à Constante perdomiti, in pacem recepti sunt.

Constantius IV. & Constans III.
Amantius & Albinus.
Post Consulatum Amantii & Albini.
Rufinus & Eusebius.

His Coss. magnis reipublicæ expensis in Seleucia Syriæ portus efficitur.

Philippus & Salia.

His Coss. Solis facta defectio.

Limenius & Catullinus.
Sergius & Nigrinianus.

His Coss. Constans haud longe ab Hispania, in castro, cui Helenæ nomen est, interficitur, anno ætatis XXX. & Constantius remansit in regno.

P. C. Sergii & Nigriniani.
Constantius V. & Constans Cæsar.
Constantius VI. & Constans Cæsar II.
Constantius VII. & Constans Cæsar III.
Arberio & Lollianus.

His Coss. Victorinus rhetor & Donatus grammaticus Romæ insignes habentur.

Constantius VIII. & Julianus Cæsar.
Constantius IX. & Julianus Cæsar II.

His Coss. magnæ Alemannorum copiæ apud Argentoratum oppidum Galliarum [à Cæs. Juliano] deletæ sunt.

Titianus & Cerealis.
Eusebius & Hypatius.
Constantius X. & Julianus Cæsar III.

His Coss. Honoratus nomine, primus Constantinopoli Præfectus Urbi esse cœpit.

Taurus & Florentius.
Mamertinus & Nevitta.

His Coss. Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur, anno ætatis XLVI. Cui successit JULIANUS; qui regnavit anno uno. Sub quo hi Consules fuerunt:

JULIANUS XXXVI.

JULIANUS Imperator. U. C. 1113. p. C. N. 361.

Julianus IV. & Salustius.

His Coss. Julianus post victoriam apud Persas occiditur, anno ætatis XXXII. Post quem sequenti die JOVIANUS ex Primicerio domesticorum factus est Imperator; qui regnavit mensibus VIII. Sub quo hi Consules fuerunt:

JOVIANUS XXXVII.

JOVIANUS Imperator. U. C. 1116. p. C. N. 364.

Jovianus & Varronianus.

His Coss. Jovianus Imperator moritur, anno ætatis XXXIV. Post quem VALENTINIANUS Tribunus Scutariorum, apud Nicæam Augustus appellatus, fratrem VALENTEM Constantinopoli in communionem adsumit Imperii: qui regnavit annis XIV. mensibus V. Sub quo hi Consules fuerunt:

VALENTINIANUS, XXXVIII.

VALENTINIANUS Imperator. U. C. 1116. p. C. N. 364.

Valentinianus & Valens.
Gratianus & Dagalaiphus.
Lupicinus & Jovinus.

His Coss. GRATIANUS, Valentiniani filius Ambianis Imperator factus est. Apud Atrebatas lana cœlo pluviæ mixta defluxit.

Valentinianus II. & Valens II.
Valentinianus Nobilissimus Puer. & Victor.
Valentinianus III. & Valens III.
Gratianus II. & Probus.
Modestus & Arintheus.
Valentinianus IV. & Valens IV.

His Coss. Saxones cæsi de Usone in regione Francorum, Burgundionum LXXX. fere millia, quot numquam antea ad Rhenum descenderunt. Clearchus [præfectus] Urbi Constantinopoli necessariam aquam, & quamdiu civitas optabat, induxit.

Gratianus III. & Equitius.
Post Consulatum Gratianus III. & Equitii.
Valens V. & Valentinianus.

His Coss. Valentinianus apoplexia Brigitione moritur. Post quem GRATIANUS, adsumpto in Imperium Valentiniano fratre, cum patruo Valente regnat.

Gratianus IV. & Merobaudes.

His Coss. Alemannorum circiter XXX. millia apud Argentariam oppidum Galliarum [ab

[ab exercitu Gratiani] cæsa. Gothi diffunduntur in Thracia.

Valens VI. & Valentinianus.

His Coss. à Gothis in Thracia Valentis trucidatus exercitus. Ipse quoque Imperator, incensa domo, ubi se occultaverat, igne combustus est. Cui successit in oriente Theodosius Theodosii filius: quem sibi in consortium Gratianus adscivit. Gratianus itaque cum jam XIV. regnasset annis, cum Theodosio regnat annis VI. Sub quibus hi Consules fuerunt:

GRATIANUS & THEODOSIUS Imperatores. U. C. 1127. p. C. N. 375.

GRATIANUS ET THEODOSIUS, XXXIX.

Ausonius & Olybrius.

Gratianus V. & Theodosius.

His Coss. Ambrosius Episcopus de Christiana fide multa sublimiter scribit.

Syagrius & Eucherius.

His Coss. Martinus Episcopus Turonum (Galliæ civitatis) clarus habetur.

Antonius & Syagrius.

His Coss. Athanaricus rex Gothorum Constantinopolim venit; ibique vitam exegit.

Merobaudes II. & Saturninus.

His Coss. Arcadius, Theodosii Imperatoris filius, Augustus appellatur.

Ricimer & Clearchus.

His Coss. Gratianus apud Lugdunum captus occiditur. Residui Valentinianus & Theodosius, regnant annis VIII. Sub quibus hi Consules fuerunt:

VALENTINIANUS Imperator. U. C. 1127. p. C. N. 375.

VALENTINIANUS ET THEODOSIUS, XL.

Arcadius & Bauto.

His Coss. Hieronymus presbyter in Bethleem positus, toto mundo mirabilis habetur.

Honorius N. P. & Evodius.

Valentinianus III. & Eutropius.

Theodosius II. & Cynegius.

Timasius & Promotus.

Valentinianus IV. & Neoterius.

Titianus & Symmachus.

Arcadius II. & Rufinus.

His Coss. Valentinianus vitæ tædio apud Viennam laqueo periit. Theodosius cum jam [per] XIV. annos regnasset, cum Arcadio & Honorio [filiis] regnat annis II. Sub quibus hi Consules fuerunt:

THEODOSIUS Imperator. U. C 1131. p. C. N. 379.

THEODOSIUS, ARCADIUS, ET HONORIUS, XLI.

Theodosius III. & Abundantius.

Arcadius III. & Honorius II.

His Coss. Joannes monachus, [prophetiæ] gratia præditus, Theodosium consulentem de eventu belli, quod adversum Eugenium movebat, victorem fore pronuntiat.

Olybrius & Probinus.

His Coss. Theodosius Eugenium tyrannum vincit & perimit. Augustinus, Beati Ambrosii discipulus, multa facundia doctrinaque excellens, Hippone regionis Africæ Episcopus ordinatur. Hoc tempore Claudius poëta insignis habetur. Theodosius Imperator Mediolani moritur. Post quem Arcadius, cum jam regnasset annis XII. cum fratre Honorio regnat annis XIII. Sub quibus hi Consules fuerunt:

ARCADIUS & HONORIUS Imperatores. U.C. 1145. p. C. N. 393.

ARCADIUS ET HONORIUS, XLII.

Arcadius IV. & Honorius III.

Cæsarius & Atticus.

Honorius IV. & Eutychianus.

Manlius & Theodorus.

Stilico & Aurelianus.

His Coss. Gothi Alarico & Radagaiso regibus ingrediuntur Italiam.

Vincentius & Fravita.

Arcadius V. & Honorius V.

His Coss. Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Romano Gothi acie victum fugaverunt.

Theodosius Aug. I. & Rumoridus.

Honorius VI. & Aristenætus.

Stilico II. & Anthemius.

Arcadius VI. & Probus.

His Coss. Vandali & Alani trajecto Rheno Gallias intraverunt.

Honorius VII. & Theodosius II.

Bassus & Philippus.

His Coss. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur. Honorius cum Theodosio fratris filio regnavit annis XV. Sub quibus hi Consules fuerunt:

THEODOSIUS Imperator Orientis. U. C. 1160. p. C. N. 408.

HONORIUS ET THEODOSIUS, XLIII.

Honorius VIII. & Theodosius III.

His Coss. Vandali Hispanias occupaverunt.

Fl. Varanes & Tertullus.

His Coss. Roma à Gothis Alarico duce capta est; ubi clementer usi victoria sunt.

Theodosius Aug. IV. Cos.

Honorius IX. & Theodosius V.

His Coss. Gothi rege Ataulpho Gallias intraverunt.

Lucius V. C. Cos.

His Coss. Burgundiones partem Galliæ Rheno conjunctam tenuere.

Constantius & Constans.

Honorius X. & Theodosius VI.

Theodosius VII. & Palladius.

His Coss. Gothi placati, Constantio Placidiam reddiderunt: cujus [ipse] nuptias promeretur.

Honorius XI. & Constantius II.

Honorius XII. & Theodosius VIII.

Monaxius & Plinta.

Theodosius IX. & Constantius III.

His Coss. Constantius ab Honorio in societatem regni recipitur.

Agricola & Eustathius.

His Coss. Constantius Imperator moritur.

Honorius XIII. & Theodosius X.

His Coss. exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est.

Marianus & Asclepiodotus.

His Coss. Placidia Augusta à fratre Honorio, ob suspicionem invitatorum hostium, cum Honorio & Valentiniano filiis ad orientem mittitur. Honorius moritur, & solus Theodosius Romanum Imperium tenet annis XXVII. Sub quo hi Consules fuerunt:

U. C. 1175. p. C. N. 423.

THEODOSIUS, XLIV.

Castinus & Victor.

His

VALENTINIANUS Imperator Occidentis. U. C. 1176. p. C. N. 424.

His Coss. Theodosius VALENTINIANUM consobrinum Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum occidentale mittit Imperium.

Theodosius XI. & Valentinianus Cæsar.

His Coss. Joannem tyrannum Valentinianus Imperator exstinxit; Hunnosque, qui in Italia erant, Joannis præsidio, per Aëtium mira felicitate dimovit.

Theodosius XII. & Valentinianus II.

Hierius & Ardabures.

His Coss. Bonifacio Africam tenenti infauste bellum geritur. Gens Vandalorum à Gothis exclusa, de Hispaniis ad Africam transit.

Felix & Taurus.

His Coss. Aëtius multis Francis cæsis, quam occupaverant propinquam Rheno partem recipit Galliarum.

Florentius & Dionysius.

Theodosius XIII. & Valentinianus III.

Bassus & Antiochus.

Aëtius & Valerius.

Theodosius XIV. & Maximus.

Asper & Areobindus.

Theodosius XV. & Valentinianus IV.

His Coss. pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum Africæ portione. Gundicarium Burgundionum regem Aëtius bello subegit, pacemque ei reddidit supplicanti: quem non multo post Hunni peremerunt.

Isidorus & Senator.

Aëtius II. & Sigisvultus.

His Coss. Aug. Valentinianus ad Theodosium Principem Constantinopolim proficiscitur, filiamque ejus in matrimonium accipit.

Theodosius XVI. & Faustus.

Theodosius XVII. & Festus.

His Coss. bellum adversus Gothos Hunnis auxiliaribus geritur, & Litorius dux Romanus ab eis capitur. Gensericus, de cujus amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis invadit.

Valentinianus Aug. V. & Anatolius.

His Coss. Gensericus Siciliam graviter affligit.

Cyrus V. C. Cos.

Hoc Cos. Theodosius Imperator bellum contra Vandalos inefficaciter movit.

Dioscorus & Eudoxius.

His Coss. Hunni Thracias & Illyricum sæva populatione vastarunt: cum Genserico ab Aug. Valentiniano pax confirmata, & certis spatiis Africa inter utrosque divisa est.

Maximus II. & Paterius.

Theodosius XVIII. & Albinus.

His Coss. Attila rex Hunnorum Bledam fratrem & consortem in regno suo perimit, ejusque populos sibi parere compellit.

Valentinianus VI. & Nonius.

Aëtius III. & Symmachus.

Callepius & Ardabures.

Postumianus & Zeno.

Asterius, & Protogenes.

Valentinianus VII. & Avienus.

His Coss. Theodosius moritur. Post quem MARCIANUS adscitus in Imperium, qui regnavit annis VII. Sub quo hi Consules fuerunt:

MARCIANUS, XLV.

MARCIANUS Imperator Orientis. U. C. 1202. p. C. N. 450.

Marcianus Aug. & Adelphius.

His Coss. Romani Aëtio duce, Gothis auxiliaribus, contra Attilam in Campis Catalaunicis pugnaverunt: qui virtute Gothorum superatus, abscessit.

Herculanus & Asporatius.

His Coss. Attila redintegratis viribus Aquilejam magna vi dimicans introivit: cum quo à Valentiniano Imperatore Papa Leo directus, pacem fecit.

Opilio & Vincomalus.

His Coss. Attila in sedibus suis moritur.

Aëtius & Studius.

His Coss. Aëtius Patricius in Palatio manu Valentiniani Imperatoris exstinctus est: Boëtius vero Præfectus Prætorio, amicis ejus circumstantibus interemptus.

Valentinianus VIII. & Anthemius.

His Coss. in campo Martio ab amicis Aëtii Valentinianus Imperator occiditur. Post quem MAXIMUS invasit Imperium: qui intra duos menses à militibus exstinctus, in Tiberim projicitur. Eodem anno per Gensericum omnibus opibus suis Roma vacuata est. Post Maximum AVITUS in Galliis sumit Imperium.

MAXIMUS Imperator Occidentis. U. C. 1207. p. C. N. 455.

AVITUS Imperator Occidentis. U. C. 1207. p. C. N. 455.

Joannes & Varanes.

His Coss. Placentiæ deposuit Avitus Imperium.

Constantinus & Rufus.

His Coss. Marciano Imperatore defuncto LEO orientis, MAJORIANUS Italiæ suscepit Imperium. Sub quibus hi Consules fuerunt:

LEO Imperator Orientis. U. C. 1209. p. C. N. 457.

MAJORIANUS Imperator Occidentis. U. C. 1209. p. C. N. 457.

LEO [ET MAJORIANUS,] XLVI.

Leo Aug. & Majorianus Aug.

His Coss. Majorianus in Africam movit procinctum.

Ricimer & Patricius.

Magnus & Apollonius.

Severinus & Dagalaifus.

His Coss. Majorianus immissione Ricimeris exstinguitur: cui SEVERUM natione Lucanum Ravennæ succedere fecit in regnum.

SEVERUS Imperator Occidentis. U. C. 1213. p. C. N. 461.

Leo Aug. II. & Severus Aug.

Basilius & Vibianus.

Rusticus & Olybrius.

His Coss. rex Alanorum Beorgor apud Bergomum à patricio Ricimere peremptus est.

Herminericus & Basiliscus.

His Coss. (ut dicitur) Ricimeris fraude, Severus Romæ in palatio veneno peremptus est.

Leo Aug. III. Cos.

Puseus & Joannes.

His Coss. ANTHEMIUS à Leone Imperatore ad Italiam mittitur, qui tertio ab Urbe milliario in loco Brontotas suscepit Imperium.

ANTHEMIUS Imperator Occidentis. U. C. 1219. p. C. N. 467.

Anthemius Aug. II. Cos.

Hoc Cos. in Sicilia Marcellinus occiditur.

Marcianus & Zeno.

His Coss. Ardaburius Imperium tentans, jussu Anthemii exilio deportatur.

Severus & Jordanes.

His Coss. ROMANUS patricius affectans Imperium capitaliter est punitus.

Leo Aug. IV. & Probianus.

His Coss. Constantinopoli affectata tyrannide à Leone principe Asper occiditur.

Festus & Marcianus.

OLYBRIUS Imperator Occidentis. U. C. 1224. p. C. N. 472.

His. Coss. patricius Ricimer Romæ facto Imperatore OLYBRIO, Anthemium, contra reverentiam Principis & jus affinitatis, cum gravi clade civitatis exstinguit, qui non diutius peracto scelere gloriatus, post XL. dies defunctus est, Olybrius autem septimo Imperii mense vitam peregit.

Leo Aug. V. Cos.

GLYCERIUS Imperator Occidentis. U. C. 1225. p. C. N. 473. LEO Imperator Orientis. U. C. 1226. p. C. N. 474. ZENO Imperator Orientis. U. C. 1226. p. C. N. 474. NEPOS Imperator Occidentis. U. C. 1226. p. C. N. 474.

Hoc Cos. Gundibalo hortante GLYCERIUS Ravennæ sumpsit Imperium. Eodem anno Leo Nepotem suum LEONEM consortem facit Imperii.

Leo junior Aug. Cos.

Hoc Cos. Imperator Leo senior defunctus est: cui ZENO successit in Imperio, qui regnavit ann. XVII. Sub quo hi Coss. fuerunt. Eo etiam anno Romæ Glycerio NEPOS successit in regno.

ZENON XLVII.

Post Cos. Leonis Aug. junioris.

AUGUSTULUS Imperator Occidentis. U. C. 1227. p. C. N. 475.

Eodem anno Orestes, Nepote in Dalmatias fugato, filio [suo] AUGUSTULO dedit Imperium.

Basiliscus II. & Armatus.

ODOACER Rex Gothorum in Italia. U. C. 1229. p. C. N. 477.

His Coss. ab Odoacre Orestes & frater ejus Paulus exstincti sunt, nomenque regis ODOACER adsumpsit, cum tamen nec purpura, nec regalibus uteretur insignibus.

P. C. Basilici II. & Armati.

Illus V. C. Cos.

Zeno Aug. II. Cos.

Basilius V. C. Jun. Cos.

Placidius V. C. Cos.

Hoc Cos. Odoacer in Dalmatiis Odinam vincit & perimit.

Severinus V. C. Cos.

Faustus V. C. Cos.

D. N. Theodoricus & Venantius.

Symmachus V. C. Cos.

Decius & Longinus.

Boëtius V. C. Cos.

Hoc Cos. Odoacer Phœba rege Rugorum victo captoque potitus est.

Dynamius & Sifidius.

Probinus & Eusebius.

His Coss. felicissimus atque fortissimus D.N. Rex Theodoricus intravit Italiam: cui Odoacer ad Isontium pugnam parans, victus, cum tota gente fugatus est. Eodem anno repetito conflictu Veronæ vincitur Odoacer.

Faustus Jun. Cos.

Hoc Cos. ad Adduam fluvium Odoacrem D. N. Theodoricus rex tertio certamine superavit, qui Ravennam fugiens, obsidetur inclusus.

Olybrius Jun. Cos.

Hoc Cos. Odoacer cum Herulis egressus Ravenna, nocturnis horis ad pontem Candidum à Domino Nostro Theodorico rege memorabili certamine superatus. Tunc etiam Vandali, pace suppliciter postulata, à Siciliæ solita deprædatione cessarunt. Eodem anno Zeno occubuit [Constantinopoli:] cui ANASTASIUS in Orientali successit Imperio.

ANASTASIUS, XLVIII.

ANASTASIUS Imperator Orientis. U. C. 1243. p. C. N. 491. THODORICUS Rex Gothorum in Italia. U. C. 1245. p. C. N. 493.

Anastasius Aug. & Rufus.

Albinus V. C. Cos.

Hoc Cos. D. N. Rex THEODORICUS Ravennam ingressus, Odoacrem molientem sibi insidias interemit.

Asterius & Præsidius.

Viator V. C. Cos.

Paulus V. C. Cos.

Anastasius Aug. II. Cos.

Paulinus & Joannes.

Joannes V. C. Cos.

Patricius & Hypatius.

Hoc anno D. N. rex Theodoricus Romam, cunctorum votis expetitus advenit, & Senatum suum mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donavit annonas; atque admirandis mœnibus, deputata per annos singulos maxima pecuniæ quantitate, subvenit: sub cujus felici Imperio plurimæ renovantur urbes, munitissima castella conduntur, consurgunt admiranda palatia, magnisque ejus operibus antiqua miracula superantur.

Avienus & Pompejus.

Avienus Jun. & Probus.

His Coss. D. N. Rex Theodoricus aquam Ravennam perduxit; cujus formam sumptu proprio instauravit, quæ longis ante fuerat ad solum reducta temporibus.

Cethegus V. C. Cos.

Hoc Cos. virtute D. N. Regis Theodorici victis Bulgaribus Sirmium recepit Italia.

Theodorus & Sabinianus.

Messala & Ariobinda.

Anastasius Aug. III. & Venantius.

Venantius junior & Celer.

His Coss. contra Francos à Domino nostro destinatur exercitus; qui Gallias Francorum deprædatione confusas, victis hostibus ac fugatis, suo adquisivit Imperio.

Importunus V. C. Cos.

Boëtius V. C. Cos.

Felix & Secundinus.

Paulus & Muschianus.

Probus & Clementinus.

Senator V. C. Cos.

Me etiam Cos. in vestrorum laude temporum, adunato clero vel populo Romanæ ecclesiæ rediit optata concordia.

Florentius & Anthemius.

His Coss. D. N. Rex Theodoricus filiam suam, Domnam Amalasvintam gloriosi viri D. N. Eutharici matrimonio, Deo auspice, copulavit.

Petrus V. C. Cos.

[Anastasius & Agapetus.]

Magnus V. C. Cos.

Eo anno D. N. Eutharicus Cillica mirabili gratia Senatus & plebis ad edendum exceptus est feliciter consulatum.

D. N. Eutharicus Cillica, & Justinus Augustus Coss.

Eo anno multa vidit Roma miracula: editionibus singulis, stupente etiam Symmacho orientis

orientis legato, divitias Gothis Romanisque donatas dignitates, cessit in Curiam: muneribus amphitheatralibus diversi generis feras, quas præsens ætas pro novitate miraretur, exhibuit. Cujus spectaculis voluptates etiam exquisitas Africa sub devotione transmisit. Cunctis itaque eximia laude completis, tanto amore civibus Romanis insederat, ut ejus adhuc præsentiam desiderantibus, Ravennam ad gloriosi patris remearet aspectus. Ubi iteratis editionibus tanta Gothis Romanisque dona largitus est, ut solus potuerit superare quem Romæ celebraverat consulatum.

Anacephalæosis. Igitur ut effusam annorum seriem auctorum testificatione digestam, sub brevitatis compendio redigamus.

Ab Adam usque ad diluvium, sicut ex Chronicis Eusebii Hieronymi collegimus, anni sunt ∞ ∞ CCXLII.

A diluvio usque ad Ninum Assyriorum regem, anni sunt DCCCXCIX.


A Nino usque ad Latinum regem, anni sunt DCCCLII.

A Latino rege usque ad Romulum, anni sunt CCCCLVII.


A Romulo usque ad Brutum & Tarquinium primos Consules, anni sunt CCXL.

A Bruto & Tarquinio usque ad Consulatum vestrum, sicut ex Tito Livio, & Aufidio Basso, & Paschali, virorum clarorum auctoritate firmata, collegimus, anni sunt MXXXI.

Ac si totus ordo seculorum usque ad consulatum vestrum colligitur, anni sunt V∞DCCXXI.



JORDANIS
SEU
JORNANDES
DE
REGNORUM ET TEMPORUM SUCCESSIONE.



JORDANIS, SEU JORNANDES DE REGNORUM, ET TEMPORUM SUCCESSIONE.

JORNANDES VIGILIO. S. D.

Occasio scribendi.

Vigilantiæ vestræ, nobilissime Frater Vigili, gratias refero, quod me perlongo tempore dormientem vestris tandem interrogationibus excitastis. Deo magno gratias, qui vos ita fecit solicitos, ut non solum vobis tantum, quantum & aliis vigiletis, macte virtutis, & meriti. Vis enim præsentis mundi cognoscere ærumnas, aut quando cœpit, vel quid ad nos usque perpessus est, edoceri. Addis præterea, ut tibi quomodo Respublica cœpit, & tenuit, totumque pæne mundum subegit, & hactenus vel imaginarie teneat, ex dictis majorum flosculos carpens breviter referam: vel etiam quomodo regnum à Romulo, & deinceps ab Augusto Octaviano in Augustum venerit Justinianum, quamvis simpliciter, meo tamen pandam eloquio. Licet nec conversationi meæ, quod admones convenire potest, nec peritiæ: tamen ne amici petitionibus obviemus, quoquo modo valuimus, late sparsa collegimus, & prius ab Authoritate divinarum scripturarum, cui & inservire convenit, inchoantes, & usque ad orbis terræ diluvium, per familiarum capita currentes, devenimus ad regnum Nini, qui Assyriorum in gente regnans, omnem pæne Asiam subjugavit, & usque ad Arbacem Medum: qui destructo regno Assyriorum in Medos illud convertit, tenuitque usque ad Cyrum Persam: qui itidem Medorum regnum subversum in Persas transtulit, & exinde usque ad Alexandrum Macedonem, qui devictis Persis, in Græcorum ditionem Rempublicam demutavit. Post hoc quomodo Octavianus Augustus Cæsar, subverso regno Græcorum, in jus, dominationemque Romanorum perduxit. Et quia ante Augustum, jam per septingentos annos Consulum, Dictatorum, Regumque suorum solertiâ, Romana Respublica nonnullâ subegit, ab ipso Romulo ædificatore ejus originem sumens, in vicesimoquarto anno Justiniani Imperatoris, quamvis breviter, uno tamen, in tuo nomine, & hoc parvissimo libello confeci, jungens ei aliud volumen, de origine, actuque Geticæ gentis, quod jam dudum communi amico Castalio edidissem; quatenus diversarum gentium calamitate comperta, ab omni ærumna liberum te fieri cupias, & ad Deum convertas, qui est vera libertas. Legens ergo utrasque libellos, scito diligenti mundum semper necessitas imminet. Tu vero ausculta Joannem Apostolum, qui ait, Carissimi, nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, quia mundus transit, & concupiscentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum. Estoque toto corde diligens Deum, & proximum, ut adimpleas legem, & ora pro me, nobilissime, & magnifice frater.

Ordo scribendi de successione temporum.

Volumen de Origine actuque Geticæ gentis. Votum.

Introitus.

ROmani, ut ait Jamblicus, armis, & legibus exercentes sese, orbem terræ suum fecerunt. Armis siquidem construxerunt, legibus autem conservaverunt. Quod & ego, sequens eruditissimum virum, cum aliqua de cursu temporum scribere delibero, necessarium duxi opusculo meo velut insigne quoddam ornamentum præponere. Cupio namque ob inquisitiones amici fidelissimi, ex diversis voluminibus majorem prælibans aliquos flosculos, pro captu ingenii mei, in unum redigere, & in modum historiunculæ tam annorum seriem, quam etiam eorum virorum, qui fortiter in Rempublicam laboraverunt gesta strictim, breviterque colligere.

Modestia Scriptoris.

Quod quamvis simpliciter reor dictum videri doctissimis; gratum tamen fore existimo mediocribus, dum & brevia sine fastidio legant, & sine aliquo fuco verborum, quæ lectitaverint sentiant.

Historia ab Orbe Condito usque ad diluvium. ab a. O. C. I. usque 1656.

Ab origine etenim orbis, primaque creatione tam hominum, quam elementorum, usque orbis terræ diluvium, secundum veridici legislatoris verba Moysis, duo millia ducentas quadraginta & duos annos collegimus. In quibus annis adhuc rudi, & simplici hominum natura, non Reges sed familiarum capita in suo genere erant. Quorum tamen ordo hujuscemodi fuit.

Adam protoplastus, primusque mortalium, vixit annos CCXXX. & genuit Seth. Seth vixit annos CCV. & genuit Enos. Enos autem vixit annos CLXXXX. & genuit Cainan. Cainan autem vixit annos CLXX. & genuit Malalehel. Malalehel vixit annos CLXV. & genuit Jareth. Jareth vero vixit annos CLXII. & genuit Enoch. Enoch vero vixit annos CLXX. & genuit Methusalem. Mathusalem vixit annos CLXXVII. & genuit Lamech. Lamech quoque vixit annos centum octoginta octo, & genuit Noë. Noë vero sexcentorum erat annorum, quando diluvium mundi crudelissima facinora expiavit.

A cujus regimine, vel ab ipso diluvio, usque ad confusionem linguarum, quæ item ob delicta ædificantium turrim facta est in campo Sennaar, & Heber, in quo Hebræorum genus, & lingua prisca remansit, quia nec in illa conspiratione interfuit, sunt anni quingenti viginti quinque per familias, sic.

Arfaxat filius Sem, nepos Noë, qui post diluvium anno secundo est genitus, vixit annos CXXXV. Cainan vero vixit annos CXXXV. & genuit Sale. Sale autem vixit anno CXXX. & genuit Heber. Heber quoque vixit annos CXXX. & genuit Falech.

A confusione vero linguarum, & primatu Heber, aquo Hebræi, & usque ad nativitatem Abræ, quando primus Rex in gente regnabat Assyriorum Ninus, anno regni sui XLII. supra scripta familiarum serie, currentes fiunt anni quingenti quadraginta unus.

Sic Falech vixit annos CXXX. & genuit Ragan. Ragan vixit annos CXXXII. & genuit Saruch. Saruch autem vixit annos CXXX. & genuit Nachor. Nachor vero vixit annos LXXIX. & genuit Thare. Thare quoque vixit annos LXX. & genuit Abram. Simul ergo ab Adam usque ad nativitatem Abræ, idest, ab ortu mundi, usque quadragesimum secundum annum Regis Assyriorum Nini, ut supra diximus, per familias, capitaque eorum sunt generationes viginti. Anni autem MMMCCCVIII. Unde jam relictis familiis, Regum seriem prosequamur: & sicut Eusebius, seu Hieronymus, primum Assyriorum, deinde Medorum, Persarumque, & Græcorum regnum percurrentes, ad Romam imperium quomodo deletum sit, vel quali tempore latius, si Dominus permiserit exequamur.

ab O. C. usque ad nativitatem Abrahæ, usque ad a. O. C. 2008.

Series Regum Assyriorum, ab a. O. C. 1757. usque ad a. O. C. 3297.

Origo ergo Regum, regnorumque antiqua, Assyria nobis amplexanda est, in qua primus NINUS Beli filius, urbem sui nominis fabricans Niniven, regnavit annos . . . . . XLII.

Ubi à primo anno ipsius Nini, & usque in ultimum annum Thonos Concoloros, quem Regem Sardanapalum appellant, quem occidit Arbaces Medorum præfectus, regnum illud transferens in Medos, regnatum est à Regibus XXX. & VI. per annos MCCXL. Sic.

1. NINUS Rex Assyriorum post nativitatem Abræ, Regnavit annos , . . . X.

2. SEMIRAMIS uxor Nini annos . . LXII.

Hanc dicunt, quasi Babyloniæ conditricem, quamvis non legatur, quia condidit, sed quia reparavit. Sub ea Abraham adolescit in Chaldæa.

3. ZAMEIS, qui & NINIAS, filius Nini, & Semiramidis annos . . . . XXXVIII.

Cujus trigesimo tertio anno facta est promissio ad Abraham quum esset annorum LXXV.

4. ARIUS annos . . . . . . XXX.

Cujus decimo anno centenarius Abraham genuit filium Isaac.

5. ARALIUS regnavit annos . . . LX.

Hujus in ultimo regni anno nascuntur gemini Isaac, id est, Jacob & Esau.

6. XERSES qui & BALEUS, annos . . XXX.

In hujus regni tempore Jacob Germanum fugiens Esau descendit in Egyptum solus, ditatusque cum turba ascendit.

7. ARMANITRES annos . . . XXXVIII.

Jacob à servitute soceri Laban recedens, ad patrem revertitur.

8. BELOCHUS annos . . . XXXVI.

Hoc regnante Joseph adolescens somnia sua fratribus, & patri narravit.

9. BALEUS annos . . . LXII.

Hujus anno tricesimo Jacob penuria famis descendit in Egyptum, ibique filium suum reperit præpositum terræ totius Ægypti.

10. ALTADAS annos . . . XXXII.

Hoc regnante Jacob defunctus in Ægypto, cujus Cadaver Joseph, cum magno honore locat in terra Chanaan.

11. MAMINTHUS annis . . XXX.

Sub istius regni tempore, moritur Joseph, &

& Hebræos deprimunt Ægyptii graviſſima ſervitute.

12. Manchaleus annos . . . XXX.

Et hoc regnante ſervitus durat in Egypto Hebræorum.

13. Sperus annos . . . XXX.

Hujus regni temporibus ultimis, Ambra ex tribu Levi genuit Moyſen.

14. Mamilus annis . . . XXX.

Et hoc regnante Moyſes adoleſcens omnem philoſophiam didicit Ægyptiorum.

15. Sparetus annis . . . XL.

Quo tempore Moyſes occiſo Ægyptio in terram fugit Madiam.

16. Ascades annos . . . LX.

Hujus regni anno octavo Moyſes quadringenteſimo trigeſimo anno repromiſſionis populum Hebræorum in ſignis & virtutibus educit ex Ægypto, eisque in eremo per annos quadraginta legem exponit.

17. Amyntes annis . . . XLV.

Hujus nono anno moritur Moyſes, & Jeſus Nave ducatum populo præbet.

18. Belothus annis . . . XXV.

Sub quo Othoniel Judex Hebræorum, populum, & Sacerdotium continet Finees:

19. Belebaris annis . . . XXX.

Quo tempore Hebræorum judex Ajoth, Allophylique infeſti omnino Hebræis.

20. Lamprides annis . . . XXXVII.

Et in hujus regno ipſe perdurat Ajoth.

21. Soſares annis . . . XX.

Et hujus temporibus quamvis ſenex, tamen adhuc conſiſtit Ajoth, pugnatque cum alienigenis, & vicit adjutus à Deo.

22. Lampares annos . . . XXX.

Quo regnante Judæis præerat Debora.

23. Pannias annis . . . XLV.

Sub cujus tempore præfuit Gedeon, qui & Jerobail.

24. Sosarnius annos . . . XIX.

Sub cujus tempore Thola, & Abimelech Judices erant Hebræorum.

25. Mithreus annis . . . XXIX.

Sub quo Judæis præerat Jair.

26. Tantanes annis . . . XXII.

Cujus ſub regno Judices Hebræorum, Heſebon, & Labdon.

Adventus Æneæ in Italiam.

Nam & ipſo tempore Græci Trojam vaſtaverunt, unde Æneas fugiens in Italiam venit, & ſe quoque cum Latino Fauni filio, Pici nepote, Saturni abnepote, affinitatis gratia jungens, accepta filia ejus in uxorem Lavinia, unitos Phrygas, Italosque populos nominavere Latinos, & ſic deinceps quamvis in pauperrimo regno, locoque anguſto, quod dicebatur Agrolaurentum, regnaverunt. Poſt Latinum Æneas, & ſucceſſores ejus, qui & Silvii, Albanique vocati, pro Albana urbe, & pro poſthumo Ænea ejusdem Æneæ, qui idcirco Silvius dictus eſt, quia Lavinia poſt mortem Æneæ timens Aſcanii invidiam, clam eum in ſilva generavit, Æneamque ſilvium nominavit. Ante quem, ut ſuperius diximus, Italiæ regnatum eſt, à Jano, Saturno, Pico, Fauno, atque Latino, per annos circiter CLXXX.

27. Teuteus annos . . . LX.

Sub quo Samſon ille ultra fortes fortiſſimus Judex Hebræorum.

28. Tinnens annos . . . XXX.

Hoc regnante anno decimo octavo, Heli ſacerdos, audito nuntio de morte filiorum, arcaque teſtamenti ablata, cadens mortuus eſt.

29. Dercilius annos . . . XL.

Sub quo aliquantum tempus Saul Rex Hebræorum, alius vero Rex David ex tribu juda conſtitutus regnavit.

30. Eupales annis . . . XXXVIII.

Hoc regnante anno triceſimo ſecundo Salomon templum Domini inchoavit, & perfecit ſingulare in mundo, per annos ſeptem.

31. Laosthenes annos . . . XLV.

Et hoc regnante Aſſyriis, Salomon regnat Hebræis, Sadoch vero, & Achias Selonites prophetant.

32. Pritiades annis . . . XXX.

Sub quo jam mortuo Salomone inter Roboam, & Jeroboam regnum dividitur Hebræorum, & alii Judæi, alii dicuntur Iſraëlitæ.

33. Ofrathæus annis . . . XX.

Sub iſto in parte Judæorum regnat Joſaphat, Iſraëlitarum vero celeri morte Nabad, & Baſa Ela, & Ambri obeuntibus tenebat regimen Achas cum Hieſabel.

34. Ofrathenes annis . . . L.

Sub quo Joram, Ochozias, & Gedolia, & Joas parti Judææ regnabant, Iſraëli vero Ochozias, Joram, & Jehu principatui unus poſt alium ſucceſſerunt.

35. Acrajapes annis . . . XLII.

Sub quo Amaſias in Juda regno aſcitus obtinet principatum, Iſraëli vero Joab, & Joas, unus poſt alium regnat.

36. Thonos Concoloros, quem Græci Sardanapalum nominant, annis . . XX.

Sub quo Judæorum Azarias, qui & Ozias, Iſraëlitas vero Roboam.

Regnum vero Aſſyriorum, poſt numeros annorum mille ducentorum, & quadraginta finem tantæ diuturnitatis accepit, ad Medosque translatum eſt. Nam Arbaces Præfectus Medorum, Sardanapalo occiſo regnum ejus invaſit, & in Medos deduxit.

REGUM MEDORUM SERIES.

Series Regum Medorum, ab A. O. C. 3297. uſque ad A. O. C. 3468.

1. Arbaces Medorum Rex annos XXVIII.

Sub quo regnabat adhuc Azarias, qui & Ozias, Judæ in parte. In Iſraël autem poſt Roboam paucis diebus fuerat Zacharias, rurſusque Sellum, quibus ſucceſſerat Manaë.

2. Sofarinus annis . . . XXX.

In Judæ parte regnabat Joatham, Iſraëlitis Facee, quarto & quintodecimo anno prima Olympias cœpta eſt numerari.

Tum etenim poſt innumerabiles, ut ita dicam, Laurenti loci, & Latii Reges Silvios, Albanosque, qui trecentos per annos in parte Italiæ regnaverunt, quamvis pauperrime, Amulius Rex Numitoris fratris ſui filium Rheam nomine, quæ & Ilia vocabatur, Veſtalem virginem fecerat, quæ gravida inventa, dum ſcelus ſuum nititur excuſare à Marte ſe compreſſam mentita eſt. Ex qua genitis duobus, geminos Rex exponi præcepit. Quos vagientes meretrix quædam, Lupa nomine, cum audiſſet,

Romuli & Remi natales. a. U. C. 18. Ol. 2. a. C.N. 770.

disset, Statim tollens ad Faustulum pastorem adduxit. Quos Accia uxor ejus nutriens, inter alios pastores conversari edocuit.

3. Madiclus annos . . . XL.

Quo Medis regnante, Judæis regnabat Achas, Israëlitis alius Facee, annoque Madicli nono, Septima Olympiade, Romulus, ejusque Germanus, quos inter pastores enutritos diximus, collecta pastorum multitudine, Romanæ urbis ædificia inchoaverunt, suoque de nomine junior, qui germanum peremerat, urbem vocari Romam præcepit. Cujus actus, seriemque successorum ejus saltu quodam prætergrediens, externa regna, ut cœpi percurram, ut quum se locus obtulerit, ad eum ordinem redeam, tantum qui legis, adverte, ab origine mundi ad hujus usque magnæ Urbis exortum annos fuisse IVMDCL.

Roma Condita. Ol.7. a. C.N. 752.

4. Caldices annos . . XIII.

Sub quo Ezechias filius Achas succedens regnat Judæis. Nam Israëlitarum gentes supradicti Madicli quintodecimo anno, à Salmanassar Chaldæorum Rege, Medeorum sunt montibus transductæ captivæ, postquam regnassent in Samaria annos CCL.

5. Deloces annos . . . . LIII.

Hujus tempore primo Hebræorum ex Juda Manasses ductus captivus, & ferreis vinculis illigatus, fertur pœnitentiam egisse. Cujus & canticum pœnitentiæ legitur. Postea vero reversus in regno suo, successorem reliquit filium suum Ammon.

6. Fraortes annos . . XXIII.

Sub quo Josias Rex Judæorum, qui lucos succidit, & gentium idola de suo regno abjecit, Deumque Cœli integre coluit.

7. Cyaxares annos . . XXXII.

Sub quo Judæis regnat Joachim, cui successit Heliachim, qui & Joachim, alterque & Joachim primo adhuc Cyaxare vivente successit, in quo & finis regni evenit.

8. Astyages annos . . XXXII.

Hujus anno octavo Judæi de Hierosolyma captivantur à Nabuchodonosor Rege. Sic regnum Medorum, quod per annos CCLVIII. duravit, destructum est, & in Persas translatum, quia Cyrus Rex Persarum, Darius Medorum, filius supra scripti Astyagis, parentela conjuncti, nepos, avunculusque fuerunt: irruentes quæ super Balthasar abnepotem Nabuchodonosor, Regem Babyloniæ, id est, Chaldæorum regnum ejus pervadunt; mortuoque Dario, Cyrus & suum, id est, Persarum, & affinis sui Darii, hoc est, Medorum, cum illo quod captivaverat, tertio regno obtinuit. Post is admodum gentem Persarum elevavit. Quæ gens à Cyro prædicto, & usque ad Darium filium Arsami, regnat per annos plus minus CCXXX. & sic ad Græcos devenit, post Reges XIV. Persarum de gente.

REGNUM MEDORUM IN PERSAS TRANSLATUM.

Series Regum Persarum. ab A. O. C. 3468. usque ad A. O. C. 3674.

1. Cyrus Persa annos . . XXXII.

Hic fere quingenta millia Judæorum laxata captivitate regredi fecit in Judæam: qui constructo altari, templi fundamenta jecerunt. Quumque à vicinis gentibus impediretur opus, usque ad Darium remansit imperfectum.

2. Cambyses annos . . VIII.

Et sub isto opus impeditum à vicinis consistit, nec ædificatur.

3. Magi duo fratres regnant mensibus VIII.

4. Darius annos . . XLVI.

Cujus secundo reædificatum est templum à Zorobabel, & Jesu filio Josedech quingentesimo duodecimo anno post primam Salomonis ædificationem, ab Adam vero plus minus IVMCCCCXXX.

5. Xerses deinde filius Darii annis . XX.

Regnavit Persis, Medis, atque Chaldæis.

6. Artabanus menses . . VII.

7. Artaxerses, qui Macrochir dicebatur, annos . . XL.

8. Xerses menses duos.

9. Sogdianus menses . . VII.

10. Darius cognomento Nothus annos . . . XVIII.

11. Artaxerses Mimmon Darii, & Parisadis filius annos . . . XL.

Ipse est ab Hebræis qui dicitur Asverus, sub quo liber Hester confectus est.

12. Artaxerses, qui & Ochus annos XXVI.

Hic etenim Sidonem subvertit, Ægyptumque suo subegit imperio, Syriamque cunctam invasit.

13. Arses filius Ochi annos . IV.

Sub quo Jadus Maximus, & insignis Pontifex Judæorum.

14. Darius filius Arsami annos . . VI.

Hunc Alexander Magnus Macedo occidit, regnumque ejus in suum redegit Dominium, qui Alexandriam in suo nomine condidit, ubi regnatum est à Regibus Græcorum per annos CCXCVI. Sic.

REGUM GRÆCORUM SERIES.

Series Regum Græcorum. ab A. O. C. 3674. usque ad A. O. C. 3974.

1. Alexander Magnus post mortem Darii annos . . . . . . VI.

2. Ptolemæus Lagi filius annos . XI.

Hic iterum gentem Hebræorum captivam ducit in Ægyptum.

3. Ptolemæus Philadelphus annos XXVIII.

Hic captivitate Judæorum relaxata, muneribusque Eleazaro Pontifice Judæorum placato, divinas Scripturas per septuaginta interpretes ex Hebræa lingua vertit in Græcam.

4. Ptolemæus Evergetes annos . XXVI.

Hujus temporibus Jesus filius Syrach Sapientiæ librum scripsit.

5. Ptolemæus Philopator annos . XVII.

Sub hoc iidem victi Judæi, & sexaginta millia eorum cæsa ab Antiocho Rege Syriæ, quando & Pontifex Magnus Onias.

6. Ptolemæus Epiphanes annos . XXIX.

Hic directo Scopa Principe militiæ capit Judæam; rursusque Scopa superante, Judæam sibi sociat in amicitiam Antiochus.

7. Ptolemæus Philometor annos . XXV.

Sub hoc Rege Aristobulus inde Peripateticus Philosophus scripsit commentarios in libros Moysis, & Regi obtulit Ptolomæo. Antiochus agens contra legem Judæorum multos intermit. Contra quem Judas, qui & Machabæus, arma commovit.

8. Pro-

8. Ptolemæus Evergetes annos XXVIII.

Hoc regnante Jonathas Dux Judæorum præclarus, qui cum Romanis & Spartiatis fœdus iniit.

9. Ptolemæus Fista, qui & Soter annos . . . . . . XVII.

Sub hoc Ariſtobulus Jonathæ filius, rex pariter. Et Pontifex conſiſtit Judæorum.

10. Ptolemæus, qui & Alexander annos X.

Quo regnante multa Judæorum populus tam ab Alexandrinis, quam etiam ab Antiochenſibus tolerabat.

11. Ptolemæus, qui à matre fuerat ejectus annos . . . . . . VIII.

Judæis tunc regnabat Ameus, qui & Alexander.

12. Ptolemæus Dionyſius annos . XXX.

Sub cujus regno Alexandra, quæ & Salina, uxor Alexandri Regis Hebræorum Hieroſolymis regnat. Ex cujus ætate Judæos rerum confuſio, & variæ clades oppreſſerunt.

13. Cleopatra annos . . XXII.

Qua regnante Judæi in amicitiam Romanorum ſe ſociantes eorum jam legibus vivunt, quia Pompejus ſublato regno ab Ariſtobulo, Hircanum fratrem ejus præfecerat. Hanc ſiquidem Cleopatram Romanus ductor ſuſcipiens Antonius, & ſuo ſocians lateri, contra cives proprios dimicat. Quem Auguſtus Octavianus in certamine ſuperans Actiatico in litore, egit, ut utrique jugales ſeipſos perimerent, regnumque eorum in Romanorum Imperium devenit, ubi & uſque hactenus, & uſque in finem mundi ſecundum Danielis prophetiam, regni debetur ſucceſſio. Et quidem abhinc Auguſtalis exoritur poteſtas, quod animo recondendum eſt.

Auguſtus Imperator, qui & Octavianus dicebatur, à quo poſteri Principes vocati ſunt Auguſti, tam cives patrios rebelles, quam etiam gentes externas ſuperans, ſingularem ſibi vindicat Principatum, regnans per annos LXII.

AUGUSTUS Imperator Romanorum A.O.C. 3974. U.C. 726. Ol. 188. a. C. N. 28.

Hujus quadrageſimo ſecundo Imperii anno, Dominus noſter Jesus Christus de ſancta virgine natus, ut verus Deus, ita & verus homo, inſignis, & virtutibus admirandis enituit, anno ab origine mundi VMD. ab Urbis autem Romæ conditione anno DCCCLV.

JESUS CHRISTUS naſcitur. A.O.C. 4000. U.C. 752. Ol. 194.

Et quia Romanorum Regum ordinem, actuſque inquirere ſtatuiſti, & nos breviter tuis percontationibus reſpondere ſumus polliciti, neceſſarium eſt ergo nobis ea interim, quæ ad tempora Auguſti Imperatoris dicuntur, omittere, & rurſus ad Romanæ Urbis primordia repedare, originem Romuli ejus conditoris exponere, ſimulque ſucceſſorum ejus Regum, Conſulumque annos, actuſque ad liquidum demonſtrare, qui ſunt hi.

REGUM ROMANORUM SERIES. (a)

CAPUT I.

Regum Romanorum ſeries, ab A. O. C. 3248. uſque ad A. O. C. 3489. Romuli & Remi Natales. a. U. C. 18. Ol. 2. a. C. N. 770.

Ab origine Urbis Romæ, & uſque Tarquinium regem cognomento Superbum, qui expulſus eſt, numerantur anni CCXLIII. Nam primus ille, & Urbis, & Imperii conditor Romulus, fuit à Marte (ut ipſorum verbis loquamur) genitus, & Rhea Silvia, hoc ſeſe ſacerdos gravidatam confeſſa eſt. Nec mox fama dubitavit; *(b)* quum Amulii regis Imperio abjectus in aquam profluentem cum Remo fratre, non potuit extingui. Siquidem & Tiberis amnem repreſſit, & relictis catulis lupa ſecuta vagitum, ubera admovit infantibus, matriſque geſſit officium. Sic repertos Fauſtulus regii gregis paſtor tulit in caſam, atque educavit. Alba tum erat Latio caput, Julii *(c)* opus. Nam Lavinium patris Æneæ contempſerat. Abhinc Amulius jam ſeptima ſoboles regnabat, fratre pulſo Numitore, cujus ex filia natus erat Romulus. Igitur ſtatim prima juventæ *(d)* facie patruum ab arce deturbat, avum reponit. Ipſe fluminis amator & montium, apud quos erat educatus, mœnia novæ Urbis agitabat. Gemini erant: uter auſpicaretur & regeret, adhibere placuit deos. Remus montem Aventinum, hic Palatinum occupat. Prius ille ſex vultures, hic poſtea duodecim vidit. Sic victor Urbem augurio excitat, plenus ſpei bellatricem fore, id aſſuetæ ſanguini & prædæ aves pollicebantur. Ad tutelam novæ Urbis, ſufficere vallum videbatur: cujus dum anguſtias Remus increpat, ſaltu tranſilivit. Dubium an juſſu fratris, occiſus eſt. Prima certe victima fuit, munitionemque Urbis novæ ſanguine ſuo conſecravit.

Roma condita. A. O. C. 3248. Ol. 7. a. C. N. 752.

CAP. II. Imaginem Urbis magis, quam Urbem fecerat. Incolæ deerant. Erat in proximo lucus, hunc aſylum facit, & ſtatim mira hominum vis, Latini Tuſcique paſtores, etiam tranſmarini Phryges, qui ſub Ænea, Arcades, qui ſub Evandro duce confluxerant. Ita ex variis quaſi elementis congregavit corpus unum, Populumque Romanum ipſe fecit. Erat vero unius ætatis Populus. Virorum itaque matrimonia à finitimis petita, quia non impetrabantur, manu capta ſunt. Simulatis quippe ludis equeſtribus, virgines, quæ ad ſpectaculum venerant, prædæ fuerunt. Hæc ſtatim cauſa bellorum. Pulſi fugatique Veientes. Cæninenſium captum ac direptum eſt oppidum. Spolia inſuper opima de rege Agrone Feretrio Jovi manibus ſuis rex reportavit. Sabinis prodita porta per virginem Tarpeiam, non dolo, ſed puella pretium rei, quod gerebant in ſiniſtris manibus, petierat; dubium clypeos, an armilla. Illi, ut & fidem ſolverent, & ulciſcerentur, clypeis obruerunt *(e)* Ita admiſſis intra mœnia hoſtibus, atrox in ipſo aditu *(f)* fit pugna, adeo ut Romulus Jovem oraret, fœdam ut ſuorum fugam ſiſteret. Hinc templum, & Stator Juppiter. Tandem funeribus intervenere raptæ, laceris comis: ſic pax facta cum Tatio, fœduſque percuſſum. Secutaque

ROMULI res geſtæ.

Jupiter Stator.

(a) al. Regni Romanorum ſucceſſio. *(b)* al. dubitatur. *(c)* al. Juli. *(d)* al. juventutis. *(e)* al. obruere. *(f)* al. foro.

cutaque res mira dictu, ut relictis sedibus suis, novam in Urbem hostes demigrarent, & cum generis suis avitas opes pro dote sociarent. Auctis brevi viribus, hunc rex sapientissimus statum Reipublicæ imposuit. Juventus divisa per tribus, in equis & armis, ut ad subita bella excubaret, consilium Reipublicæ penes senes esset, qui ex auctoritate *Patres*, ab ætate *Senatus* vocabantur. His ita ordinatis, repente cum concionem haberet ante Urbem, apud Capreæ paludes, è conspectu ablatus est. Discerptum aliqui à Senatu putant, ob asperius ingenium. Sed oborta tempestas, solisque defectio, consecrationis speciem præbuere. Cui rei mox Julius Proculus fidem fecit, *visum à se Romulum* affirmans *augustiore forma, quam fuisset: mandare præterea, ut se pro numine acciperent: Quirinum in cælo vocari; placitum diis ut gentium Roma potiretur.*

Romuli mors.

NUMA POMPILIUS. U. C. 38. Ol. 16. a. C. N. 715.

CAP. III. Successit Romulo NUMA POMPILIUS, quem Curibus Sabinis agentem ultro petiverunt, ob inclytam viri religionem. Ille sacra, cæremonias, omnemque cultum deorum immortalium docuit: ille pontifices, augures, salios, cæteraque sacerdotia, annumque in XII. menses, fastos dies, nefastosque descripsit. Ille ancilia atque palladium, secreda quædam imperii pignora, janumque bifrontem, fidem pacis ac belli, inprimis focum Vestæ virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum cœlestium siderum, custos Imperii flamma vigilaret. Hæc omnia quasi monitu deæ Egeriæ, quo magis barbari acciperent. Eo denique ferocem Populum redegit, ut quod vi & injuria occuparat Imperium, religione atque justitia gubernaret.

Egeria Dea.

TULLUS HOSTILIUS. U. C. 81. Ol. 27. a. C. N. 672. Ejus res gestæ.

CAP. IV. Excepit Pompilium Numam TULLUS HOSTILIUS, cujus honori, & virtuti regnum ultro datum. Hic omnem militarem disciplinam artemque bellandi instituit. Itaque mirum in modum exercitata juventute provocare ausus est Albanos, gravem & diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus præliis utrique comminuerentur, misso in compendium bello, Horatiis Curiatiisque, trigeminis hinc atque inde fratribus, utriusque populi fata permissa sunt. Anceps & pulchra contentio, exituque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, ad virtutem dolo, (*g*) ut distraheret hostem, simulat fugam, singulosque, prout sequi poterant, adortus, exsuperat. Sic rarum decus aliis, unius manu parta (*h*) victoria est, quam ille mox parricidio fœdavit. Nam flentem spolia circa se sponsi quidem, sed hostis, sororem viderat. Hunc tam immaturum amorem virginis ultus est ferro. Ut audiret leges, nefas: sed abstulit virtus parricidam, & facinus infra gloriam fuit. Nec diu in fide Albanus perstat. Nam Fidenati bello missi in auxilium ex fœdere, medii inter duos exspectavere fortunam. Sed rex callidus, ubi inclinare socios ad hostem videt, tollit animum quasi mandasset. Spes inde Romanis, metus hostibus incussus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoste victo, ruptorem fœderis Metium Suffetium (*i*) religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit; Albamque ipsam, quamvis parentem, æmulam tamen diruit; quum prius omnes opes Urbis, ipsumque populum Romam transtulisset: prorsus ut consanguinea civitas non perisse, sed in suum corpus redisse rursus videretur.

Certamen trigeminorum fratrum.

Metii Suffetii supplicium.

ANCUS MARCIUS. U. C. 113. Ol. 35. a. C. N. 640. Ejus res gestæ.

CAP. V. ANCUS deinde MARCIUS, nepos Pompilii ex filia, pari (*k*) ingenio. Igitur & muro mœnia amplexus est, & influentem Urbi Tiberim ponte commisit, Ostiamque in ipso, maris, fluminisque confinio posuit coloniam; jam tunc videlicet præsagiens animo, *futurum ut totius mundi opes & commeatus, illo velut maritimo Urbis hospitio reciperentur.*

TARQUINIUS PRISCUS. U. C. 137. Ol. 41. a. C. N. 616. Ejus res gestæ.

CAP. VI. TARQUINIUS postea PRISCUS, quamvis transmarinæ originis, regnum ultro petens accepit, ob industriam atque elegantiam, quippe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset. (*l*) Hic & Senatum centum Patrum numero ampliavit, & centuriis tribus auxit, quamvis Actius Nevius numerum augeri prohiberet, vir summus augurio, quem Rex in experimentum rogavit, *fierine posset quod ipse mente conceperat?* ille, rem expertus augurio, *posse* respondit. *Atque hoc*, inquit, *agitabam, an cotem illam secare novacula possem.* Et augur, *potes*, inquit, & secuit. Inde Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinius quam bello promptior. Duodecim namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde fasces, trabeæ, curules, annuli, faleræ, paludamenta, prætextæ: inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur: togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora & insignia, quibus Imperii dignitas eminet, sumpta sunt.

SERVIUS TULLIUS. U. C. 175. Ol. 50. a. C. N. 578. Ejus res gestæ.

CAP. VII. SERVIUS TULLIUS deinceps gubernacula Urbis invadit: nec obscuritas inhibuit, quamvis matre serva creatum. Nam eximiam indolem uxor Tarquinii Tanaquil liberaliter educaverat, & clarum fore visa circa caput flamma promiserat. Ergo inter Tarquinii mortem, adnitente regina, substitutus in locum regis, quasi ad (*m*) tempus regnum dolo partum sic egit industriæ, ut jure adeptus videretur. Ab hoc Populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, decuriis ac collegiis distributus: summaque regis solertia ita est ordinata respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac sic maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur.

TARQUINIUS SUPERBUS. U. C. 219. Ol. 61. a. C. N. 534. Ejus res gestæ.

CAP. VIII. Postremus fuit omnium Regum TARQUINIUS, cui cognomen SUPERBUS ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod à Servio tenebatur, rapere maluit quam exspectare; missisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quam adquisierat. Nec abhorrebat moribus Tullia, quæ ut virum regem salutaret, supra cruentum patrem vecta carpento, consternatos equos egit. Sed ipse in Senatum cædibus, in plebem verberibus, in omnes superbia, quæ cru-

(*g*) al. addito in virtutem dolo. (*h*) al. parata. (*i*) al. Fufetium. (*k*) al. gnavo. (*l*) al. immiscuisset. (*m*) al. in.

crudelitate gravior est bonis, grassatus, quum sævitiam domi fatigasset, tandem in hostes conversus est. Sic valida Latii oppida capta sunt, Ardea, Ocriculum, Gabii, Suessa Pometia. Tum quoque cruentus in suos. Neque enim filium verberare dubitavit, ut simulantis transfugam apud hostes hinc fides esset. Quo à Gabiis, ut voluerat, recepto, & per nuntios consulenti, *quid fieri vellet*; eminentia forte papaverum capita virgula excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes vellet intelligi, ea superbia sic respondit, ut senserat. Tamen de manubiis captarum urbium templum erexit. Quod dum inauguraretur, cedentibus cæteris diis, (mira res dictu) restitere Juventas & Terminus. Placuit Patribus contumacia numinum, siquidem firma omnia & æterna pollicebantur. Sed illud horendius, quod molientibus ædem, in fundamentis humanum caput repertum est. Nec dubitavere cuncti, monstrum pulcherrimam Imperii sedem, caputque terrarum promittere. Tamdiu superbiam Regis Populus Romanus perpessus est, donec aberat libido. Hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit. Quorum cum alter ornatissimæ fæminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiavit. Imperium tum Regibus abrogatum.

Tyrannis.

Et superbia.

Ædes Jovis Capitolini. Prodigia.

Libido Tarquiniorum.

Reges abrogantur. a. U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510.

Anacephalæosis de septem Regibus.

CAP. IX. Hæc est *prima ætas Populi Romani & quasi infantia*, quam habuit sub Regibus septem, per annos, ut diximus, CCXLIII. quadam fatorum industria tam variis ingenio, ut reipublicæ ratio & utilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit ut invaderet regnum. Quid Numa religiosius? ita res poposcit, ut ferox populus, deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus? bellatoribus viris quam necessarius, ut acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? ut Urbem colonia extenderet, ponte jungeret, muro tueretur. Jam vero ornamenta Tarquinii & insignia, quanta principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus à Servio census quid effecit, nisi ut ipsa se nosset Romana respublica? Postremo Superbi illius importuna dominatio nonnihil, imo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus injuriis Populus, cupiditate libertatis incenderetur, mutataque regali dominatione, ad Consulum infulas se conferret, qui bini annis singulis rempublicam gubernantes, sequenti anno ab aliis venientibus succedebantur, scientesque se annis tantum singulis præesse in Populo, erga alios agebant, qualiter eos erga se acturos postea cupiebant. Qui ordo usque ad Augustum Cæsarem obtinuit privilegium, per viros nongentos quindecim, in annis CDLVIII. Novem siquidem annis, sine Consulibus, sed tantum sub tribunis plebis fuit, quatuor sine judicibus. Nam post exactos Reges annum unum quinis diebus, singulis diebus singuli Senatorum Rempublicam obtinuerunt, & tunc duobus creatis Consulibus, Bruto & Collatino in posterum usque ad Pansam & Hirtium servaverunt per annos prænotatos. Et quia omnium Consulum nomina, actusque conscribere, & mihi tædium, & tibi, qui legis, fastidio (*n*) fore præcavi, aliqua exinde prælibans, multa supersedi, quod pæne nonnullis jam usurpatum esse breviatumque opus cognovi.

Consules creati. U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510.

ADMINISTRATIO REIPUBLICÆ PER CONSULES (a)

CAPUT I.

Primi Consules Romani. U. C. 243. Ol. 67. a. C. N. 510.

IGitur primi Consulum Brutus & Collatinus, quibus ultionem sui matrona moriens mandaverat, Populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus, quodam quasi instinctu deorum concitatus, regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, Imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen, ut diximus, & jure, & nomine, quippe ex perpetuo annum placuit, ex singulari duplex; ne potestas solitudine vel mora corrumperetur: Consulesque appellavit pro regibus, ut consulere civibus suis debere meminissent. Tantumque libertatis novæ gaudium incesserat, (*b*) ut vix mutati status fidem caperent, alterumque ex Consulibus Lucretiæ maritum, tantum ob nomen & genus regium, fascibus abrogatis, Urbe dimitterent. Itaque substitutus Valerius Publicola, summo studio usus (*c*) est ad augendam Populi majestatem. Nam & fasces ei pro concione submisit, & jus provocationis adversus ipsos dedit: &, ne species arcis offenderet, eminentes ædes suas, in plana submisit. (*d*) Brutus vero favori civium etiam domus suæ clade & parricidio velificatus est. Quippe quum studere de revocandis in Urbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & in concione media virgis cecidit, securique percussit: ut plane publicus parens, in locum liberorum adoptasse sibi Populum videretur. Liber jam hinc Populus Romanus prima adversus exteros arma pro libertate corripuit, pro finibus mox, deinde pro sociis; tum pro gloria & Imperio, lacessentibus assidue usque quaque finitimis: quippe cum patrii soli gleba nulla esset, sed statim hostile pomœrium, mediusque inter Latium atque Etruscos, quasi in quodam bivio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret; donec quasi contagione quadam per singulos

Valerius Publicola Consul.

Brutus Consul de liberis pœnas publicas sumit.

(*n*) al. tædio. (*a*) al. Regnum Romanorum pulsis Regibus annuus excipit Consulatus (*b*) al. intercesserat. (*c*) nisus. (*d*) al. eminenti sede sua, in plana se submisit.

singulos itum est; & proximis quibusque correptis totam Italiam sub se redigeret.

Bellum cum Porsena. U.C. 245. Ol. 68. a. C. N. 508.

CAP. II. Nam Porsena rex Etruscorum ingentibus copiis aderat, & Tarquinius manu reducebat. Hunc tamen, quamvis & armis & fame urgeret, occupatoque Janiculo, in ipsis Urbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit: novissime etiam tanta admiratione perculit, ut superior ultro cum pæne victis amicitiæ fœdera feriret. Nam Mucius Scævola Romanorum fortissimus, regem per insidias in castris ipsius aggreditur. Sed ubi, frustrato circa purpuratum ejus illato ictu, (e) tenetur; ardentibus mox focis intulit manum, terroremque geminat dolo. *En, ut scias*, inquit, *quem virum effugeris, idem trecenti juravimus:* cum interim (immane dictu) hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. Sed ne sexus quidem muliebris altera laude cessaret, ecce & virginum virtus, una ex obsidibus regi data, elapsa custodia, Clœlia, per patrium flumen equitabat. Rex quidem tot tantisque virtutum territus monstris, valere liberosque esse jussit. Tarquinii tamdiu dimicaverunt, donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum vulnere mutuo exspiravit, plane quasi adulterum ad inferos usque sequeretur.

Mucii Scævola facinus.

Clœliæ virgini s virtus.

Latini apud Regillum lacum vincuntur. U.C. 256. Ol. 70. a. C. N. 497.

CAP. III. Nec secus Latini Amulio (f) Tusculano duce apud Regilli lacum expugnantur, vincuntur, atque subjiciuntur. Ocriculum, atque Corniculum, Soraque & Alsium, eorum urbes captæ, provinciaque effecta. De Verulis & de Bovillis pudet; sed triumphavere Romani. Tibur nunc suburbanum, & æstivæ Præneste deliciæ nuncupatis in Capitolio votis petebantur: idem tunc Fesulæ, quod Carræ nuper: idem nemus Aricinum, quod Herculis (g) saltus; Fregellæ, quod Cæsarea; Tiberis, quod Euphrates. Coriolos quoque [proh pudor!] devictos (h) adeo gloriæ fuisse, ut post captum oppidum Gnæus Marcius Coriolanus, quasi Numantia, aut Africa nomini Rom. induceretur. Exstant & de Antis spolia, quæ Mænius in suggesto fori, capta hostium classe, infixit: si tamen illa classis; nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus illis initiis navale bellum fuit. Pervicacissimi tamen Latinorum Æqui & Volsci fuere, & quotidiani (ut sic dixerim) hostes. Et hos præcipue Titus Quintius domuit, ille dictator ab aratro, qui obsessa & pæne jam capta Manlii Consulis castra egregia victoria recuperavit. Medium erat tempus forte sementis, quum patricium virum innixum aratro suo, lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem provectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, victos pecudum more sub jugum misit. Expeditione finita, rediit ad boves rursus triumphalis agricola. Fides numinum, qua felicitate (i) intra quindecim dies cœptum peractumque bellum: prorsus ut festinasse dictator ad relictum opus videretur. Pari tenore Veientes, Falisci, & Fidenates, tunc magno labore devicti sunt. Qui modo etsi fuerint, non videntur aliquod reliquisse vestigium. Laborat enim annalium fides, ut Veios, Faliscos, Fidenates fuisse credamus.

Pariter æqui & Volsci. U.C. 294. Ol. 80. a. C. N. 459.

Vejentes itidem, Falisci, & Fidenates.

Bellum cum Gallis Senonibus. U.C. 362. Ol. 97. a. C. N. 391.

CAP. IV. Galli autem Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole, perinde ac armis ingentibus, adeo Romano generi terribilis fuit, ut plane nata ad hominum interitum, urbium stragem, videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris, & cingente omnia oceano, ingenti agmine provecti, quum jam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiam bacchabantur. Tunc Clusium Tusciæ urbem obsidebant, ubi pro sociis & fœderatis Romanus intervenit, missis ex more legatis. Sed, quod jus apud barbaros? ferocius agunt; & inde ad certamen cum exercitu conversi Galli, Clusio Romam, quibus ad Alliam flumen cum exercitu Fabius Consul occurrit. Non Cremeræ fœdior clades. Itaque hunc diem fastis Roma damnavit. Fuso exercitu, Galli jam mœnibus Urbis appropinquabant, ubi pæne nulla erant præsidia. Tum igitur sic, ut numquam alias apparuit illa vera Romana virtus. Jam primum majores natu, amplissimis usi honoribus, in foro coëunt. Ibi devovente pontifice, diis se manibus consecrant. Statimque in suas quisque ædes regressi sunt, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese reposuerunt, ut quum venisset hostis, in sua quisque dignitate moreretur. Pontifices autem & flamines, quidquid religiosissimi in templis erat, partim imposita plaustris, secum Veios auferunt: virgines ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur. Tamen excepisse fugientes unus è plebe fertur Albinus, qui depositis uxore ac liberis, virgines in plaustrum recepit. Adeo tunc quoque in ultimis *religio publica privatis affectibus antecellebat.* Juventus, quam satis constat vix mille hominum fuisse, duce Manlio, arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsum quasi præsentem Jovem, ut quemadmodum ipsi ad defendendum templum ejus occurrissent, ita ille virtutem illorum numine suo tueretur. Aderant interim Galli, apertamque Urbem adeunt. Ibi sedentes in curulibus suis prætextatos senes, velut deos geniosque venerati, mox eosdem, postquam esse homines liquebat, alioquin nihil respondere dignantes, pari vecordia mactant, facesque tectis injiciunt, & totam Urbem igni, ferro, manibus, solo exæquant. Sex mensibus barbari (quis crederet?) circa montem unum pependerunt, nec diebus modo, sed noctibus quoque omnia experti, quum tamen Manlius nocte subeuntes, clangore anseris excitatus, à summa rupe dejecit: & ut spem hostibus demeret, quamquam in summa fame, tamen ad speciem fiduciæ, panes ab arce jaculatus est: & stato die, per medias hostium custodias, Fabium pontificem ab arce dimisit, qui solemne sacrum in Quirinali monte conficeret: atque ille per media hostium tela incolumis religionis auxilio rediit, propitiosque deos renuntiavit. Novissime quum jam obsidio sua barbaros fatigasset,

Galli Urbem Romam capiunt & vastant. U.C. 363. Ol. 97. a. C. N. 390.

Montem Capitolinum frustra oppugnant.

Manlius ab Anseribus excitatus Capitolium servat.

Fabii audacia.

Galli à Camillo cæsi.

(e) al. Sed ubi frustratus circa purpuratum ejus illatus ictus. (f) al. Mamilio. (g) al. Hercynius. (h) al. invictos. (i) al. velocitate.

ſet, mille pondo auri receſſum ſuum venditantes, ſubito aggreſſus à tergo Camillus cecidit, ut omnia incendiorum veſtigia Gallici ſanguinis inundatione deleret. Igitur paſtorum quondam caſa, Urbs enituit, & poſt ſervatam à Manlio faciem, reſtitutamque à Camillo, acrius etiam, vehementiuſque in finitimos ſurrexit. Nec tamen contenti Romani, ſuis eos mœnibus expuliſſe, quum per Italiam naufragia ſua latius traherent, ſic perſecuti ſunt ductante Camillo, ut hodie nulla Senonum veſtigia ſuperſint. Semel apud Anienem trucidati, quum ſingulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter ſpolia detraxit, unde & *Torquatus* eſt dictus. Item in Pomptino agro, quum ſimili pugna Valerius, inſidente galeæ ſacro alite adjutus, retulit ſpolia, dictuſque eſt ipſe *Corvinus*. Necnon tamen poſt aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit, ne quis extaret ex ea gente, qui incenſam à ſe Romanam Urbem gloriaretur.

Manlius Torquatus. U.C. 392. Ol. 104. a. C. N. 361. Valerius Corvinus. U.C. 406. Ol. 108. a. C. N. 347.

CAP. V. Converſoque à Gallis Torquato, Latini experti ſunt, & devicti. Indeque Sabini, qui eorum belli ſocii, ductante Tatio, extitiſſent, à Curio Dentato ſubjecti, eorumque loca àBaranio fonte, Adriatico tenus mari, igni ferroque vaſtata, tantæque Romano Populo additæ opes, ut nec ipſe poſſet æſtimare qui vicerat.

Sabini vincuntur. U.C. 462. Ol. 122. a. C. N. 291.

CAP. VI. Precibus deinde Campaniæ motus, non pro ſe, ſed pro ſociis Samnitas invadit. Omnium namque non modo Italiæ tantum, ſed pæne toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nihil mollius cœlo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius ſolo: ideo Liberi Cereriſque certamen dicitur. Nihil hoſpitalius mari: Hic ille nobilis portus Caieta, Miſenus, tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus & Avernus, quædam maris oſtia. Hic amici vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus cunctorum Veſuvius, Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipſa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque, numeranda. Pro hac urbe, & his regionibus, Populus Romanus Samnitas invadit: gentem, ſi opulentiam quæras, aureis & argenteis armis, & diſcolori veſte, uſque ad ambitum armatam: ſi fallaciam, ſaltibus fere & montibus graſſatam: ſi rabiem ac furorem, ſacris legibus humaniſque hoſtiis in exitium Urbis agitatam: ſi pertinaciam, ſexies rupto fœdere, cladibuſque animoſiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabius ac Papyrios patres, eorumque liberos, ita ſubegit & domuit, ita ruinas ipſas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipſo Samnio requiratur, nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorum. Maxime tamen nota & illuſtris apud Caudinas Furculas ex hac gente clades, Veturio Poſtumioque Conſulibus, accepta eſt. Clauſo per inſidias intra eum ſaltum exercitu, unde non poſſet evadere, ſtupens tanta occaſione dux hoſtium Pontius, Herennium patrem conſuluit, *num illos ſub jugum mitteret, an occideret.* Sapienter, ut ſenior, ſuaſerat. Hic armis exutos mittere ſub jugum maluit: ut nec amici forent beneficio, & poſt flagitium hoſtes magis. Itaque & Conſules ſtatim magnifice voluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt, & ultionem flagitans miles, Papyrio duce, horribile dictu, ſtrictis enſibus, per ipſam viam ante pugnam furit, & in congreſſu arſiſſe omnium oculos hoſtis auctor fuit. Nec prius finis cædibus datus, quam jugum ſibi promiſſum Romani & duci Samnitum, & hoſtibus repoſuerunt.

Campaniæ deſcriptio.

Bellum cum Samnitibus.

Qui vincunt Romanos. U. C. 433. Ol. 115. a. C. N. 320.

Sed iterum vincuntur. U. C. 434. Ol. Ol. 115. a. C. N. 319.

CAP. VII. Hactenus cum ſingulis gentibus certatum eſt: mox acervatim. Sic tamen quoque par omnibus fuit. Etruſcorum duodecim populi, Umbri in id tempus intacti, antiquiſſimus Italiæ populus Samnitum, & reliqui, in excidium Romani nominis repente conjurant. Erat terror ingens tot ſimul tantorumque populorum, late per Etruriam infeſta quatuor agminum ſigna volitabant. Ciminius interim ſaltus in medio, ante invius plane, quaſi Calidonius vel Hercynius, adeo terrori erat, ut Senatus Conſuli denuntiaret, ne tantum periculi ingrederetur. Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre præmiſſo exploraret acceſſus. Ille, per noctem paſtorali habitu ſpeculatus omnia, refert totum iter. Sic Fabius Maximus periculoſiſſimum bellum ſine periculo explicuit. Nam ſubito inconditos atque palantes aggreſſus eſt: captiſque ſuperioribus jugis, in ſubjectos ſuo jure detonuit. Ea namque ſpecies illius fuit belli, qnaſi in terrigenas è cœlo ac nubibus tela jacerentur. Nec tamen incruenta illa victoria. Nam oppreſſus in ſinu vallis alter Conſulum Decius, more patrio devotum diis manibus obtulit caput, ſolemnemque familiæ ſuæ conſecrationem in victoriæ pretium redegit.

Bellum Etruſcum.

A Fabio Maximo finitur. U. C. 444. Ol. 117. a. C. N. 309.

CAP. VIII. Necdum Etruſco bello exempto, mox ſequitur Tarentinum, unum quidem in nomine, ſed multiplex in victoriis. Hoc enim Campanos, Apulos, atque Lucanos, & caput belli Tarentinos, id eſt totam pæne Italiam, & cum his omnibus Pyrrhum regem Epirotarum, Græciæ regem, una velut ruina pariter involvit; ut eodem tempore, & Italiam conſummaret, (*k*) & tranſmarinos triumphos auſpicaretur. Tarentus Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiuſque Lucaniæ caput; cum magnitudine, & muris, portuque nobilis, tum mirabili ſitu: quippe in ipſis Adriæ maris faucibus poſita, in omnes terras, Hiſtriam, Illyricum, Epirum, (*l*) Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui ad proſpectum maris poſitum theatrum: quod quidem cauſa miſeræ civitati caput fuit omnium calamitatum. Ludos forte celebrabant, cum adremigantem litori Romanam claſſem vident: atque hoſtem rati, emicant ſine diſcrimine, & inſultant. Qui enim, aut unde Romani, non ſatis norant. (*m*) Aderat ſine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque fœde per obſcœnam turpemque dictu contumeliam violant: & hinc bellum. Sed apparatus horribilis, quum tot ſimul populi pro Tarentinis conſurgerent, omnibuſque vehementior

Bellum Tarentinum. U. C. 470. Ol. 124. a. C. N. 283.

(*k*) al. conſumeret. (*l*) al. Epiron. (*m*) al. Qui enim? aut unde Romani? Nec ſatis.

Pyrrhus in Italiam venit. U. C. 471. Ol. 124. a. C. N. 282.

hementior Pyrrhus, qui ſemigræcam ex Lacedæmoniis conditoribus civitatem vindicaturus, cum totis viribus Epiri, Theſſaliæ, Macedoniæ, incognitiſque in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito inſuper ferarum terrore, veniebat. Apud Heracleam & Campaniæ fluvium Lirim, Lævino Conſule prima pugna facta eſt, quæ tam atrox fuit, ut Ferentanæ turmæ præfectus Obſidius invectus in regem turbaverit, coëgeritque projectis inſignibus prælio excedere. Actum erat, niſi elephanti converſo in ſpectacula procurriſſent bello, quorum cum magnitudine, tum deformitate, & novo odore ſimul ac ſtridore conſternati equi, cum incognitas ſibi belluas amplius quam erant, ſuſpicarentur, fugam ſtragemque late dederunt. In Apulia deinde apud Aſculum melius dimicatum eſt, Curio Fabricioque Conſulibus. Jam quippe terror belluarum exoleverat, & Cajus Minucius quartæ legionis haſtatus, unius proboſcide (*n*) abſciſſa, mori poſſe belluas oſtenderat. Itaque & in ipſas pila congeſta ſunt, & in turres vibratæ faces, tota hoſtium agmina ardentibus ruinis operuerunt. Nec alius finis cladi erat, quam nox dirimeret, poſtremuſque fugientium rex ipſe à ſatellitibus ſaucius in armis ſuis referretur. Lucaniæ ſuprema pugna, ſub Aruſinis, quos vocant, campis, (*o*) ducibus iiſdem quibus ſuperius, ſed cum tota victoria exitum, quem datura virtus fuit, caſus dedit. Nam provectis in primam aciem rurſus elephantis, unum ex illis pullum adacti in caput teli gravis ictus avertit, qui quum per ſtragem ſuorum recurrens, ſtridore quereretur, mater agnovit, ſeque, quaſi vindicare vellet, exhibuit, quum omnia circa quaſi hoſtilia gravi mole permiſcuit. Ac ſic eædem feræ, quæ primam victoriam abſtulerant, ſecundam parem fecerant, tertiam ſine controverſia tradiderunt. Nec vero tantum armis, & in campis, ſed conſiliis, & domi quoque intra Urbem cum rege Pyrrho dimicatum eſt. Quippe poſt primam victoriam, intellecta Romana virtute, ſtatim deſperavit armis, ſeque ad dolos contulit. Nam interemptos cremavit, captivoſque indulgentius habuit, & ſine pretio reſtituit: miſſiſque legatis in Urbem, omni modo anniſus eſt, ut facto fœdere in amicitiam reciperetur. Sed & bello & pace, & foris & domi, omnem in partem Romana virtus tum ſe approbavit. Nec alia magis, quam Tarentina victoria oſtendit Populi Romani fortitudinem, Senatus ſapientiam, ducum magnanimitatem. Nec alius pulcrior in Urbem aut ſpecioſior triumphus intravit. Ante hunc diem nihil præter pecora Volſcorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidiſſes. Tum autem, ſi captivos aſpiceres, Moloſſi, Theſſali, Macedones, Brutius, Apulus, atque Lucanus: ſi pompam, aurum, purpura, ſigna, tabulæ, Tarentinæque lauticiæ. Sed nihil libentius Populus Romanus aſpexit, quam illas, quas timuerat cum turribus ſuis belluas, quæ non ſine ſenſu captivitatis, ſubmiſſis cervicibus, victores ſequebantur.

Et vincit Romanos. U. C. 472. Ol. 124. a. C. N. 281.

Sed à Romanis vincitur. U. C. 473. Ol. 125. a. C. N. 280.

CAP. XIX. Poſt Tarentinam cladem, domiti Picentes, & caput gentis Aſculum, à Sempronio duce, qui tremente inter prælium campo, Tellurem deam promiſſa æde placavit.

Picentes domiti. U. C. 484. Ol. 127. a. C. N. 269.

CAP. XX. Salentini vero Picentibus additi, caputque his regionibus Brunduſium inclyto portu, M. Attilio duce, & in hoc certamine victoriæ pretium templum ſibi paſtoria Pales ultro popoſcit.

Similiter Salentini. U. C. 485. Ol. 128. a. C. N. 268.

CAP. XXI. Poſtremi Italicorum in fidei munere Vulſini opulentiſſimi Etruſcorum, implorantes opem adverſus ſervos quondam ſuos, qui libertatem à dominis datam in ipſos erexerant, translataque in ſe republica dominabantur. Sed hi quoque duce Fabio Gurgite pœnas dederunt.

Vulſini pariter. U. C. 487. Ol. 128. a. C. N. 266.

CAP. XXII. Domita ſubactaque Italia, Populus Rom. Appio Claudio Conſule, primum fretum ingreſſus eſt, fabuloſis infame monſtris, æſtuque violentum. Sed adeo non eſt exterritus, ut ipſam illam ruentis æſtus violentiam pro munere amplecteretur, quod velocitas navium juvaretur, ſtatimque, ac ſine mora Hieronem Syracuſanum tanta celeritate devicit, ut ille ipſe *prius ſe victum, quam hoſtem videret*, fateretur. Duellio Cornelioque Conſulibus, etiam mari congredi auſus eſt. Tum quidem ipſa velocitas claſſis comparatæ, victoriæ auſpicium fuit. Intra enim ſexageſimum diem, quam cæſa ſilva fuerat, centum ſexaginta navium claſſis in ancoris ſtetit, ut non arte factæ, ſed quodam munere deorum converſæ in naves atque mutatæ arbores viderentur. Prælii vero forma mirabilis, quum illas celebres volucreſque hoſtium naves, hæ graves tardæque comprehenderent. Longe plus illis nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fuga roſtra. Injectæ enim ferreæ manus, machinæque validæ, ante certamen multum ab hoſte deriſæ, coactique hoſtes quaſi in ſolido decernere. Victor ergo apud Liparam merſa aut fugata hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphum, cujus quodnam gaudium fuit! quum Duellius Imperator non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere ſibi tibias juſſit; quaſi quotidie triumpharet. Præ tanta victoria, leve hujus prælii damnum fuit, alter Conſulum interceptus Aſina Cornelius; qui ſimulato colloquio evocatus, atque ita oppreſſus, fuit perfidiæ Punicæ documentum. Calatino Dictatore, fere omnia præſidia Pœnorum Agrigento, Drepanis, Panormo, Eryce, Lilybæoque detraxit. Trepidatum eſt ſemel circa Camerinenſium ſaltum. Sed eximia virtute Calpurnii tribuni militum periculo evaſimus: qui lecta trecentorum militum manu, inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupavit; adeoque moratus hoſtes, dum exercitus omnis evaderet: ac ſic pulcherrimo exitu, Thermopylarum & Leonidæ famam adæquavit. Hoc illuſtrior noſter, quod expeditioni tantæ ſuperfuit, & nihil inſcripſerit ſanguine. Lucio Cornelio Scipione, quum jam Sicilia ſuburbana eſſet Populi Romani provincia, ſerpente latius bello, Sardinia adnexa atque Corſica, tranſiit

Populus Romanus victa Italia exteros petit.

Bellum Punicum primum.

Claſſis fabricata. U. C. 492. Ol. 129. a. C. N. 261.

Prima Romanorum victoria maritima. U. C. 492. Ol. 129. a. C. N. 261.

U. C. 492. Ol. 129. a. C. N. 261.

Prima Romanorum in Sardiniam & Corſicam expeditio. U. C. 493. Ol. 130. a. C. N. 260.

(*n*) al. promuſcide. (*o*) al. pugna, in his, ſubarros quos vocant, campis.

transiit Olbiam. Ibi Caralæ (*p*) urbis excidio incolas terruit, adeoque omni terra & mari Pœnos fugavit, ut jam victoriæ nihil nisi Africa ipsa restaret. Marco Attilio Regulo duce, jam in Africam navigabat bellum. Nec defuerant, qui in ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent; insuper augente Manlio tribuno metum, in quem, nisi paruisset, securi districta irruisset Imperator. Metus mortis navigandi fecit audaciam. Mox deinde ventis remisque properatum est, tantusque terror hostici adventus fuit Pœnis, ut apertis pene portis Carthago caperetur. Prima præmium belli fuit civitas Clypea. Prima enim à Punico littore, quasi arx & specula procurrit. Et hæc, & trecenta amplius castella, vastata sunt. Nec cum hominibus modo, sed cum monstris quoque dimicatum est, quum quasi in vindictam Africæ, nata miræ magnitudinis serpens, posita apud Bracadam castra vexaverit. Sed omnium victor Regulus, quum terrorem nominis sui late circumtulisset, quumque magnam vim juventutis, ducesque ipsos aut cepisset, aut haberet in vinculis, classemque ingenti præda onustam, & triumpho gravem in Urbem præmisisset, jam ipsam belli caput Carthaginem urgebat obsidione, ipsisque portis inhærebat. Hic paululum circumacta fortuna est, tantum ut plura essent Romanæ virtutis insignia, cujus fere magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conversis ad externa auxilia hostibus, quum Xantippum illis ducem Lacedæmon misisset, à viro militiæ peritissimo Regulus victus est, fœdaque facta clades, Romanisque usu incognita, nam vivus in manus hostium venit fortissimus Imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere infractus est, nec legatione suscepta. Quippe diversa, quam hostis mandaverat, censuit, *ne pax fieret*, *nec commutatio captivorum reciperetur.* Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec ultimo, sive carcere, seu crucis supplicio, deformata majestas. In omnibus admirabilior quid aliud, quam victor de victoribus? Itaque quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit. Populus autem Romanus multo acrior, intentiorque pro ultione Reguli, quam pro victoria fuit. Metello igitur Consule, conspirantibus arctius Pœnis, & reverso in Siciliam bello, apud Panormum sic hostes cecidit Rom. exercitus, ne amplius eam insulam aggredi cogitarent. Argumentum ingens victoriæ centum circiter elephantorum captivitas, sic quoque magnas egit prædas, ut gregem illum non bello, sed venatione cepisset. Appius Claudius Consul non ab hostibus, sed à diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat, ibi statim classe demersa, ubi ille præcipitari pullos jusserat, quod pugnare ab his vetaretur. Marcus Fabius Buteo classem hostium in Africo mari apud Ægimurum jam in Italiam ultro navigantem cecidit. Quantus tum triumphus tempestate intercidit cum opulenta præda? Classis adversis acta ventis, naufragio suo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, insularumque litora implevit. Magna clades fuit, sed, non sine aliqua principis populi dignitate interceptam tempestate victoriam, & triumphum perisse naufragio constat. Et tamen, cum Punicæ prædæ omnibus promontoriis insulisque fluitarent, Populus Rom. & sic triumphavit. Lutatio Catulo Consule, tandem bello finis impositus apud insulas, quibus nomen Ægates. Nec major alias in mari pugna. Quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis, & in ea quasi tota Carthago, quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, levis, & expedita, & quodam genere castrensis, ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis agebatur quasi habenis, & in hos vel illos ictus mobilia rostra, speciem viventium præferrebant. Itaque momento temporis laceratæ hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio suo operuerunt. Tanta denique fuit illa victoria, ut de excidendis hostium mœnibus non quæreretur. Supervacuum visum est, in arcem murosque sævire, quum jam in mari esset deleta Carthago.

Romanorum in Africam navigatio, U.C. 496. Ol. 130. a. C. N. 257.

Pugna cum serpente.

Xanthippo duce Romani à Carthaginiensibus victi. U.C. 497. Ol. 131. a. C. N. 256.

Carthaginiensium ad Panormum clades. U.C. 502. Ol. 132. a. C. N. 251.

Navale prælium apud Ægimurum. U.C. 507. Ol. 133. a. C. N. 246.

Finis belli Punici primi. U.C. 510. Ol. 134. a. C. N. 243.

CAP. XXIII. Peracto quidem bello Punico, nec dum aliquantulum respirato, sequitur Liguricum. Nam Ligures hi, imis Alpium jugis adhærentes, inter Varum Macramque amnem impliciti, dumis silvestribus victitabant, quos pæne majus fuit invenire, quam vincere. Tuti siquidem locis & fuga, durum atque velox genus, ex occasione latrocinia magis, quam bella faciebant. Itaque quum diu multumque eluderent saltu, viis, latebris, Deceates, Oxybii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius latebras eorum igni sepsit, Bæbius vero in plana deduxit, Postumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur.

Bellum Liguricum. U.C. 514. Ol. 135. a. C. N. 239.

CAP. XXIV. Post quos mox Gallis Insubribus, & his Alpium incolis, animi ferarum, corpora plusquam humana erant. Sed experimentum deprehensum est, quippe virtus eorum sicuti primo impetu major, quam virorum est, ita sequens minor, quam feminarum. Alpina corpora humente cœlo educata, habent quoddam simile nivibus suis, cum mox caluere pugna, statim in sudorem eunt, & levi motu quasi sole laxantur. Hi sæpe & alias, & Viridomaro duce, *non prius posituros se baltea, quam Capitolium ascendissent*, juraverant. Factum autem est, & victos eos Æmilius in Capitolio discinxit, & quod dux eorum de Romano milite prædam Marti suo torquem aureum devovisset, intercepit Jupiter votum, & de ejus ipsius Ariobistinis, aliorumque Gallorum torquibus aureum trophæum Jovi erexit Flaminius. Rex quoque eorum Viridomarus Romana arma Vulcano promiserat. Aliorsum vota ceciderunt. Occiso enim eo, Marcellus tertia post patrem Romulum Feretrio Jovi opima suspendit.

Bellum Gallicum. U.C. 525. Ol. 138. a. C. N. 228.

Galli victi. U.C. 527. Ol. 138. a. C. N. 226.

CAP. XXV. Illyrici autem, id est Veneti, seu Liburni, sub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arsiam Titiumque flumen, longissime per totum Adriatici maris litus effusi. Hi regnante Teutana muliere, populationibus non contenti, licentiæ scelus addiderunt, legatos Romanos, ob ea quæ deliquerant, jure agentes,

Bellum Illyricum. U.C. 532. Ol. 139. a. C. N. 221.

(*p*) al. Ateriæ.

agentes, ne gladio quidem, ſed ut victimas, ſecuri percuſſerunt: Præfectos navium igni comburunt. Idque Gnæo Fulvio Centimalo duce late domantur, ſtrictæ ſecures in principum colla, legatorum manibus litavere.

Bellum Punicum ſecundum. U. C. 533. Ol. 140. a. C. N. 220.

CAP. XXVI. Poſt primum autem Punicum bellum, vix quadriennium requies, ecce alterum bellum, minus quidem ſpatio, (nec enim amplius decem novem annos tenens) ſed adeo cladium atrocitate terribilius, ut ſi quis conferat damna utriuſque populi, ſimilior victo ſit populus ille, qui vicit. Urebat nobilem populum mare ablatum, raptæ inſulæ, dare tributa, quæ jubere conſueverat. Hinc ultionem puer Hannibal ad aram patri juraverat, nec morabatur. Igitur Saguntus in cauſam belli electa eſt, vetus Hiſpaniæ civitas, & opulenta, fidei erga Romanos magnum quidem, ſed triſte monumentum. Quam, in libertatem communi fœdere exceptam, Hannibal cauſas novorum motuum quærens, & ſuis & ſuorum manibus evertit, ut Italiam ſibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio eſt. Itaque ad auditam ſociæ civitatis obſidionem, memores icti quoque fœderis cum Pœnis, non ſtatim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt. Interim jam novem menſibus feſſi fame, machinis, ferro, verſa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum: tum deſuper ſe ſuoſque cum omnibus opibus ſuis ferro & igni corrumpunt. Hujus tantæ cladis auctor Hannibal poſcitur. Tergiverſantibus Pœnis, dux legationis, *Quæ*, inquit, *mora eſt*, Fabius. *In hoc ſinu bellum pacemque porto, utrum eligitis?* Succlamantibus, *Bellum: Bellum ergo*, inquit, *accipite*, & excuſſo in media curia togæ gremio, non ſine horrore, quaſi pleno ſinu bellum ferret, effudit. Similis exitus belli initiis fuit. Nam quaſi has inferias ſibi Saguntinorum ultimæ diræ in illo publico parricidio incendioque mandaſſent: ita manibus eorum vaſtatione Italiæ, captivitate Africæ, ducum & regum, qui id bellum geſſerunt, exitio parentatum eſt. Igitur ſimul ſe in Hiſpaniam movit illa gravis & luctuoſa Punici belli vis atque tempeſtas, deſtinatumque Romanis jamdiu fulmen Saguntino igne conflavit, ſtatim quodam impetu rapta medias fregit Alpes, & in Italiam ab illis fabuloſæ altitudinis nivibus velut cœlo miſſa deſcendit. Ac primi quidem impetus turbo inter Padum & Ticinum valido ſtatim fragore detonuit.

Cauſi Belli Punici ſecundi.

U.C. 534. Ol. 140. a. C. N. 219.

Romani ad Ticinum ab Hannibale vincuntur. U.C. 534. Ol. 140. a. C. N. 219.

Tunc Scipione duce fuſus exercitus: ſaucius etiam ipſe veniſſet in hoſtium manus Imperator: niſi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipſa morte rapuiſſet. Hic erit Scipio, qui in exitium Africæ creſcit, nomen ex malis ejus habiturus. Ticino Trebia ſuccedit. Hic ſecunda Punici belli procella deſævit, Sempronio Conſule. Tum callidiſſimi hoſtes, frigidam & nivalem diem nacti, quum ſe ignibus prius oleoque foviſſent, (horribile dictu) homines à meridie & ſole venientes, noſtra nos hieme vicerunt. Thraſymenus lacus tertium fulmen Hannibalis, Imperatore Flaminio. Ars nova Punicæ fraudis: quippe nebula lacus, paluſtribuſque virgultis tectus equitatus terga ſubito invaſit pugnantium. Nec de iis poſſumus queri: imminentem temerario duci cladem prædixerant inſidentia ſignis examina, & aquilæ prodire nolentes: commiſſamque aciem ſecutus terræ tremor: niſi illum horrorem ſoli equitum virorumque diſcurſus, & mota vehementius arma fecerunt.

Iterum ad Trebiam. Eodem anno.

Tertio ad Thraſymenum vincuntur. U. C 535. Ol. 140. a. C. N. 218.

Quatto ad Cannas vincuntur. U. C. 536. Ol. 140. a. C. N. 217.

Quartum, id eſt, pæne ultimum vulnus Imperii, Cannæ ignobilis Apuliæ vicus, ſed magnitudine clade emerſit, & quadraginta (*q*) millium cæde patrata nobilitatus. Simul in exitium infelicis exercitus, dux, terra, cœlum, dies, tota rerum natura conſenſit. Siquidem non contentus ſimulatis transfugis Hannibal, qui mox terga pugnatium ceciderunt: inſuper callidus Imperator, (*r*) in patentibus campis, obſervato loci ingenio, quod & ſol ibi acerrimus, & plurimus pulvis, & Eurus ab oriente ſemper, quaſi ad conſtitutum, ita inſtruxit aciem, ut Romanis adverſus hæc omnia obverſis, ſecundum cœlum tenens, vento, pulvere, & ſole pugnaret. Itaque duo maximi exercitus cæſi ad hoſtium ſatietatem, donec Hannibal diceret militi ſuo, *Parce ferro.* Ducum alter fugit, alter occiſus eſt: dubium uter majore animo. Paulum puduit. Varro non deſperavit. Documenta cladis, cruentus aliquamdiu Aufidus: pons de cadaveribus, juſſu ducis factus in torrente Vergello: modii duo annulorum miſſi [ſunt] Carthaginem, dignitatiſque equeſtris taxata menſura. Dubium deinde non erat, quem ultimum illum diem habitura fuit Roma, quintumque intra diem epulari Hannibal in Capitolio potuerit. (Sic Pœnum illum dixiſſe Maharbalem Hamilcari ferunt) *ſi Hannibal, quemadmodum ſciret vincere, ſic uti victoria ſciſſet.* Sed tum quidem illum, ut vulgo dici ſolet, aut fatum Urbis imperaturæ, aut ipſius mens mala, & averſi à Carthagine dii, in diverſum abſtulerunt. Et cum victoria poſſet uti, frui maluit, relictaque Roma, Campaniam Tarentumque perrexit, ubi mox & ipſe, & ipſius exercitus ardor elanguit: adeo ut vere dictum ſit, *Capuam Hannibali Cannas fuiſſe:* ſiquidem invictum Alpibus, indomitumque armis, Campani (quis crederet?) ſoles, & tepentes fontibus Bajæ ſubegerunt.

Hannibal victoria uti neſcit.

Romanorum anguſtiæ.

Et conſilia.

Permiſſum eſt interim Romanis reſpirare, & quaſi ab infernis emergere. Arma non erant: detracta ſunt templis: deerat juventus: in ſacramentum militiæ liberata ſervitia: egebat ærarium: opes ſuas Senatus in medium libens protulit: nec non pariter quod in bullis, cinguliſque, & annulis erat, nec quidquam ſibi auri relinquerunt. Eques ſecutus exemplum, imitatæque equitem tribus. Denique vix ſuffecerunt tabulæ, vix ſcribarum manus, Lævino Marcelloque Conſulibus, quum privatorum opes in publicum referrentur. Quid autem in eligendis magiſtratibus, quæ centuriarum ſapientia: cum juniores à ſenioribus conſilium de creandis Conſulibus petierunt? Quippe adverſus hoſtem toties victorem, tam callidum, non virtute tantum, ſed ſuis etiam pugnare conſiliis oportebat. Prima redeuntis, & (ut ita dixerim) reviviſcentis Imperii

Fabius Cunctator.

(*q*) al. ſexaginta. (*r*) al. inſuper callidus hoſtis, alias Imperator.

Imperii ſpes Fabius fuit, qui novam de Hannibale victoriam commentus eſt, non pugnare. Hinc illi cognomen novum & reipublicæ ſalutare, *Cunctator:* hinc illud ex Populo, ut *Imperii Scutum* vocaretur. Itaque per Samnium totum, per Falernos Gauranoſque ſaltus ſic maceravit Hannibalem, ut qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde Claudio Marcello duce, etiam congredi auſus eſt: cominus venit, & pepulit è Campania ſua, & ab obſidione Nolæ urbis excuſſit. Auſus eſt, & Sempronio Graccho duce per Lucaniam ſequi, & terga premere cedentis, quamvis cum (ô pudor) ſervili pugnaret exercitu, (nam hucuſque tot mala compulerunt) ſed libertate donatos, de ſervitute Romanos fecerunt. O horribilem in tot adverſis fiduciam! ô ſingularem animum & ſpiritum Populi Romani! tam arctis afflictiſque rebus, ut de tota Italia dubitare debuiſſet, auſus autem eſt in diverſa reſpicere. Quumque hoſtis in jugulo per Campaniam & Apuliam volitaret, mediamque de Italia Africam faceret, eodem tempore & hunc ſuſtinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hiſpaniamque diviſa per terrarum orbem arma mittebat. Siciliam mandat Marcello. Neque diu reſtituit. Tota enim inſula in una urbe ſuperata eſt. Grande illud, & ante illud tempus invictum caput Syracuſæ, quamvis Archimedis ingenio defenderetur, aliquando ceſſerunt. Longe illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethuſæ: niſi quod hactenus profuere, ut pulchritudini victæ urbis parceretur. Sardiniam Gracchus arripuit. Nihil illi gentium feritas, Inſanorumque (nam ſic vocantur) immanitas montium profuere. Sævitum in urbes, urbemque urbium Caralim: ut gens contumax viliſque mortis, ſaltem deſiderio patrii ſoli domaretur. In Hiſpaniam vero miſſi Gnæus & Publius Scipiones, pæne totam Pœnis eripuerunt provinciam. Sed inſidentes Punicæ fraudis inſidiæ, alterum ferro caſtrametantem, alterum, quum evaſiſſet in turrim, cinctum facibus oppreſſerunt. Igitur in ultionem patris & patrui miſſus eſt cum exercitu Scipio, cui jam grande nomen de Africa fata decreverant. Bellatricem illam, viris armiſque nobilem Hiſpaniam, illam ſeminarium hoſtilis exercitus, illam jam Hannibalis eruditricem (incredibile dictu) totam à Pyrenæis montibus, in Herculis columnas, in Oceanum recuperavit. Eodem quidem die, quo obſeſſa eſt Carthago, capta eſt: neſcio citius an felicius: quam facile, vel una probat, omenque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile victa eſt Hiſpaniæ Carthago. Certum eſt tamen, ad profligandam provinciam maxime profeciſſe ducis ſanctitatem: quippe qui captivos pueros puellaſque præcipuæ pulchritudinis barbaris reſtituerit, ne in conſpectum ſuum quidem paſſus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibaſſe ſaltem oculis videretur. Hæc inter diverſa terrarum Populus Romanus. Nec ideo tamen viſceribus Italiæ inhærentem ſubmovere poterat Hannibalem. Pleraque ad hoſtem defecerant, & dux acerrimus contra Romanos Italicis quoque viribus utebatur. Jam tamen eum pleriſque oppidis & regionibus excuſſere Romani. Jam Tarentum tulerant; jam & Capua, ſedes, domus, & patria altera Hannibalis, tenebatur. Cujus amiſſio tantum Pœno duci dolorem dedit, ut deinde totis viribus Romam converteretur. O Populum dignum orbis imperio, dignumque omnium favore & admiratione hominum ac deorum! compulſus ad ultimos metus, ab incœpto non deſtitit, & ſua de Urbe ſollicitus, Capuam tamen non obmiſit, ſed parte exercitus ſub Appio Conſule relicta, parte Flaccum in Urbem ſecuta, abſens ſimul præſenſque pugnabat. Quid ergo miramur, moventi caſtra à tertio lapide Hannibali iterum ipſos deos reſtitiſſe? Tanta enim, ad ſingulos illius motus, ſuis imbrium copia effuſa eſt, tantorum ventorum violentia coorta eſt, ut divinitus hoſtem ſubmoveri, non à cœlo, ſed ab Urbis ipſius mœnibus & Capitolio videretur. Itaque fugit & ceſſit, & in ultimum ſe Italiæ recepit ſinum, quum Urbem tantum non adortam reliquiſſet, ſiquidem ab Hiſpania Haſdrubal frater Hannibalis cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole, veniebat; actum eſſet proculdubio, ſi vir ille cum fratre ſe junxiſſet. Sed hunc quoque, tantum quod ab Alpe deſcenderat, apudque Metaurum caſtrametantem, Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat. Nero in ultimos Italiæ angulos ſubmoverat Hannibalem: Livius in diverſiſſimam partem, id eſt, in ipſas naſcentis Italiæ fauces, ſigna converterat. Tanto, id eſt, omni, qua longiſſima eſt Italia, ſolo interjacente, quo conſilio, qua celeritate, Conſules caſtra conjunxerint, inopinatumque hoſtem collatis ſignis oppreſſerint, neque id fieri Hannibal ſenſerit, difficile dictu eſt. Certe Hannibal re cognita, quum projectum fratris caput ad ſua caſtra vidiſſet; *Agnoſco*, inquit, *infelicitatem Carthaginis.* Hæc fuit illius viri, non ſine præſagio quodam fati imminentis, prima confeſſio. Jam certum erat, Hannibalem etiam ipſius confeſſione poſſe vinci. Sed tot rerum proſperarum fiducia plenus Populus Romanus magni æſtimabat, aſperrimum hoſtem in ſua Africa debellare. Duce igitur Scipione in ipſam Africam tota mole converſus, imitari cœpit Hannibalem, & Italiæ ſuæ clades in Africa vindicare. Quas ille (dii boni) Haſdrubalis copias fudit? quos Syphacis Numidici regis equitatus? quæ quantaque utriuſque [hoſtis] caſtra, facibus illatis, una nocte delevit? denique jam non à tertio lapide, ſed ipſas Carthaginis portas obſidione quatiebat. Sic factum ut inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Hannibalem. Non fuit major ſub Imperio Romano dies, quam ille, quum duo omnium, & antea, & poſtea ducum maximi duces, ille Italiæ, hic Hiſpaniæ victor, collatis cominus ſignis, direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipſos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione defixi: ubi vero de pace non convenit, ſigna cecinere. Conſtat utriuſque confeſſione, *nec melius inſtrui aciem, nec acrius potuiſſe pugnari.* Hoc Scipio de Hannibalis, Hannibal de Scipionis exercitu prædicaverunt. Sed

Marcellus Nolam liberat. U.C. 536. Ol. 140. a. C. N. 217.

U.C. 538. Ol. 141. a. C. N. 215.

Romanorum ſingularis conſtantia.

Syracuſæ expugnatæ. U.C. 540. Ol. 141. a. C. N. 213.

Sardinia à Romanis devicta.

Scipiones in Hiſpania oppreſſi. U.C. 540. Ol. 141. a. C. N. 213.

Scipio Africanus Hiſpaniam recuperat.

Carthaginem novam expugnat. U.C. 542. Ol. 142. a. C. N. 211.

Capua à Romanis recepta.

Hannibal fruſtra Romam petit.

Haſdrubal tranſigit Alpes. U.C. 545. Ol. 143. a. C. N. 208. Sed à Romanis victus.

Scipio bellum in Africam convertit. U. C. 548. Ol. 143. a. C. N. 205.

Hannibal Italia deſcendit. U. C. 549. Ol. 144. a. C. N. 204.

Hannibal à Scipione vincitur. U.C. 550. Ol. 144. a. C. N 203.

Finis belli Punici secundi. U. C. 551. Ol. 144. a. C. N. 202.

Sed tamen Hannibal cessit: præmiumque victoriæ Africa fuit: & secutus Africam statim terrarum orbis.

Bellum Macedonicum. U. C. 552. Ol. 144. a. C. N. 201.

CAP. XXVII. Post Africam jam vinci neminem puduit: sed æquo jure ubique subacti. Primum igitur Lævino Consule Populus Romanus Jonium mare ingressus, tota Græciæ littora, velut triumphante classe peragravit. Spolia quippe Siciliæ, Sardiniæ, Africæ, præferebat: & manifestam victoriam, quam nata in prætoria puppi laurus pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamenorum: aderant & Rhodii nauticus populus, quibus à mari Consul, à terris omnia equis virisque quatiebat. Bis victus, bis fugatus rex Macedonum: bis exutus castris: quum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu, quæ non spiculis, nec sagittis, nec ullo Græculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, ultra morem patebant. Enim vero Flaminio duce, ad invios antea Populo Romano Chaonum montes, Savumque amnem per abrupta vadentem, & de ipsa Macedoniæ claustra penetratum victoria fuit. Nam postea nunquam ausus congredi rex, ad tumulos, quos Cynocephalos vocant, uno, ac ne eo quidem *in*justo prælio opprimitur. In Numidia tunc amici Populi Romani regnabant.

Attalus & Rhodii Socii Romanorum.

U. C. 554. Ol. 145. a. C. N. 199.

Philippus vincitur. U. C. 555. Ol. 145. a. C. N. 198.

Bellum Jugurthinum. U. C. 635. Ol. 165. a. C. N. 118.

CAP. XXVIII. Sed Jugurtha contra se bellum movit Romanorum, propter necem Adherbalis & Hiempsalis Micipsæ liberorum: expugnataque est primum à Metello Consule, dehinc à Mario Numidia domita. Mauritaniam vero Bochoris tuebatur. Sed quum collectio omnium Maurorum facta est, Jubas rex videns quæ pugnæ fuisset offensio, (*s*) mox superatum sese sensit, veneno hausto defecit: omnisque Mauritania, Romanis subacto. Tripolis namque & utraque Mauritaniæ, Sitifensis & Cæsariensis, similiter Romano juri, cæterorum formidine tactæ, ultro se subegerunt.

Populi Hispanici rebellantes sedantur & compescuntur.

CAP. XXIX. Hispanias, quamvis (ut supra (*t*) diximus) Saguntina clades ab amicitiis Romanorum segregasset, Scipio tamen eos tam gratia, quam virtute rursus conjunxit Romanis: rursusque resistentes Sylla Consul sedavit. Celtiberos, similiter cum Numantinis adversus Romanos insurgentes, Scipio junior sedavit, compescuit, atque pæne subvertit. Cantabri & Astures, confisi montium suorum munimine, dum resistere moliuntur, plenissime demoliti sunt, & in provinciam redacti. Tarraconenses, Lusitani, Gallæci, Carthaginisii, & Seticani contra promontorium Africæ siti, omnes uno pæne prælio superati, & in provincias Romanas descripti sunt.

Provinciæ à Romanis assecuræ. Epirus.

CAP. XXX. Epirotæ, qui in Illyrico quamvis cum Pyrrho rege suo contra Italiam conspirassent, tamen primum pacem moliti, secundo ac tertio rebellantes, cum Achivis & Thessalis edomiti, Romano jugo subacti sunt. Macedonia namque primum sub Philippo, deinde sub Perseo, tertio sub Pseudophilippo arma contra se provocavit Romana: oppressaque primo Flaminio Consule secundo à Paulo, tertio à Metello superata, colla submisit, Romanaque provincia facta. Illyriam autem, cum Gentione suo rege, Macedonibus auxiliantibus vicit Romanorum Lucius prætor, & in provinciam redegit. Dardanos Mœsiosque Curione primum Proconsule domuit; primusque omnium Romanorum Danubium amnem usque profectus, cuncta ejus loca vastavit. Pannoniarum quoque regem in certamine superans idem Lucius, redegit in provinciam utrasque Pannonias. Amantinos autem, qui inter Savum Dravumque flumina insident, rege eorum interempto, ipsa vice Romanam fecit provinciam. Marcomanni & Quadi, in illa Valeria quæ inter Dravum Danubiumque interjacet, ab eodem tunc ductore oppressi, finesque inter Romanos & barbaros Augustæ Vindelicæ per Noricum Mœsiamque dispositi. Daces autem post hæc jam sub imperio suo Trajanus, Cebulo eorum rege devicto, in terras ultra Danubium, quæ habent mille millia spatia, in provinciam redegit. Sed Gallienus eos, dum regnaret, amisit: Aurelianusque Imperator evocatis exinde legionibus, in Mœsia collocavit, ibique aliquam partem Daciam mediterraneam, Daciamque Ripensem constituit, & Dardaniam junxit. Illyricus autem cuncta per partes quidem & membra devicta, ad unum tamen corpus aptata est, quæ habet intra se provincias decem & octo. Hæ sunt: Norici duæ, duæ Pannoniæ, duæ Valeriæ, Suevia, Dalmatia, Mœsia superior, Dardania, Daciæ duæ, Macedonia, Thessalia Achaja, Epiros, Prævales, Creta; simul decem octo. Thracias autem non aliter, nisi occasio Macedonici belli, fecit aggredi. Diri namque homines, omniumque gentium ferocissimi sunt Thraces, quorum sævitiam pariter habent & Scordisci, & Emimontii, Asticique, ob quorum immanitatem, Romani multa & gravia pertulerunt, crebrisque certaminibus exercitus cæsus. Ad postremum à Marco Didio & ipsi subacti, & loca eorum in provinciam redacta, jugum excepere Romanum. Nam Marcus Drusus intus eos in montibus eorum contrivit, Minucius in Hebro amne eorum multos exstinxit & vicit. Rhodopeni per Appium Claudium devicti sunt, & civitates maritimas Europæ, quæ dudum Romanæ fuissent, & postmodum rebellassent, Marcus Romanis subegit. Lucullus siquidem primus in Thracia contra Bessos pugnans, eos, qui in fortitudine famaque præibant, devicit: Emimontiosque debellans, Pulendenam, quæ nunc Philippopolis, & Ustudamam, quæ Adrianopolis vocatur, in Romanorum redegit dominium. Similiter & capiens civitates, quæ littori Pontico inhærebant, id est Apolloniam, Galathon, Parthenopolim, & Tomos Istri, omniaque loca usque ad Danubium subdens, Scythis Romanorum ostendit virtutem.

Macedonia.

Illyria.

Dardania & Mœsia.

Pannonia.

Amantini.

Marcomanni & Quadi.

Daces.

Illyrici provinciæ.

Thracia.

Asia.

CAP. XXXI. Hactenus ad partes occiduas: nunc quæ in Eoa plaga sunt, percurramus. Primum quidem in Asia locum Romani hæreditario jure invenerunt. Nam Attalus rex, amicissimus Populi Romani, humanis rebus excedens, per testamentum suum Romanos suo ante

(*s*) al. arsio. (*t*) al. superius

in regno hæredes constituit: quod pæne non ante Romanus Populus adiit, nisi & suo labore vicina loca cepisset: id est, Lydiam, Cariam, Hellespontum, utramque Phrygiam. Nam Rhodus opinatissima insula, & totius Adriæ insularum metropolis, pæne cum omnibus Cycladibus arma pertimescens Romana, jamdudum se fœderatam Populo illi conjunxerat, & navali bello salaria condonabat. Cum quibus Servilius proconsul directus, quasi piratico bello, obtinuit tamen Pamphyliam, Lyciam, Pisidiamque devicit, fecitque provincias. Bithyniam vero Nicomedes rex moriens, testamentali voce reliquit. Gallogræciam autem, id est, Galatiam, Syriaci belli ruina convolvit. Fuit namque inter auxilia regis Antiochi. An fuisset cupidus triumphi Manlius, (*u*) dubium est. Dubiis namque præliis fusi fugatique sunt, quamvis sub adventu hostis sedibus relictis in altissimos se montes recepissent, colonos abegit. Olympum Tecti sago (*x*) & Magaba insederant. Utrimque fundis sagittisque detracti, in perpetuam se pacem dederunt: sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morsibus & ore tentassent: quum effocandas invicem fauces præbuissent. Nam Origiagontis (*y*) regis uxor, à centurione stuprum passa, memorabili exemplo custodiam evasit, repulsumque adulteri caput ad maritum reportavit. Deiotarum siquidem amicum Senatus præfecit Galatiæ: sed posthæc Cæsar eos redegit, provinciamque fecit. Cappadoces quoque sub Epaphra rege constituti, primum per legatos suos Romanorum amicitias petierunt: dehinc Ariobarzane rege succedente, & à Mithridate expulso, ultro se Romano servitio tradiderunt: magnamque civitatem suam Mazacam, in honorem Cæsaris *Cæsaream* appellaverunt. Posthæc iterum sub Claudio Imperatore, rex eorum Archelaus Romam adveniens, quasi amicus populi Romani, ibique defunctus, testamentali voce Cappadociam Romanis dedit: & sic jam ex integro in provinciam facta est. Pontus à Pompejo devicta, cum suo rege Mithridate, & facta provincia est. Paphalagoniæ Pylæmenes rex, amicus Populi Romani à multis dum inquietaretur, Romanorum petiit auxilium. Se quoque dum de inimicis ulcisceretur, defunctus, Romanos per testamentum hæredes reliquit.

Ejusque provinciæ. Bithynia. Gallogræcia. Cappadocia. Pontus. Paphalagonia.

CAP. XXXII. Hactenus intra Taurum, nunc ulterius transgrediamur, & quæ patriæ, aut quibus subjugantibus Populo Romano conjunctæ sint, memorabimus. Antiochus, Syriæ fortissimus rex, magnum apparatum belli contra Populum Romanum commovit. Triginta millia siquidem armatorum, currusque falcatos, quam plures elephantos, innumeros turritos, & instar muralis in acie ordine sitos. Cui obviavit Scipio Africani Scipionis frater in Asia ad Magnesiam civitatem, commissoque prælio, Antiochus victus est, percussumque fœdus cum Romanis: ab Asia discessit, & ultra Taurum ex Senatus consulto regnare permissus est: filiosque ejus in obsidatu Romæ deductos, post patris obitum regnare genitali loco concessum. Cilices cum Isauris piratæ effecti, & in mari magna sæpe latrocinia concitantes, à Servilio proconsule victi & prostrati sunt. Hic quoque Servilius, primus Romanorum Tauri jugum pervium fecit, triumphansque de eorum spoliis, *Isauricus* & *Cilicus* vocatus est. Cyprum Cato classe navigera directus invasit. Cypriis negantibus habere se aliquid, magnas illic opes reperit, proscriptionibusque mulctavit. Quod non ferens Gnosius rex eorum, veneno hausto semet occidit: & sic Cyprus Romana facta provincia. Libyam, id est, Pentapolim totam à primo illo Ptolemæo Romanis sub libertate concessam, tamen resistentes dehinc, Apionis consilium Populo Romano subdidit. Ægyptus omnis ab amicis Romanorum, id est, Lagidis, per Ptolemæos possessa. Posthæc Cleopatra & Antonius, jure proprio vindicantes, & se, & illam amittunt. Montes vero Armeniæ primum per Lucullum Romana arma viderunt, per quem & Osroëne & Saracenorum phylarchi devicti, Romanis sedederunt, Mesopotamiamque idem ipse, Nisiben quoque urbem invasit. Post quem Pompejus eadem loca ingrediens, Romano confirmavit Imperio. Syriam Comagenen, justo prælio Tigrane devicto, invaserat. Arabes & Palæstini, eodem Pompejo ductante, devicti sunt.

Syria. Cilicia. Cyprus. Libya. Ægyptus. Armenia. Arabes & Palæstini.

CAP. XXXIII. Babylonii autem, crebro concertantes, sæpenummero victi, nunquam tamen ad integrum domiti sunt. Quos tamen primum Lucius Sylla proconsul sub Arsace eorum rege devicit: ab eoque rogatus per legatos, pacem concessit. Secundo dum Lucius Lucullus à Pontico regno Tigranem regem Armeniæ cum decem & octo millibus superatum expelleret, omni Armenia invasa, ad Mesopotamiam venit: ibi Nisiben cum fratre regis Parthorum cepit, æqua sorte Persidem cupiens devastare, nisi Pompejus à Senatu directus, ei advenisset successor. Hic etenim Pompejus illico veniens, mox nocturno prælio in minori Armenia super Mithridatem irruens, XLII. millia armatorum prosternens, ejus castra succendit. Unde Mithridates cum uxore & duobus satellitibus fugiens, Bosphorum venit, nimiaque desperatione detentus, venenum accepit. Sed dum nec sic mors ei accederet, alterum è duobus satellitibus rogavit, ut se perimeret. Pompejus autem in majori Armenia dum persequeretur Tigranem Mithridati contra Romanos auxilium commodantem, ille in Artaxata urbe regno deposito, ultro diadema suum Pompejo obtulit. Sed Pompejus pietate ductus, ultra majorem Armeniam ei concessit regnare, auferens ab eo Mesopotamiam & Syriam, partemque Phœnicis cum Armenia. Nam Bosphoranis Colchisque Aristarchum regem Pompejus præposuit: Albanosque insequens; Orodem regem eorum tertio superavit, ad postremum rogatus, pacem concessit. Hiberiam similiter cum Artace rege in deditionem accepit. Sarracenos Arabasque exsuperans, Hierosolymam inde captivavit. Cum Persis fœdere percusso, revertens, Dafnensem agrum Antiochenis concessit ob nimiam loci amœnitatem pro munere. His & aliis

Babylonii. Bellum Mithridaticum. U.C. 659. Ol. 171. a. C. N. 94.

(*u*) al. Mumius. (*x*) al. Tectosagi. (*y*) al. Orgia Contis uxor.

Bellum Parthicum à Crasso infeliciter gestum. U. C. 698. Ol. 181. a. C. N. 55.

& aliis rebus in Syria bene gestis, unius omnia fœdavit avaritia. Nam Crassus Consul, dum Parthico inhiat auro, undecim legiones pæne cum suo capite amisit. Cujus in conspectu & filius hostilibus telis confossus, & ipse peremptus, caputque ejus præcisum cum dextera manu, ad regem reportatum, ludibrio fuit: neque indigno, aurum ei liquidum in rictum oris infusum est: ut cujus animus auri arserat cupiditate, ejus etiam mortuum & exsangue corpus auro uteretur. Reliqui vero infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque distracti, vix cladis tantæ nuntium retulerunt. Hac ergo clade altius Parthi animos elevantes, per Pacorum ducem Syriam invadunt, ducemque Labinium, quem dudum ceperant, exercitui præponentes, contra socios, id est Romanos, in prælio dirigunt. Sed Ventidius Bassus Persas, sub utroque duce Syriam populantes, superatos effugat, Labiniumque interfecit. Pacorum vero regium juvenem telis undique circumseptum exstinxit: moxque capite ejus dempto & circumlato per urbes quæ desciverant, Syriam sine bello recepit. Sic Crassianam cladem Ventidius Pacori capite, Labiniique morte pensavit. Nec sic contentus Populus Romanus Crassianum interitum oblivisci, inde adhuc sævit in Parthos. Nam Marcus Antonius, in Mediam ingressus, contra eos arma commovit. Ibi superans eos, deinde cum duabus legionibus inedia hiemeque correptus, vix in Armeniam Parthis sequentibus fugit, ibique exceptus est.

Augusti res gestæ.

CAP. XXXIV. Sub Augusto dehinc Octaviano Armenii cum Parthis commixti, per Claudium Cæsarem nepotem Augusti ocius superantur. Armenii siquidem, utilius rati, Romanorum amicitiæ reconciliari, & proprias sedes incolere, quam cum Parthis conjungi, & sedes perdere, & Romanos infestos habere. Sic quoque dum in partibus orientalium Romanus laborat exercitus, occiduæ plagæ infestæ sunt.

Cum Germanis.

Norici in Alpibus Noricis habitantes, credebant quasi in rupes & nives bellum non posset ascendere, sed mox omnes illius cardinis populos, Brennos, Teutones, Senones, atque Vindelicos, per eundem Cæsarem gladio Romanus vicit exercitus. Quæ tamen fuerit Alpinarum gentium feritas, facile est, vel per mulieres ostendere: quæ, deficientibus telis, infantes suos afflictos humi, in ora militum adversa miserunt.

Illyricis.

Nec minore his sævitia Illyrici pariter accenduntur, contra quos Augustus è vicino egressus, pontem, unde aquam transiret, fieri imperavit, dumque aquis & hostibus ad ascensum milites turbarentur, scutum ipse rapuit, & viam primus ingressus est. Tum agmine secuto, cum subruptus multitudine pons succidisset, sauciis manibus & cruribus, speciosior sanguine, & ipso periculo angustior, terga hostium cecidit.

Pannoniis.

Pannonii vero, duobus saltibus, tribus fluviis, Drao, Savo, Histroque vallantur. Contra quos Duennium misit, qui eos plus feliciter vicit, quam eorum flumina cursu rapido currant.

Dalmatis.

Dalmatæ, similiter silvis commanentes, plurimam partem latrocinando vastabant. Ad quos edomandos vibium mandat, qui efferum genus fodere terras coëgit, aurumque è venis repurgare.

Mœsis.

Mœsi vero quam feri, quam truces erant? unus ducum ante aciem postulato silentio, *qui vos estis?* inquit. Responsum est, *Romani, gentium Domini.* Et ille, *Ita fiet*, inquit, *si nos viceritis.* Sed mox ad bellum ventum est, nec classicum audire valuerunt. Sic à Marcio superati sunt.

Thracibus.

Thraces antea sæpe, tunc tamen Rometalca regnante, sibi à Romanis desciscunt. Nam hic barbaros & disciplinæ & signis militaribus assuefecerat. Sed à Pisone perdomiti, in ipsa captivitate rabiem ostendebant, nam catenas, quibus ligati erant, morsibus vellicantes, feritatem suam ipsi puniebant

Dacis.

Daciam quoque, ultra Danubium sitam, exindeque sæpius elatos, gelato Danubii alveo, ad furta in Pannoniam transeuntes, Lentulo misso, vicit, expulit, atque subegit.

Sarmatis.

Sarmatas quoque per eundem Lentulum ultra Danubium pepulit, qui nihil aliud, ubi degunt, præter nives pruinasque & silvas habent, tantaque barbaries in illis est, ut nec intelligant pacem. Marmaridas vero & Garamantes in orientali hiemali plaga per Quirinum subegit. Germanos, Gallos, Britones, Hispanos, Hiberos, Astures, Cantabros, occiduali axe jacentes, & post longum servitium desciscentes, per se ipse Augustus accedens, rursus servire coëgit, Romanisque legibus vivere.

Cum Cleopatra.

Cleopatra vero Alexandrinorum regina, ex genere Lagidarum, Ptolemæorumque successor, prius contra viri sui Ptolemæi insidias Cajum Julium Cæsarem interpellavit: qui ob stupri, ut perhibent, gratiam, regnum ejus confirmavit, ipsamque in Urbem cum magna pompa deductam, Alexandriæ permisit regnare. Cassius Judæa capta templum spoliavit.

Augustus.

CAP. XXXV. Occiso vero in curia Romæ Cæsare Julio, nepos ejus AUGUSTUS suscepit principatum, quem Antonius dum invideret, nihilque lædere posset, Urbem Romam egreditur, & ad partes Ægypti, quasi Romanæ provisor reipublicæ, accedit. Ibi jam viduam à viro regnantem reperiens Cleopatram, se quoque cum illa consocians, cœpit sibi dominationem parare, nec tacite, sed patriæ, nominis, togæ, fascium oblitus, totus in monstrum illud, ut mente, ita animo quoque cultuque desciverat, aureus in manu baculus, in latere acinaces, purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis, diadema deerat, ut regina rex & ipse frueretur. Quod Augustus Cæsar audiens, à Brundisio Calabriæ, in Epirum, ut eum à cœpta removeret tyrannide, transierat.

Antonium vincit in Actiaca pugna. U. C. 721. Ol. 187. a. C. N. 32.

Nam Antonius omne Actiacum litus jam classibus obsidebat. Sed mox ubi ad prælium ventum est, & Cæsaris classis illius cœpit turbare navigium: prima mox fuga regina cum aurea puppi, veloque purpureo in altum se dedit. Mox secutus Antonius. Sed instat vestigiis eorum Cæsar. Itaque nec præparata in Oceanum fuga, nec munita præsidiis utraque Ægypti cornua, Paraetonium atque Pelusium, profuere. Prope fuere, prope manu tenebantur. Primus ferrum occupavit Antonius: regina ad pedes Augusti provoluta, tentavit oculos ducis, frustra quidem, nam pulchritudo intra

tra pudicitiam principis fuit, nec illa de vita, quæ offerebatur, sed de parte regni laborabat. Quod ut desperavit à principe, servarique se triumpho cognovit, incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum se regum recepit: ibique maximos, ut solebat, cultus induta, in referto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium: admotisque ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est. Hic finis bellorum Augusti Cæsaris, tam cum civibus, quam cum extraneis. Sic quoque Augustus, ut Cæsar Octavianus, quo nullus Imperatorum in bellis felicior, nec pace moderatior fuit, civilissimus in omnibus, qui ab oriente in occidentem, à septentrione in meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus una pace compositis, Jani portas ipse tunc clausit: & censum Romæ cum Tiberio cogitans, invenit hominum nonagies trecenta septuaginta millia: omnemque orbem, venientis JESU CHRISTI nativitate pacatum, censeri præcepit: regnavitque annos quinquaginta sex. Sed Imperii ejus secundo ac quadragesimo anno, Dominus JESUS CHRISTUS ex Spiritu Sancto ac Maria virgine Deus verus, ac homo verus nasci dignatus est: quatuordecim residuos annos post Domini adventum corporali præsentia, in pace regnans, & ipse singularem obtinuit principatum, & posteris eandem Imperii potestatem cum suo nomine *Augusti* derelinquens, rebus excessit humanis, successorem relinquens Tiberium privignum suum.

Augustus Imperator.

JESUS CHRISTUS nascitur. U. C. 752. Ol. 194.

CAP. XXXVI. TIBERIUS AUGUSTUS Cæsar regnavit annos viginti tres, qui multos reges ad se blanditiis evocatos, nunquam ad propria regna remisit: in quibus & Archelaum Cappadocum regem, cujus & regno, postquam defunctus est, in provinciam verso, Mazacam civitatem ejus de nomine suo Cæsaream vocitavit. Hujus vero anno XVIII. Dominus noster Jesus Christus sub Pontio Pilato in Judæa carne passus est, non deitate.

Tiberius Imperator. U. C. 766. p. C. N. 14.

CAP. XXXVII. CAJUS CÆSAR cognomento CALIGULA, regnavit annos tres, menses decem, (sceleratissimus ac funestissimus) hic namque Memmium Regulum coëgit, ut uxorem suam sibi lege filiæ conjugem daret, instrumentaque matrimonii ut pater conscriberet. Hæc & his similia perpetrans, necnon & in templo Hierosolymitano Jovis statuam per Cajum Petronium statuens, & in Alexandria Judæos per Flaccum Anilium præfectum opprimens, postremo à protectoribus suis in palatio Romæ occisus est, anno ætatis vigesimo nono.

Cajus Caligula Imperator. U. C. 789. p. C. N. 37.

CAP. XXXVIII. CLAUDIUS dehinc succedens, regnavit annos tredecim, & menses novem. Fecit etiam hic Claudius expeditionem in Britanniam insulam, quam jam nemo ante Julium Cæsarem, neque post eum quisquam adire ausus fuerat, exercitum duxit, ibique sine ullo prælio ac sanguine, intra paucissimos dies, plurimam insulæ partem in deditionem recepit. Orchadas autem insulas intra Britanniam in Oceano positas, Romano adjecit Imperio ac sexto, quo profectus erat mense, Romam repedavit, ibique defunctus est annorum sexaginta quatuor.

Claudius Imperator. U. C. 793. p. C. N. 41.

CAP. XXXIX. NERO nepos Caji Caligulæ, regnavit annos tredecim, menses octo, tantæque luxuriæ fuit, ut frigidis & calidis lavaretur unguentis. Is etenim non solum quidem non profuit reipublicæ, imo obfuit nimis. Nam duas legiones in Armenia cum ipsa provincia simul amisit, qui Parthico jugo servientes, gravem infamiam Romanis dederunt. Juxta omne scelus & parricidium, quod in proprios parentes commiserat, addidit facinus, ut ad instar Trojæ Romam incenderet, manusque injiciens in Christianos, persecutionem concitat: ipsosque doctores fidei Petrum ac Paulum in Urbe interemit, alterum cruci affigens, alterum capite plectens.

Nero Imperator. U. C. 806. p. C. N. 54.

CAP. XL. Eoque cum dedecore regno evulso, GALBA in Hiberia, VITELLIUS in Germania, OTHO Romæ Imperium arripuerunt, omnesque tamen celeri interitu interierunt.

Servius Galba; Otho; Imperatores. U. C. 820. p. C. N. 68. Vitellius Imperator. U. C. 821. p. C. N. 69.

CAP. XLI. VESPASIANUS apud Judæam ab exercitu in regnum adscitus, regnavit annis decem. Nam relicto filio suo Tito ad expugnationem Hierosolymorum, ipse Romam profectus, regnavit in pace.

Vespasianus Imperator. U. C. 821. p. C. N. 69.

CAP. XLII. TITUS filius Vespasiani, idemque VESPASIANUS, debellator Judææ gentis, regnavit annis duobus, mensibus duobus. Hic namque, secundum Josephi fidem, undecies centena millia Judæorum fame & gladio interemit: & alia centum millia captivorum publice vendidit. Tantam autem multitudinem in Hierosolymis paschalis festivitas adunaverat.

Titus Vespasianus Imperator. U. C. 831. p. C. N. 79.

CAP. XLIII. DOMITIANUS, frater Titi, filius Vespasiani, regnavit annos XV. menses quinque tantæque fuit superbiæ, ut se Deum ab omnibus primum appellari præceperit, multosque nobilium exilio relegans, nonnullosque occidens, de substantiis eorum aureas argenteasque sibi statuas fecit, manusque in Christianos injiciens, Joannem Apostolum & Evangelistam, postquam in ferventi oleo missum non potuisset extinguere, in Pathmos eum insulam relegavit, ubi Apocalypsim vidit. Cujus crudelitatem non tolerantes Romani, in palatio Romæ interficere statuerunt: omneque, quod constituerat, irritum fecere.

Domitianus Imperator. U. C. 833. p. C. N. 81.

CAP. XLIV. NERVA admodum senex regnavit anno uno, mensibus quatuor. Qui, ut privata vita lenis, lenior fuit in regno, nec quidquam profuit Reipublicæ, nisi quod Trajanum se vivente elegit.

Nerva Imperator. U. C. 848. p. C. N. 96.

CAP. XLV. TRAJANUS, pæne omnium Imperatorum potior, regnavit annis XVIII. mensibus VI. Hic enim de (1) Dacis Scythisque triumphavit, Hiberosque & Sauromatas, Osdroënos, (2) Arabas, Bosphoranos, Colchos edomuit, postquam ad feritatem proruperunt. Seleuciam, & Ctesiphontem, Babyloniamque pervasit & tenuit. Necnon & in mari rubro classem, unde Indiæ fines vastaret, instituit: ibi-

Trajanus Imperator. U. C. 850. p. C. N. 98.

(1) Dacis) Huc pertinet numus Trajani Tab. XLIII. num. 1. in quo Dacus lugens super arma disjecta sedet. Conf. OISELIUS Th. Num. Antiqu. Tab. XXIII. num. 4. pag. 103.

(2) Arabas) Hoc denotat numus Tab. XLIII. num. 2. In quo sub Muliere stolata dextra Ramum arboris Thuriferæ, sinistra calamum odoratum tenens, cum Camelo adstante, Arabia, quibus dictis omnibus abundat, designatur, cum subscriptione: Arabia adquisita. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. p. 648. & 649.

ibique suam statuam dedicavit, & post tot labores apud Seleuciam Isauriæ profluvio ventris, anno ætatis sexagesimo tertio extinctus est, ossaque ejus in urna aurea collocata, & in foro (3) sub columna posita, solusque omnium Imperatorum intra Urbem sepultus.

Adrianus Imperator. U. C. 869. p. C. N. 117.

CAP. XLVI. ADRIANUS, Italicæ de Hispania natus, consobrinæ Trajani filius, regnavit annos viginti unum. Hic pæne nil profuit reipublicæ, nisi quod dudum subversas Alexandriam & Hierosolymam propriis reparavit expensis, nonnullisque in locis publica relaxavit tributa. (4) Hierosolymam siquidem suo de nomine Æliam appellans, nulli Judæorum ingredi permisit. Nam claret eum invidum factis Trajani, quia mox ut ei successit, illico nulla necessitate faciente, exercitum ad se revocans, Mesopotamiam, Assyriamque, & Armeniam Persis reliquit: Euphratem fluvium finem terminumque inter Parthos Romanosque constituens. Quo regnante, Aquila Ponticus scripturas de Hebræo transtulit. Adrianus morbo apud Bajas quatiente obiit.

Antoninus Pius Imperator. U. C. 890. p. C. N. 138.

CAP. XLVII. ANTONINUS cognomento Pius, cum suis liberis Aurelio & Lucio regnavit annis XXII. mensibus III. Etsi non profuit quidquam Antoninus, nullam tamen læsionem respublica sensit. Defunctus est duodecimo Urbis milliario, in villa sua Loris nuncupata, anno ætatis septuagesimo sexto. Regnavit annis XIX. mense uno.

M. Antoninus Verus & Lucius Aurelius Commodus Imperatores. U. C. 913. p. C. N. 161.

CAP. XLVIII. MARCUS ANTONINUS, qui & VERUS, & LUCIUS AURELIUS COMMODUS, affinitate conjuncti, æquo jure Imperium administraverunt. E quibus junior contra Parthos arma movens, magna egit & fortia, Seleuciamque urbem eorum cum quadringentis millibus accepit pugnatorum: senior vero, multis sæpe bellis interfuit, sæpiusque per duces suos (5) triumphum revexit maxima de gente Quadorum, è quibus cum magna gloria triumphavit. Sed unus, in Altino apoplexiam passus, defunctus est; alter, in Pannonia morbo periit.

Commodus Imperator. U. C. 928. p. C. N. 176.

CAP. XLIX. Commodus, filius Antonini, regnavit annis tredecim, (6) magnumque triumphum de gente revexit Germanica & post hæc in domo Vestiliani strangulatus defecit.

Ælius Pertinax. U. C. 945. p. C. N. 193.

CAP. L. ÆLIUS PERTINAX, major sexagenario, quum præfecturam ageret, ex Senatusconsulto Imperator creatus, regnavit menses sex. Hic etenim obsecrante Senatu, ut uxorem suam Augustam, filiumque Cæsarem appellaret: *Sufficere*, inquit, *debet, quod ego ipse invitus regnavi, quum non mererer.* Nimis æquissimus, omniumque communis, quem Julianus jurisperitus in palatio ejus peremit: ipseque postea à Severo occisus est.

Severus Imperator. U. C. 945. p. C. N. 193.

CAP. LI. SEVERUS, genere Afer, Tripolitanus, regnavit annis decem & octo, ultusque est occisionem Pertinacis in Juliano, se quoque Pertinacem appellavit. Hic etenim Parthos, & Adiabenos, contra Romanos insurgentes, mirabiliter superavit. Arabas quoque interiores ita cecidit, ut regionem eorum Romanam faceret provinciam. Sic quoque triumphans, Parthicus, Arabicus, Adiabenicus dictus est. Hoc regnante Samarites quidam Symmachus, Judæorum factus proselytus, item divinas scripturas ex Hebræo sermone, Græca lingua transfudit, suamque condidit editionem: post quem pæne tertio anno secutus Theodotion Ponticus, item suam in eodem suo opere editionem scripturarum composuit. Britannicum bellum exortum; unde Severus mirabiliter triumphavit.

Antoninus Caracalla Imperator. U. C. 963. p. C. N. 211.

CAP. LII. ANTONINUS cognomento CARACALLA, filius Severi, regnavit annos septem. Nam ideo hoc nomen nactus est, quod ejusmodi vestium genera Romæ de manibus erogans, sibi nomen CARACALLA, & vesti Antoniniana dederit. Sub hoc iterum editio scripturarum divinarum, quam Quintam vocamus, in Hiericho in dolio reperta est. Hic etenim Imperator, dum contra Persas movit procinctum, Osdroëne Edessa defunctus est.

Macrinus Imperator. U. C. 969. p. C. N. 217.

CAP. LIII. MACRINUS præfecturam agens prætorianam, Imperator creatus est, regnavitque anno uno, occiditurque ab Archelaide.

M. Aurelius Imperator. U. C. 970. p. C. N. 218.

CAP. LIV. MARCUS AURELIUS, Antonini Caracallæ filius, templique Heliogabali sacerdos, Imperator factus. Hujus anno quarto Emaus in Judæa constructa, & Nicopolis nominata. Tunc & Africanus, egregius scriptor temporum, pro ipsa legationem suscepit ad principem. Sed Imperator, dum nullum genus obscœnitatis in regno suo, quod non faceret, prætermittebat, occisus est à tumultu militari. Regnavit annis tredecim. (z)

Alexander Imperator. U. C. 974. p. C. N. 222.

CAP. LV. ALEXANDER Mammææ filius, ignobilis fortunæ existens, adhuc juvenis, regni moderationem suscepit, moxque contra Xerxem regem Persarum arma arripiens, mirabiliter de Parthorum spoliis triumphavit. Sub hujus item Imperio, in Nicopoli Actiaca, id est Epiro, editio, quæ Sexta dicitur divinarum scripturarum, in dolio reperta est: ipseque Moguntiaci tumultu occiditur militari.

Maximinus Imperator. U. C. 987. p. C. N. 235.

CAP. LVI. MAXIMINUS genere Gothico, patre Micca, Abaqua Alana genitus matre, sola militum voluntate ad Imperium conscendens, bellum adversus Germanos feliciter gessit. Indeque revertens, contra Christianos intestina prælia sextus à Nerone movit, ac vix annos tres regnans, Aquilejæ à Pupieno occisus est.

CAP.


(z) al. tres.

(3) Sub columna posita) Hanc columnam Trajano posuit Senatus Populusque Romanus, ut testatur numus Tab. XLIII. num. 3. Conf. OISEL. loc. cit. Tab. CVII. num. 8. pag. 521.

(4) Hierosolymam - - - Æliam appellans) In hujus rei memoriam cussus est numus Tab. XLIII. num. 4. In quo Juppiter sedens in medio templo visitur, dispositis hinc inde stantibus figuris cum Epigraphe: COLonia AELia CAPitolina. Conf. PATIN. Num. Impp. Ær. pag. 155. Eandem quoque ob causam Imp. Antoninus Pius numum Tab. XLIII. num. 5. cudit, qui ab una parte Imperatoris caput exhibet laureatum, ex altera parte Caput muliebre turritum, eleganti cum ornatu & eadem Inscriptione. Conf. R. P. DEBIEL Compend. Utilitatis Rei Numariæ veteris. pag. 60. Tab. I. num. 7.

(5) Triumphum revexit maxime de gente Quadorum) Qui germani erant. In cujus triumphi memoriam numus conflatus est Tab. XLIII. num. 6. Conf. PATIN. Num. Impp. Ær. pag. 187.

(6) Magnumque triumphum de gente revexit Germanica) de quo triumpho testatur numus Commodi Tab. XLIII. num. 7. Conf. PATIN. loc. cit. pag. 208.


Tab. XLIII.
ad pag. 265. 266. 267.
ÆR
I
COS.V.P.P.S.P.Q.R. OPTIMO PRINC.
DAC. CAP.
△
ÆR
II
S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI
ARAB.ADQ.
Γ
ÆR
III
S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI
Γ
ÆR
IV
COL. AEL.
CAP.
△
ÆR
V
COL. AEL.
CAP.
B
ÆR
VI
IMP. VII. COS. III.
S. C.
DE GERM.
△
ÆR
VII
TR. P. VI. IMP. IIII. COS. III. P. P.
S. C.
△
ÆR
VIII
SAECVLARES. AVG.G.
E

Gordianus Imperator. U. C. 989. P. C. N. 237.

CAP. LVII. GORDIANUS, admodum puer, Imperator factus, vix regnavit annos ſex. Hic etenim, mox ut Romam ingreſſus eſt, illico Pupienum & Balbinum, qui Maximinum occidentes tyrannidem arripuerant, occidit, Janumque geminum aperiens, ad Orientem provectus, Parthis intulit bellum: indeque cum victoria revertens, fraude Philippi præfecti prætorii, haud longe à Romano ſolo interfectus eſt.

Philippus Imperator. U. C. 996. P. C. N. 244.

CAP. LVIII. PHILIPPUS, Imperium impudenter ingreſſus, regnavit annis ſeptem. Hic etenim filium ſuum, id eſt Philippum, conſortem regni fecit, ipſeque omnium Imperatorum primus Chriſtianus effectus eſt: tertioque anno Imperii ſui, (7) feſtivitatem Romanæ Urbis milleſimo anno, quem expleverat, celebravit, Urbemque nominis ſui in Thracia, quæ dicebatur Pulpudena, Philippopolim reconſtruens nominavit.

Decius Imperator. U. C. 1001. P. C. N. 249.

CAP. LIX. DECIUS è Pannonia inferiore Bubaliæ natus, occiſis Philippis utriſque, regnavit anno uno, menſibus tribus, armiſque in Chriſtianos erectis, ob Philipporum nominis odium, ipſe bellantibus Getis cum filio ſuo crudeli morte occubuit abrupto.

Gallus & Voluſianus Imperatores. U. C. 1004. P. C. N. 252.

CAP. LX. GALLUS & VOLUSIANUS regnaverunt annis duobus, menſibus quatuor. Hi quum adverſum Æmilianum, qui in Mœſia res novas moliebatur, ex Urbe profecti eſſent, in foro Flaminii interfecti ſunt: Æmilianus vero tertio menſe invaſæ tyrannidis extinctus eſt.

Valerianus Imperator. U. C. 1005. P. C. N. 253.

CAP. LXI. VALERIANUS & GALLIENUS, dum unus in Rhætia à militibus, alter Romæ à Senatu in Imperio levarentur, regnaverunt annos XV. Valerianus ſiquidem in Chriſtianos perſequutione commota, ſtatim à Sapore rege Perſarum capitur: ibique ſervitute miſerabili conſeneſcit.

Gallienus Imperator. U. C. 1005. P. C. N. 253.

Gallienus, illius exitum cernens, Chriſtianis pacem dedit: ſed dum nimis in regno laſciviret, nec virile aliquid ageret, Parthi Syriam Ciliciamque vaſtaverunt. Germani & Alani Gallias deprædantes, Ravennam uſque venerunt. Græciam Gothi vaſtantes, Quadi & Sarmatæ Pannonias invaſerunt. Germani rurſus Hiſpanias occupaverunt. Idcirco Gallienus Mediolani occiſus eſt.

Claudius Imperator. U. C. 1020. P. C. N. 268.

CAP. LXII. CLAUDIUS regnavit anno uno, menſibus octo, (8) qui Gothos jam per XV. annos Illyricum Macedoniamque vaſtantes, bello adortus, (9) incredibili ſtrage delevit. Senatus ingenti honore eum decoravit, ſcilicet ut in curia ei clypeus aureus, & in Capitolio ſtatua aurea poneretur. Occiſuſque apud Syrmium eſt.

Quintilius Imperator. U. C. 1022. P. C. N. 270.

Poſt hujus mortem QUINTILIUS frater ejus à Senatu Auguſtus appellatus, XVIII. Imperii ſui die Aquilejæ occiſus fuit.

Aurelianus Imperator. U. C. 1022. P. C. N. 270.

CAP. LXIII. AURELIANUS, Dacia Ripenſi oriundus, regnavit annos quinque, menſes ſex. Qui mox, TETRICO apud Catalaunios prodente exercitum, Gallias recepit: expeditioneque facta ultra Danubium, Gothos magnis præliis profligavit, cultoreſque divini nominis perſequutus eſt. Odenatus Palmyrenus, ante ipſum collecta ruſticorum manu, Perſas de Meſopotamia expellens, ipſe ea loca invaſerat. Quo occiſo, uxor ſua Orientis tenebat Imperium: contra quam expeditionem ſuſcipiens Aurelianus, apud Hymmas vicum Antiochiæ ſuperavit, Romæque in triumpho vivam perduxit. Ac dehinc ſecundo arripiens expeditionem, inter Byzantium & Heracleam in Cænophrurio viæ veteris occiditur.

Tacitus Imperator. U. C. 1027. P. C. N. 275.

CAP. LXIV. TACITUS regnavit annos ſex. Quo occiſo apud Pontem, FLORIANUS ſuſcepit Imperium, tenuitque diebus trecentis quinquaginta octo. Similiter & ipſe apud Tarſum interfectus eſt.

Probus Imperator. U. C. 1028. P. C. N. 276.

CAP. LXV. PROBUS regnavit annos ſex, menſes quatuor. Hic enim Gallos & Hiſpanos vineas habere permiſit. Quo tempore SATURNINUS magiſter militum, dum ad reſtaurationem Antiochenæ civitatis miſſus fuiſſet, abrepta ibidem tyrannide, mox oppreſſus eſt, & Apamiæ interfectus. Ipſe quoque Imperator Probus tumultu militari Syrmii in turre, quæ vocatur Ferrata, occiſus eſt.

Carus, Carinus & Numerianus Imperatores. U. C. 1034. P. C. N. 282.

CAP. LXVI. CARUS cum filiis CARINO & NUMERIANO, regnavit annos undecim, oriundus Narbona Galliæ. Hic admirabiliter pæne omni Perſide vaſtata, nobiliſſimas earum urbes occupavit, Seleuciam & Cteſiphontem. Bellum Sarmaticum feliciter ſuperavit. Ipſe quoque Carus ſuper Tigridem amnem dum caſtrametaret, fulmine ictus occubuit. Numerianus autem, oculorum dolore tentus, dum in lecticula veheretur, ſoceri ſui Apri inſidiis occiſus eſt. Fœtor cadaveris vix tertio die agnitus eſt. Carinus vero, apud Margum in prælio victus occiditur.

Diocletianus Imperator. U. C. 1036. P. C. N. 284.

CAP. LXVII. DIOCLETIANUS Dalmata, ſcribæ filius, Imperator elatus, regnavit annis viginti. Hic etenim mox ut in regno elevatus eſt, illico Aprum in militum concione percuſſit, jurans, ſine ſuo ſcelere illum Numerianum interemiſſe, & mox in conſortium ſuum MAXIMIANUM HERCULIUM aſcivit.

Maximianus Herculius Imperatores. U. C. 1038. P. C. N. 286.

Qui Maximianus ruſticorum multitudine oppreſſa, quos Bagaudas dicunt, pacem Gallis reddidit. Quo tempore CARAUSIUS ſumpta purpura, Britannias occupaverat: Narſeus rex Perſarum, Orienti bellum intulerat: Quinquegentiani Africam infeſtaverant: Achilleus Ægyptum invaſerat.

Conſtantius, Galerius & Maximianus Cæſares. U. C. 1043. P. C. N. 291.

CAP. LXVIII. Ob quæ CONSTANTIUS & GALERIUS, ac MAXIMIANUS, Cæſares aſſumuntur in regnum. Quorum Conſtantius, Claudii ex filia nepos fuit: Galerius in Dacia, non longe à Sardica natus. Atque ut eos Diocletianus etiam affinitate conjungeret, Conſtantius privignam Herculii Theodoram accepit, ex qua ſex liberos procreavit: Galerius autem, Valeriam Diocletiani filiam accepit, uterque priſtina matrimonia repudiantes. Carporum ſiquidem gens tunc devicta, & in Romanum ſolum tranſlata eſt. Tunc etenim primus omnium

(7) Feſtivitatem Romanæ Urbis milleſimo anno - - - celebravit) E plurimis de ſæculo novo numiſmatibus tantum exhibemus tria de Philippo Tab. XLII. num. 7. & 8. Tab. XLIII. num. 1. In quorum ſecundo cervus, in tertio Alce exhibetur; dein de Philippi uxore Otacilia Tab. XLIII. num. 2. quod Hippopotamum repræſentat. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. p. 731.

(8) Qui Gothos - - - (9) incredibili ſtrage delevit) Loquitur hanc victoriam numisma Muſæi Waldſchmidiani. Tab. XLIV. num. 3. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. p. 756.

omnium Imperatorum Diocletianus adorari se ut Deum præcepit, & gemmas vestibus calciamentisque inseruit: diademataque in capite ante eum omnes, cum chlamyde de tantum purpurea, ut à privatis discernerentur, habebant, & ut judices ceteri salutabantur. Assumpta ergo unusquisque principum expeditione, Diocletianus, Ægypti tyranno octavo mense devicto, provinciam cunctam subegit: Maximianus Herculius, in Africa Quinquegentianos exsuperavit: Constantius, juxta Lingonas una die sexaginta millia Alemannorum cecidit. Galerius Maximianus, victus primo prælio à Narseo, ante carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit. Qua verecundia compunctus, secundo viriliter dimicavit, superavit Narseum, uxores ejus abegit ac liberos: & cum debito honore à Diocletiano susceptus est. Post quam victoriam mirabiliter Diocletianus & Maximianus Romæ triumpharunt, antecedentibus sibi liberis uxoribusque regis Persarum, prædaque illa ingenti gentium diversarum. Sic quoque concitata persequutione in Christianos, Diocletianus in Cappadocia defunctus est. Constantius

Diocletianus & Maximianus Imperium ponunt. U.C.1057. p. C. N. 305.

* * * * * * *

Julianus Imperator. U.C. 1113. p. C. N. 361.

CAP. LXIX. Julianus apostata, regnavit anno uno, mensibus octo, relictaque Christianitate, ad idolorum culturam conversus est, multosque blanda persequutione illiciens, ad sacrificandum idolis compulit. Ipse quidem vir egregius, & Reipublicæ necessarius, Parthis ingenti apparatu intulit bellum. Ubi proficiscens, Christianorum post victoriam sanguinem diis suis votavit. Nonnulla Parthorum oppida in deditionem accepit, multaque vi populatus est, castraque aliquandiu apud Ctesiphontem habuit. Unde egressus, dolo cujusdam transfugæ in deserta perductus, cum urentis ardore solis confectus periret exercitus, ipse tantorum discriminum anxius, dum per vasta deserti evagatur incautius, ab obvio quodam hostium equite conto ilia percussus interiit, anno ætatis suæ tricesimo tertio.

Jovianus Imperator. U. C. 1116. p. C. N. 364.

CAP. LXX. Post quem sequenti die ab exercitu Jovianus ex primicerio (*a*) domesticorum in regnum ascitus est. Jovianus regnavit menses octo, qui mox necessitate compulsus, Nisibin, & magnam Mesopotamiæ partem Sapori Parthorum regi contradidit, ipseque odore prunarum præfocatus, defunctus est Dadastanæ, anno ætatis tricesimo tertio.

Valentinianus & Valens Imperatores. U. C. 1116. p. C. N. 364.

CAP. LXXI. Valentinianus & Valens regnaverunt annis tredecim, mensibus quinque. Nam Pannones erant Cibalienses, utrimque germani. In Nicomedia tribunatum Valentinianus agebat. Qui Imperator creatus, fratrem suum Valentem regni socium assumpsit. Ipse vero egregius, & Aureliano similis moribus, nisi quod severitatem nimiam & parcitatem, quidam crudelitatem & avaritiam causabantur. Relicto germano Orientali in regno, ipse Hesperium tenuit. Quo tunc regnante, alter Valentinianus in Britannia tyrannidem assumens, in continenti oppressus est. Constantinopoli quoque Procopius quidam contra Valentem insurgens, nihilque prævalens, Urbe egreditur, & in Phrygiam salutarem tyrannizans, extinctus est, multique partis Procopianæ cæsi atque proscripti. Valens ab Eudoxio Arrianorum Episcopo suasus & baptizatus, contra Orthodoxos infestus insurgit.

Gratianus Imperator, U. C. 1127. p. C. N. 375.

CAP. LXXII. Gratianum filium suum Valentinianus Ambianis Imperatorem constituit, quem habuit de Severa priore jugali, & contra Saxones & Burgundiones, qui plus octoginta millia armatorum primum Rheni in limbo castrametassent, movit procinctum. Sed apoplexia subito & sanguinis eruptione Brigione defunctus est. Tunc Gratianus Valentinianum fratrem, de Justina Sicula uxore natum, in regno consortem assumit. Nam Valentinianus senior, dudum, laudante Severa uxore sua pulchritudinem Justinæ, sibi eam sociavit in matrimonio, legesque propter illam concessit, ut omnes viri, qui voluissent, impune bina matrimonia susciperent, quia ideo populosa Arsorum (*b*) gens est, quia hoc apud eos solenne est, & multarum uxorum unus auditur maritus. Decepta ergo (ut diximus) Justina, Valentinianus edidit ex ipsa quatuor filios, Valentinianum supradictum Imperatorem, Gratam, Justamque, & Gallam, de qua Galla dehinc Theodosius Imperator, (10) Flacilla defuncta, quæ Arcadium Honoriumque pepererat, Placidiam generavit, quæ mater fuit moderni Valentiniani Junioris Imperatoris. Sed nos ad propositum redeamus.

Valentinianus Junior Imperator,

CAP. LXXIII. Valens Imperator lege data, ut monachi militarent, nolentes jussit interfici, quando & Theodosius, Theodosii Imperatoris postea pater, multique nobilium, occisi sunt Valentis insania.

Valens occiditur.

CAP. LXXIV. Gratianus Imperator Alemannorum plus triginta millia apud Argentarium oppidum Galliæ in bello prostravit, Galliasque pacavit. Gens Hunnorum super Gothos irruens, certos ex ipsis subjugat, alios fugat. Qui venientes in Romaniam, sine armorum suscepti dispositione, per avaritiam ducis Maximi, fame compulsi, rebellare coacti sunt: superatisque Romanis in congressione, funduntur in Thracias. Contra quos Valens ab Antiochia exire compulsus, in Thraciam proficiscitur, ibique lacrymabili bello commisso, Imperator sagitta saucius, in casam deportatur vilissimam, ubi, supervenientibus Gothis, igneque supposito, incendio concrematus est. Gothi vero occiso Imperatore, jam securi, ad Urbem properant Constantinopolitanam, ubi tunc Dominica Augusta, Valentis uxor, multam pecuniam plebi largita, ab Urbis vastatione hostes submovit, regnumque cognati, usque dum ille Theodosium ordinasset, fideliter utilerque servavit.

Gratiani res gestæ.

Theodosius Imperator, U.C.1131. p. C. N. 379.

CAP. LXXV. Theodosius Hispanus, Italicæ divi Trajani civitatis, à Gratiano Augusto apud Sirmium post Valentis interitum, factus est Imperator, regnavitque annos XVII. veniensque

(*a*) al. Tribuno. (*b*) al. Parthorum.

(10) Flacilla) Hujus vultum vide Tab. XLIV. num. 4. ex BEGERO Tom. II. pag. 834. Conf. HEMELAR. Impp. Roman. Numism. aur. Tab. LX. num. 4. pag. 222.

niensque Thessalonicam, ab Anatolio sancto Episcopo baptizatus est; admodum ecclesiæ religiosus enituit propagator, reipublicæque defensor eximius. Nam Hunnos & Gothos, qui eam sub Valente defatigassent, diversis prælis vicit, atque à prava vastatione compescuit. Cum Persis quoque petitus pacem pepigit. MAXIMUM autem tyrannum, qui Gratianum interfecerat, & sibi Gallias vindicabat, apud Mediolanum, una cum Valentiniano, Imperatore aggrediens ab Oriente, clausit, cepit, occidit. EUGENIUM quoque tyrannum atque ARBOGASTEM, divino auxilio præditus vicit, deletis eorum decem millibus pugnatorum. Hic etenim Eugenius, confisus viribus Arbogastis, postquam apud Viennam Valentinianum extinxerat, tyrannidem invasit: sed mox simul cum vita Imperium perdidit. Nam occiso Arbogaste desperans, sua se manu peremit, omnibusque inimicis Theodosius superatis, in pace rebus humanis apud Mediolanum excessit, utramque Rempublicam utrisque filiis quietam relinquens. Corpus ejus eodem anno Constantinopolim allatum atque sepultum.

Tyranni Maximus. Eugenius & Arbogastes vincuntur.

CAP. LXXVI. ARCADIUS & HONORIUS fratres, filii Theodosii Imperatoris, utrumque Imperium, divisis tantum sedibus, tenere cœperunt, id est, Arcadius senior Constantinopolitanam Urbem, Honorius vero Romanam. Tunc Rufinus patritius, Arcadio insidias tendens, Alaricum Gothorum regem, ut Græcias devastaret, missis clam pecuniis invitavit. Porro detectus Rufinus, ab Italiæ militibus Arcadio cum Gaina comite missis, ante portas Urbis detruncatus est, caput ejus cum dextera manu Constantinopoli ad ludibrium circumductum, uxoreque ejus exulata, opes cunctas Eutropius spado promeruit. Gildo, Africæ comes à Thedosio dudum ordinatus, ac si juvenile regnum utrumque despiciens, sibi velle cœpit Africam tenere, & à fratre proprio Mascelzer, dum se vidisset dejectum, oppressionique vicinum, propria se manu peremit. Gaina vero supra nominatus comes, Constantinopoli civile bellum commovens, totam Urbem igni ferroque turbavit, fugiensque ad Hellespontum, piratico ritu vivebat, contra quem navali prælio dato, multi Gothorum ejus extincti. Ipse quoque bello evadens, mox tamen complectitur. Post cujus oppressionem, Isauri per montem Taurum cursitantes, ingens dispendium Reipublicæ impetrarunt. Contra quos Narbazacius (*c*) directus, majus continuo rependit incommodum.

Arcadius Orientis & Honorius Occidentis Imperatores. U. C. 1147. p. C. N. 395. Rufini perfidia punitur. Gildo. Et Mascelzer opprimuntur.

CAP. LXXVII. Hesperiam vero plagam in regno Honorii Imperatoris primum Radagasius Scytha cum ducentis millibus suorum inundavit. Quem Huldi & Sarus Hunnorum Gothorumque reges superantes, omnes captivos, quos retulerant, singulis aureis vendiderunt. Stilico vero comes, (cujus duæ filiæ, Maria & Thermantia, singulæ uxores Honorii principis fuere, & utræque virgines sunt defunctæ) spreto Honorio, regnumque ejus inhians, Alanorum Suevorumque gentes donis pecuniisque illectas, contra regnum Honorii excitavit, Eucherium filium suum paganum, & Christianis insidias molientem, cupiens Cæsarem ordinare. Qui cum eodem filio suo, detecto dolo, occisus est. Quo anno & Arcadius Orientalis Imperator moriens, post obitum patris anno XIII. in Imperio fuit.

Radagasius rex Gothorum Italiam invadit. Arcadius moritur.

CAP. LXXVIII. THEODOSIUS junior, Arcadii filius, loco patris successit in Imperio, adolescens egregius, regnavitque annos quadraginta tres. Alaricus rex Wisegothorum, vastata Italia, Romam ingressus est, opesque Honorii Augusti deprædatus, (11) Placidiam sororem ejus duxit captivam, quam post hæc Ataulfo successori suo, in matrimonium ut acciperet, delegavit. Constantinus tunc quidam Galiis occupatis invasit Imperium. Hostes ejus, contra eum sævientes, filiumque ejus regno privare cupientes, monachum fecerunt eum. Ipse sanus à Gallia revertens, statim filium suum CONSTANTEM ex monacho Cæsarem ordinavit. Sed mox ipse apud Arelatum, filius ejus apud Viennam, regnum cum vita amiserunt. Itemque eorum exitus immemores JOVINUS & SEBASTIANUS, in Galliis tyrannidem moliuntur; sed & ipsi illico esse desierunt. HERACLIANUS post hæc cum septingentis & tribus navibus armatis ad Urbem Romam deprædandam venit, contra quem Marianus (*d*) comes egressus, sic eum perterruit, ut tantum cum una navi Carthaginem fugeret, ubi mox ingressus interfectus est. Vallia rex Wisegothorum, facta pace cum Honorio, Placidiam sororem ejus reddidit: quam Constantio patritio, qui eam revocaverat, in matrimonio jungens Honorius, rebus excessit humanis. Maximus & Jovinus, de Hispanis ferro vincti adducti, atque interfecti sunt.

Theodosius Junior Imperator. U. C. 1160. p. C. N. 408. Alaricus Romam capit & vastat. U. C. 1161. p. C. N. 409. Tyranni Constantinus. Constans. Jovinus & Sebastianus. Heraclianus. Wallia Rex Wisegothorum.

CAP. LXXIX. JOANNES vero, Honorio defuncto, regnum Occidentale invasit, contra quem Placidia creata Augusta, & VALENTINIANUS filius ejus Cæsar, diriguntur, quem & dolo potius Asparis & Artaburis, quam virtute superavit. Occisoque Joanne tyranno, Valentinianus Ravennæ Imperator à patruele Theodosio ordinatur: cujus germana Honoria, dum ad aulæ decus virginitatem suam cogeretur custodire, clam misso clientulo, Attilam Hunnorum regem invitat in Italiam, quumque veniente Attila votum suum nequiret explere, facinus, quod cum Attila non fecerat, cum Eugenio procuratore suo committit. Quam ob rem tenta à germano, & in Constantinopolim Theodosio principi destinata est. Post hæc tertio anno Valentinianus Imperator à Roma Constantinoplim ob suscipiendam in matrimonium Eudoxiam Theodosii principis filiam venit, dataque pro munere socero suo tota Illyria, celebratis nuptiis, ad sua regna cum uxore recessit. Africana provincia per Bonifacium comitem Wandalis tradita, à Romano jure subtracta est, quia Bonifacius, dum in offensam Valentiniani venisset, malo publico se defendere voluit, invitatoque ab

Joannes Imperium Occidentale invadit. Valentinianus Imperator. U. C. 1177. p. C. N. 425. Valentinianus Eudoxiam uxorem ducit. Bonifacius Africam Wandalis tradit.

(*c*) al. Arbazacus. (*d*) al. Marinus.

(11) Placidiam) Gallam scilicet Placidiam. Cujus vultum vide Tab. XLIV. num. 5. ex numulo argenteo numophylacii nostri.

ab Hiſpaniis Gizerico Wandalorum rege, dolum quem conceperat, peperit.

Attila provincias Romanas populatur.

Hunnorum rex Attila, junctis ſecum Gepidis cum Ardarico, Gothisque & Walanis, diverſisque aliis nationibus, ſuis cum regibus, omnem Illyricum Thraciamque, & utramque Daciam, Mœſiam, & Scythiam populatus eſt, contra quem egreſſus Arnegiſtius magiſter militum Mœſiæ, apud Marcianopolim fortiter dimicavit: eo quoque ſub ſe decidente præventus eſt, & nec ſic quieſcens bellare, occiſus eſt.

Marcianus Imperator Orientis. U. C. 1202. p. C. N. 450.

CAP. LXXX. Marcianus Imperator regnavit annos ſex, menſes ſex. Hic enim mox defuncto Theodoſio in regno aſcitus, Pulcheriam germanam Theodoſii, quæ in palatio matura mulier virginitatem ſervaverat, in matrimonio adſumens, regnum, quod delicati deceſſores prædeceſſoresque ejus, per annos fere ſexaginta viciſſim imperantes, minuerant, divina proviſione ſic reparavit, ut exultatio ingens cunctis accreſceret.

Ejus res geſtæ.

Nam cum Parthis & Wandalis omnia infeſtantibus pacem inſtituit, Attilæ minas compeſcuit, Novandes (*e*) Blemmyeſque Æthiopia prolapſos, per Florum Alexandrinæ urbis procuratorem ſedavit, & pepulit à finibus Romanorum, obitumque Attilæ, & Zenonis Iſauri interitum, antequam moreretur, felix comperit, infelicium omniumque inimicorum ſuorum colla Domini virtute calcans, ſexto anno, ſextoque menſe regnans, in pace quievit.

Valentinianus occiditur.

Valentinianus autem Occidentalis Imperator, dolo Maximi patritii, cujus etiam fraude Aëtius perierat, in campo Martio, per Obtilam & Tranſſiſtilam Aëtii ſatellites, jam percuſſo Cerealio (*f*) ſpadone, truncatus eſt.

Maximus perimitur. U. C. 1207. p. C. N. 455.

Imperium quoque ejuſdem Maximus invaſit, tertioque tyrannidis ſuæ menſe membratim Romæ à Romanis diſcerptus eſt.

Gizericus Romam occupat.

Gizericus tunc rex Wandalorum ab Eudoxia Valentiniani uxore invitatus, ex Africa Romam ingreſſus eſt, eaque urbe rebus omnibus exſpoliata, eandem Eudoxiam cum duabus filiabus ſecum in Africam reduxit. (*g*)

Leo Imperator Orientis. U. C. 1209. p. C. N. 457.

CAP. LXXXI. Leo Beſſica ortus progenie, Aſparis patritii potentia ex tribuno militum factus eſt Imperator.

Majorianus Imperator Occidentis. U. C. 1209. p. C. N. 457. Severianus Imperator Occidentis. U. C. 1213. p. C. N. 461.

Cujus nutu mox Valentiniani apud Ravennam Majorianus Cæſar eſt ordinatus, qui tertio necdum anno expleto in regno, apud Derthonam occiditur, locumque ejus ſine principis juſſu Leonis, Severianus invaſit, ſed & ipſe, tyrannidis ſuæ tertio anno expleto, Romæ occubuit.

Anthemius Imperator Occidentis. U. C. 1219. p. C. N. 467.

CAP. LXXXII. Tunc Leo Anthemium, divi Marciani generum, ex patritio Cæſarem ordinans, Romæ in Imperio deſtinavit, Bilgelemque Getarum regem, per Ardaburem Aſparis filium interemit, Baſiliſcum cognatum ſuum, id eſt, fratrem Auguſtæ Verinæ, in Africam dirigens cum exercitu, qui navali prælio Carthaginem ſæpe aggrediens, ante eam, victus cupiditate, pecuniis vendidit regi Wandalorum, quam in Romanorum poteſtatem redegerat. Aſparem autem patritium, cum filiis Ardabure & Patritiolo, Zenonis generi ſui inſtinctu, in palatio trucidavit, occiſoque Romæ Anthemio,

Nepos Imperator Occidentis.

Nepotem filium Nepotiani, copulata nepte ſua in matrimonio, apud Ravennam per Domitianum clientem ſuum Cæſarem ordinavit.

U. C. 1226. p. C. N. 474.

Qui Nepos regno potitus legitimo, Clycerium, qui ſibi tyrannico more regnum impoſuiſſet, ab Imperio expellens, in Salona Dalmatiæ Epiſcopum fecit.

Glycerius ex tyranno Epiſcopus.

Leo Junior Imperator Occidentis. U. C. 1226. p. C. N. 474.

CAP. LXXXIII. Sic quoque Leo Leonem Juniorem, ex Ariadne filia nepotem ſuum in Imperio ordinans Orientali, anno ſui ſexto decimo obiit. Leo junior, mox paucis menſibus, quum puerile, ordinanter tamen, rexiſſet Imperium, manu ſua genitorem ſuum Zenonem coronans, Imperatoremque conſtituens, rebus exceſſit humanis.

Zenon Imperator Orientis. U. C. 1226. p. C. N. 474.

CAP. LXXXIV. Zenon, natione Iſaurus, gener Leonis Imperatoris, regnavit annis decem & ſeptem.

Tyranni Orientales Baſiliſcus

Hic etenim dum proceſſibus Chalcedone degeret, ſubito Verina Auguſta ſocrus ſua, fratrem Baſiliſcum in Imperium inducens, Auguſtum in Urbe appellavit. Quod comperiens Zenon, Chalcedone ſine aliqua Reipublicæ læſione in Iſauriam receſſit, malens ſe ſolum, cum Ariadne Auguſta exulare, quam ſua cauſa Reipublicæ aliquid ex bellis civilibus incommodum provenire. Quod Baſiliſcus cognoſcens, Zenoniſque fuga lætatus, Marcum filium ſuum Cæſarem ordinavit.

Et Marcus intereunt.

Qui perfidia Neſtoriana inflatus, multa contra Eccleſiam tentavit protinus agere, ſed volente Deo ante inflatus crepuit medius, quam pœnitens ſtare potuerat. Nam revertens Zenon rurſus in regnum proprium, & eum, & patrem, & matrem, in exilium oppidi Slemnii provinciæ Cappadociæ deſtinavit, ubi, quia charitas Dei & proximi in illis refrixerat, frigore conſumpti ſunt, vitamque cum regno amiſerunt.

Auguſtulus Imperator Occidentis. U. C. 1227. p. C. N. 475. Odoacer Italiæ imperat.

PAP. LXXXV. Parte vero Heſperiæ, Nepote Imperatore Oreſtes fugato, Auguſtulum ſuum filium in Imperium collocavit. Sed mox, Odovacer, genere Rugus, Thurcilingorum, Scirorum, Herulorumque turbis munitus, Italiam invaſit, Auguſtulumque Imperatorem de regno evulſum, in Lucullano Campaniæ caſtello exilii pœna damnavit.

Finis Imperii Romani Occidentalis cum Auguſtulo. U. C. 1229. p. C. N. 477.

Sic quoque Heſperium regnum Romanique Populi principatum, quod ſeptingenteſimo nono Urbis conditæ anno, primus Auguſtorum, Octavianus Auguſtus tenere cœpit, cum hoc Auguſtulo periit, anno deceſſorum regni Imperatorum quingenteſimo vigeſimo ſecundo, Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus.

Theodericus Italiæ Imperat.

CAP. LXXXVI. Theodericus autem, Triarii filius, cognomento Strabo, rex Gothorum, à Sciris ſuis uſque ad Apulum quarto Urbis milliario armatus advenit, nulli tamen Romanorum noxius, continuo eſt reverſus. Porro in Illyricum properans, dum inter ſuorum moventia plauſtra progreditur, jacentis ſuper carpentum teli acumine, pavitantiſque equi ſui impulſione fixus, transverberatus interiit, & Reipublicæ diem feſtum morte ſua donavit.

Theodemir Rex Gothorum in Italia.

Walamero rege Gothorum in bello Scirorum defuncto, Theodemir in regno fratris ſucceſſit, cum Widimero fratre & filio Theoderico, ſed miſſa ſorte, Widimero partes Heſperiæ, Theodemiro cum filio Theoderico Illyricum obvenit. Relicta ergo Pannonia, alter Italiam,

(*e*) al. Nobades. (*f*) al. Cere alio. (*g*) al. in Africam rediens duxit.

am, alter Illyricum ſuſcepit populandum. Sed utrique reges, mox ubi ſortita loca ingreſſi ſunt, illico rebus humanis excedunt. Widimer Italia, Illyrico Theodemir relictis filiis deceſſerunt. Quorum Widimer ab Italicis præmiis victus, ad partes Galliæ Hiſpaniæque, omiſſa Italia, tendit: Theodericus vero, Zenonis Auguſti pellectus humanitate, Conſtantinopolim venit. Ubi magiſter militum ſtatim effectus, Conſulis ordinarii triumphum ex publico dono peregit.

CAP. LXXXVII. Sed quia tunc (ut diximus) Odoacer regnum Italiæ occupaſſet, Zenon Imperator cernens jam gentes illam patriam poſſidere, maluit Theoderico, ac ſi proprio jam clienti, eam committi, quam illi, quem nec noverat, ſecumque ita deliberans, ad partes eum Italiæ mittens, Romanum illi Populum Senatumque commendat, ovanſque Rex gentium, & Conſul Romanus Theodericus, Italiam petit, magniſque præliis Odoacrum vicit, & Ravennam in deditione ſuſcepit. Deinde vero, ac ſi ſuſpectum, Ravennæ in palatio jugulans, regnum gentis ſuæ, & Romani Populi principatum prudenter & pacifice per XXX. continuit annos. Ilus autem Iſaurus, magiſter officiorum, & Zenoni Imperatori in privata vita amiciſſimus, charitateque conjunctus, dum ſecreto, in detractionem Ariadnes Auguſtæ, cum ejus viro loquutus eſt, in zelo Auguſtum concitavit. Qui deliberans eam perimere, uni ſuorum rem tacite demandavit. Quod dum ille agere nititur, cuidam cubiculariæ prodit ſcelus eadem nocte facturum. Regina ſcelus cognovit, ſuoque in lectulo eadem, quæ rem ſuggeſſerat, collocata, in Epiſcopium ad Acacium nemine ſciente ſubterfugit. Poſtera die Zenon, rem æſtimans perpetratam, dum luctum quendam quaſi mœrens ſimulat, neminem ſuſcepit, Acacius Epiſcopus ingreſſus, & facti arguit impietatem, veniæque fidem expoſcit, Auguſtamque ſuſpicionis innoxiam compromittit, acceptaque fide, veniæ pactione Auguſta revertitur, ſecumque dum crebro deliberat, qua ſorte de inimico exigat ultionem, nacta (ut opinata eſt) opportunitatem, uni ſuorum mandat in abditis ſtanti, ut illum à ſe recedentem perimeret. Qui parens præceptis reginæ, dum avidus ferit in capite, enſe non cervicem, ut cupiebat, ſed aurem illius amputavit. Quod periculum evadens Ilus, mox ad Urbem recedens, Zenonique infeſtus, Orientem invaſit. Contra quem Leontius directus, pellicibus verbis illectus, diadema arripuit, ſimulque Leontius & Ilus Reipublicæ inimici effecti, tyranni, in partes Syriæ & Iſauriæ debacchabantur, additoque ſuper ſolito Iſauris dono, omnes ſimul conſpirant contra Zenonem, cujus theſauris in Papyrio caſtello munitiſſimo repertis, deſæviunt. Sed non poſt multum ab exercitu Zenonis in eodem caſtello capti decollatique ſunt, & capita eorum Conſtantinopolim allata, præfixaque haſtilibus ſtatuerunt. Sic quoque Zenon, ſuperatis inimicis ſuis, in pace bona quievit.

Odoacer à Theoderico vincitur. U.C. 1245.p. C.N. 493.

Zelus inter Zenonem Imperatorem & Ariadnen Auguſtam.

Ilus pœnas dat.

Anaſtaſius Imperator Orientis.

CAP. LXXXIX. Anastasius, ex Silentiario ſubito ab Ariadne Auguſta in Imperio aſſumptus, ſimulque Imperator & maritus innotuit, regnavitque annis viginti ſeptem, menſibus duobus. Contra quem Iſauri, dum ſibi quod Ilus tyrannus ille adjecerat donativum, & Zenon reconciliationis gratia invitus largitus eſt, ab iſto fraudantur, arma arripiunt, conſertoque prælio, juxta Cotzianum Phrygiæ civitatem caſtrametati, pæne per ſex continuos annos Reipublicæ adverſantur, ubi & Lilingis, eorum & in bello & in conſilio prævius, quamvis pedibus ob corporis debilitatem ſegnis, eques tamen in bello acerrimus, dum peremptus fuiſſet, omnes Iſauri fugerunt, atque diſperſi ſunt & devicti, & per quaquam exilio ablegati, urbeſque eorum nonnullæ ſolo uſque proſtratæ. Variis namque ſub Anaſtaſio miles præliis fatigatus, & nunc in Illyrico cum Sabiniano & Mundone ad Margum, nunc cum Pompejo ad Adrianopolim, nunc cum Ariſto ad Zoriam, (*b*) nunc cum Parthis in Syria: ut omittam inteſtinas clades & pugnas in foro regiæ civitatis: ad poſtremum contra Italiam plus piratico, quam publico Marte concertans, fruſtratus eſt. Sed, quod ſit plus dolendum, contra ultimum ſuum famulum Vitalianum de Scythia per ſex annos civile bellum exſtruxit. Is ſiquidem Vitalianus, cum LX. millibus armatorum, tertio pæne milliario, non reipublicæ, ſed regi infeſtus, accedens, multa ſuburbana regiæ Urbis prædis ſpoliiſque attrivit. Contra quem dum Hypatius nepos Cæſaris, cum exercitu numeroſo pugnaturus egreditur, ante ab Hunnis auxiliaribus capitur, & Vitaliano turpiter venditur, antequam aperto prælio parte adverſa ſeſe inimicus oſtenderet. Poſt quem iterum ſuus gubernator magiſterque militum, ſæpe ſuperati, ſæpe irriſi ab eo & ſpreti ſunt. Sic quoque diverſis partibus inimicorum vallatus agminibus Anaſtaſius, ſæpe congemuit, nulliuſque tamen meruit inimicorum ſuorum vindictam audire, ſicut nec ipſe Eccleſiæ jura ſervavit, imo mœrens & furens, major octogenario ætatis anno, regnique viceſimo & octavo, rebus exceſſit humanis, contritaque Reſpublica vix Juſtino ei ſuccedente aliquantulum reſpiravit.

U.C. 1243.p. C.N. 491.

Bellum cum Iſauris.

Cum Vitaliano.

Anaſtaſius Eccleſiæ jura non ſervat.

CAP. XC. Justinus, ex comite excubitorum à Senatu Imperator electus, annos regnavit IX. Qui mox inhiantes regno ſuo Amantium præpoſitum palatii, Andream & Miſaëlem & Ardaburem cubicularios, ſentiens, afflixit. Nam Amantium & Andream ferro truncavit, Miſaëlem & Ardaburem Perdicam in exilium miſit, Theocritum quoque ſatellitem Amantii, quem idem quoque Amantius ad regnandum clam præparaverat, comprehenſum carceratumque, ſaxis contiſque ingentibus cæſum, ſalſum in gurgitem jecit, ſepultum tamen, imperio, cui inhiaverat, eum privans, fœduſque cum Vitaliano percuſſit, & ad ſe evocatum, magiſtrum militum præſentem, & Conſulem ordinarium fecit, rem rurſus in ſuſpicione habens prioris facti, ſedecim vulneribus in palatio cum Celeriano & Paulo ſatellitibus confoſſum perimit. Hic quoque Imperator, ante quartum menſem obitus ſui, ſenectuti

Juſtinus Imperator. U.C. 1270.p C.N. 518.

Tyrannos punit.

(*b*) al. Zortam.

nectuti suæ consulens, & Reipublicæ utilitatibus, Justinianum ex sorore sua nepotem, consortem regni successoremque Imperii ordinans rebus humanis excessit.

Justinianus Imperator Orientis. U. C. 1279. p. C. N. 527.

CAP. XCI. Justinianus regnat jam jubente Domino annos XXIV. qui ut sceptris genioque ab avunculo suo mancipatus est, mox Parthos bella moventes destinato exercitu compescuit, & fines proprios tutans, Parthorum sæpe multos occidit. Postea vero, facientibus peccatis, in die Sabbathi Sancti Paschæ inito certamine, exercitus & non ducis instinctu, in fluvio Euphrate fugiens Parthos, Romanus numerosus ruit exercitus; Illyricumque sæpe ab Herulis, Gepidisque & Bulgaris devastatum, (*i*) per suos judices frequenter obstitit vi, subterque cecidit. Post hæc Hypatium Pompejumque regni sui insidiatores, coadunata manu civili circum ingressos, & Hypatium torque aureo redimitum pro diademate, locaque Imperatoris jam occupantem, Pompejum vero sub chlamyde loricatum, & jam palatium invadentem, utrumque detentum, ante fores palatii captum catenatumque discussit, amputatisque eorum capitibus, ante eos fecit Imperium perdere quam haberent, sociisque eorum, qui evaserant hac cæde, proscriptis, veluti grandi hoste prostrato de manubiis triumphavit. Eodemque anno, post diuturnum immanemque belli laborem, quod contra Parthos Romanorum fuisset gestum sudoribus, per Rufinum patritium, perque Hermogenem magistrum officiorum, & utrumque legatum directum ad principem, pax depacta est, fœdusque initum, & munera ab utroque principe sibi invicem destinata. Mox quoque soluto de orientali parte exercitu, eundem ductorem, quem dudum orienti transmiserat, elegit Belisarium, & numerosos fortissimosque milites deputans, ad australem plagam contra Wandalos mittit; qui, favente Deo, qua venerat facilitate, ea celeritate Wandalos superavit, Libyamque ad corpus totius Reipublicæ jungens, Gelimerem regem, opesque Carthaginis, in Urbe regia principi spectante populo obtulit. Cujus nutu remuneratus, Consulque ordinarius mox designatus, de manubiis Wandalicis Belisarius triumphavit.

Tyrannos vincit & punit.

Parthis dat pacem.

Per Belisarium Wandalos vincit.

Athalaricus Rex Gothorum in Italia. U. C. 1258. p. C. N. 506.

CAP. XCII. In Italia vero, Theoderico rege defuncto, Athalaricus nepos ejus, ipso ordinante, successit, & annos octo, quamvis pueriliter vivens, matre tamen regnante Amalasuentha degebat: quando & Gallias diu tentatas, (*k*) Francis repetentibus reddidit. Mortuoque Athalarico, mater sua, Theodahatum consobrinum suum, regni sui participem faciens, non post multum ipso jubente occisa est. Et quia dudum se suumque filium commendaverat principi Justiniano, is mortem ejus audiens doluit, nec passus est inultam transire, sed mox eundem ducem belli, qui Pœnorum domitor fuit, & de opibus Wandalicis triumphans adhuc in fascibus erat, agmini diversarum præponens nationum, ad partes Hesperias destinavit. Qui primo accessu mox Siciliam pervadit, duce ejus Sinderich superato. Ubi dum aliquantum temporis ob ordinandam patriam resideret, comperit in Africa civilia bella, intestinaque prælia debacchari. Nam Stozas, pæne ultimus militum, & Martini clientulus magistri militum, tyrannidem arripiens, auctorque seditiosorum effectus, Cyrillo, Marcello, Fara, aliisque diversis judicibus dolo peremptis, in ducem Salomonem sæviebat, totamque Africam tyrannico ritu vastabat. Emenso ergo Belisarius à Sicilia in Africam pelago, solita felicitate rebelles fugat, provinciam liberat, Salomonemque rursum Carthagine collocans, Siciliam redit. Ubi mox Eurimund, Theodahati Gothorum regis gener, qui contrarius cum exercitu venerat, cernens prosperitatem Consulis, ultro se dedit ad partes victoris, oravitque ut jam anhelanti suo adventu suspectæ subveniret Italiæ. Constructo ergo Belisarius exercitu, & tam navalia quam equestria ductans agmina, vallavit Neapolim, paucisque diebus eam obsidens, per aquæ ductum noctu invasit, & tam Gothis, qui aderant, quam Romanis bellantibus interfectis, Urbem plenissime spoliavit. Quod Theodahatus animadvertens, Witigem unum inter alios ductorem exercitus præponens, contra Belisarium dirigit. Qui Campaniam ingressus, mox ubi ad campos venisset barbaricos, illico exercitus favorem, quem contra Theodahatum suspectum habebat, Rex cepit. Et, *quid*, inquit, *vultis?* At illi, *Tollatur*, inquiunt, *de medio, qui cum sanguine Gothorum & interitu sua cupit scelera excusari*, factoque impetu in eum, consona voce Witigem regem denuntiant:

Theodahatus Rex Gothorum in Italia. U.C. 1268. p. C. N. 516.

Belisarius Gothos bello aggreditur.

Quos in Sicilia & Africa vincit.

Witiges Rex Gothorum. U. C. 1271. p. C. N. 519.

CAP. XCIII. At ille regno levatus, quod ipse optaverat, mox Populi voto consentit, directisque sociis, Theodahatum Ravennam revertentem extinguit, regnumque suum confirmans, expeditionem solvit, & privata conjuge repudiata, regiam puellam Mathesuentam Theoderici regis neptem, sibi plus vi copulat quam amore. Dumque ille novis nuptiis delectatur Ravennæ, Consul Belisarius Romanam Urbem ingressus est, exceptusque ab illo Populo quondam Romano & Senatu, jam pæne ipso nomine cum virtute sepulto, confestim vicina occupat loca, Urbium oppidorumque munimina. Primaque Græca congressione, Hunila ductante, Perusinum ad oppidum superat, & plusquam VII. millibus trucidatis, reliquos Ravennam usque proturbat. Secundam vero, cum ipso Witige Romanas arces vallante congreditur, machinasque illius, & turres, quibus Urbem adire tentabat, igni consumptas, per anni spatium, quamvis inædia laborans, deludit. Post hæc ad Ariminum persequutus, exindeque effugatum, Ravenna clausum in deditionem suscepit, atque unus Consul, qui contra Getas dimicat, pæne pari eventu de Francis, qui cum Theodeberto rege suo plus ducenta millia advenerant, triumphavit. Sed quia ad alia occupatus alibi noluit implicari, rogantibus Francis pacem concessit, & sine suorum dispendio, de finibus Italicis expulit, sumptoque Rege & Regina, simulque & opibus palatii, ad principem qui eum miserat, reportavit. Sicque intra pauci temporis

Belisarius Romam ingreditur.

Et Gothos in Italia vincit.

(*i*) al. devastantibus. (*k*) al. tentas.

temporis ſpatium Juſtinianus Imperator per fideliſſimum Conſulem duo regna duaſque Reſpublicas ſuæ ditioni ſubegit.

Parthi.

CAP. XCIII. Quod Parthus comperiens, facibuſque invidiæ exardens, in Syriam movit procinctum, & Callinicum Cæſareamque devaſtans, Antiochiam venit, ubi Germanus patritius cum Juſtino filio ſuo, eodemque Conſule, poſtquam ab Africana provincia remeaſſet, dum adventui Parthorum obviare nequit, relicta urbe ad partes ſeceſſit Ciliciæ. Perſæ vero, vacuam ab exercitu Antiochiam nacti populum quidem per Orontis alveum ad Seleuciam maritimam cum militibus mixtis fugientem aſpiciunt, nec ſequuntur; ſed prædas per urbem certatim diripiunt, vicinaſque urbes, & oppida, partim invaſa, partim pecuniæ quantitate multata, prætereunt, & totius Cœleſyriæ bona ſibi unius in anni ſpatium pæne Parthus aſſumſit. Nec ſic quoque recedit, ſed jugiter adverſus Rempublicam Romanam dimicat. Contra quem Wandalicus & Geticus Conſul ſolite deſtinatur, qui, etſi non, ut reliquas gentes eum edomuit, tamen ut intra ſuos ſe fines recolligeret, compulit: fuiſſetque de hac gente felici duci parta victoria, ni clades in Italia, quæ poſt ejus diſceſſum emerſerat, celerem ei ſucceſſorem dediſſet Martinum. Qui, etſi viribus impar, conſilio tamen quamvis cum Conſtantiano conjuncto non minor, dum reſiſtere contra Parthos non prævalet, ne bella diu teneret, pacem effecit. Cladem vero, quam diximus in Heſperia plaga, ut liquidius lector cognoſcat, apertius memorabo.

Et Perſæ infeſtant Romanas provincias.

Apertius enumerantur geſta in Italia cum Gothis.

CAP. XCIV. Egrediente Beliſario Conſule ab Italia, & (ut diximus) Rege & Regina, opibuſque palatii ad principem reportante, Gothi, qui trans Padum in Liguria conſiſtebant, recrudeſcentes animo, ad bella conſurgunt, & ordinato ſibi regulo Hildebaldo milite, exiſtunt adverſi. Contra quos dum non unius, ſed diverſorum tentantur apparatus, illi fortiores effecti perſiſtunt, annique ſpatio vix emenſo, Hildebaldus interficitur, & loco ejus ſuccedit Erraríus, qui & ipſe vix anno expleto peremptus eſt, & in regno, malo Italiæ, Badiula juvenis nepos aſciſcitur Hildebaldi, qui mox & ſine mora Faventino in oppido Æmiliæ ſolo, prælio commiſſo, Romanum ſuperavit exercitum: nec diu poſt hæc item per ſuos ad cancellos annonariæ Tuſciæ feliciter dimicans, fugat exercitum, judices partim donis, partim blandiciis ſibi conſociat, totamque Italiam cum ipſa Roma pervadit, omniumque urbium munimenta deſtruens, cunctos Senatores nudatos, demolita Roma, Campaniæ terra tranſmutat. Contra quem, ut ſuperius diximus, Beliſarius de Oriente digreditur cum paucis, ratus omnem exercitum, quem dimiſerat, integrum reperire; & ideo, poſtquam Ravennam ingreſſus eſt, nec cum quibus ei obviaret, invenit, remenſo Adriatico mari, Epirum revertitur, ubi Joannes & Valerianus conjuncti, dum in conciones & jurgia concertant, Totila cum Badiula hoſtile opus in Italia peragit. Beliſarius quoque impatiens tantæ crudelitatis, navalem claſſem à Sicilia ſolvens, per Thyrrheni maris æſtum, Romani in portus ſe recipit ſtationem; egreſſuſque ad Urbem, quam vi deſtructam & deſolatam attendit, hortanſque ſocios ad reparationem tantæ Urbis accingitur: ubi nec dum vallo circumſeptus, infeſtum experitur Totilam; ſed ſolitis victoriis intrepitus, quamvis cum paucis contra eum egreſſus, ſic effugavit, ut plures fugientes Tiberi demergerentur, quam gladio caderent. Indeque hortatus exercitum, regreditur Siciliam, quatenus & Romæ faceret copiam annonæ, & vicinus ad fretum, Totilam turbaret in Campania commorantem. Sed, ut aſſolet, rerum immutatione, & principum voluntate diverſa, quieſcente in Domino Theodora Auguſta, evocatur ad Urbem Beliſarius de Sicilia.

Totila Rex Gothorum.

CAP. XCV. Poſt cujus diſceſſum Totila ſecurus, iterata rabie, & furentibus Iſauris, invadit Romam, & ſic ſumptis undique viribus, militarique vallatus auxilio, ingreditur, cepitque Siciliam. Contra quem Germanus patritius, dum exire diſponit cum exercitu, Matheſuentam Theoderici regis neptem, & Witigi mortuo derelictam, tradente ſibi principe in matrimonio ſumptam, in Sardicenſi civitate extremum halitum fudit, relinquens uxorem gravidam: quæ poſt ejus obitum, poſtumum edidit filium, vocavitque Germanum. Qua felicitate ſibi Totila comperta, totam pæne inſultans Romanis devaſtat Italiam.

Devaſtat Italiam.

Motus in Africa.

CAP. XCVI. In Africa vero, à Mauris dudum perempto Salomone, Stozas & Joannes invicem ſingulari certamine corruunt: aliuſque Joannes, qui Stozas junior dicebatur, ſuſcepta tyrannide, Guntharim magiſtrum militum ſecum eſſe ſuadet. Qui, interficiens Ariobindam, jugalem ejus, neptem Imperatoris, ſibi cupiens ſociare, prævenitur ab Artabane, qui eo in convivio trucidato, neptem Imperatoris ereptam, ad Urbem principi dirigit cum honore, ſimulque ferreis vinculis colligatum ei tyrannum deſtinavit Joannem, qui Stoza perempto, in eadem ſucceſſerat tyrannide, quem in Urbem diſcuſſum, manibuſque truncatis, ad exemplum ceterorum in patibulo fixit.

CAP. XCVII. Joanni dehinc patritio, cognomine Troglitæ, Africæ procuratione commiſſa, Artabanus evocatus, magiſtri militum præſentis accepit dignitatem. Nec diu intercedente, in ipſum principem manus injicere geſtiens, detectus & comprobatus, pietate tamen principali impunitus permanſit, &, quaſi benevolus, cum gratulatione in Siciliam cum Liberio patritio properavit. Joannes vero in Africana provincia feliciter degens, Mauris partis adverſæ per pacificos Mauros ſuperatis, una die decem & ſeptem præfectos extinxit, pacemque totius Africæ juvante Domino impetravit.


Longobardi.

CAP. XCVIII. Longobardorum gens, ſocia Romani regni principibus, & Theodahati ſororis filiam, dante ſibi imperatore, in matrimonio jungens regni ſuo, contra æmulos Romanorum Gepidas, uni die pugna commiſſa, eorum pæne caſtra pervaſit, cecideruntque ex utraque parte amplius quadraginta millia,

lia, nec par (ut ferunt) audita est in nostris temporibus à diebus Attilæ, in illis locis, præter illam, quæ antehac contigerat sub Calluce Magmilide cum Gepidis, aut certe Mundionis cum Gothis, in quibus ambobus auctores belli pariter corruerunt.

Conclusio Operis.


CAP. XCIX. Hæ sunt causæ Romanæ Reipublicæ, præter instantiam quotidianam Bulgarorum, Antarum & Sclavinorum. Quæ si quis scire cupit, annales Consulumque seriem revolvat sine fastidio, reperietque dignam nostri temporis Reipublicæ tragœdiam, scietque, unde orta, quomodo aucta, qualiterve sibi cunctas terras subdiderit, & quomodo iterum eas ab ignavis rectoribus amiserit. Quod & nos pro captu ingenii breviter tetigimus, quatenus diligens lector latius ista legendo cognoscat.



HI-

HISTORIÆ AUGUSTÆ SCRIPTORES SEX

ÆLIUS SPARTIANUS.
JULIUS CAPITOLINUS.
ÆLIUS LAMPRIDIUS.
VULCATIUS GALLICANUS.
TREBELLIUS POLLIO.
FLAVIUS VOPISCUS.



ÆLII SPARTIANI HADRIANUS IMPERATOR. AD DIOCLETIANUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Hadriani origo.



ORigo Imperatoris Hadriani vetustior à Picentibus, posterior ab Hispaniensibus manat: siquidem Hadria ortos majores suos, apud Italicam, Scipionum temporibus, resedisse, in libris vitæ suæ Hadrianus ipse commemorat. Hadriano pater Ælius Hadrianus cognomento Afer, fuit, consobrinus Trajani Imperatoris; mater, Domitia Paulina, Gadibus orta; soror, Paulina nupta Serviano; (1) uxor Sabina; atavus, Maryllinus; qui primus in sua familia senator Populi Romani fuit. Natus est Romæ, IX. Cal. Febr. Vespasiano septies & Tito quinquies Consulibus. Ac decimo ætatis anno patre orbatus, Ulpium Trajanum prætorium tunc, consobrinum suum, qui postea Imperium tenuit, & Celium Attianum equitem Romanum, tutores habuit.

Studia.

Imbutusque impensius Græcis studiis, ingenio ejus sic ad ea declinante, ut à nonnullis *Græculus* diceretur.

Officia publica.

CAP. II. Quintodecimo anno ad patriam rediit: ac statim militiam iniit; venandi usque ad reprehensionem studiosus. Quare à Trajano abductus à Patria, (2) & pro filio habitus: nec multo post decemvir litibus judicandis datus; atque inde tribunus secundæ adjutricis legionis creatus: post hæc in inferiorem Mœsiam translatus; extremis jam Domitiani temporibus. Ibi à mathematico quodam, de futuro Imperio id dicitur comperisse, quod à patruo magno, Ælio Hadriano, peritiam cœlestium callente, prædictum esse compererat. Trajano à Nerva adoptato, ad gratulationem exercitus missus, in Germaniam superiorem translatus est: ex qua festinans ad Trajanum, ut primus nuntiaret excessum Nervæ, à Serviano, sororis viro (qui & sumptibus & ære alieno ejus prodito: Trajani odium in eum movit) diu detentus, fractoque consulte vehiculo tardatus, pedibus iter faciens, ejusdem Serviani beneficiarum ante venit: (a) fuitque in amore Trajani: nec tamen ei per pædagogos puerorum quos Trajanus impensius diligebat. Gallo favente defuit. (b)

Hadrianus à Trajano pro filio habetur.

Ei prædicitur Imperatoria dignitas.

Quo quidem tempore, quum sollicitus de Imperatoris

(a) al. ejusdem Serviani beneficio ad Trajanum ante venit. (b) al. diligebat, delato offensa defuit. al. malefaventia defuit.

(1) Uxor Sabina) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 185. vide Tab. XLIII. num. 6.
(2) Pro filio habitus) Ob quod beneficium Hadrianus in testimonium gratitudinis in numo Tab. XLIV. num. 1. expressit Trajanum & Plotinam, cum Inscriptione: DIVIS PARENTIBUS. Conf. HEMELARIUS Impp. Roman. Numismata aurea Tab. XVIII. num. 7. pag. 53.

ris erga ſe judicio, Virgilianas ſortes conſuleret:

Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ.
Sacra ferens? noſco crines incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus Urbem
Fundavit, Curibus parvis & paupere terra
Miſſus in Imperium magnum, cui deinde ſubibit,

ſors excidit: quam alii ex Sybillinis verſibus ei proveniſſe dixerunt. Habuit autem præſumptionem Imperii mox futuri, ex fano quoque Nicephori Jovis manante reſponſo, quod Apollonius Syrus Platonicus libris ſuis indidit. Denique ſtatim, ſuffragante Sura, ad amicitiam Trajani pleniorem rediit; nepte per ſororem Trajani uxore accepta; favente Plotina, Trajano leviter (ut Marius Maximus dicit) volente.

Quæſtor.

CAP. III. Quæſturam geſſit Trajano quater & Articuleio Conſulibus: in qua, cum, orationem Imperatoris in Senatu agreſtius pronuntians, riſus eſſet; uſque ad ſummam peritiam & facundiam Latinis operam dedit. Poſt quæſturam acta Senatus curavit; atque ad bellum Dacicum Trajanum familiarius proſequutus eſt: quando quidem & *indulſiſſe vino ſe* dicit, *Trajani moribus obſequentem: atque ob hoc ſe à Trajano locupletiſſime muneratum.*

Tribunus plebis.

Tribunus plebis factus eſt Candido & Quadrato iterum conſulibus. In quo magiſtratu, ad perpetuam tribunitiam poteſtatem omen ſibi factum aſſerit, quod pænulas amiſerit, quibus uti tribuni plebis pluviæ tempore ſolebant, Imperatores autem nunquam. Unde hodieque Imperatores ſine pænulis à togatis videntur. Secunda expeditione Dacica Trajanus eum primæ legioni Minerviæ præpoſuit, ſecumque duxit: quando quidem multa egregia ejus facta claruerunt. Quare adamante gemma, quam Trajanus à Nerva acceperat, donatus, ad ſpem ſucceſſionis erectus eſt.

Prætor.

Prætor factus eſt ſub Surano bis, Serviano iterum conſulibus; quum ſeſtertiûm vicies ad ludos edendos à Trajano accepit. Legatus poſtea prætorius in Pannoniam inferiorem miſſus, Sarmatas compreſſit, diſciplinam militarem tenuit, procuratores latius evagantes coërcuit: ob hoc conſul eſt factus.

Conſul I. U. C. 866. p. C. N. 114.

In quo magiſtratu, ut à Sura comperit adoptandum ſe à Trajano eſſe, ab amicis Trajani contemni deſiit ac negligi. Et defuncto quidem Sura, Trajani ei familiaritas crevit, cauſa præcipue orationum, quas pro Imperatore dictaverat.

Plotinæ favor erga Hadrianum.

CAP. IV. Uſus (3) Plotinæ quoque favore: cujus ſtudio etiam legatus, expeditionis Parthicæ tempore, deſtinatus eſt. Qua quidem tempeſtate utebatur Hadrianus amicitia Soſii Pappi, & Plætorii Nepotis, ex ſenatorio ordine: ex equeſtri autem, Attiani tutoris quondam ſui, & Liviani Turbonis. In adotionis ſp onſionem venit Palma & Celſo, inimicis ſemper ſuis, & quos poſtea ipſe inſequutus eſt, in ſuſpicionem affectatæ tyrannidis lapſis.

Hadrianus Conſul II. U. C. 867. p. C. N. 115.

Secundo conſul favore Plotinæ factus, totam præſumptionem adoptionis emeruit. Corrupiſſe eum Trajani libertos, curaſſe delicatos, eoſdemque ſepeliſſe, per ea tempora, quibus in aula familiarior fuit opinio multa firmavit. Quinto Iduum Auguſti die, legatus Syriæ, litteras adoptionis accepit: quando & natalem adoptionis celebrari juſſit. Tertio Iduum earundem, quando & natalem Imperii ſtatuit celebrandum, exceſſus ei Trajani nuntiatus eſt.

Trajanus moritur. U. C. 869. p. C. N. 117.

Frequens ſane opinio fuit, Trajano id animi fuiſſe, ut Neratium Priſcum, non Hadrianum, ſucceſſorem relinqueret; multis amicis in hoc conſentientibus; uſque eo, ut Priſco aliquando dixerit: *Commendo tibi provincias, ſi quid mihi fatale contigerit.* Et multi quidem dicunt, Trajanum in animo id habuiſſe, ut, exemplo Alexandri Macedonis, ſine certo ſucceſſore moreretur: multi, ad Senatum eum orationem voluiſſe mittere, petiturum, *ut, ſi quid ei eveniſſet, principem Romanæ Reipublicæ Senatus daret;* additis duntaxat nominibus, ex quibus optimum idem Senatus eligeret. Nec deſunt, qui (4) factione Plotinæ, mortuo jam Trajano, Hadrianum in adoptionem adſcitum eſſe prodiderint; ſuppoſito, qui pro Trajano feſſa voce loqueretur.

Hadrianus Imperator. U. C. 869. p. C. N. 117.

CAP. V. Adeptus Imperium, ad priſcum ſe ſtatim morem inſtituit; & tenendæ per orbem terrarum paci operam intendit. Nam deficientibus his nationibus, quas Trajanus ſubegerat, (5) Mauri laceſſebant, Sarmatæ bellum inferebant, (6) Britanni teneri ſub Romana ditione non poterant, (7) Ægyptus ſeditionibus urgebantur, Lycia denique ac Palæſtina rebelles animos efferebant.

Imperii terminos contrahit.

Quare omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, *exemplo* (ut dicebat) *Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant.*

Pſamatoſſirim Parthis regem dat.

Pſamatoſſirim, quem Trajanus Parthis regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis gentibus regem dedit.

Hadriani clementia.

Tantum autem ſtatim clementiæ ſtudium habuit, ut, cum ſub primis Imperii diebus ab Attiano per epiſtolas eſſet admonitus, ut & Bæbius Macer præfectus Urbis, ſi reniteretur ejus Imperio necaretur, & Laberius Maximus, qui, ſuſpectus Imperio, in inſula exulabat, & Frugi Craſſus; neminem læderet. Quamvis Craſſum poſtea procurator, egreſſum inſula, quaſi res novas moliretur, injuſſu ejus occiderit. Militibus ob auſpicia Imperii duplicem largitionem dedit. Luſium Quietum, ſublatis gentibus Mauris, quos regebat, quia ſuſpectus Imperio fuerat, exarmavit; Marcio Turbone, Judæis compreſſis, ad deprimendum tumultum Mauritaniæ deſtinato.

Trajani reliquias Romam mittit.

Poſt hoc Antiochia digreſſus eſt ad inſpiciendas reliquias Trajani, quas Attianas, Plotina & Matidia deferebant, quibus

(3) Uſus Plotinæ quoque favore) Plotinæ ſcilicet uxoris Trajani Imperatoris, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 164. vide Tab. XLIII. num. 7.

(4) Factione Plotinæ - - - - in adoptionem adſcitum eſſe) Eum quoque in finem Hadrianus numum Tab. XLIV. num. 2. percuſſit. Conf. OISELIUS Theſ. Numiſm. antiquorum Tab. CII. num. 3. pag. 503.


(5) Mauri laceſſebant) Qui tamen poſt Hadriano divinos offerebant honores, ut teſtatur numus Tab. XLIV. num 3. Conf. OISELIUS Tab. XXXIII. num. 1. pag. 144.

(6) Britanni teneri ſub Romana ditione non poterant) Tenuit vero illos Hadrianus, quo ſpectat numus Tab. XLIV. num. 4. Conf. BEGER Theſ. Br. T. II. p. 654.

(7) Ægyptus ſeditonibus urgebatur) Quos vero Hadrianus ſopivit. Quo pertinet numus Tab. XLIV. num. 5. Conf. BEGER. T. II. p. 654.


Tab. XLIV.
ad pag. 265. 268.
269. 277. 278.
I
SAECVLARES AVGG.
II
SAECVLARES AVGG.
S C
MARCIA OTACIL. SEVERA AVG.
III
VICTORIA GOTHICA.
IV
AEL. FLAC CILLA AVG.
SALVS REI PVBLICAE
CONA.
V
GALLIA PL ACIDIA AVG.
B
VI
DIVA AVGVSTA SABINA.
VII
PLOTINA AVG. IMP. TRAIANI

Tab XLIV.
ad pag. 277. 278. 279.



bus exceptis & navi Romam dimiſſis, ipſe Antiochiam regreſſus, præpoſitoque Syriæ Catilio Severo, per Illyricum Romam venit.

U. C. 871 p. C. N. 119. Trajano divini honores decernuntur.

CAP. VI. Trajano divinos honores, datis ad Senatum & quidem accuratiſſimis litteris, poſtulavit; & cunctis volentibus meruit: ita, ut Senatus multa, quæ Hadrianus non poſtulaverat, in honorem Trajani ſponte decerneret. Cum ad Senatum ſcriberet, veniam petiit, *quod de Imperio ſuo judicium Senatui non dediſſet; ſalutatus ſcilicet præpropere à militibus Imperator, quod eſſe reſpublica ſine Imperatore non poſſet.* Cum triumphum ei Senatus, qui Trajano debitus erat, detuliſſet, recuſavit ipſe, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit; ut optimus Imperator ne poſt mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. Patris patriæ nomen ſibi delatum ſtatim, & iterum poſtea, diſtulit: quod hoc nomen Auguſtus ſero meruiſſet. Aurum coronarium Italiæ remiſit, in provinciis minuit; & quidem difficultatibus ærarii ambitioſe ac diligenter expoſitis. Audito dein tumultu Sarmatarum & Roxolanorum, (*c*) præmiſſis exercitibus Mœſiam petiit. Marcium Turbonem, poſt Mauritaniæ præfecturam infulis ornatum, Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit. Cum rege mox Roxolanorum, (*d*) qui de imminutis ſtipendiis querebatur, cognito negotio pacem compoſuit.

Trajanus poſt mortem triumphi dignitate potitur. Hadriani modeſtia. Res geſtæ cum Sarmatis & Roxolanis. U. C. 874. p. C. N. 122.

CAP. VII. Nigrini inſidias, quas ille ſacrificanti Hadriano, conſcio ſibi Luſio & multis aliis, paraverat cum eum etiam ſucceſſorem ſibimet Hadrianus deſtinaſſet, evaſit. Quare Palma Terracinæ, Celſus Bajis, Nigrinus Faventiæ, Luſius in itinere, Senatu jubente, invito Hadriano (ut ipſe in vita ſua dicit) occiſi ſunt. Unde ſtatim Hadrianus, ad refellendam triſtiſſimam de ſe opinionem, quod occidi paſſus eſſet uno tempore quatuor conſulares Romam venit; Dacia Turboni credita, titulo Ægyptiacæ præfecturæ, quo plus haberet auctoritatis, ornato: & ad comprimendam de ſe famam, congiarium duplex præſens Populo dedit; ternis jam per ſingulos aureis ſe abſente diviſis. In Senatu quoque, excuſatis quæ facta erant, juravit *ſe nunquam Senatorem niſi ex Senatus ſententia puniturum.* Statim curſum fiſcalem inſtituit, ne magiſtratus hoc onere gravarentur. Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ fiſco debebatur, privatis debitoribus in Urbe atque Italia, in provinciis vero, etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſit; (8) ſyngraphis in foro divi Trajani, quo magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis. Damnatorum bona in fiſcum privatum redegi vetuit, omni ſumma in ærarii publico recepta. (9) Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit. Senatoribus, qui non vitio ſuo decoxerant patrimonium, pro liberorum modo, ſenatoriæ profeſſionis explevit; ita ut pleriſque in diem vitæ ſuæ dimenſum ſine dilatione reſtituerit. Ad honores explendos, non ſolum amicis, ſed etiam paſſim aliquantis, multa largitus eſt. Feminas nonnullas, ad ſuſtendandam vitam, ſumptibus juvit. Gladiatorium munus per ſex dies continuos exhibuit; & mille feras natali ſuo edidit.

Nigrini inſidiæ contra Hadrianum. U. C. 874. p. C. N. 122. Hadriani liberalitas.

CAP. VIII. Optimos quoſque de Senatu in contubernium Imperatoriæ majeſtatis adſcivit. Ludos circenſes, præter natalitios, decretos ſibi ſprevit: & in concione & in Senatu ſæpe dixit, *Ita ſe rempublicam geſturum, ut ſciret Populi rem eſſe, non propriam.* Tertio Conſules, cum ipſe ter fuiſſet, plures (*e*) fecit: infinitos autem ſecundi conſulatus honore comulavit. Ipſum autem tertium conſulatum, & quatuor menſibus tantum egit, & in eo ſæpe jus dixit. Senatui legitimo, cum in Urbe vel juxta Urbem eſſet, ſemper interfuit. Senatus faſtigium in tantum extulit, difficile faciens Senatores, ut cum Attianum ex præfecto prætorii, ornamentis conſularibus præditum, faceret Senatorem, nihil ſe amplius habere quod in eum conferri poſſet, oſtenderit. Equites Romanos, nec ſine ſe de Senatoribus, nec ſecum judicare permiſit. Erat enim tunc mos, ut, cum princeps cauſas cognoſceret, & Senatores & equites Romanos in conſilium vocaret, ſententiam ex omnium deliberatione proferret. Exſecratus eſt denique principes qui minus Senatoribus detuliſſent. Serviano, ſororis viro, cui tantum detulit, ut ei venienti de cubiculo ſemper occurrerit, tertium conſulatum, nec ſecum tamen, cum ille bis ante Hadrianum fuiſſet, ne eſſet, ſecundæ ſententiæ, non petenti, ac ſine precatione conceſſit.

Familiaris cum Senatoribus. Quos honoribus. Et auctoritate auget. Serviani conſulatus tertius.

CAP. IX. Inter hæc tamen & multas provincias à Trajano acquiſitas reliquit: & theatrum, quod ille in campo Martio poſuerat, contra omnium vota deſtruxit. Et hæc quidem eo triſtiora videbantur, quod omnia, quæ diſplicere vidiſſet Hadrianus, mandata ſibi, ut faceret, decreto Trajani eſſe ſimulabat. Cum Attiani, præfecti ſui & quondam tutoris, potentiam ferre non poſſet, niſus eſt eum ob truncare: ſed revocatus eſt, quia jam quatuor conſularium occiſorum (quorum quidem necem in Attiani conſilia refundebat) premebatur invidia. Cui cum ſucceſſorem dare non poſſet, quia non patebat, id egit, ut peteret: atque ubi primum petiit, in Turbonem tranſtulit poteſtatem: cum quidem etiam Simili, alteri præfecto, Septicium Clarum ſucceſſorem dedit. Summotis his à præfectura, quibus debebat Imperium, Campaniam petit: ejuſque omnia oppida beneficiis & largitionibus ſublevavit; optimum quemque amicitiis ſuis jungens. Romæ vero Prætorum & Conſulum officia frequentavit: conviviis amicorum interfuit: ægros bis ac ter die, & nonnullos equites

Hadrianus Attianum obtruncare nititur. Turbo præfectus. Hadriani humanitas.

(*c*) al. Alanorum. (*d*) al. Alanorum. (*e*) al. plurimos.

(8) Syngraphis - - - - incenſis) Hoc exhibet numus numophylacii noſtri Tab. XLIV. num. 6.

(9) Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum libertatis adjecit) Liberalitatem Imperatoris teſtatur numus Tab. XLIV. num. 6. Conf. BEGER. T. II. p. 658. Deinde numi Tab. XLIV. num. 7. & 8. pueros alimentarios ſiſtunt, quibus Trajanus ſpicas porrigit. Conf. OISEL. Tab. LXXV. num. 5. & 6. pag. 400. Ut hinc non immerito in numo Gazophylacii noſtri, Tab. XLV. num. 1. Locupletator Orbis Terrarum dicitur.

tes Romanos ac libertinos, visitavit, solatiis refovit, consiliis sublevavit, conviviis suis semper adhibuit. Omnia denique ad privati hominis modum fecit. Socrui suæ honores præcipuos impendit, ludis gladiatoriis cæterisque officiis.

Hadriani peregrinatio in Galliam. In Germaniam. U.C. 875. p. C. N. 123.

CAP. X. Post hæc profectus (10) in Gallias, omnes causariis (*f*) liberalitatibus sublevavit. Inde (11) in Germaniam transiit: pacisque magis quam belli cupidus, militem quasi bellum immineret, exercuit; tolerantiæ documentis eum imbuens; ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans; cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo & posca; exemplo Scipionis Æmiliani & Metelli, & auctoris sui, Trajani: multos præmiis, nonnullos honoribus donans, ut ferre possent ea quæ asperius jubebat: siquidem ipse post Cæsarem Octavianum (12) labantem disciplinam incuria superiorum principum, retinuit; ordinatis & officiis & impendiis: numquam passus aliquem à castris injuste abesse: cum tribunos non favor militum, sed justitia commendaret: exemplo etiam virtutis suæ cæteros adhortatus: cum etiam vicena millia pedibus armatus ambularet: triclinia de castris & porticus & cryptas & topia dirueret: vestem humillimam frequenter acciperet, sine auro balteum sumeret, sine gemmis fibulas stringeret, capulo vix eburneo spatham clauderet: ægros milites in hospitiis suis videret; locum castris caperet: nulli vitem, nisi robusto & bonæ famæ daret; nec tribunum nisi plena barba faceret; aut ejus ætatis, quæ prudentia & annis tribunatus robur impleret; nec pateretur quidquam tribunum à milite accipere: delicata omnia undique summoveret; arma postrema eorum, suppellectilemque corrigeret. De militum etiam ætatibus judicabat: ne quis aut minor, quam virtus posceret, aut major, quam pateretur humanitas, in castris contra morem veterem, versaretur: agebatque ut sibi semper noti essent, & eorum numerus sciretur.

Hadriani disciplina militaris.

CAP. XI. Laborabant præterea, ut condita militaria diligenter agnosceret: reditus quoque provinciales solerter explorans; ut, si alicubi quidpiam deesset, expleret. Ante omnes tamen enitebatur, ne quid otiosum vel emeret aliquando, vel pasceret. Ergo conversis regio more militibus, Britanniam petiit: in qua multa correxit, murumque per octoginta millia passuum primum duxit, qui barbaros Romanosque divideret. Septicio Claro, præfecto prætorii, & Suetonio Tranquillo epistolarum magistro, multisque aliis, qui apud Sabinam uxorem, injussu ejus, familiarius se tunc egerant, quam reverentia domus aulicæ postulabat, successores dedit: *uxorem etiam, ut morosam & asperam, dimissurus* (ut ipse dicebat) *si privatus fuisset.* Et erat curiosus non solum domus suæ, sed etiam amicorum: ita, ut per frumentarios occulta omnia exploraret: nec adverterent amici, sciri ab Imperatore suam vitam, priusquam ipse hoc Imperator ostenderet. Unde non injucundum est rem inserere, ex quo constet eum de amicis multa didicisse. Nam cum ad quendam scripsisset uxor sua, *quod, voluptatibus detentus & lavacris, ad se redire nollet*, atque hoc Hadrianus per frumentarios cognovisset, petente illo commeatum Hadrianus ei lavacra & voluptates exprobravit. Cui ille: *Num & tibi uxor mea, quod & mihi, scripsit?* Et hoc quidem vitiosissimum putant; atque huic adjungunt, quæ de adultorum amore ac nuptarum adulteriis, quibus Hadrianus laborasse dicitur, asserunt: jungentes, quod ne amicis quidem servaverit fidem.

Britanniam petit.

Sabina uxor Hadriani morosa & aspera.

Apis Alexandriæ repertus.

CAP. XII. Compositis in Britannia rebus, transgressus in Galliam; Alexandrina seditione turpatus, quæ nata est ob Apin; qui cum repertus esset post multos annos, turbas inter populos creavit; apud quem deberet locari, omnibus studiose certantibus. Per idem tempus, in honorem Plotinæ basilicam, apud Nemausum, opere mirabili exstruxit. Post hæc (13) Hispanias petiit, & Tarracone hiemavit: ubi sumptu suo ædem Augusti restituit; omnibus Hispanis Tarraconem in conventum vocatis: delectumque jNoculariter, ut verba ipsa ponit Marius Maximus, detrectantibus, Italicis vehementissime, ceteris prudenter & caute consuluit. (*g*) Quo quidem tempore, non sine gloria gravissimum periculum adiit, apud Tarraconem spatians per hospitiva viridaria, servo in se hospitis cum gladio furiosius irruente: quem retentum ille ministris accurrentibus tradidit: & ubi furiosum esse constitit, medicis curandum dedit, in nonnullo omnino commodus. Per ea tempora, & alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis, in modum muralis sepis, fundatis jactis atque connexis, barbaros separavit. Germanis regem constituit: motus Maurorum compressit: & à Senatu supplicationes emeruit. Bellum Parthorum per idem tempus in motu tantum fuit; idque Hadriani colloquio repressum est.

Hadrianus Hispanias petit. U. C. 876. p. C. N. 124.

Res cum Germanis, Mauris, Parthis.

CAP. XIII. Post hoc per Asiam & insulas ad (14) Achaiam navigavit, & Eleusinia sacra, exemplo Herculis Philippique, suscepit: multa in Athenienses contulit, & pro agonotheta resedit. Et in Achaia quidem illud observatum ferunt, quod, cum in sacris multis cultros

Ad Achaiam navigat.

(*f*) al. causarios. (*g*) al. Omnibus Hispanis in conventum vocatis delectumque joculariter, ut verba ipsa ponit, Marius Maximus retractantibus Italicis, vehementissime ceteris, prudenter & caute consuluit.


(10) In Gallias) Hinc Restitutor Galliæ in numis dicitur, ut ostendit numus Tab. XLV. num. 2. Conf. BEGER. Tom. II. pag. 657.

(11) In Germaniam transiit) Germaniæ quoque Simulacrum Hadrianus in numis suis expressit, Tab. XLV. num. 3. sub figura stante, dextra hastam, sinistra clypeum tenente. Conf. BEGERUS Tom. II. pag. 654.

(12) Labantem disciplinam - - - - retinuit) In hujus rei memoriam extat numus Hadriani elegantissimus aureus numophylacii nostri, quem exhibemus Tab. XLV. num. 4.

(13) Hispanias petiit) Unde Restitutor Hispaniæ dictus, ut numus habet Tab. XLV. num. 5. Conf. BEGER. T. II. p. 657.

(14) Ad Achaiam navigavit) Ideo in nnmo Tab. XLV. num. 6. Restitutor Achaiæ dicitur. Conf. BEGER. loc. cit.



Tab. XLV. ad pag. 279. 280 281.

cultros haberent, cum Hadriano nullus armatus ingressus est. Post in Siciliam navigavit, in qua Ætnam montem conscendit, ut solis ortum videret, arcus specie, ut dicitur, varium. Inde Romam venit, atque ex ea (15) in Africam transiit, ac multum beneficiorum provinciis Africanis attribuit. Nec quisquam fere principum tantum terrarum tam celeriter peragravit. Denique cum post Africam (16) Romam rediisset, statim ad Orientem profectus, per Athenas iter fecit, atque opera, quæ apud Athenienses cœperat, dedicavit: ut Jovis Olympii ædem, & aram sibi. Eodemque modo per Asiam iter faciens, templa sui nominis consecravit. Deinde à Cappadocibus servitia castris profutura suscepit. Toparchas & reges ad amicitiam invitavit, invitato etiam Cosdroë rege Parthorum, remissaque illi filia, quam Trajanus ceperat, ac promissa sella, quæ itidem capta fuerat. Cumque ad eum quidam reges venissent, ita cum his egit, ut eos pœniteret, qui venire noluerunt; causa speciatim Pharasmanis, qui ejus inventionem superbe neglexerit. Et circumiens quidem provincias, procuratores & præsides pro factis supplicio affecit: ita severe, ut accusatores per se crederetur immittere.

Post in Siciliam. *U. C. 878. P. C. N. 126. In Africam.* *U. C. 879. P. C. N. 127.* *U. C. 880. P. C. N. 128. Athenas iter facit.* *Et per Asiam.* *Erga reges se gerit humane.*

CAP. XIV. Antiochenses inter hæc ita odio habuit, ut Syriam à Phœnice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur. Moverunt ea tempestate & Judæi bellum, quod vetabantur mutilare genitalia. Sed in monte Cassio, cum videndi solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto, fulmen decidens hostiam & victimarium sacrificanti afflavit. Peragrata Arabia, Pelusium venit, & Pompeji tumulum magnificentius exstruxit. (17) Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit; quem muliebriter flevit. De quo varia fama est: aliis eum devotum pro Hadriano asserentibus; alii, quod & forma ejus ostentat, & nimia voluptas Hadriani. Et Græci quidem, volente Hadriano, eum consecraverunt; oracula per eum dari asserentes: quæ Hadrianus ipse composuisse jactatur. Fuit enim poëmatum & litterarum omnium studiosissimus; arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritissimus. Jam psallendi & cantandi scientiam præ se ferebat. In voluptatibus nimius: nam & de suis dilectis multa versibus composuit: amatoria carmina scripsit. Idem armorum peritissimus, & rei militaris scientissimus: gladiatoria quoque arma tractavit. Idem severus, lætus; comis, gravis; lascivus, cunctator; tenax, liberalis; simulator, sævus, clemens: & semper in omnibus varius.

Antiochenses odio habet. *Antinous nimium ab Hadriano honoratur.* *Studia Hadriani.* *Ejus indoles.*

CAP. XV. Amicos ditavit, & quidem non petentes; cum petentibus nihil non negaret. Idem tamen facile de amicis, quidquid insusurrabatur, audivit, atque ideo prope cunctos vel amicissimos, vel eos quos summis honoribus evexit, postea ut hostium loco habuit; ut Attianum & Nepotem, & Septicium Clarum. Nam Eudæmonem, prius conscium Imperii, ad egestatem perduxit: Polyænum & Marcellum ad mortem voluntariam coëgit. Heliodorum famosissimis litteris lacessivit. Titianum, ut conscium tyrannidis, & argui passus est, & proscribi. Numidium Quadratum, & Catilium Severum, & Turbonem, graviter insequutus est. Servianum, sororis virum, nonagesimum jam annum agentem, ne sibi superviveret, mori coëgit. Libertos denique & nonnullos milites insequutus est. Et quamvis esset oratione & versu promptissimus, & in omnibus artibus peritissimus; tamen professores omnium artium semper, ut doctior, risit, contempsit, obtrivit. Cum his ipsis professoribus & philosophis, libris vel carminibus invicem editis, sæpe certavit. Et Favorinus quidem, cum verbum ejus quoddam ab Hadriano reprehensum esset; atque ille cessisset arguentibus amicis quod male cederet Hadriano, de verbo quod idonei auctores usurpassent, risum jucundissimum movit. Ait enim: *Non recte suadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.*

Facile insusurrationibus credit. *Hinc crudelis.* *Professores artium omnium ridet.*

CAP. XVI. Famæ celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros vitæ suæ, scriptos à se, libertis suis litteratis dederit, jubens, ut eos suis nominibus publicarent: nam & *Phlegontis libri* Hadriani esse dicuntur. *Catacrianos libros* obscurissimos, Antimachum imitando, scripsit. Floro poëtæ scribenti ad se,

Libri de vita sua. *Hadriani jocus cum Floro.*

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas:

rescripsit:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Amavit præterea genus dicendi vetustum. Controversias declamavit. Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Cœlium prætulit. Eademque jactatione de Homero ac Platone judicavit. Mathesim sic scire sibi visus est, ut sero Calendis Januariis scripserit, quod ei toto anno posset evenire: ita, ut eo anno, quo periit, usque ad illam horam, qua est mortuus, scripserit, quid acturus esset. Sed quamvis esset in reprehendendis musicis, tragicis, comicis, grammaticis, rhetoribus, oratoribus, facilis; tamen omnes professores & honoravit, & divites fecit: licet eos quæstionibus semper agitaverit. Et cum ipse auctor esset, ut multi ab eo tristes recederent, dicebat, *se graviter ferre, si quem tristem videret.* In summa familiaritate Epictetum & Heliodorum philosophos, & (ne nominatim de omnibus dicam)

Hadriani doctrina. *Professores honorat.*

Nn gramma-

(15) In Africam transit) Hanc expeditionem indicat numus Hadriani Tab. XLV. num. 7. Conf. BEGER. loc. cit. p. 654.
(16) Romam rediisset) Adventum Hadriani ex Provinciis Romam varii numi celebrant. Damus illos Tab. XLV. num. 8. & Tab. XLVI. num. 1. 2. Notandum tamen numos hos non uno tempore cusos esse, quod indicant verba in Anticis & posticis COS. II. & Cos. III, quem ultimum usque ad finem vitæ gessit. De Adventu sub Cos. II. exemplum habes Tab. XLVI. num. 3. Confer de omnibus his numis. HEMELAR. Tab. XIX. & XX. pag. 56. 60. & 61. OISEL. Tab. XC. num. 12. p. 456.
(17) Antinoum suum) Exhibemus hunc Antinoum Tab. XLVI. num. 4. Ex Tesoro Britannico Vol. II. p. 210. Tab. VIII. num. 12.

grammaticos, rhetores, musicos, geometras, pictores, astrologos habuit; præ ceteris (ut multi asserunt) eminente Favorino. Doctores, qui professioni suæ inhabiles videbantur, ditatos honoratosque à professione dimisit.

Et donat.

CAP. XVII. Quos in privata vita inimicos habuit, Imperator tantum neglexit; ita, ut uni, quem capitalem habuerat, factus Imperator diceret, *Evasisti.* Iis, quos ad militiam ipse per se vocavit, equos, mulos, vestes, sumptus, & omnem ornatum semper exhibuit. Saturnalitia & sigillaricia frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit, & alia invicem dedit. Ad deprehendendas obsonatorum fraudes, cum plurimis sumentibus pasceret, fercula de aliis mensis etiam ultimis quibusque jussit apponi. Omnes reges muneribus suis vicit. Publice & frequenter & cum omnibus lavit: ex quo ille jocus balnearis innotuit: nam cum quodam tempore veteranum quendam notum sibi in militia, dorsum & ceteram partem corporis vidisset atterere, percunctatus, *cur se marmoribus destringendum daret;* ubi audivit, *hoc idcirco fieri, quod servum non haberet;* & servis eum donavit & sumptibus. Verum alia die, cum plures senes ad provocandam liberalitatem principis, parieti se attererent, (*b*) evocari eos jussit, & alium ab alio invicem defricari. Fuit & plebis jactantissimus amator. Peregrinationis ita cupidus, ut omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, præsens vellet addiscere. Frigora & tempestates ita patienter tulit, ut numquam caput tegeret. Regibus multis plurimum detulit: à plerisque vero etiam pacem redemit; à nonnullis contemptus est. Multis ingentia dedit munera, sed nulli majora quam Hiberorum: cui & elephantum & quinquagenariam cohortem, post magnifica dedit dona. Cum à Pharasmane, ipse quoque ingentia dona accepisset, atque inter hæc, auratas quoque chlamydes; trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam misit, ad ejus munera deridenda.

Varia ingeniosa Hadriani.

Ejus liberalitas.

CAP. XVIII. Cum judicaret, in consilio habuit non amicos suos aut comites solum, sed jurisconsultos, & præcipue Julium Celsum, Salvium Julianum, Neratium Priscum, aliosque; quos tamen Senatus omnis probasset. Constituit inter cetera, *ut in nulla civitate, domus aliquæ, transferendæ ad aliam urbem, ullius materiæ causa diruerentur.* Liberis proscriptorum duodecimas bonorum concessit. Majestatis crimina non admisit. Ignotorum hereditates repudiavit: nec notorum accepit, si filios haberent. De thesauris ita cavit, *ut si quis in suo reperisset, ipse potiretur: si quis in alieno, dimidium domino daret: si quis in publico, cum fisco æqualiter partiretur.* Servos à dominis occidi vetuit; eosque jussit damnari per judices, si digni essent. Lenoni & lanistæ servum vel ancillam vendi vetuit, causa non præstita. Decoctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent, catamidiari in amphitheatro & dimitti jussit. Ergastula servorum & libertorum tulit. Lavacra pro sexibus separavit. Si dominus in domo interemptus esset, non de omnibus servis quæstionem haberi, sed de his, qui per vicinitatem poterant sentire, præcepit.

Jure consulti in consilio Hadriani.

Ejus Constitutiones.

CAP. XIX. In Etruria præturam Imperator egit. Per Latina oppida Dictator & Ædilis & Duumvir fuit. Apud Neapolim Demarchus; in patria sua Quinquennalis: & item Hadriæ Quinquennalis, quasi in alia patria; & Athenis Archon fuit. In omnibus pene urbibus, & aliquid ædificavit, & ludos edidit. Athenis mille ferarum venationem in stadio exhibuit. Ab Urbe numquam ullum venatorem aut scenicum avocavit. Romæ post ceteras immensissimas voluptates, in honorem socrus suæ, aromatica populo donavit. In honorem Trajani Balsama & crocum per gradus theatri fluere jussit: fabulas omnis generis more antiquo in theatro dedit: histriones aulicos publicavit. In circo multas feras, & sæpe centum leones, interfecit. Militares pyrrichas Populo frequenter exhibuit: gladiatores frequenter spectavit. Cum opera ubique infinita fecisset, numquam ipse, nisi in Trajani patris templo, nomen suum scripsit. Romæ instauravit pantheum, septa, basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, forum Augusti, lavacrum Agrippæ: eaque omnia propriis & veteribus nominibus consecravit. Fecit & sui nominis pontem, & sepulchrum juxta Tiberim; & ædem Bonæ deæ transtulit: & colossum stantem atque suspensum per Decrianum architectum, de eo loco in quo nunc templum Urbis est, ingenti molimine, ita, ut operi etiam elephantes viginti quatuor exhiberet. Et cum hoc simulacrum, post Neronis vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli consecrasset; aliud tale, Apollodoro architecto auctore, facere Lunæ molitus est.

Quæ officia ut Imperator obiverit.

Socrum suam & Trajanum honorat.

Ejus ædificia publica.

CAP. XX. In colloquiis etiam humillimorum civilissimus fuit; detestans eos qui sibi hanc voluptatem humanitatis, quasi servantes fastigium principis, inviderent. Apud Alexandriam in musio, multas quæstiones professoribus proposuit; & propositas ipse dissolvit. Marius Maximus dicit, eum natura crudelem fuisse; *& idcirco multa pie fecisse, quod timeret, ne sibi idem quod Domitiano accidit, eveniret.* Et cum titulos in operibus non amaret, multas civitates *Hadrianopoles* appellavit; ut ipsam Carthaginem, & Athenarum partem. Aquarum etiam ductus infinitos hoc nomine nuncupavit. Fisci advocatum primus instituit. Fuit memoriæ ingentis, facultatis immensæ. Nam & ipse orationes dictavit, & ad omnia respondit. Joca ejus plurima exstant: nam fuit etiam dicaculus. Unde illud quoque innotuit, quod, cum cuidam canescenti quiddam negasset, eidem iterum petenti, sed infecto capite, respondit; *Jam hoc patri tuo negavi.* Nomina plurimis sine nomenclatore reddidit, quæ semel & congesta simul audiverat, ut nomenclatores sæpius errantes emendaverit. Dixit & veteranorum nomina, quos aliquando dimiserat. Libros statim lectos, & ignotos quidem, plurimis memoriter reddidit. Uno tempore scripsit, dictavit, audivit, & cum amicis fabulatus est. Omnes (*i*) publicas

Familiaris in colloquiis.

Ejus memoria felix.

(*b*) al. pariter & se atterent. (*i*) al. fabulatus est. Si potest credi omnes &c.

blicas rationes ita complexus est, ut domum privatam quivis paterfamilias diligens non satis novit. Equos & canes sic amavit, ut eis sepulcra constitueret. Oppidum *Adrianotheras* in quodam loco, quod illic & feliciter esset venatus & ursam occidisset aliquando, constituit.

Adrianotheras oppidum constituit.

CAP. XXI. De judicibus omnibus semper cuncta scrutando, tamdiu requisivit, quamdiu verum inveniret. Libertos suos, nec sciri voluit in publico, nec aliquid apud se posse; dicto suo, omnibus superioribus principibus vitia imputans libertorum; damnatis omnibus libertis suis, quicunque se de eo jactaverant. Unde exstat etiam illud severe quidem, sed prope joculare, de servis. Nam cum quodam tempore servum suum inter duos Senatores, è conspectu, ambulare vidisset, misit, qui ei colaphum daret, & diceret: *Noli inter eos ambulare, quorum esse adhuc potes servus.* Inter cibos unice amabat tetrapharmacum, quod erat de fasiano, sumine, perna & crustulo. Fuerunt ejus temporibus fames, pestilentia & terræmotus, quæ omnia, quantum potuit, procuravit: multisque civitatibus, vastatis per ista, subvenit. Fuit etiam Tiberis inundatio. Latium multis civitatibus dedit: tributa multis remisit. Expeditiones sub eo graves nullæ fuerunt. Bella etiam silentio pæne transacta. A militibus, propter curam exercitus nimiam, multum amatus est, simul quod in eos liberalissimus fuit. Parthos in amicitia semper habuit; quod inde regem retraxit, quem Trajanus imposuerat. Armeniis regem habere permisit, cum sub Trajano legatum habuissent. A Mesopotamiis non exegit tributum quod Trajanus imposuit. Albanos & Hiberos amicissimos habuit, quod reges eorum largitionibus prosequutus est, cum ad illum venire contempsissent. Reges Bactrianorum, legatos ad eum, amicitiæ petendæ causa, supplices miserunt. Tutores sæpissime dedit.

Libertos coërcet & servos.

A militibus amatur.

Similiter ab exteris.

CAP. XXII. Disciplinam civilem non aliter tenuit, quam militarem. Senatores & equites Romanos, semper in publico togatos esse jussit; nisi si à cœna reverterentur. Ipse cum in Italia esset, semper togatus processit. Ad convivium venientes Senatores stans excepit: semperque aut pallio tectus discubuit, aut toga submissa. Judicum sumptus constituit, & ad antiquum modum redegit. Vehicula cum ingentibus sarcinis Urbem ingredi prohibuit. Sederi equos in civitatibus non sivit. Ante octavam horam in publico neminem, nisi ægrum, lavari passus est. Ab epistolis & à libellis primus equites Romanos habuit. Eos, quos pauperes & innocentes vidit, sponte ditavit: quos vero calliditate ditatos, etiam odio habuit. Sacra Romana diligentissime curavit: peregrina contempsit. Pontificis maximi officium peregit. Causas Romæ atque in provinciis frequenter audivit; adhibitis consilio suo Consulibus atque Prætoribus & optimis Senatoribus. Fucinum lacum emisit. Quatuor Consulares per omnem Italiam judices constituit. Quando in Africam venit, ad adventum ejus, post quinquennium, pluit: atque ideo ab Africanis dilectus est.

Disciplinam civilem tenet.

CAP. XXIII. Peragratis sane omnibus orbis partibus capite nudo, & in summis plerumque imbribus atque frigoribus, in morbum incidit lethalem: factusque de successore sollicitus, primum de Serviano cogitavit; quem postea, ut diximus, mori coëgit. Fuscum, quod Imperium, præsagiis & ostentis agitatus, speraret, in summa detestatione habuit: Pletorium Nepotem, quem tantopere ante dilexit, ut veniens ad eum ægrotantem Hadrianus, impune non admitteretur, suspicionibus adductus, eodem modo & Terentium Gentianum: & hunc vehementius, quod à Senatu diligi tunc videbat. Omnes postremo, de quorum Imperio cogitavit, quasi futuros Imperatores, detestatus est. Et omnem quidem vim crudelitatis ingenitæ usque eo repressit, donec in villa Tiburtina profluvio sanguinis pæne ad exitum venit. Tunc libere Servianum, quasi affectatorem Imperii, quod servis regiis cœnam misisset, quod in sedili regio juxta lectum posito sedisset, quod erectus ad stationes militum senex nonagenarius processisset, mori coëgit: multis aliis interfectis, vel aperte, vel per insidias: quando quidem etiam Sabina uxor, non sine fabula veneni dati ab Hadriano, defuncta est. Tunc Ceionium Commodum, Nigrini generum, insidiatoris quondam sui, forma commendatum, adoptare constituit. Adoptavit ergo Ceionium Commodum Verum invitis omnibus: eumque *Ælium Verum Cæsarem* appellavit. Ob cujus adoptionem (18) ludos Circenses dedit, & donativum populo ac militibus expendit: quem prætura honoravit, ac statim Pannoniis imposuit; decreto consulatu, cum sumptibus eundem Commodum secundum Consulem designavit. Quem cum minus sanum videret, sæpissime dictavit; *In caducum parietem nos inclinavimus, & perdidimus quater millies sestertium, quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus.* Commodus autem præ valetudine, ne gratias quidem in Senatu agere potuit Hadriano de adoptione. Denique, accepto largius antidoto, ingravescente valetudine, per somnum periit, ipsis Calendis Januariis. Quare ab Hadriano votorum causa lugeri est vetitus.

Per malam valetudinem quosdam occidi jussit.

Sabina uxor defuncta.

Cejonium Commodum Verum adoptat.

Et Cæsarem appellat. U.C. 887. p. C.N. 135.

Qui moritur.

CAP. XXIV. Sed mortuo Ælio Vero Cæsare, Hadrianus, ingruente tristissima valetudine, adoptavit Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est: sed ea demum lege, ut ille sibi duos adoptaret, Annium Verum & Marcum Antoninum. Hi sunt, qui postea duo pariter Augusti, primi rempublicam gubernaverunt. Et Antoninus quidem, *Pius* idcirco appellatus dicitur, quod socerum fessum ætate, manu sublevarit: quamvis alii cognomentum hoc ei dicant inditum; quod multos Senatores Hadriano jam sævienti eripuisset: alii, quod ipsi Hadriano magnos honores post mortem detulisset. Antonini adoptionem plurimi

Arrium Antoninum adoptat.

Antoninus cur Pius dictus.

Nn 2

(18) Ludos Circenses dedit) Quorum memoriam servat numus Tab. XLVI, num. 5. qui solus de condito circo ab Hadriano tacentibus omnibus Auctoribus testatur, Conf. OISEL. Th. Numism. Antiqu. Tab. XCVII, num. 7. pag. 483.

rimi tunc factam esse doluerunt; speciatim Catilius Severus, Præfectus Urbis, qui sibi præparabat Imperium. Qua re prodita, successore accepto, dignitate privatus est. Hadrianus autem, ultimo vitæ tædio jam affectus, gladio se transfigi à servo jussit. Quod cum proditum esset, & in Antonini usque notitiam venisset, ingressis ad se præfectis & filio, rogantibusque, *ut æquo animo necessitatem morbi ferret*; iratus illis, auctorem proditionis jussit occidi, qui tamen ab Antonino servatus est. Dicente Antonino, *parricidam se futurum, si Adrianum, adoptatus ipse, pateretur occidi.* Statimque testamentum scripsit: nec tamen actus Reipublicæ prætermisit. Et post testamentum quidem iterum se conatus occidere, subtracto pugione, sævior factus est. Petiit & venenum à medico: qui se ipse, ne daret, occidit.

Hadrianus se vult interimere.

Testamentum scribit.

CAP. XXV. Ea tempestate supervenit quædam mulier, quæ diceret; *somnio se monitam, ut insinuaret Hadriano, ne se occideret, quod esset bene valiturus: quod cum non fecisset, esse cæcatam. Jussam tamen iterum Hadriano eadem diceret, atque genua ejus oscularetur; receptura visum, si id fecisset.* Quod cum insomnium implesset, oculos recepit; cum aqua, quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannonia quidam natus cœcus ad febrientem Hadrianum, eumque contigit: quo facto, & ipse oculos recepit, & Hadrianum febris reliquit. Quamvis Marius Maximus, hæc per simulationem facta, commemoret. Post hæc Hadrianus Baias petiit, Antonino Romæ ad imperandum relicto. Ubi cum nihil proficeret, accersito Antonino, in conspectu ejus apud ipsas Baias periit, die sexto Iduum Juliarum. Invisusque omnibus, sepultus est in villa Ciceroniana Puteolis. Sub ipso mortis tempore & Servianum, nonaginta annos agentem, ut supra dictum est, ne sibi superviveret, atque (ut putabat) imperaret, mori coëgit; & ob leves offensas plurimos jussit occidi, quos Antoninus reservavit. Et moriens quidem, hos versus fecisse dicitur:

Hadrianus moritur. U. C. 890. p. C. N. 138.

Servianus mori coactus.

Morientis Hadriani versus.

Animula vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula;
Nec ut soles, dabis jocos.

Tales autem, nec multo meliores fecit & Græcos. Vixit annis septuaginta duobus, mensibus quinque, diebus septemdecim. Imperavit annis viginti uno, mensibus undecim.

CAP. XVI. Statura fuit procerus; forma comptus; flexo ad pectinem capillo; promissa barba; ut vulnera, quæ in facie naturalia erant, tegeret: habitudine robusta. Equitavit ambulavitque plurimum; armisque & pilo se semper exercuit. Venatu frequentissime leonem manu sua occidit. Venando autem jugulum & coxam fregit. Venationem semper cum amicis participavit. In convivio tragœdias, commœdias, Atellanas, sambucas, lectores, poëtas, pro re semper exhibuit. Tiburtinam villam mire exædificavit; ita, ut in ea & provinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen, Tempe, vocaret. Et, ut nihil prætermitteret, etiam inferos finxit. Signa mortis hæc habuit: Natali suo ultimo, cum Antoninum commendaret, prætexta sponte delapsa caput ei aperuit. Annulus, in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de digito delapsus est. Ante diem natalis ejus, nescio quis ad Senatum ululans venit: contra quem Hadrianus ita motus est, quasi de sua morte loqueretur; cum ejus verba nullus agnosceret. Idem cum vellet in Senatu dicere, *post filii mei mortem; post mortem meam* dixit. Somniavit præterea, se à patre potionem soporiferam impetrasse. Item somniavit, à leone se oppressum esse.

Statura ejus & habitus corporis.

Signa mortis.

CAP. XXVII. In mortuum eum à multis multa sunt dicta. Acta ejus irrita fieri Senatus volebat. Nec appellatus esset divus, nisi Antoninus rogasset. Templum denique ei, pro sepulcro, apud Puteolos constituit, & quinquennale certamen, & flamines, & sodales, & multa alia, quæ ad honorem quasi numinis pertinerent. Quare, ut supra dictum est, multi putant, Antoninum, Pium dictum.

Divus appellatur. Sepulcrum ejus.

ÆLII SPARTIANI ÆLIUS VERUS, AD DIOCLETIANUM AUG.

DIOCLETIANO AUG. ÆLIUS SPARTIANUS SUUS, SALUTEM.

CAPUT I.

Ratio cur etiam Cæsares recenseat.

IN animo mihi est, Diocletiane Auguste, tot principum maxime, non solum eos, (*k*) qui principum locum in hac statione quam temperas, retentarunt, ut usque ad Divum Hadrianum feci, sed illos (*l*) etiam, qui vel Cæsarum nomine appellati sunt, nec Principes aut Augusti fuerunt, vel quolibet alio genere aut in famam, aut in spem principatus venerunt, cognitioni numinis tui sternere: quorum præcipue de Ælio Vero dicendum est,

(*k*) al. eorum. (*l*) al. illorum.

eſt, qui primus tantum *Cæſaris* nomen accepit, adoptione Hadriani familiæ principum adſcriptus. Et quoniam nimis pauca dicenda ſunt, nec debet prologus enormior eſſe quam fabula; de ipſo jam loquar.

Ælius Verus Cæſar. U.C. 887. P. C. N. 135.

CAP. II. Ceionius Commodus, qui & Ælius Verus appellatus eſt, quem ſibi Hadrianus ævo ingraveſcente morbis triſtioribus preſſus, peragrato jam orbe terrarum, adoptavit, nihil habet in ſua vita memorabile; niſi quod primus tantum *Cæſar* eſt appellatus: non teſtamento, ut antea ſolebat, neque eo modo, quo Trajanus eſt adoptatus; ſed eo prope genere, quo noſtris temporibus à veſtra clementia Maximianus atque Conſtantius *Cæſares* dicti ſunt: quaſi quidam principum filii viri, & deſignati auguſtæ majeſtatis hæredes.

Derivatio nominis Cæſaris.

Et quoniam de Cæſarum nomine in hujus præcipue vita eſt aliquid diſputandum, qui hoc ſolum nomen indeptus (*m*) eſt; Cæſarem vel ab elephanto (qui lingua Maurorum *Cæſar* dicitur) in prælio cæſo, eum qui primus ſic appellatus eſt, doctiſſimi viri & eruditiſſimi putant dictum: vel quia mortua matre, ſed ventre cæſo ſit natus: vel quod cum magnis crinibus ſit utero parentis effuſus: vel quod oculis cæſiis, & ultra humanum morem, viguerit. Certe, quæcumque illa, felix neceſſitas fuit, unde tam clarum, & duraturum cum æternitate mundi, nomen effloruit.

Ælius Verus quomodo ante adoptionem vocatus.

Hic ergo, de quo ſermo eſt, primum *Lucius Aurelius Verus* eſt dictus, ſed ab Hadriano adſcitus in Æliorum familiam, hoc eſt, in Hadriani tranſcriptus, & appellatus eſt Cæſar. Huic pater Ceionius Commodus fuit, quem alii Verum, alii Lucium Aurelium, multi Annium prodiderunt: majores omnes nobiliſſimi; quorum origo pleraque ex Etruria fuit, vel ex Faventia.

Ejus familia.

Et de hujus quidem familia plenius in vita Lucii Aurelii Ceionii Commodi Veri Antonini, filii hujuſce, quem ſibi adoptare Antoninus juſſus eſt, diſſeremus. Is enim liber debet omnia, quæ ad ſtemma generis pertinent, continere, qui habet principem, de quo plura dicenda ſunt.

CAP. III. Adoptatus autem Ælius Verus ab Hadriano, eo tempore, quo jam, ut ſuperius diximus, parum vigebat, & de ſucceſſore neceſſario cogitabat; ſtatimque prætor factus, &

Pannoniis impoſitus.

(19) Pannoniis dux ac rector impoſitus; mox Conſul creatus.

Conſul II. U.C. 889. P. C. N. 137.

Et, quia erat deputatus Imperio, iterum Conſul deſignatus eſt. Datum etiam populo congiarium cauſa ejus adoptionis, collatumque militibus HS. ter millies; circenſes editi: neque quidquam prætermiſſum, quod poſſet lætitiam publicam frequentare.

Multum valet apud Hadrianum.

Tantumque apud Hadrianum principem valuit, (20) ut, præter adoptionis affectum, quo ei videbatur adjunctus, ſolus omnia, quæ cuperet, etiam per litteras impetraret. Nec provinciæ quidem, cui præpoſitus erat, defuit. Nam bene geſtis rebus, vel potius feliciter, etſi non ſummi, medii tamen obtinuit ducis famam.

Sed miſeræ eſt valetudinis.

Hic tamen valetudinis adeo miſeræ fuit, ut Hadrianum ſtatim adoptionis pœnituerit, potueritque eum amovere à familia imperatoria, cum ſæpe de aliis cogitaret, ſi forte vixiſſet. Fertur denique ab his, qui Hadriani vitam diligentius in litteras retulerunt, Hadrianum Veri ſciſſe genituram: & eum, quem non multum (*n*) ad rempublicam gerendam probaret, ob hoc tantum adoptaſſe, ut ſuæ ſatisfaceret voluptati;

Quibus cauſis adoptatus.

&, ut quidam dicunt, jurijurando, quod interceſſiſſe inter ipſum ac Verum ſecretis conditionibus ferebatur. Fuiſſe enim Hadrianum peritum matheſeos, Marius Maximus uſque adeo demonſtrat, ut eum dicat cuncta de ſe ſciſſe; ſic, ut omnium dierum, uſque ad horam mortis, futuros actus ante præſcripſerit.

Hadriani dicteria de adoptione Ælii Veri.

CAP. IV. Satis præterea conſtat, eum de Vero ſæpe dixiſſe,

Oſtendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Eſſe ſinent.

Quos verſus cum aliquando in hortulo ſpatians cantitaret, atque adeſſet unus ex litteratis, quorum Hadrianus ſpecioſa ſocietate gaudebat, velletque addere,

- - nimium vobis Romana propago
Viſa potens, ſuperi, propria hæc ſi dona fuiſſent:

Hadrianus dixiſſe fertur, *Hos verſus vita non capit Veri:* illud addens,

- - Manibus date lilia plenis;
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Cum quidem etiam illud dicitur cum irriſione dixiſſe, *Ego mihi divum adoptavi, non filium.* Eum tamen cum conſolaretur unus de litteratis, qui aderant, ac diceret; *Quid ſi non recte conſtellatio ejus collecta eſt, quem credimus eſſe victurum?* Hadrianus dixiſſe fertur: *Facile iſta dicis tu, qui patrimonii tui, non reipublicæ quæris heredem.* Unde apparet, eum habuiſſe in animo alium deligere, atque hunc ultimo vitæ ſuæ tempore à republica ſubmovere. Sed ejus conſilia juvit eventus. Nam cum de provincia Ælius rediſſet, atque orationem pulcherrimam, quæ hodieque (*o*) legitur, ſive per ſe, ſive per ſcriniorum aut dicendi magiſtros paraſſet, qua Kalendis Januariis Hadriano patri gratias ageret;

Ælius Verus moritur. U.C. 890. P. C. N. 138.

accepta potione, qua ſe exiſtimaret juvari, Kalendis ipſis Januariis periit. Juſſuſque ab Hadriano, quia vota interveniebant, non lugeri.

Ejus indoles.

CAP. V. Fuit hic vitæ lætiſſimæ; eruditus in litteris; Hadriano (ut malevoli loquuntur) acceptior forma, quam moribus. In aula diu non fuit: in vita privata, etſi minus probabilis, minus tamen reprehendendus; ac memor familiæ ſuæ:

Forma.

comptus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris venerandi, eloquentiæ celſioris, verſu facilis, in republica etiam non inutilis.

Voluptates.

Hujus voluptates ab iis, qui vitam ejus ſcripſerunt, multæ feruntur; equidem non infames,

(*m*) al. adeptus. (*n*) al. multo. (*o*) al. hodie quoque.

(19) Pannoniis dux - - - iterum Conſul deſignatus eſt) Cimeliarchii noſtri numiſma, Tab. XLVI. num. 6. utrumque Autoris dictum confirmat. Genius enim Pannoniæ ſigna ſua militaria Imperatori offerre videtur; Inſcriptio autem, Ælii Conſulatum ſecundum, quem cum Cœlio Balbino Vibullio geſſit, denotat, quo etiam Conſulatu mortuus Ælius Verus. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. 662.

(20) Ut præter adoptionis affectum - - - impetraret) Ad hunc locum BEGERUS loc. cit. refert numiſma Tab. XLVI. num. 7. quo Concordia exprimitur, & per mutuam petitionem & conceſſionem optime adumbratur.

In conviviis.

infames, ſed aliquatenus diffluentes. Nam tetrapharmacum, ſeu potius pentapharmacum, quo poſtea ſemper Hadrianus eſt uſus, ipſe dicitur reperiſſe; hoc eſt, ſumen, faſianum, pavonem, pernam cruſtulatam & aprugnam. De quo genere cibi aliter refert Marius Maximus, non pentapharmacum, ſed tetrapharmacum appellans: ut & nos ipſi in ejus vita proſequuti ſumus. Fertur etiam aliud genus voluptatis, quod Verus invenerat.

In lecto.

Nam lectum eminentibus quatuor anacliteriis fecerat, minuto reticulo undique incluſum; eumque foliis roſæ, quibus demptum eſſet album, replebat: jacenſque cum concubinis, velamine de liliis facto ſe tegebat, unctus odoribus Perſicis. Jam illa frequentantur à nonnullis, quod & accubitationes ac menſas de roſis ac liliis fecerit, & quidem purgatis: quæ etſi non decora, non tamen ad perniciem publicam prompta ſunt.

In libris.

Atque idem Ovidii libros amorum in lecto ſemper habuiſſe: idem Martialem epigrammaticum poëtam, Virgilium ſuum dixiſſe.

In Curſoribus.

Jam illa leviora, quod curſoribus ſuis exemplo Cupidinum alas frequenter appoſuit, eoſque ventorum nominibus ſæpe vocitavit; *Boream* alium, alium *Notum*, & item *Aquilonem* aut *Circium*, ceteriſque nominibus appellans; & indefeſſe atque inhumaniter faciens curſitare.

Dicterium uxori.

Idem (21) uxori, conquerenti de extraneis voluptatibus, dixiſſe fertur: *Patere me per alias exercere cupiditates meas: Uxor enim dignitatis nomen eſt, non voluptatis.* Ejus filius eſt Antonius Verus, qui adoptatatus eſt à Marco. Verus certe cum Marco æquale geſſit Imperium.

Marcus & Verus duo Auguſti.

Nam ipſi ſunt qui primi duo Auguſti appellati ſunt, & quorum faſtis conſularibus ſic nomina præſcribuntur, ut dicantur non duo Auguſti: tantumque hujus rei & novitas & dignitas valuit, ut faſti conſulares res nonnulli ab his ſumerent ordinem Conſulum.

CAP. VI. Pro ejus adoptione infinitam pecuniam populo & militibus Hadrianus dedit. Sed cum eum videret, homo paullo argutior, (22) miſerrimæ valetudinis, ita, ut ſcutum ſolidius Jactare non poſſet, dixiſſe fertur: *Ter millies perdidimus, quod exercitui Populoque dependimus: ſiquidem ſatis in caducum parietem incubuimus; & qui non ipſam rempublicam, ſed nos ipſos ſuſtentare vix poſſit.* Et hoc (*p*) quidem Hadrianus cum præfecto ſuo loquutus eſt. Quæ cum prodidiſſet præfectus, ac per hoc Ælius Cæſar indies magis magiſque ſollicitudine, ut pote deſperati hominis, aggravaretur; præfecto ſuo Hadrianus, qui rem prodiderat, ſucceſſorem dedit: volens videri, quod verba triſtia temperaſſet. Sed nihil profuit. Nam, ut diximus, *Lucius Commodus Verus Ælius Cæſar* (nam his omnibus nominibus appellatus eſt) periit; ſepultuſque eſt imperatorio funere: neque quidquam de regia, niſi mortis, habuit dignitatem.

Ælii Veri ſepultura.

(*q*) Doluit ergo illius mortem ut bonus pater, non ut bonus princeps. (*r*) Nam cum amici ſolliciti quærerent, *qui adoptari poſſet*, Hadrianus dixiſſe fertur his; *Etiam vivente adhuc Vero decreveram:* ex quo oſtendit aut judicium ſuum, aut ſcientiam futurorum. Poſt hunc denique Hadrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptavit, Pium cognomine appellatum.

Antoninus Pius adoptatus ab Hadriano. U.C. 891. p. C. N. 139.

Cui conditionem addidit, ut ipſe ſibi Marcum & Verum Antoninos adoptaret; filiamque ſuam Vero, non Marco, daret. Nec diutius vixit; gravatus languore ac diverſo genere morborum; ſæpe dicens, *Sonum principem mori debere, non debilem.*

CAP. VII. Statuas ſane Ælio Vero per totum orbem coloſſeas poni juſſit; templa etiam in nonnullis urbibus fieri.

Ælio Vero ſtatuæ & templa facta.

Denique illius merito, filium ejus Verum, nepotem utpote ſuum, qui pereunte Ælio in familia ipſius Hadriani remanſerat, adoptandum Antonino Pio cum Marco, ut jam diximus, dedit: ſæpe dicens; *Habeat Reſpublica quodcumque de Vero.*

Antoninus adoptat ſibi Marcum & Verum.

Quod quidem contrarium his, quæ de adoptionis pœnitentia per auctores plurimos intimata ſunt; cum Verus poſterior nihil dignum præter clementiam in moribus habuerit, quod imperatoriæ familiæ lumen afferret.


Concluſio.

Hæc ſunt, quæ de Vero Cæſare mandata litteris fuerunt. De quo idcirco non tacui, quia mihi propoſitum fuit, omnes, qui poſt Cæſarem dictatorem, hoc eſt, Divum Julium, vel Cæſares, vel Auguſti, vel Principes appellati ſunt, quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filii, aut parentes, Cæſarum nomine conſecrati ſunt, ſingulis libris exponere, meæ ſatisfaciens conſcientiæ; etiamſi multis nulla ſit neceſſitas talia requirendi.

(*p*) al. & hæc. (*q*) al. niſi mortem, habuit dignitate. (*r*) al. Doluit ergo illius mortem ut bonis princeps, non ut bonus pater.

(21) Uxori) LUCILLA ea fuit, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 189. vide Tab. XLVI. num. 8.
(22) Miſerrimæ valetudinis) Videtur Ælius Verus ad firmiorem valetudinem impetrandam, Salutem Deam coluiſſe, ideoque in numis ſuis expreſſiſſe. Vide Tab. XLVII. num. 8. & Conf. BEGER. loc. cit.

JULII



Tab. XLVI. ad pag. 281. 283. 285. 286.

JULII CAPITOLINI ANTONINUS PIUS, AD DIOCLETIANUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Antonini Pii genus.

Tito Aurelio Fulvo Bojonio Antonino Pio, paternum genus è Gallia Transalpina, Nemausense scilicet: avus Titus Aurelius Fulvus; qui per honores diversos ad secundum consulatum & præfecturam Urbis pervenit: pater Aurelius Fulvus, qui & ipse fuit Consul; homo tristis & integer. (*s*) Avia materna, Bojonia (*t*) Procilla: mater, Arria Fadilla: avus maternus Arrius Antoninus, bis Consul; homo sanctus, & qui Nervam miseratus esset, quod imperare cœpisset: soror uterina, Julia Fadilla; vitricus, Julius Lupus consularis; socer, Annius Verus; (23) uxor, Annia Faustina; (24) filii, mares duo, duæ fœminæ; gener, per majorem filiam, Lamia Syllanus; per minorem, Marcus Antoninus, fuere. Ipse Antoninus Pius natus est tertiodecimo Kalendas Octobres, Flavio Domitiano duodecimo, & Cornelio Dolabella Consulibus, in villa Lanuvina. Educatus Lonii in Aurelia: ubi postea palatium exstruxit; cujus hodieque reliquiæ manent. Pueritiam egit cum avo paterno: mox cum materno; omnes suos religiose colens: atque adeo & consobrinorum & vitrici & multorum affinium hereditate ditatus est.

Nativitas.

Et educatio.

Forma & indoles.

CAP. II. Fuit vir forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, singularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, præcipue sobrius: diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abstinens; & omnia hæc cum mensura, & sine jactantia. In cunctis postremo laudabilis, & qui merito Numæ Pompilio, ex bonorum sententia, comparatur. Pius cognominatus est à Senatus, vel quod socerum fessa jam ætate, manu, præsente Senatu, levaverit: (quod quidem non satis magnæ pietatis est argumentum; cum impius sit magis, qui ista non faciat, quam pius, qui debitum reddat) vel, quod eos, quos Hadrianus per malam valetudinem occidi jusserat, reservavit: vel, quod Hadriano, contra omnium studia, post mortem infinitos atque immensos honores decrevit: vel, quod, cum se Hadrianus interimere vellet, ingenti custodia & diligentia fecit, ne id posset admittere: vel, quod vere natura clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecit. Idem fenus trientarium, hoc est minimis usuris, exercuit, ut patrimonio suo plurimos adjuvaret. Fuit quæstor liberalis, prætor splendidus, Consul cum Catilio Severo. Hic in omni vita privata in agris frequentissime vixit: sed clarus in locis omnibus fuit. Ab Hadriano inter quatuor consulares, quibus Italia committebatur, electus est ad eam partem Italiæ regendam, in qua plurimum possidebat, ut Hadrianus viri talis & honori consuleret & quieti.

Pius cur cognominatus.

Qualis in privata vita & publicis officiis.

Omina futuri Imperii.

CAP. III. Huic cum Italiam regeret, Imperii omen factum est. Nam cum tribunal ascendisset, inter alias acclamationes dictum est, *Auguste, Dii te servent.* Proconsulatum Asiæ sic egit, ut solus avum vinceret. In proconsulatu etiam sic Imperii omen accepit: nam cum sacerdos fœmina Trallis ex more proconsules semper hoc nomine salutaret, non dixit, *Ave proconsul*, sed *Ave Imperator.* (25) Cyzici etiam de simulacro dei ad statuam ejus corona translata est. Et post consulatum, in viridario taurus marmoreus, cornibus ramis arboris accrescentibus, appensus est: (26) & fulgur cœlo sereno, sine noxa, in ejus domum venit: & in Etruria dolia, quæ defossa fuerant, supra terram reperta sunt: & ejus statuas in omni Etruria examen apum replevit: & somnio sæpe monitus, se * penitus ejus Hadriani simulacrum inserere. (*u*) Proficiscens ad proconsulatum filiam majorem amisit. De hujus uxore multa dicta sunt (27) ob nimiam libertatem & vivendi facilitatem, quæ iste cum animi dolore compressit. Post proconsulatum, in consiliis Hadriani Romæ frequens vixit, de omnibus, de quibus Hadrianus consulebat, mitiorem sententiam semper ostendens.

Uxoris nimia libertas.

Adoptio Antonini Pii quomodo facta.

CAP. IV. Genus sane adoptionis tale fertur: Mortuo Ælio Vero, quem sibi Hadrianus adoptaverat, & Cæsarem nuncupaverat, dies Senatus habebatur: eo Arrius Antoninus soceri vestigia levans, venit; atque idcirco ab Hadriano dicitur adoptatus. Quæ causa sola esse adoptionis nec potuit omnino, nec debuit: maxime, cum & semper rempublicam bene egisset

(*s*) al. æger. (*t*) al. Bovinia. (*u*) al. Et somnio sæpe monitus est, Diis Penatibus ejus, Hadriani simulacrum inserere.

(23) Uxor, Annia Faustina) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 207. vide Tab. XLVII. num. 2.

(24) Filii mares duo) In his duobus filiis post mortem etiam matris, Antoninus Pius Imperator constituit felicitatem temporum, Tab. XLVII. num 3. In quo è duobus cornibus Copiæ capita virilia exsurgunt. Conf. OISEL. Th. numism. antiqu. Tab. LVII. num. 10. pag. 342.

(25) Cyzici etiam &c.) Hujus Urbis numisma ex Thesauro Illustrissimi Ducis de DEVONSHIRE vide Tab. XLVII. num. 4. ex Thesoro Britannico Nob. D. Haym. Vol. II. pag. 6.

(26) Fulgur cœlo sereno) In memoriam insignis hujus ominis Antoninus numisma Tab. XLVII. num. 5. percussisse videtur. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. p. 668.

(27) Ob nimiam libertatem . . . compressit) Quod publico documento edidit, in numo Tab. XLVII. num. 6. In quo Antoninus Pius sinistra Concordiæ signum præfert, dextram Faustinæ porrigit, cum Sceptro Divinitatis adstanti. Inter hos M. Aurelius & Faustina, gradu tamen Parentibus inferiores, dextras pariter, & quidem super Aram, jungunt. BEGER. loc. cit. pag. 669.

egiſſet Antoninus, & in proconſulatu ſe ſanctum gravemque præbuiſſet. Ergo cum eum Hadrianus adoptare ſe velle publicaſſet, acceptum eſt ſpatium deliberandi, utrum arrogari ab Hadriano vellet. Adoptionis lex hujusmodi data eſt, ut, quemadmodum Antoninus ab Hadriano adoptabatur, ita ſibi ille adoptaret Marcum Antoninum, fratris uxoris ſuæ filium, & Lucium Verum, Ælii Veri, qui ab Hadriano adoptatus fuerat, filium, qui poſtea Verus Antoninus eſt dictus. Adoptatus eſt quinto Kalendas Martias die; in Senatu gratias agens, quod de ſe ita ſenſiſſet Hadrianus: (28) factusque eſt patri & in imperio proconſulari & in tribunitia poteſtate collega. Hujus primum hoc fertur, quod, quam ab uxore argueretur, quaſi parum neſcio quid ſuis largiens, dixerit: *Stulta, poſteaquam ad Imperium tranſivimus, & illud, quod habuimus, ante, perdidimus.* (29) Congiarium militibus ac populo de proprio dedit, & ea quæ pater promiſerat. Et ad opera Hadriani plurimum contulit: & aurum coronarium, quod adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat, Italicis totum, medium provincialibus reddidit.

Antonini liberalitas.

Pietas in parentes.

CAP. V. Et patri, quoad vixit, religioſiſſime paruit. Sed Hadriano apud Bajas mortuo, reliquias ejus Romam pervexit ſancte ac reverenter, atque in hortis Domitiæ collocavit: etiam repugnantibus cunctis, inter divos eum retulit. Uxorem Fauſtinam, (30) Auguſtam appellari à Senatu permiſit: Pii appellationem recepit. Patri & matri, atque avis & fratribus jam mortuis, ſtatuas decretas libenter accepit. Circenſes natali ſuo dicatos non reſpuit; aliis honoribus refutatis. Clypeum Hadriano magnificentiſſimum poſuit, & ſacerdotes inſtituit. Factus Imperator, nulli eorum, quos Hadrianus provexerat, ſucceſſorem dedit. Fuitque ea conſtantia, ut ſeptenis & novenis annis in provinciis bonos præſides detineret. Per legatos ſuos plurima bella geſſit. Nam & (31) Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit; alio muro ceſpiticio, ſubmotis barbaris, ducto: & Mauros ad pacem poſtulandum coëgit; & Germanos & Dacos, & multas gentes, atque Judæos rebellantes condulit per præſides ac legatos. In Achaia etiam atque Ægypto rebelliones repreſſit. Alanos, molientes ſæpe, refrenavit.

Fauſtina Auguſta appellata.

Ejus bella.

Procuratores modeſtos eſſe jubet.

CAP. VI. Procuratores ſuos modeſte ſuſcipere tributa juſſit: excedentes modum, rationem factorum ſuorum reddere præcepit: nec umquam lætatus eſt lucro (*x*) quo provincialis oppreſſus eſt. Contra procuratores ſuos conquerentes libenter audivit. His quos Hadrianus damnaverat, in Senatu indulgentias petiit; dicens, *etiam ipſum Hadrianum hoc fuiſſe facturum.* Imperatorium faſtigium ad ſummam civilitatem deduxit; unde plus crevit recuſantibus aulicis miniſtris: qui, illo nihil per internuntios agente, nec terrere poterant homines aliquando, nec ea, quæ occulta non erant, vendere. (32) Senatui tantum detulit Imperator, quantum, cum privatus eſſet, deferri ſibi ab alio principe optavit. Patris Patriæ nomen delatum à Senatu, quod primo diſtulerat, cum ingenti gratiarum actione ſuſcepit. Tertio anno Imperii ſui, Fauſtinam uxorem perdidit: quæ (33) à Senatu conſecrata eſt; (34) delatis circenſibus curribus (35) atque templo, & flaminicis (36) & ſtatuis aureis atque argenteis: cum etiam ipſe hoc conceſſerit, ut imago ejus cunctis circenſibus poneretur. Statuam auream, delatam à Senatu, poſitam ſuſcepit. Marcum Antoninum quæſtorem, Conſulem petente Senatu creavit. Annium Verum, qui poſtea dictus eſt Antoninus, ante tempus quæſtorem deſignavit: neque de provinciis, neque de ullis actibus quidquam conſtituit, niſi quod prius ad amicos retulit: atque ex eorum ſententia formas compoſuit. Viſus eſt ſane ab amicis, & cum privatis veſtibus, & domeſtica quædam gerens.

Ipſe Imperator civilis eſt.

Pater Patriæ appellatur.

Fauſtina moritur.

CAP. VII. Tanta ſane diligentia ſubjectos ſibi populos rexit, ut omnia & omnes, quaſi ſua eſſent, curaret. (37) Provinciæ ſub eo cunctæ floruerunt. Quadruplatores exſtincti ſunt. Publicatio bonorum rarior quam umquam fuit; ita, ut unus tantum proſcriberetur affectatæ tyrannidis reus, hoc eſt Attilius Tatianus; Senatu puniente: à quo conſcios requiri vetuit; filio ejus in omnibus (*y*) ſemper adjuto. Periit & Priſcianus, reus affectatæ tyrannidis, ſed morte voluntaria. De qua conjuratione quæri vetuit. Victus Antonini Pii talis fuit, ut eſſet opulentia ſine reprehenſione, parſimonia ſine ſordibus; & menſa ejus per proprios ſervos, proprios aucupes, piſcatores & venatores inſtrueretur. Balneum, quo uſus fuiſſet, ſine mercede populo exhibuit: nec omnino quidquam de vitæ privatæ qualitate mutavit. Salaria multis ſubtraxit, quos otioſos videbat accipere; dicens, *Nihil eſſe ſordidius,*

Diligenter ſubjectos populos regit.

Tyranni puniti.

Victus Antonini.

(*x*) al. nec umquam ullo lætatus eſt lucro. (*y*) al. ad omnia.

(28) Factusque eſt . . . collega) Ob hoc concors Imperium huc refert BEGER. Tom. II. pag. 663. numiſma Tab. XLVII. num. 7.

(29) Congiarium . . . dedit) Hanc munificentiam Antonini Pii, expreſſam eſſe in numo Tab. XLVII. num. 8. credit BEGER. loc. cit. pag. 664. In quo ΔΗΜΗΤ ΝΕΑ h. e. Ceres nova expreſſa eſt. Ceterum liberalitatem Antonini Pii loquitur numus Tab. XLVIII. num. 1. Conf. BEGER. loc. cit. pag. 667.

(30) Auguſtam appellari à Senatu permiſit) Hoc teſtatur numus Tab. XLVIII. num. 2. Conf. BEGER. T. II. p. 669.

(31) Britannos . . . vicit) Quam victoriam adumbrat numus Tab. XLVIII. num. 3. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. pag. 665.

(32) Senatui . . . . optavit) Quod gratanter agnoſcens Senatus, Imperatorem Antoninum Pium, etiam in numis Genium Senatus appellavit, ut habet numus Tab. XLVIII. num. 4. Conf. BEGER. loc. cit. p. 664.

(33) A Senatu conſecrata eſt) Quam Conſecrationem Senatus exhibuit in numo Tab. XLVIII. num. 5. Conf. BEGER. loc. cit. p. 669. & Hemelar. Tab. XXVI. num. II. p. 82.


(34) Delatis Circenſibus curribus) Tales currus Fauſtinæ delatos in numis expreſſos vide Tab. XLVIII. num. 6. 7. 8. Conf. HEMELAR. Impp. Rom. Numiſm. aur. Tab. XXVI. num. 4. 5. & 6. pag. 81.


(35) Atque templo) Quod templum expreſſum eſt in numo Tab. XLIX. num. 1. Conf. HEMELAR. loc. cit. num. 7. pag. 81.

(36) Et ſtatuis) Hæ ſtatuæ plerumque ſimulacra Dearum exhibuerunt, ut Veſtæ, Veneris, Junonis, Cereris, aliarumque. Statuas ſub forma Veſtæ & Veneris vide Tab. XLIX. num. 2. & Conf. BEGER. loc. cit. p. 670.

(37) Provinciæ ſub eo cunctæ floruerunt) Credimus hanc felicitatem adumbratam fuiſſe numo Tab. XLIX. num. 4. Inſidet in illo Italia globo, ſceptrumque tenet ſiniſtra quo Imperium terræ indicatur, ut Cornucopiæ quod dextra gerit rerum abundantiam & felicitatem innuit. Conf. BEGER. loc. cit. p. 665.

Tab. XLVIII
ad pag. 287.




Tab. XLVII
ad pag. 286. 287
288
Æ
I
TR. POT. COS. II.
S C
SALVS
Γ
Æ
II
DIVA AVGVSTA FAVSTINA
Γ
Æ
III
TEMPORVM FELICITAS
S C
COS IIII
Γ
IV
ΚΥ ΖΙΚΟϹ
ÆR E
ÆR
V
PROVIDENTIAE DEORVM
S C
E
ÆR
VI
CON COR DIA
Z
ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ
ÆR
VII
TR. POT. COS. III.
S C
Z
ÆR
VIII
ΔΗΜΗΤ ΝΕΑ
B



didius, immo crudelius, quam ſi rempublicam is arroderet, (z) *qui nihil in eam ſuo labore conferret.* (a) Unde etiam Meſomedi lyrico ſalarium imminuit. Rationes omnium provincialium apprime ſcivit, & vectigalium. Patrimonium privatum in filiam contulit: ſed fructus reipublicæ donavit. Species imperatorias ſuperfluas & prædia vendidit: & in ſuis propriis fundis vixit varie, ac pro temporibus: nec ullas expeditiones obiit, niſi quod ad agros ſuos profectus eſt ad Campaniam; dicens, *gravem eſſe provincialibus comitatum principis, etiam nimis parci*, & tamen ingenti autoritate apud omnes gentes fuit: quum in Urbe propterea ſederet, ut undique nuntios (medius utpote) citius poſſet accipere.

CAP. VIII. Congiarium populo dedit, militibus donativum addidit. (38) Puellas alimentarias in honorem Fauſtinæ, Fauſtinianas conſtituit.

Opera ejus publica.

Opera ejus hæc extant: Romæ, Templum Hadriani, honori patris dicatum; Græcoſtadium poſt incendium reſtitutum, inſtauratum amphiteatrum, ſepulcrum Hadriani; templum Agrippæ, pons ſublicius, phari reſtitutio, Cajetæ portus, Tarracinenſis portus reſtitutio, lavacrum Oſtienſe, Antiatum aquæ ductus, templa Lanuviana. Multas etiam civitates adjuvit pecunia, ut opera vel nova facerent, vel vetera reſtituerent: ita, ut & magiſtratus adjuvaret, & Senatores Urbis ad functiones ſuas. Hereditates eorum, qui filios habebant, repudiavit.

Conſtitutio de legatis pœnæ cauſa relictis.

Primus conſtituit, ne pœnæ cauſa legatum relictum maneret. Succeſſorem viventi bono judici nulli dedit, niſi Orphito præfecto Urbi; ſed petenti. Nam Gavius Maximus, præfectus prætorii, uſque ad viceſimum annum ſub eo pervenit; vir ſeveriſſimus: cui Tatius Maximus ſucceſſit. In cujus demortui locum duos præfectos ſubſtituit, Fabium Repentinum, & Cornelium Victorinum. Sed Repentinus famoſa voce percuſſus eſt, quod per concubinam principis ad præfecturam veniſſet. Uſque adeo ſub eo nullus percuſſus eſt Senator, ut etiam parricida confeſſus in inſula deſerta poneretur, quia vivere illi naturæ legibus non licebat. Vini, olei, & tritici penuriam per ærarii ſui damna emendo & gratis populo dando ſedavit.

Adverſa quæ ſub Antonino provenerint.

CAP. IX. Adverſa ejus temporibus hæc provenerunt: Fames, de qua diximus, Circi ruina; terræmotus, quo Rhodiorum & Aſiæ oppida conciderunt: quæ omnia mirifice inſtauravit. Et Romæ incendium, quod trecentas quadraginta inſulas vel domos abſumpſit: & Narbonenſis civitas, & Antiochenſe oppidum, & Carthaginenſe forum arſit. Fuit & inundatio (39) Tiberis. Apparuit & ſtella crinita: Natus eſt & biceps puer: & uno partu mulieris quinque pueri editi ſunt. Viſus eſt in Arabia jubatus anguis, major ſolitis, qui ſe à cauda medium comedit. Lues etiam in Arabia fuit. Hordeum in Mœſia in culminibus arborum natum eſt. Quatuor præterea leones manſueti, ſponte ſe capiendos in Arabia præbuerunt.

Quomodo ſe geſſerit erga Reges & populos exteros.

Pharaſmanes rex ad eum Romam venit, pluſque illi, quam Hadriano, detulit. Pacorum regem Lazis (b) dedit. Parthorum regem ab Armeniorum expugnatione ſolis litteris repulit. Abgarum regem ex Orientis partibus ſola auctoritate deduxit. Cauſas regales terminavit. Sellam regiam Parthorum regi repetenti, quam Trajanus ceperat, pernegavit. Rimethalcen in regnum Boſporanum, audito inter ipſum & curatorem negotio, remiſit. Olbiopolitis contra Tauroſcythas auxilia (c) miſit, & Tauroſcythas uſque ad dandos Olbiopolitis obſides vicit. Tantum ſane autoritatis apud exteras gentes nemo habuit; cum ſemper amaverit pacem, eo uſque, ut Scipionis ſententiam frequentarit, qua ille dicebat, *Malle ſe unum civem ſervare, quam mille hoſtes occidere.*

Septembrem & Octobrem aliter appellat.

CAP. X. Menſes Septembrem atque Octobrem, *Antoninum* atque *Fauſtinum* appellandos decrevit Senatus; ſed id Antoninus reſpuit.

Fauſtinæ filiæ nuptiæ.

Nuptias filiæ ſuæ Fauſtinæ, cum Marco Antonino eam conjungeret, uſque ad donativum militum celeberrimas fecit. Verum Antoninum poſt quæſturam Conſulem fecit.

Apollonius Præceptor Marci.

Cum Apollonium, quem Chalcide (d) acciverat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, vocaſſet, ut ei Marcum Antoninum traderet, atque ille dixiſſet, *Non magiſter ad diſcipulum debet venire, ſed diſcipulus ad magiſtrum;* riſit eum, dicens, *Facilius fuit Apollonio à Chalcide Romam venire, quam à domo ſua in palatium:* cujus avaritiam etiam mercedibus notavit.

Marcus Præceptorem flet.

Inter argumenta pietatis ejus & hoc habetur, quod, cum Marcus mortuum educatorem ſuum fleret, vocareturque ab aulicis miniſtris ab oſtentatione pietatis, ipſe dixerit: *Permittite* (inquit) *illi ut homo ſit: neque enim vel philoſophia vel Imperium tollit affectus.*

Antonini clementia.

Præfectos ſuos & locupletavit, & ornamentis conſularibus donavit. Si quos repetundarum damnavit, eorum liberis bona paterna reſtituit: ea tamen lege, ut illi provincialibus redderent, quod parentes acceperant. Ad indulgentias proniſſimus fuit. (40) Edita munera, in quibus elephantos, & corocottas, & ſtrepſicerotas, crocodilos (e) etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit. Centum etiam leones una miſſione edidit.

Quomodo ſe geſſerit erga amicos.

CAP. XI. Amicis ſuis in Imperio ſuo non aliter uſus eſt quam privatus: quia & ipſi nunquam de eo cum libertis ſuis per fumum aliquid vendiderunt: ſiquidem libertis ſuis ſeveriſſime uſus eſt. Amavit hiſtrionum artes.

O o Piſcando

(z) al. ii arroderent. (a) al. conferrent. (b) al. Ladis. (c) al. contra Tauroſcythas in Pontum auxilia miſit. (d) al. è Chalcide. (e) al. elephantos & crocutas, & tigrides, & rhinocerotas, crocodilos etiam &c.

(38) Puellas . . . Fauſtinianas conſtituit) Hanc munificentiam exprimunt numi, Tab. XLIX. num. 5. & 6. De priori conf. HEMELAR. loc. cit. Tab. XXVI. num. 3. pag. 80. De poſteriori pluribus agit PHILIPPUS RUBENIUS Electorum Lib. II. cap. XXXVI.

(39) Tiberis) An numus Tab. XLIX. num. 7. cuſus fuerit ob ejus inundationem, an ob inſtauratum Pontem ſublicium, de quo ſupra cap. VIII. an ob ſtudium Piſcationis Antonini Pii, non liquet. Conf. BEGER. loc. cit. p. 665.

(40) Edita munera) Horum munerum venationumque teſſeram exhibet ſub figura Elephanti numus Tab. XLIX. num. 8. Conf. HEMELAR. Impp. Romanor. numiſm. aur. Tab. XXV. num. 6. pag. 76.

Piſcando ſe & venando multum oblectavit; & deambulatione cum amicis atque ſermone. Vindemias privati modo cum amicis agebat. Rhetoribus & philoſophis per omnes provincias & honores & ſalaria detulit. Orationes plerique alienas eſſe dixerunt, quæ ſub ejus nomine feruntur: Marius Maximus ejus proprias dicit. Convivia cum amicis & privata communicavit & publica: nec ullum ſacrificium per vicarium fecit, niſi cum æger fuit. Cum ſibi & filiis honores peteret, omnia quaſi privatus fecit. Frequentavit & ipſe amicorum ſuorum convivia. Inter alia etiam hoc civilitatis ejus præcipuum argumentum eſt, quod, cum, domum Omuli viſens, miranſque columnas porphyreticas, requiſiſſet, *unde eas haberet*, atque Omulus ei dixiſſet, *cum in domum alienam veneris, & mutus & ſurdus eſto*; patienter tulit. Cujus Omuli multa joca ſemper patienter accepit.

Et eruditos.

CAP. XII. Multa de jure ſanxit: uſuſque eſt juris peritis, Vinidio Vero, Salvio Valente, Voluſio Metiano, Ulpio Marcello, & Jaboleno. Seditiones ubicumque factas, non crudelitate, ſed modeſtia & gravitate compreſſit. Intra urbes ſepeliri mortuos vetuit. Sumptum muneribus gladiatoriis inſtituit. Vehicularium curſum ſumma diligentia ſublevavit. Omnium, quæ geſſit, & in Senatu & per edicta rationem reddidit. Periit anno ſeptuageſimo: ſed quaſi adoleſcens deſideratus eſt. Mors autem ejus talis fuiſſe narratur: Cum Alpinum caſeum in cœna ediſſet avidius, nocte rejectavit: atque alia die febre commotus eſt. Tertia die, cum ſe gravari videret, Marco Antonino, rempublicam & filiam, præſentibus præfectis, commendavit; Fortunamque auream, quæ in cubiculo principum poni ſolebat, transferri ad eum juſſit: ſignum tribuno æquanimitatis dedit: atque ita converſus quaſi dormiret, ſpiritum reddidit apud Lorium. Alienatus (*f*) in febri, nihil aliud, quam de republica, & de his regibus, quibus iraſcebatur, loquutus eſt.

Multa de jure ſanxit. *Moritur.*

CAP. XIII. Privatum patrimonium filiæ reliquit. Teſtamento autem omnes ſuos legatis idoneis proſequutus eſt. Fuit ſtatura elevata decorus. Sed cum eſſet longus & ſenex, incurvaretur, tiliaceis tabulis in pectore poſitis faſciabatur, ut rectus incederet. Senex etiam, antequam ſalutatores venirent, panem ſiccum comedit ad ſuſtentandas vires. Fuit voce rauca & ſonora cum jucunditate. A ſenatu (41) Divus eſt appellatus; cunctis certatim adnitentibus: cum omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium, ſanctimoniam, laudarent. Decreti etiam ſunt omnes honores, qui optimis principibus ante delati ſunt. Meruit & (42) circenſes & flaminem & templum & ſodales Antoninianos: (43) ſoluſque omnium prope principum prorſus ſine civili ſanguine & hoſtili, quantum ad ſeipſum pertinet, vixit: & qui rite comparatur Numæ; cujus felicitatem pietatemque & ſecuritatem ceremoniaſque ſemper obtinuit.

Statura ejus & indoles. *Divus appellatus.* *Honores ipſi decreti.* *Numæ comparatur.*

JULII CAPITOLINI
MARCUS ANTONINUS
PHILOSOPHUS
AD DIOCLETIANUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Marci Antonini origo & familia.


MARCO ANTONINO, in omni vita philoſophanti viro, & qui ſanctitate vitæ omnibus principibus antecellit, pater, Annius Verus, qui in prætura deceſſit; avus, Annius Verus, iterum Conſul & præfectus Urbi, adſcitus in patricios à principibus Veſpaſiano & Tito cenſoribus; patruus, Annius Libo Conſul; amita, Galeria Fauſtina Auguſta; mater, Domitia Calvilla, Calviſii Tulli, bis Conſulis, filia; proavus paternus, Annius Verus prætorius, ex Succubitano municipio ex Hiſpania factus Senator; proavus maternus, Catilius Severus, bis Conſul & præfectus Urbi; avia paterna, Rupilia Fauſtina, Rupilii Boni conſularis filia, fuere. Natus eſt Marcus Romæ, ſexto Kalendis Majas, in monte Cœlio in hortis; avo ſuo iterum & Augure Conſulibus. Cujus familia in originem recurrens, à Numa probatur ſanguinem trahere; ut Marius Maximus docet: item à rege Salentino, Malennio Daſummi filio, qui Lopias condidit. Educatus eſt in eo loco, in quo natus eſt, & in domo avi ſui Veri, juxta ædes Laterani. Habuit & ſororem natu minorem, Anniam Cornificiam; (44) uxorem, Anniam Fauſtinam, conſobrinam ſuam. Marcus Antoninus principio avi ſui


Nativitas ejus. *Et Educatio.* *Uxor.*

(*f*) al. reddidit. Apud Lorium alienatus &c.

---

(41) Divus eſt appellatus) Hoc teſtatur numus Tab. L. num. 1. Conf. BEGER. Tom. II. p. 668.
(42) Circenſes) Divi Antonini Eſſedum in ludis Circenſibus à quatuor Elephantis tractum vid. Tab. L. num. 2. Et Conf. HEMELAR. loc. cit. Tab. XXV. num. 9. pag. 78.
(43) Soluſque omnium . . . vixit) Pacificum hoc Antonini Pii Imperium indicat numus Tab. L. num. 3. In quo Pacis typus cornucopiæ gerit, & face arma & ſpolia hoſtium comburit, cum Inſcriptione: PAX AUGUSTA. Conf. HEMELAR. loc. cit. Tab. XXV. num. 1. pag. 75.
(44) Uxorem Anniam Fauſtinam) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 229. vid. Tab. L. num. 4.


Tab. XLIX.
ad pag. 288. 289.
AR
I
AETERNITAS.
AR
II
AVGVSTA
AR
III
VENERI AVGVSTAE
ÆR
IV
ITALIA
AR
V
FAVSTI NIANAE
PVELLAE.
ÆR
VI
PVELLAE. FAVSTINIANAE.
ÆR
VII
TIBERIS.
VIII
MVNIFICENTIA AVG.
COS. IIII.
Z


Tab. L.
ad pag. 290. 292
293.
I
DIVVS ANTONINVS.
ÆR
Z
DIVO PIO
S C
II
ÆR
Γ
III
COS IIII
PAX AVG.
ÆR. Γ
ÆR
IIII
FAVSTINA AVG. PII AVG. FIL.
Γ
V
ÆR
TR. POT. III COS II
CLEM.
Γ
ÆR
VI
PIETAS AVG.
Γ
ÆR
VII
AVRELIVS CAESAR AVG. PII F. COS.
Γ
VIII
ΚΑ ΒΙ
ϹΥΡΙѠΝ
ÆR
Γ
ΡΟϹΑΥ
ΚΑΙ
ΟΙΑΝ

ſui nomen habuit, & Catilii Severi, materni proavi. Poſt exceſſum vero patris, ab Hadriano *Annius Veriſſimus* vocatus eſt: poſt virilem autem togam, *Annius Verus.* Patre mortuo, ab avo paterno adoptatus eſt, & educatus.

Ejus nomina.

CAP. II. Fuit à prima infantia gravis. At ubi egreſſus eſt annos, qui nutricum foventur auxilio, magnis præceptoribus traditus, ad philoſophiæ ſcita pervenit. Uſus eſt magiſtris ad prima elementa Euphorione litteratore, & Gemino comœdo, muſico Androne, eodemque geometra: quibus omnibus, ut diſciplinarum auctoribus, plurimum detulit. Uſus præterea grammaticis, Græco, Alexandro: quotidianis Latinis, Troſio Apro, & Pollione, & Eutychio Proculo Siccenſi. Oratoribus uſus eſt, Græcis, Annio Macro, Caninio Celere, & Herode Attico; Latino, Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit: cui & ſtatuam in Senatu petiit. Proculum vero uſque ad proconſulatum provexit; honoribus in ſe receptis, philoſophiæ operam vehementer dedit: & quidem adhuc puer. Nam duodecimum annum ingreſſus, habitum philoſophi aſſumpſit: & deinceps tolerantiam; cum ſtuderet in pallio, & humi cubaret; vix autem, matre agente, inſtrato pellibus lectulo accubaret. Uſus eſt etiam Commodo magiſtro; cujus ei affinitas fuerat deſtinata. Uſus eſt & Apollonio Chalcedonio, Stoico philoſopho.

Studia.

Et præceptores.

CAP. III. Tantum autem ſtudium in eo philoſophiæ fuit, ut, adſcitus jam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii diſcendi cauſa veniret. Audivit & Sextum Chæronenſem, Plutarchi nepotem; Junium Ruſticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum, Stoicos. Peripateticæ vero ſtudioſus audivit Claudium Severum, & præcipue Junium Ruſticum (quem & reveritus eſt & ſectatus; qui domi militiæque pollebat) Stoicæ diſciplinæ peritiſſimum: cum quo omnia communicavit publica privataque conſilia; cui etiam ante præfectos prætorio ſemper oſculum dedit; quem & (45) Conſulem iterum deſignavit; cui poſt obitum à Senatu ſtatuas poſtulavit. Tantum aurum autem honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet: ac ſepulcra eorum aditu, hoſtiis, floribus, ſemper honoraret. Studuit & juri; audiens Lucium Voluſium Mæcianum. Tantumque operis & laboris ſtudiis impendit, ut corpus afficeret, atque in hoc ſolo pueritia ejus reprehenderetur. Frequentavit & declamatorum ſcholas publicas. Amavitque ex condiſcipulis præcipuos ſenatorii ordinis, Sejum Fuſcianum, & Aufidium Victorinum; ex Equeſtri, Bæbium Longum, & Calenum; in quos maxime liberalis fuit; & ita quidem, ut, quos non poſſet ob qualitatem vitæ reipublicæ præponere, locupletatos teneret.

Philoſophiæ nimium deditus.

Conſul II.

Juri ſtuduit.

Amavit condiſcipulos.

CAP. IV. Educatus eſt in Hadriani gremio; qui illum, ut ſupra diximus, *Veriſſimum* nominabat; & qui ei honorem etiam publice, ſexenni detulit; octavo ætatis anno (46) in Saliorum collegium retulit. In ſaliatu omen accepit Imperii. Coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus, aliæ aliis locis hæſerunt; hujus velut manu, capiti Martis aptata eſt. Fuit in eo ſacerdotio, & præſul, & vates, & magiſter; & multos inauguravit atque exauguravit, nemine præeunte, quod ipſe carmina cuncta didiciſſet. Virilem togam ſumpſit quintodecimo ætatis anno; ſtatimque ei Lucii Cejonii Commodi filia deſponſata eſt, ex Hadriani voluntate. Nec multo poſt præfectus feriarum Latinarum fuit. In quo honore præclariſſime ſe pro magiſtratibus agentem, & in conviviis Hadriani principis oſtendit. Poſt hoc, patrimonium paternum ſorori totum conceſſit: cum eum ad diviſionem mater vocaret, reſpondit, *avi bonis ſe eſſe contentum:* addens, *ut & mater, ſi vellet, in ſororem, ſuum patrimonium conferret; ne inferior eſſet ſoror marito.* Fuit autem ea vitæ indulgentia, ut cogeretur nonnunquam vel in venationes pergere, vel in theatrum deſcendere, vel ſpectaculis intereſſe. Operam præterea pingendo ſub magiſtro Diogneto dedit. Amavit pugilatum, luctamina, & curſum, & aucupatus, & pila luſit apprime, & venatus eſt. Sed ab omnibus his intentionibus ſtudium eum philoſophiæ abduxit; ſeriumque & gravem reddidit: non tamen prorſus abolita in eo comitate; quam præcipue ſuis mox amicis atque etiam minus notis exhibebat: cum frugi eſſet ſine contumacia, verecundus ſine ignavia, ſine triſtitia gravis.

Ab Hadriano educatus.

Et officiis honoratus.

Benignus in ſororem.

Reliqua ejus ſtudia.

CAP. V. His ita ſe habentibus, cum poſt obitum Lucii Cæſaris Hadrianus ſucceſſorem Imperii quæreret, nec idoneus, utpote decem & octo annos agens, Marcus haberetur; amitæ Marci virum, Antoninum Pium, Hadrianus ea lege in adoptionem legit, ut ſibi Marcum Pius adoptaret: ita tamen, ut & Marcus ſibi Lucium Commodum adoptaret. Sane ea die, qua adoptatus eſt, Verus, in ſomnis ſe humeros eburneos habere vidit: ſciſcitatusque, an apti eſſent oneri ferundo, ſolito reperit fortiores. Ubi autem comperit, ſe ab Hadriano adoptatum; magis eſt deterritus, quam lætatus: juſſusque in Hadriani privatam domum migrare, invitus de maternis hortis receſſit. Cumque ab eo domeſtici quærerent, *cur triſtis in adoptionem regiam tranſiret?* diſputavit, *quæ mala in ſe contineret Imperium.* Tunc primum pro Annio (47) Aurelius cœpit vocari, quod in Aureliam, hoc eſt Antonini, adoptionis jure tranſiſſet. Octavodecimo ergo ætatis anno adoptatus, in ſecundo conſulatu Antonini, jam patris ſui, Hadriano ferente, gratia ætatis facta, quæſtor eſt deſignatus. Adoptatuſque

Ab Antonino Pio adoptatur. U. C. 891. p. C. N. 139.

Aurelius vocatur.

Quæſtor deſignatur.

(45) Conſulem iterum . . . . ſecundum etiam Conſulem deſignavit) Quam Clementiam Antonini Pii Imp. in Antoninum Philoſophum exhibet numus Tab. L. num. 5. Conf. HEMELAR. Imp. Rom. Numiſm. aurea Tab. XXVII. num. 6. pag. 84.

(46) In Saliorum collegium retulit) Hanc Antonini Philoſophi pietatem exprimunt Inſtrumenta Sacrificiorum, culter, popæ, aſpergillum, guttur, lituus & capeduncula, in numo Tab. L. num. 6. Conf. HEMELAR. loc. cit. Tab. XXVII. num. 10. pag. 85.

(47) Aurelius cœpit vocari) Inde in quibusdam numis hoc nomen unicum gerit. Exemplo ſit numus Tab. L. num. 7. Conf. HEMELAR. loc. cit. Tab. XXVII. num. 2. pag. 83.

tusque in aulicam domum, omnibus parentibus suis tantam reverentiam, quantam privatus, exhibuit. Eratque haud secus rei suæ, quam in privata domo, parcus ac diligens; pro instituto patris volens agere, dicere, cogitare.

CAP. VI. Hadriano Baiis absumpto, cum Pius ad vehendas ejus reliquias esset profectus, relictus Romæ, avo justa implevit: & gladiatorum, quasi privatus, quæstor edidit munus. Post excessum Hadriani statim Pius per uxorem suam Marcum sciscitatus est: & cum dissolutis sponsalibus, quæ cum Lucii Cejonii Commodi filia desponderi voluerat, impar adhuc ætati esset; habita deliberatione, *cogitare velle se* dixit. (*g*) His ita gestis, adhuc quæstorem & Consulem secum Pius Marcum designavit, & Cæsaris appellatione donavit: & Sevirum turmis equitum Romanorum, jam Consulem designatum creavit: & edenti cum collegis ludos Sevirales adsedit; & in Tiberianam domum transgredi jussit; & aulico fastigio retinentem ornavit; & in collegia sacerdotum, jubente Senatu, recepit; SECUNDUM ETIAM CONSULEM DESIGNAVIT, cum ipse quartum pariter iniret. Per eadem tempora, cum tantis honoribus occuparetur, & cum formandus ad regendum statum reipublicæ patris actibus interesset, studia cupidissime frequentavit. Post hæc Faustinam duxit uxorem: & suscepta filia, tribunitia potestate donatus est, atque Imperio extra Urbem proconsulari, addito jure quintæ relationis, tantumque apud Pium valuit, ut numquam quemquam sine eo facile promoverit. Erat autem in summis obsequiis patris Marcus: quamvis non deessent, qui aliqua adversum eum insusurrarent; & præ ceteris Valerius Omulus: qui, cum Lucillam, matrem Marci, in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset, insusurravit, *Illa nunc rogat, ut diem tuum claudas, & filius imperet.* Quod omnino apud Pium nihil valuit: tanta erat Marci probitas, & tanta in imperatorio principatu modestia. Existimationis autem tantam curam habuit, ut & procuratores suos puer semper moneret, ne quid arrogantius facerent, & hereditates delatas, reddens proximis, aliquando respuerit. Denique per viginti & tres annos in domo patris ita versatus, ut ejus quotidie amor cresceret: nec præter duas noctes per tot annos ab eo mansit, diversis vicibus. Ob hoc Antoninus Pius, cum sibi adesse finem vitæ videret, vocatis amicis & præfectis, ut successorem eum Imperii omnibus commendavit atque firmavit: statimque signo æquanimitatis tribuno dato, Fortunam auream, quæ in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum transire jussit. Bonorum maternorum partem Mummio Quadrato, sororis filio, (quia illa jam mortua erat) tradidit. Post excessum Divi Pii, à Senatu coactus regimen publicum capere, (48) fratrem sibi participem in Imperio designavit: quem *Lucium Aurelium Verum Commodum* appellavit, Cæsaremque atque Augustum dixit: atque ex eo pariter cœperunt rempublicam regere. Tuncque primum Romanum Imperium duos Augustos habere cœpit, * lictum cum alio participasset. (*h*) Antonini mox ipse nomen recepit. Et quasi pater Lucii Commodi esset, & Verum eum appellavit, addito Antonini nomine, filiamque suam (49) Lucillam fratri despondit. Ob hanc conjunctionem (50) pueros & puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt. Actis igitur, quæ agenda fuerant, in Senatu, pariter castra prætoria petiverunt, & vicena millia numûm singulis ob participatum Imperium militibus promiserunt, & ceteris pro rata. Hadriani autem sepulchro corpus patris intulerunt magnifico exsequiarum officio: mox justitio sequuto, publice quoque funeris expeditus est ordo. Et laudavere uterque pro rostris patrem, flaminemque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis Aurelianos creavere.

CAP. VIII. Adepti Imperium, (51) ita civiliter se ambo egerunt, ut lenitatem Pii nemo desideraret; cum eos Marullus, sui temporis mimographus, cavillando impune perstringeret. Funebre munus patri dederunt. Dabat se MARCUS totum & philosophiæ, amorem civium affectans. Sed (52) interpellavit istam felicitatem securitatemque Imperatoris prima Tiberis inundatio, quæ sub illis gravissima fuit. Quæ res & multa Urbis ædificia vexavit, & plurimum animalium interemit, & famem gravissimam peperit. Quæ omnia mala Marcus & Verus sua cura & præsentia temperarunt. Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus, paratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit, fugato Atidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat. Imminebat etiam Britannicum bellum: & Catti in Germaniam ac Rhætiam irruperant. Et adversus Britannos quidem Calpurnius Agricola missus est; contra Cattos Aufidius Victorinus. (53) Ad Parthicum vero bellum, Senatu

Consul I. & Cæsar appellatur.

Consul II. U. C. 897. p. C. N. 145.

Faustinam uxorem ducit.

Omuli dictum ad Antoninum Pium.

Antoninus Philosophus manet perpetuo cum Antonino Pio.

Ab Antonino Pio successor declaratur.

Antoninus Philosophus Imperator. U. C. 913. p. C. N. 161.

Commodum Imperii consortem facit.

Commodi nomina.

Antonini Pii sepultura.

Adversa Augustorum.

Eorum bella.

Bellum Parthicum. U. C. 914. p. C. N. 162.

(*g*) al. Sciscitatus est: utrum dissolutis sponsalibus, filiam, quam L. Cejonio Commodo desponderi voluerat impari adhuc ætate, vellet ducere? habita deliberatione, velle se dixit. (*h*) alii sic supplent: cum id nemo ante istum cum alio participasset.

(48) Fratrem sibi participem in Imperio designavit) Voluntarium hoc consortium Imperii adumbratur in numo Illustris Domini ANDREW FOUNTAIN apud D. HAYM in Tesoro Britannico Vol. II. p. 254. Vid. Tab. L. num. 8. In quo ab una parte apparent Imperatores MARCUS AURELIUS & LUCIUS VERUS, ab altera vero parte Castor & Pollux ad designandum conjunctionem fraternam, cum Inscriptione KABI CYPIΩN. h. e. Cabirorum Syriorum, Seu Deorum Syriorum, hoc enim vocabulo Phœnices & Syri suos appellabant Deos. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. p. 483.

(49) Lucillam) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 189. vid. Tab. LI. num. 1.

(50) Pueros & puellas - - - præceperunt) Hanc pietatem Augustorum prædicat numus Tab. LI. num. 2. In quo Pietas velata sedens, dextraque hastam tenens, sinistram super caput trium puerorum nudorum adstantium porrigit. Conf. OISEL. Th. Numism. antiqu. Tab. LXXVII. num. 2. pag. 409.


(51) Ita civiliter se ambo egerunt &c.) De hac Augustorum Concordia loquitur numus Tab. LI. num. 3. In quo Dea Concordia duos togatos, Augustos scilicet, sinu vestis complectitur cum Inscriptione: Concordia. Confer. HEMELAR. loc. cit. Tab. XXVII. num. 12. p. 85.

(52) Interpellavit istam felicitatem - - - Tiberis inundatio) In memoriam hujus Inundationis cusus est numus Tab. LI. num. 4. Conf. OISEL. loc. cit. Tab. XXX. num. 5. pag. 130. add. HEMELAR. Tab. XXVIII. num. 10. pag. 88.

(53) Ad Parthicum bellum - - - Romæ positus & disposuit Marcus, & ordinavit) Hunc apparatum rei bellica, sive expeditionis in Par-

Tab. LI.
ad pag. 292. 293.





Tab. LII.
ad pag. 293. 294.
295.
Æ
I
TR.POT.III. COS.II.
Δ
Æ
II
RESTITVTORI ITALIAE IMP.VI.COS.III.
S.C
Γ
Æ
III
M.AVREL.ANTONINVS AVG.ARMENIACVS P.P.
Z
IV
Æ
V
PROFECTIO AVG.
S.C.
Γ
Æ
VI
PROFECTIO AVG.TR.P.II.
COS.II.
Γ
Æ
VII
DIVVS VERVS
Z
Æ
VIII
IMP.VIIII. COS.III.P.P.
CLEMENTIA AVG
Θ

Senatu consentiente, Verus frater ejus missus est: ipse Romæ remansit; quod res urbanæ Imperatoris præsentiam postularent. Et Verum quidem Marcus, Capuam usque prosequutus, amicis comitantibus è Senatu, ornavit, additis officiorum omnium principibus. Sed cum Romam rediisset Marcus, cognovissetque, Verum apud Canusium ægrotare, ad eum videndum contendit, susceptis in Senatu votis: quæ, posteaquam Romam rediit, audita Veri transmissione, statim reddidit. Et Verus quidem, posteaquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit, armisque se gladiatoriis & venatibus exercuit: cum, per legatos bellum Parthicum gerens, Imperator appellatus esset. Cum Marcus horis omnibus reipublicæ actibus incubaret, patienterque delicias fratris, & prope invitus ac nolens, ferret. Denique omnia, quæ ad bellum erant necessaria, Romæ positus & disposuit Marcus, & ordinavit.

Armeniaci dicuntur. U.C. 915. p. C.N. 163.

CAP. IX. (54) Gestæ sunt res in Armenia prospere per Statium Priscum, Artaxatis captis delatumque (55) ARMENIACUM nomen utrique principum: quod Marcus per verecundiam primo recusavit; postea tamen recepit. Profligato autem bello, uterque (56) PARTHICUS appellatus est. Sed hoc quoque Marcus delatum nomen repudiavit; quod postea recipit. *Patris Patriæ* autem nomen, delatum fratre absente, in ejusdem præsentiam distulit. Medio belli tempore & Civicam patruum Veri, & filiam suam nupturam, commissam sorori suæ curæ, eandem locupletatam, Brundisium usque deduxit, & ad eum misit. Romam vero statim rediit, revocatus eorum sermonibus, qui dicebant, *Marcum velle finiti belli gloriam sibimet vindicare, atque idcirco in Syriam proficisci.* Ad proconsules scribit, *ne quis filiæ suæ iter facienti occurreret.* Inter hæc liberales causas ita munivit, ut primus juberet apud præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem, nomine imposito. Per provincias tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii: ut, si forte aliquis in provincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret: atque hanc totam legem de assertionibus firmavit: aliasque de mensariis & auctionibus tulit.

Et Parthici. Patres Patriæ. Antonini Philosophi cura causarum liberalium.

Cura de Senatu ejusque officiis.

CAP. X. Senatum multis cognitionibus, & maxime ad se pertinentibus, judicem dedit. De statu etiam defunctorum intra quinquennium quæri jussit. Neque quisquam principum amplius Senatui detulit. In Senatus autem honorificentiam, multis & prætoriis & consularibus privatis decidenda negotia delegavit: quo magis eorum cum exercitio juris auctoritas cresceret. Multos ex amicis in Senatum allegit cum ædilitiis aut prætoriis dignitatibus. Multis Senatoribus pauperibus sine crimine, dignitates tribunitias ædilitiasque concessit. Nec quemquam in ordinem legit, nisi quem ipse bene scisset. Hoc quoque Senatoribus detulit, ut, quoties de eorum capite esset judicandum, secreto pertractaret, atque ita in publicum prodiret: nec pateretur equites Romanos talibus interesse causis. Semper autem, cum potuit, interfuit Senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romæ fuit: si vero aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venis. Comitiis præterea etiam usque ad noctem frequenter interfuit: neque umquam recessit de curia, nisi Consul dixisset, *Nihil vos moramur Patres conscripti.* Senatum, appellationibus à Consule factis, judicem dedit. Judiciariæ rei singularem diligentiam adhibuit: fastis dies judiciarios addidit, ita, ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret. Prætorem tutelarem primus fecit; cum ante tutores à Consulibus poscerentur: ut diligentius de tutoribus tractaretur. De curatoribus vero, cum ante non nisi ex lege Lætoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, ut omnes adulti curatores acciperent, non redditis causis.

Comitiis diligenter interest. Judiciariæ rei studiosus. Curatores ordinat.

CAP. XI. Cavit & sumptibus publicis, & calumniis quadruplatorum intercessit; apposita falsis delatoribus nota. Delationes quibus fiscus augeretur, contempsit. (57) De alimentis publicis multa prudenter invenit. Curatores multis civitatibus, quo latius senatorias tenderet dignitates, è Senatu dedit. Italicis civitatibus famis tempore frumentum ex Urbe donavit: omnique frumentariæ rei consuluit. Gladiatoria spectacula omnifariam temperavit. Temperavit etiam scenicas donationes; jubens, ut quinos aureos scenici acciperent: ita tamen, ut nullus editor decem aureos egrederetur. Vias etiam Urbis atque itinerum diligentissime curavit. Rei frumentariæ graviter providit. Datis juridicis, (58) Italiæ consuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus consulares viros reddere jura præceperat. Hispaniis exhaustis, Italica allectione, contra Trajani præcepta, verecunde consuluit. Leges etiam addidit de vicesima hereditatum, de tutelis liberorum, de bonis maternis, & item de filiorum successionibus pro parte materna; utque Senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent. Dedit præterea curatoribus regionum ac viarum potestatem, ut vel punirent, vel ad præfectum Urbi puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quidquam ab aliquo exegissent. Jus autem magis vetus restituit, quam novum fecit. Habuit secum præfe-

Et alia bene constituit.

Parthos ostendit numus Tab. LI. num. 5. in quo Marcus Imp. inter signa stat militaria cum paludamento, sinistra hastam tenens. Conf. HEMELAR. loc. cit. Tab. XXVIII. num. 8. pag. 88.

(54) Gestæ sunt res in Armenia prospere) Hanc victoriam de Armeniis designat numus Tab. LI. num. 6. In quo Armenia, sub tropHæo de spoliis Armeniorum fixo sedens luget. Conf. HEMELAR. loc. cit. Tab. XXIX. num. 1. pag. 90. & OISEL. Tab. XIX. num. 7. pag. 91.

(55) Armeniacus) Titulum Armeniaci gerit in numo Tab. LI. num. 7. Conf. HEMELAR. Tab. XXIX. num. 5. pag. 90.

(56) Parthicus) Hunc titulum addidit in numo Tab. LI. num. 8. Conf. HEMELAR. Tab. XXIX. num. II. pag. 91.

(57) De alimentis publicis) Hujus rei testimonium præbet numus Tab. LII. num. 1. in quo sub Cereris simulacro Imperator dextra spicas, sinistra fruges in canistro erigit. Conf. HEMELAR. loc. cit. Tab. XXVIII. num. 3. pag. 86.

(58) Italiæ consuluit) Hinc Restitutoris Italiæ elogium meruit in numo Tab. LII. num. 2. Conf. OISEL. Tab. XXVIII. num. 9. p. 125.

præfectos, quorum ex auctoritate & periculo semper jura dictavit. Usus autem est Scœvola præcipue, jurisperito.

Ejus moderatio.

CAP. XII. Cum populo autem non aliter egit, quam est actum sub civitate libera. Fuitque per omnia moderatissimus in hominibus deterrendis à malo, invitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos: moderate etiam cavillationes nonnullorum ferens. Nam cum quendam Vetrasinum, famæ detestandæ, honorem petentem moneret, *ut se ab opinionibus Populi vindicaret*; & ille contra respondisset, *multos, qui secum in arena pugnassent, se prætores videre*; patienter tulit. Ac ne in quemquam facile vindicaret, prætorem, qui quædam pessime egerat, (*i*) non abdicare se prætura jussit, sed collegæ jurisdictionem mandavit. Fisco in causis compendii numquam judicans favit. Sane, quamvis esset constans, erat etiam verecundus. Posteaquam autem à Syria victor rediit frater, (59) Patris Patriæ nomen ambobus decretum est: cum se Marcus absente Vero, erga omnes Senatores atque homines moderatissime gessisset. Corona præterea civica oblata est ambobus: petiitque Lucius, (60) ut secum Marcus triumpharet. Petiit præterea Lucius, ut filii Marci Cæsares appellarentur. Sed Marcus tanta fuit moderatione, ut, cum simul triumphasset, tamen post mortem Lucii tantum *Germanicum* se vocaret; quod sibi bello proprio pepererat. In triumpho autem liberos Marci utriusque sexus secum vexerunt; ita tamen, ut & puellas virgines veherent. Ludos etiam ob triumphum decretos spectaverunt habitu triumphali. Inter cetera pietatis ejus, hæc quoque moderatio prædicanda est: Funambulis post puerum lapsum culcitras subjici jussit: unde hodieque rete prætenditur. Dum Parthicum bellum geritur, natum est Marcomannicum quod diu eorum, qui aderant, arte suspensum est; ut, finito jam orientali bello, Marcomannicum agi posset. Et cum famis tempore, Populo insinuasset de bello, fratre post quiquennium reverso, in Senatu egit, *ambos necessarios* dicens *bello Germanico Imperatores*.

Patris Patriæ nomen Augustis impositum.

Antoninus Philosophus Germanicus dicitur.

Bellum Marcomannicum.

Omnia Romæ terrore complet.

CAP. XIII. Tantus autem timor belli Marcomannici fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit; peregrinos ritus impleverit; Romam omni genere lustraverit; retardatusque à bellica profectione sit. Celebravit & Romano ritu lectisternia per septem dies. Tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata sarracisque. Tunc autem Antonini leges sepeliendi sepulcrorumque asperrimas sanxerunt: quando quidem caverunt, ne, uti quis vellet, fabricaret sepulcrum: (*k*) quod hodieque servatur. Et multa quidem millia pestilentia consumpsit, multosque ex proceribus: quorum amplissimis Antoninus statuas collocavit. Tantaque clementia fuit, ut & sumptu publico vulgaria funera juberet efferri; & vano cuidam, qui diripiendæ Urbis occasionem cum quibusdam consciis requirens, de caprifici arbore in campo Martio concionabundus, *ignem de cœlo lapsurum, finemque mundi affore*, dicebat, *si ipse lapsus ex arbore in ciconiam verteretur*; cum statuto tempore decidisset, atque ex sinu ciconiam emisisset, perducto ad se atque confesso veniam daret.

Pestilentia Romæ.

CAP. XIV. (61) Profecti itaque sunt paludati ambo Imperatores, Victovalis (*l*) & Marcomannis cuncta turbantibus; aliis etiam gentibus, quæ pulsæ à superioribus barbaris fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus. Nec parum profuit ista profectio, cum Aquileiam usque venissent. Nam plerique reges, & cum populis suis se retraxerunt, & tumultus autores interemerunt. Quadi autem, amisso rege suo, *non prius se confirmaturos eum, qui erat creatus*, dicebant, *quam id nostris placuisset Imperatoribus*. Lucius tamen invitus profectus est, cum plerique ad legatos Imperatorum mitterent, defectionis veniam postulantes. Et Lucius quidem, quod amissus esset præfectus prætorio Furius Victorinus, atque pars exercitus interisset, *redeundum esse* censebat: Marcus autem, fingere barbaros existimans & fugam & cetera quæ securitatem bellicam ostenderent, ob hoc, ne tanti apparatus mole premerentur, *instandum esse* ducebat. Denique transcensis Alpibus longius processerunt, composueruntque omnia, quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant. Placuit autem, urgente Lucio, ut, præmissis ad Senatum literis, Lucius Romam rediret. * * Una quoque posteaquam iter ingressi sunt, sedens cum fratre in vehiculo Lucius, apoplexia correptus periit.

Quadi compescuntur.

Lucii Cæsaris obitus. U. C. 922. p. C. N. 170.

CAP. XV. Fuit autem consuetudo Marco, ut in Circensium spectaculo legeret, audiretque ac subscriberet: ex quo quidem sæpe jocis popularibus dicitur lacessitus. Multum sane potuerunt liberti sub Marco & Vero, Geminas & Agaclytus. Tantæ autem sanctitatis fuit Marcus, ut Veri vitia & celaverit & defenderit; cum ei vehementissime displicerent, mortuumque eum (62) Divum appellaverit: amitasque ejus & sorores honoribus & salariis decretis sublevaverit atque provexerit: sacrisque eum plurimis honoraverit. Flaminem & Antonianos sodales, & omnes honores, qui Divis habentur, eidem dedicavit. Nemo est princi-

Bonitas Antonini Philosophi in Oerum ejusque cognatos.

Veri suspecta mors.

(*i*) al. prætorem quoque, dum pessime egerat. (*k*) al. quando quidem caverunt, ut, siquis succedere vellet, fabricaret sepulcrum. al. quando quidem caverunt, ne quis belle fabricaretur sepulcrum. al. quando quidem caverunt: NE QUIS VELLERET OPERIRETVE SEPULCRUM. (*l*) al. Parthis.

(59) Patris Patriæ nomen) Quo titulo usus Marcus Aurelius Antoninus numo Tab. LII, num. 3. Conf. BEGER. T. II. p. 674.

(60) Ut secum Marcus triumpharet - - - In triumpho autem) Præstantissimum exhibemus de hoc triumpho numisma Tab. LII, num. 4. ex Cimeliarchio LUDOVICI XIV. maximi moduli. In Quadrigis enim non fratres solum, sed & puerulus conspicitur, reliquos fratres & sorores denotans. Conf. Cimeliarchium Ludovici XIV. Tab. XII. num. 4.

(61) Profecti itaque sunt paludati ambo Imperatoris) Utriusque Augusti profectio indicatur numis Tab. LII. num. 5. & 6. Conf. OISEL. Tab. LXXXVIII. num. 1. & 2. p. 443.

(62) Divum appellaverit) Hoc testatur numisma Tab. LII. num. 7. Conf. BEGER. T. II. p. 677.

principum, quem non gravis fama perstringat; usque adeo, ut etiam Marcus in sermonem venerit, quod Verum vel veneno ita tulerit, ut parte cultri veneno lita vulvam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans, & sibi innoxiam reservans: vel certe per medicum Posidippum, qui ei sanguinem intempestive dicitur emisisse. Cassius post mortem Veri à Marco descivit.

Benignitas Antonini Philosophi in Commodum & ejus propinquos.

CAP. XVI. Jam in suos tanta fuit benignitate Marcus, ut cum in omnes propinquos cuncta honoris ornamenta contulerit; tum in filium Commodum, & quidem scelestum atque impurum, cito nomen Cæsaris, & mox sacerdotium, statimque nomen Imperatoris, ac triumphi participationem, & consulatum. Quo quidem tempore sine Imperatoris filio (*ll*) ad triumphalem currum in Circo pedes cucurrit. Post Veri obitum, Marcus Antoninus solus rempublicam tenuit; multo melior & feracior ad virtutes: quippe qui nullis Veri jam impediretur aut simulatis callidæ severitatis (quo ille ingenito vitio laborabat) erroribus, aut his, quibus præcipue displicebat Marco Antonino jam inde à primo ætatis suæ tempore, vel institutis mentis pravæ, vel moribus. Erat enim ipse tantæ tranquillitatis, ut vultum numquam mutaverit mœrore vel gaudio: philosophiæ deditus Stoicæ; quam & per optimos quosque magistros acceperat, & undique ipse collegerat. Et Hadrianus ut dictum est, hunc eundem successorem paraverat, nisi ei ætas puerilis obstitisset. Quod quidem apparet ex eo, quod generum Pio hunc eundem delegit, ut ad eum, dignum utpote virum, quandoque Romanum perveniret Imperium.

Antoninus Philosophus solus rempub. gerit.

Quomodo Provincias rexerit.

CAP. XVII. Ergo (63) provincias post hæc ingenti moderatione ac benignitate tractavit. (64) Contra Germanos res feliciter gessit. Specialiter ipse bellum Marcomannicum, sed quantum nulla umquam memoria fuit, tum virtute, tum etiam felicitate transegit: & eo quidem tempore, quo pestilentia gravis multa millia & popularium & militum interemerat. Pannonias ergo, & Marcomannis, Sarmatis, Wandalis, simul etiam Quadis exstinctis, servitio liberavit; & (65) Romæ cum Commodo, quem jam Cæsarem fecerat, filio (ut diximus) suo, triumphavit. Cum autem ad hoc bellum omne ærarium exhausisset suum, neque in animum induceret, ut extra ordinem provincialibus aliquid imperaret, in foro Divi Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendiditque aurea pocula & crystallina & myrrhina, vasa etiam regia, & vestem uxoriam sericam & auratam; gemmas quinetiam, quas multas in repostorio sanctiore Hadriani repererat: & per duos quidem menses hæc venditio celebrata est, tantumque auri redactum, ut, reliquias belli Marcomannici ex sententia persequutus, postea dederit potestatem emptoribus, ut, si quis vellet empta reddere atque aurum recipere, sciret licere. Nec molestus ulli fuit, qui vel non reddidit empta, vel reddidit. Tunc viris clarioribus permisit, ut eodem cultu, quo & ipse, vel ministeriis similibus convivia exhiberent. In munere autem publico tam magnanimus fuit, ut centum leones una missione simul exhiberet, sagittis interfectos.

Bello Marcomannico proprias opes impendit.

Antoninus Philosophus moritur.

CAP. XVIII. Cum igitur in amore omnium imperasset, atque ab aliis modo *frater*, modo *pater*, modo *filius*, ut cujusque ætas sinebat, & diceretur, & amaretur; octavodecimo anno Imperii sui, sexagesimo & primo vitæ, diem ultimum clausit. Tantusque illius amor eo die regii funeris claruit, ut nemo illum plangendum censuerit; certis omnibus, quod à Diis commodatus, ad Deos redisset. Denique, priusquam funus conderetur, ut plerique dicunt, (quod nunquam antea factum fuerat, neque postea) Senatus Populusque, non divisis locis, sed in una sede, *propitium deum* dixit. Hic sane vir tantus & talis, ac Diis vita & morte conjunctus, filium Commodum dereliquit: qui, si felix fuisset, filium non reliquisset. Et parum sane fuit, quod illi honores divinos omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio ac dignitas dedit; nisi, quod etiam sacrilegus judicatus est, qui ejus imaginem in sua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere, vel debuit. Denique hodieque in multis domibus Marci Antonini statuæ consistunt inter deos penates. Nec defuerunt homines, qui, somniis eum multa prædixisse, augurantes, futura & vera concinuerunt. Unde etiam templum ei constitutum, dati sacerdotes Antoniniani, & sodales & flamines, & omnia quæ de sacratis decrevit antiquitas.

Amor Populorum erga ipsum.

Imago ipsius per omnes fere domos.

Commodus ex adulterio natus fertur.

CAP. XIX. Aiunt quidam (quod & verisimile videtur) Commodum Antoninum, successorem illius ac filium, non esse de eo natum, sed de adulterio; ac talem fabellam vulgari sermone contexunt: Faustinam quondam, Pii filiam, Marci uxorem, cum gladiatores transire vidisset, unius ex his amore succensam, cum longa ægritudine laboraret, viro de amore confessam: quod cum ad Chaldæos Marcus retulisset; illorum fuisse consilium, *ut occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina sublavaret, atque ita cum viro concumberet.* Quod cum esset factum, solutum quidem amorem, natum vero Commodum gladiatorem esse, non principem: qui mille prope pugnas publice populo inspectante gladiatorias Imperator exhibuit; ut in vita ejus docebitur. Quod quidem verisimile ex eo habetur, quod tam sancti principis filius his moribus fuit, quibus nullus lanista, nullus scenicus, nullus arenarius, nullus postre-

(*ll*) al. quo quidem tempore senex Imperator filio &c.

(63) Provincias post hæc - - - tractavit) Quam Clementiam numus Tab. LII. num. 8. maximi moduli Cimeliarchii nostri ob oculos ponit.

(64) Contra Germanos res feliciter gessit) Varii numi Victoriam M. Aurelii Antonini Philosophi exprimunt. E quibus adducimus Tab. LIII. num. 1. 2. 3. & 4. quatuor ex OISEL. loc. cit. Tab. XXV. num. 5. 7. 8. & 9. pag. 111. & 112. Deinde unum Tab. LIII. num. 5. ex HEMELAR. Tab. XXVIII. num. 12. pag. 88.

(65) Romæ cum Commodo - - - triumphavit) Hujus triumphi duo maximi moduli numismata ex Cimeliarchio nostro producimus Tab. LIII. num. 6. & 7.

postremo ex omnium dedecorum ac scelerum colluvione concretus. Multi autem ferunt, Commodum omnino ex adulterio natum: (66) siquidem Faustinam satis constat apud Cajetam conditiones sibi & nauticas & gladiatorias elegisse; de qua cum diceretur Antonino Marco, ut eam repudiaret, si non occideret, dixisse fertur: *Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem.* Dos autem quid erat, nisi Imperium, quod ille ab socero, volente Hadriano adoptatus, acceperat? Tantum sane valet boni principis vita, sanctitas, tranquillitas, pietas, ut ejus famam nullius proximi decoloret invidia. Denique Antonino, cum suos mores semper teneret, neque alicujus insusurratione mutaretur, non obfuit gladiator filius, uxor infamis: Deusque etiam nunc habetur, ut vobis ipsis, sacratissime Imperator Diocletiane, & semper visum est, & videtur: qui eum inter numina vestra, non ut ceteros, sed specialiter veneramini; ac sæpe dicitis, *vos vita & clementia tales esse cupere*, (67) *qualis fuit Marcus:* etiamsi philosophia nec Plato esse possit, si revertatur in vitam. Et quidem hæc breviter & congeste.

Antoninus Philosophus uxorem excusat.

CAP. XX. Sub Marco Antonino sunt gesta post fratrem (68) Primum corpus ejus Romam devectum est, & illatum majorum sepulcris: (69) divini honores decreti. Deinde cum gratias ageret Senatus, quod fratrem consecrasset, occulte ostendit omnia bellica consilia sua fuisse, quibus superati sunt Parthi. Addidit præterea quædam, quibus ostendit, nunc demum se quasi à principio acturum esse rempublicam, amoto eo, qui remissior videbatur. Nec aliter Senatus accepit, quam Marcus dixerat; ut videretur gratias agere, quod Verus excessisset vita. Omnibus deinde sororibus & affinibus & libertis juris & honoris & pecuniæ plurimum detulit. Erat enim famæ suæ curiosissimus, & requirens ad verum quid quisque de se diceret, emendans quæ bene reprehensa viderentur. Proficiscens ad bellum Germanicum, filiam suam, non decurso luctus tempore, grandævo equitis Romani filio Claudio Pompejano dedit, genere Antiochensi, nec satis nobili: quem postea bis Consulem fecit, cum filia ejus Augusta esset, & Augusti filia. Sed has nuptias & Faustina, & ipsa quæ dabatur, invitæ habuerunt.

Veri sepultura.

Antoninus Philosophus filiam suam elocat.

CAP. XXI. Cum Mauri Hispanias prope omnes vastarent, res per legatos bene gestæ sunt. Et cum per Ægyptum Bucolici milites gravia multa fecissent, per Avidium Cassium retusi sunt, qui postea tyrannidem arripuit. Sub ipsis profectionis diebus in secessu Prænestino agens, filium nomine Verum Cæsarem, exsecto sub aure tubere, septennem amisit: quem non plus quinque diebus luxit; consolatusque etiam medicos, actibus publicis se reddidit. Et quia ludi Jovis Optimi Maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit: jussitque, *ut statuæ tantummodo filio mortuo decernerentur, & imago aurea Circensibus per pompam ferenda, & ut Saliari carmini nomen ejus insereretur.* Instante sane adhuc pestilentia, & Deorum cultum diligentissime restituit: & servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit; quos Voluntarios exemplo Volonum appellavit. Armavit etiam gladiatores, quos obsequentes appellavit. Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecit. Armavit & Diocmitas. Emit & Germanorum auxilia contra Germanos. Omni præterea diligentia paravit legiones ad Germanicum & Marcomannicum bellum: & ne provincialibus esset molestus, auctionem rerum aulicarum, ut diximus, fecit in foro Divi Trajani; in qua præter vestes & pocula & vasa aurea, etiam signa cum tabulis magnorum artificium vendidit. Marcomannos autem (70) in ipso transitu Danubii delevit; & prædam provincialibus reddidit.

Bella ab Antonino Philosopho solo gesta.

Præcipue Germanicum & Marcomannicum, U.C. 924, p. C. N. 172.

CAP. XXII. Gentes omnes ab Illyrici limite usque in Galliam conspiraverant, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri, & Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes, & Buri: hi aliique cum Victovalis, Sosibes, Sicobotes, Rhoxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci. Imminebat & Parthicum bellum & Britannicum. Magno igitur labore etiam suo, gentes asperrimas vicit, militibus sese invitantibus, ducentibus etiam exercitum legatis & præfectis prætorio: accepitque in deditionem Marcomannos, plurimis in Italiam traductis. Semper sane cum optimatibus, non solum bellicas res, sed etiam civiles, priusquam faceret aliquid contulit. Denique sententia illius præcipua semper hæc fuit: *Æquius est, ut ego tot & talium amicorum consilium sequar, quam ut tot & tales amici meam unius voluntatem sequantur.* Sane quia durus videbatur, ex philosophiæ institutione, Marcus ad militiæ labores atque ad omnem vitam, graviter carpebatur: sed male loquentium dictis, vel litteris vel sermone respondebat. Et multi nobiles bello Germanico sive Marcomannico, immo plurimarum gentium, interierunt: quibus omnibus statuas in foro Ulpio collocavit. Quare amici frequenter suaserunt, ut à bellis discederet, Romam veniret: sed ille contempsit, ac perstitit; nec prius recessit, quam omnia bella finiret. Provincias ex proconsularibus consulares, aut ex consularibus proconsulares, aut prætorias, pro belli necessitate, fecit. Res etiam in Sequanis turbatas, censura & auctoritate repressit. Compositæ res in Hispania, quæ per Lusitaniam turbatæ erant. Filio Commodo accersito ad limitem, togam virilem dedit, quare congiarium Populo divisit, & eum ante tempus Consulem designavit.

Gentes conspirantes victæ.

In omnibus rebus consilio utitur Antoninus Philosophus.

Commodo dat togam virilem.

CAP. XXIII. Si quis unquam proscriptus esset

Ejus munificentia in populum.


---


(66) Siquidem Faustinam satis notam &c.) Et quamvis hoc de Faustina notum fuerit, tamen Senatus, ut tempori inserviret, eam in numo Tab. LIII. num. 8. sub forma Pudicitiæ expressit. Conf. OISEL. loc. cit. Tab. LXXXV. num. 11. p. 434.

(67) Qualis fuit Marcus) Hoc nomen accepit, quando cum L. Vero Imperium administrare æquo jure cœpit. Vide numum Tab. LIV. num. 1. & Conf. HEMELAR. Tab. XXIX. num. 2. pag. 89.


(68) Primum corpus - - - (69) divini honores decreti) Ad honores præprimis refertur Consecratio, quam exhibet numus Tab. LIV. num. 2. Conf. OISEL. Tab. CII. num. 5. pag. 504.

(70) In ipso transitu Danubii) De hoc transitu vel trajectu loquitur numus Tab. LIV. num. 2. Conf. OISEL. Tab. LXXXVIII. num. 10.


Tab. LIII. ad pag. 295. 296.
AR
I
GERMANIA SVBACTA IMP. VI. COS. IIII.
S C
Γ
AR
II
GERMANIA SVBACTA IMP. VI. COS. IIII.
S C
Γ
AR
III
GERMANIA SV BACTA IMP. VI. COS. III.
Γ
AR
IV
IMP. VII. COS. III. P. P.
DE GERMANIS.
Γ
AR
V
IMP. VIII. COS. III. P. P.
DE GERM.
Δ
AR
VI
Θ
AR
VII
TR. POT. COS
Θ
AR
VIII
PVDICITIA
Γ



Tab. LIV.
ad pag. 296. 297. 298.
I
II
III
IV
V
VI
CONSECRATIO
S C
TRAIECTVS AVG.
ANTΩNINOC
ÆR
DIVVS M. ANTONINVS.
CONSECRATIO.
S. C.
MATRI CASTRORVM
FECVND. AVGVSTAE



esset à præfecto Urbi, non libenter accepit. Ipse in largitionibus pecuniæ publicæ parcissimus fuit: quod laudi potius datur, quam reprehensioni: sed tamen bonis viris pecunias dedit, & oppidis labentibus auxilium tulit, & tributa vel vectigalia, ubi necessitas cogebat, remisit. Absens Populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditissimos editores. Fuit enim Populo hic sermo, *cum sustulisset ad bellum gladiatores, quod populum sublatis voluptatibus, vellet cogere ad philosophiam.* Jusserat enim, *ne mercimonia impedirent, tardius pantomimos exhiberi non votis diebus.* De amatis pantomimis ab uxore fuit sermo, ut superius diximus. Sed hæc omnia per epistolas suas purgavit. Idem Marcus sederi in civitatibus vetuit in equis sive vehiculis: lavacra mixta submovit. Mores matronarum composuit diffluentes, & juvenum nobilium. Sacra Serapidis à vulgaritate Pelusiæ submovis. Fama fuit sane, quod sub philosophorum specie quidam rempublicam vexarent & privatos: quod ille purgavit.

Clementia ejus erga scelestos.

CAP. XXIV. Erat mos iste Antonino, ut omnia crimina minore supplicio, quam legibus plecti solent, puniret: quamvis nonnunquam contra manifestos & gravium criminum reos inexorabilis permaneret. Capitales causas hominum honestorum ipse cognovit, & quidem summa æquitate, ita, ut prætorem reprehenderet, qui cito reorum causas audierat, juberetque illum iterum cognoscere, *dignitatis eorum interesse* dicens, *ut ab eo audirentur, qui pro Populo judicaret.* Æquitatem etiam circa captos hostes custodivit. Infinitos ex gentibus in Romano solo collocavit. (71) Fulmen de cœlo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata, cum siti laborarent. Voluit Marcomanniam, provinciam, voluit etiam Sarmatiam facere. Et fecisset, nisi Avidius Cassius rebellasset sub eodem in Oriente: qui Imperatorem se appellavit (ut quidam dicunt) Faustina volente; quæ de mariti valetudine desperaret. Alii dicunt, ementita morte Antonini, Cassium Imperatorem se appellasse, cum (72) Divum Marcum appellasset. Et Antoninus quidem non est satis motus defectione Cassii: nec in ejus affectus sævit, sed per Senatum hostis est judicatus, bonaque ejus proscripta per ærarium publicum.

Cœlum Antonino Philosopho favet.

Cassius ab eo descisit. U. C. 927. p. C. N. 175.

CAP. XXV. Relicto ergo Sarmatico Marcomannicoque bello, contra Cassium profectus est. Romæ turbæ etiam fuerunt, quasi Cassius absente Antonino adventaret. Sed Cassius statim interfectus est. Caput ejus allatum est ad Antoninum. Marcus tamen non exsultavit interfectione Cassii, caputque ejus humari jussit. Mæcianum etiam, filium Cassii, cui Alexandria erat commissa, exercitus occidit: nam & præfectum prætorio sibi fecerat: qui & ipse occisus est. In conscios defectionis vetuit Senatum graviter vindicare. Simul petiit, *ne quis Senator tempore principatus sui occideretur, ne ejus pollueretur* Imperium. Eos etiam, qui deportati fuerant, revocari jussit; cum paucissimi centuriones capite essent puniti. Ignovit & civitatibus, quæ Cassio consenserant: ignovit & Antiochensibus, qui multa in Marcum pro Cassio dixerant. Quibus & spectacula & conventus publicos tulerat, & omnium concionum genus, contra quos edictum gravissimum misit. Seditiosos autem eos & oratio Marci indicat, indita à Mario Maximo, qua ille usus est apud amicos. Denique noluit Antiochiam videre, cum Syriam peteret. Nam nec Cyprum voluit videre, ex qua erat Cassius. Fuit Alexandriæ, clementer cum iis agens. Postea tamen Antiochiam vidit.

Qui interficitur.

Et filius ejus Mæcianus.

In ipsorum conscios clementia.

CAP. XXVI. Multa egit cum regibus, & pacem confirmavit, sibi occurrentibus cunctis regibus & legatis Persarum. Omnibus Orientalibus provinciis carissimus fuit. Apud multas etiam philosophiæ vestigia reliquit. Apud Ægyptios civem se egit, & philosophum in omnibus studiis, templis, locis. Et cum multa Alexandrini in Cassium dixissent fausta, tamen omnibus ignovit, & filiam suam apud eos reliquit. Faustinam uxorem suam in radicibus montis Tauri, in vico Halale exanimatam, subito morbo amisit. Petiit à Senatu, ut honores Faustinæ ædemque decernerent, laudata eadem, cum tamen impudicitiæ fama graviter laborasset. Quæ Antoninus vel nescivit vel dissimulavit. Novas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuæ. (73) *Divam* etiam Faustinam à Senatu appellatam, gratulatus est: quam secum & in æstivis habuerat, ut (74) *Matrem castrorum* appellaret. Fecit & coloniam vicum in quo obiit Faustina: & ædem illi exstruxit. Sed hæc postea ædes Heliogabalo dedicata est. Ipsum Cassium pro clementia occidi passus est, non occidi jussit. Deportatus est Heliodorus, filius Cassii, & alii liberum exilium acceperunt, cum bonorum parte. Filii autem Cassii & amplius media parte acceperunt paterni patrimonii, & auro atque argento adjuti; mulieres autem etiam ornamentis; ita, ut Alexandra, filia Cassii, & Druncianus gener, liberam vagandi potestatem haberent, commendati amitæ marito. Doluit denique Cassium exstinctum, dicens, *voluisse se sine senatorio sanguine Imperium transigere.*

Ab exteris amatur.

Uxor ejus Faustina moritur. U. C. 928. p. C. N. 176.

Cui post mortem honores decreti.

(71) Fulmen de cœlo precibus suis - - - extorsit) Ita crediderunt Cyrrhestenses Syriæ incolæ, qui ideo M. Aurelio Antonino Philosopho Imp. numum Tab. LIV. num. 3. dedicarunt, in quo ΖΕΥΣ ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΣ ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ h. e. Jupiter Descensor Cyrrhestensium, dextra fulmen præferens, ostenditur. Sed precibus Christianorum militum hoc miraculum à Deo impetratum, quod ipse Marcus Aurelius agnovit. Conf. BEGER. T. II. p. 672. NATAL. ALEX. Hist. Eccl. Sæc. II. Cap. V. p. 310. Quibus adde HERMANNI WITSII Diatribam de Legione Christianorum Fulminatrice.

(72) Divum) Hoc nomen non solum, sed & Consecrationem ipsius exprimit numus Tab. LIV. num. 4. Conf. BEGER. loc. cit. Tom. II. pag. 675.

(73) Divam etiam Faustinam) Divæ nomen & Consecrationem Faustinæ Augustæ loquitur numisma Tab. LIV. num. 5. Conf. BEGER. Tom. II. pag. 675.

(74) Matrem Castrorum) Ideo appellatur etiam in numis Mater castrorum, quia maritum Imperatorem ad bellum proficiscentem secuta est, & castris interfuit, non solum hybernis, sed etiam æstivis; Ut videre est Tab. LIV. num. 5. Conf. HEMFLAR. Tab. XXXI. num. 1. pag. 95. OISEL. Tab. LXXXIX. num. 12. p. 452.

CAP. XXVII. Orientalibus rebus ordinatis, Athenis fuit, & inter alia Cereris templum adiit, ut se innocentem probraret; & sacrarium solus ingressus est. Revertens ad Italiam navigio, tempestatem gravissimam passus est. Per Brundisium veniens in Italiam, togam & ipse sumpsit, & milites togatos esse jussit: nec umquam sagati fuerunt sub eo milites. Romam ut venit, [cum Commodo filio suo, quem jam, ut diximus, Cæsarem fecerat,] triumphavit. Exinde, Lavinium profectus est. Commodum sibi deinde collegam in tribunitiam potestatem junxit: congiarium populo dedit, & spectacula mirifica: dein civilia multa correxit. Gladiatorii muneris sumptus modum fecit. Sententia Platonis semper in ore illius fuit; *Florere civitates, si aut philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur.* Filio suo Brutii Præsentis filiam junxit; nuptiis celebratis exemplo privatorum. Quare etiam congiarium dedit Populo. Deinde ad conficiendum bellum conversus, in administratione ejus belli obiit, labentibus jam filii moribus ab instituto suo. Triennio bellum postea cum Marcomannis, Hermunduris, Sarmatis, Quadis, etiam egit: &, si anno uno superfuisset, provincias ex his fecisset. Ante biduum, quam exspiraret, admissis amicis, dicitur ostendisse sententiam de filio eandem, quam Philippus de Alexandro; cum de hoc male sentiret; addens; *minime se ægre mortem ferre, filium superstitem relinquens.* Nam jam Commodus turpem se & cruentum ostentabat.

Romam redit. U.C. 928. p. C.N. 176.

Commodus patris collega in tribunitia potestate.

Antoninus Philosophus moritur.

CAP. XXVIII. Mors autem talis fuit: cum ægrotare cœpisset, filium advocavit, atque ab eo primum petiit *ut belli reliquias non contemneret*, ne videretur rempublicam prodere. Et, cum filius ei respondisset, *cupere se primum sanitatem*; ut vellet, permisit: petens tamen, *ut exspectaret paucos dies, aut simul proficisceretur.* Deinde abstinuit cibo potuque, mori cupiens, auxitque morbum. Sexta die vocatis amicis, & ridens res humanas, mortem autem contemnens, ad amicos dixit: *Quid me fletis, & non magis de pestilentia & communi morte cogitatis?* Et cum illi vellent recedere, ingemiscens ait: *Si jam me dimittitis, vale vobis dico, vos præcedens.* Et cum ab eo quæreretur, cui filium commendaret, ille respondit: *Vobis, si dignus fuerit, & Diis immortalibus.* Exercitus, cognita mala valetudine, vehementissime dolebant; quia illum unice amabant. Septimo die gravatus est; & solum filium admisit; quem statim dimisit, ne in eum morbus transiret. Dimisso filio, caput operuit, quasi volens dormire: sed nocte animam efflavit. Fertur filium mori voluisse, cum eum talem videret futurum, qualis exstitit post ejus mortem: ne, ut ipse dicebat, similis Neroni, Caligulæ & Domitiano esset.

Ejus mortis circumstantiæ.

CAP. XXIX. Crimini ei datum est, quod adulteros uxoris promoverit, Tertullum & Utilium, & Orphitum & Moderatum, ad varios honores; cum Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehenderit. De quo mimus in scena præsente Antonino dixit, cum stupidus nomen adulteri uxoris à servo quæreret, & ille diceret ter *Tullus*; & adhuc stupidus quæreret, respondit ille, *Jam dixi ter, Tullus dicitur.* Et de hoc quidem multa Populus, multa etiam alii dixerunt, patientiam Antonini incusantes. Ante tempus sane mortis, priusquam ad bellum Marcomannicum rediret, in Capitolio juravit, *nullum Senatorem se sciente occisum*; cum etiam *rebelliones* dixerit *se servaturum fuisse, si scisset.* Nihil etiam magis & timuit & deprecatus est, quam avaritiæ famam: de qua se multis epistolis purgat. Dederunt ei vitio, quod & fictus fuisset; nec tam simplex, quam videretur; aut quam vel Pius vel Verus fuisset. Dederunt etiam crimini, [quod liberti multum potuere sub eo & Vero, maxime Geminas & Agaclytus, &] quod aulicam arrogantiam confirmaverit, submovendo amicos à societate communi & à conviviis. Parentibus consecrationem decrevit. Amicos parentum, etiam mortuos statuis ornavit. Suffragatoribus non cito credidit, sed semper diu quæsivit, quod erat verum. Enisa est Fabia, ut, Faustina mortua, in ejus matrimonium coiret. Sed ille concubinam sibi adscivit procuratoris uxoris suæ filiam; ne (75) tot liberis superduceret novercam.

Antonino Philosopho quædam crimini dantur.

JULII CAPITOLINI
VERUS IMPERATOR
AD DIOCLETIANUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Ratio cur vitam Marci sequatur Veri.

SCio plerosque ita vitam Marci ac Veri, litteris atque historiæ dedicasse, ut priorem Verum intimandum legentibus darent; non imperandi sequutos ordinem, sed vivendi. Ego vero, quod prior Marcus imperare cœpit, deinde Verus, qui superstite periit Marco; priorem Marcum, dehinc Verum credidi celebrandum. Igitur *L. Ceionius Ælius Commodus Verus Antoninus*, qui ex Hadriani voluntate *Ælius* appellatus est, ex Antonini conjunctione *Verus* & *Antoninus*, neque inter bonos, neque inter malos principes ponitur; quem constat non inhorruisse vitiis, non abundasse virtutibus: vixisse deinde non in libero

Veri nomina.

Neque inter bonos, neque inter malos principes ponendus.

(75) Tot liberis) Septem enim liberos habuit Faustina Augusta. Hinc numum fecunditati ejus consecravit Senatus Tab. LIV, num. 6. Conf, HEMELAR, Tab. XXX, num. 7, pag. 93. OISEL. Tab. LXXXIV, num. 9. p. 433. BEGER. T, II, p. 675.

bero principatu, sed sub Marco in simili ac pari majestatis Imperio: à cujus secta, lascivia morum & vitæ licentioris nimietate dissensit. Erat enim morum simplicium, & qui adumbrare nihil posset. Huic naturalis pater fuit Lucius Ælius Verus, qui ab Hadriano adoptatus, primus *Cæsar* est dictus, & in eadem statione constitutus periit. Avi ac proavi, & item majores plurimi, consulares. Natus est Lucius Romæ, in prætura patris sui, decimo octavo Calendas Januarias, die quo & Nero, qui rerum potitus est. Origo ejus paterna pleraque ex Etruria fuit; materna, ex Faventia.

Ejus origo.

CAP. II. Hac prosapia genitus, patre ab Hadriano adoptato, in familiam Æliam devenit, mortuoque patre Cæsare, in Hadriani familia remansit. A quo Aurelio datus est adoptandus; cum sibi ille Pium filium, Marcum nepotem, esse voluisset, posteritati satis providens: & ea quidem lege, ut filiam Pii Verus acciperet; quæ data est Marco idcirco, quia hic ad hoc impar videbatur ætate; ut in Marci vita exposuimus. Duxit autem uxorem, Marci filiam Lucillam. Educatus est in domo Tiberina. Audivit Scaurum, grammaticum Latinum, Scauri filium, qui grammaticus Hadriani fuit: Græcos, Telephum, Hephæstionem, Harpocrationem: rhetores, Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticum: Latinum, Cornelium Frontonem: philosophos, Apollonium & Sextum. Hos omnes amavit unice, atque ab his invicem dilectus est, nec tamen ingeniosus ad litteras. Amavit autem in pueritia versus facere: post, orationes. Et melior quidem orator fuisse dicitur, quam poëta: imo ut verius dicam) pejor poëta, quam rhetor. Nec desunt qui dicant, eum fuisse adjutum ingenio amicorum, atque ab aliis ei illa ipsa, qualiacumque sunt, scripta. Siquidem multos disertos & eruditos semper secum habuisse dicitur. Educatorem habuit Nicomedem. Fuit voluptarius & nimis lætus, & omnibus deliciis, ludis, jocis decenter aptissimus. Post septimum annum in familiam Aureliam traductus, Marci moribus & auctoritate formatus est. Amavit venatus, palæstras, & omnia exercitia juventutis. Fuitque privatus in domo imperatoria viginti & tribus annis.

Ab Hadriano adoptatus & educatus.

Uxor Lucilla.

Ejus Præceptores.

Ejus indoles.

CAP. III. Qua die togam virilem Verus accepit, Antoninus Pius ea occasione, qua patris templum dedicabat, Populo liberalis fuit: mediusque inter Pium & Marcum idem resedit, cum quæstor Populo munus daret. Post quæsturam statim Consul est factus cum Sextilio Laterano: interjectis annis, (76) cum Marco fratre iterum factus est Consul. Diu autem & privatus fuit, & ea honorificentia caruit, qua Marcus ornabatur. Namque in Senatu ante quæsturam non sedit; neque in itinere cum patre, sed cum præfecto prætorii vectus est: nec aliud ei honorificentiæ ad nomen adjunctum est, quam quod *Augusti filius* appellatus est. Fuit studiosus etiam Circensium, haud aliter quam gladiatorii muneris. Hic cum tantis deliciarum & luxuriæ quateretur erroribus; ab Antonino videtur ob hoc retentus, quod eum pater ita in adoptionem Pii transire jusserat, ut nepotem appellaret: cui, quantum videtur, fidem exhibuit, non amorem. Amavit tamen Antoninus Pius simplicitatem ingenii, puritatemque vivendi, hortatusque est, ut imitaretur & fratrem. (77) Defuncto Pio, Marcus in eum omnia contulit, participatu etiam imperatoriæ potestatis indulto; sibique consortem fecit; cum illi soli Senatus detulisset Imperium.

Togam virilem sumit.

Quæstor.

Consul.

Augusti filius appellatur.

Consors Imperii. U. C. 913. P. C. N. 161.

CAP. IV. Dato igitur Imperio, & indulta tribunitia potestate, proconsulatus etiam honore delato, *Verum* vocari præcepit, suum in eum transferens nomen; cum ante *Commodus* vocaretur. Lucius quidem, Marco vicem reddens, suscepit, obsequutus, ut legatus proconsuli, vel præses Imperatori. Jam primum enim cum Marcus pro ambobus ad milites est loquutus, & pro consensus imperio graviter se, & ad Marci mores egit. Ubi vero in Syriam profectus est, non solum licentia vitæ liberioris, sed etiam adulteriis & juventutis amoribus infamatus est. Siquidem tantæ luxuriæ fuisse dicitur, ut etiam, posteaquam de Syria rediit, popinam domi instituerit, ad quam post convivium Marci divertebat; ministrantibus sibi omni genere turpium personarum. Fertur & nocte perpeti alea lusisse; cum in Syria concepisset id vitium: atque in tantum vitiorum Cajanorum & Neronianorum ac Vitellianorum fuisse æmulum, ut vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio, & commisceretur cum triconibus, & committeret rixas, dissimulans quis esset: sæpeque afflictum livida facie redisse, & in tabernis agnitum, cum sese absconderet. Jaciebat & nummos in popinas maximos, quibus calices frangeret. Amavit & aurigas, Prasino favens. Gladiatorum etiam frequentius pugnas in convivio habuit; trahens cœnam in noctem, & in toto convivali condormiens, ita, ut levatus cum stromatibus in cubiculum perferretur. Somni fuit permodici, digestionis facillimæ. Sed Marcus, hæc omnia quasi nesciens, dissimulabat rem, pudore illo, ne reprehenderet fratrem.

In Syriam profectus.

Luxuriæ deditus.

Cajo, Neroni, & Vitellio æmulus.

Prasinianæ factioni favet.

CAP. V. Et notissimum ejus quidem fertur tale convivium, (m) in quo primum duodecim accubuisse dicitur: cum sit notissimum dictum de numero convivarum; *Septem convivium: novem vero, convitium.* Donatos autem pueros decoros, qui ministrabant singulis: donatos etiam structores & lances singulis quibusque: donata & viva animalia, vel cicurum vel ferarum avium, vel quadrupedum, quorum cibi appositi erant. Donatos etiam calices singulis per singulas potiones, murrhinos & crystallinos Alexandrinos, ac quoties bibitum est. Data etiam aurea atque argentea pocula & gemmata.

Convivium splendidum.

(m) al. quidem feriale convivium.

(76) Cum Marco fratre iterum factus est Consul) In hujus Consulatus IIdi. memoriam cusus est numus Tab. LV. num. 2.

(77) Defuncto Pio - - - consortem fecit) Hinc Imperator Cæsar Augustus dicitur in numo Tab. LV. num. 1. Conf. HEMELAR. Tab. XXXII. num. 2. pag. 97.

mata. Coronas quinetiam datas, lemniſcis aureis interpoſitis, & alieni temporis floribus. Data & vaſa aurea cum unguentis, ad ſpeciem alabaſtrorum. Data & vehicula cum mulabus ac mulionibus, cum juncturis argenteis, ut, ita de convivio redirent. Omne autem convivium æſtimatum dicitur ſexagies centenis millibus Seſtertium. Hoc convivium poſteaquam Marcus audivit, ingemuiſſe dicitur, & doluiſſe publicum fatum. Poſt convivium luſum eſt teſſeris uſque ad lucem. Et hæc quidem poſt Parthicum bellum: ad quod eum miſiſſe dicitur Marcus, ne vel in Urbe ante oculos omnium peccaret; vel, ut parſimoniam peregrinatione addiſceret, vel, ut timore bellico emendatior rediret; vel, ut ſe Imperatorem eſſe cognoſceret. Sed quantum profecerit, cum alia vita, tum hæc, quam narravimus, cœna monſtravit.

Ad bellum Parthicum proficiſcitur, U. C. 914. p. C. N. 162.

CAP. VI. Circenſium tantam curam habuit, ut frequenter provincialibus litteras cauſa Circenſium & miſerit & acceperit. Denique etiam præſens & cum Marco ſedens, multas à Venetianis eſt paſſus injurias, quod turpiſſime contra eos faveret. Nam & Volucri equo Praſino, aureum ſimulacrum fecerat, quod ſecum portabat. Cui quidem paſſas uvas & nucleos, in vicem hordei, in præſepe ponebat; quem ſagis fuco tinctis coopertum, in Tiberianam ad ſe adduci jubebat: cui mortuo ſepulcrum in Vaticano fecit. In hujus equi gratiam primum cœperunt equi aurei vel bravia poſtulari. *(n)* In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei à Populo Praſinianorum, ſæpe modius aureorum poſtularetur. (78) Profectum eum ad Parthicum bellum, Marcus Capuam proſequutus eſt; cumque inde per omnium villas ſe ingurgitaret, morbo implicitus, apud Canuſium ægrotavit: quo ad eum viſendum frater contendit. Mula in ejus vita ignava & ſordida, etiam belli tempore, deteguntur. Nam cum interfecto legato, cæſis legionibus, Syriis defectionem cogitantibus, Oriens vaſtaretur, ille in Apulia venabatur, & apud Corinthum & Athenas inter ſymphonias & cantica navigabat: & per ſingulas maritimas civitates Aſiæ, Pamphyliæ, Ciliciæque clariores, voluptatibus immorabatur.

Equus Veri magno in honore habetur.

Verus & belli tempore luxurioſus.

In Apulia.

Antiochiæ.

CAP. VII. Antiochiam poſteaquam venit, ipſe quidem ſe luxuriæ dedit; duces autem confecerunt Parthicum bellum, Statius Priſcus, & Avidius Caſſius, & Marcius Verus per quadriennium: ita, ut Babylonem & Mediam pervenirent, & Armeniam vindicarent; partumque eſt ipſi (79) nomen *Armenici*, *Parthici*, *Medici*; quod etiam Marco, Romæ agenti delatum eſt. Egit autem per quadriennium Verus hiemem Laodiceæ, æſtatem apud Daphnen, reliquam partem Antiochiæ. Riſui fuit omnibus Syris: quorum multa joca, in theatro in eum dicta, exſtant. Vernas in triclinium Saturnalibus & diebus feſtis ſemper admiſit. Ad Euphratem tamen impulſu comitum ſuorum ſecundo profectus eſt. Epheſum etiam rediit, ut Lucillam uxorem, miſſam à patre Marco, ſuſciperet; & idcirco maxime, ne Marcus cum ea in Syriam veniret, ac flagitia ejus agnoſceret. Nam Senatui Marcus dixerat, *ſe filiam in Syriam deducturum.* Confecto ſane bello, (80) regna regibus, provincias vero comitibus ſuis regendas dedit. Romam inde ad triumphum invitus, quod Syriam quaſi regnum ſuum relinqueret, rediit, & pariter cum fratre triumphavit; ſuſceptis à Senatu nominibus, quæ in exercitu acceperat. Fertur præterea ad amicæ vulgaris arbitrium in Syria poſuiſſe barbam. Unde in eum à Syris multa ſunt dicta.

Armenicus, Parthicus, Medicus dicitur. U. C. 915. p. C. N. 163.

Syris riſui eſt.

Lucillam uxorem Epheſi excipit.

E Syria Romam redit, & triumphat. U. C. 919. p. C. N. 167.

CAP. VIII. Fuit ejus fati, ut in eas provincias, per quas rediit, Romam uſque, lucem ſecum deferre videretur. Et nata fertur peſtilentia in Babylonia, ubi de templo Apollinis, ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, ſpiritus peſtilens evaſit, atque inde Parthos orbemque compleſſe. Et hoc non Lucii Veri vitio, ſed Caſſii, à quo contra fidem Seleucia, quæ ut amicos milites noſtros receperat, expugnata eſt. Quod quidem inter ceteros etiam Quadratus belli Parthici ſcriptor, incuſatis Seleucinis, qui fidem primi ruperant, purgat. Habuit hanc reverentiam Marci Verus, ut nomina, quæ ſibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triumphi, quem pariter celebrarunt. Reverſus è Parthico bello, minore circa fratrem cultu fuit Verus. Nam & libertis inhoneſtius indulſit, & multa ſine fratre diſpoſuit. His acceſſit, quod, quaſi reges aliquos ad triumphum adduceret, ſic hiſtriones eduxit è Syria; quorum præcipuus fuit Maximinus, quem Paridis nomine nuncupavit. Villam præterea exſtruxit in via Clodia famoſiſſimam, in qua permultos dies & ipſe ingenti luxuria debacchatus eſt cum libertis ſuis & amicis paribus, quorum præſentiæ nulla inerat reverentia. Et Marcum rogavit, qui venit, ut fratri venerabilem morum ſuorum & imitandam oſtenderet ſanctitudinem: & quinque diebus in eadem villa reſidens, cognitionibus continuis operam dedit, aut convivante fratre, aut convivia comparante. Habuit & Agrippum hiſtrionem, cui cognomentum erat Memphi, quem & ipſum è Syria veluti trophæum Parthicum adduxerat, quem Apolauſtum nominavit. Adduxerat ſecum & fidicinas & tibicines & hiſtriones, ſcurraſque mimarios & præſtigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria paſcitur voluptate; prorſus, ut videretur bellum, non Parthicum, ſed hiſtrionicum confeciſſe.

Peſtilentia Verum ſequitur.

Veri reverentia erga Marcum.

Libertis indulget.

Et hiſtrionibus.

In villa luxuria debacchatur.


CAP. IX. Et hæc vitæ diverſitas atque alia multa, inter Marcum & Verum ſimultates feciſſe,


(n) al. equis aurei, velut bravia, poſtulari.

(78) Profectum eum ad Parthicum bellum) Hanc profectionem in numo Tab. LV. num. 3. expreſſit Verus Imperator, ut eam celebriorem faceret. Conf. OISEL. Tab. LXXXVIII. num. 2. pag. 443. Add. HEMELAR. Tab. XXXII. num. 7. pag. 98.

(79) Nomen Armenici) Hunc titulum gerit in numo Tab. LV. num. 4. Conf HEMELAR. Tab. XXXII. num. 8. pag. 99.

(80) Regna regibus) Quod Regem Armeniis dederit teſtatur pars averſa numi præcedentis. De quo Conf. HEMELAR. loc. cit. p. 99. & BEGER. Th. Br. T. II. p. 677.


Tab. LV.
ad pag. 299. 300. 305. 306. 307.
AR
I
IMP. CAES. L. VERVS AVG.
Δ
AR
II
CONCORDIAE AVGVSTOR. TR. P.
COS. II
Δ
AR
III
PROFECTIO AVG. TR. P. II.
COS. II
Γ
IV
L. VERVS AVG. ARMENIACVS
AR
TR. P. IIII. IMP. II. COS. II.
Δ
AR
V
PRINC. IVVENT.
Δ
AR
VI
OPTIMO
SPQR
PRINCIPI
BASILICA VLPIA
S C
Γ
AR
VII
CRISPINA
COMMODI
Γ
AR
VIII
M. COMMODVS ANT. P. FELIX AVG. BRIT.
Δ


Tab. LVI.
ad pag. 300. 308.
309. 310. 311.
I
II
III
IV
V
VI
HERCVLI ROMANO AVG.
S.C.
HERCVLI ROMANO AVG.
COMMODO CAES. AVG. FIL. GERM.
IMP. IIII. TR.P. VII COS.III. P.P.
LIBERAL. V.
DIVO COMMODO.
CONSECRATIO
VOT. DEC TR.P. COS. II.
AEQVIT. AVG. TR.P. COS. II.

ciſſe, non aperta veritas indicabat, ſed occultus rumor inſuſurrabat. Verum illud præcipuum, quod, cum Libonem quendam patruelem ſuum Marcus legatum in Syriam miſiſſet, atque ille ſe inſolentius, quam verecundius Senator efferret, dicens, *ad fratrem ſe ſcripturum eſſe*, (o) *ſi quid forte dubitaret*; nec Verus præſens pati poſſet, ſubitoque morbo notis prope veneni exſiſtentibus interiſſet; viſum eſt nonnullis, (non tamen Marco) quod ejus fraude putaretur occiſus. Quæ res ſimultatum auxit rumorem. Liberti multum potuerunt apud Verum, ut in vita Marci diximus, Geminas & Agaclytus; cui dedit, invito Marco, Libonis uxorem. Denique nuptiis ab Vero celebratis, Marcus convivio non interfuit. Habuit & alios libertos Verus improbos, Codem & Eclectum, ceteroſque; quos omnes Marcus poſt mortem Veri, ſpecie honoris abjecit; Eclecto retento, qui poſtea Commodum filium ejus occidit. Ad bellum Germanicum, quod Marcus nollet Lucium ſine ſe vel ad bellum mittere, vel in Urbe dimittere, cauſa luxuriæ, ſimul profecti ſunt, atque Aquilejam venerunt: invitoque Lucio Alpes transgreſſi, cum Verus apud Aquileiam tantum vectatus convivatuſque eſſet, Marcus autem omnia proſpexiſſet. De quo bello quid per legatos barbarorum pacem petentium, quid per duces noſtros geſtum ſit, in Marci vita pleniſſime diſputatum eſt. Compoſito autem bello in Pannonia, urgente Lucio, Aquileiam rediret, quod urbanas deſiderabat Lucius voluptates, in Urbem deſtinatus eſt: ſed non longe ab Altino ſubito invehiculo morbo, quem apoplexin vocant, correptus Lucius, depoſitus è vehiculo, detracto ſanguine Altinum perductus, cum triduo mutus vixiſſet, apud Altinum periit.

[Libo Marci Legatus ad Verum occiditur. — Liberti Veri. — Cum Marco ad bellum Germanicum proficiſcitur. U. C. 921. p. C. N. 169. — Apoplexia correptus, — Perit.]

CAP. X. Fuit ſermo, quod & ſocrum Fauſtinam inceſtaſſet. Et dicitur Fauſtinæ ſocrus dolo, aſperſis oſtreis veneno, exſtinctus eſſe: idcirco, quod conſuetudinem, quam cum matre habuerat, filiæ prodidiſſet: quamvis & illa fabula, quæ in Marci vita poſita eſt, abhorrens à talis viri vita, ſit exorta: cum multi etiam uxori ejus, flagitium mortis aſſignent, idcirco quod Fabiæ nimium indulſerat Verus: cujus potentiam uxor Lucii vel Marci ferre non poſſet. Tanta ſane familiaritas inter Lucium & Fabiam ſororem fuit, ut hoc quoque uſurpaverit rumor, quod inierint conſilium ad Marcum è vita tollendum. Idque cum eſſet per Agaclytum libertum proditum Marco, ante adventum, Lucium Fauſtina nece prævenerat. Fuit decorus corpore, vultu gemmatus, barba prope barbarice demiſſa, procerus, & fronte in ſupercilia adductiore venerabilis. Dicitur ſane tantam habuiſſe curam flaventium capillorum, ut capiti auri ramenta reſpergeret, quo magis coma illuminata flaveſceret. Lingua impeditior fuit. Aleæ cupidiſſimus: vitæ ſemper luxurioſæ; atque in pluribus Nero, præter crudelitatem & ludibria. Habuit inter alium luxuriæ apparatum calicem cryſtallinum nomine Volucrem, ex ejus nomine, quem dilexit, humane potionis modum ſupergreſſum.

[Veneno periiſſe dicitur, — U. C. 921. p. C. N. 169. — Veri forma corporis. — Aleæ cupidiſſimus.]

CAP. XI. Vixit annis quadraginta duobus. Imperavit cum fratre annis undecim. Illatumque ejus corpus eſt Hadriani ſepulcro, in quo & Cæſar pater ejus naturalis ſepultus eſt. Nota eſt fabula, quam Marci non capit vita, quod partem vulvæ veneno illitam, cum eam exſecuiſſet cultro una parte venenato, Marcus Vero porrexit: ſed hoc nefas eſt de Marco putari, quamvis Veri & cogitata & facta mereantur: quod nos non in medio relinquimus, ſed totam purgatam confutatamque reſpuimus; cum adhuc poſt Marcum, præter veſtram clementiam, Diocletiane Auguſte, Imperatorem talem, nec adulatio videatur potuiſſe confingere.

[Ætas Veri. — Sepultura. — Marcus ab injuria vindicatur.]

VULCATII GALLICANI V. C.
AVIDIUS CASSIUS,
AD DIOCLETIANUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

[Avidii Caſſii origo.]

AVIDIUS CASSIUS, ut quidam volunt, ex familia Caſſiorum fuiſſe dicitur, per matrem tamen, avo genitus Avidio Severo; qui ordines duxerat, & poſt ad ſummas dignitates pervenerat. Cujus Quadratus in hiſtoriis meminit, & quidem graviter, cum illum ſummum virum & neceſſarium reipublicæ aſſerit, & apud ipſum Marcum Antoninum prævalidum. Nam jam eo imperante periſſe fatali ſorte perhibetur. Hic ergo Caſſius, ex familia, ut diximus, Caſſiorum, qui in Curia in Julium conſpiraverant, oderat tacite principatum, nec ferre poterat imperatorium nomen: dicebatque, *eſſe gravius nomen Imperii, quod non poſſet è republica tolli, niſi per alterum Imperatorem.* Denique tentaſſe in pueritia dicitur extorquere etiam Pio principatum; ſed per patrem, virum ſanctum & gravem, affectationem tyrannidis latuiſſe; habitum tamen ſemper à ducibus ſuſpectum. Vero autem illum paraſſe inſidias, ipſius Veri epiſtola indicat, quam inſerui.

[Principatui & nomini Imperatorio infenſus. — Pio principatum extorquere voluit. — Vero inſidias ſtruit.]

CAP. II. Ex epiſtola Veri: *Avidius Caſſius avidus eſt Imperii, quantum & mihi videtur, & jam*

(o) al. *dicens, id fratri ſuo ſcripturum eſſe.*

jam inde sub avo meo patre tuo innotuit: quem velim observari jubeas. Omnia ei nostra displicent, opes non mediocres parat, litteras nostras ridet. Te philosopham aniculam, me luxuriosum morionem vocat. Vide quid agendum sit. Ego hominem non odi: sed vide, ne tibi & liberis tuis non bene consulat, cum tales inter præcinctos habeas, quales milites libenter audiunt, libenter vident. Rescriptum Marci de Avidio Cassio: *Epistolam tuam legi, & sollicitam potius, quam imperatoriam, & non nostri temporis. Nam si ei divinitus debetur Imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proavi tui dictum:* Successorem suum nullus occidit. *Sin minus, ipse sponte sine nostra crudelitate fatales laqueos inciderit. Adde, quod non possumus reum facere, quem & nullus accusat, & (ut ipse dicis) milites amant. Deinde in causis majestatis hæc natura est, ut videantur vim pati etiam quibus probatur. Scis enim ipse quid avus tuus Hadrianus dixerit:* Misera conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide nisi occisis non potest credi. *Ejus autem exemplum ponere, quam Domitiani, qui hoc primus dixisse fertur, malui. Tyrannorum enim etiam bona dicta non habent tantum auctoritatis, quantum debent. Sibi ergo habeat suos mores; maxime, cum bonus dux sit & severus, & fortis, & reipublicæ necessarius. Nam quod dicis, liberis meis cavendum esse morte illius: plane liberi mei pereant, si magis amari merebitur Avidius, quam illi; &, si reipublicæ expediet Cassium vivere, quam liberos Marci.* Hæc de Cassio Verus; hæc Marcus.

Ratio cur Vulcatius Avidii Cassii Historiam scripserit.

CAP. III. Sed nos hominis naturam & mores breviter explicabimus. Neque enim plura de his sciri possunt quorum vitam illustrare nullus audet, eorum causa à quibus oppressi fuerint. Addemus autem, quemadmodum ad Imperium venerit, & quemadmodum sit occisus, & ubi victus. Proposui enim, Diocletiane Auguste, omnes, qui Imperatorum nomen sive juste sive injuste habuerunt, in litteras mittere, ut omnes purpuratos Augustos cognosceres. Fuit his moribus, ut nonnumquam trux & asper videretur, aliquando mitis & lenis; sæpe religiosus, alias contemptor sacrorum; avidus vini, interim abstinens, cibi appetens, & inediæ patiens; veneris cupidus, & castitatis amator. Nec defuere, qui illum *Catilinam* vocarent, cum & ipse se ita gauderet appellari; addens, *futurum se Sergium, si dialogistam occidisset*; Antoninum hoc nomine significans: qui tantum enituit in philosophia, ut, iturus ad bellum Marcomannicum, timentibus cunctis, ne quid fatale proveniret, rogatus sit, non adulatione, sed serio, ut præcepta philosophiæ ederet: nec ille timuit, sed per ordinem parænesesos, hoc est, præceptionum, per triduum disputavit. Fuit præterea disciplinæ militaris Avidius Cassius tenax, & qui se *Marium* dici vellet.

Indoles ejus & mores.

Catilina vocatur.

In Philosophia enituit.

Crudelis magis quam severus.

CAP. IV. Quoniam de severitate illius dicere cœpimus, multa exstant crudelitatis potius quam severitatis ejus indicia. Nam primum milites, qui aliquid provincialibus tulissent per vim, in illis ipsis locis, in quibus peccaverant, in crucem sustulit. Primus etiam id supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, id est, materiam, & à summo usque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret, incensisque aliis, alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret. Idem denos catenatos in profluentem mergi jubebat, vel in mare. Idem multis desertoribus manus excidit, aliis crura incidit ac poplites, dicens, *majus exemplum esse viventis miserabiliter criminosi, quam occisi.* Cum exercitum duceret, & inscio ipso manus auxiliaria, centurionibus suis auctoribus, tria millia Sarmatarum, negligentius agentium, in Danubii ripis occidissent, & cum præda ingenti ad eum redissent, sperantibus centurionibus præmium, quod perparva manu tantum hostium, segnius agentibus tribunis & ignorantibus, occidissent; rapi eos jussit & in crucem tolli, servilique supplicio affici, quod exemplum non exstabat: dicens: *evenire potuisse, ut essent insidiæ, ac periret Romani Imperii reverentia.* Et cnm ingens seditio in exercitu exorta esset, processit nudus, campestri solo tectus, &, *Percutite* (inquit) *me, si audetis, & corruptæ disciplinæ, facinus addite.* Tunc, conquiescentibus cunctis, meruit timeri, quia non timuit. Quæ res tantum disciplinæ Romanis addidit, tantum terroris barbaris injecit, ut pacem annorum centum ab Antonino absente peterent: siquidem viderant damnatos Romani ducis judicio etiam eos, qui contra fas vicerant.

CAP. V. De hoc multa gravia contra militum licentiam facta inveniuntur apud Æmilium Parthenianum, qui affectatores tyrannidis, jam inde à veteribus, historiæ tradidit. Nam & virgis cæsos in foro & in mediis castris securi percussit, qui ita meruerunt, & manus multis amputavit. Et, præter laridum ac bucellatum atque acetum, militem in expeditione portare prohibuit: &, si aliud quippiam reperit, luxuriem non levi supplicio affecit. Extat de hoc epistola Divi Marci ad præfectum suum talis: *Avidio Cassio legiones Syriacas dedi, diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes; quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vectilianus scripsit. Et puto me non errasse: siquidem & tu notum habeas Cassium, hominem Cassianæ severitatis & disciplinæ. Neque enim milites regi possunt, nisi in vetere disciplina. Scis enim versum à bono poëta dictum & omnibus frequentatum,* Moribus antiquis res stat Romana virisque. *Tu tantum fac adsint legionibus abunde commeatus. Quos, si bene Avidium novi, scio non perituros.* Responsio præfecti ad Marcum: *Recte consuluisti, mi domine, quod Cassium præfecisti Syriacis legionibus. Nihil enim tam expedit, quam homo severior Græcanicis militibus. Ille sane omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & sinu, militi excutiet. Annona militaris omnis parata est, neque quidquam deest sub bono duce: non enim multum aut quæritur aut impenditur.*

Judicium Marci de Avidii Cassii severitate.

CAP. VI. Nec fefellit de se judicium habitum. Nam statim & ad signa edici jussit, & programma in parietibus fixit, *ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnen, discinctus rediret.* Arma militum septima die semper respexit, vestimenta etiam & calceamenta & ocreas: delicias

Avidius Cassius Disciplinæ militaris tenax.

delicias omnes de castris submovit: jussitque eos hiemem sub pellibus agere, nisi corrigerent suos mores: & egissent, nisi honestius vixissent. Exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita ut sagittas mitterent, & armis luderent. Dicebat enim, *miserum esse, cum exercerentur athletæ, venatores, & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor, si consuetus esset.* Ergo correcta disciplina, & in Armenia & in Arabia & in Ægypto res optime gessit: amatusque est ab omnibus Orientalibus, & speciatim ab Antiochensibus: qui etiam imperio ejus consenserunt, ut docet Marius Maximus in vita Divi Marci. Nam cum Bucolici milites per Ægyptum gravia multa facerent, ab hoc retusi sunt; ut idem Marius Maximus refert in eo libro, quem secundum de vita Marci Antonini edidit.

Ejus res gestæ.

CAP. VII. Hic Imperatorem se in Oriente appellavit, ut quidam dicunt, Faustina volente, quæ valetudini Marci jam diffidebat, & timebat ne infantes filios tueri sola non posset, atque aliquis exsisteret, qui, capta statione regia, infantes de medio tolleret. Alii autem dicunt, hanc artem adhibuisse militibus & provincialibus Cassium contra Marci amorem, ut sibi posset consentiri, quo diceret Marcum diem suum obiisse. Nam & *Divum* eum appellasse dicitur, ut desiderium illius leniret. Imperatorio nomine cum processisset, eum, qui sibi aptaverat ornamenta regia, statim præfectum prætorii fecit, qui & ipse occisus est, Antonino invito, ab exercitu: qui & Mæcianum, cui erat commissa Alexandria, quique consenserat spe participatus Cassio, invito atque ignorante Antonino, interemit. Nec tamen Antoninus graviter est iratus, rebellione cognita, nec in ejus liberos aut affectus sævit. Senatus illum hostem appellavit, bonaque ejus proscripsit: quæ Antoninus in privatum ærarium congeri noluit: quare, Senatu præcipiente, in ærarium publicum sunt relata. Nec Romæ terror defuit; cum quidam Avidium Cassium dicerent, absente Antonino, qui nisi à voluptariis unice amabatur, Romam esse venturum, atque Urbem tyrannice direpturum; maxime Senatorum causa, qui eum hostem judicaverant, bonis proscriptis. Et amor Antonini hoc maxime enituit, quod consensu omnium, præter Antiochenses, Avidius interemptus est: quem quidem occidi non jussit, sed passus est; cum apud cunctos clarum esset, si potestatis suæ fuisset, parsurum illi fuisse.

Imperatorem se in Oriente dicit.

Mæcianus interficitur.

Avidius interimitur.

CAP. VIII. Caput ejus ad Antoninum cum delatum esset, ille non exsultavit, non elatus est: sed etiam doluit, ereptam sibi esse occasionem misericordiæ, cum diceret, *se vivum illum voluisse capere, ut illi exprobraret beneficia sua, eumque servaret.* Denique, cum quidam diceret, *reprehendendum Antoninum, quod tam mitis esset in hostem suum, ejusque liberos & affectus, atque omnes quos conscios tyrannidis reperisset,* addente illo, qui reprehendebat, *Quid si ille vicisset?* dixisse dicitur, *Non sic Deos coluimus, nec si vivimus, ut ille nos vinceret.* Enumeravit deinde, *omnes principes, qui occisi essent, habuisse causas, quibus mererentur occidi; nec quemquam facile bonum vel victum à tyranno vel occisum;* dicens, *meruisse Neronem, debuisse Caligulam, Othonem & Vitellium nec imperare voluisse.* Nam de Pertinace & Galba paria sentiebat, cum diceret: *In Imperatore avaritiam esse acerbissimum malum.* Denique, *non Augustum, non Trajanum, non Hadrianum, non parentem suum, à rebellibus potuisse superari; cum & multi fuerint, & ipsis vel invitis vel insciis exstincti.* Ipse autem Antoninus à Senatu petiit, *ne graviter in conscios defectionis animadverteretur,* eo ipso tempore quo rogavit, *ne quis Senator temporibus suis capitali supplicio afficeretur:* quod illi maximum amorem conciliavit. Denique, paucissimis centurionibus, punitis, deportatos revocari jussit.

De cujus interitu Antoninus dolet.

CAP. IX. Antiochensibus, qui Avidio Cassio consenserant, sed & aliis civitatibus, quæ illum juverant, ignovit: cum primo Antiochensibus graviter iratus esset, hisque spectacula sustulisset, & multa alia civitatis ornamenta: quæ postea reddidit. Filios vero Avidii Cassii, Antoninus Marcus parte media paterni patrimonii donavit; ita ut filias ejus auro, argento, & gemmis honestaret. Nam & Alexandræ, filiæ Cassii, & genero Druentiano, liberam evagandi, ubi vellent, potestatem dedit: vixeruntque non quasi tyranni pignora, sed quasi senatorii ordinis, in summa securitate: cum illis etiam in lite objici fortunam propriæ vetuisset domus, damnatis aliquibus injuriarum, quod in eos petulantes fuissent: quos quidem amitæ suæ marito commendavit. Si quis autem omnem hanc historiam scire desiderat, legat Marii Maximi secundum librum de vita Marci, in quo ille ea dicit, quæ solum Marcus mortuo jam Vero egit. Tunc enim Cassius rebellavit, ut probat epistola missa ad Faustinam, cujus hoc exemplum est: *Verus mihi de Avidio verum scripserat, quod cuperet imperare. Audisse enim te arbitror, quod æruscatores de eo nuntiarent. Veni igitur in Albanum, ut tractemus omnia diis volentibus, nihil timens.* Hic autem apparet, Faustinam ista nescisse, cum dicat Marius, infamari eam cupiens, quod ea conscia Cassius Imperium sumpsisset. Nam & ipsius epistola exstat ad Verum, qua urget Marcum, ut in eum graviter vindicet. Exemplum epistolæ Faustinæ ad Marcum: *Ipsa in Albanum cras, ut jubes, mox veniam: tamen jam hortor, ut, si amas liberos tuos, istos rebelliones acerrime prosequaris. Male enim assueverunt & duces & milites: qui nisi opprimantur, oppriment.*

Marcus Imperator ignoscit civitatibus quæ juverant Avidium Cassium.

Liberos Cassii donat.

Mortuo Vero Cassius rebellat.

Faustinæ epistola ad Marcum de Cassio.

CAP. X. Item alia epistola ejusdem Faustinæ ad Marcum: *Mater mea Faustina patrem tuum Pium ejusdem in defectione Celsi sic hortata est, ut pietatem primum circa suos servaret, sic circa alienos. Non enim pius est Imperator qui non cogitat uxorem & filios. Commodus noster vides in qua ætate sit: Pompejanus gener, & senior est & peregrinus. Vide quid agas de Avidio Cassio & de ejus consciis. Noli parcere hominibus, qui tibi non pepercerunt; & nec mihi nec filiis nostris parcerent, si vicissent. Ipsa iter tuum mox consequor: quia Fadilla nostra ægrotabat, in Formianum venire non potui. Sed si te Formiis invenire non potero, assequar Capuam:*

quæ

quæ civitas & meam & filiorum nostrorum ægritudinem poterit adjuvare. Soteridam medicum in Formianum ut dimittas, rogo: ego autem Pisitheo nihil credo, qui puellæ virgini curationem nescit adhibere. Signatas mihi litteras Calpurnius dedit: ad quas rescribam, si tardavero, per Cæcilium senem spadonem, hominem (ut scis) fidelem: cui verbo mandabo, quid uxor Avidii Cassii, & filii, & gener, de te jactare dicantur.

CAP. XI. Ex his litteris intelligitur Cassio Faustinam conſciam non fuisse, quin etiam supplicium ejus graviter exegisse: siquidem Antoninum, quiescentem & clementiora cogitantem, ad vindictæ necessitatem impulit. Cui Antoninus quid rescripserit, subdita epistola perdocebit: *Tu quidem, mea Faustina, religiose pro marito & pro nostris liberis agis. Nam relegi epistolam tuam in Formiano, qua me hortaris, ut in Avidii conscios vindicem. Ego vero & ejus liberis parcam, & genero, & uxori, & ad Senatum scribam, ne aut proscriptio gravior sit, aut pœna crudelior. Non enim quidquam est quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia. Hæc Cæsarem deum fecit; hæc Augustum consecravit; hæc patrem tuum specialiter Pii nomine ornavit. Denique si ex mea sententia de bello judicatum esset, nec Avidius esset occisus. Esto igitur secura: dii me tuentur, diis pietas mea cordi est. Pompejanum nostrum in annum sequentem Consulem dixi.* Hæc Antoninus ad conjugem.

Responsio Marci.

CAP. XII. Ad Senatum autem qualem orationem miserit, interest scire. Ex oratione Marci Antonini: *Habetis igitur, Patres Conscripti pro gratulatione victoriæ generum meum Consulem; Pompejanum dico: cujus ætas olim remuneranda fuerat consulatu, nisi viri fortes intervenissent, quibus reddi debuit quod à republica debebatur. Nunc quod ad defectionem Cassianam pertinet, vos oro atque obsecro Patres Conscripti, ut censura vestra deposita, meam pietatem clementiamque servetis, imo vestram: neque quemquam ullum Senatus occidat. Nemo Senatorum puniatur, nullus fundatur viri nobilis sanguis: deportati redeant, proscripti bona recipiant. Utinam possem multos etiam ab inferis excitare. Non enim umquam placet in Imperatore vindicta sui doloris: quæ etsi justior fuerit, acrior videtur. Quare filiis Avidii Cassii & genero & uxori veniam dabitis. Et quid dico veniam? cum illi nihil fecerint. Vivant igitur securi, scientes sub Marco se vivere. Vivant in patrimonio parentum, pro parte donato: auro, argento, vestibus fruantur: sint divites, sint securi, sint vagi & liberi, & per ora omnium ubique populorum circumferant meæ, circumferant vestræ pietatis exemplum. Nec magna hæc est, Patres Conscripti, clementia, veniam proscriptorum liberis & conjugibus dari. Ego vero à vobis peto, ut conscios senatorii ordinis & equestris, à cæde, à proscriptione, à timore, ab infamia, ab invidia, & postremo ab omni vindicetis injuria: detisque hoc meis temporibus, ut in causa tyrannidis, qui in tumultum cecidit, probetur occisus.*

Litteri Marci ad Senatum de Cassio ejusque liberis.

CAP. XIII. Hanc ejus clementiam Senatus his acclamationibus prosecutus est: *Antonine clemens, dii te servent. Antonine clemens, dii te servent. Tu noluisti, quod licebat; nos fecimus, quod decebat. Commodo Imperium justum rogamus, progeniem tuam robora. Fac securi sint liberi nostri. Bonum Imperium nulla vis lædit. Commodo Antonino tribunitiam potestatem rogamus: præsentiam tuam rogamus. Philosophiæ tuæ, patientiæ tuæ, doctrinæ tuæ, nobilitatis tuæ, innocentiæ tuæ. Vincis inimicos, hostes exsuperas: dii te tuentur.* Et reliqua. Vixerunt igitur posteri Avidii Cassii securi, & ad honores admissi sunt. Sed eos Commodus Antoninus, post excessum divi patris sui, omnes vivos incendi jussit, quasi in factione deprehensos. Hæc sunt quæ de Cassio Avidio comperimus: cujus ipsius mores (ut supra diximus) varii semper fuerunt, sed ad censuram crudelitatemque propensiores. Qui, si obtinuisset Imperium, fuisset non modo clemens, sed bonus, sed utilis & optimus Imperator.

Senatus responsio.

Posteri Cassii à Commodo comburuntur.

CAP. XIV. Nam exstat epistola ejus, ad generum suum, jam Imperatoris, hujusmodi: *Misera respublica quæ istos divitiarum cupidos & divites patitur: misera. Marcus homo sane optimus, qui dum clemens dici cupit, eos patitur vivere, quorum ipse non probat vitam. Ubi Lucius Cassius, cujus nos frustra tenet nomen? Ubi omnis disciplina majorum? quæ olim quidem intercidit; nunc vero nec quæritur. Marcus Antoninus philosophatur, & quærit de clementia, & de animis, & de honesto & justo; nec sentit pro republica. Vides multis opus esse gladiis, multis elogiis: ut in antiquum statum publica forma reddatur. Ego vero istis præsidibus provinciarum. An ego proconsules, an ego præsides putem, qui ob hoc sibi à Senatu & ab Antonino provincias datas credunt, ut luxurientur, ut divites fiant? Audisti præfectum prætorii nostri philosophi, ante triduum quam fieret, mendicum & pauperem: sed dubito divitem factum. Unde quæso, nisi de visceribus reipublicæ provincialiumque fortunis? Sint sane divites, sint locupletes: ærarium publicum refercient. Tantum dii faveant bonis partibus. Reddant Cassiani reipublicæ principatum.* Hæc epistola ejus indicat, quam severus & quam tristis futurus fuerit Imperator.

Avidii Cassii epistola de Marci Imperio.

ÆLII LAMPRIDII COMMODUS ANTONINUS, AD DIOCLETIANUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Commodus apud Lanuvium natus.

De Commodi Antonini parentibus, in vita Marci Antonini ſatis eſt diſputatum. Ipſe autem natus eſt apud Lanuvium cum fratre Antonino Gemino, pridie Calendas Septembres patre patruoque Conſulibus; ubi & avus maternus dicitur natus.

Fauſtina ſerpentes in ſomnis parere viſa eſt.

Fauſtina cum eſſet Commodo cum fratre prægnans, viſa eſt in ſomnis ſerpentes parere: ſed ex his unum ferociorem. Cum autem peperiſſet Commodum atque Antoninum, Antoninus quadrimus eſt elatus: quem parem aſtrorum curſu Commodo mathematici promittebant. Mortuo igitur fratre, Commodum Marcus & ſuis præceptis & etiam magnorum atque optimorum virorum erudire conatus eſt.

Præceptores Commodi.

Habuit litteratorem Græcum, Oneſicritum; Latinum, Capellam Antiſtium; orator ei Atejus Sanctus fuit. Sed tot diſciplinarum magiſtri nihil ei profuerunt. *Tantum valet aut ingenii vis, aut eorum qui in aula inſtitutores habentur.* Nam à prima ſtatim pueritia, turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ore quoque pollutus & conſtupratus fuit: jam in his artifex, quæ ſtationis Imperatoriæ non erant: ut calices fingeret, ſaltaret, cantaret, ſibilaret, ſcurram denique & gladiatorem ſe perfectum oſtenderet.

Auſpicium crudelitatis.

Auſpicium crudelitatis apud Centumcellas dedit anno ætatis duodecimo. Nam cum tepidius forte lotus eſſet, balneatorem in fornacem conjici juſſit. Quando à pædagogo, cui hoc juſſum fuerat, vervecina pellis in fornace conſumpta eſt; ut fidem pœnæ de fœtore nidoris impleret.

Cæſar appellatur.

Appellatus eſt autem *Cæſar* puer cum fratre ſuo Severo. Decimo quarto ætatus anno in collegium ſacerdotum adſcitus eſt. (81) Cooptatus inter tres ſolos principes juventutis, cum togam ſumpſit: adhuc in prætexta puerili congiarium dedit, atque ipſe (82) in baſilica Trajani præſedit.

CAP. II. Indutus autem toga eſt Nonarum Juliarum die, quo in terris Romulus non apparuit, & eo tempore, quo Caſſius à Marco deſcivit. Profectus eſt, commendatus militibus, cum patre in Syriam & Ægyptum, & cum eo Romam rediit. Poſt hæc, venia legis annariæ impetrata, Conſul eſt factus:

Imperator appellatur & cum Patre triumphat.

& cum patre Imperator eſt appellatus quinto Calendarum Decembrium die, Pollione & Apro Conſulibus: & triumphavit cum patre: nam & hoc patres decreverant. Profectus eſt cum patre & ad Germanicum bellum. Adhibitos cuſtodes vitæ ſuæ honeſtiores ferre non potuit; peſſimos quoſque detinuit, & ſubmotus uſque ad ægritudinem deſideravit:

Mores Commodi perverſi.

quibus per patris mollitiem reſtitutis, popinas & ganeas in palatinis ſemper ædibus fecit: neque umquam pepercit vel pudori vel ſumptui. In domo aleam exercuit. Mulierculas formæ ſcitioris, ut proſtibula mancipia lupanarium, (*p*) ad ludibrium pudicitiæ contraxit. Imitatus eſt etiam propolas circumforaneos. Equos curules ſibi comparavit. Aurigæ habitu currus rexit: gladiatoribus convixit: aquam geſſit, ut lenonum miniſter; ut probris natum magis, quam ei loco, eum crederes, ad quem fortuna provexit.

CAP. III. Patris miniſteria ſeniora ſubmovit, amicos ſenes abjecit. Filium Salvii Juliani, qui exercitibus præerat, ad impudicitiam fruſtra tentavit, atque exinde Juliano tetendit inſidias. Honeſtiſſimos quoſque, aut per contumeliam, aut per honorem indigniſſimum, abjecit. Appellatus eſt à mimis quaſi obſtupratus: eoſdemque ita, ut non apparerent, ſubito deportavit. Bellum etiam, quod pater pene confecerat, regibus hoſtium addictus, remiſit, ac Romam reverſus eſt.

Triumphat.

Romam ut rediit, ſubactore ſuo Antero poſt ſe in curru locato, ita triumphavit, ut eum ſæpius cervice reflexa publice oſcularetur, etiam in orcheſtra hoc idem fecit. Et cum potaret in lucem, helluareturque viribus Romani Imperii; veſpera etiam per tabernas ac lupanaria volitavit. Miſit homines ad provincias regendas, vel criminum ſocios, vel à criminoſis commendatos. In Senatus odium ita venit, ut & ipſe crudeliter in tanti ordinis perniciem ſæviret, fieretque contemptui.

Quadratus & Lucilla de Commodo interficiendo conſilium ineunt.

CAP. IV. Crudelis vita Commodi Quadratum & Lucillam compulit ad ejus interfectionem conſilia inire, non ſine præfecti prætorio Tarruteni Paterni conſilio. Datum autem eſt negotium peragendæ necis Claudio Pompejano propinquo. Qui ingreſſus ad Commodum diſtricto gladio, cum faciendi poteſtatem habuiſſet, in hæc verba prorumpens, *Hunc tibi pugionem Senatus mittit*, detexit facinus fatuus, nec implevit, multis cum eo participantibus cauſam.

Qua conſpiratione detecta varii occiduntur.

Poſt hæc interfecti ſunt Pompejanus primo & Quadratus: dein Narbana atque Norbanus & Paralius, & ma-

Qq ter

(*p*) al. ut proſtibula mancipia perficiens lupanarium.

(81) Cooptatus inter tres ſolos principes juventutis) Hic titulus etiam tribuitur Commodo in numo Tab. LV. num. 5. Conf. HEMELAR. Tab. XXXIII. num. 9. p. 102.

(82) In baſilica Trajani) Hæc baſilica repræſentatur in numo Tab. LV. num. 6. Conf. OISEL. Tab. CVIII. num. 3. pag. 525.

ter ejus, & Lucilla in exilium exacta. Cum præfecti prætorio vidissent Commodum in tantum odium incidisse, obtentu Anteri, cujus potentiam Populus Romanus ferre non poterat, urbane Anterum eductum à palatio sacrorum causa, & redeuntem in hortos suos, per frumentarios occiderunt. Id vero gravius, quam de se ipso, Commodo fuit. Paternum autem, & hujus cædis auctorem, & (quantum videbatur) paratæ necis Commodi conscium, & interventurum (q) ne conjuratio latius puniretur, instigante Tigidio, per laticlavi honorem à præfecturæ administratione submovit. Post paucos dies insimulavit eum conjurationis, cum diceret, ob hoc promissam Juliani filio filiam Paterni, ut in Julianum transferretur Imperium. Quare & Paternum & Julianum & Vitruvium Secundum, Paterni familiarissimum, qui epistolas imperatorias curabat, interfecit. Domus præterea Quintiliorum omnis exstincta, quod Sextus Condiani filius, specie mortis, ad defectionem diceretur evasisse. Interfecta & Vitrasia Faustina, & Velius Rufus, & Egnatius Capito, consulares. In exilium autem acti sunt Æmilius Junctus & Atilius Severus Consules. Et in multos alios varie sævitum.

CAP. V. Post hæc Commodus numquam facile in publicum processit, neque quidquam sibi nuntiari passus, nisi quod Perennis ante tractasset. Perennis autem, Commodi animum persciens, invenit, quemadmodum ipse potens esset. Nam persuasit Commodo, ut ipse deliciis vacaret, idem vero Perennis curis incumberet: quod Commodus lætanter accepit. Hac igitur lege vivens ipse cum trecentis concubinis, quas ex matronarum meretricumque delectu ad formæ speciem conciliaverat, trecentisque aliis puberibus exoletis, quos æque ex plebe ac nobilitate, nuptiisque, forma disceptatrice collegerat, in palatio per convivia & balneas bacchabatur. Inter hæc, habitu victimarii, victimas immolavit: in arena rudibus, inter cubicularios gladiatores pugnavit, lucentibus aliquando mucronibus. Tunc tamen Perennis cuncta sibimet vindicavit: quos voluit, interemit; spoliavit plurimos, omnia jura subvertit, prædam omnem in sinum contulit. Ipse autem Commodus Lucillam sororem, cum eam compresisset, occidit: sororibus dein suis ceteris, ut dicitur, constupratis, consobrina patris complexibus suis conjuncta, uni etiam ex concubinis matris nomen imposuit & (83) uxoris. Quam deprehensam in adulterio exegit, exactam relegavit, & postea occidit. Ipsas concubinas suas sub oculis suis stuprari jubebat. Nec irruentium in se juvenum carebat infamia, omni parte corporis, atque ore, in sexum utrumque pollutus. Occisus est eo tempore etiam Claudius, quasi à latronibus: cujus filius cum pugione quondam ad Commodum ingressus est: multique alii Senatores sine judicio interempti, feminæ quoque divites. Et nonnulli per provincias, à Perenni ob divitias insimulati, spoliati sunt, vel etiam interempti. His autem, quibus de-

Perennis apud Commodum potentia.

Commodi turpis vita.

Commodus Lucillam sororem occidit.

Crudelitas Commodi.

erat ficti criminis appositio, objiciebatur, quod scribere voluissent Commodum heredem.

CAP. VI. Eo tempore in Sarmatia res bene gestas per alios duces, in filium suum Perennis referebat. Hic tamen Perennis, qui tantum potuit, subito, quod bello Britannico militibus equestris loci viros præfecerat, amotis senatoribus, prodita re per legatos, exercitus hostis appellatus, lacerandusque militibus est deditus. In cujus potentiæ locum Cleandrum ex cubiculariis subrogavit. Multa sane post interfectum Perennem ejusque filium, quasi à se non gesta, rescidit, velut in integrum restituens. Et hanc quidem pœnitentiam scelerum ultra triginta dies tenere non potuit, graviora per Cleandrum faciens, quam fecerat per supra dictum Perennem. Et in potentia quidem Cleander Perenni successerat, in præfectura vero Niger: qui sex tantum horis præfectus prætorii fuisse perhibetur. Mutabantur enim præfecti prætorii per horas ac dies; Commodo pejora omnia, quam fecerat ante, faciente. Fuit item Marcius Quartus præfectus prætorio diebus quinque. Horum successores ad arbitrium Cleandri aut retenti sunt, aut occisi. Ad cujus nutum etiam libertini in Senatum atque in patricios lecti sunt: tuncque primum vigintiquinque Consules in unum annum, venditæque omnes provinciæ. Omnia Cleander pecunia venditabat. Revocatos de exilio dignitatibus ornabat: res judicatas rescindebat. Qui tantum per stultitiam Commodi potuit, ut Byrrum, sororis Commodi virum, reprehendentem nuntiantemque Commodo quæ fiebant, in suspicionem regni affectati traheret & occideret; multis aliis, qui Byrrum defendebant, pariter interemptis. Præfectus etiam Ebutianus inter hos est interemptus: in cujus locum ipse Cleander cum aliis duobus, quos ipse delegerat, præfectus est factus. Tuncque primum tres præfecti prætorio fuere: inter quos libertinus, qui à pugione appellatus est.

CAP. VII. Sed & Cleandro dignus tandem vitæ finis impositus. Nam cum insidiis illius Arrius Antoninus, fictis criminibus in Attali gratiam, quem in proconsulatu, Asiæ damnaverat, esset occisus, nec eam tum invidiam Populo sæviente Commodus ferre potuisset, plebi ad pœnam donatus est: cum etiam Apolaustus, aliique liberti aulici pariter interempti sunt. Cleander inter cetera etiam concubinas ejus constupravit; de quibus filios suscepit, qui post ejus interitum cum matribus interempti sunt. In cujus locum Julianus & Regillus subrogati sunt: quos & ipsos postea pœnis affecit. His occisis, interemit Servilium & Dulium Silanos, cum suis: mox Anicium Lupum, & Petronios Mamertinum & Suram, filiumque Mamertini Antoninum, ex sorore sua genitum. Et post eos sex simul ex consularibus, Allium Fuscum, Cœlium Felicem, Luceium Torquatum, Lartium Euripianum, Valerium Bassianum, Pactuleium Magnum cum suis: atque in Asia Sulpicium Crassum

Perennis cum filio occiditur.

In cujus locum subrogatur Cleander.

Præfecti prætorii sub Commodo.

Cleandri potentia.

Cleander plebi ad pœnam donatur.

Varii successores ejus occiduntur.

(q) al. interventorem.

(83) Uxoris) Uxor Commodi erat Crispina. Cujus vultum ex MEDIOBARBO p. 259. vide Tab. LV, num. 7.

Crassum proconsulem, & Julium Proculum cum suis, Claudiumque Lucanum consularem, & consobrinam patris sui Faustinam Anniam in Achaia, & alios infinitos. Destinaverat & alios quatuordecim occidere, cum sumptus ejus vires Romani Imperii sustineri non possent.

CAP. VIII. Inter hæc Commodus, Senatu semet ridente, cum adulterum matris Consulem designasset, appellatus est *Pius*; cum occidisset Perennem, appellatus est *Felix*. Inter plurimas cædes multorum civium, quasi quidam novus Sulla, idem Commodus ille Pius, ille Felix, finxisse etiam quandam contra se conjurationem dicitur, ut multos occideret. Nec alia ulla fuit defectio præter Alexandri, quæ postea se & suos interemit, & sororis Lucillæ. Appellatus est Commodus etiam (84) *Britannicus* ab adulatoribus: cum Britanni etiam Imperatorem contra eum deligere voluerint. (85) Appellatus est etiam *Romanus Hercules*: quod feras Lanuvii in amphitheatro occidisset. Erat enim hæc illi consuetudo, ut domi bestias interficeret. Fuit præterea ea dementia, ut Urbem Romam, *Coloniam Commodianam* vocari voluerit: cui furor dicitur inter delinimenta Marciæ injectus. Voluit etiam in circo quadrigas agitare. Dalmaticatus in publico processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit. Et eo quidem tempore, quo ad Senatum retulit de Commodiana facienda Roma, non solum Senatus hoc libenter accepit per irrisionem (quantum intelligitur) sed etiam seipsum *Commodianum* vocavit, Commodum *Herculem* & *Deum* appellans.

Commodus appellatur, Pius. Felix.

Britannicus.

Romanus Hercules.

Commodus Urbem Romam Coloniam Commodianam appellat.

CAP. IX. Simulavit se & in Africam iturum, ut sumptum itinerarium exigeret: & exegit, eumque in convivia & aleam convertit. Motilenum præfectum prætorio, per ficus veneno interemit. Accepit statuas in Herculis habitu: eique immolatum est ut deo. Multos præterea paraverat interimere, quod per parvulum quemdam proditum est, qui tabulam è cubiculo ejecit, in qua occidendorum erant nomina scripta. Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubin portaret. Bellonæ servientes vere exsecare brachium præcepit, studio crudelitatis. Isiacos vero pineis usque ad perniciem pectus tundere cogebat. Cum Anubin portaret, capita Isiacorum graviter obtundebat ore simulacri. Clava non solum leones in veste muliebri & pelle leonina, sed etiam multos homines afflixit. Debiles pedibus, & eos, qui ambulare non possent, in gigantum modum formavit, ita, ut à genibus de pannis & linteis quasi dracones dirigerentur; eosdemque sagittis confecit. Sacra Mithriaca homicidio vero polluit: cum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat.

Varia stolida de Commodo.

CAP. X. Etiam puer, & gulosus & impudicus fuit. Adolescens omne genus infamavit hominum quod erat secum, & ab omnibus est infamatus. Irridentes se, feris objiciebat. Eum etiam, qui Tranquilli librum, vitam Caligulæ continentem, legerat, feris objici jussit: quia eundem diem natalis habuerat, quem & Caligula. Si quis sane se mori velle prædixisset, hunc invitum præcipitari jubebat. In jocis quoque perniciosus. Nam eum, quem vidisset albescentes inter nigros capillos quasi vermiculos habere, sturno apposito, qui se vermes sectari crederet, capite suppuratum reddebat. Obtunsi oneris pinguem hominem medio ventre dissecuit, ut ejus intestina subito funderentur. *Monopedios* & *Luscinios*, eos, quibus aut singulos tulisset oculos, aut singulos pedes fregisset, appellabat. Multos præterea passim exstinxit: alios, quia barbarico habitu occurrerant: alios, quia nobiles & speciosi erant. Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum utriusque sexus; quos libentius suis oculis applicabat. Habuit & hominem pene prominente ultra modum animalium, quem *Onon* appellabat, sibi carissimum: quem & ditavit, & sacerdotio Herculis rustici præposuit.

Ejus pueritia & adolescentia turpis.

Tranquilli Caligulam legenter feris objecit.

Varia ejus crudelitas.

CAP. XI. Dicitur sæpe pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse, nec abstinuisse gustu, aliis (ut putabat) irrisis. Duos gibbos retortos in lance argentea sibi sinapi perfusos exhibuit, eosdemque statim promovit ac ditavit. Præfectum prætorio suum Julianum, togatum, præsente officio suo, in piscinam detrusit. Quem saltare etiam nudum ante concubinas suas jussit, quatientem cymbala, deformato vultu. Genera leguminum coctorum ad convivium propter luxuriæ continuationem, raro vocavit. Lavabat per diem septies atque octies: & in ipsis balneis edebat. Deorum templa polluit stupris & humano sanguine. Imitatus est & medicum, ut sanguinem hominibus emitteret scalpris feralibus. Menses quoque in honorem ejus pro Augusto, *Commodum*, pro Septembri *Herculem*, pro Octobri *Invictum*, pro Novembri *Exsuperatorium*, pro Decembri *Amazonium*, ex signo ipsius adulatores vocabant. *Amazonius* autem vocatus est ex amore concubinæ suæ Marciæ, quam pictam in Amazone diligebat: propter quam & ipse Amazonico habitu in arenam Romanam procedere voluit. Gladiatorum etiam certamen subiit; & nomina gladiatorum recepit eo gaudio quasi acciperet triumphalia. Ludum semper ingressus est: &, quoties ingrederetur, publicis monumentis indi jussit. Pugnasse autem dicitur septingenties tricies quinquies. Nominatus inter Cæsares quarto Iduum Octobrium (quas Herculeas postea nominavit) Prudente & Pollione consulibus. (86) Appellatus *Germanicus*, Idibus Herculeis, Maximo & Orphito consulibus.

Et turpitudo.

Menses aliter appellat.

Gladiatorum certamen subit.

Germanicus appellatur.

CAP. XII. Assumptus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos, decimotertio Calendas Invictas, Pisone & Juliano consulibus. Profectus in Germaniam decimoquarto Calendas Ælias, ut postea nominavit, iisdem consulibus. Togam virilem accepit, cum patre appellatus Imperator quinto Calendas Exsuperatorias, Pollione iterum & Apro Consulibus Triumphavit

Assumptus in omnia collegia sacerdotalia.

Ejus res gestæ.

(84) Appellatus est Britannicus) Etiam in numis, ut patet ex numo Tab. LV. num. 8. Conf. OISEL. Tab. V. num. 4. p. 25.
(85) Appellatus est etiam Hercules Romanus) Hoc docet numus Tab. LVI. num. 1. Conf. OISEL. Tab. XLIV. num. 5. & 6. p. 235.
(86) Apellatus Germanicus) Ut in numo Tab. LVI. num. 2. Conf. HEMELAR. Tab. XXXIII. num. 8. pag. 101.

phavit decimo Calendas Amazonias, iisdem Consulibus. Iterum profectus tertio Nonas Commodias, Orphito & Rufo Consulibus. Datus in perpetuum ab exercitu & Senatu in domo palatina Commodiana conservandus, undecimo Calendas Romanas, Præsente iterum Consule. Tertio meditans de profectione, à Senatu & Populo suo retentus est. Vota pro eo facta sunt Nonis Piis, Fusciano iterum Consule. Inter hæc refertur in litteras, pugnasse illum sub patre trecenties sexagies quinquies. Item postea tantum palmarum gladiatoriarum confecisse, vel victis retiariis vel occisis, ut mille contingeret. Ferarum autem diversarum manu sua occidit multa millia, ita, ut elephantos occideret. Et hæc fecit sæpe spectante Populo Romano.

Vota pro eo facta.

CAP. XIII. Fuit autem validus ad hæc, alias debilis & infirmus; vitio etiam inter inguina prominenti; ita, ut ejus tumorem per sericas vestes Populus Romanus agnosceret. Versus in eum multi scripti sunt, de quibus etiam in opere suo Marius Maximus gloriatur. Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, ut elephantum conto transfigeret: & orygis cornu hasta transmiserit: & singulis ictibus multa millia ferarum ingentium conficeret. Impudentiæ tantæ fuit, ut, cum muliebri veste in amphitheatro vel theatro sedens, publice sæpissime biberit. Victi sunt sub eo tamen, cum ille sic viveret, per legatos, Mauri; victi Daci; Pannoniæ quoque compositæ; in Britannia, in Germania & in Dacia Imperium ejus recusantibus provincialibus, quæ omnia ista per duces sedata sunt. Ipse Commodus in subscribendo tardus & negligens, ita, ut libellis una forma multis subscriberet: in epistolis autem plurimis *Vale* tantum scriberet. Agebanturque omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur.

Commodi robur.

Res gestæ per legatos.

CAP. XIV. Per hanc autem negligentiam, cum & annonam vastarent ii, qui tunc rempublicam gerebant, etiam inopia ingens Romæ exorta est, cum fruges non deessent: & eos quidem, qui omnia vastabant, postea Commodus occidit atque proscripsit. Ipse vero sæculum aureum, *Commodianum* nomine assimulans, utilitatem proposuit, ex qua majorem penuriam fecit. Multi sub eo & alienam pœnam & suam salutem pecunia redemerunt. Vendidit etiam suppliciorum diversitates, & sepulturas, & imminutiones malorum, & alios pro aliis occidit. Vendidit etiam provincias & administrationes, cum hi, per quos venderet, partem acciperent, partem vero Commodus. Vendidit nonnullis & inimicorum suorum cædes. Vendiderunt sub eo etiam eventus litium liberti. Præfectos Paternum & Perennem non diu tulit: ita tamen, ut etiam de his præfectis, quos ipse fecerat, triennium nullus impleret: quorum plurimos interfecit, vel veneno vel gladio. Et præfectos Urbi eadem facilitate mutavit.

Crudelis modus acquirendi pecuniam.

CAP. XV. Cubicularios suos libenter occidit: cum omnia ex nutu eorum semper fecisset. Electus cubicularius, cum videret, eum tam facile cubicularios occidere, prævenit eum, & factioni mortis ejus interfuit. Spectator gladiatoria sumpsit arma, panno purpureo nudos humeros advelans. Habuit præterea morem, ut omnia, quæ turpiter, quæ impure, quæ crudeliter, quæ gladiatorie, quæ lenonice faceret, Actis Urbis indi juberet, ut Marii Maximi scripta testantur. *Commodianum* etiam Populum Romanum dixit, quæ sæpissime præsente gladiator pugnavit. Sane, cum illi sæpe pugnanti, ut Deo, populus favisset, irrisum se credens, Populum Romanum à militibus classiariis, qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat. Urbem incendi jusserat, utpote coloniam suam. Quod factum esset, nisi Lætus præfectus prætorio Commodum deterruisset. Appellatus est sane, inter cetera triumphalia nomina, etiam sexcenties vicies *Palus primus sequutorum*.

Facta sua turpia & crudelia Actis Urbis indi jubet.

Populum Romanum interimi. Et Urbem incendi jussit.

CAP. XVI. Prodigia ejus Imperio & publice & privatim hæc facta sunt: Crinita stella apparuit. Vestigia deorum in foro visa sunt exeuntia. Et ante bellum desertorum cœlum arsit: & repentina caligo ac tenebra in circo Kalendis Januariis oborta: & ante lucem fuerant etiam incendiariæ aves ac diræ. De palatio ipse ad Cælium montem in Vectilianas ædes migravit, negans *se in palatio posse dormire*. Janus geminus sua sponte apertus est, & Anubis simulacrum marmoreum moveri visum est. Herculis signum æneum sudavit in Minucia per plures dies. Bubo etiam supra cubiculum ejus deprehensa est, tam Romæ quam Lanuvii. Ipse autem prodigium non leve sibi fecit: nam cum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit: & contra consuetudinem, pænulatos jussit spectatores, non togatos, ad munus convenire, quod funeribus solebat; ipse in pullis vestimentis præsidens. Galea ejus bis per portam libitinensem elata est. (87) Congiarium dedit Populo, singulis denarios septingenos vicenos quinos. Circa alios omnes parcissimus fuit: quod luxuriæ sumptibus ærarium minuerat. Circenses multos addidit ex libidine potius quam religione, & ut dominos factionum ditaret.

Prodigia ejus Imperio facta.

CAP. XVII. His incitati, licet nimis sero, Quintus Æmilius Lætus præfectus, & Marcia concubina ejus, inierunt conjurationem ad occidendum eum. Primum ei venenum dederunt: quod cum minus operaretur, per athletam, cum quo exerceri solebat, eum strangulaverunt. Fuit forma quidem corporis justa, vultu insubido, ut ebriosi solent, & sermone incondito, capillo semper fucato & auri ramentis illuminato; adurens comam & barbam timore tonsoris. Corpus ejus ut unco traheretur, atque in Tiberim mitteretur, Senatus & Populus postulavit: sed postea jussu Pertinacis in monumentum Hadriani translatum est. Opera ejus, præter lavacrum, quod Cleander nomine ipsius fecerat, nulla exstant. Sed nomen ejus, alienis operibus incisum, Senatus erasit. Nec patris autem sui opera perfecit. Classem Africanam instituit: quæ subsidio esset si forte Alexandrina frumenta cessassent.

Commodus strangulatur.

Ejus sepultura.

Opera ejus publica.

(87) Congiarium dedit Populo) Hujus liberalitatis memoriam servat numus Tab. LVI, num. 3. Conf. HEMELAR. Tab. XXXIII. num. 12. p. 103.

sent. Ridicule etiam Carthaginem, *Alexandrinam Commodianam togatam* appellavit: cum classem quoque Africanam, *Commodianam Herculeam* appellasset. Ornamenta sane quædam colosso addidit, quæ postea cuncta sublata sunt. Colossi autem caput dempsit, quod Neronis esset, ac suum imposuit: & titulum more solito subscripsit, ita, ut illum gladiatorium effeminatum (r) non prætermitteret. Hunc tamen Severus Imperator, gravis & vir nominis sui, odio (ut videtur) Senatus, (88) inter deos retulit; flamine addito, quem ipse vivus sibi paraverat, Herculaneo Commodiano. Sorores tres superstites reliquit. Ut natalis ejus celebraretur, Severus instituit.

Inter deos refertur.

CAP. XVIII. Acclamationes Senatus post mortem Commodi graves fuerunt. Ut autem sciretur, quod judicium Senatus de Commodo fuerit, ipsas acclamationes de Mario Maximo indidi, & sententiam senatusconsulti: *Hosti patriæ honores detrahantur: parricidæ honores detrahantur: parricida trahatur. Hostis patriæ, parricida, gladiator, in spoliario lanietur. Hostis deorum, carnifex Senatus, hostis deorum, parricida Senatus, hostis deorum, hostis Senatus. Gladiatorem in spoliario. Qui Senatum occidit, in spoliario ponatur. Qui Senatum occidit, unco trahatur. Qui innocentes occidit unco trahatur: hostis, parricida, vere severe. Qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur. Qui te occisurus fuit, unco trahatur. Nobiscum timuisti, nobiscum periclitatus es. Ut salvi simus, Jupiter optime maxime, serva nobis Pertinacem. Fidei prætorianorum feliciter: prætoriis cohortibus feliciter: exercitibus Romanis feliciter: pietati Senatus feliciter. Parricida trahatur. Rogamus, Auguste, parricida trahatur: hoc rogamus, parricida trahatur. Exaudi Cæsar. Delatores ad leonem: exaudi Cæsar. Delatores ad leonem: exaudi Cæsar. Speratum ad leonem. Victoriæ Populi Romani feliciter: fidei militum feliciter: fidei prætorianorum feliciter: cohortibus prætoriis feliciter. Hostis statuas undique, parricidæ statuas undique, gladiatoris statuas undique: gladiatoris & parricidæ statuæ detrahantur. Necator civium trahatur; parricida civium trahatur. Gladiatoris statuæ detrahantur. Te salvo, salvi & securi sumus, vere, vere: modo vere, modo digne, modo vere, modo libere. Nunc securi sumus: delatoribus metum. Ut securi simus, delatoribus metum: salvi simus, delatores de Senatu. Delatoribus fustem, te salvo. Delatores ad leonem, te imperante. Delatoribus fustem. Parricidæ gladiatoris memoria aboleatur, parricidæ gladiatoris statuæ detrahantur. Impuri gladiatoris memoria aboleatur: gladiatorem in spoliario. Exaudi Cæsar. Carnifex unco trahatur: carnifex Senatus, more majorum unco trahatur. Sævior Domitiano, impurior Nerone, sicut fecit, si patiatur. Memoriæ innocentium serventur. Honores innocentium restituas, Rogamus. Parricidæ cadaver unco trahatur; gladiatoris cadaver unco trahatur; gladiatoris cadaver in spoliario ponatur. Perroga, perroga: omnes censemus unco trahendum. Qui omnes occidit, unco trahatur. Qui omnem ætatem occidit, unco trahatur. Qui utrumque sexum occidit, unco trahatur. Qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur. Qui templa spoliavit, unco trahatur. Qui testamenta delevit, unco trahatur. Qui vivos spoliavit, unco trahatur. Servis servivimus. Qui pretia vitæ excepit, unco trahatur. Qui pretia vitæ exegit, & fidem non servavit, unco trahatur. Qui Senatum vendidit, unco trahatur. Qui filiis abstulit hæreditatem, unco trahatur. Indices de Senatu, delatores de Senatu: servorum subornatores de Senatu, Et tu nobiscum timuisti: omnia scis; bonos & malos nosti: omnia scis, omnia emenda. Pro te timuimus. O nos felices te viro imperante! De parricida refer, refer, perroga; præsentiam tuam rogamus. Innocentes sepulti non sunt: parricidæ cadaver trahatur. Parricida sepultos eruit: parricidæ cadaver trahatur.*

Judicium Senatus de Commodo.

CAP. XIX. Et cum jussu Pertinacis Livius, Laurensis, procurator patrimonii, Fabio Chiloni Consuli designato dedisset, per noctem Commodi cadaver sepultum est. Senatus acclamavit: *Quo auctore sepelierunt? Parricida sepultus eruatur; trahatur.* Cingius Severus dixit: *Injuste sepultus est. Quia pontifex dico, hoc collegium pontificum dicit. Quoniam læta percensui, nunc convertar ad necessaria, censeoque: quod is, qui nonnisi ad perniciem civium & ad dedecus suum vivit, ob honorem suum decerni coëgit; abolendas statuas: quæ undique sunt abolendæ, nomenque ex omnibus privatis publicisque monumentis eradendum: mensesque his nominibus nuncupandos, quibus nuncupabantur, cum primum illud malum in rempublicam incubuit.*

Sepultura Commodi improbatur.

JULII CAPITOLINI PERTINAX IMPERATOR.

CAPUT I.

Pertinax unde sic dictus.

PUblio Helvio Pertinaci pater libertinus Helvius Successus fuit; qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quod *pertinaciter* eam rem gereret, imposuisse fertur. Natus est Pertinax in Apennino in villa Martis. Equus pullus ea hora qua natus est, integulas ascendit, atque ibi breviter commoratus, decidens exspiravit. (s) Hac re pater motus, ad Chaldæum venit. Qui cum illi futura ingentia prædixisset, *stipem se perdidisse* dixit. Puer litteris elementariis & calculo imbutus, datus etiam Græco grammatico, atque inde Sulpicio Apollinari; post quem idem Pertinax grammaticen professus est. Sed cum in ea minus quæstus proficeret, per Lollianum Avitum, consularem virum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petiit. Dein

Grammaticen professus est.

(r) al. gladiatorium & effeminatum. (s) al. decidit atque exspiravit.

(88) Inter Deos retulit) Eumque in finem nummum Tab. LVI, num. 4. percussit. BEGER. Th. Br. T. II. p. 683.

Præfectis cohortis.

Dein præfectus cohortis in Syriam profectus, Tito Aurelio Imperatore, à præside Syriæ, quod sine diplomatibus cursum usurpaverat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est.

Varia ejus munera.

CAP. II. Bello Parthico industria sua promeritus, in Britanniam translatus est, ac retentus. Post in Mœsia rexit alam; deinde alimentis dividendis in via Æmilia procuravit. Inde classem Germanicam rexit. Mater eum usque in Germaniam prosequuta est, ibique obiit: cujus etiam sepulcrum stare nunc dicitur. Inde ad ducentum Sestertium stipendium translatus in Daciam, suspectusque Marco quorumdam relatu, à partibus remotus est: & postea per Claudium Pompejanum generum Marci, quasi adjutor ejus futurus, vexillis regendis adscitus est. In quo munere approbatus, lectus est in Senatum. Postea iterum re bene gesta, prodita est factio, quæ illi concinnata fuerat: Marcusque Imperator, ut compensaret injuriam, prætorium eum fecit, & primæ legioni regendæ imposuit: statimque Rhætias & Noricum ab hostibus vindicavit. Ex quo eminente industria, studio Marci Imperatoris Consul est designatus. Exstat oratio apud Marium Maximum, laudes ejus continens, & omnia vel quæ fecit, vel quæ perpessus est. Et præter illam orationem, quam longum fuerit connectere, sæpissime Pertinax à Marco & in concione militari, & in Senatu laudatus est: doluitque palam Marcus, quod, cum Senator esset, præfectus prætorii fieri à se non posset. Cassiano motu composito, è Syria ad Danubii tutelam profectus est; atque inde Mœsiæ utriusque, mox Daciæ regimen accepit. Bene gestis his provinciis, Syriam meruit.

In Senatum lectus.

Consul designatur.

Pecunias colligit.

CAP. III. Integre se usque ad Syriæ regimen Pertinax tenuit: post excessum vero Marci, pecuniæ studuit: quare etiam dictis popularibus est lacessitus, curiam Romanam post quatuor provincias consulares, quia consulatum absens gesserat, jam dives ingressus est; cum eam Senator antea non vidisset. Jussus est præterea statim à Perenne in Liguriam secedere in villam paternam: nam pater ejus tabernam coctiliciam in Liguria exercuerat. Sed posteaquam in Liguriam venit, multis agris coëmptis, tabernam paternam, manente forma priore, infinitis ædificiis circumdedit; fuitque illic per triennium, & mercatus est per suos servos. Occiso sane Perenni, Commodus Pertinaci satisfecit, eumque petiit per literas, ut ad Britanniam proficisceretur. Profectusque, milites ab omni seditione deterruit: cum illi quemcumque Imperatorem vellent habere, & ipsum specialiter Pertinacem. Tunc Pertinax malevolentiæ notam subiit, quod dictus est insimulasse apud Commodum affectati Imperii Antistium Burrum, & Arrium Antoninum. Et seditiones quidem contra ipse (*t*) compescuit in Britannia: verum ingens periculum adiit, seditione legionis pene occisus; certe inter occisos relictus. Quam quidem rem idem Pertinax acerrime vindicavit. Denique postea veniam legationis petiit, dicens, *sibi ob defensam disciplinam infestas esse legiones.*

Legatus in Britannia factus.

CAP. IV. Accepto successore, alimentorum ei cura mandata est: deinde proconsul Africæ factus est. In quo proconsulatu multas seditiones perpessus dicitur, vaticinationibus earum, quæ de templo Cælestis emergunt. Post hoc præfectus Urbi factus: in qua præfectura post Fuscianum, hominem severum, Pertinax mitissimus & humanissimus fuit: & ipsi Commodo plurimum placuit, quia ille esset * iterum, (*u*) cum Pertinax factus est. Tunc Pertinax interficiendi Commodi conscientiam delatam sibi ab aliis, non fugit. Commodo autem interempto, Lætus præfectus prætorii & Electus cubicularius ad eum venerunt, ut eum confirmarent; atque in castra duxerunt. Illic Pertinax milites alloquutus est. Donativum promisit: ingeri sibi Imperium à Læto & Electo dixit. Fictum est autem, quod morbo esset Commodus extinctus; quia & milites, ne tentarentur, pertimescebant. Denique à paucis primum est Pertinax Imperator appellatus. Factus est autem sexagenario major, Imperator, pridie Calendas Januarias. De castris nocte cum ad Senatum venisset, & cellam curiæ jussisset aperiri, neque inveniretur aditus, in templo Concordiæ resedit. Et cum ad eum Claudius Pompejanus, gener Marci, venisset, casumque Commodi lacrymasset, eum hortatus est Pertinax, ut Imperium sumeret: sed ille recusavit, quia jam Imperatorem Pertinacem videbat. Statim ergo omnis magistratus cum Consule ad curiam venerunt, ingressumque Pertinacem, nocte Imperatorem appellaverunt.

Proconsul Africæ.

Præfectus Urbi.

Interempto Commodo.

Pertinax Imperator appellatur.

U.C. 945. P. C.N. 193.

CAP. V. Ipse autem Pertinax, post laudes suas, à Consulibus dictas, & post vituperationem Commodi, acclamatiouibus Senatus ostensam, egit gratias Senatui, & præcipue Læto, præfecto prætorii, quo auctore & Commodus interemptus, & ipse Imperator est factus. Sed cum Læto gratias egisset Pertinax, Falco Consul dixit: *Qualis Imperator es futurus, hinc intelligimus, quod Lætum, & Marciam, ministros scelerum Commodi, post te videmus.* Cui Pertinax respondit: *Juvenis es Consul, nec parendi scis necessitatem. Paruerunt inviti Commodo: sed ubi habuerunt facultatem, quid semper voluerint, ostenderunt.* Eadem die, qua Augustus est appellatus, & Flavia Titiana uxor eius Augusta appellata. His horis, quibus ille in Capitolium (89) vota solvebat, primus sane omnium ea die qua Augustus est appellatus, etiam Patris patriæ nomen recepit: necnon simul etiam Imperium proconsulare, necnon jus quartæ relationis: quod ominis loco fuit Pertinaci. Ad palatium ergo Pertinax profectus (quod tunc vacuum erat, quia Commodus in Vectilianis occisus est) petenti signum prima die tribuno dedit, *Militemus*; exprobrans utique segnitiem temporum superiorum

Uxor ejus Augusta.

Pertinax Patris Patriæ nomen recepit.

(*t*) al. se. al. Imperatorem. (*u*) al. quia Commodus esset iterum Cos. cum &c. al. quia ille Cos. septimum &c.

(89) Vota solvebat) Huc pertinet numus Tab. LVI, num. 5. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. p. 685.

rum: quod quidem etiam ante in omnibus ducatibus dederat.

Senatum ad convivium rogat.

CAP. VI. Exprobrationem autem istam milites non tulerunt, statimque de Imperatore mutando cogitarunt. Ea die etiam ad convivium magistratus & proceres Senatus rogavit: quam consuetudinem Commodus prætermiserat. Sane, cum postero Kalendarum die statuæ Commodi dejicerentur, gemuerunt milites; simul, quia iterum signum idem dederat Imperator. Timebatur autem militia sub sene Imperatore. Denique tertium nonarum diem votis ipsis milites Triarium Maternum Lascivium, Senatorem nobilem, ducere in castra voluerunt, ut eum rebus Romanis imponerent. Sed ille nudus fugit, atque ad Pertinacem in palatium venit, & post ex Urbe discessit. Timore sane Pertinax coactus, omnia quæ Commodus militibus & veteranis dederat, confirmavit. Suscipere se etiam Imperium à Senatu dixit, quod jam sponte inierat. Quæstionem majestatis penitus tulit, cum jurejurando. Revocavit etiam eos, qui deportati fuerant crimine majestatis; eorum memoria restituta, qui occisi fuerant. Filium ejus Senatus Cæsarem appellavit. Sed Pertinax, nec uxoris Augustæ appellationem recepit, & de filio dixit, *Cum meruerit*. Et cum Commodus allectionibus innumeris prætorios miscuisset, senatusconsultum Pertinax fecit, jussitque *eos, qui præturas non gessissent, sed allectione accepissent, post eos esse, qui vere prætores fuissent*. Sed hinc quoque grande odium sibi multorum commovit.

Triarius Imperium à militibus oblatum detrectat.

Pertinacis modestia.

Census retractari jussit.

CAP. VII. Census retractari jussit: delatores vinctos graviter puniri jussit; & tamen mollius, quam priores Imperatores: unicuique dignitati, si delationis crimen incurreret, pœnam statuens. Legem sane tulit, *testamenta priora non prius essent irrita, quam alia perfecta essent; neve ob hoc fiscus aliquando succederet.* Ipseque professus est, *nullius se aditurum hereditatem, quæ aut adulatione alicujus delata esset, aut lite perplexa, ut legitimi heredes & necessarii privarentur:* addiditque senatusconsulto hæc verba: *Sanctius est, Patres Conscripti, inopem rempublicam obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discrimina atque dedecoris vestigia pervenire.* Donativa & congiaria quæ Commodus promiserat, solvit. Annonæ consultissime providit. Et cum tantam pecuniam ærarii haberet, ut præter decies sestertium non se invenisse fateretur; coactus est ea exigere, quæ Commodus indixerat, contra, quam professus fuerat. Denique aggressus eum Lollianus Gentianus consularis, quod contra promissum faceret, necessitatis rationem accepit. Auctionem rerum Commodi habuit, ita, ut & pueros & concubinas vendi juberet; exceptis iis, qui per vim palatio videbantur inserti. Et de his, quos vendi jussit, multi postea reducti ad ministerium, oblectaverunt senem; qui per alios principes usque ad senatoriam dignitatem pervenerunt. Scurras, turpissimorum nominum dedecora præferentes, proscripsit ac vendidit. Cujus nundinationis pecuniam, quæ ingens fuit, militibus donativo dedit.

Lex de testamentis.

Donativa & congiaria à Commodo promissa, solvit.

In quo auxerit remp.

CAP. VIII. A libertis etiam ea exegit, quibus Commodo vendente ditati fuerant. Auctio sane rerum Commodi in his insignior fuit: Vestis subtegimine serico, aureis filiis insignior, per (x) tunicas pænulasque, lacernas & chirodotas Dalmatarum & cirratas militares, purpureasque chlamydes Græcanicas atque castrenses, & cuculli Bardaici, & toga armaque gladiatoria gemmis auroque composita; & machæras Herculaneas, & torques gladiatorias, vasaque eluto auro, ebore, argento, citroque composita, atque etiam phallovitroboli ex materie eadem, & vasa Samnitica, calfactandæ resinæ ac pici divellendis hominibus ac lævigandis: nec non vehicula arte fabricæ nova, perplexis diversisque rotarum orbibus & exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per vertiginem: & alia iter metientia, horasque monstrantia, & cetera vitiis ejus convenientia. Reddidit præterea dominis eos, qui se ex privatis dominibus in aulam contulerant. Convivium imperatorium ex immenso ad certum revocavit modum. Sumptus etiam omnes Commodi reddidit. (y) Exemplo autem Imperatoris, cum ille parcius se ageret, ex omnium continentia vilitas nata est. Nam imperatorium sumptum, pulsis non necessariis, ad soliti dimidium detraxit.

CAP. IX. Præmia militantibus posuit. (90) Æs alienum, quod primo Imperii tempore contraxerat, solvit. Ærarium in suum statum restituit. Ad opera publica certum sumptum constituit. Reformandis suis (z) pecuniam contulit: stipendia plurimis retro debita exsolvit. Obeundis postremo cunctis muneribus fiscum parem fecit. Alimentaria etiam compendia, quæ novem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundia sustulit. Avaritiæ suspicione privatus non caruit, cum apud vada Sabatia oppressis fœnore possessoribus, latius suos teneret fines. Denique ex versu Luciliano *agrarius mergus* (a) est appellatus. Multi autem eum etiam in provinciis, quas consularis gessit, sordide se egisse in literas retulere. Nam vacationes & legationes militares dicitur vendidisse. Denique cum parentum minimum esset patrimonium, & nulla hæreditas obvenisset, subito dives est factus. Omnibus sane possessiones suas reddidit, quibus Commodus ademerat; sed non sine pretio. Senatui legitimo semper interfuit, ac semper aliquid retulit. Civilem se salutantibus & interpellantibus semper exhibuit. Eos, qui calumniis appetiti per servos fuerant, damnatis servis delatoribus, liberavit; in crucem sublatis talibus servis: aliquos etiam mortuos vindicavit.

Avaritiæ suspicione non caret.

Agrarius mergus appellatur.

Delatores punit.

Pertinaci insidiæ structæ à Falcone.

CAP. X. Insidias paravit ei Falco, volens imperare: de quo conquestus est in Senatu: quod quidem Senatus credidit. Dum sibi quidam

(x) al. præter. (y) al. recidit. (z) al. Reformandis viis. (a) al. ærarius mergus.

(90) Æs alienum - - - - stipendia plurimis retro debita exsolvit) Hanc æquitatem Pertinacis Imperatoris prædicat numus Tab. LVI, num. 6. Conf. BEGER, T. II, p. 685. Add. PATINI Thes. Numism. 177.

quidam servus, quasi Fabiæ esset filius, ex Cejonii Commodi familia, palatinam domum ridicule vindicasset, cognitus, jussus est flagellis cæsus domino restitui. In cujus vindicta hi qui oderant Pertinacem, occasionem seditionis invenisse dicuntur. Falconi tamen pepercit, & à Senatu impunitatem ejus petiit. Denique Falco in rebus suis securus vixit, & herede filio periit: quamvis multi Falconem nescisse dixerint, Imperium sibi parari. Alii etiam à servis, qui rationes interverterant, falsis testimoniis appetitum eum esse dixerunt. Sed Pertinaci factio præparata est per Lætum præfectum prætorii & eos quos Pertinacis sanctimonia offenderat. Lætum enim pœnituerat, quod Imperatorem fecerat Pertinacem, idcirco, quia eum velut stultum intimatorem nonnullarum rerum reprehendebat. Grave præterea militibus visum, quod in causa Falconis multos milites ad unius servi testimonium occidi præceperat.

Cui parcit Pertinax.

Lætus Pertinaci insidias struit.

CAP. XI. Trecenti igitur de castris armati ad Imperatorias ædes cuneo facto milites venere. Eadem tamen die immolante Pertinace, negatur in hostia cor repertum: & cum id vellet procurare, caput extorum non deprehendit. Et tunc quidem omnes milites in castris manebant. Qui cum de castris ad obsequium principis convenissent, & Pertinax eo die processionem, quam ad Athenæum paraverat, ut audiret poëtam, ob sacrificii præsagium distulisset; hi qui ad obsequium convenerant, redire in castra cœperunt. Sed subito globus ille in palatio pervenit: neque aut arceri potuit, aut Imperatori nuntiari. Enimvero tantum odium in Pertinacem omnium aulicorum fuit, ut ad facinus milites hortarentur. Supervenerunt autem Pertinaci, cum ille aulicum famulitium ordinaret, ingressique porticus palatii usque ad locum, qui appellatur *Sicilia* & *Jovis cœnatio*. Hoc cognito, Pertinax Lætum præfectum prætorii ad eos misit. Sed ille declinatis militibus per porticus egressus, adoperto capite, domum se contulit. Verum cum ad interiora prorumperent, Pertinax ad eos processit, eosque longa & gravi oratione placavit. Sed cum Tausius quidam, unus è Tungris, in iram & timorem milites loquendo adduxisset, hastam in pectus Pertinacis objecit. Tunc ille precatus Jovem ultorem, toga caput operuit, atque à ceteris confossus est. Et Electus quidem confossis duobus cum eodem periit: reliqui autem cubiculari palatini (nam suos statim, ut imperator factus est, filiis emancipatos dederat) diffugerunt. Multi sanè dicunt etiam cubiculum milites irrupisse, atque illic circa lectum fugientem Pertinacem occidisse.

Milites Pertinacem aggrediuntur.

Pertinax à militibus interfectus.

CAP. XII. Fuit autem senex venerabilis, immissa barba, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo, statura imperatoria, eloquentia mediocri, & magis blandus quam benignus, nec umquam creditus simplex. Et cum verbis esset affabilis, re erat illiberalis ac prope sordidus, ut dimidiatas lactucas & carduos in privata vita convivis apponeret, & nisi quod missum esset edulium, quotquot essent amici, novem libras carnis per tres missus ponebat. Si autem plus aliquid missum esset, etiam in alium diem differebat, cum semper ad convivium multos vocaret. Imperator etiam, si sine convivis esset, eadem consuetudine cœnitabat. Amicis si quando de prandio suo mittere voluit, misit offulas binas, aut omasi partem, aliquando lumbos gallinaceos. Fasianum numquam privato convivio comedit, aut alicui misit. Cum sine amicis cœnerat, adhibebat uxorem suam & Valerianum: ut cum eodem, qui docuerat, fabulas litteratas haberet. Sane nullum ex iis, quos Commodus rebus agendis imposuerat, mutavit; exspectans Urbis natalem, quod eum diem, rerum principium volebat esse: atque ideo etiam in balneis ei Commodiani ministri necem parasse dicuntur.

Forma corporis.

Illiberalis ac prope sordidus.

In conviviis parcus.

CAP. XIII. Imperium & omnia imperialia sic horruit, ut sibi semper ostenderet displicere. Denique non alium se quam fuerat videri volebat. Fuit in curia honorificentissimus; ita, ut Senatum faventem adoraret, & quasi Præfectus Urbi cum omnibus sermonem participaret. Voluit etiam Imperium deponere, atque ad privatam vitam redire. Filios suos in palatio nutriri noluit. Tam parcus autem & tam lucri cupidus fuit, ut apud vada Sabatia mercaturas exercuerit Imperator per homines suos, non aliter, quam privatus solebat. Nec multum tamen amatus est. Siquidem omnes, qui libere fabulas conferebant, male Pertinacem loquebantur; *chrestologum* eum appellantes, qui bene loqueretur, & male faceret. Nam & cives sui, qui ad eum confluxerant jam Imperatorem, & nihil de eo meruerant, sic eum appellabant. Munera quoque lucri libididine libenter accepit. Reliquit filium & filiam superstites, & uxorem (*b*) Flavii Sulpitiani filiam, quem præfectum Urbi loco suo fecerat. Circa uxoris pudicitiam minus curiosus fuit, cum palam citharœdum illa diligeret. Ipse præterea Cornificiæ infamissimè dicitur adhæsisse. (*c*) Libertos aulicos vehementissime compressit: unde grande quoque odium contraxit.

Mores Pertinacis.

Chrestologus appellatur.

Uxor ejus.

CAP. XIV. Signa interitus hæc fuerunt: Ipse ante triduum, quam occideretur, in piscina sibi visus est videre hominem cum gladio infestantem. Et ea die, qua occisus est, negabant in oculis ejus pupillas cum imaginibus quas reddunt spectantibus, visas. Et cum apud Lares sacrificaret, carbones vivacissimi extincti sunt, cum inflammari soleant: &, ut supra dictum est, cor & caput in hostiis non est repertum. Stellæ etiam juxta solem per diem visæ sunt clarissimæ, ante diem quam obiret, Et ipse omnem de Juliano successore dedisse dicitur. Nam cum ei Didius Julianus fratris filium obtulisset, cui despondebat (*d*) filiam suam, adhortatus juvenem ad patrui observationem adjecit, *Observa collegam & successorem meum:* nam ante Julianus ei & in consulatu collega fuerat, & in proconsulatu successerat. Milites eum & aulici odio habuerunt:

Signa interitus Pertinacis.

(*b*) al. superstites. Habuit uxorem &c. (*c*) al. Cornificiam - - - - dilexisse. (*d*) al. desponderat.

runt: Populus mortem ejus indignissime tulit, quia videbat omnia per eum antiqua posse restitui. Caput ejus conto fixum, milites, qui eum occiderant, per Urbem in castra pertulerant. Reliquiæ ejus, recuperato capite, in sepulcro avi uxoris locatæ sunt. Et Julianus successor illius, corpus ejus quanto potuit honore funeratus est; cum id in palatio reperisset: qui numquam ejus ullam mentionem vel apud Populum vel apud Senatum publice fecit: sed cum ipse quoque à militibus desertus jam esset, per Senatum & Populum Pertinax in deos relatus est.

Sepultura Pertinacis.

In Deos relatus.

CAP. XV. Sub Severo autem Imperatore, cum Senatus ingens testimonium habuisset Pertinax, funus imaginarium ei & censorium ductum est, & ab ipso Severo funebri laudatione ornatus (*e*) est. Ipse autem Severus amore boni principis, à Senatu *Pertinacis* nomen accepit. Filius Pertinacis patris flamen est factus. Marciani sodales, qui divi Marci curabant, *Helviani* sunt dicti propter Helvium Pertinacem. Circenses, & Imperii natalis additi, (qui à Severo postea sublati sunt) & Genitiali, qui manent. Natus autem Kalendis Augustis, Vero & Bibulo Consulibus. Interfectus autem est quinto Kalendas Aprilis, Falcone & Claro Consulibus. Vixit annis sexaginta mensibus septem, diebus viginti sex. Imperavit mensibus duobus, diebus viginti quinque. Congiarium dedit Populo denarios centenos. Prætorianis promisit duodena millia nummûm; sed dedit sena. Quod exercitibus promissum est, datum non est: quia mors eum pervenit. Horruisse autem illum Imperium, epistola docet, quæ vitæ illius à Mario Maximo apposita est: quam ego inseri ob nimiam longitudinem nolui.

Honores illi post mortem delati.

Helviani sodales.

Ætas Pertinacis.

ÆLII SPARTIANI
DIDIUS JULIANUS
AD DIOCLETIANUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Juliani origo.

DIDIO JULIANO, qui post Pertinacem Imperium adeptus est, proavus fuit Salvius Julianus, bis Consul, præfectus Urbi, & jurisconsultus: quod magis eum nobilem fecit. Mater, Clara Æmilia: pater, Petronius Didius Severus: fratres, Didius Proculus, & Nummius Albinus: avunculus, Salvius Julianus: avus paternus, Insuber Mediolanensis: maternus, ex Adrumentina colonia. Educatus est apud Domitiam Lucillam, matrem Marci Imperatoris. Inter viginti viros electus est, suffragio matris Marci. Quæstor ante annum, quam legitima ætas finebat, designatus est. Ædilitatem suffragio Marci consequutus est. Prætor ejusdem suffragio fuit. Post præturam legioni præfuit in Germania vicesimæ secundæ primigeniæ. Inde Belgicam sancte ac diu rexit. Ibi Cauchis, Germaniæ populis qui Albim fluvium accolebant, erumpentibus restitit, tumultuariis auxiliis provincialium. Ob quæ consulatum meruit, testimonio Imperatoris. Cattos etiam debellavit. Inde Dalmatiam regendam accepit; eamque à confinibus hostibus vindicavit. Post, Germaniam inferiorem rexit.

Juliani honores antequam factus est Imperator.

CAP. II. Post hoc curam alimentorum in Italia meruit. Tunc factus est reus per quemdam Severum clarissimum militem, conjurationis cum Salvio contra Commodum: sed à Commodo, quia multos jam Senatores occiderat, & quidem nobiles ac potentes, in caussis majestatis, ne tristius gravaretur, Didius liberatus est, accusatore damnato. Absolutus, iterum ad regendam provinciam missus est. Bithyniam deinde rexit: sed non ea fama qua ceteras. Fuit Consul cum Pertinace, & in proconsulatu Africæ eidem successit, & semper ab eo collega est & successor appellatus: maxime eo die, cum, filiam suam Julianus despondens affini suo, ad Pertinacem venisset, idque intimasset. Dixitque debita reverentia, *quia collega & successor meus est.* Statim enim mors Pertinacis sequuta est. Quo interfecto, cum Sulpicianus Imperator in castris appellari vellet, & Julianus cum genero ad Senatum venisset, quem indictum acceperat, cumque clausas valvas invenisset, atque illic duos tribunos reperisset, Publium Florianum & Vectium Aprum; cœperunt eum hortari tribuni, ut locum arriperet: quibus cum diceret, *jam alium Imperatorem appellatum*, retinentes eum ad prætoria castra duxerunt. Sed posteaquam in castra ventum est, cum Sulpiciano, præfecto Urbi, socero Pertinacis, concionante sibique Imperium vindicante, Julianum è muro ingentia pollicentem nullus admitteret; primum Julianus monuit prætorianos, *ne eum facerent Imperatorem qui Pertinacem vindicaret*: deinde scripsit in tabulis, *se Commodi memoriam restituturum*: atque ita & admissus est & Imperator appellatus; rogantibus prætorianis, *ne Sulpiciano aliquid noceret, quod Imperator esse voluisset.*

Reus conjurationis contra Commodum factus, liberatur.

A Pertinace semper successor appellatur.

Julianus Imperator appellatur. U. C. 945. P. C. N. 193.

CAP. III. Tunc Julianus Flavium Genialem & Tullium Crispinum suffragiis prætorianorum præfectos prætorii fecit, stipatusque est caterva imperatoria per Maurentium, qui se & antea Sulpiciano conjunxerat. Sane, cum vicena quina millia militibus promisisset, tricena dedit. Inde habita concione militari, vespera in Senatum venit, totumque se Senatui permisit, factoque senatusconsulto, Imperator est appellatus, & tribunitiam potestatem,

 jus

(*e*) al. honoratus.

jus pro consulare, in patricias familias relatus, emeruit. (91) Uxor etiam Manlia Scantilla, & filia ejus (92) Didia Clara, Augustæ sunt appellatæ. Inde se ad palatium recepit, uxore ac filia illuc vocatis, trepidis & invitis eo transeuntibus, quasi jam eminens exitium præsagirent. Præfectum Urbi Cornelium Repentinum, generum suum, fecit, in locum Sulpiciani. Erat interea in odio populi Didius Julianus, ob hoc, quod creditum fuerat, emendationem temporum Commodi, Pertinacis auctoritate reparandam: habebaturque ita, quasi Juliani consilio esset interemptus. Et jam hi primum, qui Julianum odisse cœperant, disseminarunt, prima statim die Pertinacis cœna despecta, luxuriosum parasse convivium ostreis & altilibus & piscibus adornatum. Quod falsum fuisse constat. Nam Julianus tantæ parsimoniæ fuisse perhibetur, ut per triduum porcellum, per triduum leporem divideret, si quis ei forte misisset: sæpe autem, nulla existente religione, oleribus leguminibusque contentus, sine carne cœnaverit. Deinde, neque cœnavit priusquam sepultus esset Pertinax, & tristissimus cibum ob ejus necem sumpsit, & primam noctem vigiliis continuavit, de tanta necessitate sollicitus.

Uxor & filia Augustæ.

Julianus odium populi incurrit.

Juliani parsimonia.

CAP. IV. Ubi vero primum illuxit, Senatum & equestrem ordinem in palatium venientem admisit, atque unumquemque, ut erat ætas, vel *patrem*, vel *filium*, vel *parentem* affatus blandissime est. Sed Populus in rostris atque ante curiam, ingentibus eum conviciis lacessebat, sperans deponi ab eo posse Imperium, quod milites dederant. Lapidationem quoque fecere: descendenti cum militibus & Senatu in curiam diras imprecati sunt: rem divinam facienti, ne litaret, optarunt. Lapides etiam in eum jecerunt, cum Julianus manu eos semper placare cuperet. Ingressus autem curiam, placide & prudenter verba fecit. Egit gratias quod esset adscitus; quod & ipse & uxor & filia ejus Augustorum nomen acceperunt. Patris patriæ quoque nomen recepit: argenteam statuam respuit. E Senatu in Capitolium pergenti Populus obstitit: sed ferro & vulneribus, & pollicitationibus aureorum, quos digitis ostendebat ipse Julianus, ut fidem faceret, summotus atque depulsus est. Inde ad circense spectaculum itum est. Sed occupatis indifferenter omnium subselliis, Populus geminavit convitia in Julianum: Pescennium Nigrum, qui jam imperare dicebatur, ad Urbis præsidium vocavit. Hæc omnia Julianus placide tulit, totoque Imperii sui tempore mitissimus fuit. Populus autem in milites vehementissime invehebatur, qui ob pecuniam Pertinacem occidissent. Multa igitur, quæ Commodus statuerat, Pertinax tulerat, ad conciliandum favorem Populi, restituit. De ipso Pertinace, neque male neque bene quidquam egit: quod gravissimum plurimis visum est. Constitit, propter metum militum de honore Pertinacis tacitum esse.

Julianus mitissimus.

à Populo conviciis lacessitus.

Julianus Pater Patriæ appellatus.

CAP. V. Et Julianus quidem neque Britannicos exercitus, neque Illyricos timebat: Nigrum vero, misso primipilario, occidi præceperat, timens præcipue Syriacos exercitus. Ergo Pescennius Niger in Syria, Septimius Severus in Illyrico cum exercitibus, quibus præsidebant, à Juliano descivere. Sed cum ei nuntiatum esset, *Severum descivisse*, quem suspectum non habuerat, perturbatus ad Senatum venit, imperavitque, (*f*) *ut hostis Severus renuntiaretur:* militibus etiam qui Severum sequuti fuerant, dies præstitutus, ultra quem si cum Severo fuissent, hostium numero haberentur. Missi sunt præterea legati à Senatu consulares ad milites, qui suaderent, *ut Severus repudiaretur, & is esset Imperator, quem Senatus elegerat.* Inter ceteros legatus est Vespronius Candidus, vetus consularis, olim militibus invisus, ob durum & sordidum imperium. Missus est successor Severo Valerius Catulinus: quasi posset ei succedi, qui militem jam sibi tenebat. Missus præterea Aquilius centurio, notus cædibus senatoriis, qui Severum occideret. Ipse autem Julianus prætorianos in campum deduci jubet, muniri turres: sed milites desides & urbana luxuria dissolutos, invitissimos ad exercitium militare produxit, ita, ut vicarios operis, quod unicuique præscribebatur, mercede conducerent.

Pescennius Niger & Severus à Juliano desciscunt.

Contra quos mittit legatos.

CAP. VI. Et Severus quidem ad Urbem infesto agmine veniebat: sed Didius Julianus nihil cum exercitu prætoriano proficiebat; quem quotidie Populus & magis oderat & ridebat. Sed Julianus, sperans Lætum fautorem Severi, cum per eum Commodi manus evasisset, ingratus tanto beneficio, jussit eum occidi. Jussit etiam Marciam interfici. Sed dum hæc agit Julianus, Severus classem Ravennatem occupat: legati Senatus, qui Juliano promiserant operam suam, ad Severum transierunt. Tullius Crispinus, præfectus prætorio, contra Severum missus, ut classem produceret, repulsus Romam rediit. Hæc cum Julianus videret, Senatum rogavit, ut virgines Vestales & ceteri sacerdotes cum Senatu obviam exercitui Severi prodirent, & prætentis infulis rogarent; inane contra barbaros milites præsidium parans. Hæc tamen agenti Juliano Faustus Quintillius consularis augur contradixit, asserens, *non debere imperare eum, qui armis adversario non posset resistere.* Cui multi Senatores consenserunt. Quare iratus Didius, milites è castris petiit, qui Senatum ad obsequium cogerent, aut obtruncarent. Sed id consilium displicuit. Neque enim decebat, ut, cum Senatus hostem Severum Juliani causa judicasset, eundem Julianum pateretur infestum. Quare meliore consilio ad Senatum venit, petiitque, *ut fieret senatusconsultum de participatione Imperii.* Quod statim factum est.

Severi progressus.

Irriti Juliani conatus adversus Severum.


CAP. VII. Tunc omen, quod sibi Julianus, cum Imperium acciperet, fecerat, omnibus venit


Omen de abrogando Imperio.

(*f*) al. impetravitque.

(91) Uxor Manlia Scantilla) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 262. vide Tab. LVII. num. 1.
(92) Didia Clara) Similiter hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 263. vide Tab. LVII. num. 2.

Tab. LVII ad pag. 314. 315. 316. 318. 319. 320.





venit in mentem. Nam cum Conſul deſignatus, de eo ſententiam dicens, ita pronuntiaſſet. *Didium Julianum Imperatorem appellandum eſſe cenſeo;* Julianus ſuggeſſit: *Adde & Severum:* quod cognomentum avi & proavi ſibi Julianus adſciverat. Sunt tamen, qui dicant nullum fuiſſe Juliani conſilium de obtruncando Senatu, cum tanta in eum Senatus contuliſſet. Poſt ſenatuſconſultum ſtatim Didius Julianus unum ex præfectis, Tullium Criſpinum, miſit. Ipſe autem tertium fecit præfectum, Veturium Macrinum: ad quem Severus litteras miſerat, ut eſſet præfectus. Sed pacem ſimulatam, tentatamque cædem Severi Tullio Criſpino, præfecto prætorii, & Populus loquutus eſt, & Severus ſuſpicatus. Denique hoſtem ſe Juliano Severus eſſe maluit, quam participem, conſenſu militum. Severus autem ſtatim & ad plurimos Romam ſcripſit, & occulto miſit edicta, quæ propoſita ſunt. Fuit præterea in Juliano hæc amentia, ut per magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium Populi deleniri, vel militum arma compeſci. Nam & quaſdam non convenientes Romanis ſacris hoſtias immolaverunt, & carmina profana incantaverunt, & ea, quæ ad ſpeculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice reſpicere dicuntur, Julianus fecit. Tuncque puer vidiſſe dicitur & adventum Severi & Juliani deceſſionem.

Julianus magicis artibus ſe defendere conatur.

CAP. VIII. Et Criſpinus quidem, cum occurriſſent præcurſoribus Severi, Julio Læto auctore, à Severo interemptus eſt. Dejecta ſunt etiam ea conſulta è Senatu. Julianus, convocato Senatu, quæſitiſque ſententiis, quid facto opus eſſet, certi nihil comperit à Senatu: ſed poſtea ſponte ſua gladiatores Capuæ juſſit armari per Lollianum Titianum, & Claudium Pompejanum è Tarracinenſi ad participatum evocavit. Quod & gener Imperatoris fuiſſet, & diu militibus præfuiſſet. Sed hoc ille recuſavit, *ſenem ſe & debilem luminibus* reſpondens. Tranſierant & ex Umbria milites ad Severum: & præmiſerat quidem litteras Severus, quibus jubebat interfectores Pertinacis ſervari. Brevi autem deſertus eſt ab omnibus Julianus, & remanſit in palatio cum uno de præfectis ſuis Geniali, & genero Repentino. Actum eſt denique, ut Juliano Senatus auctoritate abrogaretur Imperium; & abrogatum eſt; appellatuſque ſtatim Severus Imperator; cum fingeretur, quod veneno ſe abſumpſiſſet Julianus. Miſſi tamen à Senatu, quorum cura per militem gregarium in palatio idem Julianus occiſus eſt, fidem Cæſaris implorans, hoc eſt Severi. Filiam ſuam, potitus Imperio, dato patrimonio emancipaverat; quod ei cum Auguſtæ nomine ſtatim ſublatum eſt. Corpus ejus à Severo uxori Manliæ Scantillæ ac filiæ ad ſepulturam eſt redditum, & in proavi monumento translatum, milliario quinto via Lavicana.

Sed ab omnibus deſertus.

Occiditur in palatio.

Ejus ſepultura.

CAP. IX. Objecta ſane ſunt Juliano hæc, quod guloſus fuiſſet, quod aleator, quod armis gladiatoriis exercitus eſſet, eaque omnia ſenex fecerit, cum antea numquam adoleſcens his eſſet vitiis infamatus. Objecta eſt etiam ſuperbia; cum ille etiam in Imperio fuiſſet humillimus. Fuit autem contra humaniſſimus ad convivia, benigniſſimus ad ſubſcriptiones, moderatiſſimus ad libertatem. Vixit annis quinquaginta ſex, menſibus quatuor: imperavit menſibus duobus, diebus quinque. Reprehenſum in eo præcipue, quod eos, quos regere auctoritate ſua debuerat, regendæ reipublicæ ſibi præſules ipſe feciſſet.

Juliani vitia.

Ætas.

ÆLII SPARTIANI
SEVERUS IMPERATOR
AD DIOCLETIANUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Severi origo.

INterfecto Didio Juliano SEVERUS, (93) Africa oriundus, Imperium obtinuit. Cui civitas, Leptis: pater, Geta: majores, equites Romani, ante civitatem omnibus datam: mater, Fulvia Pia: patrui, Marcus Agrippa & Severus, conſulares: avus maternus, Macer: paternus, Fulvius Pius, fuere. Ipſe natus eſt Erucio Claro bis & Severo Conſulibus, ſexto Idus Apriles. In prima pueritia, priuſquam Latinis Græciſque litteris imbueretur, quibus eruditiſſimus fuit, nullum alium inter pueros ludum niſi *ad judices* exercuit, cum ipſe, prælatis faſcibus ac ſecuribus, ordine puerorum circumſtante, ſederet ac judicaret. Octavo decimo anno publice declamavit. Poſtea ſtudiorum cauſa Romam venit, latum clavum à divo Marco petiit, & accepit, favente ſibi Septimio Severo, affine ſuo, bis jam conſulari. Cum Romam veniſſet, hoſpitem nactus, qui Hadriani vitam imperatoriam eadem hora legeret, ſibi omen futuræ felicitatis arripuit. Habuit etiam aliud omen Imperii: Cum rogatus ad cœnam imperatoriam, palliatus veniſſet, qui togatus venire debuerat: togam præſidiariam ipſius Imperatoris accepit. Eadem nocte ſomniavit, lupæ ſe uberibus, ut Remum inhærere, vel Romulum. Sedit & in ſella imperatoria, temere à miniſtro poſita, ignarus, quod non liceret. Dormienti etiam in ſtabulo ſerpens caput cinxit; & ſine noxa, expergefactis & acclamantibus familiaribus, abiit.

Ejus ſtudia.

Omina felicitatis Severi.

(93) Africa oriundus) Patriam celebrare videtur Severus nummo Tab. LVII. num. 3. per Leonem, Proboſcidem & Spicas, ſolita Africæ ſymbola. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. p. 694.

Adulterii causam dixit & absolutus est.

CAP. II. Juventam plenam furorum, nonnumquam & criminum, habuit. Adulterii causam dixit, absolutusque est à Juliano proconsule; cui & in proconsulatu successit, & in consulatu collega fuit, & in Imperio item successit. Quæsturam diligenter egit. Omnibus sortibus natus, militari post quæsturam (*g*) sorte Bæticam accepit: atque inde Africam petiit, ut mortuo patre rem domesticam componeret. Sed dum in Africa est, pro Bætica Sardinia ei attributa est, quod Bæticam Mauri populabantur. Acta igitur quæstura Sardiniensi, legationem proconsulis Africæ accepit. In qua legatione cum eum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebejus amplexus esset, fustibus eum sub elogio ejusdem præconis cecidit, *Legatum Populi Romani homo plebejus temere amplecti noli.* Ex quo factum est, ut in vehiculo etiam legati sederent, qui ante pedibus ambulabant. Tunc in quadam civitate Africana, cum sollicitus mathematicum consuluisset, positaque hora, ingentia vidisset astrologus, dixit ei: *Tuam non alienam pone genituram.* Cumque Severus jurasset suam esse, omnia ei dixit, quæ postea facta sunt.

Honores gesti ante Imperium.

Mathematicus Severo futura prædicit.

CAP. III. Tribunatum plebis, Marco Imperatore decernente, promeruit, eumque severissime exertissimeque (*h*) egit. Uxorem tunc Marciam duxit, de qua tacuit in historia vitæ privatæ: cui postea in imperio statuas collocavit. Prætor designatus à Marco est, non in candida; sed in competitorum grege, anno ætatis trigesimo secundo. Tunc ad Hispaniam missus, somniavit primo, sibi dici, *ut templum Tarraconense Augusti, quod jam labebatur, restitueret.* Deinde ex altissimi montis vertice orbem terrarum Romamque despexit, concinentibus provinciis lyra, voce, vel tibia. Ludos absens edidit. Legioni quartæ Scythicæ deinde præpositus est circa Massiliam. Post hoc Athenas petiit studiorum sacrorumque causa, & operum ac vetustatum. Ubi cum injurias quasdam ab Atheniensibus pertulisset, inimicus his factus, minuendo eorum privilegia jam Imperator se ultus est. Deinde Lugdunensem provinciam legatus accepit. Cum, amissa uxore, aliam vellet ducere, genituras sponsarum requirebat, ipse quoque matheseos peritissimus: & cum audisset, esse in Syria quandam, quæ id genituræ haberet, ut regi jungeretur, eandem (94) uxorem petiit, Juliam scilicet, & accepit interventu amicorum: ex qua statim pater factus est.

Uxor Marcia.

Severus studiorum causa Athenas profectus.

Uxorem Juliam ducit.

CAP. IV. A Gallis ob severitatem & honorificentiam & abstinentiam, tantum, quantum nemo, dilectus est. Deinde Pannonias proconsulari Imperio rexit. Post hoc Siciliam proconsularem sorte meruit: suscepitque Romæ alterum filium. In Sicilia, quasi de Imperio vel vates vel Chaldæos consuluisset, reus factus, apud præfectos prætorio, quibus audiendus datus fuerat, jam Commodo in odium veniente, absolutus est, calumniatore in crucem acto. Consulatum cum Appuleio Rufino primum egit. Commodo se inter plurimos designante. Post consulatum, anno ferme fuit Romæ otiosus: deinde, Læto suffragante, exercitui Germanico præponitur. Proficiscens ad Germanicos exercitus, hortos spatiosos comparavit, cum ante ædes brevissimas Romæ habuisset, & unum fundum. In his hortis cum humi jacens epularetur cum filiis parca cœna, pomaque apposita major filius, qui tunc quinquennis erat, cum conlusoribus puerulis manu largiore divideret, paterque illum reprehendens dixisset, *Parcius divide; non enim regias opes possides:* quinquennis puer respondit, *Sed possidebo.* In Germaniam profectus, ita se in ea legatione egit, ut famam nobilitatemque jam ante cumularet. Et hactenus militarem privatus egit.

Reliqua officia Severi.

Germanici exercitibus præficitur.

CAP. V. Dehinc à Germanicis legionibus, ubi auditum est Commodum occisum, Julianum autem cum odio cunctorum imperare, multis hortantibus, repugnans Imperator est appellatus apud Carnutum, Idibus Augustis. Quingenta sestertia, quod nemo umquam principum, militibus dedit. Deinde, firmatis, quas post tergum relinquebat, provinciis, Romam iter contendit; cedentibus sibi cunctis, quacunque iter fecit: cum jam Illyricani exercitus & Gallicani, cogentibus ducibus, in ejus verba jurassent. Excipiebatur enim ab omnibus, quasi ultor Pertinacis. Per idem tempus, auctore Juliano, Septimius Severus à Senatu hostis est appellatus; legatis ad exercitum Senatus verbis missis, qui juberent, *ut ab eo milites Senatu præcipiente discederent.* Et Severus quidem, cum audisset, Senatus consentientis auctoritate missos legatos, primo pertimuit; postea id egit, corruptis legatis, ut apud exercitum pro se loquerentur, transirentque in ejus partes. His compertis, Julianus Senatusconsultum fecit fieri de participando Imperio cum Severo. Incertum, vere id, an dolo fecerit, cum jam ante misisset notos ducum interfectores quosdam, qui Severum occiderent, ita, ut ad Pescennium Nigrum interficiendum miserat: qui & ipse Imperium contra eum susceperat, auctoribus Syriacis exercitibus. Verum Severus, evitatis eorum manibus, quos ad se interficiendum Julianus miserat, missis ad prætorianos litteris, signum vel deserendi vel occidendi Juliani dedit, statimque auditus est. Nam & Julianus occisus est in palatio, & Severus Romam invitatus. Ita, quod nulli umquam contigit, nutu tantum Severus victor est factus, armatusque Romam contendit.

Imperator appellatur. U.C. 945. p. C.N. 193.

Hostis reipublicæ declaratur.

Imperium Severo cum Juliano decernitur.

Severus interfectorum manus effugit.

CAP. VI. Occiso Juliano, cum Severus in castris & tentoriis, quasi per hosticum veniens, adhuc maneret; centum Senatores legatos ad eum Senatus misit, ad gratulandum rogandumque: qui ei occurrerunt Interamnæ, armatumque, circumstantibus armatis, salutarunt, excussi, ne quid ferri haberent. Et postera

Senatores legati Severo obviam veniunt.

(*g*) al. Omnibus sortibus in actu natus militari. Post quæsturam &c. (*h*) al. exercitatissimeque.

(94) Uxorem petiit Juliam scilicet) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 281. vide Tab. LVII. num. 4.

ſtera die occurrente omni famulitio aulico, ſeptuagenos vicenos aureos legatis dedit. Eoſdem præmiſit, facta poteſtate, ſi qui vellent remanere, ac ſecum Romam redire. Fecit etiam ſtatim præfectum prætorio Flavium Juvenalem, quem etiam Julianus tertium præfectum prætorii ſibi adſumpſerat. Interim Romæ ingens trepidatio milites civiumque, quod armatus contra eos Severus veniret, qui ſe hoſtem judicaſſent. His acceſſit, quod comperit Peſcennium Nigrum à Syriacis legionibus Imperatorem appellatum. Cujus edicta & litteras ad Populum vel Senatum intercepit per eos, qui miſſi fuerant; ne vel proponerentur populo, vel legerentur in curia. Eodem tempore etiam de Clodio Albino ſibi ſubſtituendo cogitavit, cui Cæſarianum decretum aut Commodianum videbatur Imperium. Sed eos ipſos pertimeſcens, de quibus recte judicabat, Heraclitum ad obtinendas Britannias, Plautianum ad occupandos Nigri liberos miſit. Cum Romam Severus veniſſet, prætorianos cum ſubarmalibus inermes ſibi juſſit occurrere, eoſdem ſic ad tribunal vocavit, armatis undique circumdatis.

Trepidatio Romæ ob adventum Severi armatum.

CAP. VII. Ingreſſus deinde Romam, armatus cum armatis militibus Capitolium aſcendit. Inde in palatium eodem habitu perrexit, prælatis ſignis, quæ prætorianis ademerat, ſupinis, non erectis. Tota deinde Urbe milites in templis, in porticibus, in ædibus palatinis, quaſi in ſtabulis maſerunt: fuitque ingreſſus Severi odioſus atque terribilis: cum milites inempta diriperent, vaſtationem Urbi minantes. Alia die armatis ſtipatus non ſolum militibus, ſed etiam amicis, in Senatum venit. In Curia reddidit rationem ſuſcepti Imperii, cauſatuſque eſt, quod ad ſe occidendum Julianus notos ducum cædibus miſiſſet. Fieri etiam Senatuſconſultum coëgit, *ne liceret Imperatori inconſulto Senatu occidere Senatorem.* Sed cum in Senatu eſſet, milites per ſeditionem dena millia popoſcerunt à Senatu, exemplo eorum, qui Auguſtum Octavium Romam deduxerant, tantumque acceperant. Et cum eos voluiſſet comprimere Severus, nec potuiſſet; tamen mitigatos, addita liberalitate, dimiſit. Funus deinde cenſorium Pertinacis imagini duxit, eumque inter divos ſacravit: addito flamine, & ſodalibus Helvianis, qui Marciani fuerant, Se quoque *Pertinacem* vocari juſſit: quamvis poſtea id nomen aboleri voluerit, querimonia amicorum. (*i*) Dehinc æs alienum diſſolvit.

Ingreſſus Severi in urbem terribilis.

Severus Pertinacem inter divos refert. Seipſum Pertinacem vocat.

CAP. VIII. Filias ſuas dotatas, maritis Probo & Aëtio dedit. Et cum Probo genero ſuo præfecturam Urbis obtuliſſet, ille recuſavit, dixitque, *minus ſibi videri præfectum eſſe, quam principis generum.* Utrumque autem generum ſtatim Conſulem fecit, utrumque ditavit. Alia die ad Senatum venit, & amicos Juliani, incuſatos, proſcriptioni ac neci dedit. Cauſas plurimas audivit. Accuſatos à provincialibus judices, probatis rebus, graviter punivit. Rei frumentariæ, quam minimam repererat, ita conſuluit, ut, excedens ipſe vita, ſeptem annorum canonem, Populo Romano relinqueret. Ad Orientis ſtatum confirmandum profectus eſt, nihil adhuc de Nigro palam dicens. Ad Africam tamen legiones miſit, ne per Lybiam & Ægyptum Niger Africam occuparet, ac Populum Romanum penuria rei frumentariæ perurgeret. Domitium Dextrum in locum Baſſi præfecti Urbi reliquit; atque intra triginta dies, quam Romam venerat, eſt profectus. Egreſſus ab Urbe, ad ſaxa rubia, ſeditionem ingentem ob locum caſtrorum metandorum, ab exercitu paſſus eſt. Occurrit ei & ſtatim & Geta frater ſuus: quem provinciam ſibi creditam regere præcepit, aliud ſperantem. Nigri liberos, ad ſe adductos, in eo habuit honore, quo ſuos. Miſerat ſane legionem, quæ Græciam Thraciamque præriperet, ne eas Peſcennius occuparet, ſed jam Byzantium Niger tenebat. Perinthum etiam Niger volens occupare, plurimos de exercitu interfecit: atque ideo hoſtis cum Æmiliano eſt appellatus. Cumque Severum ad participatum vocaret, contemptus eſt. Promiſit ſane Nigro tutum exilium, ſi vellet: Æmiliano autem non ignovit. Æmilianus dehinc victus in Helleſponto à Severi ducibus, Cyzicum primum confugit, atque inde in aliam civitatem: in qua eorum juſſu occiſus eſt. Fuſæ ſunt item copiæ ab iiſdem ducibus etiam Nigri.

Severi duo generi.

Rem frumentariam curat.

Ad Orientis ſtatum animum dirigit.

Geta frater Severi.

Severus conſortium Nigri in Imperio recuſat.

Æmilianum vincit & occidit.

CAP. IX. His auditis, ad Senatum Severus Pertinax, quaſi confectis rebus, litteras miſit. Deinde conflixit cum Nigro, eumque apud Cyzicum interemit, caputque ejus pilo circumtulit. Filios Nigri poſt hoc, quos ſuorum liberorum cultu habuerat, in exilium cum matre miſit. Litteras ad Senatum de victoria dedit. Neque quemquam Senatorum, qui Nigri partium fuerant, præter unum, ſupplicio affecit. Antiochenſibus iratior fuit, quod & adminiſtrantem ſe in Orientem riſerant, & Nigrum etiam victu juverant. Denique multa his ademit. Neapolitanis etiam Palæſtinenſibus jus civitatis tulit, quod pro Nigro diu in armis fuerant. In multos animadvertit, præter ordinem Senatorium, qui Nigrum fuerant ſequuti. Multas etiam civitates ejuſdem partis injuriis affecit & damnis. Eos Senatores occidit, qui cum Nigro militaverant ducum vel tribunorum nomine. Deinde circa Arabiam plura geſſit, Parthis etiam in ditionem redactis, nec non etiam Adiabenis: qui quidem omnes cum Peſcennio ſenſerant. Atque ob hoc reverſus, triumpho delato, appellatus eſt *Arabicus*, *Adiabenicus*, *Parthicus.* Sed triumphum reſpuit; ne videretur de civili triumphare victoria. Recuſavit & Parthicum nomen; ne Parthos laceſſeret.

Cum Nigro ad Cyzicum confligit, eumque interimit. U. C. 946. P. C. N. 194.

Appellatur Arabicus, Adiabenicus, Parthicus.

CAP. X. Redeunti ſane Romam, poſt bellum civile Nigri, aliud bellum civile Clodii Albini nuntiatum eſt; qui rebellavit in Gallia: quare poſtea occiſi ſunt filii Nigri cum matre. Albinum igitur ſtatim hoſtem judicavit, & eos, qui ad illum mollius vel ſcripſerunt vel reſcripſerunt. Et cum iret contra Albinum, in itinere apud Viminantium, filium ſuum majorem *Baſſianum*, appoſito *Aurelii Antonini* nomine, Cæſarem appellavit; ut fratrem ſuum Getam ab ſpe Imperii, quam ille conceperat, ſubmoveret.

Albinum hoſtem judicat Severus.

Baſſianus Cæſar appellatur. U. C. 949. P. C. N. 196.

(*i*) al. idque monitu amicorum.

Cur Antoninus dictus.

veret. Et nomen quidem *Antonini* idcirco filio appoſuit, quod ſomniaverat, Antoninum ſibi ſucceſſurum. Unde Getam etiam quidam *Antoninum* putant dictum, ut & ipſe ſuccederet in Imperio. Aliqui putant idcirco illum Antoninum appellatum, quod Severus ipſe in Marci familiam tranſire voluerit. Et primo quidem ab Albinianis Severi duces victi ſunt. Tunc ſollicitus cum conſuleret à Pannoniacis auguribus, comperit ſe victorem futurum, adverſarium vero nec in poteſtatem venturum, nec evaſurum, ſed juxta aquam eſſe periturum. Multi ſtatim amici Albinum deſerentes venere, multi duces capti ſunt, in quos Severus animadvertit.

Victoria de Albino prædicitur Severo.

CAP. XI. Multis interim varie geſtis in Gallia, primo apud Trinurtium contra Albinum feliciſſime pugnavit Severus. Cum quidem ingens periculum equi caſu adiit; ita, ut mortuus ictu plumbeæ crederetur: ita, ut alius jam pene Imperator ab exercitu deligeretur. Eo tempore, lectis actis, quæ de Clodio Celſino laudando, qui Adrumetinus & affinis Albini erat, facta ſunt; iratus Senatui Severus, quaſi hoc Albino Senatus præſtitiſſet, Commodum inter divos referendum eſſe cenſuit, quaſi hoc genere ſe de Senatu poſſet ulciſci: primuſque inter milites *divum* Commodum pronuntiavit; idque ad Senatum ſcripſit, addita oratione victoriæ. Senatum deinde, qui in bello erant interempti, cadavera diſſipari juſſit. Deinde Albini corpore allato, pæne ſeminecis caput abſcindi juſſit, Romamque deferri; idque litteris proſequutus eſt. Victus eſt Albinus die undecima Calendas Martii. Reliquum autem cadaver ejus ante domum propriam exponi ac dividi juſſit. (*k*) (95) Equum præterea, ipſe reſidens, ſupra cadaver Albini egit: expaveſcentemque admonuit, ut effrenatus audacter protereret. Addunt alii, quod idem cadaver in Rhodanum abjici præcepit, ſimul etiam uxoris liberorumque ejus.

Feliciter contra Albinum pugnat.

Commodum inter divos refert.

Cadaver Albini contumelioſe tractatur.

Crudelitas Severi in partes Albini.

CAP. XII. Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes civitatis, multæ fœminæ illuſtres fuerunt, omnium bona publicata ſunt, ærariumque auxerunt. Tum Hiſpanorum & Gallorum proceres multi occiſi ſunt. Denique militibus tantum ſtipendiorum, quantum nemo principum, dedit. Filiis etiam ſuis ex hac proſcriptione tantum reliquit, quantum nullus Imperatorum, cum magnam partem auri per Gallias, per Hiſpanias, per Italiam, Imperator jam feciſſet. Tuncque primum privatarum rerum procuratio conſtituta eſt. Multi ſane poſt Albinum, fidem ei ſervantes, bello à Severo ſuperati ſunt. Eodem tempore etiam legio Arabica defeciſſe ad Albinum nuntiata eſt. Ultus igitur graviter Albinianam defectionem, interfectis plurimis, genere quoque ejus exſtincto, iratus Populo & Senatoribus Romam venit. Commodum in Senatu & concione laudavit, *deum* appellavit, infamibus diſplicuiſſe dixit: ut appareret, eum apertiſſime furere. Poſt hæc de ſua clementia diſſeruit; cum crudeliſſimus fuerit, & Senatores infra ſcriptos occiderit.

Quos Senatores occiderit Severus.

CAP. XIII. Occidit autem ſine cauſæ dictione hos nobiles; Mummium Secundinum, Aſellium Claudianum, Claudium Rufum, Vitalium Victorem, Papium Fauſtum, Ælium Celſum, Julium Rufum, Lollium Profeſſum, Arunculeium Cornelianum, Antoninum Balbum, Poſtumium Severum, Sergium Luſtralem, Fabium Paulinum, Nonium Gracchum, Muſtium Fabianum, Caſperium Agrippinum, Ceionium Albinum, Claudium Sulpicianum, Memmium Rufinum, Caſperium Æmilianum, Cocceium Verum, Erucium Clarum, Lucium Stilonem, Clodium Rufum, Egnatuleium Honoratum, Petronium Juniorem; Peſcennios, Feſtum & Neratianum, & Aurelianum & Materianum, & Julianum & Albinum: Cerellios, Macrinum & Fauſtinianum & Julianum: Herennium Nepotem, Sulpitium Canum, Valerium Catulinum, Novium Rufum, Claudium Arabianum, Marcum Aſellionem. Horum igitur tantorum ac tam illuſtrium virorum (nam multi in his conſulares, multi prætorii, omnes certe ſummi viri fuere) interfector, ab Afris ut deus habetur. Cincium Severum calumniatus eſt, quod ſe veneno appetiſſet: atque ita interfecit.

CAP. XIV. Narciſſum deinde Commodi ſtrangulatorem, leonibus objecit. Multos præterea obſcuri loci homines interemit, præter eos, quos jus prælii abſumpſit. Poſt hæc, cum ſe vellet commendare hominibus, vehicularium munus à privatis ad fiſcum traduxit. Cæſarem deinde Baſſianum filium ſuum Antoninum à Senatu appellari juſſit, decretis imperatoriis inſignibus. Rumore deinde belli Parthici exſtincto, patri, matri, avo, & uxori priori, per ſe ſtatuas collocavit. Plautianum ex amiciſſimo, cognita ejus vita, ita odio habuit, ut & hoſtem publicum appellaret, &, depoſitis ſtatuis ejus, per orbem terræ gravi eum inſigniret injuria; iratus præcipue, quod inter propinquorum & affinium Severi ſimulacra ſuam ſtatuam ille poſuiſſet. Palæſtinis pœnam remiſit, quam ob cauſam Nigri meruerant. Poſtea iterum cum Plautiano in gratiam rediit, & veluti ovans Urbem ingreſſus, Capitolium petiit: quamvis & ipſum procedenti tempore occiderit. Getæ minori filio togam virilem dedit; majori, Plautiani filiam uxorem junxit. Hi, qui hoſtem publicum Plautianum dixerant, deportati ſunt. ITA OMNIUM RERUM SEMPER QUASI NATURALI LEGE MUTATIO EST. Filios deinde Conſules deſignavit. Getam fratrem extulit. Profectus deinde ad bellum Parthicum eſt, edito gladiatorio munere, & congiario Populo dato. Multos inter hæc, cauſis vel veris vel ſimulatis, occidit. Damnabantur autem plerique, cur jocati eſſent; alii, cur tacuiſſent; alii, cur pleraque figurata dixiſſent; ut eſſet *Imperator vere nominis ſui, vere Pertinax, vere Severus.*

Plautianum Severus odio habet.

Severus ad Parthicum bellum proficiſcitur.

CAP. XV. Erat ſane in ſermone vulgari, Parthi-

Cauſa belli Parthici.

(*k*) al. ac diu videri juſſit.

(95) Equum præterea, ipſe reſidens, ſupra cadaver Albini egit) Hoc exprimit nummus Tab. LVII. num. 5. ex BEGER. Th. Br. T. II. p. 690.

U.C. 951. p. C.N. 199.

Parthicum bellum affectare Septimium Severum, gloriæ cupiditate, non aliqua necessitate deductum. Trajecto denique exercitu, à Brundisio, continuato itinere, venit in Syriam, Parthosque submovit. Sed postea in Syriam rediit, ita, ut se pararet ac bellum Parthis inferret. Inter hæc Pescennianas reliquias Plautiano auctore persequebatur; ita, ut nonnullos etiam ex amicis suis, quasi vitæ suæ insidiatores, appeteret. Multos etiam, quasi Chaldæos aut vates de sua salute consuluissent, interemit: præcipue suspectos unumque idoneum Imperio; cum ipse parvulos adhuc filios haberet: idque dici ab his vel crederet vel audiret, qui sibi augurabantur Imperium. Denique cum occisi essent nonnulli, Severus se excusabat: & post eorum mortem negabat fieri se jussisse, quod factum est: quod de Læto præcipue Marius Maximus dicit. Cum soror sua Leptitana ad eum venisset, vix Latine loquens, ac de illa multum Imperator erubesceret, dato filio ejus lato clavo, atque ipsi multis muneribus, redire mulierem in patriam præcepit: & quidem cum filio, qui brevi vita defunctus est.

Pescennianas reliquias persequitur Severus.

Severus de sorore sua erubescit.

CAP. XVI. Æstate igitur jam exeunte, Parthiam ingressus, Ctesiphontem, pulso rege, pervenit: & cepit, hiemali prope tempore, (quod in illis regionibus melius per hiemem bella tractantur) cum herbarum radicibus milites viverent, atque inde morbos ægritudinesque contraherent. Quare cum, obsistentibus Parthis, fluente quoque per insuetudinem cibi alvo militum, longius ire non posset, tamen perstitit, & oppidum cepit, & regem fugavit, & plurimos interemit, & *Parthicum* nomen meruit. Ob hoc etiam filium ejus Bassianum Antoninum, qui *Cæsar* appellatus jam fuerat, annum decimum tertium agentem, participem Imperii dixerunt milites. Getam quoque minorem filium, Cæsarem dixerunt; eundem *Antoninum*, ut plerique in litteras tradunt, appellantes. Harum appellationum causa donativum militibus largissimum dedit, concessa omni præda oppidi Parthici, quod milites quærebant. Inde in Syriam rediit victor, & Parthicum deferentibus sibi Patribus triumphum, idcirco recusavit, quod consistere in curru affectus articulari morbo non posset. Filio sane concessit, ut triumpharet: cui Senatus Judaicum triumphum decreverat, idcirco, quod & in Syria res bene gestæ fuerant à Severo. Deinde cum Antiochiam transisset, data virili toga filio majori, secum eum Consulem designavit; & statim in Syria consulatum inierunt. Post hoc, dato stipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit.

Parthos vincit.

Ideo Parthicus appellatur.

Getam filium Cæsarem dicit.

Parthicum triumphum recusat.

Filio Judaicus triumphus decernitur. U.C. 952. p. C.N. 200.

CAP. XVII. In itinere Palæstinis plurima jura fundavit. Judæos fieri sub gravi pœna vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit. Deinde Alexandrinis jus buleutarum dedit: qui sine publico consilio, ita ut sub regibus, ante vivebant, uno judice contenti, quem Cæsar dedisset. Multa præterea his jura mutavit. Jucundam sibi peregrinationem hanc propter religionem dei Serapidis, & propter novitatem animalium vel locorum fuisse, Severus ipse postea semper ostendit. Nam & Memphin & Memnonem, & pyramides, & labyrinthum, diligenter inspexit. Et quoniam longum est minora persequi, hujus magnifica illa; quod, victo & occiso Juliano, prætorianas cohortes exauctoravit; Pertinacem contra voluntatem militum in deos retulit; Salvii Juliani decreta jussit aboleri; quod non obtinuit. Denique cognomentum Pertinacis non tam ex sua voluntate, quam ex morum parsimonia videtur habuisse. Nam & infinita multorum cæde crudelior habitus, & cum quidam ex hostibus eidem se suppliciter obtulisset, dixissetque ille, *quid tu facturus es?* non mollitus tam prudente dicto, interfici eum jussit. Fuit præterea delendarum cupidus factionum: prope à nullo congressu nisi victor.

Varia Severi facta.

CAP. XVIII. Persarum regem Abagarum subegit. (96) Arabas in deditionem accepit. Adiabenos in tributarios coëgit. Britanniam (quod maximum ejus Imperii decus est) muro per transversam insulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivit: unde etiam *Britannici* nomen accepit. Tripolin, unde oriundus erat, contusis bellicosissimus gentibus, securissimam reddidit: Populo Romano diurnum oleum (*l*) gratuitum, & fœcundissimum agrum donavit. Idem cum implacabilis delictis fuit tum ad eligendos industrios quosque judicii singularis. Philosophiæ ac dicendi studiis satis deditus, doctrinæ quoque nimis cupidus. Latronum ubique hostis: vitam suam privatam publicamque ipse composuit ad fidem, solum tamen vitium crudelitatis excusans. De hoc Senatus ita judicavit, *illum aut nasci non debuisse, aut non mori, quod & nimis crudelis, & nimis utilis reipublicæ videretur.* Domi tamen minus cautus, qui uxorem Juliam famosam adulteriis tenuit, etiam conjurationis consciam. Idem, cum pedibus æger, bellum moraretur, idque milites anxie ferrent, ejusque filium Bassianum, qui una erat, Augustum fecissent; tolli se atque in tribunal ferri jussit, adesse deinde omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus auctoribus id acciderat, sisti deinde filium, qui Augusti nomen acceperat: cumque animadverti in omnes auctores facti, præter filium, juberet, rogareturque omnibus ante tribunal prostratis, caput manu contingens ait, *Tandem sentitis caput imperare, non pedes.* Hujus dictum est, cum eum ex humili per litterarum & militiæ officia ad Imperium plurimis gradibus fortuna duxisset, *Omnia* (inquit) *fui, & nihil expedit.*

Et res gestæ.

Britannicus appellatur.

Senatus judicium de Severo.

Severi dictum memorabile.

CAP. XIX. Periit Eboraci in Britannia, subactis gentibus quæ Britanniæ videbantur infestæ, anno Imperii decimo octavo, morbo gravissimo exstinctus jam senex. Reliquit filios duos, Antoninum Bassianum & Getam; cui & ipsi, in honorem Marci, Antonini nomen imposuit. Illatus sepulcro Marci Antonini

Severi mors. U.C. 963. p. C.N. 211.

Sepultura.

(*l*) al. ac pacem diuturnam, oleum &c.

(96) Arabas . . . Adiabenos . . . Britanniam) In memoriam egregiorum horum aliorumque facinorum percussa sunt numismata Tab. LVII, num. 6, & 7.

nini, quem ex omnibus Imperatoribus tantum coluit, ut & Commodum in divos referret, & Antonini nomen omnibus deinceps quasi Augusti adscribendum putaret. Ipsi à Senatu, à gentilibus liberisque ejus funus amplissimum exhibitum fuit, atque inter divos est relatus.

Opera ejus publica.

(97) Opera publica ejus, præcipue Romæ, exstant, septizonium & thermæ Severianæ. Ejus denique etiam Jani in Transtiberina regione ad portam nominis sui, quorum forma intercidens statim usum publicum invidit. Judicium de eo post mortem magnum omnium fuit: maxime quod diu nec à filiis ejus boni aliquid reipublicæ venit, & postea invadentibus multis rempublicam res Romana prædonibus direptui fuit.

Parsimonia.

Hic tam exiguis vestibus usus est, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet, & cum hirta chlamyde humeros velaret: cibi parcissimus, leguminis patrii avidus, vini aliquando cupidus, carnis frequenter ignarus. Ipse decorus, ipse ingens, promissa barba, cano capite & crispo, vultu reverendus, canorus voce, sed Afrum quiddam usque ad senectutem sonans: ac multum post mortem amatus: vel invidia deposita, vel crudelitatis metu.

CAP. XX. Legisse me apud Ælium Maurum Phlegontis Tralliani libertum memini,

Severi lætitia quod filios reliquerit.

Septimium Severum (98) immoderatissime, cum moreretur, lætatum, quod duos Antoninos pari Imperio reipublicæ relinqueret, exemplo Pii, qui Verum & Marcum Antoninos per adoptionem filios reipublicæ reliquit: hoc melius, quod ille filios per adoptionem, hic per se genitos, rectores Romanæ reipublicæ daret, Antoninum scilicet Bassianum, quem ex priore matrimonio susceperat: & Getam, quem de Julia genuerat.

De quibus tamen illum spes fefellit.

Sed illum multum spes fefellit. Nam unum parricidium, alterum sui mores reipublicæ inviderunt: sanctumque illud nomen in nullo diu bene mansit. Et reputanti mihi, Diocletiane Auguste, neminem prope magnorum virorum optimum & utilem filium reliquisse satis claret.

Raro viri magni utiles filios relinquunt vel nullos.

Denique aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere.

Quod exemplis probatur.

CAP. XXI. Et ut ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius, quod utile posset esse reipublicæ. Quid Camillus? num sui similes liberos habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt. Jam vero, quid de Homero, Demosthene, Virgilio, Crispo, & Terentio, Plauto, ceterisque aliis loquar? Quid de Cæsare? Quid de Tullio, cui soli melius fuerat liberos non habere? Quid de Augusto, qui nec adoptivum bonum filium habuit, cum illi eligendi potestas fuisset ex omnibus. Falsus est etiam ipse Trajanus in suo municipe ac nepote diligendo. Sed ut omittamus adoptivos, ne nobis Antonini Pius & Marcus, numina reipublicæ, occurrant; veniamus ad genitos. Quid Marco felicius fuisset, si Commodum non reliquisset heredem? Quid Severo Septimio, si Bassianum non genuisset?

Præcipue Severi.

qui statim insimulatum fratrem insidiarum contra se cogitatarum, parricidiali etiam figmento interemit: qui novercam, matrem quinimo, in cujus sinu Getam filium ejus occiderat, uxorem duxit: qui Papinianum juris asylum & doctrinæ legalis thesaurum, quod parricidium excusare noluisset, occidit; & præfectum quidem suum, ne homini per se & per scientiam suam magno deesset & dignitas. Denique, ut alia omittam, ex hujus moribus factum puto, ut Severus tristior vir ad omnia, imo etiam crudelior, pius & dignus deorum altaribus duceretur. Qui quidem divinam Sallustii orationem, qua Micipsa filios ad pacem hortatur, ingravatus morbo, misisse filio dicitur majori. Idque frustra. * & hominem tantum valetudine. Vixit denique in odio Populi diu Antoninus, nomenque illud sanctum ac venerabile diu, minus amatum est: quamvis & vestimenta Populo dederit, (unde *Caracallus* est dictus) & thermas magnificentissimas fecerit. (99) Exstat sane Romæ Severi porticus, gesta ejus exprimens, à filio, quam plurimo decore, (*m*) structa.

Signa de morte Severi.

CAP. XXII. Signa mortis ejus hæc fuerunt. Ipse somniavit quatuor aquilis & gemmato curru, prævolante nescio qua ingenti humana specie, ad cœlum se raptum, cumque raperetur, octoginta & novem numeros explicuisse, (ultra quot annos ne unum quidem annum vixit: nam ad Imperium senex venit) cumque positus esset in circulo ingenti æreo, diu solus & destitutus stetit: cum vereretur autem ne præceps rueret, à Jove se vocatum vidit, atque inter Antoninos locatum. Die Circensium, cum tres victoriæ more solito essent locatæ gypseæ cum palmis, media quæ ipsius nomine adscriptum orbem palmis tenebat, vento icta, de podio stans decidit, & humi constitit: eaque quæ Getæ nomine inscripta erat, corruit, & omnis comminuta est: illa vero, quæ Bassiani titulum præferebat, amissa palma venti turbine vix constitit. (100) Post murum apud vallum missum in Britannia, cum ad proximum mansionem rediret, non solum victor, sed etiam (101) in æternum pace fundata, volvens animo quid ominis sibi occurreret, Æthiops quidam è numero militari, claræ inter scurras famæ, & celebratorum semper jocorum, cum corona è cupressu facta eidem occurrit. Quem cum ille iratus removeri ab oculis præcepisset, & coloris ejus tactus omine, & coronæ, dixisse ille dicitur joci

(*m*) al. à filio, quantum plurimi docent, &c.

(97) Opera publica) Ob hæc Restitutor urbis appellatur in numo Tab. LVII. num. 8. Conf. HEMELAR. Tab. XXXV. num. 3. pag. 107.

(98) Immoderatissime lætatum) Hanc lætitiam jam prodidit numo Tab. LVIII. num. 1. In quo duorum filiorum effigies expressit, spemque suam de perpetuo Imperio in familia sua inscriptione: æternitati Imperii. HEMELAR. Tab. XXXV. num. 9. pag. 108.

(99) Exstat sane Romæ Severi porticus &c) Insigne Severiani arcus testimonium nobis exhibet elegantissimus numus Tab. LVIII. num. 2. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. p. 692.

(100) Post murum . . . (101) in æternum pace fundata) Hinc est, quod Imperator Severus in numo Tab. LVIII. num. 3. FUNDATOR PACIS vocetur. Conf. HEMELAR. Tab. XXXV. num. 1. p. 107.

ci causa, *Totum fuisti: totum vicisti: jam deus esto victor.* Et in civitatem veniens, cum rem divinam vellet facere, primum ad Bellonæ templum ductus est, errore aruspicis rustici, deinde hostiæ furuæ sunt applicitæ. Quod cum esset aspernatus, atque ad palatium se reciperet, negligentia ministrorum nigræ hostiæ usque ad limen domus palatinæ Imperatorem sequutæ sunt.

Opera Severi per civitates insignia.

CAP. XXIII. Sunt per plurimas civitates opera ejus insignia. Magnum vero illud in civitate ejus, quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instauravit, nusquam prope suo nomine adscripto, servatis tamen ubique titulis conditorum. Moriens, septem annorum canonem, ita ut quotidiana septuagena quinque millia modiorum expendi possent, reliquit: olei vero tantum, ut per quinquennium non solum Urbis usibus, sed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret. Ultima verba ejus dicuntur hæc fuisse: *Turbatam Rempublicam ubique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo: senex & pedibus æger, firmum Imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt; imbecillum, si mali.* Jussit deinde signum tribuno dari, *Laboremus*: quia Pertinax, quando in Imperium adscitus est, signum dederat, *Militemus*. Fortunam deinde regiam, quæ comitari principes & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, ut sacratissimum simulacrum utrique relinqueret filiorum. Sed cum videret se perurgeri sub horam mortis, jussisse fertur, ut alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis Fortune poneretur. Quod Bassianus prius contempsit quam faceret parricidium.

Reliquiæ Severi Antoninorum sepulcro illatæ.

CAP. XXIV. Corpus ejus à Britannia Romam usque cum magna provincialium reverentia susceptum est: quamvis aliqui urnulam auream tantum fuisse dicant, Severi reliquias continentem, eandemque Antoninorum sepulcro illatam, cum Septimius Pertinax Severus illic ubi vita functus est, esset incensus. Cum septizonium faceret, nihil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret: & nisi absente eo per præfectum Urbis medium simulacrum ejus esset locatum, aditum palatinis ædibus, id est regium atrium, ab ea parte facere voluisse perhibetur: quod etiam post Alexander cum vellet facere, ab aruspicibus dicitur esse prohibitus, cum hoc sciscitatus non litasset.

ÆLII SPARTIANI
PESCENNIUS NIGER
AD DIOCLETIANUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Tyrannorum historia cur rara & difficilis.

RArum atque difficile est, ut quos tyrannos aliorum victoria fecerit, bene mittantur in litteras: atque ideo vix omnia de his plene in monumentis atque annalibus habentur. Primum enim, quæ magna sunt, in eorum honorem ab scriptoribus depravantur; deinde, alia supprimuntur; postremo, non magna diligentia eorum genere ac vita requiritur; cum satis sit audaciam eorum & bellum in quo victi fuerint, ac pœnam, proferre.

Pescennii origo.

PESCENNIUS ergo NIGER, ut alii tradunt, modicis parentibus; ut alii, nobilibus fuisse dicitur: patre Annio Fusco, matre Lampridia, avo curatore Aquini; ex qua familia originem ducebat: quod quidem dubium etiam nunc habetur. Hic eruditus mediocribus litteris, (*a*) moribus ferox, divitiis etiam modicus, vita parcus, libidinis effrenatæ ad omne genus cupiditatum.

Honores ejus antequam Imperator appellatus.

Ordines diu duxit, multisque ducatibus pervenit, ut exercitus Syriacos jussu Commodi regeret, suffragio maxime athletæ, qui Commodum strangulavit: ut omnia tunc fiebant.

CAP. II. Is posteaquam comperit occisum Commodum, Julianum Imperatorem appellatum, eundemque jussu Severi & Senatus occisum, Albinum etiam in Gallia sumpsisse nomen Imperatoris, ab exercitibus Syriacis, quos regebat, appellatus est Imperator; ut quidam dicunt, magis in Juliani odium, quam in æmulationem Severi.

Ab exercitu Syriaco Imperator appellatus.

U. C. 945. P. C. N. 193. Senatus & Populus favet Nigro.

Huic, ob detestationem Juliani, primis Imperii diebus ita (1) Romæ fautum est à Senatoribus dutaxat, qui & Severum oderant, ut inter lapidationes execrationesque omnium, illi *feliciter* optarent, illum *Principem* insuper, & illum *Augustum* Populus acclamaret. Julianum autem oderant populares, quod Pertinacem milites occidissent, & illum Imperatorem adversa Populi voluntate appellassent. Denique ingentes ob hoc seditiones fuerunt.

Julianus ad Nigrum percussorem mittit.

Ad occidendum autem Nigrum, primipilarem Julianus miserat, stulte, ad eum qui haberet exercitus, & se tueri posset: perinde quasi quilibet Imperator à primipilario posset occidi. Eadem autem dementia etiam Severo jam Principi Julianus successorem miserat. Denique etiam Aquilium centurionem, notum cædibus ducum miserat:

(*a*) al. Hic eruditus mediocriter.

(1) Romæ fautum est à Senatoribus) Quorum favori ita quoque Pescennius confidit, ut spem suam firmam etiam expresserit in numo Tab. LVIII, num. 3. à nemine adhuc vulgato, nisi à Nobili Consiliario Status Intimo Serenissimæ domus Würtembergicæ Domino à PFAU Anno 1742, in scripto, cui titulus: Duorum vere Antiquorum Cimeliorum succincta expositio, ad Eruditæ ac Venerandæ Antiquitatis Studium spectans, veteris rei numariæ curiosis dicata, ab Auctore & Possessore G. à PFAU Cons. Stat. Int. Würtemb. Edente BENNONE CASPARO HAURISIO &c.

quasi Imperator tantus à centurione posset occidi. Par denique insania fuit, quod cum Severo ex interdicto de Imperio egisse fertur; ut jure videretur ad principatum pervenisse.

CAP. III. Et de Pescennio Nigro judicium Populi ex eo apparuit, quod cum ludos Circenses Julianus Romæ daret, & indiscrete subsellia Circi maximi repleta essent, ingentique injuria Populus affectus esset, per omnes uno consensu Pescennius Niger ad tutelam Urbis est expetitus, odio (ut diximus) Juliani, & amore occisi Pertinacis: cum quidem Julianus dixisse fertur, *Nec sibi neque Pescennio longum Imperium deberi, sed Severo, qui magis esset odio habendus à Senatoribus, militibus, provincialibus, popularibus.* Quod probavit rei eventus. Et Pescennius quidem Severo eo tempore quo Lugdunensem provinciam regebat, amicissimus fuit: nam ipse missus erat ad comprehendendos desertores, qui innumeri Gallias tunc vexabant. In quo officio quod se honeste gessit, jucundissimum fuit Severo, ita, ut de eo ad Commodum Septimius referret, asserens necessarium reipublicæ virum. Et re vera in re militari vehemens fuit. Numquam sub eo miles provinciali lignum, oleum, operam extorsit. Ipse à milite nihil accepit: cum tribunatus ageret, nihil accipi passus est. Nam & Imperator, tribunos duos, quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus jussit. Exstat epistola Severi, quam scribit ad Ragonium Celsum Gallias regentem: *Miserum est, ut imitari ejus disciplinam militarem non possimus, quem bello vicimus.* (b) *Milites tui vagantur, tribuni medio die lavant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria: saltant, bibunt, cantant: & mensuris conviviorum vacant, cum sine mensura potent. Hæc si ulla vena paternæ disciplinæ in nobis viveret, fierent? Emenda igitur primum tribunos deinde militem: quem quamdiu timueris, tamdiu timeberis. Sed scias id de Nigro, militem timere non posse, nisi integri fuerint tribuni & duces militum.*

Niger à Populo ad tutelam Urbis vocatur.

Severo amicissimus.

Disciplinæ militaris tenax.

Epistola Severi de Nigri disciplina militari.

CAP. IV. Hæc de Pescennio Severus Augustus, adhuc milite. Marcus Antoninus ad Cornelium Balbum: *Pescennium mihi laudas, agnosco: nam & decessor tuus eum manu strenuum, vita gravem, & jam tum plusquam militem dixit. Itaque misi litteras recitandas ad signa, quibus eum trecentis Armenicis, & centum Sarmatis, & mille nostris præesse jussi. Tuum est ostendere, hominem non ambitione (quod nostris non convenit moribus) sed virtute venisse ad eum locum quem avus meus Hadrianus, quem Trajanus proavus, non nisi exploratissimis dabat.* De hoc eodem Commodus: *Pescennium fortem virum novi, & ei tribunatus jam duos dedi: ducatum mox dabo, ubi per senectutem Ælius Corduenus rempublicam recusaverit.* Hæc de eo judicia omnium fuerunt. Sed & Severus ipse sæpe dixit, *ignoturum se Pescennio, nisi perseveraret.* A Commodo denique Pescennius Consul declaratus, Severo præpositus est: & quidem irato quod primipilaribus commendantibus, consulatum Niger mereretur. In vita sua Severus dicit, se, priusquam filii sui id ætatis haberent ut imperare possent, ægrotantem id in animo habuisse, ut, si quid forte sibi accidisset, Niger Pescennius eidem & Clodius Albinus succederent, qui ambo Severo gravissimi hostes exstiterant. Unde apparet, quod etiam Severi de Pescennio judicium fuerit.

Epistola Marci Antonini de Nigro.

Itidem Commodi.

Niger Consul declaratur à Commodo.

CAP. V. Si Severo credimus, fuit gloriæ cupidus Niger, vita fictus, moribus turpis, ætatis provectæ cum Imperium invasit: ex quo cupiditates ejus incusat, perinde, quasi Severus minor ad Imperium venerit, qui annos suos contrahit, cum decem & octo annis imperarit, & octogesimo nono perierit. Sane Severus Heraclium ad obtinendam Bithyniam misit: Fulvium autem ad occupandos adultos Nigri filios: nec tamen in Senatu quidquam de Nigro Severus dixit, cum jam audisset de ejus Imperio, ipse autem proficisceretur ad componendum Orientis statum. Tantum sane illud fecit proficiscens, ut legiones ad Africam mitteret, ne eam Pescennius occuparet, & fame Populum Romanum perurgeret. Et videbatur id facere posse per Lybiam, Ægyptumque vicinas Africæ, difficili licet itinere ac navigatione. Et Pescennius quidem, veniente ad Orientem Severo, Græciam, Thracias, & Macedoniam, interfectis multis illustribus viris, tenebat, ad participatum Imperii Severum vocans: à quo, causa eorum quos occiderat, cum Æmiliano hostis est appellatus: deinde à ducibus Severi per Æmilianum pugnans victus est. Et cum illi tutum exilium promitteret, si ab armis recederet, persistens iterum pugnavit, & victus est, atque apud Cyzicum circa paludem fugiens sauciatus, & sic ad Severum deductus, atque statim mortuus.

Cur Niger invaderit Imperium.

Niger Severum ad participandum Imperium vocat.

A Severo vincitur & occiditur.

CAP. VI. Hujus caput circumlatum pilo Romam missum, filii occisi, necata uxor, patrimonium publicatum, familia omnis exstincta. Sed hæc omnia, posteaquam de Albini rebellione cognitum est, facta sunt: nam prius & filios Nigri & matrem in exilium miserat. Sed exarsit secundo civili bello, imo etiam tertio, & factus est durior. Tunc enim innumeros Senatores interemit Severus, & ab aliis, *Sullæ Punici*, ab aliis *Marii* nomen accepit. Fuit statura Pescennius prolixa, forma decorus, capillo in verticem ad gratiam reflexo, vocis canoræ, ita, ut in campo loquens, per mille passus audiretur, nisi ventus adversaretur: oris verecundi & semper rubidi: cervice adeo nigra, ut quemadmodum multi dicunt, ab ea *Nigri* nomen acceperit. Cetera corporis parte candidus & magis pinguis; vini avidus, cibi parcus, rei venereæ nisi ad procreandos liberos prorsus ignarus. Denique etiam sacra quædam in Gallia quæ castissimis decernuntur, consensu publico celebranda suscepit. Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem: quibus Commodus adeo deditus fuit, ut & caput raderet, & Anubim portaret, & omnes partes expleret. FUIT ERGO NIGER MILES OPTIMUS, tribunus singularis, dux præcipuus, legatus

Filii quoque ejus cum matre.

Nigri forma corporis.

Unde Niger dictus.

Ejus elogia.

(b) al. *quem per bellum vicimus.*

legatus severissimus, Consul insignis, vir domi forisque conspicuus, Imperator infelix: usui denique reipublicæ sub Severo homine tetrico esse potuisset, si cum eo esse voluisset.

CAP. VII. Sed deceptus est consiliis Severi Aureliani, qui filias suas ejus filiis despondens, persistere eum fecit in Imperio. Hic tantæ fuit auctoritatis, ut ad Marcum Antoninum primum, deinde ad Commodum scriberet, cum videret provincias facili administrationum mutatione subverti: primum, ut nulli ante quinquennium succederetur provinciæ præsidi, vel legato, vel proconsuli: quod prius deponerent potestatem quam scirent administrare: deinde, ne novi ad regendam rempublicam accederent. Præter militares administrationes, intimavit etiam, ut assessores in quibus provinciis assedissent, in his administrarent: quod postea Severus, & deinceps multi tenuerunt, ut probant Pauli & Ulpiani præfecturæ, qui Papiniano in consilio fuerunt: ac postea cum unus ad memoriam, alter ad libellos paruisset, statim præfecti facti sunt. Hujus etiam illud fuit, ut nemo assideret in sua provincia, ut nemo administraret Romæ, nisi Romanus, hoc est oriundus Urbe. Addidit præterea consiliariis salaria, ne eos gravarent quibus assidebant, dicens: *judiciem nec debere dare, nec accipere.* Hic erga milites tanta fuit censura, ut cum apud Ægyptum ab eo limitanei milites vinum peterent, responderit, *Nilum habetis, & vinum quæritis?* siquidem tanta illius fluminis dulcedo, ut accolæ vina non quærant. Idem tumultuantibus iis qui à Sarracenis victi fuerant, & dicentibus; *Vinum non accepimus, pugnare non possumus. Erubescite*, inquit, *illi qui vos vincunt, aquam bibunt.* Idem Palæstinis rogantibus, ut eorum censitio levaretur idcirco quod esset gravata, respondit: *Vos terras vestras levari censitione vultis: ego vero etiam aërem vestrum censere vellem.*

Nigri auctoritas apud Marcum & Commodum.

Ejusdem severitas erga milites.

CAP. VIII. Denique Delphici Apollinis vates in motu reipublicæ maximo cum nuntiaretur tres esse Imperatores, Severum Septimium, Pescennium Nigrum, Clodium Albinum, consultus quem expediret reipublicæ imperare, versum Græcum hujusmodi fudisse dicitur:

Oraculi Delphici judicium de Nigro, Severo, & Albino.

Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus.

Ex quo intellectum: *Fuscum* Nigrum appellatum vaticinatione: Severum, *Afrum: Album* vero, Albinum dictum. Nec defuit alia curiositas. Requisitum est qui esset obtenturus rempublicam: ad quod ille respondit alium versum talem:

Fundetur sanguis Albi, Nigrique minantis,
Imperim mundi Pœna reget Urbe profectus.

Item cum quæsitum esset quis illi successurus esset, respondisse itidem Græco versu dicitur:

Cui dederint superi, nomen habere Pii.

Quod omnino intellectum non est, nisi cum Bassianus Antonini, quod verum signum Pii fuit, nomen accepit. Item cum quæreretur, quamdiu Imperaturus esset, respondisse Græce dicitur:

Bis denis Italum conscendet navibus æquor:
Si tamen una ratis transiliet pelagus.

Ex quo intellectum, Severum viginti annos expleturum.

CAP. IX. Hæc sunt, Diocletiane maxime Augustorum, quæ de Pescennio didicimus ex pluribus libris. Non enim facile (ut in principio libri diximus) quisquam vitas eorum mittit in libros, qui aut principes in republica non fuerunt, aut à Senatu appellati non sunt Imperatores, aut occisi citius, ad famam venire nequiverunt. Inde, quod latet Vindex, quod Piso nescitur, quod omnes illi qui aut tantum adoptati sunt, aut à militibus Imperatores appellati, ut sub Domitiano Antonius, aut cito interempti, vitam cum Imperii usurpatione posuerunt. Sequitur nunc, ut de Clodio Albino dicam: qui quasi socius hujus habetur, quod & pariter contra Severum rebellaverunt, & ab eodem victi atque occisi sunt. De quo ipso neque satis clara exstant: quia eadem fortuna illius fuit quæ Pescennii, etiamsi vita satis dispar. Ac ne quid ex iis quæ ad Pescennium pertinent, præterisse videamur, (licet aliis libris cognosci possint) de hoc Pescennio vates dixerunt, *quod neque vivus neque mortuus in potestatem Severi venturus esset, sed juxta aquas illi pereundum esset:* quod quidam dicunt ipsum Severum de mathesi quam callebat, dixisse. Nec abfuit responsis veritas, cum ille inventus sit juxta paludem semivivus.

Cur tyrannorum Historia latet.

Reliqua de Nigro notatu digna.

CAP. X. Hic tantæ fuit severitatis, ut cum milites quosdam in caveo argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, jusserit omne argentum submoveri de usu expeditionali: addito eo, ut ligneis vasis uterentur: quod quidem illi odium militare concitavit. Dicebat enim, *posse fieri ut sarcinæ militares in potestatem hostium venirent; ne se barbaræ nationes argento nostro gloriosiores facerent, cum alia minus apta hosticam viderentur ad gloriam.* Idem jussit vinum in expeditione neminem bibere: sed aceto universos esse contentos. Idem pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato jubens milites & omnes contentos esse. Idem ob unius gallinacei direptionem, decem commanipulones, qui raptum ab uno comederant, securi percuti jussit: & fecisset, nisi ab omni exercitu prope usque ad metum seditionis esset rogatus: & cum pepercisset, jussit ut denorum gallinaceorum pretia provinciali redderent decem qui simul furto convixerant; addito eo, ut tota in expeditione in commanipulatione nemo focum faceret, ne umquam recens coctum cibum sumerent, sed pane ac frigidis vescerentur, appositis speculatoribus, qui id curarent. Idem jussit, ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent, recepturi post prælia quod dederant: addens, liberis eorum & uxoribus & heredibus certe reddendum qui venissent, (c) ne ad hostes aliquid prædæ perveniret, siquid forte adversi fortuna fecisset. Sed hæc omnia, ut se habuerat Commodi temporum dissolutio, adversa eidem fuere. Denique etsi nemo fuit, qui suis temporibus dux severior videretur, ad perniciem

Severitas erga milites.

Dispositio prudens de pecunia militum ante prælium.

(c) periissent.

ciem illi magis ista fuere, quam (*d*) mortuo, ubi & invidia & odium deposita erant, talia exempla valuerunt.

In expeditionibus se ut milites gessit.

CAP. XI. Idem in omni expeditione ante omnes militarem cibum sumpsit ante papilionem: nec sibi umquam vel contra solem, vel contra imbres quæsivit tecti suffragium (*e*) si miles non habuit. Tantum denique belli tempore, ratione militibus demonstrata, sibi & servis suis vel contubernalibus portavit, quantum à militibus ferebatur: cum servos suos annona oneraret, ne securi ambularent, & onusti milites, idque ab exercitu cum suspirio videretur. Idem in concione juravit, *se quamdiu in expeditionibus fuisset, essetque adhuc futurus, non aliter esse acturum se quam militem, Marium ante oculos habentem & duces tales.* Nec alias fabulas umquam habuit nisi de Annibale, ceterisque talibus.

Panegyricum recusat.

Denique cum Imperatori facto quidam panegyricum recitare vellet, dixit ei: *Scribe laudes Marii vel Annibalis, vel alicujus ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam viventes laudare, irrisio est, maxime Imperatores, à quibus speratur, qui timentur, qui præstare publice possunt, qui possunt necare, qui proscribere: se autem vivum placere velle, mortuum etiam laudari.*

Exempla magnorum principum imitatur.

CAP. XII. Amavit de principibus Augustum, Vespasianum, Titum, Trajanum, Pium, Marcum, reliquos *fœmineos* vel *venenatos* vocans: maxime tamen in historiis Marium & Camillum & Quintum Coriolanum dilexit. Interrogatus autem quid de Scipionibus sentiret, dixisse fertur: *Felices illos fuisse magis quam fortes: idque probare domesticam vitam & juventutem, quæ in utroque nimis speciosa domi fuisse apud omnes constat.* Quod si rerum potitus fuisset, omnia correctus fuerat, quæ Severus vel non potuit emendare, vel noluit: & quidem sine crudelitate, imo etiam cum lenitate, sed militari; non remissa & inepta atque ridicula.

Domus Pescenniana.

Domus ejus hodie Romæ visitur in campo Jovis, quæ appellatur *Pescenniana*; in qua simulacrum ejus in trichoro constituit, statim post annum ex Thebaico marmore, quod ille ad similitudinem sui factum à rege Thebæorum acceperat.

Nigri laus.

Exstat etiam epigramma Græcum, quod Latine hanc habet sententiam:

Terror Ægyptiaci Niger adstat militis ingens,
Thebaidos socius, aurea sæcla volens.
Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Romæ.
Hic Antoninis carus & Imperio.
Nigrum nomen habet, Nigrum formavimus ipsi,
Ut consentiret forma, metalle, tibi.

Quos quidem versus Severus eradi noluit, cum hoc ei & præfecti suggererent, & officiorum magistri, addens: *Si talis fuit, sciant omnes qualem vicerimus: si talis non fuit, putent omnes nos talem vicisse: imo sic sit, quia fuit talis.*

JULII CAPITOLINI
CLODIUS ALBINUS,
AD CONSTANTINUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Clodius Albinus in Gallia Imperator appellatus. U. C. 945. p. C. N. 193.

UNo eodemque tempore post Pertinacem, qui auctore Albino interemptus est, Julianus à Senatu Romæ, Septimius Severus ab exercitu in Illyrico, Pescennius Niger in Oriente, Clodius Albinus in Gallia, Imperatores appellati sunt. Et Clodium quidem Herodianus dicit Severi Cæsarem fuisse. Sed cum alter alterum indignaretur imperare, nec Galli ferre possent aut Germani exercitus; quod & ipsi suum specialem principem haberent, undique cuncta turbata sunt.

Ejus origo.

Fuit autem CLODIUS ALBINUS familia nobili, Adrumetinus tamen, ex Africa. Quare sortem illam, qua Severum laudatum in Pescennii vita diximus, ad se trahebat, nolens intelligi *Pessimus Albus*; quod eodem versu continebatur, quo & Severi laus, & approbatio Nigri Pescennii. Sed priusquam vel de vita ejus, vel de morte disseram, (*f*) etiam hoc dicendum est, quod eum nobilem fecit.

A Commodo Cæsar factus.

CAP. II. Nam ad hunc eundem quondam Commodus, cum eum successorem Albino daret, litteras dederat, quibus jusserat, ut Cæsar esset. Exemplum indidi. *Imperator Commodus Clodio Albino. Alias ad te publice de successore atque honore tuo misi; sed hanc familiarem & domesticam, omnem (ut vides) manu mea scriptam epistolam dirigo: qua tibi do facultatem, ut, si necessitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi Cæsareum nomen assumas. Audio enim & Septimium Severum & Nonium Murcum male de me apud milites loqui, ut sibi parent stationis augustæ procurationem. Habebis præterea, cum id feceris, dandi stipendii usque ad tres aureos liberam potestatem: quin & super hoc ad procuratores meos litteras misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniæ: & cum opus fuerit, rationalibus dabis, ne te non audiant cum de ærario volueris imperare. Sane ut tibi insigne aliquod imperialis majestatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præsente, & ad me, & cum mecum fueris, habiturus & purpuram, sed sine auro: quia ita & proavus meus Verus, qui puer vita functus est, ab Hadriano, qui eum adoptavit, accepit.*

Cur se ut Cæsarem gerere noluerit.

CAP. III. His litteris acceptis, omnino id quod

(*d*) al. quoniam. (*e*) al. suffugium. (*f*) al. dixero.

quod jubebat facere noluit, (*g*) timens odiosum Commodum propter mores suos, quibus rempublicam perdiderat & se dedecoraverat, quandocumque feriendum, ne ipse pariter occideretur. Exstat denique illius concio, quæ cum accepit Imperium, & quidem Severi (ut quidam) voluntate firmatum, hujus rei memoriam facit. Cujus hoc exemplum est: *Invitum me, commilitones, ductum ad Imperium etiam illud probat, quod Commodum donantem me Cæsariano nomine contempsi: sed & vestræ voluntati, & Severi Augusti parendum est; quia credo sub homine optimo & viro forti posse bene rempublicam regi. Nec negari potest*, quod etiam Marius Maximus dicit, hunc animum Severo primum fuisse, ut si quid ei contingeret, Pescennium Nigrum & Clodium Albinum sibi substitueret. Sed postea & filiis jam majusculis studentem, & Albini amori invidentem, sententiam mutasse, atque illos utrosque bello oppressisse, maxime precibus uxoris adductum. Denique Severus eum Consulem designavit, quod utique nisi de optimo viro non fecisset, homo in legendis magistratibus diligens.

à Severo Consul designatur.

Albini prosapia.

CAP. IV. Sed ut ad eum redeam; fuit (ut dixi) Albinus Adrumento oriundus, sed nobilis apud suos, & originem à Romanis familiis trahens, Postumiorum scilicet & Albinorum Ceioniorum. Quæ familia hodie quoque, Constantine maxime, nobilissima est, & per te aucta & augenda, quæ per Gallienum & Gordianos plurimum crevit. Hic tamen natus lare modico, patrimonio pertenui, parentibus sanctis, patre Ceionio Postumio, matre Aurelia Messalina, primus suis parentibus fuit; cum exceptus utero, quod contra consuetudinem puerorum qui nascuntur, & solent rubere, esset candidissimus, *Albinus* est dictus. Quod verum esse, patris epistola ad Ælium Bassianum tunc proconsulem Africæ data designat, affinem (quantum videtur) eorum ipsorum. Epistola Ceionii Postumii ad Ælium Bassianum: *Filius mihi natus est septimo Kalendas Decembres, ita candidus statim toto corpore, ut linteamen quo exceptus est, vinceret. Quare susceptum eum, Albinorum familiæ, quæ mihi tecum communi est, dedi,* Albini *nomine imposito. Fac ut rempublicam & te & nos, ut facis, diligas.*

Unde Albinus dictus.

Albini pueritia.

CAP. V. Hic ergo omnem pueritiam in Africa transegit, eruditus litteris Græcis ac Latinis mediocriter, quod esset animi jam militaris & superbi. Fertur in scholis sæpissime cantasse inter puerulos,

Signa de ejus Imperio.

Arma amens capio, nec sat rationis in armis,
repetens, *Arma amens capio.* Huic multa Imperii signa, cum esset natus, facta dicuntur. Nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est, quod mirandum fuit: quæ tamen cornua, in templo Apollinis Cumani ab eodem posita jam tribuno, diu fuisse dicuntur: quod, cum ille sortem de fato suo tolleret, his versibus eidem dicitur esse responsum:

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos, Gallumque rebellem.

Et in Gallia quidem eum multas gentes domuisse constat. Ipse autem suspicabatur de Severo sibi prædictum, *Sternet Pœnos;* quod Septimius Afer esset. Fuit & aliud signum futuri Imperii. Nam cum Cæsariana familia hoc speciale habuerit, ut parvuli domus ejus in testudineis alveis lavarentur, nato infantulo testudo ingens patri ejus, munere piscatoris, allata est: quod ille homo litteratus omen accipiens, & testudinem libenter accepit, & eam curari jussit, atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitandum etiam hinc sperans. Cum rarum esset aquilas in his locis videri in quibus natus est Albinus; septima ejus diei hora convivii quod celebritati pueri deputabatur, cum ei fierent nomina, septem aquilæ parvulæ de nido allatæ sunt, & quasi ad jocum circa cunas pueri constitutæ: nec hoc omen pater abnuit, qui jussit aquilas ali, & diligenter curari. Accessit omen, quod cum pueri ejus familiæ russulis fasciolis illigarentur, quod forte lotæ atque udæ essent russulæ fasciolæ, quas mater prægnans paraverat, pupurea matris illigatus est fascia: unde illi joco nutricis etiam *Porphyrii* nomen inditum est. Hæc atque alia signa Imperii futuri fuere: quæ qui volet nosce, Ælium Cordum legat, qui frivola super hujusmodi omnibus cuncta persequitur.

Albini res gestæ & honores.

CAP. VI. Adolescens igitur, statim se ad militiam contulit, atque Antoninis per Lollium Serenum, & Bæbium Mecianum, & Ceionium Postumianum suos affines innotuit. Egit tribunus equites Dalmatas: egit & legionem quartanorum & primanorum: Bithynicos exercitus eo tempore quo Avidius rebellabat, fideliter tenuit. Deinde per Commodum ad Gallias translatus, in qua fusis Frisiis Transrhenanis, celebre nomen suum & apud Romanos & apud barbaros fecit. Quibus rebus accensus Commodus, Cæsarianum ei nomen obtulit, & dandi stipendii facultatem, & pallii coccini utendi. Quibus omnibus ille prudenter abstinuit, dicens, *Commodum quærere qui aut cum eo perirent, aut quos cum causa ipse posset occidere.* Quæsturæ gratia illi facta est: qua concessa, ædilis non amplius quam decem diebus fuit, quod ad exercitum festinanter mitteretur. Deinde præturam egit sub Commodo famosissimam. Nam ejusdem ludis Commodus & in foro & in theatro pugnas exhibuisse perhibetur. Consul à Severo declaratus est eo tempore quo Albinum sibi cum Pescennio paraverat subrogare.

Senatus favet Albino.

CAP. VII. Ad Imperium venit natu jam grandior, & major Pescennio Nigro, ut Severus ipse in vita sua testatur. Sed victo Pescennio, cum & filiis suis Imperium servare cuperet, & voluntatem Senatus majorem circa Clodium Albinum videret, quod esset vir antiquæ familiæ, litteras ad eum per quosdam summi honoris ac summæ affectionis misit, quibus hortabatur, ut quoniam occisus esset Pescennius Niger, ipse cum eo fideliter rempublicam regeret. Quarum exemplum hoc esse Cordus ostendit: *Imperator Severus Augustus, Clodio Albino Cæsari, fratri amantissimo,*

Qui Severi insidiis petitur.

(*g*) al. His litteris acceptis à Nonio, facere idquod jubebat, noluit.

tissimo, & desideratissimo salutem. Victo Pescennio, litteras Romam dedimus, quas Senatus tui amantissimus libenter accepit. Te quæso, ut eo animo Rempublicam regas, quo dilectus es frater animi mei, frater Imperii. Bassianus & Geta te salutant. Julia nostra & te, & sororem salutat. Infantulo tuo Pescennio Prineo munera digna suo loco, tuoque mittemus. Tu velim exercitus reipublicæ ac nobis retentes, mi unanime, mi carissime, mi amantissime.

CAP. VIII. Et has quidem litteras missis stipatoribus fidelissimis dedit, quibus præcepit ut epistolam publice darent, postea vero dicerent se velle pleraque occulte suggerere quæ ad res bellicas pertinerent, & ad secreta castrorum atque aulicam fidem: ubi vero in secretum venissent, quasi mandata dicturi, quinque validissimi eum interimerent gladiolis intra vestem latentibus. Nec illorum quidem fides defuit. Nam cum ad Albinum venissent, & epistolam dedissent; qua lecta, cum dicerent quædam secretius suggerenda, & locum semotum ab omnibus arbitris postularent, & cum omnino neminem paterentur ad porticum longissimam cum Albino progredi, ea specie ne mandata proderentur, Albinus intellexit insidias. Denique indulgens suspicionibus, eos tormentis dedit. Qui diu primo pernegarunt, sed postea victi necessitate, confessi sunt ea, quæ Severus iisdem præceperat. Tunc jam proditis rebus & apertis insidiis, ea quæ suspicabatur Albinus clara esse intelligens, exercitu ingenti collecto, contra Severum atque ejus duces venit.

Quo deteguntur.

Magno exercitu adversus Severum proficiscitur.

CAP. IX. Et primo quidem conflictu habito (2) contra duces Severi, potior fuit: post autem Severus ipse cum id egisset apud Senatum, ut hostis judicaretur Albinus, contra eum profectus, acerrime fortissimeque pugnavit in Gallia, non sine varietate fortunæ. Denique cum sollicitus augures consuleret, responsum illi est (ut dicit Marius Maximus) *venturum quidem in potestatem ejus Albinum, sed non vivum nec mortuum:* quod & factum est. Nam cum ultimum prælium commissum esset, innumeris suorum cæsis, plurimis fugatis, multis etiam deditis, Albinus fugit: &, ut multi dicunt, se ipse percussit: ut alii, à servo suo percussus, semivivus ad Severum deductus est. Unde confirmatum est augurium quod fuerat ante prædictum. Multi præterea dicunt, à militibus, cujus nece à Severo gratiam requirebant. Fuit Albino unus (ut aliqui dicunt) filius: Maximus dicit duos. Quibus primum veniam dedit, postea vero eos cum matre percussit, & in profluentem abjici jussit. Caput ejus excisum pilo circumtulit, Romamque misit, litteris ad Senatum datis, quibus insultabat, quod Albinum tantopere dilexissent, ut ejus affines, & fratrem præcipue ingenti honore cumularent. Jacuisse ante prætorium Severi Albini corpus per dies plurimos dicitur usque ad fœtorem, laniatumque à canibus in profluentem abjectum esse.

Severi duces profligat.

Sed à Severo fugatur.

Et occiditur. U. C. 949. p. C. N. 197.

Albini quoque filius & uxor.

Albini caput & cadaver contumeliose tractata.

CAP. X. De moribus ejus varia dicuntur. Et Severus quidem ipse hæc de eodem loquitur, ut eum dicat turpem, malitiosum, improbum, inhonestum, cupidum, luxuriosum. Sed hæc belli tempore vel post bellum, quando ei jam velut de hoste credi non poterat: cum & ipse ad eum quasi ad amicissimum frequentes miserit litteras, & multi de Albino bene senserint, & Severus ipse *Cæsarem* suum eundem appellari voluerit: & cum de successore cogitaret, hunc primum habuerit ante oculos. Exstant præterea Marci epistolæ de hoc eodem, quæ testimonium & virtutum ejus ferant, & morum: quarum unam inserere ad præfectos datam super ejus nomine, absurdum non fuit. *Marcus Aurelius Antoninus præfectis suis salutem. Albino ex familia Ceioniorum, Afro quidem homini, sed non multa ex Afris habenti, Plautilli genero, duas cohortes alares regendas dedi. Est homo exercitatus, vita tristis, gravis moribus. Puto eum rebus castrensibus profuturum: certe obfuturum non esse, satis novi. Huic salarium duplex decrevi, vestem militarem simplicem, sed loci sui stipendium quadruplum. Hunc vos adhortamini ut se reipublicæ ostentet, habiturus præmium quod merebitur.* Est & alia epistola, qua idem Marcus Avidii Cassii temporibus de hoc eodem scripsit, cujus exemplum hoc est: *Laudanda est Albini constantia, qui graviter deficientes exercitus tenuit, cum ad Avidium Cassium confugerent. Et nisi hic fuisset, omnes defecissent. Habemus igitur virum dignum consulatu, quem sufficiam in locum Cassii Papirii, qui mihi exanimis prope jam nuntiatus est. Quod interim à te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad ejus affectus perveniat, nosque videamur in locum viventis Consulis subrogasse.*

Albini mores.

Marci Epistola de Albino.


Alia epistola.

CAP. XI. Istæ igitur epistolæ testantur, Albinum virum utilem fuisse. Indicat & illud præcipue quod ad eas civitates instaurandas quas Niger attriverat, pecuniam misit, quo facilius sibi earum accolas conciliaret. Gulosum eum Cordus, qui talia persequitur in suis voluminibus, fuisse dicit; & ita quidem, ut pomorum tantum hauserit quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficus passarias, quas Græci *callistruthias* vocant, jejunum comedisse dicit, & centum persica Campana, & melones Ostienses decem, & uvarum Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & ostrea quadringenta. Vini sane parcum fuisse dicit, quod Severus negat, qui eum asserit ebrium etiam in bello fuisse. Cum suis etiam numquam cœnavit, vel propter vinolentiam, (ut dixit Severus) vel propter morum acrimoniam. Uxori odiosissimus fuit, servis injustus, atrox circa militem. Nam sæpe & ordinarios centuriones, ubi causæ qualitas non postulabat, in crucem sustulit. Verberavit certe virgis sæpissime: neque unquam delictis pepercit. In vestitu nitidissimus fuit, in convivio sordidissimus, & soli studens copiæ; mulierarius inter primos amatores, aversæ veneris semper ignarus, & talium persequutor: agri colendi peritissimus, ita ut etiam Georgica conscripserit. Milesias nonnulli ejusdem esse dicunt, quarum fama non ignobilis

Albinus Gulosus.

Atrox circa militem.

(2) Contra duces Severi potior fuit) Hanc victoriam numus Clodii. Tab. LVIII. num. 4. denotare videtur, in quo Albinus non Cæsarem amplius, sed Augustum se nominat. Conf. BEGER. I. c. p. 698.


Tab. LVIII
ad pag 320. 321. 326. 329
AR
I
AETERNIT. IMPERII
Δ
AR
II
COS. III. P.P.
Γ
III
IMP. CAES. C. PESC. NIGER. AVG.
AR
Γ
SPEI FI RMAE.
IV
AR
VICT. AVG. COS. II.
Γ
AR
V
ANTONINUS PIUS AUG. GERM.
Δ
AR
VI
VICTORIA PARTHICA MAXIMA
Δ
ÆR
VII
ΙΟΥΛΙΟ ΠΟΛΙΤΩΝ
E

bilis habetur, quamvis mediocriter scriptæ sint.

A Senatu multum amatus.

CAP. XII. A senatu tantum amatus est, quantum nemo principum, in odium speciatim Severi, quem vehementer ob crudelitatem oderant Senatores. Denique victo eo plurimi Senatores à Severo interfecti sunt, qui ejus partium vel vere fuerant, vel esse videbantur. Denique cum apud Lugdunum eundem interfecisset, statim litteras inquiri jussit, ita ut inveniret vel ad quos ipse scripsisset, vel qui ad eum rescripsissent: omnesque illos quorum epistolas reperit, hostes judicari à Senatu fecit: nec his pepercit, sed & ipsos interemit, & bona eorum proscripsit, atque in ærarium publicum retulit. Exstat epistola Severi, quæ ostendit animum suum, missa ad Senatum, cujus hoc exemplum est: *Nihil mihi gravius potest evenire, Patres Conscripti, quam ut vestrum judicium Albinus haberet potius quam Severus. Ego frumenta reipublicæ detuli: ego multa bella pro republica gessi: ego Populo Romano tantum olei detuli, quantum rerum natura vix habuit. Ego interfecto Pescennio Nigro, vos à malis tyrannicis liberavi. Magnam sane mihi reddidistis vicem: magnam gratiam. Unum ex Afris, & quidem Adrumetinis, fingentem quod de Ceioniorum stemmate sanguinem duceret, usque adeo extulistis, ut eum principem habere velitis, me principe, salvis liberis meis. Defuitne quæso tanto Senatui quem amare deberetis, qui vos amaret? Hujus fratrem honoribus extulistis, ab hoc consulatus, ab hoc præturas, ab hoc speratis cujusvis magistratus insignia. Non eam gratiam mihi redditis, quam majores vestri contra Pisonianam factionem, quam item pro Trajano, quam nuper contra Avidium Cassium præstiterunt: fictum illum, & ad omnia mendaciorum genera paratum, qui nobilitatem quoque mentitus est, mihi præposuistis. Quinetiam audiendus in Senatu fuit Statilius Corfulenus, qui honores Albino & ejus fratri decernendos ducebat: cui hoc superfuit, ut de me ille decerneret homo nobilis ad triumphum. Major fuit dolor, quod illum pro litterato laudandum plerique duxistis, cum ille næniis quibusdam anilibus occupatus, inter Milesias Punicas Apuleji sui, & ludicra litteraria consenesceret.* Hinc apparet quanta severitate factionem vel Pescennianam vel Clodianam vindicaverit. Quæ quidem omnia in vita ejus posita sunt: quæ qui diligentius scire velit, legat Marium Maximum, de Latinis scriptoribus; de Græcis, Herodianum: qui ad fidem pleraque dixerunt.

Severus inquirit in partes Albini.

Severi litteræ ad Senatum invectivæ.

Albini forma corporis.

CAP. XIII. Fuit statura procerus, capillo renodi & crispo, fronte lata, & candore mirabili: & ut plerique putant, ex eo nomen accepit. Voce muliebri, & prope ad eunuchorum sonum: motu facili, iracundia gravi, furore tristissimo: in luxuria varius: nam sæpe appetens vini, frequenter abstinens. Armorum strenuus, prorsus ut non male *sui temporis Catilina* diceretur. Non ab re esse credimus, causas ostendere quibus amorem Senatus Clodius Albinus meruit. Cum Britannicos exercitus regeret jussu Commodi, atque illum interemptum adhuc falso comperisset, cum sibi ab ipso Commodo Cæsarianum nomen esset delatum, processit ad milites, & hac concione usus est: *Si Senatus Populi Romani suum illud vetus haberet Imperium, nec in unius potestate res tanta consisteret, non ad Vitellios, neque ad Nerones, neque ad Domitianos publica fata venissent. In Imperio consulari nostræ illæ gentes Ceioniorum, Albinorum, Postumiorum: de quibus patres vestri, qui & ipsi ab avis suis audierant, multa dicicerunt. Et certe Africam Romano Imperio Senatus adjunxit: Galliam Senatus subegit, & Hispanias: orientalibus populis Senatus dedit leges: Parthos tentavit Senatus, & subegisset, nisi tam avarum principem Romano exercitui fortuna reipublicæ tunc dedisset. Britannias Cæsar subegit, certe Senator, nondum tamen Dictator. Hic ipse Commodus quanto melior fuisset, si timuisset Senatum? Et usque ad Neronem quidem Senatus auctoritas valuit, qui sordidum & impurum principem damnare non timuit, cum sententiæ in eum dictæ sunt qui vitæ necisque potestatem atque Imperium tunc tenebat. Quare, commilitones, ego Cæsareum nomen, quod mihi Commodus detulit, nolo: dii faxint, ut ne alii quidem velint. Senatus imperet, provincias dividat: Senatus nos Consules faciat: & quid dico Senatus? vos ipsi, & patres vestri. Eritis enim ipsi Senatores.*

Albinus sui temporis Catilina dicitur.

Quomodo amorem Senatus meruerit.

Commodum sibi infensum reddit.

CAP. XIV. Hæc concio, vivo adhuc Commodo, Romam delata est: quæ Commodum in Albinum exasperavit, statimque successorem misit Junium Severum, unum ex contubernalibus suis. Senatui autem tantum placuit, ut miris acclamationibus absentem eum ornaret, & vivo Commodo & deinceps interempto, ita, ut nonnulli etiam Pertinaci auctores fuerint, ut eum sibi socium adscisceret; apud Julianum, de occidendo Pertinace, ipsius plurimum auctoritas valuerit. Ut autem hoc verum intelligatur, epistolam Commodi ad præfectos prætorii suos datam inserui, qua de occidendo Albino significavit suam mentem. *Aurelius Commodus Severus præfectis salutem. Audisse vos credo primum fictum esse quod ego meorum consilio interfectus essem: deinde concionem Clodii Albini apud milites meos habitam, qui se multum Senatui commendat, idque quantum videmus, non frustra. Nam qui principem unum in republica negat esse debere, quique asserit à Senatu oportere totam rempublicam regi, is per Senatum sibi petit Imperium. Cavete igitur diligentissime: jam enim hominem scitis, vobis, militibus, populoque vitandum.* Has litteras cum Pertinax invenisset, in Albini odium publicavit. Quare Albinus occidendi Pertinacis Juliano auctor fuit.

Commodi litteræ de occidendo Albino.

Albinus occidendi Pertinacis auctor.

ÆLII

ÆLII SPARTIANI ANTONINUS CARACALLUS.

CAPUT I.

EX duobus liberis quos Septimius Severus reliquit, Getam & Bassianum, quorum unum exercitus, alterum pater dixit, Geta hostis est judicatus, Bassianum autem obtinuisse Imperium constat: de cujus majoribus frustra putamus iterandum, cum omnia in Severi vita satis dicta sint. Hujus igitur pueritia blanda, ingeniosa, parentibus affabilis, amicis parentum jucunda, Populo accepta, grata Senatui, ipsi etiam ad amorem conciliandum salutaris fuit. Non ille in litteris tardus, non in benevolentiis segnis, non tenax in largitate, non lentus in clementia, sed sub parentibus, visus. Denique, si quando feris objectos damnatos vidit, flevit aut oculos avertit: quod Populo plusquam amabile fuit. Septennis puer, cum collusorem suum puerum, ob Judaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum, diu respexit. Antiochensibus & Bizantiis interventu suo jura vetusta restituit: quibus iratus fuit Severus quod Nigrum juverant. Plautiani odium, crudelitatis causa concepit. Quæ à parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus vel magistris sponte donavit. Sed hæc puer.

Antoninus Caracallus Imperator. U. C. 963. p. C. N. 211. Antonini Caracalli pueritia laudabilis.

CAP. II. Egressus vero pueritiam, seu patris monitis, seu calliditate ingenii, sive quod se Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat, restrictior, gravior, vultu etiam truculentior factus est, prorsus ut eum quem puerum scirent, multi esse non crederent. Alexandrum Magnum ejusque gesta in ore semper habuit. Tiberium & Sullam in conventu plerumque laudavit. Patre superbior fuit: fratrem magna ejus humilitate despexit. Post patris mortem in castra prætoria pergens, apud milites conquestus est, circumveniri se fratris insidiis: atque ita fratrem in palatio fecit occidi. Ejus corpus statim cremari præcepit. Dixit præterea in castris, fratrem sibi venenum parasse, matri eum irreverentem fuisse: egitque publice iis gratias qui eum occiderunt. Addidit denique iis, qui fideliores erga se fuerant, stipendium. Pars militum apud Albam, Getam occisum ægerrime accepit, dicentibus cunctis, *duobus se fidem promisisse liberis Severi, duobus servare debere.* Clausisque portis diu Imperator non admissus, nisi delinitis animis, non solum querelis de Geta & criminationibus editis, sed enormitate stipendii militibus (ut solet) placatis, atque inde Romam rediit. Tunc sub veste senatoria loricam habens, cum armatis militibus curiam ingressus est. Hos in medio inter subsellia duplici ordine collocavit, & sic verba fecit. Questus est de fratris insidiis involute & incondite, ad illius accusationem, sui vero excusationem: quod quidem nec Senatus libenter accepit, cum ille dixisset, fratri se omnia permisisse, fratrem ab insidiis liberasse: & illum tamen sibi gravissimas insidias fecisse, nec vicem amori reddidisse fraterno.

Egressus pueritiam Alexandrum M. vult imitari.

Tiberium & Sullam laudat. Superbus.

Getam fratrem occidit.

Cui varia crimina sed falso objicit.

Armatus ipse & cum militibus armatis in Senatum venit.

CAP. III. Post hoc relegatis deportatisque reditum in patriam restituit: inde ad prætorianos processit, & in castris mansit. Altera die Capitolium petiit: & eos quos occidere parabat, affabiliter est alloquutus, innitensque Papiniano & Ciloni, ad palatium rediit. Cum flentem matrem Getæ vidisset, aliasque mulieres, post necem fratris, mulieres occidere conatus est: sed ob hoc retentus, ne augeretur fratris occisi crudelitas. Lætum ad mortem coëgit, misso à se veneno: ipse enim inter suasores Getæ mortis primus fuerat, qui & primus interemptus est. Ipse mortem ejus sæpissime flevit. Multos qui cædis ejus conscii fuerant, interemit, eumque & imaginem ejus honoravit. Post hoc fratrem patruelem Afrum, cui pridie partes de cœna miserat, jussit occidi. Qui cum se præcipitasset percussorum timore, & ad uxorem crure fracto erepsisset, tamen per ludibrium, à percussoribus deprehensus est, & occisus. Occidit etiam Pompejanum Marci nepotem, ex filia natum & ex Pompejano cui nupta fuerat Lucilla post mortem Veri Imperatoris; quem & Consulem bis fecerat, & omnibus bellis præposuerat, quæ gravissima tunc fuerunt: & ita quidem, ut videretur à latronibus interemptus.

Suasores parricidii occidit.

Afrum fratrem patruelem,

Et Pompejanum Marci nepotem,

CAP. IV. Deinde in conspectu ejus, Papinianus securi percussus est, & à militibus occisus: quo facto percussori dixit, *Gladio te insequi oportuit meum jussum.* Occisus est etiam ejus jussu Petronius ante templum Divi Pii, tractaque sunt eorum per plateam cadavera, sine aliqua humanitatis reverentia. Filium autem Papiniani, qui ante triduum quæstor opulentum munus ediderat: interemit. Iisdem diebus occisi sunt innumeri, qui fratris ejus partibus faverant. Occisi etiam liberti, qui Getæ administraverant. Cædes deinde in omnibus locis & in balneis factæ. Occisique nonnulli etiam cœnantes, inter quos etiam Sammonicus Serenus, cujus libri plurimi ad doctrinam exstant. In summum discrimen etiam Cilo iterum præfectus & Consul venit, ob hoc, quod concordiam inter fratres suaserat. Et cum idem Cilo sublata veste senatoria, nubis pedibus ab urbanicis raptus esset, Antoninus seditionem compressit. Multas præterea postea cædes in Urbe fecit, passim raptis à militibus & nonnullis hominibus & occisis, quasi seditionem vindicans. Helvium Pertinacem suffectum Consulem, ob hoc solum, quod filius esset Imperatoris, occidit. Neque cessavit umquam sub diversis occasionibus eos

Papinianum pariter,

Ejusque filium,

Et innumeros alios,

Inter quos Helvius Pertinax,

eos interficere, qui fratris amici fuiſſent. Sæpe in Senatum, ſæpe in Populum ſuperbe invectus eſt, aut edictis propoſitis aut orationibus editis, Sullam ſe etiam oſtendens futurum.

Galliam petit.

CAP. V. His geſtis Galliam petiit: atque ut primum in eam venit, Narbonenſem proconſulem occidit. Cunctis deinde turbatis qui in Gallia res gerebant, odium tyrannicum meruit, quamvis aliquando fingeret ſe benignum, cum eſſet natura truculentus. Et cum multa contra homines, & contra jura civitatum feciſſet, morbo implicitus graviter laboravit. Circa eos, qui eum curabant, crudeliſſimus fuit. Deinde ad Orientem profectionem parans, omiſſo itinere in Dacia reſedit. Circa Rhætiam non paucos barbaros interemit, militeſque ſuos quaſi Sullæ milites & cohortatus eſt & donavit. Deorum ſane ſe nominibus appellari vetuit, quod Commodus fecerat; cum illi eum, quod leonem aliaſque feras occidiſſet, Herculem dicerent. Et cum Germanos ſubegiſſet, (3) *Germanicum* ſe appellavit; vel joco vel ſerio, ut erat ſtultus & demens; aſſerens, *ſi Lucanos viciſſet, Lucanicum ſe appellandum.* Damnati ſunt eo tempore qui urinam in eo loco fecerunt, in quo ſtatuæ aut imagines erant principis: & qui coronas imaginibus ejus detraxerant, ut alias ponerent. Damnati ſunt & qui remedia quartanis tertianiſque collo annexa geſtarent. Per Thracias cum præfecto prætorii iter fecit. Inde cum in Aſiam trajiceret, naufragii periculum adiit, antemna fracta, ita ut in ſcapham cum protectoribus deſcenderet. Unde in triremem à præfecto claſſis receptus, evaſit. Excepit apros frequenter, contra leonem etiam ſtetit: quo etiam miſſis ad amicos litteris gloriatus eſt, ſeque ad Herculis virtutem acceſſiſſe jactavit.

Gravi morbo laborat.

Germanicus appellatus.

Naufragii periculum adit.

Armeniacum Parthicumque bellum aggreditur.

CAP. VI. Poſt hoc ad bellum Armeniacum Parthicumque converſus, ducem bellicum qui ſuis competebat moribus, fecit. Inde Alexandriam petiit: in gymnaſium populum convocavit, eumque objurgavit: legi etiam validos ad militiam præcepit. Eos autem, quos legerat, occidit, exemplo Ptolemæi Evergetis, qui octavus hoc nomine appellatus eſt. Dato præterea ſigno militibus, ut hoſpites ſuos occiderent, magnam cædem Alexandriæ fecit. Dehinc per Caduſios & Babylonios ingreſſus, tumultuarie cum Barthorum ſatrapis manum contulit, feris etiam beſtiis in hoſtes immiſſis. Datis ad Senatum, quaſi (4) poſt victoriam, litteris, *Parthicus* appellatus eſt: nam Germanici nomen patre vivo fuerat conſequutus. Deinde cum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hibernare Edeſſæ, atque inde Carras (5) Luni dei gratia veniſſet, die natalis ſui octavo Idus Aprilis, ipſis Megalenſibus, cum ad requiſita naturæ diſceſſiſſet, inſidiis à Macrino præfecto prætorii poſitis, qui poſt eum invaſit Imperium, interemptus eſt. Conſcii cædis fuerunt Nemeſianus, & frater ejus Apollinaris, Retianusque, qui præfectus legionis ſecundæ Parthicæ militabat, & qui equitibus extraordinariis præerat, non ignorantibus Martio Agrippa qui claſſi præerat, & præterea pleriſque officialium, impulſu Martialis.

In quo varia ſpecimina crudelitatis edit.

Parthicus appellatur.

A Macrio occiditur. U.C. 969. p. C.N. 217.

CAP. VII. Occiſus eſt autem in medio itinere inter Carras & Edeſſam, cum levandæ veſicæ gratia ex equo deſcendiſſet, atque inter protectores ſuos, conjuratos cædis, ageret. Denique cum illum in equum ſtrator ejus levaret, pugione latus ejus confodit: conclamatumque ab omnibus eſt, id Martialem feciſſe. Et quoniam dei Luni fecimus mentionem, ſciendum doctiſſimis quibusque in memoriæ traditum, atque ita nunc quoque à Carrenis præcipue haberi, ut qui Lunam fœmineo nomine ac ſexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus ſemper inſerviat: at vero qui marem deum eſſe crediderit, is dominetur uxori, neque ullas muliebres patiatur inſidias. Unde quamvis Græci vel Ægypti eo genere quo fœminam hominem, etiam Lunam deam dicant, myſtice tamen deum dicunt.

Lunum Deum vel Lunam Deam qui habeant.

CAP. VIII. Scio de Papiniani nece multos ita in litteras retuliſſe, ut cædis non ſciverint cauſam, aliis alia referentibus: ſed ego malui veritatem opinionum edere quam de tanti viri cæde reticere. Papinianum amiciſſimum fuiſſe Imperatori Severo, &, ut aliqui loquuntur, affinem etiam per ſecundam uxorem, memoriæ traditur: & huic præcipue utrumque filium à Severo commendatum, eumque cum Severo profeſſum ſub Scævola; & Severo in advocatione fiſci ſucceſſiſſe, atque ad hoc concordiam fratrum Antoninorum foviſſe: egiſſe quin etiam ne occideretur, cum jam de inſidiis ejus Baſſianus quereretur: atque ideo una cum iis qui fautores fuerant Getæ, à militibus, non ſolum permittente, verum etiam ſuadente Antonino, occiſum. Multi dicunt Baſſianum, occiſo fratre, illi mandaſſe, *ut & in Senatu per ſe & apud Populum facinus dilueret*: illum autem reſpondiſſe. *Non tam facile parricidium excuſari poſſe, quam fieri.* Eſt etiam hæc fabella, quod dictare noluerit orationem qua invehendum erat in fratrem, ut cauſa ejus melior fieret qui occiderat: illum autem negantem, reſpondiſſe, *Aliud eſt parricidium, accuſare innocentem occiſum.* Sed hoc omnino non convenit: nam neque præfectus poterat dictare orationem; & conſtat eum quaſi fautorem Getæ occiſum. Et fertur quidem, Papinianum, cum raptus à militibus ad palatium traheretur occidendus, prædivinaſſe, dicentem, *Stultiſſimum fore qui in ſuum ſubrogaretur locum, niſi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret.* Quod factum eſt. Nam MACRINUS Antoninum occidit, ut ſupra expoſuimus: qui cum filio factus in caſtris Imperator, filium ſuum qui DIADUMENUS vocabatur, ANTONINUM voca-

Cauſæ cædis Papiniani.

Qui erat amiciſſimus Severo, ejuſque affinis.

Papiniani dictum de Caracalli parricidio.

(3) Germanicum ſe appellavit) Ut habet numus Tab. LVIII. num. 5. Conf. HEMELAR. Tab. XXXVI. num. 7. pag. 111. in quo ſimul ANTONINUS & AUGUSTUS vocatur.

(4) Poſt victoriam) Hanc Parthicam victoriam prædicat numus Tab. LVIII. num. 6. Conf. HEMELAR. Tab. XXXVI. num. 3 p. 110.

(5) Luni Dei gratia) Repræſentat Deum Lunum numus Tab. LVIII. num. 7. urbis Juliopolis, quæ in Bithynia fuit, in honorem Antonini Caracalli cuſus. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. p. 701.

vocavit, idcirco quod à prætorianis multum Antoninus desideratus est.

Caracalli ætas.

CAP. IX. Vixit autem Bassianus annis quadraginta tribus. Imperavit annis sex. Publico funere elatus est. Filium reliquit qui postea & ipse MARCUS ANTONINUS HELIOGABALUS est dictus: ita enim nomen Antoninorum inoleverat, ut velli ex animis hominum non posset; quod omnium pectora, velut Augusti nomen, obsederat. Fuit male moratus, & patre duro crudelior. Avidus cibi, vini etiam appetens, suis odiosus, & præter milites prætorianos, omnibus castris exosus: prorsus nihil inter fratres simile. Opera Romæ reliquit, thermas nominis sui eximias: quarum cellam solearem architecti negant posse ulla imitatione qua facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est spatium, ut idipsum fieri negent potuisse docti mechanici. Reliquit & porticum patris nomine, quæ gesta illius contineret, & triumphos & bella. Ipse CARACALLI nomen accepit à vestimento quod populo dederat demisso usque ad talos, quod ante non fuerat: unde hodieque *Antoninianæ* dicuntur Caracallæ hujusmodi, in usu maxime Romanæ plebis frequentatæ. Idem viam novam munivit, quæ est sub ejus thermis; Antoninianis scilicet, qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quidquam invenias. Sacra Isidis Romam deportavit, & templa ubique magnifica eidem Deæ fecit. Sacra etiam majore reverentia celebravit quam ante celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur; cum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut & Anubin portaret, & Pausas ederet: nisi forte iste addidit celebritati, non eam primus invexit. Corpus ejus Antoninorum sepulcro illatum est, ut ea sedes reliquias ejus acciperet, quæ nomen addiderat.

Antonini nomen vel Augusti amatum.

Caracalli mores.

Opera publica.

Unde Caracallus dictus.

Sacra Isidis celebrat.

Caracalli sepultura.

Caracallus novercam suam uxorem ducit.

CAP. X. Interest scire quemadmodum novercam suam Juliam (6) uxorem duxisse dicatur. Quæ cum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus, *Vellem, si liceret:* respondisse fertur, *Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est, nuptiasque eas celebravit, quas, si sciret se leges dare, vere solus prohibere debuisset. Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) duxit uxorem, ad parricidium junxit incestum: siquidem eam matrimonio sociavit cujus filium nuper occiderat. Non ab re est diasyrticum quiddam in eum dictum addere. Nam cum *Germanici* & *Parthici* & *Arabici* & *Alemannici* nomen adscriberet, (nam Alemaonorum gentem devicerat) Helvius Pertinax filius Pertinacis dicitur joco dixisse, *Adde, si placet, etiam* GETICUS MAXIMUS, quod Getam occiderat fratrem, & Gothi *Getæ* dicerentur; quos ille, dum ad Orientem transiit, tumultuariis præliis devicerat.

Ob cædem fratris joco lacessitus.

CAP. XI. Occidendi Getæ multa prodigia exstiterunt, ut in vita ejus exponemus. Nam quamvis prior ille è vita excesserit, nos tamen ordinem sequuti sumus, ut, qui & prior natus est & prior imperare cœperat, prior scriberetur. Eo sane tempore, quo ab exercitu appellatus est Augustus vivo patre, quod ille pedibus æger gubernare non posse videretur Imperium, contusis animis militum & tribunorum, Severus dicitur animo volutasse, ut & hunc occideret, nisi repugnassent præfecti ejus, graves viri. Aliqui contra dicunt, præfectos voluisse id fieri, sed Septimium noluisse, ne & severitas illius crudelitatis nomine inquinaretur: & cum auctores criminis milites fuerint, adolescens stultæ temeritatis pœnas lueret tam gravis supplicii titulo, ut à patre videretur occisus. Hic tamen omnium durissimus, &, ut uno complectamur verbo, parricidio & incestus, patris & matris & fratris inimicus, à Macrino qui eum occiderat, timore militum, ac maxime prætorianorum, inter Deos relatus est. Habet templum, habet salios, habet sodales Antoninianos, qui Faustinæ templum & divale nomen eripuit: certe templum quod ei sub Tauri radicibus fundaverat olim maritus Antoninus, in quo postea filius hujus Bassiani Heliogabalus Antoninus sibi, vel Jovi Syrio, vel Soli (incertum enim id est) templum fecit.

Cur Caracalli vita prior descripta quam Getæ.

Caracallus à Macrino inter Deos refertur.


ÆLII SPARTIANI
ANTONINUS GETA,
AD CONSTANTINUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Geta cur Antoninus dictus.

SCIO, Constantine Auguste, & multos, & clementiam tuam, quæstionem movere posse, cur etiam GETA ANTONINUS à me tradatur. De cujus priusquam vel vita vel nece dicam, disseram cur & ipsi *Antonini* à Severo patre sit nomen appositum. Neque etiam multa in ejus vita dici possunt, qui prius rebus humanis exemptus est quam cum fratre teneret Imperium. Septimius Severus quodam tempore cum consuluisset ac petiisset ut sibi indicaretur, quo esset successore moriturus, in somnis vidit Antoninum sibi succes-

(6) Uxorem duxisse dicatur) Habuit ante eam Antoninus Caracallus uxorem Plautillam, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 297. vide Tab. LIX. num. I.



Tab. LIX.
ad pag. 330. 333
338.
ÆR
I
PLAVTILLA AVGVSTA.
Δ
ÆR
II
VICT. PARTH. P.M. TR. P. II. COS. II. P. P.
S.C.
E
ÆR
III
PONTIF. MAX. TR. P. I.
S.C.
E
ÆR
IV
PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. P. P.
Γ
ÆR
V
LIBERALITAS AVG.
Γ
ÆR
VI
S. C.
Δ
ÆR
VII
SACERD. DEI SOLIS ELAGAB.
Γ
ÆR
VIII
INVICTVS SACERDOS AVG.
Γ



Similiter & Baſſianus Caracallus.

ſucceſſurum. Quare ſtatim ad milites proceſſit, & Baſſianum filium majorem natu *Marcum Aurelium Antoninum* appellavit. Quod cum feciſſet, paterna cogitatione, vel, ut quidam dicunt, à Julia uxore commonitus, quæ gnara erat ſomnii, quod minori filio hoc facto ipſe interclusiſſet aditum imperandi, etiam Getam minorem filium, *Antoninum* vocari juſſit. Itaque ſemper ab eo in epiſtolis familiaribus dictus eſt Antoninus, cum, ſi forte abeſſet, ſcriberet: *Salutate Antoninos filios & ſucceſſores meos.* Sed nihil valuit patris matriſve cautio. Nam ſolus ille ſucceſſit, qui primus Antonini nomen accepit. Et hæc de Antonini nomine.

Cur Geta dicitur.

CAP. II. Geta autem dictus eſt, vel à patrui nomine, vel avi paterni: de cujus vita & moribus in vita Severi Marius Maximus primo ſeptenario ſatis copioſe retulit. Fuit autem Antoninus Geta etiam ob hoc ita dictus, quod in animo habuit Severus, ut omnes deinceps principes quemadmodum *Auguſti*, ita etiam *Antonini* dicerentur: atque amore Marci, quem fuiſſe vel fratrem ſuum dicebat, & cujus philoſophiam literarumqua inſtitutionem ſemper imitatus eſt. Dicunt aliqui, non in Marci honorem tantum Antonini nomini delatum, cum id Marcus adoptivum habuerit, ſed in ejus, qui Pius cognominatus eſt, Hadriani ſcilicet ſucceſſoris: & quidem ob hoc, quod Severum ille ad fiſci advocationem delegerat ex formulario forenſi, cum ad tantos proceſſus ei patuiſſet dati ab Antonino primi gradus vel honoris auſpicium: ſimul quod nemo ei videretur felicior Imperator ad commodandum nomen, eo principe cujus proprium nomen jam per quatuor principes cucurriſſet. De hoc eodem Severus, gnarus genituræ illius, cujus, ut plerique Afrorum, peritiſſimus fuit, dixiſſe fertur: *Mirum mihi videtur, Juvenalis amantiſſime, Geta noſter divus futurus, cujus nihil imperiale in genitura video.* Erat enim Juvenalis præfectus ejus prætorio. Nec eum fefellit. Nam Baſſianus, cum eum occidiſſet, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretque poſſe mitigari facinus ſi *divum* fratrem appellaret, dixiſſe fertur: *Sit divus, dum non ſit vivus.* Denique eum inter divos retulit; atque ideo utcumque rediit cum fama in gratiam parricida.

Baſſianus Caracallus inter divos refert.

Geta quando natus.

CAP. III. Natus eſt Geta, Severo & Vitellio Conſulibus, Mediolani, etſi aliter alii prodiderunt, ſexto Calendas Junias, ex Julia, quam idcirco Severus uxorem duxerat, quod eam in genitura habere comperrat, ut regis uxor eſſet, iſque privatus, ſed jam optimi in republica loci. Statim ut natus eſt, nuntiatum eſt, ovum gallinam in aula peperiſſe purpureum. Quod cum allatum Baſſianus frater ejus accepiſſet, & quaſi parvulus applosum ad terram fregiſſet, Julia dixiſſe fertur joco, *Maledictus parricida, fratrem tuum occidiſti.* Idque joco dictum, Severus altius quam quiſquam præſentium accepit: à circumſtantibus autem poſtea, velut divinitus effuſum, approbatum eſt. Fuit etiam aliud omen. Nam cum in villa cujuſdam Antonini plebeji hominis, agnus natus eſſet, qui vellus in fronte purpureum habet, eadem die atque hora qua Geta natus eſt, audiſſetque ille ab aruſpice, poſt Severum, Antoninum imperaturum, ac de ſe ille augurаretur, ſed tamen tale fati timeret indicium, ferro eum adegit: quod & ipſum ſigno fuit, Getam ab Antonino interimendum, ut poſtea ſatis claruit. Fuit etiam aliud omen ingens poſtea, ut exitus docuit, hujus facinoris quod evenit. Nam cum infantis Getæ natalem Severus commendare vellet, hoſtiam popa nomine Antoninus percuſſit: quod tunc nec quæſitum nec animadverſum, poſt vero intellectum eſt.

Omina de Baſſiani Caracallæ parricidio.

Getæ mores.

CAP. IV. Fuit adoleſcens moribus aſperis, ſed non impiis, à natura decorus, tractator, guloſus, cupidus ciborum & vini varie conditi. Hujus illud pueri fertur inſigne, quod cum vellet partium diverſarum viros Severus occidere, & inter ſuos diceret, *Hoſtes vobis eripio;* conſentiretque adeo uſque Baſſianus, ut eorum etiam liberos, ſi ſibi conſuleret, diceret occidendos, Geta interrogaſſe fertur, *quantus eſſet interficiendorum numerus:* cumque dixiſſet pater; ille interrogavit, *Iſti habent parentes, habent propinquos?* cum reſponſum eſſet, *habere complures: Plures ergo in civitate*, ait, *plures erunt triſtes, quam læti, quod vicimus.* Et obtinuiſſet ejus ſententia, niſi Plautianus præfectus vel Juvenalis inſtitiſſent ſpe proſcriptionum, & quibus ditati ſunt. His accedebat Baſſiani fratris nimia crudelitas; qui cum contenderet & diceret quaſi joco quaſi ſerio, *omnes cum liberis occidendos partium diverſarum*, Geta ei dixiſſe dicitur, *Tu qui nulli parcis, potes etiam fratrem occidere.* Quod dictum ejus tunc nihil, poſt vero præſagio fuit.

Geta litterarum amator.

CAP. V. Fuit in litteris aſſequendis & tenax veterum ſcriptorum, & paternarum etiam ſententiarum memor, fratri ſemper inviſus, matri amabilior quam frater; ſubbalbe, tamen canorus. Veſtitus nitidi cupidiſſimus, ita, ut patri doleret: ſi quid acciperet à præſentibus, id ad ſuum contulit cultum, neque quidquam cuipiam dedit. Poſt Parthicum bellum cum ingenti gloria floreret, Baſſiano participe Imperii appellato, Geta quoque Cæſaris & Antonini, ut quidam dicunt, nomen accepit. Familiare illi fuit has quæſtiones grammaticis proponere, ut dicerent; ſingula animalia quomodo vocem emitterent, velut, *Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, urſi ſæviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, aſini rudunt, tauri mugiunt*, eaſque de veteribus approbare. Sereni Samonici libros familiariſſimos habuit, quos ille ad Antoninum ſcripſit. Habebat etiam iſtam conſuetudinem, ut convivia, & maxime prandia, per ſingulas litteras juberet, ſcientibus ſervis; velut in quo erat anſer, aprugna, anas: item pullus, perdix, pavus, porcellus, piſcis, perna, & quæ in eam litteram genera edulium caderent: & item faſianus, farta, fiſcus, & talia. Quare comis etiam habebatur in adoleſcentia.

Parricidium Baſſiani ægre ferunt milites.

CAP. VI. Occiſo eo pars militum quæ incorrupta erat, parricidium ægerrime accepit, dicentibus cunctis, duobus ſe liberis Severi fidem

dem promisisse, duobus servare debere: clausisque portis diu non est Imperator admissus. Denique nisi querelis de Geta editis, & animis militum delinitis, enormibus etiam stipendiis datis, Romam Bassianus redire non potuit. Post hæc denique & Papianus, & multi alii interempti sunt, qui vel concordiæ faverant, vel qui partium Getæ fuerant: ita ut utriusque ordinis viri & in balneo cœnantes, & in publico percuterentur: Papianus ipse securi percussus sit, improbante Bassiano quod non gladio res peracta sit. Ventum denique est usque ad seditionem urbanicianorum militum, quos quidem non levi auctoritate Bassianus compressit, tribuno eorum, ut alii dicunt, interfecto; ut alii, relegato. Ipse autem tantum timuit ut loricam sub lato habens clavo, etiam curiam sit ingressus, atque ita rationem facti sui & necis Geticæ reddiderit. Quo quidem tempora Helvius Pertinax, filius Pertinacis, qui postea est ab eodem Bassiano interemptus, recitanti Faustino prætorii & dicenti, *Sarmaticus maximus & Parthicus maximus*, dixisse dicitur, *Adde* & GETICUS MAXIMUS, quasi Gothicus: quod dictum altius in pectus Bassiani descendit, ut postea nece Pertinacis est approbatum: nec solum Pertinacis, sed & aliorum, ut supra dictum est, passim & inique. Helvium autem etiam suspectum habuit affectatæ tyrannidis, quod esset in amore omnium, & filius Pertinacis Imperatoris: quæ res nulli facile privato satis tuta est.

Papianus à Bassiano interemptus.

AntoninusCaracallus per jocum Geticus Maximus appellatur.

Helvius Pertinax à Caracallo occiditur.

CAP. VII. Funus Getæ accuratius fuisse dicitur quam ejus qui à fratre videretur occisus. Illatusque est majorum sepulcro, hoc est Severi, quod est in Appia via euntibus ad portam, dextrum, specie septizonii exstructum, quod sibi ille vivus ornaverat. Occidere voluit & matrem Getæ, Novercam suam, quod fratrem lugeret, & mulieres, quas post reditum de curia flentes reperit. Fuit præterea ejus immanitatis Antoninus, ut iis præcipuè blandiretur, quos ad necem destinabat, ut ejus magis blandimentum timeretur quam iracundia. Mirum sane omnibus videbatur, quod mortem Getæ toties ipse etiam fleret, quoties nominis ejus mentio fieret, quoties imago videretur aut statua. Varietas autem tanta fuit Antonini Bassiani, imo tanta sitis cædis, ut modo fautores Getæ, modo inimicos occideret, quos fors obtulisset. Quo facto magis Getæ desiderabatur.

Getæ sepultura.

Immanitas Antonini Caracalli.

JULII CAPITOLINI
OPILIUS MACRINUS
AD DIOCLETIANVM AUGUSTVM.

CAPUT I.

VITÆ illorum principum, seu tyrannorum, sive Cæsarum, qui non diu imperaverunt, in obscuro latent, idcirco quod neque de privata eorum vita digna sunt, quæ dicantur, cum omnino nescirentur quidem, nisi aspirassent ad Imperium: & de Imperio quod non diu tenuerunt, non multa dici possunt: nos tamen ex diversis historiis eruta in lucem proferemus, & ea quidem quæ memoratu digna erunt. Non enim est quisquam in vita, qui non ad diem quodcumque fecerit. Sed ejus, qui vitas aliorum scribere orditur, officium est, digna cognitione perscribere. Et Junio quidem Cordo studium fuit eorum Imperatorum vitas edere, quos obscuriores videbat: qui non multum profecit. Nam & pauca reperit, & indigna memoratu, asserens, se minima quæque persequuturum: quasi vel de Trajano, aut Pio, aut Marco sciendum sit, quoties processerit, quando cibos variaverit, & quando vestem mutaverit, & quos quando promoverit: quæ ille omnia exsequendo, libros mythistoriis replevit talia scribendo: cum omnino rerum vilium aut nulla scribenda sint, aut nimis pauca, si tamen ex his mores possint animadverti, qui revera sciendi sunt: sed ex parte conscribam, ut ex ea cetera colligantur.

Cur tyrannorum vitæ in obscuro lateant.

Junii Cordi institutum minus laudatum.

CAP. II. Occisio ergo Antonino Bassiano, OPILIUS MACRINUS præfectus prætorio ejus, qui antea privatas curarat, Imperium arripuit, humili natus loco, & animi atque oris inverecundi: seque nunc *Severum*, nunc *Antoninum*, cum in odio esset omnium & hominum, & militum, nuncupavit. Statimque ad bellum Parthicum profectus, & vindicandi se de militibus, & rumoribus, quibus premebatur, adolescendi potestatem dempsit: quamvis Senatus eum Imperatorem odio Antonini Bassiani libenter acceperit, cum in Senatu omnibus una vox esset: *quemvis magis quam parricidam, quemvis magis quam incestum, quemvis magis quam impurum, quemvis magis quam interfectorem & Senatus & Populi:* Et nimirum omnibus fortasse videatur, cur *Diadumenus* filius Macrini, *Antoninus* voluerit nuncupari, cum auctor necis Antoninianæ fuisse dicatur.

OpiliusMacrinus Imperium arripit. U. C. 969. P. C. N. 217.

Severum & Antoninum se nuncupat.

Senatus ei favet.

CAP. III. De ipso quæ in annales relata sunt, proferam. Vates Cœlestis apud Carthaginem, quæ deo repleta, solet vera canere, sub Antonino Pio, cum, sciscitante proconsule, de statu, ut solebat, publico, & de suo Imperio, futura prædicaret; ubi ad principes ventum est, clara voce numerari jussit, quoties diceret *Antoninum*, tuncque attentis omnibus, *Antonini* nomen *Augusti* octavo edidit. Sed credentibus cunctis quod octo annis Antoninus Pius imperaturus esset, & ille transcendit hunc annorum numerum, & constitit apud credentes, vel tunc, vel postea, per vatem aliud designatum. Denique adnumeratis omnibus qui Antonini appellati sunt, is Antoninorum numerus invenitur. Enimvero Pius primus, Marcus secundus, Verus tertius, Commodus quartus, quintus Caracallus, sextus

Antonini octo à vate designati.

Qui fuerint.

tus Geta, septimus Diadumenus, octavus Heliogabalus, Antonini fuere. Nec inter Antoninos referendi sunt duo Gordiani: qui aut prænomen Antoninorum habuerunt, aut etiam Antonii dicti sunt, non Antonini. Inde est, quod se & Severus *Antoninum* vocavit, & plurimi fuerunt, & Pertinax & Julianus, & idem Macrinus. Et ab ipsis Antoninis, qui veri successores Antonini fuerunt, hoc nomen magis quam proprium retentum est. Hæc alii. Sed alii idcirco *Antoninum* Diadumenum à Macrino patre appellatum ferunt, ut suspicio à Macrino interfecti Antonini Bassiani militibus tolleretur. Alii vero tantum desiderium nominis hujus fuisse dicunt, ut nisi Populus & milites Antonini nomen audirent, imperatorium non putarent.

Diadumenus cur Antoninus vocatus.

CAP. IV. Et de Macrino quidem in Senatu à multis, quando nuntiatum est Varium Heliogabalum Imperatorem, cum jam Cæsarem Alexandrum Senatus dixisset, ea dicta sunt, ut appareat ignobilem, sordidum, spurcum fuisse. Verba denique Aurelii Victoris, cui Pinio cognomen erat, hæc fuerunt: *Macrinum libertinum hominem prostibulum, servilibus officiis occupatum in domo imperatoria, venali fide, vita sordida sub Commodo, à Severo remotum etiam à miserrimis officiis, relegatumque in Africam, ubi ut infamiam damnationis tegeret, lectioni operam dedisse, egisse causulas, declamasse, jus postremo dixisse. Donatum autem anulis aureis, patrocinante sibi liberto suo Festo, advocatum fisci factum sub Vero Antonino.* Sed & hæc dubia ponuntur, & alia dicuntur ab aliis, quæ ipsa quoque non tacebimus. Nam plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuisse dixerunt, & accepta rudi, ad Africam isse: venatorem primo, post etiam tabellionem fuisse, deinceps advocatum fuisse fisci: ex quo officio ad amplissima quæque pervenit. Deinde cum esset præfectus prætorio, collega ablegato, Antoninum Caracallum Imperatorem suum interemit, tanta fictione, ut ab eo non videretur occisus. Nam stratore ejus redempto, & spe ingenti proposita, id egit, ut quasi militaribus insidiis, quod vel ob parricidium vel incestum displiceret, interemptus diceretur.

Macrini origo adolescentia & vita ignobilis.

CAP. V. Statim denique arripuit Imperium, filio Diadumeno in participatum adscito, quem continuo, ut diximus, *Antoninum* appellari à militibus jussit. Deinde corpus Antonini Romam remisit sepulcris majorum inferendum. Mandavit collegæ dudum suo præfecto prætorii, ut munus suum curaret, ac præcipue Antoninum honorabiliter sepeliret ducto funere regio: quod sciebat ob vestimenta Populo & congiaria data, multum Antoninum à plebe dilectum. Accedebat etiam illud, quod militarem motum timebat, ne eo interveniente, suum impediretur Imperium: quod raptum ierat, sed quasi invitus acceperat; *ut sunt homines, qui ad ea se cogi dicunt, quæ vel sceleribus comparant.* Timuit autem etiam collegam, ne & ipse imperare cuperet, sperantibus cunctis, quod si vel unius numeri consensus accederet, neque ille recusaret, & omnes cupidissime id facerent, odio Macrini, vel propter vitam improbam, vel propter ignobilitatem, cum omnes superiores, nobiles fuissent Imperatores. Insulsit præterea nomen Severi, cum illius nulla cognatione tangeretur: unde jocus exstitit, *Si Macrinus est Severus, quomodo Diadumenus Antoninus.* Statim tamen ad delendum militum motum, stipendium & legionariis & prætorianis dedit solito uberius: utpote qui extenuare cuperet Imperatoris occisi crimen: *profuitque pecunia, ut solet, cui innocentia prodesse non poterat.* Retentus est enim aliquando tempore in Imperio homo vitiorum omnium. Ad Senatum deinde litteras misit de morte Antonini, *Divum* illum appellans, excusansque se, & jurans, quod de cæde illius nescierit. Ita sceleri suo, more hominum perditorum, junxit perjurium, à quo incipere decuit hominem improbum.

Diadumenus à patre in fortium Imperii adscitus.

Caracalli sepulturam curat Macrinus.

Macrinus joco lacessitus ob Severi nomen.

CAP. VI. Cum ad Senatum scriberet, interest scire, cujusmodi oratio fuerit, qua se excusavit, ut impudentia hominis noscatur & sacrilegium, à quo initium sumpsit improbus Imperator. Capita ex oratione Macrini & Diadumeni Imperatorum: *Vellemus, Patres Conscripti, & incolumi Antonino nostro, & revecto cum triumpho, vestra clementiam videre. Tunc demum enim florente republica & omnes felices essemus, & sub eo principe viveremus, quem nobis Antoninorum loco dii dederant. Verum quia id evenire per tumultum militarem non potuit; nuntiamus primum quid de nobis exercitus fecerit: deinde honores divinos (quod primum faciendum est) decernimus ei viro, in cujus verba juravimus: cum exercitus ultorem cædis Bassiani neminem digniorem præfecto ejus putavit, cui & ipse utique vindicandam factionem mandasset, si vivis deprendere potuisset.* Et infra: *Detulerunt ad me Imperium, cujus ego, Patres Conscripti, interim tutelam recepi; tenebo regimen, si & vobis placuerit, quod militibus placuit: quibus & stipendium dedi, & omnia imperatorio more jussi.* Item infra: *Diadumenum filium meum vobis notum, & Imperio miles donavit, & nomine, Antoninum videlicet appellans, ut cohonestaretur prius nomine, sic etiam regni honore: quod vos, Patres Conscripti, bono faustoque omine approbetis petimus, ne vobis desit Antoninorum nomen, quod maxime diligitis.* Item infra: *Antonino autem divinos honores & miles decrevit, & nos decrevimus: & vos, Patres Conscripti, ut decernatis, cum possimus imperatorio jure præcipere, tamen rogamus; dicantes & duas statuas equestres, pedestres duas habitu militari, sedentes civili habitu duas: item divo Severo duas triumphales. Quæ omnia, Patres Conscripti, vos impleri jubebitis, nobis religiose pro prioribus ambientibus.*

Macrinus apud Senatum perjuriose excusat de cæde Caracalli.

CAP. VII. Lectis igitur in Senatu litteris, contra opinionem omnium, & mortem Antonini Senatus gratanter accepit, & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum sperans primum in patricios allegit, novum hominem & qui paullo ante procurator privatæ rei fuisset. Eundem, cum scriba pontificum esset, (quos hodie *pontifices minores* vocant) Pontificem Maximum appellavit, *Pii* nomine decreto. Diu tamen, lectis litteris, cum omnino nemo crederet de Antonini morte, silentium fuit. Sed posteaquam constitit occisum, Senatus in eum velut in tyrannum invectus

Inter patricios à Senatu lectus.

Pontifex Maximus appellatus.

vectus eſt. Denique ſtatim Macrino & proconſulare imperium, & poteſtatem tribunitiam detulerunt. Filium ſane ſuum, cum ipſe *Felicis* nomem recepiſſet, ut ſuſpicionem occiſi à ſe Antonini Baſſiani removeret, *Antoninum* vocavit, *Diadumenum* antea dictum. Quod quidem etiam Varius Heliogabalus, qui ſe Baſſiani filium diceret, homo ſordidiſſimus, & ex meretrice conceptus, idem poſtea nomen accepit. Denique verſus exſtant cujuſdam poëtæ, quibus oſtenditur, Antonini nomen cœpiſſe à Pio, & paullatim per Antoninos uſque ad ſordes ultimas perveniſſe: ſiquidem ſolus Marcus nomen illud ſanctum vitæ genere auxiſſe videtur, Verus autem degeneraſſe, Commodus vero etiam polluiſſe ſacri nominis reverentiam. Jam quid de Caracallo Antonino quidve de hoc poteſt dici? poſtremo etiam quid de Heliogabalo, qui Antoninorum ultimus in ſumma impuritate vixiſſe memoratur.

Antonini nomen in Pio ortum, per gradus ad ſordes ultimas venit.

CAP. VIII. Appellatus igitur Imperator, ſuſcepto bello contra Parthos, profectus eſt magno apparatu, ſtudens ſordes generis & prioris vitæ infamiam victoriæ magnitudine abolere. Sed conflictu habito contra Parthos, defectu legionum quæ ad Varium Heliogabalum confugerant, interemptus eſt. Sed anno amplius imperavit. Sane cum eſſet inferior in eo bello quod Antoninus geſſerat, Artabane graviter necem ſuorum civium vindicante, primo Macrinus repugnavit: poſtea vero miſſis legatis petiit pacem, quam libenti animo interfecto Antonino Parthus conceſſit. Inde cum ſe Antiochiam recepiſſet, ac luxuriæ operam daret, juſtam cauſam interficiendi ſui præbuit exercitui, ac Baſſiani (ut putabatur) filium ſequendi, id eſt *Heliogabalum Baſſianum Varium*, qui poſtea & *Baſſianus* & *Antoninus* appellatus eſt.

Macrinus interficitur.

CAP. IX. Fuit quædam mulier Mæſa, ſive Varia, ex Emiſſena urbe, ſoror Juliæ uxoris Severi Pertinacis Afri, quæ poſt mortem Antonini Baſſiani ex aulica domo fuerat expulſa per Macrini ſuperbiam; cui quidem omnia conceſſit Macrinus quæ diu illa collegerat. Huic erant duæ filiæ, Semiamira & Mammæa, quarum majori filius erat Heliogabalus, qui & Baſſiani & Antonini nomen accepit. Nam Heliogabalum Phœnices vocant ſolem. Sed Heliogabalus pulchritudine ac ſtatura & ſacerdotio conſpicuus erat, ac notus omnibus hominibus qui ad templum veniebant, militibus præcipue. His Mæſa, ſive Varia, dixit, Baſſianum filium eſſe Antonini, quod paullatim omnibus militibus innotuit. Erat præterea Mæſa ipſa ditiſſima, ex quo etiam Heliogabalus luxurioſiſſimus: qua promittente militibus, legiones abductæ ſunt Macrino. Suſcepta enim illa nocte in oppidum cum ſuis, nepos ejus *Antoninus* eſt appellatus, Imperii delatis inſignibus.

Mæſa Heliogabali avia.

Ex aulica domo à Macrino expulſa.

Nepoti Imperium ambit.

Qui & Imperii inſignibus ornatur.

CAP. X. Hæc ubi ſunt Macrino apud Antiochiam poſito nuntiata, miratus audaciam muliebrem, ſimul etiam contemnens, Julianum præfectum ad obſidendos eos cum legionibus inclinatis, occiſo Juliano præfecto ad eum omnes tranſierunt. Deinde parte exercitus conjuncta, venit contra Macrinum Antoninus contra ſe feſtinantem: commiſſoque prælio, Macrinus eſt victus proditione militum ejus, & amore Antonini. Fugiens ſane Macrinus cum paucis & filio, in vico quodam Bithyniæ occiſus eſt cum Diadumeno: ablatumque ejus caput eſt, & ad Antoninum perlatum. Sciendum præterea, quod Cæſar fuiſſe dicatur, non Auguſtus Diadumenus puer, quem plerique pari fuiſſe cum patri Imperio tradiderunt. Occiſus eſt etiam filius, cui hoc ſolum attulit Imperium, ut interficeretur à milite. Non enim aliquid dignum in ejus vita erat quod dicatur, præter hoc, quod Antoninorum nomini eſt velut nothus appoſitus.

Contra Macrinum feliciter pugnat.

Diadumenus cum patre occiſus. U. C. 970. p. C. N. 218.

CAP. XI. Fuit Macrinus tamen in vita imperatoria paullo rigidior & auſterior, ſperans ſe ante acta omnia poſſe oblivioni dare, cum ipſa ſeveritas illius, occaſionem reprehendendi & lacerandi ejus aperiret. Nam & *Severum* ſe & *Pertinacem* voluerat nuncupari: quæ duo illi aſperitatis nomina videbantur. Et cum illum Senatus *Pium* ac *Felicem* nuncupaſſet, Felicis nomen recepit, Pii habere noluit. Unde in eum epigramma illatum Græci cujuſdam poëtæ videtur exſtare, quod Latine hac ſententia continetur:

Macrini cognomina.

Epigramma in Felicis cognomen.

> *Hiſtrio jam ſenior turpis, gravis, aſper, iniquus,*
> *ImPIUS, & FELIX ſic ſimul eſſe cupit.*
> *Ut nolit PIUS eſſe, velit tamen eſſe BEATUS:*
> *Quod natura negat, nec recipit ratio.*
> *Nam PIUS & FELIX poterat dici atque videri,*
> *Cui Imperium inFELIX eſt, erit ille PIUS.*(i)

Hos verſus neſcio quis de Latinis, juxta eos qui Græci erant propoſiti, in foro poſuit: quibus acceptis, Macrinus his verſibus reſpondiſſe fertur,

Reſponſio Macrini.

> *Si talem Grajum retuliſſent fata poëtam,*
> *Qualis Latinus Gabalus iſte fuit,*
> *Nil populus noſſet, nil noſſet curia, magno*
> *Nullus ſcripſiſſet carmina tetra mihi.*

His verſibus Macrinus, longe pejoribus quam illi Latini ſunt, reſpndiſſe ſe credidit: ſed non minus eſt riſui habitus quam poëta ille qui de Græco Latine coactus eſt ſcribere.

CAP. XII. Fuit igitur ſuperbus & ſanguinarius, & volens militariter imperare, incuſans quinetiam ſuperiorum temporum diſciplinam, ac ſolum Severum præceteris laudans. Nam in crucem milites tulit, & ſervilibus ſuppliciis ſemper affecit: & cum ſeditiones militares pateretur, milite ſæpius decumavit, aliquando etiam centeſimavit: quod verbum proprium ipſius eſt, cum ſe clementem diceret, quando eos centeſimaret qui digni eſſent decumatione atque viceſimatione. Longum eſt ejus crudelitates omnes aperire: attamen unam oſtendam non magnam, ut ipſe credebat, ſed omnibus tyrannicis immanitatibus triſtiorem. Cum quidam milites ancillæ hoſpitis pudorem depravaſſe ſuſpecti eſſent, atque per quendam frumentarium ille didiciſſet, adduci eos juſſit, interrogavitque utrum eſſet factum; quod cum conſtitiſſet, duos boves miræ

Macrini crudelitas.

(i) al. ſibi.

ræ magnitudinis vivos ſubito aperiri juſſit, atque his ſingulos milites inſeri, capitibus, ut ſecum colloqui poſſent, exſertis. Itaque pœna hos affecit, cum ne adulteris quidem talia apud majores vel ſui temporis eſſent conſtituta ſupplicia. Pugnavit tamen (7) & contra Parthos, & contra Armenios, & contra Arabas quos Eudæmonas vocant, non minus fortiter quam feliciter. Tribunum qui excubias deſeri paſſus eſt, carpento rotali ſuperadnexum, per totum iter vivum atque exanimem traxit. Reddidit etiam Menzentii ſupplicium, quo ille vivos mortuis illigabat, & ad mortem cogebat longa tabe confectos. Unde etiam in circo, cum favor publicus in Diadumenum ſe proſeruiſſet, (*k*) acclamatum.

Ejus res geſtæ.

Egregius forma juvenis, cui pater haud Mezentius eſſet.

Vivos etiam homines parietibus incluſit, & ſtruxit. Adulterii reos ſemper vivos ſimul incendit, junctis corporibus. Servos qui à dominis fugiſſent, repertos, ad gladium ludi deputabat. Delatores, ſi non probarent, capite affecit: ſi probarent, delato pecuniæ præmio, infames dimiſit.

CAP. XIII. Fuit in jure non incallidus, adeo ut ſtatuiſſet omnia reſcripta veterum principum tollere, ut jure, non reſcriptis ageretur, nefas eſſe dicens, leges videri Commodi & Caracalli & hominum imperitorum voluntates, cum Trajanus numquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſas facta præferrentur, quæ ad gratiam compoſita viderentur. (8) In annonis tribuendis largiſſimus fuit: in auro parciſſimus. In vernaculis vel aulicis tam impius, tam pertinax, tam aſper, ut ſervi illum ſui non Macrinum dicerent, ſed *Macellinum*, quod macelli ſpecie domus ejus cruentaretur ſanguine vernularum. Vini cibique avidiſſimus, nonnunqam uſque ad ebrietatem: ſed veſpertinis horis. Nam ſi prandiſſet vel privatim parciſſimus, in cœna effuſiſſimus. Adhibuit convivio litteratos, ut loquens de ſtudiis liberalibus neceſſario abſtineret.

Macrinus Macellinus dicitur.

CAP. XIV. Sed cum ejus utilitatem homines antiquam cogitarent, crudelitatem nimiam viderent, hominem putidulum in Imperio ferre non poſſent, & maxime milites, qui multa ejus meminerant funeſtiſſima, & aliquando turpiſſima, inita factione illum occiderunt cum puero ſuo Diadumeno, ſcilicet Antonino cognomine, de quo dictum eſt, quod in ſomnis Antoninus fuiſſet. Unde etiam verſus exſtant hujuſmodi:

Diadumenus in ſomnis Antoninus.

Vidimus in ſomnis cives (niſi fallor) & iſtud:
Antoninorum nomen puer ille gerebat:
Qui parte venali genitus, ſed matre pudica:
Centum nam mœchos paſſa eſt centumq; rogavit,
Ipſe etiam calvus mœchus fuit, inde maritus:
En pius, en Marcus: Verus nam non fuit ille.

Et iſti verſus ex Græco tranſlati in Latinum. Nam Græce ſunt diſſertiſſimi. Videntur autem mihi ab aliquo poëta vulgari tranſlati eſſe. Quod cum Macrinus audiſſet, fecit jambos qui non exſtant: jucundiſſimi autem fuiſſe dicuntur. Qui quidem perierunt in eo tumultu in quo ipſe occiſus eſt, quando & omnia ejus à militibus pervaſtata (*l*) ſunt.

CAP. XV. Genus mortis, ut diximus, tale fuit: Cum in Antoninum Heliogabalum exercitus inclinaſſet, ille fugit, belloque victus eſt & occiſus in ſuburbano Bithyniæ, ſuis partim occiſis, partim fugatis. Ita Heliogabalus clarus redditus eſt, quod videretur patris vindicaſſe mortem: atque inde in Imperium venit, quod dedecoravit vitiis ingentibus, luxuria, turpitudine, abliguritione, ſuperbia, immanitate: qui & ipſe ſimilem exitum vitæ ſuæ ſortitus eſt. Hæc de Macrino nobis ſunt cognita, multis aliqua variantibus, ut ſe habet omnis hiſtoria: quæ de plurimis collecta, ſerenitati tuæ, Diocletiane Auguſte, detulimus, quia te cupitum veterum Imperatorum eſſe perſpeximus.

Mortis Macrini circumſtantiæ.


(*k*) al. ſemper fuiſſet. (*l*) al. perverſa.

(7) Pugnavit contra Parthos) De quibus victoriam reportaſſe, teſtatur numus Cimeliarchii noſtri Tab. LIX. num. 2. MEDIOBARB. p. 307. Triumphum quamvis de hac victoria non egerit, nihilominus ab Adulatoribus numus Tab. LIX. num. 3. in ſpem futuri triumphi cuſus eſt. De quo conf. BEGER. T. II. p. 709.

(8) In annonis tribuendis largiſſimus fuit) De hac liberalitate Macrini Imperatoris loquuntur numi Tab. LIX. num. 4. & 5. BEGER l. c. p. 708.



ÆLII



ÆLII LAMPRIDII ANTONINUS DIADUMENUS.

CAPUT I.

Diadumenus in vita nihil habet memorabile, nisi quod Antoninus dictus.

Antonini Diadumeni pueri, quem cum patre Opilio Macrino Imperatorem dixit exercitus, occiso Bassiano factione Macriniana, nihil habet vita memorabile, nisi quod Antoninus est dictus, & quod ei stupenda omina sunt facta Imperii non diuturni: ut evenit. Nam cum primum innotuit per legiones, occisum esse Bassianum, ingens mœror obsedit omnium pectora, quod Antoninum in republica non haberent, existimantium, quod cum eo Romanum esset Imperium periturum. Id ubi Macrino jam Imperatori nuntiatum est, veritus ne in aliquem Antoninorum, qui multi ex affinibus Antonini Pii erant inter duces, exercitus inclinaret, statim concionem parari jussit, filiumque suum hunc puerum (*a*) Antoninum appellavit. Concionis verba ejusdem: *Videtis commilitones, & me ætatis provectæ, & Diadumenum puerum: quem diu principem, si dii faveant, habebitis. Intelligo præterea desiderium ingens Antonini nominis apud vos manere: quare quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ non multum superesse videtur ad vitam, hunc puerum Antoninum vobis auctoribus nuncupo, diu vobis Antoninum repræsentaturum.* Acclamatum, *Macrine Imperator, dii te servent. Antonine Diadumene, dii te servent. Antoninum divum omnes rogamus: Jupiter optime maxime Macrino & Antonino vitam. Tu scis Jupiter, Macrinus vinci non potest: Tu scis Jupiter, Macrinus vinci non potest. Antoninum habemus: omnia habemus. Antoninum nobis dii dederunt patrem. Antoninus dignus Imperio.*

CAP. II. Macrinus Imperator dixit: *Habete igitur commilitones pro Imperio aureos ternos. Pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas promotiones, sed geminatas: Dii faciant ut hæc sæpius fiant. Dabimus autem per cuncta quinquennia id quod hodie deputavimus.* Post hoc ipse puerulus Diadumenus Antoninus Imperator dixit: *Gratias ago vobis commilitones, quod me & Imperio donastis & nomine: siquidem dignos & me & patrem meum duxistis quos Imperatores Romanos diceretis, & quibus committeretis rempublicam. Et pater quidem meus curabit ne desit Imperio: ego autem elaborabo ne desim nomini Antoninorum. Scio enim me Pii, me Marci, me Veri suscepisse nomen: quibus satisfacere perdifficile est. Interim tamen causa Imperii, causa nominis, id omne quod pater, & tantundem promitto, honoribus, ut venerandus Macrinus pater præsens promisit, duplicatis.* Herodianus Græcus scriptor hæc præteriens, Diadumenum tantum Cæsarem dicit puerum à militibus nuncupatum, & cum patre occisum. Hac habita concione, (1) statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est: Macrini, usque ad jussum Senatus dilata est. Missæ etiam ad Senatum litteræ, quibus nomen Antonini indicatum est. Quare etiam Senatus Imperium id libenter dicitur recepisse: quamvis alii Antonini Caracalli odio id factum putent. Paraverat sane pænulas Populo coloris rosei dare Macrinus Imperator in honorem Antonini filii sui, quæ vocaren-

De qua appellatione moneta percussa.

Et litteræ ad Senatum missæ.

(*a*) al. filiumque suum tunc puerum.

(1) Statimque apud Antiochiam moneta . . . percussa est) Est hæc illa moneta, quam exhibemus Tab. LIX. num. 6. & PATINUS in Numism. Impp. Romanor. ex ære med. & minimæ formæ p. 261. fusius explicat.

vocarentur *Antoninianæ*, ut *Caracallæ* Bassiani dictæ sunt, asserens, melius filium suum *Pænuleum* vel *Pænularium* dicendum, quia *Caracallus* esset dictus Bassianus. Congiarium etiam per edictum Antoninianum promisit, ut ipsum edictum poterit indicare. Verba edicti: *Vellem, Quirites, jam præsentes essemus: Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret. Daret præterea & pueros Antoninianos, & puellas Antoninianas, quæ tam grati nominis gloriam propagarent*: & reliqua.

CAP. III. His ita gestis, signa in castris & vexilla fieri Antoniniana jussit. Fecitque Bassiani simulacra ex auro atque argento, atque dies septem supplicatio pro Antonini nomine celebrata est. Puer fuit omnium speciosissimus, statura longiuscula, crine flavo, nigris oculis, naso deducto, ad omnem decorem, mento composito, ore ad oscula parato, fortis naturaliter, exercitio delicatior. Hic ubi primum indumenta coccea & purpurea ceteraque castrensia Imperii insignia accepit, quasi sidereus & cœlestis emicuit, ut amaretur ab omnibus gratia venustatis. Hæc sunt quæ de Imperio pueri dicenda putavi. Nunc veniamus ad omina Imperii, quæ cum in aliis, tum in hoc præcipue sunt stupenda.

Diadumeni forma corporis.

CAP. IV. Die qua natus est, pater ejus purpuras tum forte procurator jam ærarii majoris inspexit, & quas claras probavit, in id conclave redigi præcepit, in quo post duas horas Diadumenus natus est. Solent deinde pueri pileo insigniari naturali, quod obstetrices rapiunt, & advocatis credulis vendunt, siquidem causidici hoc juvari dicuntur: at iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue, sed ita forte ut rumpi non potuerit, venis intercedentibus specie nervi sagittarii. Ferunt denique *Diadematum* puerum appellatum: sed ubi adolevit, avi sui nomine materni, *Diadumenum* vocatum, quamvis non multum abhorruerit ab illo signo Diadematis nomen Diadumeni. In agro patris ejus purpureas duodecim ferunt natas, quarum una tantum varia fuerit. Eadem die, qua hic natus est, aquilam ei constat sensim palumbum regium parvulum attulisse, & posuisse in cunis dormienti, ac recessisse sine noxa. Pantagathi in domo patris ejus nidum posuerunt.

Omina Imperii Diadumeni.

CAP. V. His diebus quibus ille natus est, mathematici accepta genitura ejus exclamaverunt, & ipsum filium Imperatoris esse & ipsum Imperatorem: quasi mater ejus adulterata esset, quod fama retinebat. Huic eidem aquila in agra ambulanti tulit: & cum comitum infantis clamor esset factus, in monumento regio quod juxta villam esset, in qua tunc pater agebat, supra statuam regis posuit, ita ut capiti ejus aptaret, quod multi ominosum putarunt & morti accommodum. Clarum autem eventus ostendit. Natus est præterea natali Antonini, & ea hora & signis prope continentibus, quibus & Antoninus Pius: quare dixerunt mathematici, & Imperatoris illum filium futurum, & Imperatorem, sed non diu. Die qua natus est (quod Antonini esset natalis) mulier quædam propinqua dicitur exclamasse, *Antoninus vocetur*; sed Macrinum timuisse, quod nullus ex ejus genere hoc nomine censeretur, abstinuisseque nomine Imperatorio, simul quod jam rumor de vi genituræ illius emanasset. Hæc atque alia omina fuisse multi in litteras retulerunt: sed illud præcipue, quod cum in cunis esset Diadumenus, & leo ruptis vinculis, & quidem ferus, effugisset, atque ad incunabula ejus venisset, puerum delinxit, & inviolatum reliquit, cum nutrix se in leonem misisset, atque ejus morsu affecta periisset, quæ sola forte in areola inventa erat, in qua infans jacebat.

A mathematicis filius Imperatoris & ipse Imperator dicitur.

A muliere quadam Antoninus.

CAP. VI. Hæc sunt quæ digna memoratu in Antonino Diadumeno esse videantur: cujus vitam junxissem patris gestis, nisi Antoninorum nomen me ad edendam puerilis specialem expositionem vitæ coëgisset. Et fuit quidem tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, ut qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur Imperium. Unde etiam quidam & Severum, & Pertinacem, & Julianum, Antoninorum prænominibus honorandos putant: unde postea duos Gordianos, patrem & filium, Antoninos cognominatos putent. Sed aliud est cum prænomen adsciscitur, aliud cum ipsum nomen imponitur. Nam Pius verum nomen Antonini habuit, cognomen Pii: Marcus verum nomen Verissimi habuit; sed hoc sublato atque abolito, non prænomen Antonini, sed nomen accepit. Verus autem Commodi nomen habuit: quo abolito, Antonini non prænomen, sed nomen accepit. Commodum autem Marcus Antoninum appellavit, atque ita in publicum edidit diem natalis sui. Jam Caracallum Bassianum satis constat vel somnii causa, quod Severus viderat, cum sibi Antoninum successorem prædictum sensisset, anno demum decimo tertio Antoninum dixisse, quando ei etiam Imperatoriam addidisse dicitur potestatem. Getam vero, quem multi Antoninum negant dictum, eadem ratione qua Bassianum appellatum, satis constat, ut patri Severo succederet, quod minime factum est. Post hoc ipse Diadumenus ut commendaretur exercitui, Senatui Populoque Romano, essetque ingens desiderium Bassiani Caracallæ, Antoninum appellatum, satis constat.

Antoninorum nomen valde amabile.

CAP. VII. Exstat epistola Opilii Macrini patris Diadumeni, qua gloriatur non tam se ad Imperium pervenisse, qui esset secundus Imperii, quam quod Antoniani nominis esset pater factus, quo clarius illis temporibus non fuerat vel deorum. Quam epistolam priusquam intexam,(*b*) libet versus inserere in Commodum dictos, qui se Herculem appellaverat, ut intelligant omnes, tam clarum fuisse Antoninorum nomen, ut illi nec deorum nomen commode videretur adjungi. Versus in Commodum Antoninum dicti:

Opilii Macrini Epistola ad uxorem de Diadumeni nomine adscititio Antonini.

Commodus Herculeum nomen habere cupit;
Antoninorum non putat esse bonum:
Expers humani juris & Imperii:
Sperans quinetiam clarius esse deum,
Quam si sit princeps nominis egregii:
Non erit iste deus, nec tamen ullus homo.

Uu Hi

(*b*) al. interseram.

Hi verſus à Græco neſcio quo compoſiti, à malo poëta in Latinum translati ſunt: quos ego idcirco inſerendos putavi, ut ſcirent omnes, Antoninos pluris fuiſſe quam deos, ac trium principum amorem, quo ſapientia, bonitas, pietas, conſecrata ſit; in Antonino pietas, in Vero bonitas, in Marco ſapientia. Redeo nunc ad epiſtolam Macrini Opilii. *Opilius Macrinus Noniæ Celſæ conjugi. Quid boni adepti ſimus, mea uxor, caret æſtimatione, & fortaſſis de Imperio me putes dicere. Non magnum iſtud, quod etiam indignis fortuna conceſſit. Antonini pater factus ſum. Antonini mater es facta. O nos beatos, ô fortunatam domum, præclaram laudem nunc demum felicis Imperii. Dii faxint & bona Juno quam colis, ut & ille Antonini meritum effingat, & ego qui ſum pater Antonini, dignus omnibus videar.*

CAP. VIII. Hæc epiſtola indicat, quantum gloriæ adeptus ſibi videretur, quod vocatus eſt filius Antoninus. Hic tamen quartodecimo menſe Imperii, ob incivilem patris atque aſperum principatum, interfectus eſt cum patre, non ſuo nomine. Quamvis etiam iſtum ultra ætatem ſæviſſe in pleroſque reperiam, ut docent litteræ ab hoc eodem ad patrem miſſæ. Nam cum quidam defectionis ſuſpicionem incurriſſent, & eos Macrinus ſæviſſime puniſſet, filio forte abſente, atque hic audiſſet, auctores quidem defectionis occiſos, quorum tamen unus, dux Armeniæ erat, & item legatos Aſiæ atque Arabiæ, ob antiquam familiaritatem dimiſſos, his litteris conveniſſe patrem dicitur, paribus miſſis etiam ad matrem, quarum exemplum hiſtoriæ cauſa inſerendum putavi. *Patri Auguſto filius Auguſtus. Non ſatis, mi pater, videris in amore noſtro tenuiſſe tuos mores, qui tyrannidis affectatæ conſcios reſervaſti, ſperans eos vel amiciores tibi futuros ſi iis parceres, vel ob antiquam familiaritatem dimittendos: quod nec debuit fieri, nec potuit. Nam primum omnium jam te exulcerati ſuſpicionibus amare non poſſunt. Denique crudeliores inimici ſunt, qui obliti veteris familiaritatis ſe inimiciſſimis tuis junxerunt. Adde quod exercitus adhuc habent.*

[Margin: Diadumeni pueri ſævitiam.]

[Margin: Teſtatur epiſtola ad patrem.]

Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Aſcanium ſurgentem, & ſpes heredis Juli
Reſpice, cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debetur.

Feriendi ſunt iſti, ſi vis eſſe ſecurus. Nam vitio generis humani alii non ſunt defuturi, cum iſti ſervantur. Hanc epiſtolam quidam ipſius, quidam magiſtri ejus Cæliani ferunt, Afri quondam rhethoris. Ex qua apparet, quam aſper futurus juvenis, ſi vixiſſet.

CAP. IX. Exſtat alia epiſtola ad matrem ab eodem deſtinata talis: *Dominus noſter & Auguſtus nec te amat, nec ipſum ſe, qui inimicos ſuos ſervat. Age igitur ut Arabianus, & Tuſcus, & Gellius ad palum deligentur: ne, ſi occaſio fuerit, nos interimant.* Et, quantum Lollius Urbicus in hiſtoria ſui temporis dicit, iſtæ litteræ per notarium proditæ, illi puero multum apud milites obfuiſſe dicuntur. Nam, cum patrem occidiſſent, quidam hunc ſervare voluerunt: ſed exſtitit cubicularius, qui has epiſtolas concioni militum legit. Interfectis igitur ambobus, & capitibus pilo circumlatis, in Marcum Aurelium Antoninum, caritate nominis, inclinavit exercitus. Is filius Baſſiani Caracalli ferebatur. Erat autem templi Heliogabali ſacerdos, homo omnium impuriſſimus, & qui fato quodam Romanum deformaverit Imperium. De quo quidem, quia multa ſunt dicenda, loco ſuo diſſeram.

[Margin: Et alia epiſtola ad matrem.]

[Margin: Diadumenus cum patre occiditur.]

ÆLII LAMPRIDII
ANTONINUS HELIOGABALUS.
AD CONSTANTINUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

[Margin: Cur vita Heliogabali deſcribatur.]

VItam Heliogabali Antonini impuriſſimam, qui VARIUS etiam dictus eſt, numquam in litteras miſiſſem, ne quis fuiſſe Romanorum principem ſciret, niſi ante Caligulas, & Nerones, & Vitellios, hoc idem habuiſſet Imperium. Sed cum eadem terra & venena ferat & frumentum, atque alia ſalutaria, alia contraria, eadem ſerpentes & ciconias, compenſationem ſibi lector diligens faciet, cum legerit Auguſtum, Veſpaſianum, Titum, Trajanum, Hadrianum, Pium, Marcum, contra hos prodigioſos tyrannos, ſimul intelliget Romanorum judicia: quod illi & diu imperarunt, & exitu naturali functi ſunt; hi vero interfecti, tracti, tyranni etiam appellati, quorum nec nomina libet dicere. Igitur occiſo Macrino, ejuſque filio Diadumeno, qui, pari poteſtate Imperii, Antonini etiam nomen acceperat, in Varium Heliogabalum Imperium collatum eſt, idcirco quod Baſſiani filius diceretur. Fuit autem Heliogabalus, vel Jovis, vel (2) Solis ſacerdos, atque Antonini ſibi nomen adſciverat, vel in argumentum generis, vel quod id nomen uſque adeo carum eſſe cognoverat gentibus, ut etiam parricida Baſſianus cauſa nominis amaretur. Et hic quidem prius dictus eſt *Varius*, poſt *Heliogabalus*, à ſacerdotio dei Heliogabali, cui templum Romæ in eo loco conſtituit, in quo prius ædes Orci fuit, quem è Syria ſecum adduxit.

[Margin: Heliogabalus Jovis vel Solis ſacerdos.]

[Margin: Heliogabalus appellatur Varius Baſſianus.]

(2) Solis ſacerdos) Ut talis celebratur in numis, quos producimus Tab. LIX. num. 7. & 8. De quibus pluribus HEMELAR. Tab. XXXVII. num. 6. & 11.

Et Antoninus. duxit. Postremo cum accepit Imperium, *Antoninus* appellatus est: atque ipse in Romano Imperio ultimus Antoninorum fuit.

CAP. II. Hic tantum Semiamiræ matri deditus fuit, ut sine illius voluntate nihil in republica faceret, cum ipsa meretricio more vivens, in aula omnia turpia exerceret: Antonino autem Caracallo stupra cognita, ita ut hinc vel Varius vel Heliogabalus vulgo conceptus putaretur. Et ajunt quidam, *Varii* etiam nomen idcirco eidem inditum à condiscipulis, quod vario semine, de meretrice utpote, conceptus videretur. Hic fertur, occiso Macrini factione patre, ut dicebatur, Antonino, in templum Dei Heliogabali confugisse velut in asylum, ne interficeretur à Macrino, qui sævissime cum filio luxurioso & crudeli exercuit Imperium. Sed de nomine hactenus, quamvis sanctum illud Antoninorum nomen polluerit: quod tu, Constantine sacratissime, ita veneraris, ut Marcum & Pium inter Constantios Claudiosque, velut majores tuos, aureos formaveris, adoptans virtutes veterum tuis moribus congruentes, & tibi amicas carasque.

Heliogabalus à Bassiano ex meretrice conceptus.

CAP. III. Sed ut ad Antoninum Varium revertamur, nactus Imperium, Romam nuntios misit: excitatisque omnibus ordinibus, omni etiam Populo ad nomen Antoninum, quod non solum titulo, ut in Diadumeno fuerat, sed etiam in sanguine redditum videbatur, cum se Antoninum Bassiani filium scripsisset, ingens ejus desiderium factum est. Erat præterea etiam rumor, qui novis post tyrannos solet donari principibus: qui nisi ex summis virtutibus non permanet, & quem multi mediocres principes amiserunt. Denique ubi in Senatu lectæ sunt litteræ Heliogabali, statim fausta in Antoninum, & dira in Macrinum ejusque filium dicta sunt, appellatusque Antoninus princeps, volentibus cunctis, & studiose credentibus, ut sese habent vota hominum ad credulitatem festinantium, cum quod optant, verum esse desiderant. Sed ubi primum ingressus est Urbem, omissis iis, quæ in provincia gerebantur, Heliogabalum in Palatino monte juxta ædes imperatorias consecravit, eique templum fecit, studens & Matris typum, & Vestæ ignem, & Palladium, & ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens, ne quis Romæ Deus nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea, Judæorum & Samaritanorum religiones, & Christianum devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret.

Heliogabalus à Senatu Imperator agnitus. U. C. 970. p. C. N. 218.

Heliogabalo Deo templum ædificat.

CAP. IV. Deinde ubi primum diem Senatus habuit, matrem suam in Senatum rogari jussit. Quæ cum venisset, vocata ad Consulum subsellia, scribendo affuit, id est, Senatusconsulti conficiendi testis: solusque omnium Imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissima, loco viri Senatum ingressa est. Fecit & in colle Quirinali senaculum, id est mulierum Senatum, in quo ante fuerat conventus matronalis, solennibus dumtaxat diebus, & si umquam aliqua matrona consularis conjugii ornamentis esset donata: quod veteres Imperatores affinibus detulerunt, & his maxime quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatæ remanerent. Sed Semiamirica facta sunt Senatusconsulta ridicula de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederent; quæ cui cederet; quæ ad cujus osculum veniret: quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur; quæ carpento mulari, quæ boum: quæ sella veheretur, & utrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata: & quæ aurum vel gemmas in calciamentis haberent.

Matrem suam in Senatum rogari jubet.

Mulierum Senaculum constituitur.

Mulierum Senatusconsulta.

CAP. V. Ergo cum hibernasset Nicomediæ, atque omnia sordide ageret, inireturque à viris & subaret, statim milites facti sui pœnituit, quod in Macrinum conspiraverant, ut hunc principem facerent: atque in consobrinum ejusdem Heliogabali Alexandrum, quem Cæsarem Senatus Macrino interempto appellaverat, inclinavere animos. *Quis enim ferre posset principem per cuncta cava corporis libidinem recipientem, cum ne belluam quidem talem quisquam ferat?* Romæ denique nihil egit aliud, nisi ut emissarios haberet, qui ei bene vasatos perquirerent, eosque ad aulam perducerent, ut eorum conditionibus frui posset. Agebat præterea domi fabulam Paridis, ipse Veneris personam subiens, ita ut subito vestes ad pedes defluerent, nudusque, una manu ad mammam, altera pudendis adhibita, ingeniculàret, posterioribus eminentibus in subactorem rejectis & oppositis. Vultum præterea eodem quo Venus pingitur, schemate figurabat, corpore toto expolitus: eum fructum vitæ præcipuum existimans, si dignus atque aptus libidini plurimorum videretur.

Sordida Heliogabali vita.

CAP. VI. Vendidit & honores & dignitates & potestatem, tam per se quam per omnes servos ac libidinum ministros. In Senatum legit sine discrimine ætatis, census, generis, pecuniæ merito: militaribus etiam præposituris & tribunatibus, & legationibus & ducatibus venditis; etiam procurationibus & palatinis officiis. Aurigas Protogenem & Gordium, primo in certamine curuli socios, post in omni vita & actu participes habuit. Multos quorum corpora placuerant, de scena & circo & arena in aulam traduxit. Hieroclem vero sic amavit, ut eidem inguina oscularetur, quod dictu etiam verecundum est, Floralia sacra se asserens celebrare. In virginem Vestalem incestum admisit. Sacra Populi Romani sublatis penetralibus profanavit. Ignem perpetuum exstinguere voluit. Nec Romanas tantum exstinguere voluit religiones, sed per orbem terræ unum studens, ut Heliogabalus deus unus ubique coleretur: & in penum Vestæ, quod solæ virgines solique pontifices adeunt, irrupit, pollutus ipse omni contagione morum, cum iis qui se polluerant. Et penetrale sacrum est auferre conatus: cumque feriam quasi veram rapuisset, (quamvis virgo maxima falsam monstraverat) atque in ea nihil reperisset, applosam fregit: nec tamen quidquam religioni dempsit, quia plures similes factæ dicuntur esse, ne quis veram umquam possit auferre. Hæc cum ita essent, signum tamen quod Pal-

Honores & dignitates vendit.

Sacra Populi Romani profanat.

Palladium fictum in Heliogabali templum locat.

ladium esse credebat, abstulit, & auro fictum, in sui Dei templo locavit.

CAP. VII. Matris etiam deum sacra accepit, & tauroboliatus est, (c) ut typum eriperet & alia sacra quæ penitus habentur condita. Jactavit autem caput inter præcisos fanaticos, & genitalia sibi devinxit, & omnia fecit quæ Galli facere solent; ablatumque sanctum in penetrale Dei sui transtulit. Salambonem etiam omni planctu & jactatione Syriaci cultus exhibuit, omen sibi faciens imminentis exitii. Omnes sane deos sui dei ministros esse ajebat, cum alios ejus cubicularios appellaret, alios servos, alios diversarum rerum ministros. Lapides qui Divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ simulacrum, ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, auferre voluit. Et Orestem quidem ferunt non unum simulacrum Dianæ, nec uno in loco posuisse, sed multa in multis. Posteaquam se apud tria flumina circa Hebrum ex responso purificavit, etiam Orestam condidit civitatem, quam sæpe cruentari hominum sanguine necesse est. Et Orestam quidem urbem Hadrianus suo nomine vindicari jussit, eo tempore, quo furore cœperat laborare, ut ex responso, cum ei dictum esset, ut in furiosi alicujus domum vel nomen irreperet. Nam ex eo emollitam insaniam ferunt, per quam multos Senatores occidi jusserat: quibus servatis, Antoninus Pii nomen meruit, quod eos post ad Senatum adduxit, quos omnes jussu principis interfectos credebant.

Omnes deos Heliogabali dei ministros dicit.

Oresta Urbs ab Hadriano suo nomine vindicata.

Heliogabalus humanas hostias cædit.

CAP. VIII. Cædit & humanas hostias lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam, patrimis & matrimis, credo ut major esset utrique parenti dolor. Omne denique magorum genus aderat illi, operabaturque quotidie, hortante illo & gratias diis agente, quod amicos eorum invenisset; cum inspiceret exta puerilia, & excuteret hostias ad ritum gentilem suum. Quod cum consulatum iniisset, in Populum, non nummos vel argenteos vel aureos, vel bellaria, vel minuta animalia, sed boves opimos & camelos, & asinos, & servos Populo diripiendos, objecit: imperatorium id esse dictitans. Insectatus est famam Macrini crudeliter, sed multo magis Diadumeni, quod Antoninus dictus est, *Pseudoantoninum* & *Pseudophilippum* eum appellans, simul quod cum luxuriosissimus exstitisset, vir fortissimus, optimus, gravissimus, severissimus diceretur. Coëgit denique scriptores nonnullos nefanda, imo potius non ferenda ejus dicta de luxuria disputare, ut in vita ejus. Lavacrum publicum in ædibus aulicis fecit, simul & Platini Populo exhibuit, ut ex eo conditiones bene vasatorum hominum colligeret. Idque diligenter curatum est, ut ex tota penitus Urbe atque ex nauticis monobelos quærerent: sic eos appellabant qui viriliores videbantur.

Ejus luxus & profusio.

Diadumenus ab Heliogabalo Pseudoantoninus & Pseudophilippus appellatur.

CAP. IX. Cum Marcomannis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrime profligaverat, dictum est à quibusdam, per Chaldæos & magos Antoninum Marcum id egisse, ut Marcomanni Populo Romano semper devoti essent atque amici, idque factis carminibus & consecratione. Cum quæreret quæ illa esset, vel ubi esset, suppressum est. Constabat enim illum ob hoc consecrationem quærere, ut eam dissiparet spe belli concitandi: & idcirco maxime quod audierat responsum fuisse, ab Antonino bellum Marcomannicum finiendum; cum hic Varius, & Heliogabalus, & ludibrium publicum diceretur; nomen autem Antonini pollueret, in quod invaserat. Prodebatur autem per eos maxime, qui dolebant sibi homines ad exercendas libidines bene vasatos & majoris peculii opponi. Unde etiam de nece ejus cogitari cœpit. Et hæc quidem domi.

Marcomanni carminibus Chaldæorum & magorum eo redacti, ut in devotione Romanorum semper permanerent.

CAP. X. Sed milites pestem illam velari Imperatoris nomine pati nequiverunt, ac primum inter sese, deinde per coronas jecere sermones in Alexandrum omnes inclinantes, qui jam Cæsar erat à Senatu dictus eo tempore quo Macrinus, consobrinus hujus Antonini. Nam Varia una his erat avia: unde Heliogabalus *Varius* dicebatur. Zoticus sub eo tantum valuit, ut ab omnibus officiorum principibus sic haberetur, quasi domini maritus esset. Erat præterea idem Zoticus, qui hoc familiaritatis nomine abutens, omnia Heliogabali dicta & facta venderet fumis, quam maxime divitias enormes sperans; cum aliis minaretur, aliis polliceretur, omnes falleret: egrediensque ab illo, singulos adiret, dicens, *De te hoc loquutus sum: de te hoc audivi: de te hoc futurum est*: ut sunt homines hujusmodi, qui si admissi fuerint ad nimiam familiaritatem principum, famam non solum malorum, sed & bonorum principum vendunt, & qui, stultitia vel innocentia Imperatorum, qui hoc non perspiciunt, infami rumigeratione pascuntur. Nupsit & coiit, ut & pronubum haberet, clamaretque, *Concide magire*, & eo quidem tempore quo Zoticus ægrotabat. Quærebat deinde à philosophis & gravissimis viris, an & ipsi in adolescentia perpessi essent quæ ipse pateretur, & quidem impudentissime: neque enim umquam verbis pepercit infamibus, cum & digitis impudicitiam ostentaret, nec ullus in conventu & audiente Populo esset pudor.

Milites conspirant contra Heliogabalum.

Zoticus sub Heliogabalo plurimum valet.

Familiaritate Principum plerumque abutuntur homines.

CAP. XI. Fecit libertos præsides, legatos, Consules, duces, omnesque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Cum ad vindemias vocasset amicos nobiles, & ad corbes sedisset, gravissimum quemque percunctari cœpit, an promptus esset in venerem, erubescentibusque senibus exclamabat, *Erubuit, salva res est*, silentium ac ruborem pro consensu ducens. Addidit præterea ipse quæ faceret, sine ullius pudoris velamento. Posteaquam senes vidit erubescere ac tacere, vel quia ætas vel quia dignitas talia refutabat, contulit se ad juvenes, & ab his cœpit omnia exquirere. A quibus cum audiret ætati congrua, gaudere cœpit & dicere, vere liberam vindemiam esse quam se celebrarent. Ferunt multi ab ipso primum repertum, ut in vindemiarum festivo multa in dominos jocularia, & audientibus dominis, dicerentur, quæ ipse composuerat, & Græca maxime. Horum pleraque Marius Maximus dicit in vita ipsius Heliogabali. Erant amici improbi, & senes quidam, & specie

Heliogabali mollities in vindemiis.

(c) al. & adeo debacchatus est.

cie philoſophi, qui caput reticulo componerent, qui improba quædam pati ſe dicerent, qui maritos ſe habere jactarent. Quos quidam finxiſſe dicunt, ut illi fierent vitiorum imitatione cariores.

Homines infimæ ſortis honoribus ornat.

CAP. XII. Ad præfecturam prætorii ſaltatorem qui hiſtrionicam Romæ fecerat, adſcivit: præfectum Vigilum Gordium aurigam fecit: præfectum annonæ Claudium Cenſorem. Ad honores reliquos promovit commendatos ſibi pudibilium enormitate membrorum: ad viceſimam hereditatum mulionem curare juſſit, juſſit & curſorem, juſſit & cocum & clauſtrarium artificem. Cum ingreſſus eſt vel caſtra vel curiam, aviam ſuam Variam nomine, de qua ſuperius dictum eſt, ſecum induxit, ut ejus auctoritate honeſtior fieret, quia per ſe non poterat: nec ante eum (quod jam diximus) Senatum mulier ingreſſa eſt ita, ut ad ſcribendum rogaretur & ſententiam diceret. In conviviis exoletos maxime juxta ſe ponebat, eorumque attrectatione & tactu præcipue gaudebat: nec quiſquam ei magis poculum cum bibiſſet, dabat.

Alexandro inſidias ſtruit Heliogabalus.

CAP. XIII. Inter hæc mala vitæ impudiciſſimæ, Alexandrum quem ſibi adoptaverat, à ſe amoveri juſſit, dicens, *ſe pœnitere adoptionis*, mandavitque ad Senatum ut Cæſaris ei nomen abrogaretur. Sed in Senatu, hoc prodito, ingens ſilentium fuit. Siquidem erat optimus juvenis Alexander, poſtea comprobatus genere Imperii ejus, cum ideo diſpliceret patri quod impudicus non eſſet. Erat autem idem conſobrinus, & ut quidam dicunt, à militibus etiam amabatur, & Senatui acceptus erat & equeſtri ordini. Nec defuit tamen furor uſque ad exitum voti peſſimi. Nam ei percuſſores immiſit. Et hoc quidem modo ipſe ſeceſſit ad hortos Spei veteris, quaſi contra novum juvenem vota concipiens, relicta in palatio (3) matre & avia, & conſobrino ſuo: juſſitque *ut trucidaretur juvenis optimus & reipublicæ neceſſarius.* Miſit & ad milites litteras, quibus juſſit, *ut abrogaretur nomen Cæſaris Alexandro.* Miſit qui & in caſtris ſtatuarum ejus titulos luto tegerent, ut fieri ſolet de tyrannis. Miſit & ad nutritores ejus, quibus imperavit ſub præmiorum ſpe atque honorum, ut eum occiderent quo vellent modo, vel in balneis, vel veneno, vel ferro.

CAP. XIV. Sed nihil agunt improbi contra innocentes. Nam nulla vi quis adduci potuit, ut tantum facinus impleret, cum in ipſum magis converſa ſint tela quæ parabat aliis, ab iiſque ſit interfectus quibus alios appetebat.

A militibus Heliogabalus ad mortem quæritur.

Sed ubi primum lutati ſunt tituli ſtatuarum, milites omnes exarſerunt: & pars in palatium, pars in hortos, in quibus erat Varius, ire tendunt, ut Alexandrum vindicarent, hominemque impurum eundemque parricidialis animi tandem à republica depellerent. Et cum in palatium veniſſent, Alexandrum cum matre atque avia cuſtoditum diligentiſſime poſtea in caſtra duxerunt. Sequuta autem erat illos Semiamira mater Heliogabali pedibus, ſollicita filio. Inde itum eſt in hortos; ubi Varius invenitur certamen aurigandi parans, exſpectans tamen intentiſſime, quando eidem nuntiaretur conſobrinus occiſus. Qui ſubito militum ſtrepitu exterritus, in angulum ſe condidit: objectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, ſe texit. Miſit ex præfectis, alios ad compeſcendos milites in caſtra, alios vero ad eos placandos, qui jam in hortos veniſſent. Antiochianus igitur ex præfectis unus, milites qui in hortos venerant, & ſacramenti admonitione exoravit, ne illum occiderent, quia nec multi venerant, & plerique cum vexillo quod Ariſtomachus tribunus retinuerat, remanſerant. Hæc in hortis.

CAP. XV. In caſtris vero milites, precanti præfecto dixerunt ſe parſuros eſſe Heliogabalo, ſi & impuros homines & aurigas & hiſtriones à ſe dimoveret, atque ad bonam frugem rediret: his maxime ſubmotis, qui cum omnium dolore apud eum plurimum poterant, & qui omnia ejus vendebant, vel vanitate, vel fumis. Remoti ſunt denique ab eo Hierocles, Gordius, & Muriſſimus, & duo improbi familiares, qui eum ex ſtulto ſtultiorem faciebant. Mandatum præterea à militibus præfectis, ne paterentur illum ita diutius vivere, & ut Alexander cuſtodiretur, ne vel illi aliqua vis afferretur; ſimul ne Cæſar quempiam amicum Auguſti videret, ne ulla fieret imitatio turpitudinis. Sed Heliogabalus & ingenti prece Hieroclem repoſcebat impudiciſſimum hominem, & inſidias indies Cæſari propagabat. Denique Calendis Januariis, cum ſimul tum deſignati eſſent Conſules, noluit cum conſobrino procedere. Ad extremum cum ei avia & mater dicerent, imminere milites ad ejus exitium, niſi concordiam viderent inter ſe conſobrinorum, ſumpta prætexta, hora diei ſexta proceſſit ad Senatum; avia ſua ad Senatum vocata, & ad ſellam producta. Deinde in Capitolium ad vota concipienda, & perficienda ſolemnia ire noluit: omnia per præfectum urbanum facta ſunt, quaſi Conſules illic non eſſent.

Niſi ad bonam frugem rediret.

CAP. XVI. Nec diſtulit cædem conſobrini, ſed timens ne Senatus ad aliquem ſe inclinaret, ſi ille conſobrinum occidiſſet, juſſit ſubito Senatum Urbe decedere: omneſque etiam quibus aut vehicula aut ſervi deerant, ſubito proficiſci juſſi ſunt: cum alii per bajulos, alii per fortuita animalia & mercede conducta veherentur. Sabinum conſularem virum, ad quem libros Ulpianus ſcripſit, quod in Urbe remanſiſſet, vocato centurione, mollioribus verbis juſſit occidi, Sed centurio, aure ſurdior, imperari ſibi credidit, ut Urbe pelleretur; itaque fecit. Sic vitium centurionis Sabino ſaluti fuit. Removit & Ulpianum juriſconſultum, ut bonum virum: & Silvinum rhetorem, quem magiſtrum Cæſaris fecerat. Et Silvinus quidem occiſus eſt, Ulpianus vero reſervatus. Sed milites, & maxime prætoriani, vel ſcientes quæ mala in Heliogabalum paraverant, vel quod ſibi viderent invidiam,

Heliogabalus Senatum Urbe decedere jubet.

Similiter Ulpianum Juriſconſultum.

(3) Matre & avia) Matris SOÆMIADIS & aviæ MÆSÆ vultus ex MEDIOBARBO pag. 316. vid. Tab. LX. num. 1. & 2. Quibus addimus vultus trium uxorum Heliogabali, quamvis de illis taceat LAMPRIDIUS, ex eodem MEDIOBARBO p. 314. & 315. nimirum JULIÆ PAULÆ, JULIÆ AQUILIÆ SEVERÆ, & ANNIÆ FAUSTINÆ. Tab. LX. num. 3. 4. & 5.

diam, facta conſpiratione ad liberandam rempublicam, primum in conſcios vario genere mortis, cum alios vitalibus exemptis necarent, alios ab ima parte perfoderent, ut mors eſſet vitæ conſentiens.

Heliogabalus occiditur.

CAP. XVII. Poſt hoc in eum impetus factus eſt, atque in latrina ad quam confugerat, occiſus. Tractus deinde per publicum, additaque injuria cadaveri eſt, ut id in cloaculam milites mitterent. Sed cum non cepiſſet cloacula fortuito, per pontem Æmilium, annexo pondere ne fluitaret, in Tiberim abjectum eſt, ne umquam ſepeliri poſſet. Tractum eſt cadaver ejus etiam per Circi ſpatia, priuſquam in Tiberim præcipitaretur. Nomen ejus, id eſt Antonini, eraſum eſt Senatu jubente, remanſitque Varii Heliogabali: ſiquidem illud affectato retinuerat, cum vult videri filius Antonini. Appellatus eſt poſt mortem *Tiberinus*, & *Tractitius*, & *Impurus*, & multa, ſi quando ea erant deſignanda quæ ſub eo facta videbantur: ſoluſque omnium principum & tractus eſt, & in cloacam miſſus, & in Tiberim præcipitatus: quod odio communi omnium contigit, à quo ſpeciatim cavere debent Imperatores: ſiquidem nec ſepulcra mereantur, qui amorem Senatus, Populi, ac militum non merentur. Opera publica ipſius, præter ædem Heliogabali dei, quem Solem alii, alii Jovem dicunt; & amphitheatri inſtauratio poſt exuſtionem, & lavacrum in vico Sulpicio, quod Antoninus Severi filius cœperat, nulla exſtant. Et lavacrum quidem Antonini Caracallus dedicaverat, & lavando & Populum admittendo: ſed porticus defuerant, quæ poſtea ab hoc ſubdititio Antonino exſtructæ ſunt, & ab Alexandro perfectæ.

Ejusque cadaver innumeris contumeliis afficitur.

Appellatur poſt mortem Tiberinus, Tractitius & Impurus.

Opera ejus publica.

CAP. XVIII. Hic ultimus Antoninorum fuit, quamvis cognomine poſtea Gordianos multi Antoninos putent, qui Antonii dicti ſunt, non Antonini. Vita, moribus, improbitate ita odibilis, ut ejus nomen Senatus eraſerit: quem nec ego Antoninum vocaſſem, niſi cauſa cognitionis, quæ cogit plerumque dici ea etiam nomina, quæ ſunt abolita. Occiſa eſt cum eo & mater Semiamira probroſiſſima mulier, & digna filio. Cautumque ante omnia poſt Antoninum Heliogabalum, ne umquam mulier Senatum ingrederetur, utque inferis ejus caput dicaretur devoveretur que per quem id eſſet factum. De hujus vita multa in litteras miſſa ſunt obſcœna: quæ quia digna memoratu non ſunt, ea ſolum prodenda cenſui, quæ ad luxuriam pertinebant; quorum aliqua privatus, aliqua jam Imperator feciſſe perhibetur: cum ipſe privatus diceret, ſe Apicium, Imperator vero, Neronem, Othonem, & Vitellium imitari.

Semiamira occiſa.

Luxuria & profuſio Heliogabali fuſius deſcribitur.

CAP. XIX. Nam primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit, quia tunc ex Antonini Marci auctoritate id fieri licebat, qui omnem apparatum Imperatorium publice vendiderat. Deinde æſtiva convivia coloribus exhibuit, ut hodie praſinum, vitreum, alia die venetum, deinceps exhiberet, ſemper varie, per dies omnes æſtivos. Primus deinde menſas, & capſas argenteas habuit: primus etiam cacabos. Vaſa deinde centenaria argentea ſculpta, & nonnulla ſchematibus libidinoſiſſimis inquinata. Et maſtichatum, & puleiatum, & omnia hæc quæ nunc luxuria retinet, primus invenit. Nam roſatum ab aliis acceptum, pinearum etiam attritione odoratius reddidit. Denique hæc genera poculorum ante Heliogabalum non leguntur. Nec erat ei ulla vita niſi exquirere novas voluptates. Primus fecit de piſcibus iſitia, primus de oſtreis, & leioſtreis, & aliis hujuſmodi marinis conchis, & locuſtis, & cammaris, & ſcillis. Stravit & triclinia de roſa, & lectos, & porticus, ac ſi per ea deambulavit, idque omni florum genere, liliis, violis, hyacinthis & narciſſis. Hic non niſi unguento nobili aut croco piſcinis infectis natavit. Nec cubuit in accubitis facile, niſi iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum ſubalares; ſæpe culcitas mutans.

CAP. XX. Senatum nonnumquam ita contempſit, ut mancipia togata appellaret: Populum vero Romanum unius fundi cultorem: equeſtrem ordinem in nullo loco habens. Præfectum Urbicum ſæpe poſt cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio, ita ut ſi recuſarent, magiſtri horum eos cogerent. Voluit & per ſingulas urbes lenones præfectos urbi facere, & ut eſſent in Urbe quatuordecim. Et feciſſet, ſi vixiſſet; promoturus omnes turpiſſimos & ultimæ profeſſionis homines. Hic ſolido argento factos habuit lectos, & tricliniares & cubiculares. Comedit ſæpius, ad imitationem Apicii, calcanea camelorum, & criſtas vivis gallinaceis demptas, linguas pavonum & luſciniarum: quia dote tali peſtilentia tutus (*d*) diceretur. Exhibuit & palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterum, & perdicum ovis, & cerebellis turdorum, & capitibus pſittacorum & faſianorum & pavonum. Barbas ſane mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro naſturtiis, apiaſtris & facelaribus, & fœnogræco exhiberet plenis fabatariis & diſcis: quod præcipue ſtupendum eſt. Canes jecinoribus anſerum pavit.

CAP. XXI. Habuit leones & leopardos exarmatos in deliciis: quos edoctos per manſuetarios, ſubito ad ſecundam & tertiam menſam jubebat accumbere, ignorantibus cunctis quod exarmati eſſent, ad pavorem & ridiculum excitandum. Miſit & uvas Apamenas in præſepia equis ſuis: & pſittacis atque faſianis leones pavit & alia animalia. Exhibuit & ſumina aprugna per dies decem, tricena quotidie cum ſuis bulbis: piſum cum aureis, lentem cum cerauniis, fabam cum electris, & orizam cum albis exhibens. Albas præterea in vicem piperis piſcibus & tuberibus conſperſit. Oppreſſit in tricliniis verſatilibus paraſitos ſuos violis & floribus, ſic ut animam aliqui efflaverint, cum eripere ad ſummum non poſſent. Condito piſcinas & ſolia temperavit, & roſato atque abſinthiato. Vulgus ad bibendum invitavit: & ipſe cum Populo tantum bibit, ut in piſcina eum bibiſſe intelligeretur, viſo quod unus bibiſſet. Eunuchos pro apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos, ſtratos, mulos,

baſternas

(*d*) al. luſciniarum: quod qui ederet, ab epiſepſia tutus &c.

basternas & rhedas: dedit & aureos millenos, & centena pondo argenti.

CAP. XXII. Sortes sane convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exhiberet decem camelos; alius decem muscas; alius decem libras auri; alius decem plumbi; alius decem struthiones; alius decem ova pullina, ut veræ sortes essent, & fata tentarentur: quod quidem & ludis suis exhibuit; cum & ursos decem, & decem gryllos, & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit. Primusque hunc morem sortis instituit quem nunc videmus. Sed vere ad sortem scenicos vocavit, cum & canes mortuos, & libram babulæ carnis haberet in sorte: & item centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris, & alia talia; quæ Populus tam libenter accepit, ut eum postea imperare gratularetur.

CAP. XXIII. Fertur in euripis vino plenis navales Circenses exhibuisse, pallia de œnanthio fudisse, & elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulcris quæ obsistebant: junxisse etiam camelos quaternos ad currus in Circo privato spectaculo. Serpentes per Marsicæ gentis sacerdotes collegisse fertur: eosque subito ante lucem, ut solet Populus ad ludos celebres convenire, effudisse, multosque afflictos morsu & fuga. Usus est aurea omni tunica, usus & purpurea, usus & de gemmis Persica, cum gravari se diceret onere voluptatis. Habuit & in calciamentis gemmas, & quidem sculptas; quod risum omnibus movit: quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis quæ pedibus adhærebant. Voluit uti & diademate gemmato, quia pulchrior fieret, & magis ad fœminarum vultum aptus: quo & usus est domi. Fertur & promisisse phœnicem convivis, vel pro ea libras auri mille, ut in prætorio eas dimitteret. Marinæ aquæ colymbos exhibuit, in mediterraneis locis maxime, eosdem & singulis amicis natantibus dimisit, & iterum piscibus implevit. Montem nivium in viridario domus æstate fecit, advectis nivibus. Ad mare piscem numquam comedit: in longissimis à mari locis omnia marina semper exhibuit. Muræenarum lactibus & luporum in locis mediterraneis rusticos pavit.

CAP. XXIV. Pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos conditura veneta comedit: momentarias de rosato, & rosis piscinas exhibuit: & bibit cum omnibus suis, caldaria de nardo exhibens. Idem in lucernis balsamum exhibuit. Idem mulieres numquam iteravit, præter uxorem. Lupanaria domi amicis, clientibus & servis exhibuit. Idem numquam minus centum sestertium cœnavit, hoc est argenti libris triginta. Aliquando autem tribus millibus sestertium cœnavit, omnibus supputatis quæ impendit. Cœnas vero & Vitellii & Apicii vicit. Pisces ex vivariis suis bubus traxit: per macellum transiens, mendicitatem publicam flevit. Parasitos ad rotam aquariam ligabat, & cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat: eosque *Ixionios amicos* vocavit. Stravit & saxis Lacedæmoniis ac Porphyrethicis plateas in palatio: quas *Antoninianas* vocavit: quæ saxa usque ad nostram memoriam manserunt, sed nuper eruta & exsecta sunt. Constituerat & columnam unam dare ingentem, ad quam ascenderetur intrinsecus, ita ut in summo Heliogabalum deum collocaret: sed tantum saxum non invenit, cum id de Thebaide afferre cogitaret.

CAP. XXV. Ebrios amicos plerumque claudebat, & subito nocte leones, & leopardos, & ursos exarmatos immittebat, ita ut expergefacti in cubiculo eodem, leones, ursos, pardos, cum luce, vel (quod est gravius) nocte invenirent, ex quo plerique exanimati sunt. Multis vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub mensis invenirentur prandentes. Primus denique invenit sigma in terra sternere, non in lectulis, ut à pedibus utres per pueros ad reflandum spiritum solverentur. Mimicis adulteris ea quæ solent simulato fieri, effici ad verum jussit. Meretrices à lenonibus cunctis redemit sæpe, & manumisit. Cum inter fabulas privatas sermo esset ortus quanti herniosi esse possent in Urbe Roma, jussit omnes notari, eosque ad balneas suas exhibere, & cum iisdem lavit, nonnullis etiam honestis. Gladiatores ante convivium pugnantes & pyctas sibi frequenter exhibuit. Stravit sibi triclinium in summo lusorio. Et dum pranderet noxios & venationes sibi exhibuit. Parasitis in secunda mensa sæpe ceream cœnam, sæpe ligneam, sæpe eburneam, aliquando fictilem nonnumquam vel marmoream vel lapideam exhibuit: ita ut omnia illis exhiberentur videnda de diversa materia, quæ ipse cœnabat, cum tantum biberent per singula fercula, & manus, quasi comedissent lavarent.

CAP. XXVI. Primus Romanorum holoserica veste usus fertur, cum jam subserica in usu essent. Linteamen lotum numquam attigit, mendicos dicens, qui linteis lotis uterentur. Dalmaticatus in publico post cœnam sæpe visus est, *Gurgitem Fabium* & *Scipionem* se appellans; quod cum ea veste esset cum qua Fabius & Cornelius à parentibus ad corrigendos mores adolescentes in publicum essent producti. Omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis, & balneis, meretrices collegit in ædes publicas, & apud eas concionem habuit quasi militarem, dicens eas *commilitones*: disputavitque de generibus schematum & voluptatum. Adhibuit in tali concione postea lenones, exoletos undique collectos, & luxuriosissimos puerulos & juvenes. Et, cum ad meretrices muliebri ornatu processisset, papilla ejecta, exoletos habitu puerorum qui prostituuntur, post concionem pronuntiavit his quasi militibus ternos aureos donativum: petiitque ab his, ut à diis peterent, ut alios haberet ipsis commendandos. Jocabatur sane ita cum servis, ut eos juberet millena pondo sibi aranearum deferre, proposito præmio; collegisseque dicitur decem millia pondo aranearum, dicens, & hinc intelligendum quam magna esset Roma. Mittebat parasitis per cellarios salaria annua, vasa cum ranis & scorpiis, & cum serpentibus, & hujusmodi monstris. Claudebat

bat in ejuscemodi vasis infinitum muscarum, *apes mansuetas* eas appellans.

CAP. XXVII. Quadrigas Circensium in tricliniis & in porticibus sibi semper exhibuit pransitans & cœnitans, convivas senes agitare cogens, nonnullos honoratos jam Imperatori. Jubebat sibi & decem millia murium exhiberi, mille mustellas, mille sorices. Dulciarios & lactarios tales habuit, ut quæcumque coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores vel pomarii; illi modo de dulciis, modo de lactariis exhiberent. Exhibuit parasitis cœnas & de vitreis, & nonnumquam tot picta mantilia in mensam mittebat his edulibus picta quæ apponerentur, quot missus esset habiturus; ita ut de acu aut de textili pictura exhiberentur. Nonnumquam tamen & tabulæ illis pictæ exhibebantur, ita ut quasi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur. Miscuit gemmas pomis ac floribus. Jecit & per fenestram cibos totidem quot exhibuit amicis. Jusserat & canonem Populi Romani unius anni meretricibus, lenonibus, exoletis intramuranis dari, extramuranis alio promisso: cum eo tempore juxta provisionem Severi & Trajani, septem annorum canon frumentarius Romæ esset.

CAP. XXVIII. Canes quaternos ingentes junxit ad currum, & sic est vectatus intra domum regiam: idque privatus in agris suis fecit. Processit in publicum & quatuor cervis junctis ingentibus. Junxit sibi & leones, *Matrem magnam* se appellans. Junxit & tigres, *Liberum* sese vocans, eodemque habitu agens quo dii pinguntur quos imitabatur. Ægyptios dracunculos Romæ habuit, quos illi *agathodæmonas* vocant. Habuit & hipopotamos & crocodilum & rhinocerotem, & omnia Ægyptia, quæ per naturam sui exhiberi poterant. Struthocamelos exhibuit (*e*) in cœnis aliquoties, dicens præceptum Judæis ut ederent. Illud sane mirum videtur, quod dicitur ab eo factum, ut de croco sigma straverit, cum summos viros rogasset ad prandium, pro eorum dignitate dicens se fœnum exhibere. Trajecit & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ: ita ut sero de somno surgeret & salutari inciperet, mane autem dormire incœptaret. Amicis quotidie nec quemquam facile indonatum relinquebat, nisi quem frugi, quasi perditum repperisset.

CAP. XXIX. Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis & eboratis & æratis. Junxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas, ad papillam, vel ternas & amplius, & sic vectatus est: sed plerumque nudus, cum illum nudæ traherent. Habuit & hanc consuetudinem ut octo calvos rogaret ad cœnam, item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, cum capi non possent uno sigmate, ut de his omnibus risus citaret. Donavit & argentum omne convivis quod habuit in convivio, & omnem apparatum poculorum, idque sæpius. Hydrogarum Romanorum ducum primus publice exhibuit, cum antea militaris mensa esset; quam postea statim Alexander reddidit. Proponebat præterea his quasi themata, ut jura nova dapibus condiendis invenirent: cujus placuisset commentum, ei dabat maximum præmium, ita ut sericam vestem donaret, quæ tunc & in raritate videbatur, & in honore. Si aliquis autem displicuisset, jubebat ut semper id comesset, quamdiu tamen melius invenisset. Semper sane aut inter flores sedit, aut inter odores pretiosos. Amabat sibi pretia majora dici earum rerum quæ mensæ parabantur, orexin convivio hanc esse asserens.

CAP. XXX. Pinxit se ut cupediarium, ut seplasiarium, ut popinarium, ut tabernarium, ut lenonem; idque totum domi semper exercuit. Sexcentorum struthionum capita una cœna multis mensis exhibuit ad edenda cerebella. Exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, sed per singula lavarent, & mulieribus uterentur & ipse & amici, cum jurejurando quod efficerent voluptatem. Celebravit item tale convivium, ut apud amicos singulos singuli missus appararentur, & cum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter super aggerem, alter in Cœlio, alter trans Tiberim, & ut quisque mansisset, tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederentur, ireturque ad omnium domos: sic unum convivium vix toto die finitum est, cum & lavarent per singula fercula, & mulieribus uterentur. Sybariticum missum semper exhibuit ex oleo & garo; quem quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt. Dicitur & balneas fecisse multis locis, ac semel lavisse, atque statim destruxisse, ne ex usu balneas haberet. Hoc idem de domibus, de prætoriis, de zetis fecisse dicitur. Sed & hæc nonnulla fidem transeuntia, credo esse ficta ab iis qui in gratiam Alexandri Heliogabalum deformare voluerunt.

CAP. XXXI. Fertur & meretricem notissimam & pulcherrimam redemisse centum sestertium, eamque intactam, velut virginem coluisse. Huic eidem privato cum quidam diceret, *Non times pauper fieri?* dixisse dicitur, *Quid melius quam ut ipse mihi hæres sim & uxori meæ?* Habuerat præterea facultates, à multis dimissas gratia patris. Idem filios se nolle dicebat, ne quis ei frugi contingeret. Odores Indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas jubebat incendi. Iter privatus numquam minus sexaginta vehiculis fecit; avia sua Varia reclamante, quod omnia perditurus esset. Imperator vero etiam sexcenta vehicula dicitur duxisse, asserens decem millibus camelorum Persarum regem iter facere; & Neronem quingentis carrucis iter iniisse. Causa vehiculorum erat, lenonum, lenarum, meretricum, exoletorum, subactorum etiam bene vasatorum multitudo. In balneis semper cum mulieribus fuit, ita ut eas ipse psilothro curaret: ipse quoque barbam psilothro accurans: quodque pudendum dictu est, eodem quo mulieres accurabantur, & eadem hora, rasit & virilia subactoribus suis, novacula manu sua, qua postea barbam fecit. Scobe auri porticum stravit

(*e*) al. Struthiones & camelos exhibuit.

vit & argenti, dolens quod non poſſet & electri: idque frequenter, quacumque fecit iter pedibus uſque ad equum vel carpentum, ut fit hodie de auroſa arena.

CAP. XXXII. Calciamentum nunquam iteravit, anulos etiam negatur iteraſſe. Pretioſas veſtes ſæpe conſcidit, vel lanam cepit & appendit, atque ad ejus æſtimationem ponderis, piſces amicis exhibuit. Naves onuſtas merſit in portu, magnanimitatis hoc eſſe dicens. Onus ventris auro excepit: in myrrhinis & onychinis minxit. Idem dixiſſe fertur, *Si habuero heredem, dabo illi tutorem qui illum hæc facere cogat, quæ ipſe feci, facturuſque ſum.* Habuit etiam iſtam conſuetudinem, ut cœnas ſibi exhiberet tales: una die nonniſi de faſianis tantum ederet, omneſque miſſus ſola faſianorum carne ſtrueret: item alia die de pullis, alia de piſce illo, & item illo, alia de porcis, alia de ſtruthionibus, alia de holeribus, alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario. Sæpe amicos ſuos cum Æthiopibus aniculis incluſit nocturnis manſionibus, & uſque ad lucem detinuit, cum pulcherrimas his diceret apparatas. Fecit hoc idem etiam de pueris: & tunc, utpote ante Philippum, licebat. Ridebat autem ſic nonnumquam, ut publice in theatro ſolus audiretur: ipſe cantavit, ſaltavit, ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizavit, organo modulatus eſt. Fertur & una die ad omnes circi & theatri & amphitheatri, & omnium Urbis locorum meretrices, tectus cucullione mulionico, ne agnoſceretur, ingreſſus; cum tamen omnibus meretricibus ſine effectu libidinis aureos donaret, addens, *Nemo ſciat, Antoninus hæc donat.*

CAP. XXXIII. Libidinum genera quædam invenit, ut ſpintrias veterum malorum vinceret: & omnes apparatus Tiberii & Caligulæ & Neronis norat. Et prædictum eidem erat à ſacerdotibus Syris, *biothanatum* ſe futurum. Paraverat igitur funes blatta & ſerico & cocco intortos, quibus, ſi neceſſe eſſet, laqueo vitam finiret. Paraverat & gladios aureos, quibus ſe occideret, ſi aliqua vis urgeret. Paraverat & in cerauniis & hyacinthis & in ſmaragdis venena, quibus ſe interimeret, ſi quid gravius immineret. Fecerat & altiſſimam turrim, ſubſtratis aureis gemmatiſque ante tabulis, ex qua ſe præcipitaret, dicens, *etiam mortem ſuam pretioſam eſſe debere*, & ad ſpeciem luxuriæ, ut diceretur nemo ſic periſſe. Sed nihil iſta valuerunt. Nam, ut diximus, & occiſus eſt per ſcurras, & per plateas tractus eſt ſordidiſſime, per cloacas ductus, & in Tiberim ſubmiſſus eſt. Hic finis Antoninorum nomini in republica fuit, ſcientibus cunctis iſtum Antoninum tam vita falſum fuiſſe, quam nomine.

Mors Heliogabali ſordidiſſima.

CAP. XXXIV. Mirum fortaſſe cuipiam videatur, Conſtantine venerabilis, quod hæc clades quam retuli, loco principum fuerit, & quidem prope triennio: ita, ut nemo inventus fuerit, qui iſtum à gubernaculis Romanæ majeſtatis abduceret, cum Neroni, Vitellio, Caligulæ, ceteriſque hujusmodi, numquam tyrannicida defuerit. Sed primum omnium ipſe veniam peto, quod hæc quæ apud diverſos reperi, litteris tradidi, cum multa improba reticuerim, & quæ ne dici quidem ſine maximo pudore poſſunt. Ea vero quæ dixi, prætextu verborum adhibito, quantum potui, texi. Deinde illud quod clementia ſua ſolet dicere, crediſſe reficiendum, *Imperatorem eſſe, fortuna eſt.* Nam & minus boni reges fuerunt, & peſſimi. Agendum vero quod pietas tua ſolet dicere, *Ut ſint Imperio digni quos ad regendi neceſſitatem vis fatalis adduxerit.* Et quoniam hic ultimus Antoninorum fuit, neque poſtea hoc nomen in republica loco principum frequentatum eſt, etiam illud addendum eſt, ne quis error oriatur, cum duos Gordianos narrare cœpero, patrem ac filium, qui ſe de Antoninorum genere dici volebant, non nomen in illis primum fuit, ſed prænomen. Deinde, ut pleriſque in libris invenio, Antonii dicti ſunt, non Antonini.

Gordiani an Antonini an Antonii dicti.

CAP. XXXV. Hæc ſunt de Heliogabalo, cujus vitam me invitum & reluctantem, ex Græcis Latiniſque collectam, ſcribere ac tibi offerre voluiſti, cum jam aliorum ante tulerimus. Scribere autem ordiar qui poſt ſequentur; quorum Alexander optimus, & cum vera dicendus aſſertione, & annorum tredecim princeps: ſemeſtres alii, & vix annui & bimi. Aurelianus præcipuus, & horum omnium decus, auctor tui generis Claudius: de quo vereor ad clementiam tuam ſcribens vera dicere, ne malevolis adulatus videar eſſe. Sed abſolvar contra livorem improborum, cum apud alios clarum eſſe perſpexerim. His jungendi ſunt Diocletianus, aurei parens ſæculi, & Maximianus (ut vulgo dicitur) ferrei, ceterique ad pietatem tuam. Te vero Auguſte venerabilis, multis paginis, iiſdemque diſertioribus, illi proſequentur, quibus id felicior natura detulerit. His addendi ſunt Licinius, Severus Alexander, atque Maxentius: quorum omnium jus in ditionem tuam devenit: ſed ita, ut nihil eorum virtuti derogetur. Non enim ego id faciam, quod plerique ſcriptores ſolent, ut de his detraham qui victi ſunt: cum intelligam, gloriæ tuæ accedere, ſi omnia de illis quæ bona in ſe habuerunt, vera prædicaro.

Quorum Imperatorum vitæ adhuc deſcribendæ.

ÆLII LAMPRIDII
ALEXANDER SEVERUS
AD CONSTANTINUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

INterfecto Vario Heliogabalo, (sic enim maluimus dicere quam Antoninum: quia & nihil Antoninorum pestis illa ostendit, & hoc nomen ex annalibus, Senatus auctoritate, erasum est) ad remedium generis humani AURELIUS ALEXANDER, urbe Arcena genitus, Varii filius, Variæ nepos, & consobrinus ipsius Heliogabali, accepit Imperium; cum ante Cæsar à Senatu esset appellatus, mortuo scilicet Macrino; augustumque nomen idem recepit: addito eo ut & Patris patriæ nomen, & jus proconsulare, & tribunitiam potestatem, & jus quintæ relationis, deferente Senatu, uno die assumeret. Et ne præceps ista honorum continuatio videatur, exponam causas quibus id & Senatus coactus est facere, & ille perpeti. Non enim aut gravitati Senatus congruebat omnia simul deferre, aut bono principi raptum ire tot simul dignitates. Milites jam insueverant sibi Imperatores & tumultuario judicio facere, & item facile mutare, afferentes nonnumquam ad defensionem, se idcirco fecisse, quod nescissent Senatum principem appellasse. Nam & Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum, & Avidium Cassium, & antea Lucium Vindicem, & Lucium Antonium, & ipsum Severum, cum Senatus jam Julianum dixisset principem, Imperatores fecerant: atque ista res bella civilia severat, quibus necesse fuit militem, contra hostem paratum, parricidialiter perire.

Aurelius Alexander Imperator. U. C. 974. p. C. N. 222.

CAP. II. Hac igitur causa festinatum est, ut omnia simul Alexander, quasi verus jam Imperator, acciperet. Huc accessit nimia & Senatus & Populi inclinatio post illam cladem, quæ non solum Antoninorum nomen decoloravit, sed etiam Romanum dehonestavit Imperium. Certatim denique omnia decreta sunt & nominum genera & potestatum. Primus denique omnium cuncta insignia, & honorificentiæ genera simul recepit, suffragante sibimet Cæsaris nomine, quod jam ante aliquot annos meruerat: & magis suffragante vita & moribus, cum illi magnum conciliasset favorem quod eum Heliogabalus occidere conatus est, nec potuit & militibus repugnantibus, & Senatu refragante. Atque hæc parva, nisi quod dignum se exhibuit quem Senatus servaret, quem salvum milites cuperent, quem omnium bonorum sententia principem diceret.

Omnes honores simul accipit Alexander.

CAP. III. Alexander igitur, cui (4) Mammæa mater fuit, (nam & ita dicitur à plerisque) à prima pueritia artibus bonis imbutus, tam civilibus quam militaribus, ne unum quidem diem sponte sua transire passus est, quo se non & ad litteras & ad militiam exerceret. Nam in prima pueritia litteratores habuit Valerium Cordum & Titum Veturium, & Aurelium Philippum libertum patris, qui vitam ejus postea in litteras misit. Grammaticum in patria Græcum Nebonem, thetorem Serapionem, philosophum Stilionem: Romæ grammaticos, Scaurinum Scaurini filium doctorem celeberrimum: rhetores, Julium Frontinum, & Bæbium Macrinum, & Julium Granianum, cujus hodieque orationes declamatæ feruntur. Sed in Latinis non multum profecit, ut ex ejusdem orationibus apparet, quas in Senatu habuit, vel in concionibus, quas apud milites, vel apud Populum. Nec valde amavit Latinam facundiam, sed amavit litteratos homines, vehementer eos etiam reformidans, ne quid de se asperum scriberent. Denique eos dignos adesse jubebat: (*f*) singula quæque quæ publice privatimque agebat, se ipso docente, volebat addiscere, si forte ipsi non affuissent, eaque petebat, ut, si vera essent, in litteras mitterent.

Alexandri pueritia. Præceptores. Studia. Litteratos amat.

CAP. IV. Dominum se appellari vetuit. Epistolas ad se quasi ad privatum scribi jussit, servato tantum nomine Imperatoris. Gemmas de calciamentis & vestibus tulit, quibus usus fuerat Heliogabalus. Veste (ut & pingitur) alba usus est, nec aurata; pænulis togisque communibus. Cum amicis tam familiariter vixit, ut communis esset ei sæpe consessus, iret & ad convivia eorum: aliquos autem haberet quotidianos etiam non vocatos: salutaretur vero quasi unus de Senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis; aut solis iis qui ministri ad fores fuerant: cum antea salutare principem non liceret, quod eos videre non poterat. Et erat corporis venustate decorus, ut hodieque in picturis & statuis videmus. Fuit ei statura militaris: robur militis, valetudo ejus qui vim sui corporis sciret ac semper curaret. Erat præterea cunctis hominibus amabilis: & ab aliis pius appellabatur, ab omnibus certe sanctus & utilis reipublicæ. Huic sors in templo Prænestinæ talis exstitit, cum illi Heliogabalus insidiaretur,

Alexandri modestia. Forma corporis.


- - - *Si qua fata aspera rumpas,*
Tu Marcellus eris.

CAP. V. ALEXANDRI nomen accepit, quod in templo

Alexander cur sic dictus.

(*f*) al. Denique eos binos adesse jubebat. al. quos dignos &c.

(4) Mammæa mater) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 326. vide Tab. LX. num. 6.


Tab. LX.
ad pag. 341. 346. 347. 349
AR
I
IVLIA SOEMIAS AVG.
AR
II
IVLIA MAESA AVG.
AR
III
IVLIA PAVLA AVG.
AR
IV
IVLIA AQVILIA SEVERA AVG.
AR
V
ANNIA FAVSTINA AVG.
AR
VI
IVLIA MAMMAEA AVG.
AR
VII
PERPETVITATI AVG.
AR
VIII
SALLBARBIA ORBIANA AVG.

templo dicato, apud Arcenam urbem, Alexandro Magno, natus esset; cum casu illuc, die festo Alexandri, pater cum uxore, patriæ solemnitatis implendæ causa, venisset. Cui rei argumentum est, quod eadem die natalem habet hic Mammææ Alexander, qua ille Magnus excessit è vita. Delatum sibi *Antonini* nomen à Senatu recusavit, cum hic magis affinitate Caracalli jungeretur, quam ille Heliogabalus subdititius. Siquidem (ut Marius Maximus dixit in vita Severi) nobilem orientis mulierem Severus, cujus hanc genituram esse compererat, ut uxor Imperatoris esset, adhuc privatus & non magni satis loci, duxit uxorem: ex qua affinitate hic Alexander fuit, cui vere per matrem suam consobrinus Varius Heliogabalus fuit. Recusavit & *Magni* nomen, quod ei, quasi Alexandro, est oblatum Senatus judicio.

Antonini nomen sibi delatum recusat.

Recusat & Magni nomen.

CAP. VI. Interest retexere orationem qua nomen Antonini & Magni delatum sibi à Senatu recusavit: quam prius quam referam, addam acclamationes Senatus, quibus id decretum est, ex actis Urbis ante diem pridie Nonas Martias. Cum Senatus frequens in curiam, hoc est in ædem Concordiæ, templumque inauguratum, convenisset, rogatusque esset Aurelius Alexander Cæsar Augustus ut concineret, ac primo recusasset, quod sciret de honoribus suis agendum; deinde postea venisset, acclamatum: *Auguste innocens, dii te servent. Alexander Imperator, dii de servent. Dii te nobis dederunt, dii conservent. Dii te ex manibus impuri eripuerunt,* (5) *dii de perpetuent. Impurum tyrannum & tu perpessus es: impurum & obscœnum & tu videre doluisti. Dii illum eradicaverunt: dii te servent. Infamis Imperator rite damnatus. Felices non Imperio tuo, felicem rempublicam. Infamis unco tractus est, ad exemplum timoris: luxuriosus Imperator jure punitus est. Contaminator honorum, jure punitus est. Dii immortales Alexandro vitam: judicia deorum hinc apparent.*

Acclamationes Senatus quibus Alexandro Antonini nomen decretum.

CAP. VII. Et cum egisset gratias Alexander, acclamatum est; *Antonine Alexander, dii te servent. Antonine Aureli, dii te servent. Antonine Pie, dii te servent. Antonii nomen suscipias rogamus. Præsta bonis Imperatoribus ut Antoninus dicaris. Nomen Antoninorum tu purifica. Quod ille infamavit, tu purifica. Redde in integrum nomen Antoninorum. Sanguis Antoninorum se cognoscat. Injuriam Marci tu vindica. Injuriam Veri tu vindica. Injuriam Bassiani tu vindica. Peior Commodo solus Heliogabalus, nec Imperator, nec Antoninus, nec civis, nec Senator, nec nobilis, nec Romanus. In te salus, in te vita, ut vivere delectet, Antoninorum Alexandro vitam, ut vivere delectet, & Antoninus vocetur, Antoninorum templa Antoninus dedicet. Parthos & Persas Antoninus vincat. Sacrum nomen sacratus accipiat. Sacrum nomen castus accipiat. Antonini nomen, Antoninorum nomen, dii conservent. In te omnia, per te omnia, Antonine, habemus.*

Orationes Alexandri quibus Antonini & Magni nomen recusat.

CAP. VIII. Et post acclamationes Aurelius Alexander Cæsar Augustus: *Gratias vobis, Patres Conscripti, non nunc primum, sed & de Cæsareo nomine, & de vita servata, & Augusti nomine addito, & de pontificatu maximo, & de tribunitia potestate, & proconsulari imperio: quæ omnia novo exemplo uno die in me contulistis.* Et cum diceret; acclamatum: *Hæc suscepisti, Antonini nomen tu suscipe: mereatur Senatus, mereantur Antonini. Antonini Auguste dii te servent, dii te Antoninum conservent. Monetæ nomen Antonini reddatur. Templa Antoninorum Antoninus consecret.* Aurelius Alexander Augustus; *Ne quæso, Patres Conscripti, ne me ad hanc certaminis necessitatem vocetis, ut ego cogar tanto nomini satisfacere; cum etiam hoc ipsum nomen, licet peregrinum, tamen gravare videatur. Hæc enim nomina insignia onerosa sunt. Quis enim Ciceronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis impium Metellum? Et (ut hoc dii avertant) quis non æquantem nomina, ferat digerentem in clarissima specia dignitatum?* Item acclamata quæ supra.

CAP. IX. Item Imperator dixit: *Antoninorum nomen, vel jam numen potius, quale fuerit, meminit vestra clementia: si pietatem, quid Pio sanctius? si doctrinam, quid Marco prudentius? si innocentiam, quid Vero simplicius? si fortitudinem, quid Bassiano fortius? Nam nunc Commodi meminisse nolo, qui hoc ipso deterior fuit, quod cum illis moribus Antonini nomen obtinuit. Diadumenus autem nec tempus habuit, nec ætatem, & arte hoc patris nomen incurrit.* Item acclamatum ut supra. Item Imperator dixit: *Nuper certe, Patres Conscripti, meministis, cum ille omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum spurcissimus, Antonini nomen præferret, & in turpitudine atque luxuria Nerones, Vitelios, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint, cum per populi & honestorum coronas una vox esset, hunc non rite Antoninum dici, & per hanc pestem tantum violari nomen.* Et cum diceret, acclamatum est, *Dii mala prohibeant. Hæc te imperante non timemus: de his te duce securi sumus. Vicisti vitia, vicisti crimina, vicisti dedecora. Antonini nomen ornavisti. Certi sumus, bene præsumimus, nos te & à pueritia probavimus, & nunc probamus.* Item Imperator, *Neque ego, Patres Conscripti, idcirco timeo istud venerabile omnibus nomen accipere, quod verear ne in hæc vitia delabatur vita, aut quod nominis pudeat, sed primum displicet alienæ familiæ nomen assumere; deinde, quod gravari me credo.*

CAP. X. Et cum hæc diceret, acclamatum est ut supra. Item dixit, *Si enim Antonini nomen accipio, possum & Trajani, possum & Titi, possum & Vespasiani.* Et cum diceret, acclamatum est, *Quomodo Augustus, sic & Antoninus.* Tunc Imperator, *Video, Patres Conscripti, quid vos moveat ad hoc nobis addendum. Augustus primus, primus est auctor Imperii, & in ejus nomen velut quadam adoptione, aut jure hereditario, succedimus: Antonini ipsi, Augusti dicti sunt. Antoninus idem Pius Marcum, & item Verum jure adoptionis vocavit. Commodo autem hereditarium fuit; susceptum Diadumeno; affectatum in Bassiano; ridiculum in Aurelio.* Et cum diceret, acclamatum est, *Alexander Auguste, dii te servent. Verecundiæ tuæ, prudentiæ*

(5) Dii te perpetuent) Votum hoc in numo quoque expressum Tab. LX. num. 7. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. p. 718.

dentiæ tuæ, innocentiæ tuæ, castitati tuæ. Hinc intelligimus qualis futurus sis: hinc probamus. Tu facies ut Senatus bene principes eligat. Tu facies optimum esse judicium Senatus. Alexander Auguste, dii te servent. Templa Antoninorum Alexander Augustus dedicet. Cæsar noster, Augustus noster, Imperator noster, dii te servent. Vincas, valeas, multis annis imperes.

CAP. XI. Alexander Imperator dixit, *Intelligo, Patres Conscripti, me obtinuisse quod volui, & id acceptum refero, plurimas gratias & agens & habens; enisurus ut & hoc nomen quod in Imperium detulimus tale sit ut ab aliis desideretur, & bonis vestræ pietatis judiciis offeratur.* Post hæc acclamatum est, *Magne Alexander, dii te servent. Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe. Magne Alexander, dii te servent.* Et cum sæpius dicerent, Alexander Augustus ait, *Facilius fuit, Patres Conscripti, ut Antoninorum nomen acciperem: aliquid enim vel affinitati deferrem, vel consortio nominis imperialis.* MAGNI *vero nomen cur accipitur? quid enim jam magnum feci? cum id Alexander post magna gesta, Pompeius vero post magnos triumphos acceperit. Quiescite igitur, venerandi Patres, & vos ipsi magnifici, unum me de vobis esse censete potius quam Magni nomen ingerite.* Post hæc acclamatum est, *Aureli Alexander Auguste, dii te servent.* Et reliqua ex more.

CAP. XII. Dimisso Senatu, cum & alia multa eo die essent acta, quasi triumphans domum se recepit. Multo clarior visus est alienis nominibus non receptis, quam si recepisset. Atque ex eo constantiæ ac plenæ gravitatis famam obtinuit. Siquidem uni adolescenti Senatus totus persuadere non potuit. Sed quamvis Senatu rogante non potuerit persuaderi, ut vel Antonini vel Magni nomina susciperet, tamen ob ingentem vigorem animi, & mirandam singularemque constantiam contra militum insolentiam, SEVERI nomen à militibus eidem inditum est, quod illi ingentem in præsentia reverentiam, magnam apud posteros gloriam peperit; cum eo accessisset, ut de animi virtute nomen acceperit: siquidem solus inventus sit, qui tumultuantes legiones exauctoraverit, ut suo loco ostendetur; in milites autem gravissime animadverterit, qui forte incurrerunt aliquid, quod videretur injustum: ut & ipsum locis suis declarabimus.

Alexander dicitur Severus & unde.

CAP. XIII. Omina Imperii hæc habuit: Primum, quod ea die natus qua defunctus vita Magnus Alexander dicitur: deinde, quod in templo ejus mater enixa est: tertio, quod ipsius nomen accepit: tum præterea, quod ovum purpurei coloris, eadem die natum, qua ille natus est, palumbinum anicula quædam matri ejus obtulit: ex quo quidem aruspices dixerunt, Imperatorem quidem illum, sed non diu futurum, & cito ad Imperium perventurum. Tum præterea, quod tabula Trajani Imperatoris, quæ geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum ejus decidit. His accessit, quod nutrix ei Olympias data est, quo nomine mater Alexandri appellata est, nutritor Philippus provenit casu unus ex rusticis; quod nomen patri Alexandri Magni fuit. Fertur die prima natalis ejus toto die apud Arcam Cæsaream stella primæ magnitudinis visa, & sol circa domum patris ejus fulgido ambitu coronatus. Cum ejus natalem aruspices commendarent, dixerunt eum summam rerum tenturum, idcirco quod hostiæ de ea villa quæ esset Severi Imperatoris, adductæ essent, & quas in illius honorem coloni parassent. Nata in domo laurus juxta persici arborem, intra unum annum persici arborem vicit. Unde etiam conjectores dixerunt, Persas ab eo esse vincendos.

Omina Imperii.

CAP. XIV. Mater ejus pridie quam pareret, somniavit se purpureum dracunculum parere. Pater eadem nocte in somniis vidit alis se Romanæ victoriæ, quæ in Senatu, ad cœlum vehi. Ipse, cum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc parvulus; & primis quidem sortibus:

Matris & patris somnia.

Vaticinia de Imperio Alexandri.

Te manet imperium cœli terræque marisque:

intellectum est, quod inter divos etiam referretur.

Te manet Imperium, quod tenet Imperium.

Ex quo intellectum est, Romani illum Imperii principem futurum. Nam ubi est Imperium nisi apud Romanos, quod tenet Imperium? Et hæc quidem de Græcis versibus sunt prodita. Ipse autem, cum, parentis hortatu, animum à philosophia & musica ad alias artes traduceret, Virgilii sortibus hujusmodi illustratus est:

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de mamore vultus,
Orabunt causas melius, cœlique meatus
Describent radio, & surgentia sidera ducent:
Tu regere Imperio populos Romane memento:
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere subjectis & debellare superbos.

CAP. XV. Fuerunt multa alia signa quibus principem humani generis esse constaret. Nimius ardor oculorum, & diutius intuentibus gravis; & divinatio mentis frequentissima: rerum memoria singularis, quam nemo nisi Acholius ferebat adjutam. Et cum puer ad Imperium pervenisset, fecit cuncta cum matre, ut & illa videretur pariter imperare, mulier sancta, sed avara, & auri atque argenti cupida. Ubi ergo Augustum agere cœpit Imperium, primum removit judices omnes à republica, & à ministeriis atque muneribus, quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpissimo provexerat: deinde Senatum & equestrem ordinem purgavit. Ipsas deinde tribus, & eos qui militaribus nituntur prærogativis, purgavit, & palatium suum comitatumque omnem, abjectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis & infamibus: nec quemquam passus est esse in palatinis nisi necessarium hominem. Jurejurando deinde se constrinxit, *ne quem adscriptum, id est vacantium, haberet, ne annonis rempublicam eam gravaret*, dicens, *malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios, nec reipublicæ utiles pasceret.* Fures judicare jussit in civitatibus ullis numquam videri: & si essent visi, jussit deportari per rectores provinciarum. Annonam militum diligenter inspexit. Tribu-

Matri obedit Alexander.

Palatium purgat.

Tribunos qui per ſtellaturas militibus aliquid tuliſſent, capitali pœna affecit. Negotia & cauſas prius à ſcriniorum principibus, & doctiſſimis juriſperitis & ſibi fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita referri ad ſe præcepit.

Leges moderatas & infinitas ſancit.

CAP. XVI. Leges de jure Populi & fiſci moderatas & infinitas ſanxit: neque ullam conſtitutionem ſacravit ſine viginti juriſperitis & doctiſſimis ac ſapientibus viris iiſdemque diſertiſſimus, non minus quinquaginta: ut non minus in conſilio eſſent ſententiæ quàm ſenatusconſultum conficerent: & id quidem ita, ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur quid quiſque dixiſſet, dato tamen ſpatio ad diſquirendum cogitandumque priuſquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Fuit præterea illi conſuetudo, ut ſi de jure aut de negotiis tractaret, ſolos doctos & diſertos adhiberet; ſi vero de re militari, milites, & veteres, & ſenes ac bene meritos, & locorum peritos ac bellorum & caſtrorum, & omnes litteratos; & maxime eos, qui hiſtoriam norant: requirens quid in talibus cauſis quales in diſceptatione verſabuntur, veteres Imperatores vel Romani vel exterarum gentium feciſſent.

Conſtitutiones ſuas ſumma diligentia & multis juriſperitis in conſilium adductis confecit.

Fures graviſſimo odio perſequitur.

CAP. XVII. Referebat Encolpius, quo ille familiariſſimo uſus eſt, illum, ſi umquam furem judicem vidiſſet, paratum habuiſſe digitum ut illi oculum erueret: tantum odium eum tenebat eorum, de quibus apud ſe probatum, quod fures fuiſſent. Addit Septimius, qui vitam ejus non mediocriter exſequutus eſt, tanti ſtomachi fuiſſe Alexandrum in eos judices, qui furtorum fama laboraſſent, etiamſi damnati non eſſent, ut ſi eos caſu aliquo videret, commotione animi, ſtomachi choleram evomeret, toto vultu inardeſcente, ita ut nihil poſſet loqui. Nam cum quidam Septimius Arabinus, famoſus crimine furtorum, & ſub Heliogabalo jam liberatus, inter Senatores principem ſalutatum veniſſet; exclamavit, *O numina, ô Jupiter, ô dii immortales, Arabinus non ſolum vivit, verumetiam in Senatum venit? fortaſſis etiam de me ſperat? tam fatuum, tam ſtultum eſſe me judicat?* Salutabatur autem nomine, hoc eſt, *Ave Alexander.*

CAP. XVIII. Si quis caput flexiſſet, aut blandius aliquid dixiſſet, uti adulator vel abjiciebatur, ſi loci ejus qualitas pateretur, vel ridebatur ingenti cachinno, ſi ejus dignitas graviori ſubjacere non poſſet injuriæ. Salutatus conſeſſum obtulit omnibus Senatoribus: atque adeo niſi honeſtos & bonæ famæ homines ad ſalutationem non admiſit. Juſſitque, (quemadmodum in Eleuſiniis ſacris dicitur, *ut nemo ingrediatur, niſi qui ſe innocentem novit*) Per præconem edixit, *ut nemo ſalutaret principem qui ſe furem eſſe noſſet, ne aliquando detectus, capitali ſupplicio ſubderetur.* Ipſe adorari ſe vetuit, cum jam cœpiſſet Heliogabalus adorari regum more Perſarum. Erat præterea hæc illis ſententia, *Soles fures de paupertate conqueri, dum volunt ſcelera vitæ ſuæ tegere.* Idem addebat ſententiam de furibus notam, & Græce quidem, quæ Latine hoc ſignificat, *Qui multa rapuerit, pauca ſuffragatoribus dederit, ſalvus erit:* quæ Græce, talis eſt:

Salutari noluit niſi ab honeſtis & bonæ famæ hominibus.

Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται.

CAP. XIX. Præfectum prætorii ſibi ex Senatus auctoritate conſtituit: præfectum Urbis à Senatu accepit. Alterum præfectum prætorii fecit, qui ne fieret, etiam fugerat, dicens, *Invitos, non ambientes, in rempublicam collocandos.* Senatorem nunquam ſine omnium Senatorum qui aderant conſilio fecit, ita ut per ſententias omnium crearetur, teſtimonia dicerent ſummi viri: ac ſi fefelliſſent vel teſtes vel ii qui ſententias dicebant, poſtea in ultimum rejicerentur locum civium, condemnatione adhibita, quaſi falſi rei approbati, ſine ullius indulgentiæ propoſito. Idem Senatores nonniſi ad ſummorum in palatio virorum ſuffragium fecit, dicens: *magnum virum eſſe oportere, qui faceret Senatorem.* Idem libertinos numquam in equeſtrem locum redegit, aſſerens: *ſeminarium Senatorum equeſtrem locum eſſe.*

Senatores Senatorum conſilio fecit.

CAP. XX. Moderationis tantæ fuit, ut nemo umquam ab ejus latere ſubmoveretur: ut omnibus ſe blandum affabilemque præberet: ut amicos non ſolum primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes viſeret: ut ſibi ab omnibus libere quæ ſentiebant, dici cuperet: & cum dictum eſſet, audiret: & cum audiſſet, ita ut res poſcebat, emendaret atque corrigeret: ſi minus bene factum eſſet aliquid, etiam ipſe convinceret, idque ſine faſtu & ſine amaritudine animi: conſeſſum omnibus ſemper offerret, præter eos quos furtorum denſior fama perſtrinxerat; de abſentibus ſemper requirens. Denique cum ei objicerent nimiam civilitatem & Mammæa mater, & (6) uxor Memmia Sulpicii conſularis viri filia, Catuli neptis, & ſæpe dicerent: *Molliorem tibi poteſtatem & contemptibiliorem Imperii feciſti:* Ille reſpondit: *Sed ſecuriorem atque diuturniorem.* Diis denique nunquam tranſiit, quin aliquid manſuetum, civile, pium faceret: ſed ita ut ærarium non everteret.

Moderatio Alexandri.

A matre ob nimiam civilitatem culpatus, quid reſponderit?

CAP. XXI. Condemnationes & raras eſſe juſſit, & quæ factæ fuerant, non indulſit. Vectigalia civitatibus ad proprias fabricas deputavit. Fœnus publicum trientarium exercuit, ita ut pauperibus pleriſque ſine uſuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus. Præfectis prætorique ſuis ſenatoriam addidit dignitatem, ut viri clariſſimi & eſſent & dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat, eouſque ut ſi quis Imperatorum ſucceſſorem præfecto prætorii dare vellet, laticlaviam eidem per libertum ſubmitteret: ut in multorum vita Marius Maximus dixit. Alexander autem idcirco Senatores eſſe voluit præfectos prætorii ne quis non Senator de Romano Senatore judicaret. Milites ſuos ſic ubique ſcivit, ut in cubiculo haberet breves, & numerum, & tempora militantium, ſemperque cum ſolus eſſet, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & ſtipendia re-

Præfectis prætorio Senatoriam dignitatem addidit.

Milites ſuos omnes novit.

Xx 3 cenſe-

(6) Uxor Memmia) De hac Numarii Scriptores quamvis taceant, producunt tamen SALUSTIAM BARBIAM ORBIANAM uxorem Alexandri Severi Imperatoris, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 327. vide Tab. LX. num. 8. Conf. BEGER. T. II. p. 718. HAYM Theſoro Britannico P. I. Vol. 2. p. 258.

censeret, ut esset ad omnia instructissimus. Denique cum inter militares aliquid ageretur, multorum dicebat & nomina. De promovendis etiam sibi annotabat, & perlegebat cuncta pittacia, & sic faciebat, diebus etiam pariter annotatis, & quis, & qualis esset, & quo insinuante promotus. Commeatum Populi Romani sic adjuvit, ut cum frumenta Heliogabalus evertisset, vicem de propria pecunia (*g*) loco suo reponeret.

CAP. XXII. Negotiatoribus ut Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit. Oleum quod Severus Populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit. Jus conferendi rationes, quod impurus ille sustulerat, hic omnibus reddidit. Mechanica opera Romæ plurima instituit. Judæis privilegia reservavit. Christianos esse passus est. Pontificibus tantum detulit & quindecim viris atque auguribus, ut quasdam causas sacrorum à se finitas, iterari & aliter distingui pateretur. Præsides provinciarum, quos vere, non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit, & muneribus adjuvit, dicens: *& fures à republica pellendos ac pauperandos, & integros esse redimendos atque ditandos.* Cum vilitatem Populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per curionem, *quam speciem caram putarent:* Illi continuo exclamaverunt, *carnem bubulam, atque porcinam:* tunc ille non quidem vilitatem proposuit, sed jussit, *ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem:* tantumque intra biennium vel prope annum, porcinæ carnis fuit & bubulæ, ut cum fuisset octominutalis libra, ad duos unumque utriusque carnis libra redigeretur.

Fideles & bonos ministros muneribus afficit.

Caritati prudenter occurrit.

CAP. XXIII. Causas militum contra tribunos sic audivit, ut si aliquem reperisset tribunorum in crimine, pro facti qualitate sine indulgentiæ proposito puniret. De omnibus hominibus per fideles homines suos semper quæsivit: & per eos quos nemo nosset hoc agere; cum diceret, omnes præda corrumpi posse. Servos suos semper cum servili veste habuit, libertos cum ingenuorum. Eunuchos de ministerio suo abjecit, & uxori ut servos servire jussit. Et cum Heliogabalus mancipium eunuchorum fuisset, ad certum numerum eos redegit, nec quidquam in palatio curare voluit nisi balneas fœminarum. Cum plerosque eunuchos rationibus & procurationibus præposuisset Heliogabalus; hic illis & veteres sustulit dignitates. Idem tertium genus hominum eunuchos esse dicebat: nec videndum, nec in usu habendum à viris, sed vix à fœminis nobilibus. Qui de eo fumum vendiderat, & à quodam militari centum aureos acceperat, in cem tolli jussit per eam viam qua esset servis suis ad suburbana imperatoria iter frequentissimum.

Milites contra tribunos audit.

Eunuchos pro servis habet.

Fumos de se vendentem gravi pœna afficit.

CAP. XXIV. Provincias prætorias, præsidiales plurimas fecit: proconsulares ex Senatus voluntate ordinavit. Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit; quod quidem jam ante prohibitum, Heliogabalus fieri permiserat. Lenonum vectigal & meretricum & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri, & ærarii deputavit. Habuit in animo, ut exoletos vetaret, quod postea Philippus fecit: sed veritus est, ne prohibens, publicum dedecus in privatas cupiditates converteret: cum homines illicita magis poscant, prohibitaque furore persequantur. Braccariorum, linteonum, vitreariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & ceterarum artium, vectigal pulcherrimum instituit: ex eoque jussit (7) thermas, & quas ipse fundaverat, & superiores, Populi usibus exhiberi: silvas etiam thermis publicis deputavit. Addidit & oleum luminibus thermarum, cum antea non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur.

Balnea mixta prohibet.

Vectigalia multis artificiis Romæ imponit.

Ex iisque thermas exhibet.

Quibus proprias silvas & oleum addidit.

CAP. XXV. Hujus Imperium incruentum quidam litteris tradiderunt, quod contra est. Nam & *Severus* est appellatus à militibus ob austeritatem, & in animadversionibus asperior in quibusdam fuit. Opera veterum principum instauravit: ipse nova multa constituit: in his thermas nominis sui, juxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ *Alexandrina* nunc dicitur. Nemus thermis suis de privatis ædibus suis, quas emerat, dirutis ædificiis, fecit. *Oceani solium* primus inter principes appellavit, cum Trajanus id non fecisset, sed diebus solia deputasset. Antonini Caracalli thermas additis sortionibus perfecit & ornavit. *Alexandrinum opus* marmoris, de duobus marmoribus, hoc est Porphyretico & Lacedæmonio, primus instituit; palatio exornato hoc genere marmorandi. Statuas colossas in Urbe multas locavit, artificibus undique conquisitis. Alexandri habitu nummos plurimos figuravit; & quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos. A mulieribus famosis matrem & uxorem suam salutari vetuit. Conciones in Urbe multas habuit more vetuit tribunorum & Consulum.

Opera publica Alexandrina.

CAP. XXVI. Congiarium Populo ter dedit, donativum militibus ter: carnem Populo addidit. Usuras fœneratorum contraxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens. Senatores si fœnerarentur, usuras accipere primo vetuit, nisi aliquid muneris causa acciperent: postea tamen jussit in semisses acciperent donum, munus tamen sustulit. Statuas summorum virorum in foro Trájani collocavit undique translatas. Paulum & Ulpianum in magno honore habuit, quos præfectos ab Heliogabalo alii dicunt factos, alii ab ipso. Nam & consiliarius Alexandri, & magister scrinii Ulpianus fuisse perhibetur: qui tamen ambo assessores Papiniani fuisse dicuntur. Basilicam Alexandrinam instituerat inter campum Martium & septa Agrippiana, in latum pedum centum, in longum pedum mille; ita ut tota columnis penderet: quam efficere non potuit morte

Liberalitas Alexandri.

Senatores usuras accipere prohibet.

(*g*) al. evertisset, hic empta de propria pecunia.

(7) Thermas) Has thermas exhibet nummus Tab. LXI. num. 1. Conf. BEGER. Tom. II. p. 717.

morte præventus. Iſium & Serapium decenter ornavit, additis ſignis & deliacis & omnibus myſticis. In matrem Mammæam unice pius fuit, ita ut Romæ in palatio faceret dietas nominis Mammææ, quas imperitum vulgus hodia *ad Mammam* vocant. Et in Baiano (8) palatium cum ſtagno, quod Mammææ nomine hodieque cenſetur. Fecit & alia in Bajano opera magnifica in honorem affinium ſuorum, & ſtagna ſtupenda, admiſſo mari. Pontes quos Trajanus fecerat, inſtauravit pene in omnibus locis; aliquos etiam novos fecit, ſed inſtauratis nomen Trajani reſervavit.

Pietas Alexandri in matrem.

CAP. XXVII. In animo habuit omnibus officiis genus veſtium proprium dare & omnibus dignitatibus, ut à veſtitu dignoſcerentur: & omnibus ſervis, ut in Populo poſſent agnoſci, ne quis ſeditioſus eſſet, ſimul ne ſervi ingenuis miſcerentur. Sed hoc Ulpiano Pauloque diſplicuit, dicentibus, plurimum rixarum fore, ſi facile eſſent homines ad injurias. Tum ſatis eſſe conſtituit, ut equites Romani à Senatoribus clavi qualitate diſcernerentur. Pænulis intra Urbem frigoris cauſa ut ſenes uterentur permiſit, cum id veſtimenti genus ſemper itinerarium, ut pluviæ fuiſſet. Matronas tamen intra Urbem pænulis uti vetuit, in itinere permiſit. Facundiæ fuit Græcæ magis quam Latinæ, nec verſu invenuſtus. Et ad muſicam pronus, matheſeos peritus: & ita quidem ex ejus juſſu mathematici publice propoſuerint Romæ, ac ſint profeſſi ut docerent. Aruſpicinæ quoque peritiſſimus fuit. Ὀρνεοσκόπος magnus, ut & Vaſcones & Hiſpanorum & Pannoniorum augures vicerit. Geometriam fecit. Pinxit mire, cantavit nobiliter: ſed numquam alio conſcio, niſi pueris ſuis teſtibus. Vitas principum bonorum verſibus ſcripſit. Lyra, tibia, organo cecinit; tuba etiam: quod quidem Imperator numquam oſtendit. Palæſtes primus fuit, in armis magnus, adeo ut multa bella & glorioſe geſſerit.

Omnibus officiis genus veſtium proprium dare voluit.

Studia Alexandri.

Vitas principum bonorum verſibus ſcribit.

CAP. XXVIII. Conſulatum ter iniit tantum ordinarium: ac primo nundino ſibi alios ſemper ſuffecit. Severiſſimus judex contra fures, appellans eoſdem quotidianorum ſcelerum reos, & damnans acerrime, ac ſolos hoſtes inimicoſque reipublicæ vocans. Eum notarium qui falſum cauſæ brevem in conſilio imperatorio retuliſſet, inciſis digitorum nervis, ita ut numquam poſſet ſcribere, deportavit. Cum quidam ex honoratis, vitæ ſordidæ & aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiam ad militiam aſpiraſſet, idcirco quod per reges amicos ambierat, admiſſus, ſtatim in furto præſentibus patronis detectus eſt, juſſuſque à regibus audiri, damnatus eſt re probata. Et cum quæreretur à regibus, *quid apud eos paterentur fures*, illi reſponderunt, *Crucem:* ad eorum reſponſum in crucem ſublatus eſt. Ita & patronis auctoribus damnatus ambitor eſt; & Alexandri, quam præcipue tuebatur, ſervata clementia eſt. Statuas coloſſas, vel pedeſtres nudas, vel equeſtres, divis Imperatoribus in foro divi Nervæ, quod *tranſitorium* dicitur, locavit, omnibus cum titulis, & columnis æreis, quæ geſtorum ordinem continerentur, exemplo Auguſti, qui ſummorum virorum ſtatuas in foro ſuo è marmore collocavit, additis geſtis. Volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maxime quod quodam tempore feſto, ut ſolent Antiochenſes, Egyptii, Alexandrini, laceſſiverant eum convitiolis, *Syrum archiſynagogum* eum vocantes & *archierea*

Fures pœnâ crucis affecit.

Auguſtum imitatur in collocandis ſtatuis.

CAP. XXIX. Antequam de bellis ejus & expeditionibus & victoriis loquar, de vita quotidiana & domeſtica pauca diſſeram. Uſus vivendi eidem hic fuit. Primum ut, ſi facultas eſſet, id eſt, ſi non cum uxore cubuiſſet, matutinis horis in larario ſuo, in quo & divos principes, ſed optimos, electos, & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, & Orpheum, & hujuſmodi ceteros habebat, ac majorum effigies, rem divinam faciebat. Si id non poterat, pro loci qualitate vel vectabatur, vel piſcabatur, vel deambulabat, vel venabatur. Dehinc ſi hora permitteret, actibus publicis poſt multam horam operam dabat, idcirco quod & res bellicæ & res civiles (ut ſuperius dictum eſt) per amicos tractabantur, ſed ſanctos & fideles, & numquam venales: & tractatæ firmabantur, niſi quid novi etiam ipſi placeret. Sane ſi neceſſitas cogeret, ante lucem actibus operam dabat, & in longam horam producebat, neque umquam tædiavit, aut moroſus aut iratus reſedit, fronte ſemper pari, & lætus ad omnia. Erat enim ingentis prudentiæ; & cui nemo poſſet imponere: & quem aliquis urbane tentare voluit, intellectus, tulit pœnas.

Alexandri vita quotidiana & domeſtica.

Res civiles & bellicas per amicos tractat.

CAP. XXX. Poſt actus publicos ſeu bellicos ſeu civiles, lectioni Græcæ operam majorem dabat, *de republica* libros Platonis legens. Latina cum legeret, non alia magis legebat quam *De officiis* Ciceronis & *De republica.* Nonnumquam & oratores & poëtas, in queis Serenum Sammonicum, quem ipſe noverat & dilexerat, & Horatium. Legit & vitam Alexandri, quem præcipue imitatus eſt: etſi in eo contemnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos; quamvis utrumque defendatur à bonis ſcriptoribus, quibus ſæpius ille credebat. Poſt lectionem, operam palæſtræ, aut ſphæriſterio, aut curſui, aut luctaminibus mollioribus dabat. Atque inde unctus lavabatur, ita ut caldariis vel numquam vel raro, piſcina ſemper uteretur, in eaque una hora prope maneret, biberet etiam frigidam Claudiam jejunus, ad unum propo ſextarium. Egreſſus balneas multum lactis & panis ſumebat, ova, deinde mulſum: atque his refectus, aliquando prandium inibat, aliquando cibum uſque ad cœnam differebat: prandit tamen ſæpius. Uſuſque eſt Hadriani tetrapharmaco frequenter, de quo in libris ſuis Marius Maximus loquitur, cum Hadriani differit vitam.

Quos ſcriptores legerit.

Quid poſt lectionem egerit.

CAP. XXXI. Poſt meridianas horas, ſubſcriptioni

Alexander epiſtolas omnes

(8) Palatium cum ſtagno) Hoc palatium repræſentat numus Tab. LXI. num. 2. Conf. OISEL. Tab. CIX. num. 7. p. 533.

legit & subscribit.

scriptioni & lectioni epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis, & libellis, & à memoria, semper assisterent; nonnumquam etiam, si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta librariis & iis qui scrinium gerebant; ita, ut Alexander sua manu adderet siquid esset addendum: sed ex ejus sententia qui disertior habebatur. Post epistolas, omnes amicos simul admisit, cum omnibus pariter est loquutus: neque umquam solum quemquam, nisi præfectum suum, vidit, & quidem Ulpianum, ex assessore semper suo; causa justitiæ singularis. Cum autem alterum adhibuit, & Ulpianum rogari jussit. Virgilium autem, *Platonem poëtarum* vocabat, ejusque imaginem cum Ciceronis simulacro, in secundo larario habuit, ubi & Achillis & magnorum virorum. Alexandrum vero Magnum inter divos & optimos in larario majore consecravit.

Ulpianus in familiaritatem Alexandri admissus.

Quando cum amicis & bene meritis de republica egerit.

CAP. XXXII. Injuriam nulli umquam amicorum comitumve fecit, nec magistris quidem, aut principibus officiorum. Præfectis autem semper detulit, asserens, *eum qui mereatur injuriam pati, ab Imperatore damnandum esse, non dimittendum.* Si umquam alicui præsentium successorem dedit, semper illud addidit, *Gratias tibi agit respublica:* eumque muneratus est, ita ut privatus pro loco suo posset honeste vivere: his quidem muneribus, agris, bobus, equis, frumento, ferro, impendiis ad faciendam domum, marmoribus ad ornandum & operis, quas ratio fabricæ requirebat. Aurum & argentum raro cuiquam nisi militi, divisit, *nefas esse* dicens, *ut dispensator publicus in delectationes suas & suorum converteret id quod provinciales dedissent.* Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remisit.

CAP. XXXIII. Fecit Romæ curatores Urbis quatuordecim, sed ex consularibus viris; quos audire negotia urbana cum præfecto Urbis jussit; ita ut omnes, aut magna pars adesset, cum acta fierent. Corpora omnium constituit, vinariorum, lupinariorum, caligariorum, & omnino omnium artium: hisque ex sese defensores dedit, & jussit quid ad quos judices pertineret. Scenicis numquam aurum, numquam argentum, vix pecuniam donavit: pretiosas vestes quas Heliogabalus dederat, etiam sustulit. Milites quos *ostensionales* vocant, pretiosis, sed speciosis, clarisque vestibus ornabat: nec multum in signa, aut ad apparatum regium auri & serici deputabat, dicens, *imperium in virtute esse, non in decore.* Chlamydes hirtas Severi, & tunicas asemas vel macrocheras, ex purpura non magna, ad usum revocavit suum.

Alexandri parsimonia.

CAP. XXXIV. In convivio aurum nesciit: popula mediocria, sed nitida semper habuit. Ducentarum librarum argenti pondus ministerium ejus numquam transiit. Nanos & nanas, & moriones & vocales exoletos, & omnia acroâmata, & pantomimos, Populo donavit: qui autem usui non erant, singulis civitatibus deputavit alendos singulos, ne gravarentur specie mendicorum. Eunuchos, quos Heliogabalus & in consiliis turpibus habebat & promovebat, donavit amicis, addito elogio, *ut si non rediissent ad bonos mores, eosdem liceret occidi sine auctoritate judicii.* Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehenderat, publicari jussit, exoletis omnibus deportatis, aliquibus etiam naufragio mersis, cum quibus illa clades consuetudinem habuerat funestissimam. Auratam vestem ministrorum vel in publico convivio nullus habuit. Cum inter suos convivaretur, aut Ulpianum aut doctos homines adhibebat, ut haberet fabulas litteratas, quibus se recreari dicebat & pasci. Habebat cum privatim convivaretur, & librum in mensa, & legebat, sed Græca magis. Latinos autem poëtas lectitabat. Publico convivio ea simplicitate egit qua privato; nisi cum numerus accubantium crescebat & multitudo convivarum, qua ille offendebatur, dicens *se in theatro & circo manducare.*

Eunuchos odit.

Et mulieres infames.

In Conviviis doctos homines adhibet.

CAP. XXXV. Oratores & poëtas non sibi panegyricos dicentes (quod exemplo Nigri Pescennii stultum dicebat) sed aut orationes recitantes, aut facta veterum, quos ante retuli, libenter audivit: libentius tamen, siquis ei recitavit Alexandri Magni laudes, aut meliorum retro principum, aut magnorum Urbis Romæ virorum. Ad Athenæum, audiendorum & Græcorum & Latinorum rhetorum vel poëtarum causa, frequenter processit. Audivit autem etiam forenses oratores causas recitantes, quas vel apud ipsum, vel apud præfectos Urbis egerant. Agoni præcedit, & maxime Herculeo, in honorem Magni Alexandri. Solus post meridiem, vel matutinis horis, idcirco numquam aliquos videbat, quod ementitos de se multa cognoverat: speciatim Vetronium Turinum: quem cum familiarem habuisset, ille omnia vel fingendo sic vendiderat, ut Alexandri, quasi stulti hominis & quem ille in potestate haberet & cui multa persuaderet, infamaret Imperium: sicque omnibus persuaserat quod ad nutum suum omnia faceret.

Panegyricos proprios odit.

Aliorum magnorum virorum libenter audit.

Vetronius Turinus fumorum venditor.

CAP. XXXVI. Denique hac illum arte deprehendit, ut quendam immitteret, qui à se quiddam publice peteret, ab illo autem occulte quasi præsidium postularet, ut pro eo Alexandro secreto suggereret. Quod cum factum esset, & Turinus suffragium promisisset, dixissetque se quædam Imperatori dixisse, cum nihil dixisset, sed in eo pendere ut adhuc impetraret, eventum vendens: cumque iterum jussisset Alexander interpellari, & Turinus quasi aliud agens nutibus annuisset, neque tamen interim quidquam dixisset, impetratum autem esset quod petebatur, Turinusque ab illo qui meruerat, fumi venditor, ingentia præmia percepisset: accusari eum Alexander jussit, probansque per testes omnibus, & quibus præsentibus quid accepisset, & quibus audientibus quid promisisset, in foro transitorio ad stipidem illum ligari præcepit, & fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, necavit; præcone dicente, *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Ac ne una tantum causa videretur crudelior fuisse, quæsivit diligentissime antequam eum damnaret: & invenit Turinum sæpe & in causis ab utraque parte accepisse, cum eventus venderet, ab omnibus qui aut præposituras aut provincias acceperant.

Pœnas luit.

CAP.

Alexandri parsimonia in spectaculis.

CAP. XXXVII. Spectacula frequentavit cum summa donandi parsimonia, dicens, *& scenicos & venatores & aurigas sic alendos, quasi servos nostros, aut venatores, aut muliones, aut voluptarios.* Convivium neque opimum, neque nimis parcum, sed nitoris summi fuit: ita tamen ut pura mantilia mitterentur; sæpius cocco clavata, aurata vero numquam; cum hæc Heliogabalus jam recepisset, & ante (ut quidam prædicant) Hadrianus habuisset. Usus convivii diurnus hic fuit: Vini ad totum diem sextarii triginta; panis mundi pondo triginta; panis sequentis ad donandum pondo quinquaginta. Nam semper de manu sua ministris convivii & panem & partes, aut olerum aut carnis, aut leguminum dabat, senili prorsus maturitate patremfamilias agens. Erant decreta & carnis diversæ pondo triginta; erant & gallinacei duo. Adhibebatur & anser diebus festis: Kalendis autem Januariis, & hilariis matris Deûm, & ludis Apollinaribus, & Jovis epulo, & Saturnalibus, & hujusmodi festis diebus, fasianus: ita ut aliquando & duo ponerentur, additis gallinaceis duobus. Leporem quotidie habuit, venationem frequentem, sed eam cum amicis dividebat, & his maxime quos sciebat per se non habere. Nec divitibus quidquam talium munerum misit, sed ab his semper accepit. Habuit quotidie milii sine pipere sextarios quatuor, cum pipere duo: &, ne sit longum omnia inserere quæ Gargilius Martialis ejus temporibus scriptor singulatim persequutus est, omnia & ad modum & rationem illi sunt præbita. Pomis vehementer indulsit, ita ut secunda mensa illius sæpius ponerentur, unde etiam jocus exstitit. *Non secundam mensam Alexandrum habere, sed secundum.* Ipse cibo plurimo reficiebatur: vino neque parce, neque copiose, affatim tamen. Frigida semper pura usus, & æstate vino cum rosa condito: quod quidem solum ex diverso genere Heliogabali tenuerat.

In conviviis.

Secunda mensa Alexandro sæpe ponitur.

Lepores frequenter comedit Alexander.

CAP. XXXVIII. Et quoniam de lepusculis facta est mentio; quod ille leporem quotidie haberet, jocus poëticus emersit, idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt eos qui leporem comederint, ut Martialis etiam epigramma significat, quod contra quandam Gelliam scripsit hujusmodi,

Cum leporem mittis, semper mihi Gellia mandas,
Septem formosus Marce diebus eris.
Si verum dicis, si verum Gellia mandas,
Edisti numquam Gellia tu leporem.

Sed hos versus Martialis in eam quæ deformis esset, composuit: poëta vero temporum Alexandri hæc in eum dixit,

Pulcrum quod vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago (*b*),
Venatus facit, & lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem.

Hos versus cum ad eum quidam ex amicis detulisset, respondisse ille dicitur Græcis versibus in hanc sententiam:

Pulchrum quod putas esse vestrum regem,
Vulgari, miserande, de fabella:
Si verum putas esse, non irascor.
Tantum tu comedas velim lepusculos:
Ut fias, animi malis repulsis,
Pulcher, ne invideas livore mentis.

CAP. XXXIX. Cum amicos militares habuisset ut usum Trajani, quem ille post secundam mensam, potandi usque ad quinque pocula instituerat, reservaret, unum tantum poculum amicis exhibebat, in honorem Alexandri Magni: id autem brevius, nisi si quis, quod licebat, majus habere postulasset. Usus Veneris in eo moderatus fuit, exoletorum ita expers, ut (quemadmodum supra diximus) legem de his auferendis ferre voluerit. Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona ii, qui privatas custodias non haberent. Balnea omnibus regionibus addidit quæ forte non habebant. Nam hodieque multa dicuntur Alexandri. Fecit & domos pulcherrimas, easdemque amicis suis maxime integris viris donavit. Vectigalia publica in id contraxit, ut qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem aurei præstarent, hoc est tricesimam partem. Tuncque primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, cum ad tertiam aurei partem vectigal decidisset, tremisses: dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset: quos quidem jam formatos in moneta detinuit, exspectans ut si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet. Sed cum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos jussit, & tremisses tantum solidosque formari. Formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius usque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi præcepit, neque in usu cujusquam versari, atque ex eo his materiæ nomen inditum est, cum diceret plus largiendi hanc esse Imperatori causam, si, cum multos solidos minores dare posset, (9) dans decem vel amplius una forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur.

Mos potandi usque ad quinque pocula.

Horrea publica.

Et Balnea instituta.

Vectigalia contracta.

Moneta ad vectigalia persolvenda quæ.

CAP. XL. Vestes sericas ipse raras habuit: holosericas numquam induit, subsericam numquam donavit. Divitiis nullius invidit. Pauperes juvit. Honoratos, quos pauperes vere, non per luxuriam, aut simulationem vidit, semper multis commodis auxit, agris, servis, animalibus, gregibus, ferramentis rusticis. In thesauris vestem numquam nisi annum esse passus est eamque statim expendi jussit. Omnem vestem quam donavit, ipse perspexit; omne aurum, omne argentum, idque frequenter appendit. Donavit & ocreas, & braccas, & calceamenta inter vestimenta militaria. Purpuræ clarissimæ non ad usum suum, sed ad matronarum, si quæ aut possent, aut vellent, certe ad vendendum, gravissimus exactor fuit: ita ut *Alexandrina purpura* hodieque dicatur, quæ vulgo *Probiana* dicitur, idcirco quod Aurelius Probus baphiis præpositus, id genus muricis

Vestitus Alexandri.

Purpura Alexandrina.

(*b*) al. Quem de Syria detulit propago. al. Pulcrum quod Syra detulit propago.

(9) Dans decem & amplius una forma) Ideo quod Alexander Severus Imperator monetas variæ formæ curaverit, in numo Tab. LXI. num. 3. dicitur Restitutor monetæ. Qui numus ob molem & integritatem rarissimus, in Musæo Hoffmanniano asservatur. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. p. 717.

muricis reperiſſet. Uſus eſt ipſe chlamyde coccinea ſæpe. In Urbe tamen ſemper togatus fuit, & in Italiæ urbibus. Prætextam & pictam togam numquam niſi conſul accepit: & eam quidem quam de Jovis templo ſumptam alii quoque accipiebant, aut prætores aut conſules. Accepit prætextam etiam cum ſacra faceret, ſed loco Pontificis maximi, non Imperatoris. Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri, dicens, *Si lintea idcirco ſunt, ut nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura?* In linea autem aurum mitti, etiam dementiam judicabat, cum aſperitati adderetur rigor. Faſciis ſemper uſus eſt. Braccas albas habuit, non coccineas, ut prius ſolebant.

Gemmas vendit Alexander.

CAP. XLI. Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit dicens, *gemmas viris uſui non eſſe: matronas autem regias contentas eſſe debere uno veticulo, atque in auribus, & baccato monili, & corona cum qua ſacrificium facerent, & unico pallio auro ſparſo, & cyclade quæ ſex uncias auri plus non haberet.* Prorſus cenſuram ſuis temporibus de propriis moribus geſſit. Imitati ſunt eum magni viri, & uxorem ejus matronæ pernobiles. Aulicum miniſterium in id contraxit, ut eſſent tot homines in ſingulis officiis, quot neceſſitas poſtularet: ita ut annonas, non dignitatem, acciperent fullones & veſtitores, & pictores & pincernæ, omnes caſtrenſes miniſtri, quemadmodum peſtis illa inſtituerat; ſed annonas ſingulas, vix binas. Et cum argentum in miniſterio plus ducentis libris non haberet, nec plures miniſtros, argentum & miniſtros ante quando poſcebat, accipiebat ab amicis: quod hodieque fit, ſi præſtatur à præfectis abſente Imperatore. Voluptates ſcenicas in convivio numquam habuit, ſumma illa oblectatio fuit, ut catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter ſe pugnarent, aut aves parvulæ ſurſum & deorſum volitarent. Habuit ſane in palatio unum genus voluptatis, quo maxime delectatus eſt, & quo ſolicitudines publicas ſublevaret. Nam aviaria inſtituerat pavonum, faſianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam: hiſque vehementer oblectabatur, maxime palumborum, quos habuiſſe ad viginti millia dicitur: & ne eorum paſtus gravaret annonam, ſervos habuit vectigales, qui eos ex ovis ac pullicinis ac pipinionibus alerent.

Mores Alexandri imitantur alii.

Aviaria ſumma Alexandri delectatio.

CAP. XLII. Thermis & ſuis & veterum frequenter cum Populo uſus eſt, & æſtate maxime; balneari veſte ad palatium revertens; hoc ſolum imperatorium habens, quod lacernam coccineam accipiebat. Curſorem numquam niſi ſervum ſuum, dicens ingenuum currere, niſi in ſacro certamine, non debere. Cocos, piſcatores, fullones & balneatores, nonniſi ſervos ſuos habuit: ita ut ſi quis deeſſet, emeret. Medicus ſub eo unus palatinus ſalarium accepit: ceteri omnes, qui uſque ad ſex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant, ita ut mundas ſingulas conſequeretur, alias aliter. Judices cum promoveret, exemplo veterum, ut & Cicero docet, & argento & neceſſariis inſtruebat; ita ut præſides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas ſenas, mulos binos, equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, cocos ſingulos, muliones ſingulos, &, ſi uxores non haberent, ſingulas concubinas, (quod ſine his eſſe non poſſent) reddituri depoſita adminiſtratione, mulas, mulos, equos, muliones, & cocos: cetera ſibi habituri, ſi bene egiſſent; in quadruplum reddituri, ſi male, præter condemnationem, aut peculatus, aut repetundarum.

Judicum ſalaria.

Carrucas & rhedas Senatoribus permittit.

CAP. XLIII. Leges innumeras ſanxit. Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permiſit: intereſſe Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ urbis Senatores vectarentur. Conſules quoſcumque vel ordinarios, vel ſuffectos creavit, ex Senatus ſententia nominavit, ſumptum eorum contrahens: & nundina vetera ex ordine inſtituit, vel dies vel tempora. Quæſtores candidatos, ex ſua pecunia juſſit munera Populo dare, ſed ut poſt quæſturam præturas acciperent, & inde provincias regerent: arcarios vero inſtituit, qui de arca fiſci ederent munera, eademque parciora. Habuit in animo ut munera per totum annum diſpergeret, ut per triginta dies munus Populo daretur: ſed cur id non fecerit, in occulto habetur. Capitolium ſeptimo die cum in Urbe eſſet, aſcendit, templa frequentavit. CHRISTO templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur *Hadriani*, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab iis qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua deſerenda.

CHRISTO templum facere voluit.

CAP. XLIV. In jocis Alexander dulciſſimus fuit, in fabulis amabilis, in conviviis comis, ita ut quiſque poſceret quod vellet. Ad aurum colligendum attentus, ad ſervandum cautus, ad inveniendum ſollicitus, ſed ſine cujuſquam excidio. Syrum ſe dici noluit, ſed à majoribus Romanum. Et ſtemma generis depinxerat, quo oſtendebatur genus ejus à Metellis deſcendere. Rhetoribus, grammaticis, medicis, aruſpicibus, mathematicis, mechanicis, architectis ſalaria inſtituit, & auditoria decrevit, & diſcipulos cum annonis pauperum filios, modo ingenuos, dari juſſit. Etiam in provinciis, oratoribus forenſibus multum detulit, pleriſque etiam annonas dedit, quos conſtitiſſet gratis agere. Leges in annonas firmavit, eaſque etiam ipſe diligentiſſime ſervavit. Theatralia ſpectacula ſæpe obiit. Theatrum Marcelli reficere voluit. Multis civitatibus, quæ poſt terræ motus deformes erant, ad inſtaurationem operum & publicorum & privatorum, pecuniam ex vectigalibus dedit. In templis ſane numquam præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem, aut bracteolam poſuit, ſuſurrans verſum Perſii,

Syrum ſe dici noluit, ſed Romanum.

Artes liberales colit.

Civitates inſtaurat.

--- *in ſanctis quid facit aurum?*

CAP. XLV. Expeditiones bellicas habuit, de quibus ordine ſuo ediſſeram. Primum tamen ejus conſuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis. Tacebantur ſecreta bellorum: itinerum autem dies publice proponebantur, ita ut edictum penderet ante menſes duos

Sub Severo tacentur ſecreta bellorum.

duos in quo scriptum esset: *Illa die, illa hora ab Urbe sum exiturus*, &, *si dii voluerint, in prima mansione mansurus*: deinde per ordinem mansiones, deinde stativæ, deinde ubi annona esset accipienda: & id quidem eo usque, quamdiu ad fines barbaricos veniretur. Jam enim inde tacebatur, & omnes ambulabant ita, ne dispositionem Romanam barbari scirent. Certum est autem eum numquam id quod proposuerat, fefellisse, cum diceret, *Nolle ab mulicis suas vendi dispositiones*, quod factum fuerat sub Heliogabalo, cum ab eunuchis omnia venderentur. Quod genus hominum idcirco secreta omnia in aula nosse cupiunt, ut soli aliquid scire videantur, & habeant unde vel gratiam vel pecuniam requirant. Et quia de publicanis dispositionibus mentio contigit; ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans Populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebatque, *grave esse, cum id Christiani & Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.*

Ab Eunuchis secreta venduntur.

Rectores provinciarum vult esse innocentes.

CAP. XLVI. Assessoribus salaria instituit: quamvis sæpe dixerit *eos esse promovendos qui per se rempublicam gerere possent, non per assessores*; addens, *militares habere suas administrationes, habere litteratos: & ideo unumquemque hoc agere debere quod nosset.* Thesauros repertos, iis qui repererant, donavit: &, si multi essent, addidit his eos quos in suis habebat officiis. Cogitabat secum, & descriptum habebat, cui quid præstitisset: & si quos sciret vel nihil petiisse, vel non multum, unde sumptus suos augerent, vocabat eos, & dicebat; *Quid est cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne privatus de me queraris.* Dabat autem hæc in beneficiis, quæ famam ejus non læderent; bona punitorum, sed numquam cum auro, argento, vel gemmis; nam id omne in ærarium reponebat: dabat præposituras locorum civilium, non militum: dabat eas administrationes quæ ad procurationes pertinerent. Rationales cito mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret; eosque, si boni essent, oderat, *malum necessarium* vocans. Præsides vero, proconsules, & legatos, numquam fecit ad beneficium, sed ad judicium vel suum vel Senatus.

Assessoribus salaria instituit.

Severi munificentia.

CAP. XLVII. Milites expeditionis tempore sic disposuit, ut in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem (ut solent) dierum, nisi in barbarico: quamvis & illic mulis eosdem atque camelis adjuverit, dicens, *Milites se magis servare, quam seipsum; quod salus publica in his esset.* Ægrotantes ipse visitavit per tentoria milites, etiam ultimos, & carpentis vexit, & omnibus necessariis adjuvit. Et si forte gravius laborassent, per civitates & agros patribus familias hominibus, & sanctioribus matronis eos distribuebat, reddens impendia quæ fecissent, sive convaluissent illi, seu periissent.

Disciplina militaris.

Ægrotantes milites curat.

CAP. XLVIII. Cum quidam *Ovinius Camillus*, Senator antiquæ familiæ delicatissimus, rebellare voluisset, tyrannidem affectans, eique nuntiatum esset, ac statim probatum, ad Palatium eum rogavit: eique gratias egit quod curam reipublicæ, quæ recusantibus bonis imponeretur, sponte reciperet: deinde ad Senatum processit, & timentem ac tantæ conscientiæ tabe confectum, participem Imperii appellavit, in Palatium recepit, convivio adhibuit, ornamentis imperialibus & melioribus quam ipse utebatur, affecit. Et cum expeditio barbarica esset nuntiata, vel ipsum, si vellet, ire, vel ut secum proficisceretur, hortatus est. Et cum ipse pedes iter faceret, illum invitavit ad laborem: quem post quinque millia cunctantem, equo sedere jussit. Cumque post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoque, seu timore, seu vere respuentem, abdicantem quinetiam Imperium, & mori paratum, dimisit: commendatumque militibus, à quibus Alexander unice amabatur, tutum ad villas suas ire præcepit, in quibus diu vixit. Sed post jussu Imperatoris occisus est, quod ille militaris esset & à militibus amatus. Scio vulgum hanc rem quam contexui, Trajani putare; sed neque in vita ejus id Marius Maximus ita exposuit, neque Fabius Marcellinus, neque Aurelius Verus, neque Statius Valens: qui omnem ejus vitam in litteras miserunt. Contra autem & Septimius, & Acholius, & Encolpius vitæ scriptores, ceterique, de hoc talia prædicaverunt: quod ideo addidi, ne quis vulgi magis famam sequeretur, quam historiam: quæ rumore utique vulgi verior reperitur.

Ovinius Camillus rebellionem cogitans.

Benigne excipitur à Severo.

Postea occiditur.

Dubium an Trajano an Severo hæc adscribenda.

CAP. XLIX. Honores juris gladii numquam vendi passus est, dicens, *Necesse est, ut qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire illum hominem qui emit & vendit.* Pontificatus & quindecimviratus, & auguratus, codicillares fecit, ita ut in Senatu allegerentur. Dexippus dixit uxorem eum cujusdam Martiani filiam duxisse, eundemque ab eo Cæsarem nuncupatum, verum cum vellet insidiis occidere Alexandrum Marcianus, detecta factione, & ipsum interemptum, & uxorem abjectam. Idem dicit, fuisse patruum Antoninum Heliogabalum Alexandri, non uxoris sororis ejusdem filium. Cum Christiani quendam locum qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, *melius esse ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.*

Honores quomodo distribuerit Severus.

Factio Dexippi.

Christianis favet Alexander.

CAP. L. Cum igitur tantus ac talis Imperator domi ac foris esset, iniit Parthicam expeditionem, quam tanta disciplina, tanta reverentia sui egit, ut non milites, sed Senatores transire dicerentur. Quacumque iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipsum vero ob hæc tot & tanta bona, provinciales ut deum suspiciebant. Jam vero ipsi milites juvenem Imperatorem sic amabant, ut fratrem, ut filium, ut parentem: vestiti honeste, calciati etiam ad decorem, armati nobiliter, equis etiam instructi, & ephippiis ac frenis decentibus: prorsus, ut Romanam rempublicam intelligeret quicumque Alexandri vidisset exercitum. Elaborabat denique

Alexander Parthicam init expeditionem.
U. C. 982.
p. C. N. 230.

denique ut dignus illo nomine videretur, imo ut Macedonem illum vinceret, dicebatque inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere. Fecerat denique sibi argyroaspidas & chrysoaspidas: fecerat & phalangem triginta millium hominum, quos *phalangarios* vocari jusserat, & cum quibus multum fecit in Perside: quæ quidem erat ex sex legionibus similium armorum, stipendiorum vero post Persicum bellum majorum.

Gemmas noluit possidere.

CAP. LI. Dona regia in templis posuit: gemmas sibi oblatas vendidit, muliebre esse existimans gemmas possidere, quæ neque militi dari possint, neque à viro haberi. Cum quidam legatus uniones duos uxori ejus per ipsum obtulisset magni ponderis & inusitatæ mensuræ, vendi eos jussit: qui cum pretium non invenirent, ne exemplum malum à regina nasceretur, si eo uteretur quod emi non posset, inauribus Veneris eos dicavit. Ulpianum pro tutore habuit, primum repugnante matre, deinde gratias agente: quem sæpe à militum ira objectu purpuræ summæ defendit: atque ideo summus Imperator fuit, quod ejus consiliis præcipue rempublicam rexit. In procinctu atque in expeditionibus, apertis papilionibus prandit atque cœnavit, cum militarem cibum cunctis videntibus atque gaudentibus sumeret; circumiret prope tota tentoria; à signis abesse neminem pateretur. Si quis de via in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subiiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi; aut, si hæc omnia transiret dignitas hominis, gravissimis contumeliis; cum diceret, *Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Clamabatque sæpius quod à quibusdam sive Judæis sive Christianis audierat, & tenebat; idque per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat, QUOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. Quam sententiam usque adeo dilexit, ut & in Palatio & in publicis operibus præscribi juberet.

Alexander consiliis Ulpiani remp. regit.

Disciplina militaris.

Miles aniculam injuria afficientem exauctoratur.

CAP. LII. Idem cum quandam aniculam affectam injuriis à milite audisset, exauctoratum eum militia, servum ei dedit, quod artifex carpentarius esset, ut eam pasceret. Et cum dolerent hoc milites factum, persuasit omnibus, ut modeste ferrent, & eos terruit. Ἀναίματον Imperium ejus, cum fuerit durus & tetricus, idcirco vocatum est, quod Senatorem nullum occiderit, ut Herodianus Græcus scriptor refert in libris temporum suorum. Severitatis autem tantæ fuit in milites, ut sæpe legiones integras exauctoraverit, ex militibus *Quirites* appellans: nec exercitium umquam timuerit, idcirco quod in vitam suam dici nihil posset, quod umquam tribuni vel duces de stipendiis militum quidquam accepissent, dicens: *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calciatus, & satur, & habens aliquid in zonula:* idcirco quod mendicitas militaris ad omnem desperationem vocaret armatum. Apparitores denique nullos esse passus est: tribunis aut ducibus, nisi milites anteire voluit; jussitque, ut ante tribunum quatuor milites ambularent, ante ducem, sex, ante legatum, decem: hique ad domos suas reciperentur.

Apparitores non passus est.

Severitas Alexandri in disciplina militari.

CAP. LIII. Et ut severitas ejus agnosci posset, unam concionem militarem indendam putavi, quæ illius in rem militarem mores ostenderet. Nam cum Antiochiam venisset, ac milites lavacris muliebribus & deliciis vacarent, eique nuntiatum esset, omnes eos comprehendi jussit, & in vincula coniici. Quod ubi compertum est, mota seditio est à legione cujus socii erant in vincula conjecti. Tum ille tribunal ascendit, vinctisque omnibus ad tribunal adductis, circumstantibus etiam militibus, & quidem armatis, ita cœpit, *Commilitones, si tamen ista vobis quæ à vestris facta sunt, displicent, disciplina majorum rempublicam tenet, quæ si dilabatur, & nomen Romanum & Imperium amittemus. Neque enim sub nobis ista facienda sunt, quæ sub impura illa bestia nuper facta sunt. Milites Romani, vestri socii, mei contubernales & commilitones, amant, potant, lavant, Græcorum more etiam quidam se instituunt: hoc ego diutius feram? & non eos capitali dedam supplicio?* Tumultus post hoc ortus est. Atque iterum, *Quin continetis vocem, in bello contra hostem, non contra Imperatorem vestrum necessariam? certe* (i) *campiductores vestri hanc vos docuerunt contra Sarmatas & Germanos ac Persas emittere; non contra eum, qui acceptam à provincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit. Continete igitur vocem truculentam, campo ac bellis necessariam, ne vos hodie omnes uno ore atque una voce, Quirites, dimittam: & incertum, an Quirites. Non enim digni estis qui vel Romanæ plebis sitis, si jus Romanum non agnoscitis.*

Seditionem quomodo compescuerit.

Orationibus.

CAP. LIV. Et cum vehementius fremerent, ac ferro quoque minarentur: *Deponite*; inquit, *dextras, contra hostem erigendas, si fortes estis: me enim ista non terrent. Si enim unum hominem occideritis, non nobis deerit respublica, non Senatus, non Populus Romanus, qui de vobis vindicet.* Cum nihilominus post ista fremerent, exclamavit, *Quirites discedite, atque arma deponite.* Mirando exemplo depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus, omnes non ad castra, sed ad diversoria varia recesserunt. Tuncque primum intellectum est quantum ejus severitas posset. Denique etiam signa stipatores & ii qui Imperatorem circumdederant, in castra retulerunt, arma collecta Populus ad Palatium tulit: eam tamen legionem quam exauctoravit, rogatus post dies triginta, priusquam ad expeditionem Persicam proficisceretur: loco suo restituit, eaque pugnante maxime vicit: cum tamen tribunos ejus capitali affecerit supplicio, quod per negligentiam illorum milites apud Daphnen luxuriati essent, vel per conniventiam seditionem fecissent exercitus.

Et exauctorationibus.

CAP. LV. Magno igitur apparatu inde in Persas profectus, Artaxerxen regem potentissimum vicit; cum ipse Alexander cornua adiret, milites admoneret, sub ictu teli versaretur, manu plurimum faceret, singulos quosque milites ad laudem verbis adduceret. Fuso denique fugatoque tanto rege, qui cum septingentis elephantis, falcatisque mille & octingentis curribus ad bellum venerat, equitum multis millibus, statim Antiochiam rediit, & de præda quam

Artaxerxen Regem Persarum vincit. U.C. 983. P. C. N. 231.

(i) al. Atque iterum, Qui in concione estis, vocem in bello contra hostem, non contra Imperatorem vestrum necessariam emittite: certe &c.

quam Perſis diripuit, ſuum ditavit exercitum: cum & tribunos ea quæ per vicos diripuerant, & duce: & ipſos milites habere juſſiſſet. Tumque primum Perſæ ſervi apud Romanos fuerunt: quos quidem, quia indigne ferunt Perſarum reges quempiam ſuorum alicubi ſervire, acceptis pretiis reddidit: pretiumque vel iis qui manu ceperant ſervos dedit, vel in ærarium contulit.

Perſæ primum ſervi apud Romanos,

Romam venit & triumphum agit. U. C. 984. P. C. N. 232. Orationes Alexandri ad Senatum de victoria.

CAP. LVI. Poſt hoc Romam venit, (10.) triumphoque pulcherrimo acto, apud Senatum primum hæc verba habuit. Ex actis Senatus die ſeptimo Calendas Octobres. *Perſas, Patres Conſcripti, vicimus. Longa eloquentia opus non eſt: tantum ſcire debetis quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Jam primum elephanti ſeptingenti: iidemque turriti cum ſagittariis & onere ſagittarum. Ex his trecentos cepimus; ducenti interfecti jacent: decem & octo perduximus. Falcati currus mille, & adducere interfectorum animalium currus ducentos potuimus: ſed id quia & fingi poterat, facere ſuperſedimus. Centum & viginti millia equitum fudimus: cataphractarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus: eorum armis noſtros armavimus. Multos Perſarum cepimus: eoſdemque vendidimus. Terras Interamnanas, Meſopotamiæ ſcilicet, neglectas ab impura illa bellua, recepimus. Artaxerxen, potentiſſimum regem tam re quam nomine, fuſum fugavimus, ita ut eum terra Perſarum fugientem videret, & qua ducta fuerant quondam ſigna noſtrorum, ea rex ipſe ſignis effugerit relictis. Hæc ſunt, Patres Conſcripti, geſta. Eloquentia opus non eſt: milites divites redeunt; laborem in victoria nemo ſentit. Veſtrum eſt ſupplicationem decernere, ne Diis videamur ingrati.* Acclamatio Senatus: *Alexander Auguſte, Dii te ſervent. Perſice maxime, dii te ſervent. Vere Parthicus, vere Perſicus. Tropbea tua & nos videmus, victorias & nos videmus. Juveni Imperatori, Patri patriæ, Pontifici maximo: per te victoriam de Germanis ſperamus, per te victoriam undique præſumimus. Ille vincit qui milites regit. Dives Senatus, dives miles, dives Populus Romanus.*

Acclamatio Senatus.

CAP. LVII. Dimiſſo Senatu Capitolium aſcendit, atque inde re divina facta, & tunicis Perſicis in templo locatis, concionem hujuſmodi habuit. *Quirites, vicimus Perſas. Milites divites reduximus.* (11.) *Vobis congiarium pollicemur, cras ludos Circenſes Perſicos dabimus.* Hæc nos & in annalibus, & apud multos reperimus. Sed quidam dicunt, à ſervo ſuo eum proditum, non viciſſe regem, ſed ne vinceretur, fugiſſe. Quod contra multorum opinionem dici, non dubium eſt iis qui plurimos legerint. Nam & amiſiſſe illum exercitum dicunt fame, frigore, ac morbo, ut Herodianus auctor eſt contra multorum opinionem. Poſt hoc cum ingenti gloria, comitante Senatu, equeſtri ordine, atque omni Populo, circumfuſiſque undique mulieribus & infantibus, maxime militum conjugibus, pedes palatium conſcendit; cum retro currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur. Levabatur manibus hominum Alexander, vixque illi per horas quatuor ambulare permiſſum eſt, undique omnibus clamantibus, *Salva Roma, quia ſalvus eſt Alexander.* Alia die actis Circenſibus, & item ludis ſcenicis, deinceps, congiarium Populo Romano dedit. Puellas & pueros, quemadmodum Antoninus Fauſtinianas inſtituerat, Mammæanas & Mammæanos inſtituit.

Variæ ſententiæ de Alexandri victoria.

CAP. LVIII. Actæ ſunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celſum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem ejus, & in Armenia per Junium Palmatum; atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ ſunt delatæ, quibus in Senatu & apud Populum lectis, omnibus nominibus eſt adornatus. His vero qui rempublicam bene geſſerant, conſularia ornamenta decreta ſunt, additis etiam ſacerdotiis & agrorum poſſeſſionibus iis qui erant pauperes, & ævo jam graves. Captivos diverſarum nationum amicis donavit, ſi ætas puerilis aut Juvenilis permiſit. Si qui tamen regii aut nobiliores fuerunt, eos militiæ, non tamen magnæ, deputavit. Sola quæ de hoſtibus capta ſunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ita eſſent, ſi heredes illorum militarent, nec umquam ad privatos pertinerent: dicens, *attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent.* Addidit ſane his & animalia & ſervos, ut poſſent colere quod acceperant; ne per inopiam hominum, vel per ſenectutem poſſidentium deſererentur rura vicina barbariæ: quod turpiſſimum ille ducebat.

Reliquæ res geſtæ.

Militibus ſola de hoſtibus capta donat.

CAP. LIX. Poſt hæc cum ingenti amore apud Populum & Senatum viveret, & ſperantibus victoriam cunctis, & invitis eum dimittentibus, ad Germanicum bellum profectus eſt, deducentibus cunctis per centum & quinquaginta millia. Erat autem graviſſimum reipublicæ, atque ipſi, quod Germanorum vaſtationibus Gallia diripiebatur. Pudoremque augebat, quod victis jam Parthis, ea natio imminebat reipublica cervicibus, quæ ſemper etiam minuſculis Imperatoribus ſubiecta videbatur. Magnis igitur itineribus, lætis militibus, contendit. Sed cum ibi quoque ſeditioſas legiones comperiſſet, abjici eas præcepit. Verum Gallicanæ mentes, ut ſeſe habent, duræ ac retrogradæ, & ſæpe Imperatoribus graves, ſeveritatem hominis nimiam, & longe majorem poſt Heliogabalum, non tulerunt. Denique agentem eum cum paucis in Britannia, ut alii volunt, in Gallia, in vico cui Sicila nomen eſt, non ex omnium ſententia, ſed latrocinantium modo quidam milites, & hi præcipue, qui Heliogabali præmiis effloruerant, cum ſeverum principem pati non poſſent, occiderunt. Multi dicunt, à Maximino immiſſos tyrones, qui ei ad exercendum dati fuerant, eum occidiſſe: multi aliter: à militibus tamen, conſtat, cum injurioſe quaſi in puerum eundem, & matrem ejus avaram & cupidam, multa dixiſſent.

Alexander ad Germanicum bellum proficiſcitur. U. C. 986. P. C. N. 234.

In quo cum matre occiditur. U. C. 987. P. C. N. 235.

CAP. LX. Imperavit annis tredecim, diebus novem. Vixit annis viginti novem, menſibus tribus, diebus ſeptem. Egit omnia ex con-

Ætas Alexandri.

(10.) Triumphoque pulcherrimo acto) Hunc triumphum denotat nummus Tab. LXI. num. 4. Conf. BEGER. Tom. II. p. 717.
(11.) Vobis congiarium pollicemur) Hujus liberalitatis teſtimonium eſt numus Tab. LXI. num. 5. Conf. BEGER. loc. cit.

Omina mortis Alexandri.

consilio matris, cum qua occisus est. Omina mortis hæc fuerunt: Cum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit, &, ut se civiliter gerebat, ac permixtus Populo erat, albam ejus vestem cum qua constiterat, cruentavit. Laurus in Palatio cujusdam civitatis, à qua proficiscebatur ad bellum, ingens & antiqua, tota subito decidit. Arbores fici tres, quæ ficus eas ferrent quibus *Alexandrinarum* nomen est, subito ante illius tentorium deciderunt; cum tentoria imperatoria his adnexa essent. Mulier Druias eunti exclamavit Gallico sermone, *Vadas, nec victoriam speres, nec militi tuo credas.* Tribunal ascendit ut concionaretur, & faustum aliquid diceret; ita cœpit, *Occiso Imperatore Heliogabalo.* Hoc tamen omini fuit, quod iturus ad bellum, milites alloqui minus fausta oratione cœptaverat.

Circumstantiæ mortis Alexandri.

CAP. LXI. Sed hæc omnia vehementissime contémpsit, profectusque ad bellum, in loco supra dicto ita occisus est. Pranderat forte publico ut solebat, convivio, id est apertis papilionibus, cibo militari accepto (neque enim aliud à discutientibus militibus in tentoriis est repertum) & cum quiesceret post convivium, hora diei fere septima, unus ex Germanis, qui scurrarum officium sustinebat, ingressus dormientibus cunctis, solo tantum Imperatore intervigilante visus est; cui Alexander, *Quid est*, inquit, *contubernalis? Num aliquid de hostibus nuntias?* At ille metu perterritus, & sperans non posse evadere, quod in tentorium principis irruisset, ad contubernales suos venit, eosque ad durum principem interimendum exhortatus est: qui subito plures armatique ingressi, inermes & obsistentes contruncaverunt. ipsumque pluribus ictibus confoderunt. Aliqui dicunt, omnino nihil dictum, sed tantum à militibus clamatum. *Exi, recede:* atque ita obtruncatum juvenem optimum. * Sed omnis apparatus militaris, qui postea est ductus in Germaniam à Maximino, Alexandri fuit, & potentissimus quidem per Armenios & Osdroënos & Parthos, & omnis generis hominum.

Mortem contemnit Alexander.

CAP. LXII. Contempsisse Alexandrum mortem, cum ferocitas mentis, qua militem semper attrivit, tum etiam illa declarant: Thrasybulus mathematicus illi amicissimus fuit: qui cum ei dixisset, necessitatem esse, ut gladio barbarico periret, primo lætatus est, quod sibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere: deinde disputavit ostenditque, optimos quosque violenta morte consumptos: cum diceret ipsum Alexandrum, cujus nomen teneret, Pompejum, Cæsarem, Demosthenem, Tullium, & ceteros insignes viros, non quieta morte oppetisse. Tantumque animi habuit, ut putaret se Diis comparandum, si in bello periret: sed res eum fefellit. Nam & gladio barbarico, & scurræ barbari manu; verum non in bello, sed belli tempore, periit.

Mors Alexandri lugetur.

CAP. LXIII. Mortem ejus milites, & qui exauctorati ab eo quondam fuerant, gravissime tulerunt, atque auctores cædis trucidarunt. Populus vero Romanus, Senatusque omnis, cum provincialibus cunctis, neque tristius umquam neque asperius acceperunt; simul quod successoris asperitas atque rusticitas Maximini, utpote hominis militaris, cui cum filio post eum Imperium delatum est, graviorem fati necessitatem videbatur ostendere. Senatus eum in Deos retulit. Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulcrum amplissimum meruit. Dati sunt & sodales, qui *Alexandrini* appellati sunt: addita & festivitas matris nomine, atque ipsius, quæ hodieque Romæ religiosissime celebratur natali ejus die. Causa occidendi ejus ab aliis hæc fuisse perhibetur, quod mater ejus, relicto bello Germanico, Orientem ad jactantiam sui vellet redire, atque ob hoc esset iratus exercitus. Sed hæc ab amatoribus Maximini ficta sunt, qui videri noluerunt Imperatorem optimum ab amico suo interfectum contra jura humana atque divina.

Alexander in Deos refertur.

Causa interitus Alexandri.

CAP. LXIV. Hactenus Imperium Populi Romani, cum principem habuit qui diutius imperaret; post eum certatim irruentibus, & aliis semestribus, aliis annuis, plerisque per biennium, ad summum per triennium imperantibus, usque ad eos principes qui latius Imperium tetenderunt; Aurelianum dico, & deinceps. De quibus, si vita suppeditaverit, ea quæ comperta fuerint, publicabimus. Reprehensa sunt in Alexandro hæc, quod Syrus esse nolebat, quod aurum amabat: quod suspiciosissimus erat, quod vectigalia multa inveniebat, quod se Magnum Alexandrum videri volebat, quod nimis severus in milites erat, quod curas privatas agebat: quæ omnia in republica instituerat. Scio sane plerosque negare, hunc à Senatu Cæsarem appellatum esse, sed à militibus: qui verum prorsus ignorant: dicere præterea, non hunc fuisse consobrinum Heliogabali, qui ut nos sequantur, historicos ejus temporis legant, & maxime Acholium, qui & itinera hujus principis scripsit.

Quæ reprehensa fuerint in Alexandro.

CAP. LXV. Soles quærere, Constantine maxime, quid sit quod hominem Syrum & alienigenam, talem principem fecerit, cum tot Romani generis, tot aliarum provinciarum reperiantur improbi, impuri, crudeles, abjecti, injusti, libidinosi. Jam primum possum de bonorum virorum respondere sententia, potuisse natura, quæ ubique una mater est bonum principem nasci: deinde timore, quod pessimus esset occisus, hunc optimum factum. Sed quia verum est suggerendum, clementiæ ac pietati tuæ lecta reserabo. Notum est illud pietati tuæ, quod in Mario Maximo legisti, *meliorem esse rempublicam & prope tutiorem, in qua princeps malus est, ea in qua sunt amici principis mali: siquidem unus malus potest à plurimis bonis corrigi: multi autem mali, non possunt ab uno, quamvis bono, ulla ratione superari.* Et id quidem ab Homulo ipsi Trajano dictum est, cum ille diceret Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse, atque adeo illum magis odio fuisse, qui rempublicam pejoris vitæ hominibus commendaverat, quia melius est unum malum pati quam multos.

Quid Alexandrum, hominem Syrum, talem principem fecerit.

CAP. LXVI. Et ut ad rem redeam, Alexander quidem & ipse optimus fuit; nam hoc nemo vult nisi bonus: & optimæ matris consiliis usus est. Ac tamen amicos sanctos & venerabiles habuit, non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos: non ad malum con-

Optimæ matris & amicorum sanctorum consiliis usus est.

consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circumventores sui, non irrisores, non qui illum quasi fatuum circumducerent: sed sanctos, venerabiles, continentes, religiosos, amantes principis sui, & qui de illo nec ipsi riderent, nec risui esse vellent: qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent; numquam deciperent existimationem principis sui sed amarent. Huc accedit: quod eunuchos nec in consiliis nec in ministeriis habuit, qui soli principes perdunt, dum eos more gentium aut regum Persarum volunt vivere: qui à Populo & amicis principem submovent, qui internuntii sunt, aliud quam respondetur sæpe referentes, claudentes principem suum, & agentes ante omnia, ne quid sciat. Qui cum empti sint, & pravi fuerint, quid tandem possunt boni sapere? Erat denique ejus ipsius sententia, *Ego de Præfectorum & Consulum & Senatorum capitibus, mancipia ære empta judicare non patiar.*

CAP. LXVII. Scio, Imperator Constantine, quo periculo ista dicantur apud Imperatorem qui talibus servit, sed salva republica, posteaquam intellexisti quid mali clades istæ habeant, & quemadmodum principes circumveniant, & tu eos eo loci habes, ut nec chlamyde uti jusseris, sed necessitatibus domesticis delegaris. Jam illud insigne, quod solum intra palatium, præter Præfectum & Ulpianum quidem, neminem vidit: nec dedit alicui facultatem vel fumorum vendendorum de se, vel sibi de aliis male loquendi, maxime occiso Turino, qui illum quasi fatuum & vecordem sæpe vendiderat. His accessit, quod amicos & parentes Alexander si malos reperit, aut punivit, aut, si vetus vel amicitia vel necessitudo non sivit puniri, dimisit à se, dicens, *His carior est mihi tota respublica.*

CAP. LXVIII. Et ut scias qui viri in ejus consilio fuerint: Fabius Sabinus, Sabini insignis viri filius. Cato temporis sui, Domitius Ulpianus juris peritissimus; Ælius Gordianus: Gordiani Imperatoris pater, *& ipse re vera vir insignis; Julius Paulus juris peritissimus, Claudius Venatus orator amplissimus: Pomponius legum peritissimus, Alphenus, Aphricanus, Florentinus, Marcianus, Callistratus, Hermogenes, Venulejus: Triphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus, hi omnes juris professores, discipuli fuere splendidissimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris familiares & socii, ut scribit Acholius & Marius Maximus; Catilius Severus, cognatus ejus, vir omnium doctissimus, Ælius Serenianus omnium vir sanctissimus; Quintilius Marcellus, quo meliorem ne historiæ quidem continent. His tot atque aliis talibus viris, quid mali potuit cogitari vel fieri, cum ad bonum consentirent? Et eos quidem malorum cohors depulerat, qui circumvenerant Alexandrum primis diebus: sed prudentia juvenis, his malis occisis atque depulsis, amicitia ista sancta convaluit. Hi sunt qui bonum principem suum fecerunt: & item amici mali, qui Romanos pessimos etiam posteris tradiderunt: suis vitiis laborantes.

Qui viri in consilio Alexandri fuerint.

JULII CAPITOLINI
MAXIMINI DUO
AD
CONSTANTINUM AUGUSTUM

CAPUT I.

Ne fastidiosum esse clementiæ tuæ, Constantine maxime, singulos quosque principes, vel principum liberos, per libros singulos legere; adhibui moderationem, qua in unum volumen duos Maximinos, patrem filiumque, congererem. Servavi deinceps hunc ordinem, quem pietas tua etiam à Tatio Cyrillo clarissimo viro, qui Græca in Latinum vertit, servari voluit; quod quidem non in uno tantum libro, sed etiam in plurimis deinceps reservabo; exceptis magnis Imperatoribus, quorum res gestæ plures atque clariores, longiorem desiderant textum. MAXIMINUS senior, sub Alexandro Imperatore enituit. Militare autem sub Severo cœpit. Hic de vico Thraciæ vicino barbaris, barbaro etiam patre & matre genitus; quorum alter è Gothis, alter ex Alanis, genitus esse perhibetur. Et patri quidem nomen Micca, matri Ababa fuisse dicitur. Sed hæc nomina Maximinus primis temporibus ipse prodidit, postea vero ubi ad Imperium venit, occuli præcepit, ne utroque parente barbaro genitus Imperator esse videretur.

Cur duos Maximinos in unum volumen congesserit Capitolinus.

Maximini Senioris origo.

CAP. II. Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnumquam procer, qui latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus vindicaret. Prima stipendia, equestria huic fuere. Erat enim magnitudine corporis conspicuus, virtute inter omnes milites clarus, forma virili decorus, ferus moribus, asper, superbus, contemptor, sæpe tamen justus. Innotescendi sub Severo Imperatore prima hæc fuit causa: Natali Getæ filii minoris, Severus militares dabat ludos, propositis præmiis argenteis, id est armillis, torquibus & baltheolis. Hic adolescens & semibarbarus, & vix adhuc Latinæ linguæ, prope Threcica, Imperatorem publice petiit, ut sibi daret licentiam contendendi cum iis, qui jam non mediocri loco militarent. Magnitudinem corporis Severus miratus, primum eum cum lixis composuit, sed fortissimis quibusque, ne disciplinam militatem corrumperet. Tunc Maximinus sedecim lixas uno sudore devicit sedecim acceptis præmiis minusculis, non militaribus, jussusque militare.

Pueritia ejus.

Vita militaris.

Quomodo innotuerit Maximinus.

Roboris Maximini exempla.

CAP. III. Tertia forte die cum processisset Severus ad campum, in turba exsultantem more barbarico Maximinum vidit, jussitque statim tribuno, ut eum coërceret, ac Romana disciplina imbueret. Tunc ille, ubi de se intellexit

Impe-

Imperatorem loquutum, suspicatur barbarus & notum se esse principi, & inter multos conspicuum, ad pedes Imperatoris equitantis accessit. Tum volens Severus explorare quantus in currendo esset, equum admisit multis circuitionibus, & cum Imperator laborasset, neque ille accurrendo per multa spatia desisset, ait ei, *Quid vis Threcisce? numquid delectat luctari post cursum:* Tum ille, *Quantum libet* (inquit:) *Imperator.* Post hoc ex equo Severus descendit, & recentissimos quosque ac fortissimos milites ei comparari jussit; Tum ille, more solito, septem fortissimos uno sudore vicit, solusque omnium à Severo, post argentea præmia, torque aurea donatus est, jussusque inter stipatores corporis sui semper in aula consistere. Hinc igitur factus conspicuus: inter milites clarus, amari à tribunis, commilitonibus suspici, impetrare ab Imperatore quod vellet, locis etiam militiæ à Severo adjutus, cum esset peradolescens, longitudine autem corporis & vastitate, & forma, atque oculorum magnitudine & candore inter omnes excelleret.

Ob quam ab omnibus & ab Imperatore amatur.

Quantum in die sæpe biberit & comederit.

CAP. IV. Bibisse autem illum sæpe in die vini Capitolinam amphoram constat: comedisse & quadraginta libras carnis; ut autem Cordus dicit, etiam sexaginta. Quod satis constat, oleribus semper abstinuit; à frigidis prope semper, nisi cum illi potandi necessitas. Sudores sæpe suos excipiebat, & in calices vel in vasculum mittebat, ita ut duos vel tres sextarios sui sudoris ostenderet. Hic diu sub Antonino Caracallo ordines duxit, centuriatus, & ceteras militares dignitates sæpe tractavit. Sub Macrino (quod eum qui Imperatoris sui filium occiderat, vehementer odisset) à militia desiit, & in Thracia in vico ubi genitus fuerat, possessiones comparavit, ac semper cum Gothis commercia exercuit. Amatus est autem unice à Getis, quasi eorum civis. Alani quicumque ad ripam venerunt, amicum eum, donis vicissim recurrentibus, approbabant. Sed occiso Macrino cum filio suo, ubi Heliogabalum, quasi Antonini filium, Imperatorem comperit, jam maturæ ætatis ad eum venit, petiitque ut quod avus ejus Severus judicii circa se habuerat, & ipse haberet. Sed apud impurum hominem valere nihil potuit. Nam dicitur cum eo jocatus esse Heliogabalus turpissime, dicens; *Maximine sedecim & viginti & triginta milites diceris aliquando lassasse; potes tricies cum muliere perficere?* Tum ille ubi vidit infamem principem sic exorsum, à militia discessit. Et tamen retentus est per amicos Heliogabali, ne hoc quoque illius famæ accederet, quod virum temporis sui fortissimum, & quem alii, *Herculem*, alii *Achillem*, alii *Aiacem* vocabant; à suo exercitu dimoveret.

Maximini Vita sub Caracallo & sub Macrino.

Heliogabalus cum Maximino turpissime jocatur.

Hercules, Achilles, Ajax vocatur Maximinus.

CAP. V. Fuit igitur Maximinus sub homine impurissimo tantum honore præditus tribunatus: sed numquam ad manum ejus accessit, numquam illum salutavit: per totum triennium huc atque illuc discurrens, modo agris, modo otio, modo fictis languoribus occupatus est. Occiso Heliogabalo, ubi Maximinus comperit Alexandrum principem nominatum, Romam contendit. Quem Alexander miro cum gaudio, mira cum gratulatione suscepit, ut in Senatu verba faceret talia, *Maximinus, Patres Conscripti, tribunus, cui ego latum clavum addidi, ad me confugit. Qui sub impura illa bellua militare non potuit, qui apud Divum parentem meum Severum tantus fuit, quantum illum fama comperitis.* Statim denique illum tribunum legionis quartæ quam ex tironibus ipse composuerat, dedit, & eum in hæc verba provexit. *Veteres milites tibi, Maximine, mi charissime atque amantissime, idcirco non credidi, quod veritus sum ne vitia eorum sub aliis inolescentia emendare non posses. Habes tirones: ad tuos mores, ad tuam virtutem, ad tuum laborem: eos fac militiam addiscere; ut mihi multos Maximinos reipublicæ optabiles solus efficias,*

Maximinus ab Alexandro provehitur.

CAP. VI. Accepta igitur legione, statim eam exercere cœpit, Quinta quaque die jubebat milites decurrere, simulacra bellorum agere: gladios, lanceas, loricas, galeas, scuta; tunicas, & omnia arma illorum quotidie circumspicere: calceamenta quinetiam ipsa prospiciebat, prorsus ut se parem militibus præberet. Sed cum eum quidam tribuni reprehenderent: dicentes, *Quid tantum laboras, cum ejus loci jam sis, ut ducatum possis accipere?* dixisse fertur, *Ego vero, quo major fuero, tanto plus laborabo.* Exercebat cum militibus ipse luctam; quinos, senos, & septenos jam grandævus ad terram prosternens. Denique invidentibus cunctis, cum quidam tribunus superbior, magni corporis, virtutis notæ, atque ideo ferocior, ei dixisset; *Non magnam rem facis si tribunus tuos milites vincis:* ille ait, *Visne congrediamur?* cumque adversarius annuisset, venientem contra se palma in pectus percussum, supinum rejecit, & continuo dixit, *Date alium, sed tribunum.* Erat præterea (ut refert Cordus) magnitudine tanta ut octo pedes digito videretur egressus: pollice ita vasto, ut (12.) uxoris dextrocherio uteretur pro anulo. Jam illa prope in vulgiore sunt posita, quod hamaxas manibus attraheret; rhedam onustam solus moveret: equo si pugnum dedisset, dentes solveret, si calcem, crura frangeret; lapides tophicios friaret, arbores teneriores scinderet. Alii denique eum *Crotoniatem Militem*, alii *Herculem*, *Antæum* alii vocarent.

Maximini in re militari industria.


Magnitudo Maximini.

CAP. VII. His rebus conspicuum virum Alexander, magnorum meritorum judex, in suam perniciem omni exercitui præfecit, gaudentibus cunctis ubique tribunis, ducibus, & militibus. Denique totum ejus exercitum, qui sub Heliogabalo magna ex parte torpuerat ad suam militarem disciplinam retraxit. Quod Alexandro, ut diximus, optimo quidem Imperatori, sed tamen cujus ætas ab initio contemni potuerit, gravissimum fuit. Nam cum in Gallia esset, & non longe ab urbe quadam castra posuisset, subito immissis militibus, ut quidam dicunt, ab ipso, ut alii, à tribunis barbaris, Alexander ad matrem fugiens interemptus est, Maximino jam Imperatore appellato. Et causam quidem Alexandri interimendi aliis aliam fuisse dicunt. Quidam enim Mammæam dicunt auctorem fuisse, ut filius deserto bello Germanico, Orientem peteret, atque ideo milites in seditionem prorupisse. Quidam, quod ille nimis

Præficitur omni exercitui.

Causæ Alexandri interimendi.

(12) Uxoris) Quæ erat Paulina, cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 231. vide Tab. LXI. num. 6.


Tab. LXI.
ad pag. 350. 351. 353.
355. 360. 362. 369
Æ
I
P.M.TR. P.V. COS.II.P.P.
Γ
Æ
II
IMP.TR. P.V. COS. II.P.P.
Γ
ÆR
III
RESTITVTOR.MON.
S C
E
ÆR
IV
P.M.TR.P.VIII COS.III. P. P.
S.C.
E
Æ
V
LIBERALITAS AVG.V.
Γ
Æ
VI
DIVA PAVLINA
Γ
ÆR
VII
VICTORIA GERMANICA
S.C.
E
Æ
VIII
VICTORIA AVGG.
S. C.
Γ

nimis severus esset, & voluisset ita in Gallia legiones exauctorare, ut exauctoraverat in Oriente.

CAP. VIII. Sed occiso Alexandro, Maximinus primus è corpore militari, & nondum Senator, sine decreto Senatus, Augustus ab exercitu appellatus est, filio sibimet in participatum dato, de quo pauca, quæ nobis sunt cognita, mox dicemus. Maximinus autem ea fuit semper astutia, ut milites non solum virtute regeret, sed etiam præmiis & lucris sui amantissimos redderet. Numquam ille annonam cujuspiam tulit. Numquam fuit qui in exercitu faber, aut alterius rei (ut plerique sunt) artifex esset. Solis venationibus legiones frequenter exercebat. Sed inter has virtutes tam crudelis fuit, ut illum alii *Cyclopem*, alii *Busiridem*, alii *Scironem*, nonnulli *Phalarim*, multi *Typhonem*, vel *Gygem* vocarent. Senatus eum tantum timuit, ut vota in templis puplice privatimque, mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille umquam Urbem Romam videret. Audiebant enim alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris objectos, alios fustibus elisos; atque omnia hæc sine delectu dignitatis, cum videretur disciplinam velle regere militarem: cujus exemplo civilia etiam corrigere voluit. Quod non convenit principi qui velit diligi. Erat enim ei persuasum, *nisi crudelitate Imperium non teneri*. Simul & verebatur ne propter humilitatem generis barbarici à nobilitate contemneretur. Meminerat præterea se Romæ etiam à servis nobilium contemptum esse, ita ut ne à procuratoribus quidem eorum videretur. Et ut se habent stultæ opiniones, tales eos contra sperabat futuros, cum jam Imperator esset. *Tantum valet conscientia degeneris animi.*

Maximinus ab Exercitu Augustus appellatur. U. C. 987. p. C. N. 235.

Crudelis timetur.

Quantum conscientia degeneris animi valeat.

CAP. IX. Nam ignobilitatis tegendæ causa, omnes conscios generis sui interemit: nonnullos etiam amicos, qui ei sæpe misericordiæ ac pietatis causa pleraque donaverant. Neque enim fuit crudelius animal in terris: omnia sic in viribus suis ponens, quasi non posset occidi. Denique cum immortalem se prope crederet ob magnitudinem corporis sui virtutisque, mimus quidam in theatro præsente illo dicitur versus Græcos dixisse, quorum hæc erat Latina sententia:

Et qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur:
Tigris fortis est, & occiditur:
Cave multos, si singulos non times.

Et hæc Imperatorem ipso præsente jam dicta sunt. Sed cum Maximinus interrogaret amicos, quid mimicus scurra dixisset; dictum est ei, quod antiquos versus cantaret contra homines asperos scriptos: & ille, ut erat Thrax & barbarus, credidit. Nobilem circa se neminem passus est, prorsus ut Spartaci aut Athenionis exemplo imperaret. Præterea omnes Alexandri ministros, variis modis interemit. Dispositionibus ejus invidit. Et dum suspectus habet amicos ac ministros ejus, crudelior factus est.

CAP. X. Cum esset ita moratus, ut ferarum more viveret, tristior & immanior factus est factione Magni cujusdam Consularis viri contra se parata: qui cum multis militibus & centurionibus ad eum confodiendum consilium inierat, cum in se Imperium transferre cuperet. Et genus factionis fuit tale. Cum ponte juncto in Germanos transire Maximinus vellet, placuerat, ut contrarii cum eo transirent, pons postea solveretur, ille in barbarico solo circumventus occideretur: Imperium Magnus arriperet. Nam omnia bella cœperat agere, & quidem fortissime, statim ut factus Imperator, peritus utpote rei militaris, volens existimationem de se habitam tenere, & ante omnes, Alexandri gloriam, quem ipse occiderat, vincere. Quare Imperator etiam, in exercitio quotidie milites detinebat. Eratque in armis ipse magnus exercitui, & corpore multa semper ostendens. Et istam quidem factionem Maximinus ipse finxisse perhibetur, ut materiam crudelitatis augeret. Denique sine judicio, sine accusatione, sine delatore, sine defensione omnes interemit, omnium bona sustulit: & plus quatuor millibus hominum occisis, se satiare non potuit.

Factio Magni contra Maximinum.

Quam supprimit Maximinus.

CAP. XI. Fuit etiam sub eodem factio, desciscentibus sagittariis Osdroënis ab eodem, ob amorem Alexandri & desiderium, quem à Maximino apud eos occisum esse constabat, nec aliud persuaderi potuerat. Denique etiam ipsi Tycum unum ex suis sibi ducem atque Imperatorem fecerunt, quem Maximinus privatum jam dimiserat: quem quidem & purpura circumdederunt, regioque apparatu ornarunt, & quasi sui milites obsepserunt: et invitum quidem. Sed hic Tycus, dormiens domi suæ, ab uno ex amicis suis interfectus est, qui sibi doluit illum esse præpositum, Macedonio nomine, qui eum Maximino prodidit, quique caput ejus ad Imperatorem detulit. Sed Maximinus primo ei gratias egit: postea tamen ut proditorem odio habuit, & occidit. His rebus in dies immanior fiebat, ferarum more quæ vulneratæ magis exulcerantur. Post hæc transiit in Germaniam cum omni exercitu, & Mauris, & Osdroënis, & Parthis, & omnibus quos secum Alexander ducebat ad bellum. Et ob hoc maxime Orientalia secum trahebat auxilia, quod nulli magis contra Germanos quam expediti sagittarii valent. Mirandum autem apparatum belli Alexander habuit, cui Maximinus multa dicitur addidisse.

Factio alia sagittariorum Osdroënorum.

Quæ Tycum quidem Imperatorem facit.

Sed occiditur

Expeditio Maximini in Germaniam. U. C. 988. p. C. N. 236.

CAP. XII. Ingressus igitur Germaniam Transrhenanam, per trecenta vel quadringenta millia barbarici soli vicos incendit, greges abegit, prædas sustulit, barbarorum plurimos interemit, militem divitem reduxit, cepit innumeros: & nisi Germani per amnes & paludes & sylvas confugissent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegisset. Ipse præterea manu sua multa faciebat, cum etiam paludem ingressus, circumventus esset à Germanis, nisi eum equo inhærentem sui liberassent. Habuit enim hoc barbaricæ temeritatis, ut putaret Imperatorem manu etiam sua semper uti debere. Denique quasi navale quod-

Germanos vincit.

Litteræ ad Senatum de victoria Germanica.

dam prælium in palude fecit, plurimosque illic interemit. (13) Victa igitur Germania, litteras Romam ad Senatum & ad Populum misit, se dictante conscriptas, quarum sententia hæc fuit: *Non possumus tantum, Patres Conscripti, loqui quantum fecimus. Per quadringenta millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captivos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnavimus. Pervenissemus ad silvas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset.* Ælius Cordus dicit, hanc omnino ipsius orationem fuisse: quod credibile est. Quid enim in hac est quod non posset barbarus miles? qui pari sententia, & ad Populum scripsit, sed majori reverentia, idcirco quod Senatum oderat, à quo se contemni multum credebat. Jussit præterea tabulas pingi ita ut erat bellum ipsum gestum, & ante curiam proponi, ut facta ejus pictura loqueretur: quas quidem tabulas post mortem ejus Senatus & deponi jussit & exuri.

Pingi jubet hanc victoriam.

Alia ejus bella.

CAP. XIII. Fuerunt & alia sub eo bella plurima, ex quibus semper primus victor revertit, & cum ingentibus spoliis atque captivis. Exstat oratio ejusdem missa ad Senatum, cujus hoc exemplum est: *Brevi tempore, Patres Conscripti tot bella gessi quot nemo veterum. Tantum prædæ in Romanum solum attuli, quantum sperari non potuit. Tantum captivorum adduxi, ut vix sola Romana sufficiant.* Reliqua orationis verba non sunt ad rem necessaria. Pacata Germania Sirmium venit, Sarmatis inferre bellum parans, atque animo habens, & concupiens usque ad Oceanum septemtrionales partes in Romanam ditionem redigere: quod fecisset, si vixisset, ut Herodianus dicit Græcus scriptor, qui ei (quantum videmus) in odium Alexandri plurimum favit. Sed cum Romani ejus crudelitatem ferre non possent, quod delatores evocaret, accusatorem immitteret, crimina fingeret, innocentes occideret, damnaret omnes quicumque in judicium venissent; ex ditissimis hominibus pauperrimos faceret, nec aliunde nisi malo alieno pecuniam quæreret: deinde sine delicto consulares viros & duces multos interimeret, alios Scythicis vehiculis exhiberet, alios in custodia detineret; nihil denique prætermitteret quod ad crudelitatem videretur operari: contra eum defectionem pararunt. Nec solum Romani, sed, quia & in milites sæviebat, exercitus qui in Africa erat, subita & ingenti seditione Gordianum senem, virum gravissimum, qui erat proconsul, Imperatorem fecerunt: cujus factionis hic ordo fuit.

Sarmatis bellum inferre parans.

A seditioso exercitu Gordianus Imperator factus.

CAP. XIV. Erat fisci procurator in Libya, qui omnes Maximini studio spoliaverat: hic per rusticanam plebem, deinde & quosdam milites interremptus est, per eos qui rationalem in honorem Maximini defendebant. Sed cum viderent auctores cædis ejus acrioribus remediis sibi subveniendum esse, Gordianum proconsulem, virum (ut diximus) venerabilem, natu grandiorem, omni virtutum genere florentem, ab Alexandro ex Senatusconsulto in Africam missum, reclamantem & se terræ affligentem, opertum purpura imperare coëgerunt, instantes cum gladiis & cum omni genere telorum. Et primo quidem invitus Gordianus purpuram sumpserat: postea vero cum vidit neque filio, neque familiæ suæ tutum id esse, volens suscepit Imperium, & appellatus ab omnibus Afris Augustus cum filio, apud oppidum Tysdrum: inde Carthaginem venit cum pompa regali, & protectoribus & fascibus laureatis. Unde Romam ad Senatum litteras misit, quæ occiso Valeriano duce militum prætorianorum, in odium Maximini gratanter acceptæ sunt. Appellati etiam Gordianus senex & Gordianus juvenis à Senatu Augusti.

Cum filio.

Qui à Senatu dicitur cum Filio Augustus.

CAP. XV. Interfecti deinde omnes delatores, omnes accusatores, omnes amici Maximini occisi sunt. Interfectus est Sabinus præfectus Urbis, percussus in Populo. Ubi hæc gesta sunt, Senatus magis timens Maximinum, aperte ac libere hostes appellat Maximinum & ejus filium. Litteras deinde mittit ad omnes provincias, ut communi saluti libertatique subveniant: quæ auditæ sunt ab omnibus. Denique ubique amici, & administratores, & duces, tribuni & milites Maximini, interfecti sunt. Paucæ civitates fidem hosti publico servaverunt, quæ proditis iis qui missi ad eos fuerant, ad Maximinum cito per indices detulerunt. Litterarum Senatus exemplum hoc fuit: *Senatus Populusque Romanus, per Gordianos principes, ab illa tristissima bellua liberari cœptus, proconsulibus, præsidibus, legatis, ducibus, tribunis, magistratibus, ac singulis civitatibus, & municipiis, & oppidis, & vicis, & castellis salutem, quam nunc primum recipere cœpit, dicit. Diis faventibus, Gordianum proconsulem, virum sanctissimum & gravissimum senatorem, principem meruimus: Augustum appellavimus: nec solum illum, sed etiam in subsidium reipublicæ, filium ejus Gordianum nobilem juvenem. Vestrum est consentire ad salutem reipublicæ obtinendam, & ad scelera defendenda, & ad illam belluam Maximinum atque illius amicos, ubicumque fuerint, persequendos. A nobis etiam, Maximinus cum filio suo, hostis est judicatus.*

Amici Maximini interficiuntur.

Litteræ Senatus ad provincias.

CAP. XVI. Senatusconsulti autem hoc fuit exemplum. Cum ventum esset in ædem Castorum sexto Calendas Junias, acceptas litteras Junius Syllanus Consul ex Africa, Gordiani Imperatoris patris patriæ, proconsulis, recitavit. *Invitum me, Patres Conscripti, juvenes, quibus Africa tuenda commissa est, ad Imperium vocarunt. Sed intuitu vestri, necessitatem libens sustineo. Vestrum est æstimare quid velitis. Nam ego usque ad Senatus judicium incertus & varius fluctuabo.* Lectis litteris, statim Senatus acclamavit, *Gordiane Auguste, Dii te servent. Felix imperes, tu nos liberasti. Salvus imperes, tu nos liberasti. Per te salva respublica. Omnes tibi gratias agimus.* Item consul, retulit:

Litteræ Gordiani ad Senatum.

Acclamatio Senatus.

(13) Victa igitur Germania) In hujus victoriæ memoriam cujus est numus Tab. LXI. num 6. Conf. PATIN. Impp. Numism. ex ære med. & min. formæ p. 284. Triumphum quoque numus Tab. LXI. num. 6. notat. Quia vero Maximinus Imperator Romam nunquam rediit, sed hostis judicatus fuit, ab Adulatoribus hunc numum, in spem futuri triumphi, ei oblatum esse, suspicandum. Conf. PATIN. loc. cit.

tulit, *Patres Conscripti, De Maximinis quid placet?* responsum est, *Hostes, hostes. Qui eos occiderit, præmium merebitur.* Item Consul dixit, *De amicis Maximini quid videtur?* acclamatum est, *Hostes, hostes. Qui eos occiderit, præmium merebitur.* Ita acclamatum est, *Inimicus Senatus in crucem tollatur. Hostis Senatus ubicumque feriatur. Inimici Senatus vivi exurantur. Gordiani Augusti, Dii vos servent. Ambo feliciter agatis, ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani præturam decernimus, nepoti Gordiani consulatum spondemus. Nepos Gordiani Cæsar appelletur. Tertius Gordianus præturam accipiat.*

Ob defectionem Senatus, præ ira furere cœpit Maximinus.

CAP. XVII. Ubi hoc Senatusconsultum Maximinus accepit, homo natura ferus, sic exarsit, ut non hominem sed belluam putares. Jaciebat se in parietes, nonnumquam terræ se prosternebat. Exclamabat incondite, arripiebat gladium, quasi Senatum posset occidere, conscindebat vestem regiam, alios verberibus afficiebat, &, nisi de medio recessisset, (ut quidam sunt auctores) oculos filio adolescentulo sustulisset. Causa autem iracundiæ contra filium hæc fuit, quod eum Romam ire jusserat cum primum Imperator factus est, & ille patris nimio amore neglexerat: putabat autem quod si ille Romæ fuisset, nihil ausurus esset Senatus. Ardentem igitur Maximinum iracundia, amici intra cubiculum receperunt. Sed cum furorem suum tenere non posset, ut oblivionem cogitationis acciperet, vino se primo die obruisse dicitur eousque ut quid gestum esset ignoraret. Alia die admissis amicis, qui eum audire non poterant, sed tacebant, & qui factum Senatus tacite laudabant, consilium habuit, quid facto opus esset: è consilio ad concionem processit, in qua concione multa in Afros, multa in Gordianum, plura in Senatum dixit, cohortatusque milites ad communes injurias vindicandas.

Oratio Maximini ad milites de defectione Senatus.

CAP. XVIII. Concio denique omnis militaris fuit, cujus hoc exemplum est: *Commilitones, rem notam vobis proferimus. Afri fidem fregerunt, quid dicam fregerunt? nam quando tenuerunt? Gordianus senex debilis & morti vicinus, sumpsit Imperium. Sanctissimi autem, Patres Conscripti, illi, qui & Romulum & Cæsarem occiderunt, me hostem judicaverunt, cum pro his pugnarem & ipsis vincerem; nec solum me, sed etiam vos & omnes qui mecum Sentiunt; quos & Senatui acceptissimos, & sibi adversissimos esse credebant. Quare factum est (ut diximus) ut Gordianum adolescentulum principem peterent, qui statim factus est. Nec prius permissi sunt ad palatium stipati armatis ire, quam nepotem Gordiani Cæsaris nomine nuncuparent, & Gordianos patrem ac filium Augustos vocarunt. Ergo si viri estis, si vires habetis, eamus contra Senatum & Afros: quorum omnium bona vos habebitis.* Dato igitur stipendio, & quidem ingenti, Romam versus, cum exercitu proficisci cœpit.

Capellianus clam tyrannidem affectat.

CAP. XIX. Sed Gordianus in Africa primum à Capelliano quodam agitari cœpit, cui Mauros regenti successorem dederat. Contra quem filium juvenem cum misisset, acerrima pugna interfecto filio, ipse laqueo vitam finivit; sciens & in Maximino multum esse roboris, & in Afris nihil virium, multum quinimo perfidiæ. Tunc Capellianus victor, pro Maximino omnes Gordiani partium, motu partium in Africa interemit atque proscripsit, nec cuiquam pepercit: prorsus ut ex animo Maximini videretur hæc facere. Civitates denique subvertit, fana diripuit, donaria militibus divisit, plebem & principes civitatum concidit. Ipse præterea militum animos sibi conciliabat, præludens ad Imperium si Maximinus perisset.

CAP. XX. Hæc ubi Romam nuntiata sunt, Senatus Maximini & naturalem & jam necessariam crudelitatem timens, mortuis duobus Gordianis, Maximum Pupienum ex præfecto Urbi, & qui plurimas dignitates præcipue gessisset, ignobilem genere, sed virtutibus clarum, & Clodium Balbinum, moribus delicatiorem, Imperatores creavit. Quibus à Populo Augustis appellatis; per milites & eundem Populum, etiam parvulus nepos Gordiani Cæsar est dictus. Tribus igitur Imperatoribus contra Maximinum fulta respublica est. Horum tamen Maximus vita severior, prudentia gravior, virtute constantior. Denique ipsi contra Maximinum & Senatus & Balbinus bellum tradiderunt. Profecto igitur ad bellum Maximo contra Maximinum, Balbinus Romæ bellis intestinis & domesticis seditionibus urgebatur; occisis præcipue per Populum Gallicano & Mæcenate: qui quidem Populus à prætorianis laniatus est, cum Balbinus resistere seditionibus non satis posset. Denique magna pars Urbis incensa est. Et recreatus quidem Imperator fuerat Maximinus, audita morte Gordiani, atque ejus filii, Capelliani victoria. Verum ubi & aliud Senatusconsultum accepit, quo Maximus & Balbinus & Gordianus Imperatores appellati sunt, intellexit Senatus odia esse perpetua, & se vere hostem omnium judicio haberi.

Maximus Pupienus.

Et Clodius Balbinus Imperatores. U. C. 989. p. C. N. 237.

Maximus contra Maximinum proficiscitur.

Gordiani à Capelliano victi.

Maximinus Italiam ingreditur.

CAP. XXI. Acrior denique Italiam ingressus est. Ubi cum comperisset Maximum contra se missum, vehementius sæviens, quadrato agmine Hemonam venit. Sed provincialium omnium consilium hoc fuit, ut sublatis omnibus quæ victum præbere possent, intra civitates se reciperent, ut Maximinus cum exercitu fame urgeretur. Denique ubi primum castra in campo posuit, neque quidquam commeatus reperiret, incensus contra eum exercitus suus, quod fame in Italia laborasset, in qua post Alpes recreari se posse credebat, murmurare primum cœpit, deinde etiam aliqua libere dicere. Hæc cum vellet vindicare, multum exarsit exercitus, & odium tacitum in tempus distulit, quod loco suo statim prodidit. Plerique sane dicunt, ipsam Hemonam vacuam & desertam inventam esse, Maximino stulte lætante, quod quasi civitas tota cessisset. Post hoc Aquileiam venit, quæ contra eum armatis circa muros dispositis, portas clausit: nec oppugnatio defuit, Menophilo & Crispino consularibus viris auctoribus.

Hemonam urbem vacuam & desertam invenit.

Frustra obsidet Aquileiam.

CAP. XXII. Cum igitur frustra obsideret Aquileiam Maximinus, legatos in eandem Urbem misit. Quibus Populus pæne consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens, etiam Deum Belenum per aruspices spopondisse, *Maximinum esse vincendum,* Unde etiam postea Maximini milites jactasse dicuntur, Apollinem contra se pugnasse, nec illam

Maximi aut Senatus, sed Deorum fuisse victoriam. Quod quidem idcirco ab his fictum esse dicunt, quod erubescebant armatos se pæne ab inermibus victos. Ponte itaque cuppis facto, Maximinus fluvium transivit, & de proximo Aquilejam obsidere cœpit. Ingens autem oppugnatio & discrimen tunc fuit, cum se cives sulfure & flammis, ceterisque hujusmodi propugnaculis, à militibus defenderent: quorum alii nudabantur armis, aliorum vestes incendebantur, aliorum oculi exstinguebantur, diruebantur etiam machinamenta. Inter hæc Maximinus cum filio suo adolescente, quem Cæsarem appellaverat, circumire muros quantum à teli jactu satis tutus esse posset, nunc suis verbis milites, nunc oppidanos rogare. Verum nihil profecit. Nam multa & in eum crudelitatis causa, & in filium qui speciosissimus erat, probra congesta sunt.

Maximinus duces importuno tempore occidit.

CAP. XXIII. Quare Maximinus sperans suorum ignavia bellum trahi, duces suos interemit, eo tempore quo minime oportebat: unde sibi milites etiam iratiores reddidit. Huc accedebat, quod deficiebant commeatus, quia Senatus, ad omnes provincias & portuum custodes litteras dederat, ne aliquid commeatuum in Maximini potestatem veniret. Miserat præterea per omnes civitates prætorios & quæstorios viros, qui ubique custodias agerent, & omnia contra Maximinum defenderent. Effectum denique est ut obsessi angustias, obsidens ipse, pateretur. Nuntiabatur inter hæc orbem terrarum consensisse in odium Maximini. Quare timentes milites, quorum affectus in Albano monte erant, medio forte die cum à prælio quiesceretur, & Maximinum & filium ejus quiescentes, in tentorio positos occiderunt, eorumque capita præfixa contis Aquilejensibus demonstraverunt. In oppido igitur vicino statim Maximini statuæ atque imagines depositæ sunt, & ejus præfectus prætorii occisus est, cum amicis clarioribus. Missa etiam Romam capita sunt eorum.

Maximinus cum filio à militibus interficitur. U. C. 990. p. C. N. 238.

CAP. XXIV. Hic finis Maximinorum fuit, dignus crudelitate patris, indignus bonitate filii. Quibus mortuis, ingens lætitia provincialium, dolor gravissimus barbarorum. Sed milites interfectis publicis hostibus, recepti sunt ab oppidanis, rogantes: & primum ita, ut ante imagines Maximi & Balbini & Gordiani adorarent, cum omnes dicerent, priores Gordianos in Deos relatos. Post hoc ingens ex Aquileja commeatus in castra, quæ laborabant fame, traductus est, fessisque militibus alia die in concionem ventum est, & omnes in Maximi & Balbini verba jurarunt, Gordianos priores Divos appellantes. Dici vix potest, quanta lætitia fuerit, cum Romam per Italiam caput Maximini ferretur, occurrentibus cunctis ad gaudium publicum. Et Maximus quidem, quem multi Pupienum putant, apud Ravennam bellum parabat per Germanorum auxilia: qui ubi comperit consensisse exercitum sibi & collegis suis, occisos autem esse Maximinos, statim dimissis Germanorum auxiliis, quæ sibi contra hostem paraverat, Romam laureatas litteras misit, quæ in Urbe ingentem lætitiam fecerunt; ita ut omnes per aras, & templa, & sacella, & loca religiosa, gratias agerent. Balbinus autem homo timidior natura, & qui cum Maximini nomen audiret, etiam tremeret, hecatomben fecit, jussitque per omnes civitates pari supplicari sacrificio. Deinde Maximus Romam venit, Senatumque ingressus, actis sibi gratiis, concionem habuit: atque inde in Palatium cum Balbino & Gordiano victores se receperunt.

Lætitia Romæ & per Italiam occisis Maximinis.

Supplicationes.

CAP. XXV. Interest scire quale Senatusconsultum fuerit, vel qui dies Urbis, cum est nuntiatus interemptus Maximinus. Jam primum is nuntius qui ex Aquilejensi urbe Romam missus fuerat, tanto impetu, mutatis animalibus, cucurrit, ut quarta die Romam veniret, cum apud Ravennam Maximum reliquisset. Et forte dies ludorum erat, cum subito sedente Balbino & Gordiano theatrum nuntius ingressus est: atque antequam aliquid indicaretur, omnis Populus exclamavit, *Maximinus occisus est.* Ita & nuntius præventus, & Imperatores qui aderant, gaudium publicum nutu & consensu indicaverunt. Soluto igitur spectaculo, omnes statim ad suas religiones convolarunt: atque inde Senatus ad principem, Populus ad concionem cucurrerunt.

Quomodo mors Maximinorum innotuerit Romæ.

CAP. XXVI. Senatusconsultum hoc fuit. Recitatis in Senatu per Balbinum Augustum litteris, acclamavit Senatus: *Hostes Populi Romani Dii persequuntur. Jupiter optime tibi gratias. Apollo venerabilis tibi gratias. Maxime Auguste tibi gratias. Balbine Auguste tibi gratias. Tibi gratias Gordiane Auguste. Divis Gordianis templa decernimus. Maximini nomen olim erasum, nunc animis eradendum. Hostis publici caput in profluentem abjiciatur: corpus ejus nemo sepeliat. Qui Senatui mortem minatus est, qui Senatui vincula minatus est, ut debebat, interemptus. Sanctissimi Imperatores gratias vobis agimus. Maxime, Balbine, Gordiane, Dii vos servent. Victores hostium omnes desideramus: præsentiam Maximi omnes desideramus. Balbine Auguste, Dii te servent. Præsentem annum Consules vos ornetis: in locum Maximini Gordianus sufficiatur.* Post rogatus sententiam Cuspidius Celerinus, hæc verba habuit: *Patres Conscripti, eraso nomine Maximinorum, appellatisque Divis Gordianis, victoriæ causa principibus nostris, Maximo, Balbino, & Gordiano statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus, statuas equestres decernimus, trophæa decernimus.* Post hæc misso Senatu supplicationes per totam Urbem decretæ. Victores principes in Palatium se receperunt, de quorum vita, in alio libro deinceps dicemus.

Acclamatio Senatus.

Supplicationes decretæ.

JULII

JULII CAPITOLINI
MAXIMINUS JUNIOR
AD
CONSTANTINUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Maximini Junioris pulchritudo.

Maximinus junior, de cujus genere superius dictum est, tantæ pulchritudinis fuit, ut passim amatus sit à procacioribus fœminis. Nonnullæ etiam optaverunt de eo concipere. Proceritatis videbatur posse illius esse, ut ad staturam paternam perveniret. Siquidem anno vicesimo & primo periit, in ipso flore juventutis, (ut aliqui autem dicunt, octavodecimo) litteris & Græcis & Latinis imbutus ad primam disciplinam. Nam usus est magistro Græco litteratore Fabilio, cujus epigrammata Græca multa exstant, maxime in imaginibus ipsius pueri: qui versus Græcos fecit ex illis Latinis Virgilii, cum ipsum puerum describeret:

Studia ejus & Præceptores.

Qualis ubi Oceani profusus lucifer unda
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit,
Talis erat juvenis primo sub nomine clarus.

Grammatico Latino usus est Philemone, Juris perito Modestino, oratore Titiano, filio Titiani senioris, qui provinciarum libros pulcherrimos scripsit, & qui dictus est *Simia temporis sui*, quod cuncta imitatus esset. Habuit & Græcum rhetorem Eugamium, sui temporis clarum. Desponsata illi erat Junia Fadilla, proneptis Antonini; quam postea accepit Toxotius ejusdem familiæ Senator, qui periit post præturam, cujus etiam poëmata exstant. Manserunt autem apud eam arræ regiæ, quæ tales (ut Junius Cordus loquitur, ex iis qui harum rerum perscrutator) fuisse dicuntur: monolium de albis novem, reticulum de prasinis undecim, dextrocherium cum costula de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas, & omnes regias, ceteraque insignia sponsaliorum.

Sponsa ejus.

Superbia ejus.

CAP. II. Adolescens autem ipse Maximinus superbiæ fuit insolentissimæ, ita ut etiam cum pater suus, homo crudelissimus, plerisque honoratis assurgeret, ille resideret. Vitæ lætioris, vini parcissimus, cibi avidus, maxime sylvestris: ita ut nonnisi aprugnam, anates, grues, & omnia captiva ederet. Infamabant eum, ob nimiam pulchritudinem, amici Maximi, & Balbini, & Gordiani, & maxime Senatores, qui speciem illam, vel ut divinitus lapsam, incorruptam esse noluerunt. Denique illo tempore, quo circum Aquilejam muros circumiens, cum patre deditionem urbis petebat, nihil aliud ei quam spurcities objecta est, quæ longe ab illius fuit vita. Vestibus tam accuratus fuit, ut nulla mulier nitidior esset in mundo. Amicis paternis immane quantum obsequutus est, sed ut donaret ac largiretur. Nam in salutationibus superbissimus erat; & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur, & nonnumquam etiam pedes: quod numquam passus est senior Maximinus, qui dicebat, *Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Et quoniam ad Maximinos revertimur, res jucundæ prætereundæ non sunt. Nam cum esset Maximinus pedum, ut diximus, octo & prope semis, calciamentum ejus, id est, campagum regium, quidam in luco qui est inter Aquilejam & Arziam posuerunt, quod constat pede majus fuisse hominis vestigio atque mensura: unde etiam vulgo tractum est, cum de longis & ineptis hominibus diceretur, *Caliga Maximini.* Quod idcirco indidi, ne, qui Cordum legeret, me prætermisisse crederet aliquid quod ad rem pertineret.

Jocus de Caliga Maximini.

CAP. III. Sed redeam ad filium. De hoc adolescente Alexander Aurelius ad matrem suam scribit Mammæam, cupiens ei sororem suam Theocliam dare, in hæc verba, *Mi mater, si Maximinus senior, dux noster, & quidem optimus, non aliquid in se barbarum contineret, jam ego Maximino juniori Theocliam tuam dedissem. Sed timeo ne soror mea Græcis munditiis erudita, barbarum socerum ferre non possit: quamvis ipse adolescens & pulcher & scholasticus, ad Græcas munditias eruditus esse videatur. Hæc quidem cogito: sed te tamen consulo, Maximinum Maximini filium generum velis, an Messallam ex familia nobili, oratorem potentissimum, eundemque doctissimum, & (nisi fallor) in rebus bellicis, si applicetur, fortem futurum.* Hæc Alexander de Maximino, de quo nos nihil amplius habemus quod dicamus. Sane ne quid prætermissum esse videatur, etiam epistolam indidi patris Maximini Imperatoris jam facti, qui dicit idcirco se etiam filium suum appellasse Imperatorem, ut videret vel in pictura, vel in veritate, qualis esset junior Maximinus in purpura. Fuit autem talis epistola: *Ego cum propter affectum, quem pater filio debet, Maximinum meum, Imperatorem appellari permisi; tum etiam ut Populus Romanus & Senatus ille antiquus juraret, se numquam pulchriorem Imperatorem habuisse.* Usus est autem idem adolescens & aurea lorica, exemplo Ptolemæorum: usus est argentea; usus & clypeo gemmato inaurato, & hasta inaurata. Fecit & spathas argenteas, fecit etiam aureas, & omnino quidquid ejus pulchritudinem posset juvare. Fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas. Hæc sunt quæ de puero sciri & dici decuit. Reliqua qui volet nosse, de rebus venereis & amatoriis, quibus eum Cordus aspergit, eundem legat.

Alexandri de Maximini Junioris epistola.

Maximini patris de filio epistola.

Luxus Maximini filii.

legat. Nos enim hoc loco finem libri faciemus, ad alia, ut jubetur velut publico jure, properantes.

Omina de Imperio Maximinorum.

CAP. IV. Omina ſane Imperii hæc fuerunt. Serpens dormienti caput circumdedit. Poſita ab eodem vitis intra annum ingentes uvas purpureas attulit, & miræ magnitudinis facta eſt. Scutum ejus ſub ſole arſit. Lanceola ſic fiſſa eſt fulmine, ut tota, etiam per ferrum ſcinderetur, & duas partes faceret: unde dixerunt aruſpices, *duos Imperatores non diuturnos ex una domo, iiſdem nominibus futuros.* Lorica patris ejus, non (ut ſolet) ferrugine, ſed tota purpureo colore infecta, à plurimis viſa eſt. Filio autem omina hæc fuerunt: cum grammatico daretur, quædam parens ſua libros Homericos omnes purpureos dedit, aureis litteris ſcriptos. Ipſe puerulus cum ad cœnam ab Alexandro eſſet rogatus in patris honorem, quod ei deeſſet veſtis cœnatoria, ipſius Alexandri accepit. Cum infans eſſet, ſubito per publicum veniente vehiculo Antonini Caracalli, quod vacuum erat; conſcendit & ſedit, & vix ægreque à mulionibus carrucariis deturbatus eſt. Nec defuerunt qui cavendum infantem dicerent Caracallo. Tum ille dixit, *Longe eſt ut mihi ſuccedat iſte.* Erat enim illo tempore inter ignobiles, & nimis parvus.

Omina de morte Maximinorum.

CAP. V. Mortis omina hæc fuerunt: Venienti contra Maximum & Balbinum Maximino cum filio, mulier quædam paſſis crinibus occurrit lugubri habitu, & exclamavit, *Maximini, Maximini, Maximini*: neque quidquam amplius dixit: & mortua eſt. Videbatur enim dicere voluiſſe, *Succurrite.* Canes circum tentorium ejus in ſecunda manſione ultra duodecim ulularunt, & animam quaſi flendo poſuerunt, ac prima luce mortui ſunt deprehenſi. Lupi urbem quingenti ſimul ingreſſi ſunt in quam ſe Maximinus contulerat: plerique dicunt Hemonam, alii Archimeam; certe quæ deſerta à civibus venienti Maximino patuit. Longum eſt omnia perſequi: quæ qui ſcire deſiderat, is velim (ut ſæpe dixi) legat Cordum, qui hæc omnia uſque ad fabellam ſcripſit. Sepulcra eorum nulla exſtant: in profluentem enim cadavera eorum miſſa ſunt, & capita eorum in campo Martio inſultante Populo exuſta.

Pulchritudo oris etiam jam mortui Maximini junioris.

CAP. VI. Scribit Ælius Sabinus, (quod prætermittendum non fuit) tantam pulchritudinem oris fuiſſe in filio, ut etiam caput ejus mortui jam nigrum, jam ſordens, jam maceratum, defluente tabo, velut umbra pulcherrima videretur. Denique cum caput Maximini pilo circumferretur, & ex hoc ingens gaudium eſſet, prope par mœror erat quod & filii caput pariter portaretur. Addit Dexippus, tantum odium fuiſſe Maximini, ut interfectis Gordianis, viginti viros Senatus creaverit, quos opponeret Maximino; è quibus fuerunt Balbinus & Maximus, quos contra eum Principes fecerunt. Idem addidit, in conſpectu Maximini jam deſerti à milibus, Anolinum præfectum prætorio ipſius & filium ejus occiſum. Nec deſunt hiſtorici, qui dicant, ipſum Maximinum, ubi deſertus eſt, & ubi filium interemptum ante oculos ſuos vidit, manu ſua ſe interfeciſſe, ne quid ei muliebre contingeret.

Fides Aquilejenſium pro Senatu contra Maximinum.

CAP. VII. Prætereundem ne illud quidem eſt, quod tanta fide Aquilejenſes contra Maximinum pro Senatu fuerunt, ut funes de capillis mulierum facerent, cum deeſſent nervi ad ſagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum. Unde in honorem matronarum, templum *Veneri calvæ* Senatus dicavit. Sane quod nullo in loco tacendum eſt, cum & Dexippus & Arianus & multi alii Græci ſcripſerunt, Maximum & Balbinum Imperatores contra Maximinum factos; Maximum autem cum exercitu miſſum, & apud Ravennam bellum paraſſe, Aquilejam autem niſi victorem non vidiſſe: Latini ſcriptores non Maximum, ſed Pupienum contra Maximinum apud Aquilejam pugnaſſe dixerunt, eundemque viciſſe. Qui error unde natus ſit, ſcire non poſſum; niſi forte idem eſt Pupienus qui & Maximus. Quod ideo teſtatum poſui, ne quis me hoc neſciſſe crederet, quod revera magnum ſtuporem ac miraculum creat.

JULII CAPITOLINI
GORDIANI TRES
AD
CONSTANTINUM AUGUSTUM.

CAPUT I.

Cur Gordianorum hiſtoria in uno volumine ſcripta.

Fuerat quidem conſilium, venerabilis Auguſte, ut ſingulos quoſque Imperatores exemplo multorum, libris ſingulis ad tuam clementiam deſtinarem. Nam id multos feciſſe, vel ipſe videram, vel lectione conceperam. Sed improbum viſum eſt, vel pietatem tuam multitudine diſtinere librorum, vel meum laborem plurimis voluminibus occupare. Quare tres Gordianos hoc libro contexui, conſulens & meo labori, & lectioni tuæ, ne cogereris plurimos codices volven-

volvendo unam tamen pæne historiam lectitare. Sed ne ego qui longitudinem librorum fugi, multitudinemque verborum, in eam incurrisse videar, quam me urbane declinare confingo: jam rem aggrediar.

Gordiani tres fuere.

CAP. II. GORDIANI non, ut quidam imperiti scriptores loquuntur, duo, sed tres fuerunt: idque docente Arriano scriptore Græcæ historiæ, docente item Dexippo Græco auctore, potuerunt addiscere: qui, etiamsi breviter, ad fidem tamen omnia persequuti sunt. Horum *Gordianus Senior*, id est primus, natus ex patre Metio Marullo, matre Ulpia Gordiana, originem paternam ex Gracchorum genere habuit, maternam ex Traiani Imperatoris: patre, avo, proavo Consulibus, socero, prosocero, & item alio prosocero, & duobus absoceris Consulibus. Ipse Consul ditissimus ac potentissimus, Romæ Pompeianam domum possidens, in provinciis tantum terrarum habens quantum nemo privatus. Ipse ex consulatu quem egerat cum Alexandro, ad proconsulatum Africæ missus est ex Senatusconsulto.

Gordiani Senioris origo.

CAP. III. Sed priusquam de Imperio ejus loquar, dicam pauca de moribus. Adolescens cum esset Gordianus, de quo sermo est, poëmata scripsit, quæ omnia exstant, & cuncta illa quæ Cicero ex Demetrio & Arato, & *Alcyonas*, & *Uxorium*, & *Nilum*: quæ quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poëmata nimis antiqua viderentur. Scripsit præterea, quemadmodum Virgilius *Æneidos*, Statius *Achilleidos*, & multi alii *Iliados*; ita etiam ille *Antoniniados*, hoc est Antoninum Pium, & Antoninum Marcum, versibus disertissimis, libris triginta vitam illorum, & bella, & publice privatimque gesta perscribens. Et hæc quidem puerulus. Postea vero ubi adolevit, in Athenæo controversiis declamavit, audientibus etiam imperatoribus suis. Quæsturam magnificentissime gessit: ædilitatis suæ tempore, duodecim Populo Romano, munera, id est, per singulos menses singula, de suo exhibuit, ita ut gladiatorum nonnumquam quingena paria exhiberet, numquam minus centenis quinquagenis. Feras Libycas una die centum exhibuit, ursos una die mille. Exstat silva ejus memorabilis; quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeii, quæ ipsius & patris ejus & proavi fuit; quam Philippi temporibus vester fiscus invasit. In qua pictura etiam nunc continentur cervi palmati ducenti, mixtis Britannis, equi feri triginta, oves feræ centum, alces decem, tauri Cypriaci centum, struthiones Mauri miniati recenti, onagri triginta, apri centum quinquaginta, ibices ducenti, damæ ducentæ. Hæc autem omnia Populo rapienda concessit die muneris quod sextum edebat.

Gordianus senior adhuc adolescens multa scripsit.

Officia publica.

Liberalitas ejus.

CAP. IV. Præturam nobilem gessit; post jurisdictionem consulatum primum iniit cum Antonino Caracallo, secundum cum Alexandro. Filios duos habuit, unum consularem, qui cum ipso Augustus appellatus est, qui juxta Carthaginem in Africa bello absumptus est: & filiam Metiam Faustinam, quæ nupta est Junio Balbo consulari viro. In consularibus clarior fuit sui temporis Consulibus, ita ut ei Antoninus invideret, modo prætextas ejus, modo latum clavum, modo Circenses ultra imperatorium mirans modum. Palmatam tunicam, & togam pictam, primus Romanorum privatus suam propriam habuit; cum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent vel de Palatio, Equos Siculos centum, Cappadoces centum, permittentibus Imperatoribus, factionibus divisit. Et per hæc Populo satis carus, qui semper talibus commovetur. Cordus dicit, in omnibus civitatibus Campaniæ, Etruriæ, Umbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio illum per quatriduum ludos scenicos & juvenalia edidisse. Scripsit & laudes soluta oratione omnium Antoninornm qui ante eum fuerunt. Tantum autem Antoninos dilexit, ut sibi quoque, ut multi dicunt, *Antonini*; ut plerique autem asserunt, *Antonii* nomen adscripserit. Jam illud satis constat, quod filium Gordianum nomine Antonini, & signo illustravit, cum apud præfectum ærarii, more Romano professus filium, publicis actis ejus nomen insereret.

Gordiani senioris liberi.

Gordiani, an Antonini vel Antonii vocati.

CAP. V. Post consulatum proconsul Africæ factus est, adnitentibus cunctis qui Alexandri Imperium etiam in Africa clarum per proconsulis dignitatem haberi atque esse voluerunt. Exstat epistola ipsius Alexandri, qua Senatui gratias agit quod Gordianum ad Africam proconsulem destinaverit; cujus hoc exemplum est: *neque gratius mihi quidquam, Patres Conscripti, neque dulcius potuistis efficere, quam ut Antoninum Gordianum proconsulem ad Africam mitteretis; virum nobilem & magnanimum, disertum, justum, continentem, bonum.* Et reliqua. Ex quo apparet, quantus vir eo tempore Gordianus fuerit. Amatus est ab Afris ita ut nemo antea proconsulum: ita ut eum alii *Scipionem*, *Catonem* alii, multi *Mucium*, ac *Rutilium*, aut *Lælium* dicerent. Exstat eorum acclamatio, quæ à Junio in litteras relata est. Nam cum quadam die factum imperatorium legeret, atque à proconsulibus Scipionibus cœpisset, acclamatum est. *Novo Scipioni; vero Scipioni, Gordiano proconsuli.* Hæc & alia frequenter audivit.

Gordianus senior proconsul Africæ factus.

Scipio appellatur.

CAP. VI. Et erat quidem longitudine Romana, canitie decora, & pompali vultu, ruber magis quam candidus, facie bene lata, oculis, ore, fronte, verendus. Corporis qualitate subcrassulus. Moribus ita moderatus, ut nihil possis dicere quod ille aut cupide, aut immodeste, aut nimie fecerit. Affectus suos unice dilexit: filium & nepotem ultra morem, filiam & neptem religiose. Socero suo Annio Severo tantum detulit, ut in familiam ejus quasi filium migrasse se crederet, ut numquam cum eo laverit, numquam illo præsente sederit. Ante præturam Consul cum esset, aut in domo ejus semper mansit, aut si in Pompeiana domo, ad illum vel mane vel sero processit. Vini parcus, cibi parcissimus, vestitu nitidus, lavandi cupidus, ita ut & quater & quinquies in die lavaret æstate, in hieme bis. Somni plurimi ita ut in tricliniis, si forte apud amicos ederet, etiam sine pudore dormiret: quod videbatur facere per naturam, non per ebrietatem atque luxuriam. Sed boni mores nihil ei profuerunt.

Forma corporis.

Mores

CAP. VII. Hic enim vita venerabilis, cum Platone semper, cum Aristotele, cum Tullio, cum

Exitus Gordiani.

cum Virgilio, ceterisque veteribus agens, alium quam merebatur exitum passus est. Nam cum temporibus Maximini hominis sævi atque truculenti, proconsul Africam regeret, eique legatus filius esset à Senatu datus, cumque quidam rationalis acrius contra plurimos Afrorum sæviret, quam Maximinus ipse pateretur, proscribens plurimos, interficiens multos, & sibi ultra procuratorem omnia vindicans, retunsus deinde à proconsule, atque legato, cum nobilibus & consularibus viris ipse minaretur, cumque Afri tam insolentes injurias ferre nequirent, primum ipsum rationalem adjunctis sibi plerisque militibus occiderunt. Occiso deinde eo, cum jam orbis terrarum odio contra Maximinum arderet, cœperunt cogitare quemadmodum seditio inter Maximinos & rusticos vel Afros orta placaretur. (*k*) Tunc quidam Mauritius nomine, potens apud Afros decurio, juxta Tysdrum nobilissima posthac oratione apud plebem in agro suo velut concionabundus est loquutus.

Mauritii oratio de Gordiano Imperatore faciendo.

CAP. VIII. *Gratias Diis immortalibus, cives, quod occasionem dederunt, & quidem necessariam, providendi nobis contra hominem furiosissimum Maximinum. Nos enim qui procuratorem ejus moribus & vita consimilem occidimus, nisi facto Imperatore salvi esse non possumus. Quocirca, si placet, quoniam non longe est nobilissimus vir proconsul cum filio consulari legato, quorum utrique mortem pestis illa est minata, sublata de vexillis purpura Imperatores eos dicemus, adhibitisque insignibus, Romano jure firmabimus.* Tunc acclamatum est. *Æquum est, justum est. Gordiane Auguste, Dii te servent: Feliciter! Imperator es, cum filio imperes.* His actis, propere ventum est ad oppidum Tysdrum; inventusque senex venerabilis post jurisdictionem jacens in lectulo; qui circumfusus purpura, humi se abjecit, ac retrectans, elevatus est. Et cum aliud facere nihil posset, evitandi periculi gratia, quod à Maximini furoribus, haud dubie imminebat, Imperatorem se appellari passus est.

Gordianus coactus Imperium suscipit.

CAP. IX. Erat autem jam octogenarius, & plurimis provinciis (ut diximus) ante præfuerat: Populo Romano ita commendatus suis actibus erat, ut toto dignus videretur Imperio. Alii quidem occiso juvene Gordiano filio suo, quod Gordianus ante nesciérat: sed ubi rem comperit, jam morti vicinus, & filio magis timens, maluit honestas causas habere moriendi, quam dedi vinculis & carceri Maximini. Appellato igitur Gordiano Imperatore, juvenes qui auctores hujus facinoris erant, statuas Maximini dejecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus eraserunt. Ipsum etiam Gordianum *Africanum* appellaverunt. Addunt quidam, Africani cognomentum Gordiano idcirco inditum, non quod in Africa imperare cœpisset, sed quod de Scipionum familia originem traheret. In plurimis autem libris invenio & hunc Gordianum, & filium ejus, pariter Imperatores appellatos, & *Antoninos* cognominatos: alii vero *Antonios*. Post hoc Carthaginem ventum cum pompa regali & fascibus laureatis: filiusque legatus patris, exemplo Scipionum (ut Dexippus Græcæ historiæ auctor est) gladii potestate succinctus est. Missa deinceps legatio Romam est cum litteris Gordianorum, hæc quæ gesta fuerant in Africa indicans: quæ per Valerianum principem Senatus, qui postea imperavit, gratanter accepta est. Missæ sunt & ad amicos nobiles litteræ, ut homines potentes, & rem probarent, & amiciores fierent ex amicis.

Gordianus cur Africanus dictus.

Gordiani an Antonini vel Antonii dicti?

Gordianus Carthaginem sedem Imperii deligit.

CAP. X. Sed tanta gratulatione factos contra Maximinum Imperatores Senatus accepit, ut non solum gesta hæc probarent, sed etiam viginti viros eligerent, inter quos erat Maximus sive Pupienus, & Clodius Balbinus: qui ambo Imperatores sunt creati, posteaquam Gordiani duo in Africa interempti sunt. Illos sane viginti Senatus ad hoc creaverat, ut divideret his Italicas regiones, contra Maximinum pro Gordianis tuendas. Tunc legationes à Maximino Romam venerunt, abolitionem præteritorum spondentes. Sed vicit Gordianorum legatio, quæ bona omnia pollicebatur: ita ut eidem crederetur: & ingens militibus stipendium, Populo agri atque congiaria promissa. Usque adeo autem magis Gordianis quam Maximinis est creditum, ut Vitalianus quidam, qui prætorianis militibus præerat, per audacissimos quæstorem & milites jussu Senatus occideretur: quod se antea crudeliter egerat, & tunc ejus magis immanitas timebatur, amica & familiaris moribus Maximini. De cujus morte hæc fabella fertur: Fictæ sunt litteræ Maximini, signatæ quasi ejusdem anulo, & missi cum quæstore milites qui eas ferrent, addentes, quædam præter litteras secreto esse dicenda. Longam igitur porticum petierunt: & cum ille ea quæ sibi erant secreto dicenda, perquireret, hortantibus ut prius signum inspiceret epistolæ, dum considerat, interemptus est. Persuasum deinde est militibus, jussu Maximini Vitalianum interemptum: peractisque rebus, in castris Gordianorum & litteræ & vultus sunt propositi.

Viginti viri contra Maximinum creati, ad Italiam defendendam.

Vitalianus dux prætorianorum occiditur.

CAP. XI. Interest ut Senatusconsultum, quo Gordiani Imperatores appellati sunt, & Maximinus hostis, litteris propagetur. Non legitimo sed indicto Senatus die, Consul jam domi conventus, cum prætoribus, ædilibus, & tribunis plebis, venit in curiam. Præfectus Urbis, cui nescio quid redoluerat, & qui publicas litteras non acceperat: à conventu se abstinuit. Sed profuit: nam Consul ante solitas acclamationes, priusquam aliquid in Maximinum feliciter diceretur, ait: *Patres Conscripti, Gordiani duo, pater & filius, ambo ex Consulibus; unus vester proconsul, alter vester legatus, magno Afrorum consilio Imperatores sunt appellati. Gratias igitur agamus Tysdritanæ juventuti, gratias Carthaginiensi populo semper devoto, qui ab immani nos bellua, ab illa fera vindicaverunt. Quid timide auditis? quid circumspicitis? quid cunctamini? hoc est, quod semper optastis. Hostis est Maximinus. Dii faciant ut esse jam desinat, & Gordiani senis felicitatem atque prudentiam, juve-*

Senatusconsultum, quo Gordiani Imperatores à Senatu sunt confirmati, & Maximini hostes Reipublicæ declarati.

(*k*) al. Quemadmodum inter Maximinos & rusticos vel Afros ortæ inimicitiæ placarentur.

juvenis virtutem atque constantiam læti experiamur. Post hæc litteras legit Gordianorum, ad Senatum & ad se missas. Tunc clamavit Senatus, *Dii vobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si penitus liberemur. Maximinum hostem omnes judicamus. Maximinum cum filio diis inferis devovemus. Gordianos Augustos appellamus. Gordianos principes agnoscimus. Imperatores de Senatu Dii conservent:* (14.) *Imperatores nobiles victores videamus: Imperatores nostros Roma videat. Hostes publicos qui occiderit, præmium merebitur.*

Senatusconsultum tacitum quid sit.

CAP. XII. Dicit Junius Cordus istud Senatusconsultum fuisse tacitum: quod quale sit, aut quare sic appellatum, brevi exponam. Omnino exemplum Senatusconsulti taciti non aliud est hodie, quam quod vestra clementia, convocatis ad interiora majoribus, ea disponit, quæ non sunt omnibus publicanda: de quibus adjurare etiam soletis, ne quis ante rem completam, quidquam vel audiat vel intelligat. Hunc autem morem apud veteres necessitates publicæ repererunt; ut si forte aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare consilia, vel aliqua constituere, quæ non prius oporteret dici quam effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanere, Senatusconsultum tacitum fieret: ita ut non scribæ, non servi publici, non censuales, illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium scribarumque complerent, nequid forte proderetur. Factum est ergo Senatusconsultum tacitum, ne res ad Maximinum perveniret.

Maximinus comperit Senatusconsultum tacitum.

CAP. XIII. Sed statim ille (ut se habent hominum mentes, eorum dumtaxat qui erubescunt, per se ea non agnosci quæ sciunt, & qui humiles se putant si commissa non prodant) omnia comperit Maximinus, ita ut exemplum Senatusconsulti taciti acciperet, quod numquam ante fuerat factitatum. Exstat denique ejus epistola ad præfectum Urbis talis, *Senatusconsultum tacitum vestrorum illorum Principum legi, quod tu, præfectus Urbi, factum esse fortasse non nosti: nam nec interfuisti: cujus exemplum ad te misi, ut scires quomodo Romanam Rempublicam regeres.* Enarrari autem non potest, quæ commotio fuerit Maximini cum audivit contra se Africam descivisse. Nam Senatus auctoritate percepta, incurrere in parietes, vestem scindere, gladium arripere, quasi omnes posset occidere, prorsus furere videbatur. Præfectus Urbis acceptis litteris acrioribus, Populum & milites alloquutus est, dicens, *Maximinum jam occisum.* Ex quo majus fuit gaudium, statimque dejectæ sunt statuæ atque imagines ejus qui hostis fuerat judicatus. Usus est sane Senatus, pendente bello, potestate qua debuit. Nam delatores, calumniatores, procuratores, & omnem illam facem Maximinianæ tyrannidis, occidi Senatus jussit. Atque parum fuit, quod Senatus judicaverat; illud Populi judicium fuit, quod occisi tracti sunt, & in cloacam missi. Tunc & præfectus Urbi Sabinus, consularis vir, fuste percussus, occisus & in publico derelictus est.

Ob defectionem præ ira furere cœpit.

Gaudium Romæ de Maximini cæde.

Sabinus interfectus.

Maximinus milites cohortatur.

CAP. XIV. Hæc ubi comperit Maximinus, statim cohortatus est milites hoc genere concionis, *Sacrati commilitones, immo etiam mei consecranei, & quorum mecum plerique vere militatis; dum nos in Germania Romanam defendimus majestatem, dum nos Illyricum à barbaris vindicamus, Afri fidem Punicam præstiterunt. Nam duos nobis Gordianus, quorum alter senio ita affectus est, ut non possit assurgere, alter ita luxurie perditus, ut debilitatem habeat pro senectute, Imperatores fecerunt. Et nec hoc parum est, sed factum Afrorum nobilis ille Senatus agnovit; & pro quorum liberis arma portamus, hi contra nos viginti viros statuerunt, & omnes velut contra hostes sententias protulerunt. Quinimimo agite, ut viros decet; properandum est ad Urbem. Nam & viginti viri consulares contra nos lecti sunt, quibus resistendum est, nobis fortiter agentibus, vobis feliciter dimicantibus.* Lentas militum mentes & suorum minus alacres animos hac concione Maximinus sæpe cognovit. (*l*) Denique statim ad filium scripsit, qui longe post sequebatur, ut accelararet, ne quid contra eum se absente milites cogitarent. Litterarum exemplum tale Junius Cordus dicit: *Referet ad te stipator meus, Thyncanius, quæ gesta cognovi vel in Africa vel Romæ: referet quæ sint militum mentes. Quæso quantum potes, properes: ne quid, ut solet, militaris turba plus faciat. Quid verear, ex eo audies, quem ad te misi.*

Sine successu

Maximinus per Capelianum, Gordianum juniorem vincit.

CAP. XV. Dum hæc aguntur, in Africa contra duos Gordianos Capelianus quidam, Gordiano & in privata vita semper adversus, & ab ipso Imperatore jam, cum Mauros Maximini jussu regeret, veteranus dimissus, cum lectis Mauris & tumultuaria manu, accepto à Gordiano successore, Carthaginem petiit, atque omnes fide Punica Carthaginiensium populos inclinavit. Gordianus tamen, fortunam belli experiri cupiens, filium suum jam natu grandiorem, quadraginta & sex annos agentem, quem tunc legati loco (ut diximus) habuerat, contra Capelianum & Maximinianos misit, virum de cujus moribus suo loco dicemus. Sed cum in re militari & Capelianus esset audacior, & Gordianus junior non tam expertus, quippe qui nobilitatis deliciis tardabatur, pugna commissa vincitur, & in eodem bello interficitur.

Gordianus senior violentas sibi manus infert.

CAP. XVI. Fertur autem tanta multitudo Gordiani partium in bello cecidisse, ut cum diu quæsitum sit corpus Gordiani junioris, non potuerit inveniri. Fuit præterea ingens, quæ raro in Africa est, tempestas, quæ Gordiani exercitum ante bellum ita dissipavit, ut minus idonei milites prælio fierent, atque ita facilis esset Capeliani victoria. Hæc ubi comperit senior Gordianus, modicas vires suas, Maximini magnas instantem Capelianum, taramque

(*l*) al. Lentas militum mentes & non alacres animos, ad hanc concionem, Maximinus ipse cognovit.

(14.) Imperatores nobiles victores videamus) Hoc votum, quamvis Senatus in numo Tab. LXI. num. 8. expresserit, tamen hi Gordiani ob brevitatem Imperii nullam reportarunt victoriam. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. pag. 721.

que Punicam fidem considerans, & acri dolore percitus, ut vincula etiam hostium evitaret, (*m*) laqueo vitam finivit, & vitam cum Imperio reliquit. Hic exitus duorum Gordianorum fuit, quos ambo Senatus Augustos appellavit, & postea inter divos retulit. Imperaverunt anno uno, mensibus sex.

GORDIANUS JUNIOR.

CAPUT I.

Gordianus Junior Imperator. U. C. 990. p. C. N. 238.

Hic Gordianus Junior, Gordiani senis proconsulis Africæ filius, qui cum patre & ab Afris & à Senatu Augustus appellatus est, litteris & moribus clarus fuit præter nobilitatem: quam, ut nonnulli, ab Antoninis, ut plurimi, ab Antoniis duxit. Siquidem argumento ad probandam generis qualitatem alii hoc esse dixerunt, quod *Africanus* Gordianus senior appellatus est, cognomine Scipionum, quod domum Pompejanam in Urbe habuit, quod Antoninorum cognomine semper est nuncupatus, quod *Antoninum* filium suum ipse significari voluit in Senatu: quæ singula videntur familias designare. Sed ego Junium Cordum sequor, qui dicit ex omnibus his familiis Gordianorum coaluisse nobilitatem. Idem igitur natus patri primus ex Fabia Orestilla Antonini pronepte, unde Cæsarum quoque familiam contingere videbatur. Et primis diebus sui natalis *Antoninus* est appellatus. Mox in Senatu Antonini nomen est editum, vulgo deinde Gordianus haberi cœptus.

Ejus origo.

Gordiani junioris studia.

CAP. II. In studiis gravissimæ opinionis fuit, forma conspicuus, memoriæ singularis, bonitatis insignis; adeo ut semper in scholis, si quis puerorum verberaretur, ille lacrymas non teneret. Sereno Sammonico, qui patri ejus amicissimus, sibi autem præceptor fuit, nimis acceptus, & carus usque adeo, ut omnes libros Sereni Sammonici patris sui, qui censebantur ad sexaginta & duo millia, Gordiano minori moriens ille relinqueret: quod eum ad cœlum tulit. Siquidem tantæ bibliothecæ copia & splendore donatus, in famam hominum litterarum decore pervenit. Quæsturam Heliogabalo auctore promeruit, idcirco quod luxorioso Imperatori lascivia iuvenis, non tamen luxuriosa neque infamis, prædicata est. Præturam Alexandro auctore urbanam tenuit, in qua tantus jurisdictionis gratia fuit; ut statim consulatum, quem pater sero acceperat, mereretur. Maximini, seu ejusdem Alexandri, temporibus ad proconsulatum patris missus legatus, est obsequutus: atque illic ea quæ superius dicta sunt, contigerunt.

Honores publici.

Mores.

CAP. III. Fuit vini cupidior, semper tamen undecumque conditi, nunc rosa, nunc mastiche, nunc absinthio, ceterisque rebus quibus gula maxime delectatur. Cibi parcus, ita ut intra punctum temporis vel prandium, si pranderet, vel cœnam finiret. Mulierum cupidissimus: habuisse enim decretas sibi concubinas viginti & duas fertur. Ex quibus omnibus ternos & quaternos filios reliquit. Appellatusque est sui temporis *Priamus*; quem vulgo jocantes, quod esset natura propensior, (*n*) *Priapum* non Priamum sæpe vocitarunt. Vixit in deliciis, in hortis, in balneis, in amœnissimis nemoribus. Nec pater aspernatus est, sæpissime dicens, *illum quandoque in summa claritate cito esse moriturum.* Nec tamen in vita sua fortunæ bonis umquam degeneravit, semperque inter illustrissimos fuit, nec civibus, nec reipublicæ ad consultationem defuit. Denique etiam Senatus libentissime illum Augustum appellavit, atque in eo spem publicam posuit. Vestitu cultissimus; servis & omnibus suis carus. Cordus dixit, uxorem eum numquam habere voluisse. Contra Dexippus putat, ejus filium esse Gordianum tertium, qui post hoc cum Balbino & Pupieno, sive Maximo, puerulus adeptus est Imperium.

Mathematici præsagium de Gordiani junioris Imperio.

CAP. IV. Cum senior Gordianus mathematicum aliquando consuleret de genitura hujus, respondisse ille dicitur, *hunc & filium Imperatoris, & ipsum Imperatorem futurum.* Et cum senior Gordianus rideret, ostendisse constellationem mathematicum ferunt, & de libris veteribus dictasse, ita ut probaret se vera dixisse, qui quidem & seni & juveni, & diem & genus mortis, & loca quibus essent perituri, obstinata constantiæ veritate prædixit. Quæ omnia postea Gordianus senior in Africa jam Imperator, & quando nihil timebat, narrasse perhibetur: de morte quinetiam sua filiique, & de genere mortis dixisse. Cantabat præterea versus senex, cum Gordianum filium vidisset, hos sæpissime:

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent, nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.

Gordiani junioris doctrina.

Exstant dicta, & soluta oratione & versibus, Gordiani junioris, quæ hodie ab ejus affinibus frequentantur, non magna, non minima, sed media, & quæ appareant esse hominis ingeniosi, sed luxuriantis & suum deserentis ingenium.

CAP. V. Pomorum & olerum avidissimus fuit; in reliquo ciborum genere parcissimus: adeo ut semper pomorum aliquid recentium devoraret. Frigidarum percupidus; nec facile per æstatem nisi frigida, & quamplurimum, bibit. Et erat corporis vasti: quare magis ad frigida urgebatur. Hæc de Gordiano juniore digna memoratu comperimus: non enim nos talia dicere volumus, quæ Junius Cordus ridicule ac

(*m*) al. Senior Gordianus, cum in Africa nihil præsidii, & à Maximino multum timoris, & fides punica perurgeret, & acerrime Capelianus instaret, luctus deinde mentem atque animum fatigaret, laqueo &c. (*n*) al. Naturæ propensioris.

ac stulte composuit de voluptatibus domesticis, ceterisque infimis rebus: quæ qui velit scire, ipsum legat Cordum: qui dicit & quos servos habuerit unusquisque Principum, & quos amicos, & quot pænulas quotve chlamydes; quorum etiam scientia nulli prodest. Siquidem ea debent in historia poni ab historiographis, quæ aut fugienda sint, aut sequenda. Sane quidem quod apud Vulcatium Terentianum, qui sui temporis scripsit historiam, videtur mirabile, inserendum censui. Dicit enim Gordianum seniorem Augusti vultum sic repræsentasse, ut & vocem & morem & staturam ejusdem ostentare videretur: filium vero, Pompeio simillimum visum: quamvis Pompejus obesi corporis fuisse denegatur. Nepotem autem, cujus etiam nunc videmus imagines, Scipionis Asiatici faciem retulisse. Quod pro sui admiratione tacendum esse non credidi.

Quæ in historia notanda?

Comparatio Gordianorum cum Augusto & Pompejo.

GORDIANUS TERTIUS.

CAPUT I.

Post mortem duorum Gordianorum, Senatus trepidus & Maximinum vehementius timens, ex viginti viris quos ad rempublicam tuendam delegerat, Pupienum sive Maximum, & Clodium Balbinum Augustos appellavit, ambos ex Consulibus. Tunc Populus & milites Gordianum parvulum, annos agentem, ut plerique asserunt, undecim, ut nonnulli, tredecim, ut Junius Cordus dicit, sedecim, (nam vigesimo & secundo anno eum perisse asserit) petiverunt ut Cæsar appellaretur, raptusque ad Senatum, atque inde in concione positus, indumento imperatorio tectus, Cæsar est appellatus. Hic natus est, ut plures asserunt, ex filia Gordiani, ut unus aut duo, (nam amplius invenire non potui) ex filio, qui in Africa periit. Gordianus igitur Cæsar factus, apud matrem educatus est: & cum exstinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari seditione interempti essent, qui biennio imperaverant, Gordianus adolescens, qui Cæsar eatenus fuerat, à militibus, & Populo & Senatu & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti studio & gratia, Augustus est appellatus. Amabatur autem merito avi & avunculi, sive patris, qui ambo pro Senatu & pro Populo Romano contra Maximinum arma sumpserunt, & militari vel morte vel necessitate perierunt. Post hæc veterani ad Curiam venerunt, ut discerent quid actum esset. Ex quibus duo ingressi Capitolium, cum illic Senatus ageretur, ante ipsam aram, à Gallicano exconsulibus, & Mæcenate ex ducibus, interempti sunt: atque bellum intestinum ortum est, cum essent armati etiam Senatores, ignorantibus veteranis quod Gordianus adolescens solus teneret Imperium.

Gordianus III. à militibus Cæsar, Augustus, & Imperator appellatus. U. C. 992. p. C. N. 240.

CAP. II. Dexippus quidem asseverat, ex filio Gordiani tertium Gordianum esse natum: & posteaquam constitit apud veteranos quoque, solum Gordianum imperare; inter Populum & milites ac veteranos pax roborata est: & hic finis belli intestini fuit, cum esset delatus Gordiano puero consulatus. Sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod eclipsis solis facta est, ut nox crederetur, neque sine luminibus accensis quidquam agi posset. Post hæc tamen voluptatibus & deliciis Populus Romanus vacavit, ut ea quæ fuerant aspere gesta, mitigaret. Venusto & Sabino Consulibus, inita est factio in Africa contra Gordianum tertium, duce Sabiniano; quem Gordianus, per præsidem Mauritaniæ obsessum à conjuratis, ita oppressit, ut ad eum tradendum Carthaginem omnes venirent, & crimina confitentes, & veniam sceleribus postulantes. Finita igitur sollicitudine in Africa, Gordiano jam iterum & Pompeiano Consulibus, bellum Persicum natum est. Quare adolescens Gordianus, priusquam ad bellum proficisceretur, duxit uxorem filiam Misithei, doctissimi viri, quem caussa eloquentiæ dignum parentela sua putavit, & præfectum statim fecit. Post quod non puerile jam & contemptibile videbatur Imperium: siquidem & optimi soceri consiliis adjuvaretur, & ipse pro pietate aliquantulum saperet, nec per spadones ac ministros aulicos matris, vel ignorantiæ conniventia venderetur.

Gordiani III. origo.

Ingens solis eclipsis.

Sabinianus contra Gordianum III. insurgit.

Sed opprimitur.

Misitheus socer Gordiani III.

CAP. III. Exstat denique & soceri ejus ad eum epistola, & ipsius Gordiani ad socerum, qua intelligitur ejus sæculum emendatius ac diligentius socero adjuvante perfectum. Quarum exemplum hoc est: *Domino filio & Augusto, Misitheus socer & præfectus. Evasisse nos gravem temporum maculam, qua per spadones & per illos qui amici tibi videbantur (erant autem vehementes inimici) omnia vendebantur, voluptati nobis est, & eo magis, quo tibi gratior emendatio est: ut si qua vitia fuerunt, tua non fuisse satis constet, mi fili venerabilis. Neque enim quisquam ferre potuit datas eunuchis suffragantibus militum præpositura, negatum laboribus præmium; aut interemptos aut liberatos pro libidine atque mercede quos non decebat: vacuatum ærarium per eos qui quotidie, insidiosissime frequentabant; initas factiones, ut tu deciperis; cum inter se de bonis pessimi quique haberent ante consilia tibimet suggerenda: bonos pellerent, detestandos insinuarent, omnes postremo tuas fabulas venderent. Diis igitur gratias, quod volente teipso emendata respublica est. Delectat sane boni esse Principis socerum, & ejus qui omnia requirat, & omnia velit scire; & qui pepulerit homines, per quos antea velut in auctione positus nundinatus est.*

Misithei epistola ad Gordianum III.

CAP. IV. Item Gordiani ad ipsum: *Imperator Gordianus Augustus Misitheo patri & præfecto. Nisi Dii omnipotentes Romanum tuerentur Imperium, etiam nunc per emptos spadones velut in hasta positi venderemur. Denique nunc demum intelligo neque Felicem prætorianis cohortibus præponi debuisse, neque Serapammoni quartam legionem credendam fuisse: &, ne omnia dinume-*

Epistola Gordiani III. ad Misitheum.

numerum, multa non esse facienda quæ feci. Sed Diis gratias, quod te insinuante, qui nihil vendis, didici ea, qua inclusus scire non poteram. Quid enim facerem, quod nos Maurus venderet, & consilio cum Gordiano & Reverendo & Montano habito, vel laudaret aliquos, vel vituperaret: & illorum consensu quasi testium, quod dixerat approbarem? Mi pater, verum audias velim: Miser est Imperator apud quem vera reticentur; qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est, ut audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet. His epistolis intellectum est, adolescentem soceri consiliis emendatum atque correctum. Et Misithei quidem epistolam græcam quidam fuisse dicunt, sed in hanc sententiam. Tantum autem valuit ejus gravitas & sanctimonia, ut ex obscurissimo, præter nobilitatem, gestis etiam Gordianum clarum Principem fecerit.

Vehemens terræ motus sub Gordiano III.

CAP. V. Fuit terræ motus eousque gravis imperante Gordiano, ut civitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent: ob quæ sacrificia per totam Urbem totumque orbem terrarum ingentia celebrata sunt. Et Cordus quidem dicit, inspectis libris Sibyllinis, celebratisque omnibus, quæ illic jussa videbantur, mundanum malum esse sedatum; Sedato terræ motu, Prætextato & Attico Consulibus, Gordianus aperto Jano gemino (quod signum erat indicti belli) profectus est contra Persas cum exercitu ingenti, & tanto auro, ut vel auxiliis vel militibus facile Persas vincere posset. Fecit iter in Mœsiam, atque in ipso procinctu, quidquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque submovit. Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ à Persis jam tenebatur. Illic frequentibus præliis pugnavit & vicit, Sapore Persarum rege submoto. Et post Artaxerxem (*o*) Antiochiam recepit; Carras, & Nisibin; quæ omnia sub Persarum imperio erant.

Contra Persas rem bene gerit. U. C. 994. p. C. N. 242.

CAP. VI. Rex sane Persarum tantum Gordianum Principem timuit, ut cum instructus esset & suis copiis & nostris, tamen civitatibus ipse præsidia sponte deduceret, easque integras suis civibus redderet, ita ut nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret. Sed hæc omnia per Misitheum socerum Gordiani, eundemque præfectum, gesta sunt. Effectum denique est, ut Persæ, qui jam in Italia timebantur, in regnum suum, pugnante Gordiano, redirent, totumque Orientem Romana respublica detineret. Exstat oratio Gordiani ad Senatum, qua de rebus gestis scribens, Misitheo præfecto suo & socero ingentes gratias agit: cujus partem indidi, ut ex eo vera cognosceres. *Post hæc, Patres Conscripti, quæ dum iter agimus, gesta sunt, quæque ubique singulis digna sunt actitata; etiam Persas, ut brevi multa connectam, ab Antiochensium cervicibus, quas jam nexas Persico ferro gerebant, & reges Persarum, & leges amovimus. Carras deinde ceterasque urbes Imperio Romano reddidimus. Nisibin usque pervenimus: &, si Dii faverint, Ctesiphonta usque veniemus. Valeat tantum Misitheus præfectus, parens noster, cujus ductu & dispositione & hæc transegimus, & reliqua transigemus. Vestrum est igitur supplicationes decernere, nos Diis commendare, Misitheo gratias agere.* His in Senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet: Misitheo autem quadriga equorum, & triumphalis currus, & titulus hujusmodi, MISITHEO. EMINENTI. VIRO. PARENTI. PRINCIPUM. PRÆTORII. PRÆFECTO. ET. TOTIUS. URBIS. TUTORI. REIPUBLICÆ. S. P. Q. R. VICEM. REDDIDIT.

Oratio Gordiani III. ad Senatum de suis rebus gestis.

Gordiano Et Misitheo Triumphus decretus.

CAP. VII. Sed ista felicitas longior esse non potuit. Nam Misitheus, quantum plerique dicunt, artibus Philippi, qui post eum præfectus prætorii est factus; ut alii, morbo exstinctus est, herede Romana republica; ut quidquid ejus fuerat, vectigalibus Urbis accederet. Cujus viri tanta in republica dispositio fuit, ut nulla esset umquam civitas limitanea potior, & quæ non posset exercitum Populi Romani ac Principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & larido, atque hordeo, & paleis, condita non haberet: minores vero urbes, aliæ triginta dierum, aliæ quadraginta, nonnullæ duorum mensium: quæ minimum, quindecim dierum. Idem cum esset præfectus, arma militum semper inspexit. Nullum senem militare passus est, nullum puerum annonas accipere. Castra omnia fossato circuibat, noctibus etiam plerumque vigilias frequentabat. Amabaturque ab omnibus, quod sic & Rempublicam amaret, & Principem. Tribuni eum & duces usque adeo timuerunt & amaverunt, ut neque vellent peccare, neque ulla ex parte peccarent. Philippus eum propter pleraque vehementer timuisse fertur, atque ob hoc per medicos insidias ejus vitæ parasse, & quidem hoc genere: Cum effusione alvi Misitheus laboraret, atque à medicis sistendi ventris gratia poculum juberetur accipere; mutatis quæ fuerant parata, id fertur datum, quo magis solveretur: atque ita exanimatus est.

Misitheus artibus Philippi extinguitur.

Ejus merita in rempublicam.

CAP. VIII. Quo mortuo, Apriano & Papo Consulibus, in eius locum præfectus prætorii factus est Philippus Arabs, humili genere natus, sed superbus: qui se in novitate atque enormitate fortunæ non tenuit: ita ut statim Gordiano, qui eum in locum parentis adsciverat, insidias per milites faceret, quæ tales fuerunt. Misitheus tantum, quantum diximus, habuerat conditorum, ut vacillare dispositio Romana non posset. Verum artibus Philippi primum naves frumentariæ sunt aversæ: deinde in ea loca deducti sunt milites, in quibus annona haberi non posset. Hinc Gordiano infestos milites statim reddidit, non intelligentes artibus Philippi juvenem esse deceptum. Sed Philippus etiam hoc addidit, ut rumorem per milites spargeret: *Adolescentem esse Gordianum, Imperium non posse regere: melius esse illum imperare qui militem gubernaret, qui Rempublicam sciret.* Corrupit præterea etiam principes; effectumque, ut palam Philippus ad Imperium posceretur. Amici Gordia-

Philippus Arabs fit præfectus prætorio.

Gordiano III. insidias struit.

(*o*) al. Artaxansen.

Gordiani primum vehementissime resistebant. Sed cum milites fame vincerentur, Imperium Philippo mandatum est; jussumque à militibus, ut quasi tutor ejus Philippus cum eodem Gordiano pariter imperaret.

CAP. IX. Suscepto igitur Imperio, cum & Philippus se contra Gordianum, superbissime ageret, & ille se Imperatorem, atque Imperatorum prolem, & virum nobilissimæ familiæ recognosceret, nec ferre posset improbitatem hominis ignobilis, apud duces & milites, adstante præfecto Metio Gordiano, affine suo, in tribunali conquestus est; sperans posse Imperium Philippo abrogari. Sed hac conquestione nihil egit, cum illum incusasset quod immemor beneficiorum ejus, sibi minus gratus exsisteret. Et cum milites rogasset, cum aperte duces ambisset, factione Philippi minor apud omnes fuit. Denique cum se videret minorem haberi, petiit, *ut æquale saltem inter eos esset Imperium*; nec impetravit. Dehinc petiit, *ut loco Cæsaris haberetur*; nec id obtinuit. Petiit etiam, *ut præfecti loco esset Philippo*: quod & ipsum negatum est. Ultimæ preces fuerunt, *ut eum Philippus pro duce haberet, & pateretur vivere.* Ad quod quidem pæne consenserat Philippus, ipse tacitus, sed omnia per amicos agens nutibus atque consiliis. Verum cum secum ipse cogitaret amorem Populi Romani & Senatus circa Gordianum, & totius Africæ ac Syriæ, totiusque Orbis Romani, cum & nobilis esset, & nepos ac filius Imperatorum, & bellis gravibus totam Rempublicam liberasset: posse fieri, ut factione quandoque militum Gordiano redderetur Imperium, cum recentes in Gordianum iræ militum famis causa vehementes essent, clamantem ante conspectum duci jussit, ac spoliari & occidi. Quod cum primum dilatum esset, post, ut jussit, impletum est. Ita Philippus impie, non jure obtinuit Imperium.

> Eidem Imperium abrogari facit.

> Eumque interficit. U. C. 996. p. C. N. 244.

CAP. X. Imperavit Gordianus annis sex. Et dum hæc agerentur; Arguntis Scytharum rex, finitimorum regna vastabat, maxime quod compererat Misitheum perisse, cujus consilio Respublica fuerat gubernata. Philippus autem, ne à crudelitate nancisci videretur Imperium, Romam litteras misit, quibus scripsit Gordianum morbo perisse, seque à cunctis militibus electum. Nec defuit, ut Senatus de his rebus quas non noverat, falleretur. Appellato igitur Principe Philippo, & Augusto nuncupato, Gordianum adolescentem inter Deos retulit. Fuit juvenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita jucundus, in litteris nobilis, prorsus ut nihil præter ætatem deesset Imperio. Amatus est à Populo, & Senatu, & militibus, ante Philippi factionem, ita ut nemo Principum. Cordus dicit, omnes milites eum filium appellasse, ab omni Senatu filium dictum, omnem Populum delicias suas Gordianum dixisse. Denique Philippus, cum eum interfecisset, neque imagines ejus tolleret, neque statuas deponeret, neque nomen abraderet, sed Divum semper appellans, etiam apud ipsos milites, cum quibus factionem fecerat, serio animo & peregrina calliditate veneratus est.

> Philippus à Senatu, perpetrati sceleris inscio, Imperator & Augustus appellatus. U. C. 996. p. C. N. 244.

CAP. XI. Domus Gordianorum etiam nunc exstat, quam iste Gordianus pulcherrime exornavit. Est villa eorum via Prænestina, ducentas columnas uno peristylo habens, quarum quinquaginta Carysteæ, quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades, quinquaginta Numidicæ, pari mensura sunt. In qua basilicæ centenariæ tres: cetera huic operi convenientia, & thermæ quales præter Urbem, ut tunc, nusquam in orbe terrarum. Familiæ Gordiani hoc Senatus decrevit, ut à tutelis, atque legationibus, & à publicis necessitatibus, nisi si vellent, posteri ejus semper vacarent. Opera Gordiani Romæ nulla exstant, præter quædam nymphæa & balneas. Sed balneæ privati hominis fuerunt, & ab eo in usum privatum exornatæ sunt. Instituerat porticum in campo Martio sub colle, pedum mille, ita ut ab altera parte æque mille pedum porticus fieret, atque inter eas pateret spatium pedum quingentorum: cujus spatii hinc atque inde viridaria essent, lauro, myrto & buxo frequentata: medium vero lithostrotum brevibus columnis altrinsecus positis, & sigillis, per pedes mille: quod esset deambulatorium; ita ut in capite basilica esset pedum quingentorum. Cogitaverat præterea cum Misitheo, ut post basilicam, thermas æstivas sui nominis faceret, ita ut hiemales in principio porticus poneret, & suo usui essent vel viridaria vel porticus. Sed hæc omnia nunc privatorum & possessionibus & hortis & ædificiis occupata sunt.

> Domus & villa Gordianorum.

> Opera Gordiani III.

CAP. XII. Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti triginta & duo: quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem: alces decem, tigres decem, leones mansueti sexaginta, leopardi mansueti triginta, belbi, id est, hyænæ, decem: gladiatorum fiscalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros unus: archoleontes decem, camelopardali decem, onagri viginti, equi feri quadraginta; & cetera hujusmodi animalia, innumera & diversa: quæ omnia Philippus ludis secularibus vel dedit vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & præterea efferas, parabat ad triumphum Persicum. Sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit sæcularibus ludis, & muneribus atque Circensibus; cum millesimum ab Urbe condita annum in consulatu suo & filii sui celebravit. Quod de Cæsare memoriæ traditum est, hoc etiam de Gordiano Cordus evenisse perscribit. Nam omnes quicumque illum gladio appetiverunt (qui novem fuisse dicuntur) postea interemptis Philippis, sua manu suisque gladiis, & iisdem quibus illum percusserant, interisse dicuntur.

> Apparatus Gordiani III. ad triumphum Persicum.

> Interfectores Gordiani III. suis gladiis pereunt.

CAP. XIII. Trium igitur Gordianorum hæc fuit vita, qui omnes Augusti appellati sunt; duobus in Africa interemptis, in Persidis finibus tertio. Gordiano sepulcrum milites apud Circeium castrum fecerunt, in finibus Persidis; titulum hujusmodi addentes, & Græcis, & Latinis, & Persicis, & Judaicis, & Ægyptiacis litteris, ut ab omnibus legere-

> Gordiani III. Epitaphium.

tur: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARUM, VICTORI GOTHORUM, VICTORI SARMATARUM, DEPULSORI ROMANARUM SEDITIONUM, VICTORI GERMANORUM: SED NON VICTORI PHILIPPORUM. Quod ideo videbatur additum, quia in campis Philippicis ab Alanis tumultuario prælio victus abscesserat: simul etiam quod à Philippis videbatur occisus. Quem titulum evertisse Licinius dicitur, eo tempore quo est nactus Imperium, cum se vellet videri à Philippis originem trahere. Quæ omnia, Constantine maxime, idcirco sum persequutus, ne quid tuæ cognitioni deesset, quod dignum scientia videtur.

JULII CAPITOLINI
MAXIMUS ET BALBINUS.

CAPUT I.

Terror Romæ ob Maximini adventum.

INteremptis in Africa Gordiano seniore cum filio, cum Maximinus, ad Urbem furens, veniret, ut, quod Gordiani Augusti appellati fuerant, vindicaret, Senatus pertrepidus in ædem Concordiæ septimo scalendas Junii concurrit, ludis Apollinaribus, remedium contra furorem hominis improbissimi requirens. Cum igitur duo Consulares, & eminentes quidem viri, Maximus & Balbinus (quorum Maximus à plerisque in historia reticetur, & loco ejus Pupieni nomen infertur: cum & Dexippus & Arabianus Maximum & Balbinum dicant electos contra Maximinum post Gordianos, quorum alter bonitate, virtute alter ac severitate, clari habebantur) ingressi essent Curiam, ac præ se timorem Maximini adventu ferrent ostenderentque, referente Consule de aliis rebus, qui primam sententiam erat dicturus, sic orsus est: *Minora nos sollicitant, & prope aniles res ferventissimo tempore tractamus in Curia. Quid enim opus est de restitutione templorum, de basilicæ ornatu, de thermis Titianis, de exædificatione amphitheatri agere: cum immineat Maximinus, quem hostem mecum ante dixistis: Gordiani duo, in quibus præsidium fuerat, interempti sint, neque in præsenti ullum sit auxilium quo respirare possimus? Agite igitur, Patres Conscripti, Principes dicite. Quid moramini? ne, dum singulatim pertimescitis, in timore potius quam in virtute opprimamini.*

Consultatio de duobus Principibus eligendis.

CAP. II. Post hæc tacentibus cunctis, cum Maximus, qui & natu grandior erat, & meritis, & virtute ac severitate clarior, dicere sententiam cœpisset, qua ostenderet duos Principes esse faciendos; Vectius Sabinus, ex familia Ulpiorum, rogato Consule ut sibi dicere atque interfari liceret, sic orsus est: *Scio, Patres Conscripti, hanc rebus novis inesse oportere constantiam, ut rapienda sint consilia, non quærenda: verbis quinetiam plurimis abstinendum sit atque sententiis, ubi res perurgent. Cervices suas quisque respiciat, uxorem ac liberos cogitet, avitas patriasque fortunas; quibus omnibus imminet Maximinus, natura furiosus, truculentus, immanis; causa vero (ut sibi videtur) satis justa, truculentior. Ille quadrato agmine, castris ubique positis ad Urbem tendit: vos sedendo & consultando diem teritis. Longa oratione opus non est: faciendus est Imperator, imo faciendi sunt Principes: unus, qui res domesticas, alter, qui bellicas curet: unus, qui in Urbe resideat, alter, qui obviam cum exercitu latronibus pergat. Ego Principes dico, vos firmate, si placet; sin minus, meliores ostendite. Maximum igitur atque Balbinum, quorum unus in re militari tantus est, ut nobilitatem generis splendore virtutis allexerit: alter, ita clarus nobilitate est, ut & morum lenitate reipublicæ sit necessarius, & vitæ sanctimonia, quam à prima ætate in studiis semper ac litteris tenuit. Habetis sententiam, Patres Conscripti, mihi fortasse periculosiorem quam vobis: sed nec vobis satis tutam, si non aut alios aut hos Principes feceritis.* Post hæc acclamatum est uno consensu, *Æquum est, justum est. Sententiæ Sabini omnes consentimus. Maxime & Balbine Augusti, Dii vos servent. Dii vos Principes fecerunt, Dii vos conservent. Vos Senatum à latronibus vindicate; vobis bellum contra latrones mandamus. Hostis publicus Maximinus cum filio pereat; hostem publicum vos persequimini. Felices vos judicio Senatus: felicem Rempublicam, vestro Imperio. Quod vobis Senatus detulit, fortiter agite: quod vobis Senatus detulit, libenter accipite.*

Maximus cum Balbino Imperator & Augustus contra Maximinos à Senatu dictus. U. C. 989. p. C. N. 237.

CAP. III. His atque aliis acclamationibus Imperatores facti sunt Maximus atque Balbinus. Egressi igitur à Senatu, primum Capitolium ascenderunt, ac rem divinam fecerunt. Sed dum in Capitolio rem divinam faciunt, Populus Romanus Imperio Maximi contradixit. Timebant enim severitatem ejus homines vulgares. Quare factum est, ut Gordianum adolescentulum Principem peterent; qui statim factus est: nec prius permissi sunt ad Palatium stipati armis ire, quam nepotem Gordiani, Cæsaris nomine nuncuparent. Deinde ad Rostra Populum convocarunt. Ubi cum orationem, de Senatus sententia, & de sua electione habuissent, Populus Romanus cum militibus, qui forte convenerant, acclamavit, *Gordianum Cæsarem omnes rogamus.* Hic nepos erat Gordiani ex filia, ut quidam; vel, ut alii, ex filio qui est in Africa occisus, annum agens ætatis decimum quartum, ut pleriqne dicunt: qui statim raptus est, & novo genere Senatusconsulti, cum eadem die Senatusconsultum factum esset, inductus in Curiam, Cæsar est appellatus.

Gordianus III. à Populo Cæsar dictus. U. C. 989. p. C. N. 237.

CAP. IV. Prima igitur relatio Principum fuit, ut duo Gordiani Divi appellarentur. Aliqui autem unum putant appellatum, seniorem videlicet: sed ego libris, quos Junius Cordus affatim scripsit, legisse memini, ambos in Deos

Duo Gordiani Divi appellati.

Deos relatos. Siquidem senior laqueo vitam finivit: junior autem in bello consumptus est: qui utique majorem meretur reverentiam, quod eum bella rapuere. Post has igitur relationes præfectura Urbis in Sabinum collata est, virum gravem, & Maximi moribus congruentem: prætoriana, in Pinarium Valentem. Sed prius quam de actibus eorum loquar, placet aliqua dicere de moribus atque genere: non eo modo quo Junius Cordus est prosequutus omnia, sed illo quo Suetonius Tranquillus & Valerius Marcellinus: quamvis Curius Fortunatianus, qui omnem hanc historiam perscripsit, plura congerit; Cordus vero tam multa, ut etiam pleraque & minus honesta perscripserit.

Sabinus præfectus Urbi.

CAP. V. Maximo pater fuit Maximus, unus è plebe, ut nonnulli dicunt, faber ferrarius: ut alii, rhedarius vehicularius fabricator. Hunc suscepit ex uxore Prima nomine; cui fratres quatuor viri fuerunt, & quatuor puellæ: qui omnes infra pubertatem interierunt. Nato Maximo, carnem bubulam, & quidem multam, aquila in cellam eorum projecisse fertur, quæ angusto patebat impluvio: eam denique cum jaceret, nec quisquam attingere auderet religionis timore, iterum sustulisse, & in proximum sacellum quod erat Jovis Præstitis, detulisse. Id eo tempore nihil visum est ominis habere: sed non sine causa factum, probavit Imperium. Pueritiam omnem in domo patrui Pinarii fecit: quem statim ad præfecturam prætorii subvexit, ubi factus est Imperator. Operam grammatico, rhetori non multam dedit. Siquidem semper virtuti & militari severitati studuit. Attamen militaris tribunus fuit, & multos egit numeros, & postea præturam, sumptu Pescenninæ Marcellinæ, quæ illum loco filii susceperat & aluerat. Inde proconsulatum Bithyniæ egit, & deinceps Græciæ, ac tertio Narbonæ. Missus præterea legatus, Sarmatas in Illyrico contudit: atque inde translatus ad Rhenum, rem contra Germanos satis feliciter gessit. Post hæc præfectus Urbis prudentissimus, ac ingeniosissimus, & severissimus approbatus est. Quare* veluti Senatus ei homini, quod non licebat, novæ familiæ Imperium tamen detulit; confessis omnibus eo tempore in Senatu aptiorem non esse, qui deberet Principis nomen accipere.

Maximi origo. Omina Imperii Maximi. Studia Maximi. Officia publica.

CAP. VI. Et quoniam etiam minora plerique desiderant, fuit cibi avidus, vini parcissimus, ad rem veneream nimis rarus, domi forisque semper severus, ita ut & *Tristis* cognomen acciperet. Vultu gravissimus, & retorridus, (*p*) statura procerus, corporis qualitate sanissimus, moribus aspernabilis, attamen justus, neque umquam usque ad exitum negotiorum vel inhumanus vel inclemens. Rogatus semper ignovit, nec iratus est, nisi ubi eum irasci decuit. Factionibus se numquam præbuit, judicii tenax fuit, neque aliis potius quam sibi credidit. Quare & à Senatu multum dilectus est, & à Populo timori habitus: siquidem sciebat Populus ejus censoriam præfecturam, quam videbat posse in Imperio vehementius convalescere.

Indoles Maximi. Et mores.

CAP. VII. Balbinus nobilissimus, & iterum Consul, rector provinciarum infinitarum. Nam & Asiam, & Africam, & Bithyniam, & Galatiam, & Pontum, & Thracias, & Gallias civilibus administrationibus rexerat, ducto nonnumquam exercitu; sed rebus bellicis minor fuerat quam civilibus: attamen bonitate, nimia sanctitate ac verecundia ingentem sibi amorem conciliaverat. Familiæ vetustissimæ (ut ipse dicebat) à Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeium civitatem meruerit, cum esset suæ patriæ nobilissimus, idemque historiæ scriptor. Statura æque procerus, corporis qualitate conspicuus, in voluptatibus nimius, quam quidem adjuvabat divitiarum abundantia: nam erat à majoribus dives, & multa hereditatibus per se ipse collegerat. Eloquentia clarus; poëmate inter sui temporis poëtas præcipuus: (*q*) præcipiti usu vini, cibi, rei veneriæ avidus; vestitu cultus: nec quidquam defuit quod illum Populo non commendabilem redderet. Amabilis etiam Senatui fuit. Hæc de utriusque vita comperimus. Denique nonnulli, quemadmodum Catonem & Cæsarem Sallustius comparat, ita hunc quoque comparandum putarunt; ut alterum severum, clementem alterum: bonum illum, istum constantem: illum nihil largientem, hunc affluentem copiis omnibus dicerent.

Balbini officia publica. Ejus origo. Indoles Studia. Mores.

CAP. VIII. Hæc de moribus atque genere. Decretis ergo omnibus imperatoriis honoribus atque insignibus, percepta tribunitia potestate, jure proconsulari, pontificatu maximo, patris etiam patriæ nomine, inierunt (*r*) Imperium. His gestis, celebratisque sacris, datis ludis scenicis, ludisque Circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus susceptis votis in Capitolio, ad bellum contra Maximinum missus est cum exercitu ingenti, prætorianis Romæ manentibus. Unde autem mos tractus sit, ut proficiscentes ad bellum Imperatores, munus gladiatorium & venatus darent, breviter dicendum est. Multi dicunt, apud veteres hanc devotionem contra hostes factam, ut civium sanguine litato, specie pugnarum, se Nemesis, id est vis quædam fortunæ, satiaret. Alii hoc litteris tradunt (quod verisimilius credo) ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudos inter se coëuntes; ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinem perhorrescerent.

Maximus contra Maximinum proficiscitur. U. C. 989. p. C. N. 237.

CAP. IX. Et Maximo quidem ad bellum profecto, Romæ prætoriani remanserunt: inter quos & Populum tanta seditio fuit, ut ad bellum intestinum veniretur; Urbis Romæ pars maxima incenderetur, templa fœdarentur, omnes plateæ cruore polluerentur: cum Balbinus homo senior seditionem sedare non posset. Nam & in publicum processit, manus singulis quibusque tenuit, & pæne ictum lapidis

Seditio Romæ.

(*p*) al. Verecundus. (*q*) al. Poëmata inter sui temporis poëtas plurima fecit.
(*r*) al. Meruerunt.

pidis passus est. Alii dicunt, etiam fuste percussum esse. Neque sedasse tumultum, nisi infantem Gordianum purpuratum ad Populum, longissimi hominis collo superpositum, produxisset. Quo viso, Populus & milites usque adeo placati sunt, ut amore illius in concordiam redirent. Neque umquam quisquam in illa ætate sic amatus est, merito avi & avunculi, seu patris, ut quidam dicunt, qui pro Populo Romano contra Maximinum in Africa vitam finierant. Tantum apud Romanos memoria bonarum rerum valet.

Sedatur.

CAP. X. Maximo igitur ad bellum profecto, Senatus per omnes regiones, consulares, prætorios, quæstorios, ædilitios, tribunitios etiam viros misit: ita ut unaquæque civitas frumentum, arma, & propugnacula & muros pararet; ut per singulas urbes Maximinus fatigaretur. Jussum tunc tamen, ut omnia ex agris in civitates colligerentur, ne quid hostis publicus inveniret. Scriptum est præterea ad omnes provincias missis frumentariis, jussumque ut quicumque Maximinum juvisset, in hostium numero duceretur. Inter hæc Romæ iterum seditiones inter Populum & milites ortæ sunt. Et cum mille edicta Balbinus proponeret nec audiretur, veterani se in castra prætoria contulerunt cum ipsis prætorianis, quos cœpit Populus obsidere. Nec umquam ad amicitiam essent reducti, nisi fistulas aquarias Populus incidisset. In Urbe autem, priusquam dictum esset, milites pacatos venire, & tegulæ de tectis jactæ sunt, & omnia quæ in domibus erant vasa, projecta: atque ideo major pars civitatis periit, & multorum divitiæ. Nam latrones se militibus miscuerunt, ad vastanda ea quæ norant ubi reperirent.

Apparatus bellici contra Maximinum.

Seditiones inter populum & milites.

CAP. XI. Cum hæc Romæ geruntur, Maximus sive Pupiènus apud Ravennam bellum parabat ingenti apparatu, timens vehementissime Maximinum: de quo sæpissime dicebat, se non contra hominem, sed contra Cyclopem, bellum gerere. Et Maximinus quidem apud Aquileiam ita victus est, ut à suis occideretur: caputque ejus & filii perlatum est Ravennam; quod à Maximo Romam transmissum est. Non tacenda hoc loco devotio est Aquileiensium pro Romanis, qui etiam crines mulierum pro nervis ad sagittas emittendas totondisse dicuntur. Tantum sane lætitiæ fuit in Balbino, qui plus timebat, ut hecatomben faceret, statim ut Maximini caput allatum est. *Hecatombe* autem tale sacrificium est: centum aræ uno in loco cespititiæ exstruuntur, & ad eas centum sues, centum oves mactantur. Jam, si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, & cetera hujusmodi animalia centena feriuntur. Quod quidem etiam Græci quondam fecisse dicuntur, cum pestilentia laborarent: & à multis Imperatoribus id celebratum constat.

Maximus apud Ravennam contra Maximinum bellum parat.

Maximinus vincitur & occiditur. U. C. 990. p. C. N. 238.

Aquileiensium contra Romanos fides.

Hecatombe quid sit?

CAP. XII. His igitur peractis, Balbinus cum summa gratulatione Maximum redeuntem è Ravenna cum exercitu integro & copiis exspectabat. Siquidem Maximinus ab oppidanis Aquileiensibus, & paucis qui illic erant militibus, ac Crispino & Menophilo consularibus, qui à Senatu missi fuerant, victus est. Ipse autem Maximus Aquileiam idcirco accesserat, ut omnia tuta & integra usque ad Alpes relinqueret; ac si quæ essent barbarorum, qui Maximino faverant, reliquiæ, compesceret. Missi sunt denique ad eum legati Senatores viginti, quorum nomina sunt apud Cordum: (in his consulares quatuor, prætorii octo, quæstorii octo) cum coronis & Senatusconsulto, in quo ei statuæ auratæ equestres decernebantur. Ex quo quidem Balbinus subiratus est, dicens, Maximum minus quam eum laborasse, cum ipse domi tanta bella compressisset; ille autem otiosus apud Ravennam resedisset. Sed tantum valuit velle, ut Maximo, (*s*) quia profectus est contra Maximinum, ut etiam victoria decerneretur, quam impletam ille nescivit. Exercitu igitur suscepto Maximini, ad Urbem cum ingenti pompa & multitudine Maximus venit, mœrentibus militibus, quod eum Imperatorem quem ipse delegerant, perdiderant; & eos habebant quos Senatus legerat. Nec dissimulari poterat mœror, qui in frontibus apparebat singulorum: & jam quidem nec verbis abstinebatur. Quamvis Maximus & apud milites sæpe dixisset, oblivionem præteritorum esse debere, & stipendia magna donasset, & auxilia in ea loca quæ delegarent, dimisisset. Sed animi militum semel imbuti odio, refrenari nequeunt. Denique cum audissent Senatus acclamationes quæ milites tangerent, acriores contra Maximum & Balbinum exstiterunt; secum quotidie cogitantes quos Imperatores facere deberent.

Honores à Balbino & Senatu Maximo decreti.

Maximus & Balbinus odium militum incurrunt.

CAP. XIII. Senatusconsulti autem, quo moti sunt, hæc forma est: Cum ingredienti Urbem Maximo Balbinus & Gordianus & Senatus & Populus Romanus obviam processissent, acclamationes primum publicæ fuerunt quæ milites contingerent: inde in Senatum itum est; ubi post illa quæ communia solent esse festa, dictum est, *Sapienter electi Principes sic agunt; per imperitos electi Principes sic pereunt*: cum constaret à militibus factum esse Maximinum, Balbinum autem & Maximinum à Senatoribus. His auditis, milites gravius sævire cœperunt in Senatum præcipue, qui sibi triumphare de militibus videbatur. Et Balbinus quidem cum Maximo Urbem cum magna moderatione, gaudente Senatu & Populo Romano, regebant; Senatui plurimum deferebatur: leges optimas condebant; moderate causas audiebant: res bellicas pulcherrime disponebant. Et cum jam paratum esset, ut contra Parthos Maximus proficisceretur, Balbinus contra Germanos, puer autem Gordianus Romæ remaneret, milites occasionem quærentes occidendorum Principum; cum primo vix invenire possent, quia Germani stipabant Maximum atque Balbinum, quotidie ingravescebant.

Honor à Senatu Maximo & Balbino exhibitus.

Occasionem militibus præbet eos è medio tollendi.

CAP. XIV. Et erant quidem discordiæ inter Balbinum & Maximum, sed tacitæ, & quæ intelligerentur potius quam viderentur: cum Balbinus Maximum quasi ignobilem contemneret, Maxi-

Discordiæ tacitæ inter Maximum & Balbinum.

(*s*) al. Sed tantum valuit bellum Maximo.

Maximus Balbinum quasi debilem calcaret. Quare occasio militibus data est, intelligentibus, facile discordes Imperatores posse interfici. Ludis denique scenicis cum multi & milites & aulici occupati essent, & in Palatio soli cum Germanis Principes remansissent, impetum in eos fecerunt.

Impetus militum in eos.

Turbantibus igitur militibus, cum primum nuntiatum esset Maximo, turbam illam tempestatemque vix evadi posse, nisi ad Germanos mitteretur, & forte in alia parte Palatii Germani cum Balbino essent; mittit ad Balbinum Maximus, petens, ut ei præsidium mitteret. Sed ille suspicatus quod contra se eos peteret, quem putabat monarchiam velle, primum frustratus est, deinde usque ad litem perventum est. In hac tamen seditione illis contendentibus milites supervenerunt, atque ambos eos nudatos vestibus regalibus, de Palatio cum injuriis produxerunt, & per mediam civitatem ad castra raptare voluerunt, magna ex parte laniatos. Sed ubi compererunt, Germanos ad defensionem illorum supervenire, ambos occiderunt, & in itinere medio reliquerunt.

A militibus occiduntur. U. C. 990. p. C. N. 238.

Inter hæc Gordianus Cæsar sublatus à militibus, Imperator est appellatus, id est Augustus, quia non erat alius in præsenti, insultantibus militibus Senatui & Populo, qui se statim in castra receperunt. Germani sane, ne sine causa pugnarent, occisis jam Imperatoribus suis, extra Urbem, ubi suos habebant, se contulerunt.

Gordianus III. Imperator appellatus. U. C. 989. p. C. N. 237.

CAP. XV. Hunc finem habuerunt boni Imperatores, indignum vitæ & moribus suis. Nam neque Maximo sive Pupieno fortius, neque Balbino benignius fuit quidquam, quod reipsa intelligi potest.

Laudes Maximi & Balbini.

Neque enim, cum esset potestas, malos Senatus eligeret. Huic accedit quod multis honoribus ac potestatibus explorati sunt; cum alter bis Consul, & præfectus, alter Consul, & præfectus, ad Imperium longævi pervenissent, amabiles Senatui, & Populo etiam, quia Maximinum jam leviter pertimescebant. Hæc sunt quæ de Maximo ex Herodiano Græco scriptore magna ex parte collegimus. Sed multi non à Maximo, verum à Pupieno Imperatore, apud Aquilejam Maximinum esse victum dixerunt, & ipsum cum Balbino esse occisum; ita ut Maximi nomen prætereant.

Maximus an cum Pupieno idem.

Tanta est autem historicorum inter se certantium imperitia, vel usurpatio, ut multi eundem Maximum quem Pupienum velint dici, cum Herodianus vitæ suæ temporum scriptor Maximum dicat, non Pupienum: cum & Dexippus Græcus scriptor, Maximum & Balbinum Imperatores dicat factos contra Maximinum, post Gordianos duos; & à Maximo victum Maximinum, non à Pupieno. His accedit alia scriptorum imperitia, qui præfectum prætorii fuisse Gordianum parvulum dicunt, ignorantibus multis collo sæpe vectum, ut militibus ostenderetur. Imperarunt autem Maximus & Balbinus anno uno, cum Maximinus imperasset cum filio, ut quidam dicunt, per triennium: ut alii, per biennium. Nec reticendum est, quod Maximus, cum & sibi & Balbino deferretur judicio Senatus Imperium, Balbino dixisse fertur, (ut Herodianus dicit) *Quid tu Balbine, & ego merebimur, cum hanc tam immanem belluam exitio dederimus?* Cumque Balbinus dixisset, *Senatus Populique Romani ferventissimum amorem & Orbis terrarum*, dixisse fertur Maximus, *Vereor ne militum odium sentiamus, & mortem.*

Præsagium Maximi de sua & Balbini morte violenta.

CAP. XVI. Domus Balbini etiam nunc Romæ ostenditur in Carinis, magna & potens, & ab ejus familia hucusque possessa. Maximus, quem Pupienum plerique putant, summæ tenuitatis, sed virtutis amplissimæ fuit. Sub his pugnatum à Carpis contra Mœsos fuit, & Scythici belli principium, & Histriæ excidium eo tempore: ut autem Dexippus dicit, Histricæ civitatis.

Res gestæ Maximi & Balbini.

Dexippus Balbinum satis laudat, & dicit forti animo militibus occurrisse, atque interfectum: ut mortem non timeret, quem in omnibus disciplinis instructum fuisse dicit. Maximum vero negat ejusmodi virum fuisse, qualem Græci plerique dixerunt.

Maximus an idem cum Pupieno.

Addidit præterea, contra Maximinum Aquilejensium odium fuisse, ut de crinibus mulierum suarum arcubus nervos facerent, atque ita sagittas emitterent. Dexippus & Herodianus, qui horum Principum historiam persequuti sunt, Maximum & Balbinum fuisse Principes dicunt, delectos à Senatu contra Maximinum, post interitum duorum Gordianorum in Africa; cum quibus etiam puer, tertius Gordianus, electus est. Sed apud Latinos scriptores plerosque Maximi nomen non invenio, & cum Balbino Pupienum Imperatorem reperio, usqueadeo ut idem Pupienus cum Maximino apud Aquilejam pugnasse dicatur; cum, memoratis historicis asserentibus, ne Maximus quidem contra Maximinum pugnasse doceatur, sed resedisse apud Ravennam, atque illic patratam audisse victoriam: ut mihi videatur, idem esse Pupienus, qui Maximus dicitur.

CAP. XVII. Quare etiam gratulatoriam epistolam subdidi, quæ scripta est à Consule sui temporis de Pupieno & Balbino, in qua lætatur redditam ab his, post latrones improbos, esse Rempublicam: *Pupieno & Balbino Augustis Claudius Julianus. Cum primum Jovis Optimi Maximi & Deorum immortalium Senatusque judicio, & consensu generis humani, suscepisse vos Rempublicam à nefarii latronis scelere servandam reddendamque Romanis legibus, domini sanctissimi & invictissimi Augusti, quamquam nondum ex vestris litteris, sed tamen ex SCto quod ad me Vir Clarissimus Celsus Ælianus collega transmiserat, comperissem: gratulatus sum Urbi Romæ, cujus ad salutem estis electi: gratulatus Senatui, cujus pro judicio, quod in vos habuit, reddidistis pristinam dignitatem: gratulatus Italiæ, quam cum maxima ab hostibus vastatione defendistis: gratulatus provinciis, quas inexplebili avaritia tyrannorum laceratas ad spem salutis reduxistis: denique legionibus ipsis & auxiliis, quæ ubique terrarum jam vultus vestros adorant, qui deposito dedecore pristino, nunc in vestro nomine dignam Romani principatus speciem receperunt. Quocirca nulla vox fortis, nulla oratio felix, nullum ingenium tam fœcundum umquam fuerit, quod possit publicam felicitatem digne exprimere. Quæ quanta & cujusmodi sint, jam in ipso exordio principatus vestri cognoscere potuimus: qui leges Romanas, æquitatemque abolitam, & clementiam,* quæ

Epistola gratulatoria de Pupieno & Balbino.

quæ jam nulla erat, & vitam, & mores, & libertatem, & spem successionum atque heredum, reduxistis. Hæc enumerare difficile est, nedum prosequi consentanea dicendi dignitate. Nam quod nobis vita per vos reddita est, cum dimissis passim per provincias carnificibus, sic elatus latro surrexit, ut se ordini profiteretur iratum, quomodo dicam aut prosequar? præsertim cum mediocritas mea, non modo publicam felicitatem, sed ne peculiare quidem gaudium animi mei possit exprimere, cum eos Augustos & Principes generis humani videam, quorum antehac perpetuo cultu mores & modestiam meam, tamquam veteribus censoribus meis, cuperem probatam: & etiamsi confidam in priorum principum testimoniis, vestris tamen, ut gravioribus, judiciis glorior. Dii præstent, præstabuntque hanc Orbi Romano felicitatem. Nam cum ad vos respicio, aliud nihil optare possum, quam quod apud Deos dicitur victor Carthaginis precatus, ut scilicet in eo statu Rempublicam servarent in quo tunc esset, quod nullus melior inveniretur. Ita ego precor, ut in eo statu vobis Rempublicam servent, in quo eam vos adhuc nutantem collocavistis.

CAP. XVIII. Hæc epistola probat Pupienum eundem esse qui à plerisque Maximus dicitur nomine paterno. Siquidem per hæc tempora, apud Græcos non facile Pupienus, apud Latinos non facile Maximus inveniatur, & ea quæ sunt gesta contra Maximinum, modo à Pupieno, modo à Maximo acta dicantur. Sed Fortunatiano credamus, qui dicit Pupienum dictum nomine suo, cognomine vero paterno Maximum; ut omnium stupore legentibus aboliti videantur.

Qua probatur Pupienum eundem cum Maximo esse.

TREBELLII POLLIONIS
VALERIANUS PATER
ET FILIUS.

CAPUT I.

Valerianus Imperator, nobilis genere, patre Valerio, censor antea, & per dignitatum omnes gradus suis temporibus ad maximum in terris culmen ascendens, cujus per annos septuaginta, vita laudabilis in eam conscenderat gloriam, ut post omnes honores & magistratus insigniter gestos, Imperator fieret: non, ut solet, tumultuario Populi concursu, non militum strepitu, sed jure meritorum, & quasi ex totius orbis una sententia. Denique si data esset omnibus potestas promendi arbitrii quem Imperatorem vellent, alter non esset electus. Et ut sciatur quanta vis in Valeriano meritorum fuerit publicorum, ponam Senatusconsulta, quibus animadvertant omnes quid de illo semper amplissimus ordo judicaverit. Duobus Deciis Consulibus, sexto Calendarum Novembrium die, cum ob imperatorias litteras in æde Castorum Senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum cui deberet censura deferri, (nam id Decii posuerant in Senatus amplissimi potestate) ubi primum prætor edixit, *Quid vobis videtur, Patres Conscripti, de censore deligendo?* atque eum qui erat Princeps tunc Senatus sententiam rogasset, absente Valeriano: (nam ille in procinctu cum Decio tunc agebat) omnes una voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ, *Valeriani vita censura est. Ille de omnibus judicet, qui est omnibus melior. Ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen. Ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest objici. Valerianus à prima pueritia censor fuit. Valerianus in tota vita sua fuit censor. Prudens Senator, modestus Senator, gravis Senator. Amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc censorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis.* Quæ cum essent sæpius dicta, addiderunt, OMNES: atque ita discessum est.

Valeriani Senioris honores.

Valerianus Censor electus.

CAP. II. Hoc Senatusconsultum ubi Decius accepit, omnes aulicos convocavit, ipsum etiam Valerianum præcepit rogari: atque in conventu summorum virorum, recitato Senatusconsulto, *Felicem te*, inquit, *Valeriane totius Senatus sententia, imo animis atque pectoribus: totius orbis humani suscipe censuram, quam tibi detulit Romana Respublica, quam solus mereris, judicaturus de moribus nostris. Tu æstimabis qui manere in Curia debeant; tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges; tu censibus modum pones; tu vectigalia firmabis; divides statum; Respublicas recensebis: tibi legum scribendarum auctoritas dabitur: tibi de ordinibus militum judicandum est: tu arma respicies: tu de nostro Palatio, tu de judicibus, tu de præfectis eminentissimis judicabis. Excepto denique præfecto Urbis Romæ, exceptis Consulibus ordinariis, & sacrorum rege, ac maxima virgine Vestalium, (si tamen incorrupta permanebit) de omnibus sententias feres. Laborabunt autem etiam illi ut tibi placeant, de quibus non potes judicare.* Hæc Decius. Sed Valeriano sententia hujusmodi fuit: *Quæso, sanctissime Imperator, ne ad hanc me necessitatem alliges, ut ego judicem de Populo, de militibus, de Senatu, de omni penitus orbe, judicibus, & tribunis, ac ducibus. Hæc sunt propter quæ Augustum nomen tenetis; apud vos censura desedit: non potest hoc implere privatus. Veniam igitur ejus honoris peto, cui vita impar est, impar est confidentia; cui tempora*

Valeriani modestia.

pora sic repugnant, ut censuram, hominum natura non quærat.

CAP. III. Poteram multa alia & Senatusconsulta, & judicia Principum de Valeriano proferre, nisi & vobis pleraque nota essent, ut puderet altius virum extollere, qui fatali quadam necessitate superatus est. Victus est enim à Sapore rege Persarum, dum ductu cujusdam sui ducis, cui summam omnium bellicarum rerum agendarum commiserat, seu fraude seu adversa fortuna, in ea esset loca deductus, ubi nec vigor nec disciplina militaris, quin caperetur, quidquam valere potuit. Captus igitur, in ditionem Saporis pervenit: quem cum gloriosæ victoriæ successu, minus honorifice quam deceret, superbo & elato animo detineret, atque cum Romanorum rege, ut vili & abjecto mancipio loqueretur, litteras ab amicis regibus, qui & ei contra Valerianum faverant, plerasque missas accepit, quarum seriem Julius refert.

Valerianus à Sapore captus & serviliter habitus. U.C. 1011. p. C.N. 259.

CAP. IV. *Sapori, rex regum Belsolus. Si scirem posse aliquando Romanos penitus vinci; gauderem tibi de victoria quam præfers. Sed quia vel fato vel virtute gens illa plurimum potest, vide ne, quod senem Imperatorem cepisti, & id quidem fraude, male tibi cedat posterisque tuis. Cogita quantas gentes Romani ex hostibus suas fecerint, à quibus sæpe victi sunt. Audivimus certe quod Galli eos vicerint, & ingentem illam civitatem incenderint. Certe Galli Romanis serviunt. Quid Afri? eos nonne vicerunt? Certe serviunt Romanis. De longioribus exemplis, & fortasse ignotioribus (t) nihil dico. Mithridates Ponticus totam Asiam tenuit: certe victus est, certe Asia Romanorum est. Si meum consilium requiris; utere occasione pacis, & Valerianum suis redde. Ego gratulor felicitati tuæ, si tamen illa uti tu scias.*

Belsoli epistola ad Saporem ut Valerianum dimittat.

CAP. V. Balerus rex Cadusiorum sic scripsit, *Remissa mihi auxilia integra & incolumia gratanter accepi: sed captum Valerianum Principem Principum, non satis gratulor; magis gratularer si redderetur. Romani enim graviores tunc sunt quando vincuntur. Age igitur ut prudentem decet: nec fortuna te inflet, quæ multos decepit. Valerianus & filium Imperatorem habet, & nepotem Cæsarem. Et quid? Habet & omnem orbem illum Romanum, qui contra te totus insurget. Redde igitur Valerianum, & fac cum Romanis pacem, nobis etiam ob gentes Ponticas profuturam.*

Similis Baleri.

CAP. VI. Artabasdes rex Armeniorum, talem ad Saporem epistolam misit, *In partem gloriæ venio: sed vereor ne non tam viceris quam bella severis. Valerianum & filius repetet, & nepos, & duces Romani, & omnis Gallia, & omnis Africa, & omnis Hispania, & omnis Italia, & omnes gentes quæ sunt in Illyrico, atque in Oriente & in Ponto, quæ cum Romanis consentiunt, aut Romanorum sunt. Unum ergo senem cepisti, & omnes gentes orbis terrarum infestissimas tibi fecisti; fortassis & nobis, qui auxilia misimus, qui vicini sumus, qui semper vobis inter vos pugnantibus laboramus.*

Artabasdis pariter.

CAP. VII. Bactriani, & Hiberi, & Albani, & Tauroscytæ, Saporis litteras non receperunt, sed ad Romanos duces scripserunt, auxilia pollicentes ad Valerianum de captivitate liberandum. Sed Valeriano apud Persas consenescente, *Odenatus Palmyrenus*, collecto exercitu, rem Romanam prope in pristinum statum reddidit. Cepit regis thesauros, cepit etiam, quas thesauris cariores habent reges Parthici, concubinas. Quare magis reformidans Romanos duces Sapor, timore Balistæ atque Odenati, in regnum suum ocyus se recepit. Atque hic interim finis belli fuit Persici. Hæc sunt digna cognitu de Valeriano. Nunc ad Valerianum minorem revertar.

Sapor ab Odenato victus, & fugatus.

VALERIANUS JUNIOR.

Valeriani indoles.

Valerianus Junior, (15) alia quam Gallienus matre genitus, forma conspicuus, verecundia probabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus perjucundus, atque à fratris dissolutione sejunctus, à patre absente Cæsar est appellatus, à fratre (ut Celestinus dicit) Augustus, nihil habet prædicabile in vita, nisi quod est nobiliter natus, educatus optime, & miserabiliter interemptus. Et quoniam scio errare plerosque, qui Valeriani Imperatoris titulum in sepulcro legentes, illius Valeriani redditum putant corpus, qui à Persis est captus: ne ullus error obrepat, mittendum in litteras censui, hunc Valerianum circa Mediolanum sepultum, addito titulo, Claudii jussu, VALERIANUS IMPERATOR. Non puto plus aliquid vel de majore Valeriano, vel de juniore requirendum. Et quoniam vereor ne modum voluminis transeam, si Gallienum Valeriani filium, de quo jam nobis multus sermo fuit, vel Saloninum filium etiam Gallieni, qui & Gallienus dictus est, huic libro adjungam, ad aliud volumen transeam. Semper enim me vobis dedidi & famæ, cui negare nihil debeo neque possum.

Absente patre Cæsar & Augustus appellatus. U.C. 1006. p. C.N. 254. Miserabiliter interemptus.

Ejus Epitaphium.

(t) al. Interioribus. al. Inferioribus.

(15) Alia quam Gallienus matre genitus) Erat illa Mariniana. Cujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 369. vid. Tab. LXII. num. 1. Adde HEMELAR. Impp. Rom. Numism. aur. Tab. XLIII. num. 11. pag. 144.

TREBELLII POLLIONIS
GALLIENI DUO.

CAPUT I.

CApto Valeriano (enimvero unde inci-pienda eſt Gallieni vita, niſi ab eo præcipue malo quo ejus vita depreſſa eſt?) nutante republica, cum Odenatus jam Orientis cepiſſet Imperium, & Gallienus comperta patris captivitate gauderet; vagabantur exercitus, murmurabant duces, erat ingens omnibus mœror, quod Imperator Romanus in Perſide ſerviliter teneretur. Gallieno igitur & Voluſiano Conſulibus, Macrianus & Baliſta in unum coëunt, exercitus reliquias convocant: & cum Romanum in Oriente nutaret Imperium, quem facerent Imperatorem requirunt, Gallieno tam negligenter ſe agente, ut ejus ne mentio quidem apud exercitum fieret. Denique cum pluries ejus rei cauſa conveniſſent, placuit ut Macrianum cum filiis ſuis Imperatores dicerent, ac rempublicam defenſandam capeſſerent. Sic igitur Imperium delatum eſt *MACRIANO*. Et cauſæ Macriano imperandi cum filiis hæ fuerunt. Primum, quod nemo eo tempore ſapientior ducum habebatur, nemo ad res gerendas aptior: deinde ditiſſimus, & qui privatis poſſet fortunis publica explere diſpendia. Huc accedebat quod liberi ejus fortiſſimi juvenes, tota mente in bellum ruebant, ut eſſent legionibus exemplo ad omnia militaria.

Macrianus cum Baliſta de Imperatore eligendo conſultat.

Macriano & duobus filiis Imperium defertur. U. C. 1013. p. C. N. 261.

CAP. II. Macrianus ergo undique collectis exercitibus, Orientis partes petiit: atque ut poſſet late ſibi delatum defendere & tueri Imperium, bellum ſic inſtruxit, atque copias ſic paravit, ut eſſet omnium circumſpectus quæ contra eum poterant cogitari. Idem Macrianus Piſonem, unum ex nobilibus Principibus Senatus, ad Achajam deſtinavit, ob hoc ut *VALENTEM*, qui illic proconſulari Imperio rempublicam gubernabat, opprimeret. Sed Valens, comperto quod Piſo contra ſe veniret, ſumpſit Imperium. Piſo igitur in Theſſaliam ſe recepit. Ubi, miſſis à Valente militibus compluribus, interfectus eſt: ipſe quoque Imperator appellatus cognomento *THESSALICUS*. Sed Macrianus, retento in Oriente uno ex filiis, pacatis tamen rebus, Aſiam primum venit, deinde Illyricum petiit: in Illyrico cum *AUREOLO* Imperatore, qui contra Gallienum Imperium ſumpſerat, duce Domitiano nomine, manum conſeruit, unum ex filiis ſecum habens, & triginta millia militum ducens. Sed victus eſt Macrianus cum filio Macriano nomine, deditusque omnis exercitus Aureolo Imperatori.

Macriani apparatus belli.

Contra Valentem.

Contra Aureolum.

Macrianus ab Aureolo victus.

CAP. III. Turbata interim republica, totoque penitus orbe terrarum, ubi *ODENATUS* comperit Macrianum cum filio interemptum, regnare Aureolum, Gallienum remiſſius agere, feſtinavit ad alterum filium Macriani, cum exercitus hoc daret fortuna, capiendum. Sed ii qui erant cum filio Macriani, Quieto nomine, conſentientes Odenato, auctore præfecto Macriani *BALISTA*, juvenem occiderunt, miſſoque per murum corpore, Odenato ſe omnes affatim dediderunt. Totius prope igitur Orientis factus eſt Odenatus Imperator, cum Illyricum teneret Aureolus, Romam Gallienus. Idem Baliſta multos Emiſſenos, ad quos confugerant Macriani milites, cum Quieto & theſaurorum cuſtode interfecit, ita ut civitas pæne deleretur. Odenatus inter hæc, quaſi Gallieni partes ageret, cuncta eidem nuntiari ex veritate faciebat. Sed Gallienus, cognito quod Macrianus cum ſuis liberis eſſet occiſus, quaſi ſecurus rerum, ac patre jam recepto, libidini ac voluptati ſe dedidit. Ludos Circenſes, ludoſque ſcenicos, ludos gymnicos, ludicram etiam venationem, & ludos gladiatorios dedit: Populumque, quaſi victorialibus diebus, ad feſtivitatem ac plauſum vocavit. Et cum plerique patris ejus captivitatem mœrerent, ille ſpecie decoris, quod pater ejus virtutis ſtudio deceptus videretur, ſupra modum lætatus eſt. Conſtabat autem cenſuram parentis eum ferre non potuiſſe, votivumque illi fuiſſe, quod imminentem cervicibus ſuis gravitatem patriam non haberet.

Et cum filiis occiſus. U. C. 1014. p. C. N. 262.

Odenatus totius Orientis Imperator. U. C. 1019. p. C. N. 267.

Gallienus junior nil præter voluptates curat.

De patris captivitate gaudet.

CAP. IV. Per idem tempus *ÆMILIANUS* apud Ægyptum ſumpſit Imperium, occupatis horreis, multa oppida malo famis preſſit. Sed hunc dux Gallieni Theodotus conflictu habito cepit, atque Imperatori Gallieno vivum tranſmiſit. Ægyptus enim data Æmiliano per Tranſthebaitanos milites, cum Gallienus in luxuria & improbitate perſiſteret. Cumque ludibriis & helluationi vacaret, neque aliter rempublicam regeret quam cum pueri fingunt per ludibria poteſtates, Galli, quibus inſitum eſt, eſſe leves, ac degenerantes à civitate Romana, & luxurioſos Principes ferre non poſſe, *POSTUMIUM* ad Imperium vocarunt; exercitibuſque conſentientibus, qui occupatum Imperatorem libidinibus ſentiebant querebanturque. Contra hunc Theodotus exercitum duxit: cumque urbem in qua erat Poſtumius, obſidere cœpiſſet decernentibus Gallis, Gallienus muros circumiens, ſagitta ictus eſt. Nam & per annos ſeptem Poſtumius imperavit, & (16) Gallias ab omnibus circumfluentibus barbaris validiſſime vindicavit. His coactus malis Gallienus, pacem cum Aureolo facit, oppugnandi Poſtumii ſtudio, longoque bello tracto, per diver-

Æmilianus Imperium ſumit. U. C. 1005. p. C. N. 253.

Sed captus à Gallieno.

Poſtumius in Gallia Imperator fit contra Gallienum. U. C. 1011. p. C. N. 259.

Gallienus pacem cum Aureolo facit.

(16) Poſtumius Gallias . . . . . validiſſime vindicavit) Stultiſſimæ ſuperbiæ Gallieni indicium inde eſt numus Tab. LXII. num. 2. quo ſe Reſtitutorem Galliæ jactat, cum Poſtumius Gallias à barbaris vindicaverit. Conf. BEGER. loc. cit. pag. 744.

diversas obsidiones ac prælia, rem modo feliciter modo infeliciter gessit. Accesserat præterea his malis, quod Scythæ Bithyniam invaserant, civitatesque deleverant. Denique Astacum, quæ postea Nicomedia dicta est, incensam graviter vastaverunt. Denique quasi conjuratione totius mundi, concussis orbis partibus, etiam in Sicilia quasi quoddam servile bellum exstitit, latronibus evagantibus, qui vix oppressi sunt.

CAP. V. Et hæc omnia Gallieni contemptu fiebant. Neque enim quidquam est ad audaciam malis, ad spem bonorum bonis promptius, quam cum vel malus timetur, vel dissolutus contemnitur Imperator. Gallieno & Faustino Consulibus, inter tot bellicas clades etiam terræmotus gravissimus fuit, & tenebræ per multos dies. Auditum præterea tonitruum, terra mugiente, non Jove tonante. Quo motu multæ fabricæ devoratæ sunt cum habitatoribus; multi terrore mortui. Quod quidem malum tristius in Asiæ urbibus fuit. Mota est & Roma, mota & Lybia: hiatus terræ plurimis in locis fuerunt, cum aqua salsa in fossis appareret. Maria etiam multas urbes occuparunt. Pax igitur Deûm quæsita, inspectis Sibyllæ libris, factumque Jovi salutari, ut præceptum fuerat, sacrificium. Nam & pestilentia tanta exstiterat, vel Romæ, vel in Achaicis urbibus, ut uno die quinque millia hominum pari morbo perirent. Sæviente fortuna, cum hinc terræ motus, inde hiatu soli, ex diversis partibus pestilentia orbem Romanum vastaret, capto Valeriano, Gallis parte maxima obsessis, cum bellum Odenatus inferret, cum Aureolus perurgeret Illyricum, cum Æmilianus Ægyptum occupasset: *GOTHI & CLODIUS*, de quo dictum est superius, occupatis Thraciis Macedoniam vastarunt, Thessalonicam obsederunt, neque usquam quies mediocriter salutem ostentare visa est. Quæ omnia contemptu, ut sæpius diximus, Gallieni fiebant, hominis luxuriosissimi, &, si esset securus, ad omne dedecus paratissimi.

Terræmotus sub Gallieno.

Pestilentia.

CAP. VI. Pugnatum est in Achaia Marciano duce contra eosdem Gothos. Unde victi per Achæos, recesserunt. Scythæ autem, hoc est pars Gothorum, Asiam vastabant. Tunc etiam templum Dianæ Ephesiæ dispoliatum & incensum est; cujus opes, fama in populos satis notæ. Pudet numerare inter hæc tempora cum ista gererentur, quæ sæpe Gallienus malo generis humani quasi per jocum dixerit. Nam cum ei nuntiatum esset, Ægyptum descivisse, dixisse fertur, *Quid? sine lino Ægyptio esse non possumus?* Cum autem vastatam Asiam, & elementorum concursionibus, & Scytharum incursionibus comperisset, *Quid*, inquit, *sine aphronitris esse non possumus?* Perdita Gallia arrisisse ac dixisse perhibetur, *Non sine trabeatis sagis tuta respublica est?* Sic denique de omnibus partibus mundi, cum eas amitteret, quasi detrimentis vilium ministeriorum videretur affici, jocabatur. Ac ne quid mali deesset Gallieni temporibus, Byzantiorum civitas, clara navalibus bellis, claustrum Ponticum, per ejusdem Gallieni milites ita omnis vastata est, ut prorsus nemo superesset. Denique nulla vetus familia apud Byzantios invenitur, nisi si quis peregrinatione vel militia occupatus, evasit, qui antiquitatem generis nobilitatemque repræsentet.

Dianæ Ephesiæ templum incensum.

Gallienus de deficientibus provinciis tantum jocatur.

Byzantium vastatur.

CAP. VII. Contra Postumium igitur Gallienus cum Aureolo & Claudio duce, qui postea Imperium obtinuit, principe generis Constantini Cæsaris nostri, bellum incepit: & cum multis auxiliis Postumius juvaretur Celticis ac Francicis, in bellum cum Victorino processit, cum quo Imperium participaverat. Victrix Gallieni pars fuit, pluribus præliis eventuum ratione decursis. Erat enim in Gallieno subitæ virtutis audacia: nam aliquando injuriis graviter movebatur. Denique ad vindictam Byzantiorum processit: & cum non putaret recipi se posse muris, receptus alio die, omnes milites inermes, armatorum corona circumdatos, interemit, fracto fœdere quod promiserat. Per eadem tempora etiam Scythæ, in Asia, Romanorum ducum virtute ac ductu vastati, ad propria recesserunt. Interfectis sane militibus apud Byzantium, Gallienus, quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido convolavit, convocatisque Patribus, decennia celebravit, novo genere Ludorum, nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum.

Gallienus cum Aureolo & Claudio contra Postumium proficiscitur & Victorinum. U. C. 1013. p. C. N. 261.

Decennia celebrat. U. C. 1015. p. C. N. 263.

CAP. VIII. Jam primum inter togatos Patres, & equestrem ordinem, albatos milites, & omni Populo præeunte, servis etiam prope omnium, & mulieribus, cum cereis facibus & lampadibus præcedentibus, Capitolium petiit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab utraque parte ducentæ præcesserunt, & decem elephanti, qui tunc erant Romæ; mille ducenti gladiatores pompaliter ornati, cum auratis vestibus matronarum; mansuetæ feræ diversi generis ducentæ, ornatu quam maximo affectæ. Carpenta cum mimis & omni genere histrionum; pugiles sacculis, non veritate pugilantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarii, ita ut miranda quædam & stupenda monstraret. Omnes viæ ludis strepituque & plausibus personabant. Ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter Patres (ut diximus) omnibus sacerdotibus prætextatis, Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, & præter ea quæ collegiorum erant, dracones, & signa templorum omniumque legionum ibant. Ibant præterea gentes simulatæ, ut Gothi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita ut non minus quam ducenti singulis globis ducerentur.

Gallieni triumphus. U. C. 1017. p. C. N. 265.

CAP. IX. Hac pompa homo ineptus eludere se credidit Populum Romanum: sed, ut sunt Romanorum facetiæ, alius Postumio favebat, alius Regilliano, alius Aureolo, alius Æmiliano, alius Saturnino: nam & ipse jam imperare dicebatur. Inter hæc ingens querela de patre; quem inultum filius reliquerat, & quem externi utcumque vindicaverant. Nec tamen Gallienus ad talia movebatur, obstupefacto voluptatibus corde; sed ab iis qui circum eum erant, requirebat, *Ecquid*

Gallienus vindicandi patris penitus oblitus.

quid habemus in prandio? & ecquæ voluptates paratæ sunt? & qualis cras erit cœna? quales Circenses? Sic confecto itinere, celebratisque hecatombis, ad domum regiam rediit; conviviisque & epulis depulsis, alios dies voluptatibus publicis deputabat. Prætereundum non est haud ignobile facetiarum genus. Nam cum rex Persarum, quasi captivorum, per pompam (rem ridiculam) duceretur; quidam scurræ miscuerunt se Persis, diligentissime scrutantes omnia, atque unius cujusque vultum mira inhiatione mirantes. A quibus cum quæreretur, *quidnam agerent illa solertia*, illi responderunt, *Patrem Principis quærimus.* Quod cum ad Gallienum pervenisset, non pudore, non mœrore, non pietate commotus est, scurrasque jussit vivos exuri. Quod Populus factum tristius quam quisquam existimaret, tulit; milites vero ita doluerunt, ut non multo post vicem redderent.

Facetiæ de hac incuria Gallieni.

Gallieni crudelitas.

CAP. X. Gallieno & Saturnino Consulibus, Odenatus rex Palmyrenorum obtinuit totius Orientis Imperium; idcirco præcipue, quod se fortibus factis dignum tantæ majestatis infulis declaravit: Gallieno aut nullas, aut luxuriosas, aut ineptas & ridiculas res agente. Denique statim bellum Persis in vindictam Valeriani, quam ejus filius negligebat, indixit. Nisibin & Carras statim occupat, tradentibus sese Nisibenis atque Carrenis, & increpantibus Gallienum. Nec defuit tamen reverentia Odenati circa Gallienum. Nam captos satrapas, insultandi prope gratia, & ostendandi sui ad eum misit. Qui cum Romam deducti essent, vincente Odenato triumphavit Gallienus, nulla mentione patris facta: quem nec inter Deos quidem nisi coactus retulit, cum mortuum audisset, sed adhuc viventem: nam de illius morte falso compererat. Odenatus autem ad Ctesiphontem Parthorum multitudinem obsedit: vastatisque circum omnibus locis, innumeros homines interemit. Sed cum satrapæ omnes ex omnibus regionibus illuc, defensionis communis gratia, convolassent, fuerunt longa & varia prælia; longior tamen Romana victoria. Et cum nihil aliud ageret, nisi ut Valerianum Odenatus liberaret, instabat quotidie, ac locorum difficultatibus, in alieno solo, Imperator optimus, laborabat.

Odenatus ad vindicandum Valerianum bellum Persis indicit. U. C. 1018. p. C. N. 266.

Gallienus ob alienam victoriam triumphat.

CAP. XI. Dum hæc apud Persas geruntur, Scythæ Cappadociam pervaserunt: illic captis civitatibus, bello etiam vario diu acies ad Bithyniam contulerunt. Quare milites iterum de novo Imperatore faciendo cogitaverunt: quos omnes Gallienus more suo, cum placare atque in gratiam suam reducere non posset, occidit. Cum tamen sibi milites dignum principem quærerent, Gallienus apud Athenas Archon erat, id est summus magistratus; vanitate illa qua & civis adscribi desiderabat: & sacris omnibus interesse: quod neque Hadrianus in summa felicitate, neque Antoninus in adulta fecerat pace: cum tanto studio Græcarum docti fuerint litterarum, ut raro aliquibus doctissimis magnorum arbitrio cesserint virorum. Areopagitarum præterea cupiebat ingeri numero, contempta probe republica. Fuit enim Gallienus (quod negari non potest) oratione, poëmate, atque omnibus artibus clarus. Hujus est illud epithalamium, quod inter centum poëtas præcipuum fuit. Nam cum fratrum suorum filios conjugaret, & omnes poëtæ Græci Latinique epithalamia dixissent, idque per dies plurimos, cum ille manus sponsorum teneret; ut quidam dicunt sæpius ita dixisse fertur,

Scythæ Cappadociam invadunt.

Milites alium Imperatorem quærunt.

Gallienus poëta & rhetor excellens.

Ite, ait, ô pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

Longum est ejus versus orationesque connectere, quibus suo tempore, tam inter poëtas, quam inter rhetores emicuit. Sed aliud in Imperatore quæritur; aliud in oratore vel poëta flagitatur.

CAP. XII. Laudatur sane ejus optimum factum. Nam consulto Valeriani fratris sui & Lucilli propinqui, ubi comperit ab Odenato Persas vastatos, redactam Nisibin & Carras in potestatem Romanam, omnem Mesopotamiam nostram, denique Ctesiphontem esse perventum, fugisse regem, captos satrapas, plurimos Persarum occisos: Odenatum, participato Imperio, Augustum vocavit, ejusque monetam qua Persas captos traheret, cudi jussit. Quod & Senatus & Urbs, & omnis ætas gratanter accepit. Fuit præterea idem ingeniosissimus: cujus ostendentia acumen pauca libet ponere. Nam cum taurum ingentem in arenam misisset, exissetque ad eum feriendum venator, neque perductum decies potuisset occidere, coronam venatori misit; mussantibusque cunctis, quid rei esset quod homo ineptissimus coronaretur: ille per curionem dici jussit, *Taurum toties non ferire difficile est.* Idem, cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset ejus uxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet, surripi, quasi ad leonem, venditorem jussit. Deinde è cavea caponem emitti: mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici jussit, *Imposturam fecit, & passus est.* Deinde negotiatorem dimisit. Occupato tamen Odenato bello Persico, & Gallieno rebus ineptissimis, ut solebat, incumbente, Scythæ navibus factis Heracleam pervenerunt, atque inde cum præda in solum proprium reverterunt: quamvis multi naufragio perierint, navali bello superati.

Gallienus Odenatum ad participandum Imperium assumit. U. C. 1018. p. C. N. 266.

Gallienus ingeniosissimus.

CAP. XIII. Per idem tempus Odenatus, insidiis consobrini sui, interemptus est cum filio Herode, quem & ipsum Imperatorem appellaverat. Tum Zenobia uxor ejus, quod parvuli essent filii ejus qui supererant, Herennius & Timolaus, ipsa suscepit Imperium, diuque rexit non muliebriter, neque more femineo. Sed non solum Gallieno virago melius imperare potuisset, verum etiam multis Imperatoribus fortius atque solertius. Gallieno sane ubi nuntiatum, Odenatum interemptum, bellum Persis ad seram nimis vindictam patris paravit, collectisque per Heraclianum ducem militibus, solertis principis rem gerebat. Qui tamen Heraclianus, cum contra Persas profectus esset, à Palmyrenis victus, omnes quos paraverat milites, perdidit; Zenobia Palmyrenis & Orientalibus plerisque viriliter imperante. Inter hæc, Scythæ per Euxinum navigantes, Istrum ingressi, multa gravia in solo Romano fecerunt.

Odenatus consobrini sui insidiis interemptus.

Zenobia Imperium suscipit. U. C. 1019. p. C. N. 267.

Heraclianus à Palmyrenis victus.

Scythæ

Quibus

Quibus compertis, Gallienus Cleodamum & Athenæum Byzantios, instaurandis urbibus muniendisque præfecit. Pugnatumque est circa Pontum; & à Byzantiis ducibus victi sunt barbari. Veneriano item duce, navali bello Gothi superati sunt; tum ipse Venerianus militari periit morte. Atque inde Cyzicum & Asiam, deinceps Achajam omnem vastaverunt, & ab Atheniensibus duce Dexippo, scriptore horum temporum, victi sunt. Unde pulsi, per Epirum, Acarnaniam, Bœotiam, pervagati sunt. Gallienus interea vix excitatus publicis malis, Gothis vagantibus per Illyricum occurrit, & fortuito plurimos interemit. Quo comperto, Scythæ facta carragine per montem Gessacem fugere sunt conati. Omnes inde Scythas Marcianus varia bellorum fortuna agitavit: quæ omnes Scythas ad rebellionem excitarunt.

A Byzantiis vincuntur.

CAP. XIV. Et hæc quidem Heracliani ducis erga rempublicam devotio fuit. Verum cum Gallieni tantam improbitatem ferre non possent, consilium inierunt Marcianus & Heraclianus, ut alter eorum Imperium caperet: & Claudius quidem (ut suo dicemus loco) vir omnium optimus, electus est, qui consilio non adfuerat, eaque apud cunctos reverentia, ut dignus videretur Imperio, quemadmodum postea comprobatum est. Is enim est CLAUDIUS à quo Constantinus vigilantissimus Cæsar originem ducit. Fuit ejusdem socius in appetendo Imperio quidam Ceronius sive Cecropius, dux Dalmatarum, qui eos & urbanissime & prudentissime adjuvit. Sed cum Imperium capere vivo Gallieno non possent, hujusmodi eum insidiis appetendum esse duxerunt, ut labem improbissimam, malis fessa Republica, à gubernaculis humani generis dimoverent; ne diutius theatro & Circo addicta Republica, per voluptatum deperiret illecebras. Insidiarum genus fuit tale: Gallienus ab Aureolo qui principatum invaserat, diffidebat, sperans quotidie gravem & intolerabilem tumultuarii Imperatoris adventum. Hoc scientes Marcianus & Cecropius, subito Gallieno jusserant nuntiari, Aureolum jam venire. Ille igitur militibus congregatis, quasi certum processit ad prælium; atque ita missis percussoribus, interemptus est. Et quidem Cecropii Dalmatarum ducis gladio Gallienus dicitur esse percussus, ut quidam ferunt, circa Mediolanum: ubi continuo & frater ejus VALERIANUS est interemptus, quem multi Augustum, multi Cæsarem, multi neutrum fuisse dicunt. Quod verisimile non est: siquidem capto jam Valeriano, scriptum invenimus in Fastis, VALERIANO IMPERATORE CONSULE. Quis igitur alius potuit esse Valerianus, nisi Gallieni frater? Constat de genere, non satis tamen constat de dignitate, vel, ut cœperunt alii loqui, de majestate.

Marcianus & Heraclianus consilium de alio Imperatore eligendo ineunt.

Claudio contra Gallienum Imperium defertur.

Gallieno insidiæ struuntur.

Gallienus cum fratre Valeriano occisus. U.C. 1020. p. C.N. 268.

CAP. XV. Occiso igitur Gallieno, seditio ingens militum fuit, cum spe prædæ ac publicæ vastationis, Imperatorem sibi utilem, necessarium, fortem, efficacem, ad invidiam faciendam, dicerent raptum. Quare consilium Principum fuit, ut milites ejus, quo solent placari genere, sedarentur. Promissis itaque per Marcianum aureis vicenis, & acceptis, (nam præsto erat thesaurorum copia) Gallienum *tyrannum* militari judicio in fastos publicos retulerunt. Sic militibus sedatis Claudius, vir sanctus ac jure venerabilis, & bonis omnibus carus, amicus patriæ, amicus legibus, acceptus Senatui, Populo bene cognitus, accepit Imperium.

Occiso Gallieno.

Claudius Imperium suscipit. U.C. 1020. p. C.N. 268.

CAP. XVI. Hæc vita Gallieni fuit, breviter à me litteris intimata, qui natus abdomini & voluptatibus, dies ac noctes vino & stupris perdidit. Orbem terrarum triginta prope tyrannis vastari fecit, Romanum dehonestantes Imperium, itaut etiam mulieres eo melius imperarent. Ac ne ejus prætereatur miseranda solertia; veris tempore cubicula de rosis fecit, De pomis castella composuit. Uvas triennio servavit. Hieme summa, melones exhibuit. Mustum, quemadmodum toto anno haberetur, docuit. Ficos virides, & poma ex arboribus recentia, semper alienis mensibus præbuit. Mantilibus aureis semper stravit. Gemmata vasa fecit, eademque aurea. Crinibus suis auri scobem aspersit; radiatus sæpe processit. Cum chlamyde purpurea, gemmatisque fibulis & aureis, Romæ visus est, ubi semper togati Principes videbantur: purpuream tunicam aureatamque virilem, eandemque manicatam habuit. Gemmato baltheo usus est; caligas gemmatas annexuit, cum compagos reticulos appellaret. Convivatus in publico est: congiariis Populum mollivit; Senatui sportulam sedens erogavit. Matronas ad Consulatum suum rogavit, iisdemque, manum sibi osculantibus, quaternos aureos sui nominis dedit.

Sub Gallieno Imperium Romanum dehonestatur.

Gallieni luxuria.

CAP. XVII. Ubi de Valeriano patre comperit quod captus esset, id quod Philosophorum optimus de filio amisso dixisse fertur, *Sciebam me genuisse mortalem*, dixit ille, *Sciebam patrem meum ex mortalem*. Nec defuit Annius Cornicula, qui eum quasi constantem Principem falso sua voce laudaret. Pejor tamen ille qui credidit. Sæpe ad tibicinem processit; ad organum se recepit, cum processui & recessui cani juberet. Lavit ad diem, septimo æstate, vel sexto; hieme secundo vel tertio. Bibit in aureis semper poculis, aspernatus vitrum, dicens *nil eo esse communius*. Semper vina variavit. Neque umquam in uno convivio ex uno vino duo pocula bibit. Concubinæ in ejus tricliniis sæpe accubuerunt. Mensam secundam, scurrarum & mimorum semper prope habuit. Cum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur. Ibant & præfecti, & magistri officiorum omnium: adhibebantur & conviviis; & natationibus. Lavabant etiam simul cum Principe. Admittebantur sæpe etiam mulieres; cum ipso, pulchræ & puellæ; cum illis, anus deformes: & *jocari se* dicebat, cum orbem terrarum undique perdidisset.

Jocus Gallieni de Patris captivitate.

Gallieni mollities.

CAP. XVIII. Fuit tamen nimiæ crudelitatis in milites: nam & terna millia, & quaterna militum singulis diebus occidit. Statuam sibi majorem colosso fieri præcepit, Solis habitu; sed ea imperfecta periit. Tam magna denique cœperat fieri, ut duplex ad colossum videretur. Poni autem illam voluerat in summo Esquiliarum monte, ita ut hastam teneret, per cujus caput infans ad summum posset ascendere. Sed & Claudio & Aureliano deinceps stulta res visa est.

Gallieni crudelitas.

est. Siquidem etiam equos & currum fieri jusserat pro qualitate statuæ, atque in acutissima base poni. Porticum Flaminiam usque ad pontem Milvium & ipse paraverat ducere, ita ut tetrastiche fieret, ut autem alii dicunt, pentastiche; ita ut primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis; secundus & tertius, & deinceps διὰ τεσσάρων columnas. Longum est cuncta in litteras mittere: quæ qui volet scire, legat Palfurium Suram, qui Ephemeridas ejus vitæ composuit. Nos ad Saloninum revertamur.

SALONINUS GALLIENUS.

CAPUT I.

Saloninus Gallieni filius.

Hic Gallieni filius fuit, nepos Valeriani: de quo quippe nihil est, quod dignum in litteras mittatur, nisi quod nobiliter natus, educatus regie, occisus deinde non sua, sed patris causa. De hujus nomine magna est ambiguitas. Nam multi eum GALLIENUM, multi (17) SALONINUM in historiis prodiderunt. Et qui Saloninum, idcirco quod apud Salonas natus esset, cognominatum, ferunt: qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, & avi Gallieni, summi quondam in Republica viri. Fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est ante sacram viam, intra templum Faustinæ advecta ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptum, GALLIENO JUNIORI, SALONINO additum: ex quo ejus nomen intelligi poterit. Transisse decennium Imperium, Gallienum, satis clarum est: quod idcirco addidi, quia multi eum Imperii sui primo anno periisse dixerunt. Fuisse autem & alias rebelliones sub eodem, de quibus proprio dicemus loco. Siquidem placuit triginta tyrannos uno volumine includere; idcirco quod nec multa de his dici possunt, & in Gallieni vita pleraque jam dicta sunt. Et hæc quidem de Gallieno hoc interim libro dixisse sufficiant. Nam & multa jam in Valeriani vita, in libro qui DE TRIGINTA TYRANNIS inscribendus est, jam loquemur, quæ iterari ac sæpius dici minus utile videbatur. Huc accedit, quod quædam etiam studiose prætermisi, ne ejus posteri multis rebus editis læderentur.

Unde Gallienus & Saloninus dictus.

CAP. II. Scis enim ipse, quales homines cum iis qui aliqua de majoribus eorum scripserint, quantum gerant bellum: ne ignota esse arbitror, quæ dixit Macrus Tullius in Hortensio, quem ad exemplum Protreptici scripsit. Unum ponam tamen, quod jucunditatem quandam, sed vulgarem habuit: morem tamen novum fecit. Nam cum cingula sua plerique militantium qui ad convivium venerant, ponerent hora convivii; Saloninus puer, sive Gallienus, his auratos constellatosque baltheos rapuisse perhibetur, & cum esset difficile in aula palatina requirere quod periisset, ac taciti militares viri detrimenta pertulissent; postea rogati ad convivium, cincti accubuerunt. Cumque ab his quæreretur, *cur non solverent cingulum*, respondisse dicuntur: *Salonino deferimus.* Atque hinc tractum morem, ut deinceps cum Imperatore cincti discumberent. Negare non possum, aliunde & plerisque videri hujus rei ortum esse morem. Dicunt enim militare prandium, quod dictum est prandium ab eo quod ad bellum milites paret, à cinctis initum. Cui rei argumentum est quod à discinctis etiam cum Imperatore cœnatur. Quæ idcirco posui, quia digna & memoratu videbantur, & cognitu.

Cingulo non soluto mensæ accumbere, unde ortum.

Prandium militare.


CAP. III. Nunc transeamus ad triginta tyrannos, qui Gallieni temporibus, contemptu mali Principis, exstiterunt. De quibus breviter & pauca dicenda sunt. Neque enim digni sunt eorum plerique, ut volumen talium hominum saltem nominibus occuparetur. Quamvis eorum aliqui non parum in se virtutis habuisse videantur, multum etiam Reipublicæ profuisse. Tam variæ item opiniones sunt de Salonini nomine, ut, qui se verius putant dicere, (18) à matre sua Salonina appellatum esse dicant, quam is perdite dilexerit; Piparam nomine, Barbaram, regis filiam. Gallienus cum suis semper flavum crinem condidit. De annis autem Gallieni & Valeriani, ad Imperium pertinentibus, adeo incerta traduntur, ut cum quindecim annos eosdem imperasse constet, id est Gallienum usque ad quintumdecimum pervenisse, Valerianus vero sexto sit captus; alii novem annis, alii decem annis, alii etiam Gallienum imperasse in litteras mittant: cum constet & decennalia Romæ ab eodem celebrata, & post decennalia Gothos ab eo victos, cum Odenato pacem factam; cum Aureolo initam esse concordiam; pugnatum contra Postumium, contra Lollianum; multa etiam ab eo gesta quæ ad virtutem, plura tamen quæ ad dedecus pertinebant. Nam & semper noctibus popinas dicitur frequentasse, & cum lenonibus, mimis scurrisque vixisse.

Transitio ad descriptionem triginta tyrannorum.

Quamdiu Gallienus & Valerianus Imperium gesserint.

(17) Saloninum) Hujus vultum ex MEDIOBARB. p. 381. vide Tab. LXII. num. 3.
(18) A matre sua Salonina) Hujus vultum ex MEDIOBARB. p. 380. vide Tab. LXII. num. 4.

TREBEL-


Tab. LXII
ad pag. 379. 380.
384. 386. 389. 390.
AR
I
DIVA MARINIANA
II
RESTIT. GALLIAE
III
DIVO CAES. VALERIANO
IV
CORNELIA SALONINA AVG.
V
IMP. POSTVMVS AVG.
VI
ΑΥΤ. Κ. Μ. ΦΟΥΛ ΜΑΚΡΙΑΝΟC CΕΒ.
VII
IMP. C. FVL. MACRIANVS P. F. AVG.
VIII
IMP. C. FVL. QVIETVS P. F. AVG.

TREBELLII POLLIONIS
TRIGINTA TYRANNI.

CAPUT I.

Triginta tyrannorum historia.

SCriptis jam pluribus libris, non historico nec diserto, sed pedestri eloquio, ad eam temporum venimus seriem, in qua per annos quibus Gallienus & Valerianus Rempublicam tenuerunt, triginta tyranni, occupato Valeriano magnis belli Persici necessitatibus, exstiterunt; cum Gallienum non solum viri, sed etiam mulieres contemptui haberent, ut suis locis probabitur. Sed quoniam tanta obscuritas eorum hominum fuit, qui ex diversis orbis partibus ad Imperium convolabant, ut non multa de his vel dici possint à doctioribus, vel requiri: deinde ab omnibus historicis qui Græce ac Latine scripserunt, ita nonnulli prætereantur, ut eorum nec nomina frequententur: postremo cum tam varie à plerisque super his nonnulla sint prodita: in unum eos libellum contuli, & quidem brevem; maxime cum vel in Valeriani, vel in Gallieni vita, pleraque de his dicta, nec repetenda tamen satis constet.

Obscura.

DE CYRIADE, I.

CAPUT II.

Cyriades I. è triginta tyrannis. U.C.1010. p. C.N. 258.

HIc patrem Cyriadem fugiens, dives & nobilis, cum luxuria sua & moribus perditis, sanctum senem gravaret, direpta magna parte auri, argenti etiam infinito pondere, Persas petiit: atque inde Sapori regi conjunctus atque sociatus, cum hortator belli Romanis inferendi fuisset, Odenatum primum, deinde Saporem ad Romanum solum traxit: Antiochia etiam capta & Cæsarea, Cæsarianum nomen accepit. Atque inde vocatus Augustus, cum omnem Orientem vel virium audacia, vel terrore quæreret, patrem vero interemisset (quod alii historici negant factum) ipse per insidias suorum, cum Valerianus jam ad bellum Persicum veniret, occisus est. Neque plus de hoc historiæ quidquam mandatum est, quod dignum memoria esse videatur. Quem clarum, perfugium, & parricidium, & aspera tyrannis, & summa luxuries, litteris dederunt.

Cæsar & Augustus vocatur.

Occiditur.

DE POSTUMIO, II.

CAPUT III.

Postumius II. triginta tyrannorum. U.C.1011. p. C.N. 259.

HIc vir in bello fortissimus, in pace constantissimus, in omni vita gravis, usque adeo, ut Saloninum filium suum eidem Gallienus in Gallia positum crederet, quasi custodi vitæ & morum & actuum imperialium institutori. Sed, quantum plerique asserunt, (quod ejus non convenit moribus) postea fidem fregit, & occiso Salonino sumpsit Imperium. Ut autem verius plerique tradiderunt, cum Galli vehementissime Gallienum odissent, puerum autem apud se imperare ferre non possent, eum qui commissum regebat Imperium, Imperatorem appellarunt, missisque militibus adolescentem interfecerunt. Quo interfecto, ab omni exercitu & ab omnibus Gallis Postumius gratanter acceptus, talem se præbuit per annos septem, ut Gallias instauraverit, cum Gallienus luxuriæ & popinis vacaret, & amore barbaræ mulieris consenesceret. Gestum est autem à Gallieno contra hunc bellum, tunc cum sagitta Gallienus est vulneratus. Siquidem nimius amor erga Postumium omnium erat in Gallica gente populorum, quod submotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in pristinam securitatem revocasset Imperium. Sed cum se gravissime regeret, more illo quo Galli novarum rerum semper sunt cupidi, Lolliano agente, interemptus est. Si quis sane Postumii meritum requirit, judicium de eo Valeriani, ex hac epistola, quam ille ad Gallos misit, intelliget: *Transrhenani limitis ducem, & Galliæ præsidem Postumium fecimus, virum dignissimum severita Gallorum. Præsente quo, non miles in castris, non jura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat: qui unicuique proprium & suum servet. Virum quem ego præ cæteris stupeo, & qui locum Principis mereatur jure. De quo spero quod mihi gratias agetis. Quod si me fefellerit opinio quam de illo habeo, sciatis nusquam gentium reperiri qui possit penitus approbari. Hujus filio, Postumio nomine, tribunatum Vocontiorum dedi; adolescenti, qui se dignum patris moribus reddet.*

In Gallia contra Gallienum Imperator fit.

Autore Lolliano interemptus.

Judicium Valeriani de Postumio.

DE POSTUMIO JUNIORE, (19) IV.

CAPUT IV.

Postumius Junior, III. triginta tyrannorum. U. C. 1011. p. C. N. 259.

DE hoc prope nihil est quod dicatur, nisi quod à patre appellatus Cæsar, ac deinceps in ejus honore Augustus, cum patre dicitur interemptus, cum Lollianus in locum Postumii subrogatus, delatum sibi à Gallis sumpsisset Imperium. Fuit autem (quod solum memoratu dignum est) ita in declamationibus disertus, ut ejus controversiæ Quintiliano dicantur insertæ, quem declamatorem Romani generis acutissimum, vel unius capitis lectio, prima statim fronte demonstrat.

Ejus declamationes Quintiliano insertæ dicuntur.

DE LOLLIANO, IV.

CAPUT V.

Lollianus IV. triginta tyrannorum. U. C. 1011. p. C. N. 259.

HUjus rebellione in Gallia Postumius, vir omnium fortissimus, interemptus est, cum jam nutante Gallieni luxuria, in veterem statum Romanum reformasset Imperium. Fuit quidem etiam iste fortissimus, sed rebellionis intuitu, minorem apud Gallos auctoritatem de suis viribus tenuit. Interemptus autem est à Victorino, Victorinæ vel Victoriæ filio, quæ postea MATER CASTRORUM appellata est, & Augustæ nomine affecta, cum ipsa per se fugiens tanti ponderis molem, primum in Marium, deinde in Tetricum atque ejus filium contulisset Imperia. Et Lollianus quidem nonnihilum Reipublicæ profuit. Nam plerasque Galliæ civitates, nonnulla etiam castra, quæ Postumius per septem annos in solo barbarico ædificaverat, quæque interfecto Postumio, subita irruptione Germanorum, & direpta fuerant & incensa, in statum veterem reformavit: deinde à suis militibus, quod in labore nimius esset, occisus est. Ita Gallieno perdente Rempublicam, in Gallia primum Postumius, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, postremo Tetricus (nam de Mario nihil dicimus) assertores (x) Romani nominis exstiterunt: quos omnes datos divinitus credo; ne cum illa pestis inaudita luxuria impediretur, in aliis possidendi Romanum solum, Germanis daretur facultas: qui si eo genere tunc evasissent quo Gothi & Persæ, consentientibus in Romano solo gentibus, venerabile hoc Romani nominis finitum esset Imperium. Lolliani autem vita in multis obscura est, ut ipsius Postumii; sed privata virtute clari, non nobilitatis pondere, vixerunt.

Profuit nonnihilum reipublicæ.

Occiditur. U. C. 1011. p. C. N. 259.

DE VICTORINO, V.

CAPUT VI.

Victorinus V. triginta tyrannorum. U. C. 1014. p. C. N. 262.

POstumius senior, cum videret multis se Gallieni viribus peti, atque auxilium non solum militum, verum etiam alterius principis necessarium; Victorinum militaris industriæ virum in participatum vocavit Imperii, & cum eodem contra Gallienum conflixit. Cumque, adhibitis ingentibus Germanorum auxiliis, diu bella traxissent, victi sunt. Tunc interfecto etiam Lolliano, solus Victorinus in Imperio remansit: qui & ipse, quod matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret, à quodam actuario, cujus uxorem stupraverat, composita factione, Agrippinæ percussus, Victorino filio Cæsare à matre Victorina, sive Victoria, quæ MATER CASTRORUM dicta est, appellato: qui & ipse puerulus statim est interemptus, cum apud Agrippinam pater ejus esset occisus. De hoc quod fortissimus fuerit, & præter libidinem optimus Imperator, à multis multa sunt dicta. Sed satis credimus Julii Ateriani partem libri cujusdam ponere, in quo de Victorino sic loquitur: *Victorino, qui Gallias post Junium Postumium rexit, neminem existimo præferendum: non in virtute Trajanum, non Antoninum in clementia, non in gravitate Nervam, non in gubernando ærario Vespasianum, non in censura totius vitæ ac severitate militari Pertinacem, vel Severum. Sed omnia hæc, libido & cupiditas mulierariæ voluptatis sic perdidit, ut nemo audeat virtutes ejus in litteras mittere, quem constat omnium judicio meruisse puniri.* Ergo cum id judicii de Victorino scriptores habuerint, satis mihi videor de ejus dixisse moribus.

A militibus occisus. U. C. 1020. p. C. N. 268.

Omnes Imperatores bonos virtutibus æquat, excepta libidine.

(x) al. affectatores.

(19) De Postumio Juniore) Hujus vultum ex MEDIOBARB. p. 396. vide Tab. LXII. num. 5.

DE

DE VICTORINO IUNIORE, VI.

CAPUT VII.

Victorinus Junior VI. triginta tyrannorum.

DE hoc nihil amplius in litteras est relatum, quam quod nepos Victoriæ, Victorini filius fuit, & à patre vel ab avia, sub eadem hora qua Victorinus interemptus, Cæsar nuncupatus est, ac statim à militibus ira occisus. Exstant denique sepulcra circa Agrippinam, brevi marmore impressa, humilia, in quibus unus est inscriptus, HIC DUO VICTORINI TYRANNI SITI SUNT.

Occiditur. U. C. 1020. p. C. N. 268.

Victorinorum Epitaphium.

DE MARIO, VII.

CAPUT VIII.

Marius VII. triginta tyrannorum. U. C. 1020. p. C. N. 268.

VIctorino, Lolliano, & Postumio interemptis, Marius, ex fabro, ut dicitur, ferrario, triduo tantum imperavit. De hoc quid amplius requiratur ignoro, nisi quod eum insigniorem brevissimum fecit Imperium. Nam ut Consul ille, qui sex pomeridianis horis consulatum suffectus tenuit, à Marco Tullio tali aspersus est joco, *Consulem habuimus tam severum tamque censorium, ut in ejus magistratu nemo pranderit, nemo cœnaverit, nemo dormierit;* de hoc etiam dici posse videtur, qui una die factus est Imperator, alia die visus est imperare, tertia interemptus est. Et vita quidem strenuus, ac militantibus usque ad Imperium gradibus evectus: quem plerique *Mamurium*, nonnulli *Vecturium*, opificem utpote ferrarium, nuncuparunt. Sed de hoc nimis multa: de quo illud addidisse satis est, nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuisse; cum in digitis nervos videretur habuisse, non venas. Nam & carra venientia digito salutari repulisse dicitur, & fortissimos quosque uno digito sic adflixisse, ut quasi ligni vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent. Multa duorum digitorum allisione contrivit. Occisus est à quodam milite, qui cum ejus quondam operarius in fabrili officina fuisset, contemptus est ab eodem, vel cum duxisset, vel cum Imperium cepisset. Addidisse hæc verba dicitur interemptor, *hic est gladius quem ipse fecisti.* Hujus concio prima talis fuisse dicitur: *Scio, commilitones, posse mihi objici artem pristinam, cujus mihi omnes testes estis. Sed dicat quisque quod vult, utinam semper ferrum exerceam. Non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, ut facit Gallienus, indignus patre suo & sui generis nobilitate, depeream. Ars mihi objiciatur ferraria, dum me & exteræ gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italia. Denique ut omnis Alemannia omnisque Germania, cum ceteris quæ adjacent gentibus, Romanum Populum ferratam putent gentem, ut specialiter in nobis ferrum timeant. Vos tamen cogitetis velim, fecisse vos Principem qui numquam quidquam scierit tractare, nisi ferrum. Quod idcirco dico, quia scio, mihi à luxuriosissima illa peste, nihil opponi posse, nisi hoc, quod gladiorum armorumque artifex fuerim.*

Per triduum Imperator.

Robore corporis pæne incredibili pollet.

Occiditur à milite. U. C. 1020. p. C. N. 268.

Concio ejus ad milites.

DE INGENUO, VIII.

CAPUT IX.

Ingenuus VIII. triginta tyrannorum.

FUsco & Basso Consulibus, cum Gallienus vino & popinis vacaret, cumque se lenonibus, mimis, & meretricibus dederet, ac bona naturæ luxuriæ continuatione deperderet, ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, à Mœsiacis legionibus Imperator est dictus, ceteris Pannoniarum volentibus: neque in quoquam melius consultum Reipublicæ à militibus videbatur, quam quod instantibus Sarmatis creatus est Imperator, qui fessis rebus mederi sua virtute potuisset. Causa autem ipsi arripiendi tunc Imperii fuit, ne suspectus esset Imperatoribus, quod erat fortissimus ac Reipublicæ necessarius, & militibus (quod imperantes vehementer movet) acceptissimus. Sed Gallienus, ut erat nequam & perditus, ita etiam ubi necessitas coëgisset, velox, furibundus, ferus, vehemens, crudelis: denique Ingenuum conflictu habito vicit, eoque occiso, in omnes Mœsiacos, tam milites quam cives, asperrime sæviit: nec quemquam suæ crudelitatis exsortem reliquit: usqueadeo asper & truculentus, ut plerasque civitates vacuas à virili sexu relinqueret. Fertur sane idem Ingenuus civitate capta intrasse domum, in qua se pugione transfodit; atque ita vitam finisse, ne in tyranni crudelis potestatem veniret. Exstat sane epistola Gallieni, quam ad Celerem Verianum scripsit, qua ejus nimietas crudelitatis ostenditur: quam ego idcirco interposui, ut omnes intelligerent, hominem luxuriosum crudelissimum esse, si necessitas postulet. *Gallienus Veriano. Non mihi satisfacies, si tantum armatos occideris, quos & fors belli interimere potuisset. Perimendus est omnis sexus virilis, si & senes atque impuberes sine reprehensione nostra occidi possent. Occidendus est quicumque male voluit, occidendus est quicumque male dixit contra me, contra Valeriani filium, contra tot Principum patrem & fratrem. Ingenuus factus est Imperator. Lacera, occide, concide: animum meum intelligere potes, mea mente irascere, qui hæc manu mea scripsi.*

Prælio à Gallieno vincitur & occiditur. U. C. 1010. p. C. N. 258.

Gallieni crudelitas.

DE REGILLIANO, IX.

CAPUT X.

Regillianus IX triginta tyrannorum.

FAti publici fuit, ut Gallieni tempore quicumque potuit, ad Imperium prosiliret. Regillianus denique in Illyrico ducatum gerens, Imperator est factus, auctoribus Imperii Mœsis, qui cum Ingenuo fuerant ante superati; in quorum parentes graviter Gallienus sævierat. Hic tamen multa fortiter contra Sarmatas gessit: sed auctoribus Roxolanis, consentientibusque militibus, & timore provincialium, ne iterum Gallienus graviora faceret, interemptus est. Mirabile fortasse videatur, si, quæ origo Imperii ejus fuerit, declaretur. Militari enim joco regna promeruit. Nam cum milites quidam cum eo cœnarent, exstitit Valerianus tribunus qui diceret, *Regilliani nomen unde credimus dictum?* Alius continuo, *credimus quod à regno.* Tum is qui aderat scholasticus, cœpit quasi grammaticaliter declinare & dicere, *Rex, regis, regi, Regillianus.* Milites, ut est hominum genus pronum ad ea, quæ cogitant, dixerunt, *Ergo potest rex esse?* Item alius, *Ergo potest nos regere?* Item alius, *Deus tibi regis nomen imposuit.* Quid multa? His dictis, cum alia die mane processisset, à principibus Imperator est salutatus. Ita quod aliis vel audacia vel judicium detulit, huic jocularis astutia. Fuit, quod negari non potest, vir in militari re semper probatus, & Gallieno jam ante suspectus, quod dignus videretur Imperio: gentis Daciæ, Decibali ipsius (ut fertur) affinis. Exstat epistola Divi Claudii adhuc privati, qua Regilliano Illyrici duci gratias agit ob redditum Illyricum, cum omnia Gallieni segnitia deperirent: quam ego repertam in archivis, inserendam putavi: fuit enim publica. *Claudius Regilliano multam salutem. Felicem Rempublicam quæ te talem virum habere rei castrensis, bellis his, meruit, felicem Gallienum, etiamsi ei vera nemo nec de bonis, nec de malis nuntiat. Pertulerunt ad me Bonitus & Celsus stipatores Principis nostri, qualis apud Scupos in pugnando fueris, quot uno die prælia, & qua celeritate confeceris. Dignus eras triumpho, si antiqua tempora exstarent. Sed qui multa? Memor cujusdam ominis, cautius velim vincas. Arcus Sarmaticos & duo saga ad me velim mittas, sed fibulatoria, cum ipse miserim de nostris.* Hac epistola ostenditur, quid de Regilliano senserit Claudius, cujus gravissimum judicium suis temporibus fuisse, non dubium est. Nec à Gallieno quidem vir iste promotus est, sed à patre ejus Valeriano, & ut Claudius, & Macrianus, & Ingenuus, & Postumius, & Aureolus; qui omnes in Imperio interempti sunt, cum mererentur Imperium. Mirabile autem hoc fuit in Valeriano Principe, quod omnes quoscunque duces fecit, postea militum testimonio ad Imperium pervenerunt: ut appareat, senem Imperatorem in deligendis Reipublicæ ducibus talem fuisse, qualem Romana felicitas, si continuari fataliter potuisset, sub bono Principe requirebat. Et utinam vel illi qui arripuerant Imperia, regnare potuissent, vel ejus filius in Imperio diutius non fuisset, ut libere se in suo statu Respublica nostra tenuisset. Sed nimis sibi fortuna indulgendum putavit, quæ cum Valeriano & bonos Principes tulit, & Gallienum diutius quam oportebat, Reipublicæ reservavit.

Occiditur. U. C. 1011. p. C. N. 259.

Quo joco ad Imperium pervenit.

escribitur.

Divi Claudii epistola ad Regillianum.

Valerianus in deligendis ducibus diligentissimus.

DE AUREOLO, X.

CAPUT XI.

HIc quoque Illyricianos exercitus regens, in contemptum Gallieni, ut omnes eo tempore, coactus à militibus, sumpsit Imperium. Et cum Macrianus, cum filio suo Macriano, contra Gallienum veniret, cum plurimis exercitus ejus cepit; aliquos corruptos fidei suæ addixit. Et cum factus esset invalidus Imperator, cumque Gallienus expugnare virum fortem frustra tentasset, pacem cum eo contra Postumium pugnaturus fecit, quorum pleraque & dicta sunt & dicenda. Hunc eundem Aureolum Claudius, interfecto jam Gallieno, conflictu habito, apud eum pontem interemit, qui nunc *pons Aureoli* nuncupatur, atque illic, ut tyrannum, sepulcro humiliore donavit. Exstat etiam epigramma Græcum in hanc formam:

Aureolus X. triginta tyrannorum. U. C. 1012. p. C. N. 260.

A Claudio vincitur & occiditur. U. C. 1012. p. C. N. 260.

Donat sepulcro victor post multa tyranni
Prælia, jam felix Claudius Aureolum:
Munere prosequitur mortali, & jure, superstes
Vivere quem vellet, si pateretur amor
Militis egregii, vitam qui jure negavit
Omnibus indignis, & magis Aureolo:
Ille tamen clemens, qui corporis ultima servans,
Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.

Ejus Epitaphium.

Hos ego versus, à quodam grammatico translatos, ita posui, ut fidem servarem; non quo melius non potuerint transferri, sed ut fidelitas historica servaretur, quam ego præ ceteris custodiendam putavi, qui id quod ad eloquentiam pertinet, nihil curo. Rem enim vobis proposui deferre, non verba: maxime tanta rerum copia, ut triginta tyrannorum simul vitas scribendas accesserim.

DE

DE MACRIANO, [20] XI.

CAPUT XII.

Capto Valeriano de Principe eligendo consultant.

CApto Valeriano, diu clarissimo Principe civilitatis, fortissimo deinde Imperatore, ad postremum omnium infelicissimo, vel quod senex apud Persas consenuit, vel quod indignos se posteros dereliquit; cum Gallienum contemnendum Balista præfectus Valeriani, & Macrianus primus ducum intelligerent, quærentibus etiam militibus Principem, unum in locum concesserunt, quærentes quid faciendum esset. Tuncque constitit, Gallieno longe posito, Aureolo usurpante Imperium, debere aliquem Principem fieri, & quidem optimum, ne quispiam tyrannus exsisteret. Verba igitur Balistæ (quantum Mæonius Astyanax, qui consilio interfuit, asserit) hæc fuerunt: *Mea ætas & professio & voluntas, longe ab Imperio absunt; & ego, quod negare non possum, bonum Principem quæro. Sed quis tandem est, qui Valeriani locum possit implere? nisi talis, qualis tu es, Macriane, fortis, constans, integer, probatus in Republica, &, quod maxime ad Imperium pertinet, dives. Arripe igitur locum meritis tuis debitum. Me præfecto, quamdiu voles uteris; tu cum Republica tantum bene agas; ut te Romanus orbis factum Principem gaudeat.* Ad hæc Macrianus, *Fateor, Balista, Imperium prudenti non frustra est. Volo enim Reipublicæ subvenire, atque illam pestem à legum gubernaculis dimovere: sed non hoc in me ætatis est. Senex sum, ad exemplum equitare non possum. Lavandum est mihi frequentius, edendum delicatius. Divitiæ me jam dudum ab usu militiæ retraxerunt. Juvenes aliqui sunt quærendi, nec unus, sed duo vel tres fortissimi, qui ex diversis partibus orbis Romani Rempublicam restituant, quam Valerianus fato, Gallienus vitæ suæ genere perdiderunt.* Post hæc intellexit cum Balista sic agere, ut de filiis suis videretur cogitare: atque adeo sic aggressus est: *Prudentiæ tuæ Rempublicam tradimus. Da igitur liberos tuos Macrianum & Quietum fortissimos juvenes, olim tribunos à Valeriano factos; qui Gallieno imperante, quod boni sunt, salvi esse non possunt.* Tunc ille, ubi intellectum se esse comperit, *Do,* inquit, *manus; de meo stipendium militi duplex daturus: tu tantum præfecti mihi studium & annonam in necessariis locis præbe. Jam ego faxim, ut Gallienus, fordidissimus feminarum omnium, Duces sui parentis intelligat.* Factus est igitur cum Macriano & Quieto duobus filiis, cunctis militibus volentibus, Imperator: ac statim contra Gallienum venire cœpit, utcumque rebus in Oriente derelictis. Sed cum quadraginta quinque millia militum secum duceret, in Illyrico vel in Thraciarum extremis congressus cum Aureolo, victus & cum filio interemptus est. Trigina denique millia militum in Aureoli potestatem concessere. Domitianus autem eundem vicit, dux Aureoli fortissimus & vehementissimus; qui se originem diceret à Domitiano Imperatore trahere atque à Domitilla. De Macriano autem nefas mihi videtur judicium Valeriani præterire, quod ille in oratione sua, quam ad Senatum è Persidis finibus miserat, posuit. Inter cetera ex oratione Divi Valeriani: *Ego, Patres Conscripti, bellum Persicum gerens, Macriano totam Rempublicam credidi quidem, à parte militari. Ille vobis fidelis, ille mihi devotus, illum & amat & timet miles. Utcumque res exegerit, cum exercitibus agit. Nec, Patres Conscripti, nova vel inopinata nobis sunt; pueri ejus virtus in Italia, adolescentis in Gallia, juvenis in Thracia, in Africa jam provecti, senescentis denique in Illyrico & Dalmatia comprobata est, cum in diversis prœliis ad exemplum fortiter faceret. Huc accedit, quod habet juvenes filios, Romano dignos collegio, nostra dignos amicitia,* & reliqua.

Balista.

Et Macrianus, qui Imperium recusat.

Sed cum filiis Imperator fit. U.C.1013. p. C.N. 261.

Cum filio ab Aureolo captus & occisus. U.C.1014. p. C.N. 262.

Judicium Valeriani de Macriano.

DE MACRIANO JUNIORE, [21] XII.

CAPUT XIII.

Macrianus Junior, XII. triginta tyrannorum.

MUlta de hoc in patris Imperio prælibata sunt, qui numquam Imperator factus esset, nisi prudentiæ patris ejus creditum videretur. De hoc plane multa miranda dicuntur, quæ ad fortitudinem pertineant juvenilis ætatis. Sed ad facta, aut quantum in bellis, minus valet fortitudo. Hic enim vehemens cum prudentissimo patre, cujus merito imperare cœperat, à Domitiano victus, triginta (ut superius dixi) millibus militum spoliatus est: matre nobili, patre tantum forti & ad bellum parato, atque ab ultima militia in summum perveniente ducatum, & splendore sublimi.

A Domitiano victus & occisus. U.C.1014. p. C. N. 262.

(20) De Macriano) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 388. vide Tab. LXII. num. 6.

(21) De Macriano Juniore) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 388. vide Tab. LXII. num. 7.

DE QUIETO, (22) XIII.

CAPUT XIV.

Quietus XIII. triginta tyrannorum. U. C. 1013. p. C. N. 261.

HIc ut diximus, Macriani filius fuit: cum patre & fratre, Balistæ judicio, Imperator est factus. Sed ubi comperit Odenatus, qui olim jam Orientem tenebat, ab Aureolo Macrianum patrem, Quietum & ejus fratrem Macrianum victos, milites in ejus potestatem concessisse; quasi Gallieni partes vindicaret, adolescentem cum Balista præfecto dudum interemit. Idem quoque adolescens dignissimus Romano Imperio fuit, ut fere Macriani filius, & Macrianus etiam frater: qui duo afflictis rebus potuerunt Rempublicam gerere. Videtur mihi non prætermittendum de Macrianorum familia, quæ hodieque floret, id dicere, quod speciale semper habuerunt. Alexandrum Magnum Macedonem, viri in auro & argento, mulieres & in reticulis & dextrocheriis, & in anulis, & in omni ornamentorum genere, exsculptum semper habuerunt: eousque ut tunicæ & limbi & pænulæ matronales in familia ejus hodieque sint, quæ Alexandri effigiem deliciis variantibus monstrent. Vidimus proxime Cornelium Macrum in eadem familia virum, cum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam contineret, signis brevibus & minutulis, Pontifici propinare: quam quidem circumferri ad omnes tanti illius viri cupidissimos jussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento.

Macrianorum familia Alexandri Magni imaginem vel ut insigne gerit.

DE ODENATO, XIV.

CAPUT XV.

OdenatusXIV. triginta tyrannorum. U. C. 1019. p. C. N. 267.

NIsi Odenatus princeps Palmyrenorum, capto Valeriano, fessis Romanæ Reipublicæ viribus, sumpsisset Imperium, in Oriente res perditæ essent. Quare assumpto nomine primum regali, cum uxore Zenobia, & filio majore, cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano & Timolao, collecto exercitu contra Persas profectus est. Nisibin primum & Orientis pleraque, cum omni Mesopotamia, in potestatem recepit: deinde ipsum regem victum fugere coëgit: postremo Ctesiphonta usque, Saporem & ejus liberos persequutus, captis concubinis, capta etiam magna præda, ad Orientem vertit, sperans quod Macrianum, qui imperare contra Gallienum cœperat, posset opprimere. Sed illo jam profecto contra Aureolum & contra Gallienum, eo interempto, filium Quietum interfecit, Balista (ut plerique asserunt) regnum usurpante, ne & ipse posset occidi. Composito igitur magna ex parte Orientis statu, à consobrino suo Mæonio, qui & ipse Imperium sumpserat, interemptus est cum filio suo Herode, qui & ipse, post reditum de Perside, cum patre Imperator est appellatus. Iratum fuisse Reipublicæ Deum credo, qui interfecto Valeriano, noluit Odenatum reservare. Ille plane cum uxore Zenobia, non solum Orientem, quem jam in pristinum reformaverat statum, sed omnes omnino totius orbis partes reformasset, vir acer in bellis, & quantum plerique scriptores loquuntur, venatu memorabili semper inclytus; qui a prima ætate capiendis leonibus & pardis, ursis, ceterisque silvestribus animalibus, sudorem officii virilis impendit; quique semper in silvis ac montibus vixit, perferens calorem, pluvias, & omnia mala quæ in se continent venatoriæ voluptates: quibus duratus, solem ac pulverem in bellis Persicis tulit: non aliter etiam conjuge assueta, quæ multorum sententia, fortior marito fuisse perhibetur: mulier omnium nobilissima Orientalium feminarum, & (ut Cornelius Capitolinus asserit) speciosissima.

Contra Persas rem feliciter gerit.

Consobrini sui insidiis occiditur.

Odenatus describitur.

Zenobia uxor Odenati etiam marito fortior.

DE HERODE, (23) XV.

CAPUT XVI.

Herodes XV. triginta tyrannorum describitur. U. C. 1018. p. C. N. 266.

NOn Zenobia matre, sed priore uxore genitus, Herodes, cum patre accepit Imperium, homo omnium delicatissimus, & prorsus Orientalis & Græcæ luxuriæ, cui erant sigillata tentoria, & aureati papiliones, & omnia Persica. Denique, ingenio ejus usus, Odenatus quidquid concubinarum regalium, quidquid divitiarum gemmarumque cepit, eidem tradidit, paternæ indulgentiæ affectione permotus. Et erat circa illum Zenobia novercali animo; qua re commendabiliorem patri eum fecerat: neque plura sunt quæ de Herode dicantur.

(22) De Quieto) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 389. vide Tab. LXII. num. 8.
(23) De Herode) Herodis sive Herodiani vultum ex MEDIOBARB. pag. 385. vide Tab. LXIII. num. 1.

DE MÆONIO, XVI.

CAPUT XVII.

Mæonius, XVI. triginta tyrannorum.

HIc consobrinus Odenati fuit: nec ulla re alia ductus nisi damnabili invidia, Imperatorem optimum interemit; cum ei nihil aliud objiceretur præter filii Herodis delicias. Dicitur autem primum cum Zenobia consensisse, quæ ferre non poterat, ut privignus ejus Herodes priore loco quam filii ejus Herennianus & Timolaus, Principes dicerentur. Sed hic quoque spurcissimus fuit. Quare Imperator appellatus per errorem, brevi à militibus pro suæ luxuriæ meritis interemptus est.

A militibus intermitur. U. C. 1018. p. C. N. 266.

DE BALISTA, XVII.

CAPUT XVIII.

Balista, XVII. triginta tyrannorum. U. C. 1014. p. C. N. 262.

DE hoc, utrum imperaverit, scriptores inter se ambigunt. Multi enim dicunt, Quieto per Odenatum occiso, Balistæ veniam datam: tamen eum imperasse, quod nec Gallieno, nec Aureolo, nec Odenato se crederet. Alii asserunt, privatum eum, in agro suo, quem apud Daphnen sibi compararat, interemptum. Multi, & sumpsisse illum purpuram, & more Romano imperasse, exercitum duxisse, & de se plura promisisse dixerunt: occisum autem per hos quos Aureolus miserat ad comprehendendum Quietum Macriani filium, quem prædam suam esse dicebat. Fuit vir insignis, eruditus ad gerendam Rempublicam, in consiliis vehemens, in expeditionibus clarus, in provisione annonaria singularis: Valeriano sic acceptus, ut eum quibusdam litteris hoc testimonio prosequutus sit: *Valerianus Ragonio Claro præfecto Illyrici & Galliarum. Si quid in te bonæ frugis est, quam esse scio, parens Clare, dispositionem Balistæ prosequere. Hac in forma Rempublicam vides, ut nec ille provinciales gravet, ut illic equos contineat, ubi sunt pabula; illic annonas militum mandet, ubi sunt frumenta; non provincialem, non possessorem cogat, illic frumenta, ubi non habet, dare; illic equum, ubi non potest, pascere: nec est ulla alia provisio melior, quam ut in locis suis erogentur, quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumptibus Rempublicam gravent. Galatia frumentis abundat, referta est Thracia. Plenum est Illyricum: illic pedites collocentur. Quamquam in Thracia etiam equites, sine noxa provincialium, hiemare possint. Multum enim ex campis fœni colligitur. Jam ubi laridum, jam ceteræ species, in his dandæ sunt locis, in quibus affatim redundant. Quæ omnia sunt Balistæ consilia, qui ex quaque provincia unam tantum speciem præberi jussit, quod ea redundaret, atque ab ea milites submoveri: id quod publicitus est decretum.* Est & alia ejus epistola qua gratias Balistæ agit: in qua docet sibi præcepta gubernandæ Reipublicæ ab eodem data: gaudens quod ejus consilio nullum adscriptitium, id est vacantem, haberet, & tribunum nullum stipatorem, qui non vere pugnaret. Hic igitur vir in tentorio suo cubans, à quodam gregario milite Odenati, in Gallieni gratiam, dicitur interemptus. De quo ipse vera non satis comperi, idcirco quod scriptores temporum, de hujus præfectura multa, de Imperio pauca dixerunt.

Describitur.

Valeriani testimonium de Balista.

Cui dederat præcepta gubernandæ reipublicæ.

Occiditur. U. C. 1014. p. C. N. 262.

DE VALENTE, XVIII.

CAPUT XIX.

Valens, XVIII. triginta tyrannorum. U. C. 1013. p. C. N. 261.

HIc vir militaris, simul etiam civilium virtutum gloria pollens, proconsulatum Achaiæ, dato à Gallieno tunc honore, gubernabat: quem Macrianus vehementer reformidans; simul quod in omni genere vitæ satis clarum norat, simul quod inimicum sibi esse invidia virtutum sciebat, misso Pisone nobilissimæ tunc & consularis familiæ viro, interfici præcepit. Valens diligentissime cavens & providens, neque aliter sibi posse, subveniri existimans, sumpsit Imperium, & brevi à militibus interemptus est.

A militibus interemptus.

DE VALENTE SUPERIORE, XIX.

CAPUT XX.

Valens Superior, XIX. triginta tyrannorum. U. C. 1013. p. C. N. 261.

FUit & VALENS SUPERIOR; & bene venit in mentem, ut cum de hoc Valente loquimur, etiam de illo Valente qui superiorum Principum temporibus interemptus est, aliquid dicamus. Nam hujus Valentis, qui sub Gallieno imperavit, avunculus magnus fuisse perhibetur. Alii tantum avunculum dicunt. Sed par in ambobus fuit fortuna. Nam & ille, cum paucis diebus Illyrico imperasset, occisus est.

Occiditur.

DE

DE PISONE, XX.

CAPUT XXI.

Piso, XX. triginta tyrannorum. U. C. 1013. p. C. N. 261.

HIc à Macriano ad interficiendum Valentem missus, ubi eum providum futurorum imperare cognovit, Thessaliam concessit, atque illic paucis sibi consentientibus sumpsit Imperium, *Thessalicusque* appellatus, interemptus est; vir summæ sanctitatis, & temporibus suis *Frugi* dictus, & qui ex illa Pisonum familia ducere originem diceretur, cui se Cicero nobilitandi causa, sociaverat. Hic omnibus Principibus acceptissimus fuit. Ipse denique Valens, qui ad eum percussores misisse perhibetur, dixisse dicitur, non sibi apud deos inferos constare rationem, quod, quamvis hostem suum, Pisonem tamen jussisset occidi, virum, cui similem Romana Respublica tunc non haberet. Senatusconsultum de Pisone factum, ad noscendam ejus majestatem, libenter inserui. Die septimo Kalendas Julias, cum esset nuntiatum Pisonem à Valente interemptum, ipsum Valentem à suis occisum, Aurelius Fiscus, consularis primæ sententiæ, qui in locum Valeriani successerat, ait, *Consul consule.* Cumque consultus esset. *Divinos*, inquit, *honores Pisoni decerno, Patres Conscripti: Gallienum, & Valerianum, & Saloninum Imperatores nostros esse confido. Neque enim melior vir quisquam fuit, neque constantior.* Post quem ceteri consulti, statuam inter triumphales, & currus quadrijugos Pisoni decreverunt. Sed statua ejus videtur. Quadrigæ autem quæ decretæ fuerant, quasi transferendæ ad alium, positæ sunt, nec adhuc redditæ. Nam in his locis fuerunt positæ, in quibus thermæ Diocletianæ sunt exædificatæ, tam æterni nominis quam sacrati.

à Valente interimitur.

Et ab ipso laudatur.

Divini honores Pisoni decreti.

DE ÆMILIANO, (24.) XXI.

CAPUT XXII.

Ægyptii furiosi & ad seditiones proni.

ET hoc familiare est populo Ægyptiorum, ut vel furiosi ac dementes, de levibus quibusque ad summæ Reipublicæ pericula perducantur. Sæpe illi ob neglectas salutationes, locum in balneis non concessum, carnem & olera sequestrata, calciamenta servilia, & cetera talia, usque ad summum Reipublicæ periculum seditionis, ita ut armarentur contra eos exercitus, pervenerunt. Familiari ergo sibi furore, cum quodam die cujusdam servus curatoris, qui Alexandriam tunc regebat, militarie ob hoc cæsus esset, quod crepidas suas meliores esse quam militis diceret; collecta multitudo ad domum Æmiliani ducis anceps venit, atque eum omni seditionum instrumento & furore persequuta est. Ictus est lapidibus, petitus est ferro: nec defuit ullum seditionis telum. Qua re coactus Æmilianus sumpsit Imperium, cum sciret sibi undecumque pereundem. Consenserunt ei Ægyptiacus exercitus, maxime in Gallieni odium. Nec ejus ad regendam Rempublicam vigor defuit. Nam Thebaidem totamque Ægyptum peragravit, &, quatenus potuit, barbarorum gentes forti auctoritate submovit. Denique *ALEXANDER* vel *ALEXANDRINUS* (nam incertum id quoque habetur) virtutum merito vocatus est. Et cum contra Indos pararet expeditionem, misso Theodoto duce, Gallieno jubente, dedit pœnas: siquidem strangulatus in carcere captivorum veterum more perhibetur. Tacendum esse non credo, quod cum de Ægypto loquor, verus suggessit historia, simul etiam Gallieni factum: qui cum Theodoto vellet Imperium proconsulare decernere, à sacerdotibus est prohibitus, qui dixerunt fasces consulares ingredi Alexandriam non licere. Cujus rei etiam Ciceronem, cum contra Gabinium loquitur, meminisse satis novimus. Denique non exstat memoria rei frequentatæ. Quare scire oportet, Herennium Celsum vestrum parentem, dum consulatum cupit, hoc quod desiderat, non licere. Fertur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis esse litteris scriptum, *tunc demum Ægyptum liberam fore, cum in eam venissent Romani fasces, & prætexta Romanorum.* Quod apud Proculum grammaticum, doctissimum sui temporis virum, cum de peregrinis regionibus loquitur, invenitur.

Æmilianus male habitur à seditiosis Ægyptiis.

Suscipere Imperium cogitur. U. C. 1013. p. C. N. 261.

Alexandrinus appellatus.

Strangulatus in carcere. U. C. 1013. p. C. N. 261.

Alexandriam ingredi fasces consulares non licet.

DE SATURNINO, XXII.

CAPUT XXIII.

Saturninus, XXII. triginta tyrannorum.

OPtimus ducum Gallieni temporibus, sed à Valeriano dilectus, Saturninus fuit. Hic quoque cum dissolutionem Gallieni, pernoctantis in publico, fere non posset, & milites non exemplo Imperatoris sui, sed suo regeret, ab exercitibus sumpsit Imperium vir pru-

(24) De Æmiliano) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 390. vide Tab. LXIII. num. 2.

prudentiæ singularis, gravitatis insignis, vitæ amabilis, victoriarum barbaris etiam ubique notarum. Hic, ea die, qua est amictus à militibus peplo imperatorio, concione adhibita, dixisse fertur, *Commilitones, bonum Ducem perdidistis, & malum Principem fecistis.* Denique cum multa strenue in Imperio fecisset; quod esset severior & gravior militibus, ab iisdem ipsis, à quibus factus fuerat, interemptus est. Hujus insigne est, quod convivio discumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum sagis jussit, hieme gravibus, æstate perlucidis.

Ob severitatem occiditur. U. C. 1015. p. C. N. 263.

DE TETRICO SENIORE, XXIII.

CAPUT XXIV.

INterfecto Victorino & ejus filio, mater ejus Victoria sive Victorina, Tetricum Senatorem Populi Romani præsidatum in Gallia regentem, ad Imperium hortata, quod ejus erat, ut plerique loquuntur, affinis, Augustum appellari fecit, filiumque ejus Cæsarem nuncupavit. Et cum multa Tetricus feliciter egisset, diuque imperasset, ab Aureliano victus, cum militum suorum impudentiam & procacitatem ferre non posset, volens se gravissimo Principi & severissimo dedit. Versus denique illius fertur, quem statim ad Aurelianum scripserat,

Eripe me his, invicte, malis.

Quare cum Aurelianus nihil simplex neque mite aut tranquillum facile cogitaret, Senatorem Populi Romani eundemque consularem, qui jure præsidiali omnes Gallias rexerat, per triumphum duxit, eodem tempore, quo & Zenobiam Odenati uxorem, cum filiis minoribus Odenati, Herenniano, & Timolao. Pudore tamen victus vir nimium severus, eum quem triumphaverat, correctorem totius Italiæ fecit, id est, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, atque Umbriæ, Piceni, & Flaminiæ, omnisque Annonariæ regionis: ac Tetricum, non solum vivere, sed etiam in summa dignitate manere passus est; cum illum sæpe collegam, nonnumquam commilitonem, aliquando etiam Imperatorem appellaret.

Tetricus senior, XXIII. triginta tyrannorum. U. C. 1020. p. C. N. 268.

Aureliano deditur. U. C. 1026. p. C. N. 274.

Et in triumpho ducitur.

Italiæ corrector factus.

DE TETRICO IUNIORE, XXIV.

CAPUT XXV.

HIc puerulus à Victoria Cæsar est appellatus, cum illa MATER CASTRORUM ab exercitu nuncupata esset, qui & ipse cum patre per triumphum ductus, postea omnibus senatoriis honoribus functus est, illibato patrimonio, quod quidem ad suos posteros misit, ut Gellius Fuscus dicit, semper insignis. Narrabat avus meus, hunc sibi familiarem fuisse, neque quemquam illi ab Aureliano, aut postea ab illis Principibus, esse prælatum. Tetricorum domus hodieque exstat in monte Cœlio, inter duos lucos contra Isium Metellinum, pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, utrique prætextam tribuens & Senatoriam dignitatem; accipiens ab his sceptrum, coronam civicam picturatam de museo. Quam cum dedicasset, Aurelianum ipsum dicuntur duo Tetrici adhibuisse convivio.

Tetricus junior XXIV. trigint a tyrannorum, U. C. 1020. p. C. N. 268.

Tetricorum domus.

DE TREBELLIANO, (25.) XXV.

CAPUT XXVI.

PUdet jam persequi quanti sub Gallieno fuerunt tyranni, vitio pestis illius: siquidem erat in eo ea luxuria, ut rebelles plurimos mereretur: & ea crudelitas, ut jure timeretur. Quare & Trebellianum factum in Isauria Principem, ipsis Isauris sibi ducem quærentibus; quem cum alii archipiratam vocassent, ipse se Imperatorem appellavit. Monetam etiam cudi jussit, Palatium in arce Isauriæ constituit: qui quidem cum se in intima & tuta Isaurorum loca, munitus difficultatibus locorum & montibus contulisset, aliquamdiu apud Cilicas imperavit. Sed per Gallieni ducem Causisoleum natione Ægyptium, fratrem Theodoti, qui Æmilianum ceperat, ad campum deductus, victus est & occisus. Neque tamen postea Isauri, timore ne in eos Gallienus sæviret, ad æqualitatem perduci quavis Principum humanitate potuerunt. Denique post Trebellianum pro barbaris habentur; &, cum in medio Romani nominis solo, regio eorum sit, novo genere custodiarum, quasi limes includitur, locis defensa non hominibus. Nam non sunt statura decori, non virtute graves, non instructi armis, non consiliis prudentes, sed hoc solo securi, quod in editis positi adiri nequeunt: quos quidem Divus Claudius pæne ad hoc perduxerat; ut à suis semotos locis in Cilicia collocaret; daturus uni ex amicissimis omnem Isaurorum possessionem, ne quid ex ea postea rebellionis oriretur.

Trebellianus, XXV. triginta tyrannorum. U. C. 1015. p. C. N. 263.

A Causisoleo Gallieni duce victus & occisus. U. C. 1016. p. C. N. 264.

Isauri describuntur.

(25.) De Trebelliano) Hujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 390. vide Tab. LXIII. num. 3.

DE HERENNIANO, XXVI.

CAPUT XXVII.

Herennianus XXVI. triginta tyrannorum. U. C. 1025. p. C. N. 273.

ODenatus moriens duos parvulos reliquit, Herennianum, & fratrem ejus Timolaum: quorum nomine Zenobia, usurpato sibi Imperio, diutius quam feminam decuit, Rempublicam obtinuit, parvulos Romani Imperatoris habitu proferens purpuratos, eosdemque adhibens concionibus; quas illa viriliter frequentavit: Didonem, & Semiramidem, & Cleopatram sui generis Principem, inter cetera prædicans. Sed de eorum exitu incertum est. Multi enim dicunt, eos ab Aureliano interemptos, multi, morte sua esse consumptos: siquidem Zenobiæ posteri etiam nunc Romæ inter nobiles manent.

Exitus ejus incertus.

DE TIMOLAO, XXVII.

CAPUT XXVIII.

Timolaus, XXVII. triginta tyrannorum. U. C. 1025. p. C. N. 273.

DE hoc, ea putamus digna notatione, quæ de fratre sunt digna. Unum tamen est, quod eum à fratre separat, quod tanti fuit ardoris ad studia Romana, ut brevi consequutus, quæ insinuaverat grammaticus, esse dicatur: potuisse quinetiam summum Latinorum rhetorem facere.

Summus Latinorum rhetor.

DE CELSO, XXVIII.

CAPUT XXIX.

OCcupatis partibus Gallicanis, Orientalibus, quinetiam Ponti, Thraciarum, & Illyrici, dum Gallienus popinatur, & balneis ac lenonibus deputat vitam: Afri quoque auctore Vibio Passieno, proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano duce limitis Libyci, Celsum Imperatorem appellaverunt, peplo deæ Cœlestis ornatum. Hic, privatus ex tribunis, in Africa positus, in agris suis vivebat, sed ea justitia, & corporis magnitudine, ut dignus videretur Imperio. Quare creatus per quandam mulierem, Gallienam nomine, consobrinam Gallieni, septimo Imperii die interemptus est, atque adeo etiam inter obscuros principes vix relatum est. Corpus ejus à canibus consumptus est, Siccensibus, qui Gallieno fidem servaverant, perurgentibus: & novo injuriæ genere, imago in crucem sublata, persultante vulgo, quasi patibulo ipse Celsus videretur affixus.

Celsus, XXVIII. triginta tyrannorum. U. C. 1015. p. C. N. 263.

Septimo Imperii die interemptus.

DE ZENOBIA, (26) XXIX.

CAPUT XXX.

Zenobia, XXIX. è triginta tyrannis. U. C. 1019. p. C. N. 267.

OMnis jam consumptus est pudor: siquidem fatigata Republica, eousque perventum est, ut Gallieno nequissime agente, optime etiam mulieres imperarent. Et quidem peregrina, nomine Zenobia, de qua jam multa dicta sunt, quæ se de Cleopatrarum Prolemæorumque tente jactaret, post Odenatum maritum, imperiali sagulo perfuso per humeros habitu, donis ornata, (y) diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani & Timolai, diutius quam femineus sexus patiebatur, imperavit. Siquidem Gallieno adhuc regente Rempublicam regale mulier superba munus obtinuit; & Claudio bellis Gothicis occupato; vix denique ab Aureliano victa & triumphata, concessit in jura Romana. Exstat epistola Aureliani, quæ captivæ mulieri testimonium fert. Nam cum à quibusdam reprehenderetur, quod mulierem, veluti ducem aliquem, vir fortissimus, triumphasset, missis ad Senatum Populumque Romanum litteris, hac se attestatione defendit, *Audio, Patres Conscripti, mihi objici, quod non virile munus impleverim, Zenobiam triumphando. Næilli, qui me reprehendunt, satis laudarent, si scirent, qualis illa est mulier, quam prudens in consiliis, quam constans in dispositionibus, quam erga milites gravis, quam larga cum necessitas postulet, quam tristis cum severitas poscat. Possum dicere, illius esse, quod Odenatus Persas vicit, ac fugato Sapore Ctesiphontem usque pervenit. Possum asserere, tanto apud Orientales & Ægyptiorum populos timori mulierem fuisse, ut se non Arabes, non Saraceni, non Armenii commoverent. Nec ego illi vitam conservassem, nisi eam scissem multum Romana Reipublicæ profuisse, cum sibi, vel liberis suis, Orientis servaret Imperium. Sibi ergo habeant propriarum venena linguarum hi, quibus nihil placet. Nam si vicisse ac triumphasse feminam, non est decorum; quid de Gallieno loquuntur, in cujus contemptum hæc bene rexit Imperium? quid de Divo Claudio, sancto ac venerabili duce? qui eam, quod*

Ab Aureliano victa & triumphata. U. C. 1026. p. C. N. 274.

Litteræ Aureliani ad Senatum de Zenobia triumphanda.

(y) al. Habitu Didonis ornata.

(26.) De Zenobia) Zenobiæ hujus vultum exhibemus ex delineatione D. de KLETTENBERG. Tab. LXIII. num. 4.

quod ipse Gothicis esset expeditionibus occupatus, passus esse dicitur imperare; idque occulte ac prudenter; ut illa servante Orientalis fines Imperii, ipse securius quæ instituerat perpetraret. Hæc oratio indicat, quid judicii Aurelianus habuerit de Zenobia: cujus ea castitas fuisse dicitur, ut ne virum suum quidem sciret, nisi tentatis conceptionibus. Nam cum semel concubuisset, exspectatis menstruis continebat se, si prægnans esset: sin minus, iterum potestatem quærendis liberis dabat. Vixit regali pompa, more magis Persico. Adorata est more regum Persarum. Convivata est Imperatorum more Romanorum. Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per ultimam fimbriam; media etiam cyclade veluti fibula muliebri adstricta, brachio sæpe nudo. Fuit vultu subaquilo, fusci coloris, oculis supra modum vigentibus, nigris, spiritus divini, venustatis incredibilis: tantus candor in dentibus, ut margaritas eam plerique putarent habere, non dentes. Vox clara & virilis: severitas, ubi necessitas postulabat, tyrannorum: bonorum principum clementia, ubi pietas requirebat. Larga prudenter, conservatrix thesaurorum, ultra femineum modum. Usa vehiculo carpentario, raro pilento, equo sæpius. Fertur autem, vel tria vel quatuor milliaria frequenter cum peditibus ambulasse. Nata est Hispanorum cupiditate: bibit sæpe cum ducibus: cum esset alias sobria: bibit etiam cum Persis atque Armeniis, ut eos vinceret. Usa est vasis aureis gemmatis ad convivia, quibus & Cleopatra usa est. In ministerio eunuchos gravioris ætatis habuit, puellas nimis raras. Filios Latine loqui jusserat, adeo ut Græce vel difficile raro loquerentur. Ipsa Latini sermonis non usque quaque ignara, sed ut loqueretur, pudore cohibita: loquebatur & Ægyptiace ad perfectum modum. Historiæ Alexandrinæ atque Orientalis ita perita, ut eam epitomasse dicatur: Latinam autem Græce legerat. Cum illam Aurelianus cepisset, atque in conspectum suum ductam sic appellasset, *Quid ô Zenobia ausa es insultare Romanis Imperatoribus?* Illa dixisse fertur, *Imperatorem te esse cognosco, qui vincis; Gallienum & Aureolum, & ceteros, Principes non putavi. Victoriam mei similem credens, in consortium regni venire, si facultas locorum pateretur, optavi.* Ducta est igitur per triumphum, ea specie, ut nihil pompabilius Populo Romano videretur. Jam primum ornata gemmis ingentibus, ita ut ornamentorum onere laboraret. Fertur enim mulier fortissima sæpissime restitisse, cum diceret se gemmarum onera ferre non posse. Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis: nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat. Huic ab Aureliano vivere concessum est. Ferturque vixisse cum liberis, matronæ jam more Romanæ, data sibi possessione in Tiburti, quæ hodieque Zenobia dicitur, non longe ab Hadriani palatio, atque ab eo loco cui nomen est Conchæ.

[Marginalia: Zenobiæ castitas. — Ejus Pompa. — Forma corporis. — Mores. — Eruditio. — Ejus ad Aurelianum dictum magnanimum. — Cum filiis ab Aureliano in triumpho ducta. U. C. 1026. p. C. N. 274.]

DE VICTORIA, XXX.

CAPUT XXXI.

Non tam digna res erat ut etiam Victorina, sive Victoria, in litteras mitteretur, nisi Gallieni mores hoc facerent, ut memoria dignæ etiam mulieres censerentur. Victoria enim, ubi filium ac nepotem à militibus vidit occisos, Postumium, deinde Lollianum, Marium etiam, quem Principem milites nuncuparunt, interemptos, Tetricum (de quo superius dictum est) ad Imperium hortata est, ut virile semper facinus auderet. Insignita est præterea hoc titulo, ut CASTRORUM se diceret MATREM. Cusi sunt ejus nummi ærei, aurei, & argentei, quorum hodieque forma exstat apud Treviros, quæ quidem non diutius vixit. Nam Tetrico imperante, ut plerique loquuntur, occisa: ut alii asserunt, fatali necessitate consumpta.

Hæc sunt quæ de triginta tyrannis dicenda videbantur: quos ego in unum volumen idcirco contuli, ne, si de singulis singula quæque narrarem, nascerentur indigna fastidia, & ea quæ ferre lector non posset. Studiose in medio feminas posui ad ludibrium Gallieni, quo nihil prodigiosius passa est respublica Romana. Duos etiam nunc tyrannos, quasi extra numerum: (quod alieni essent temporis) additurus: unum, qui fuit Maximini temporibus, alterum, qui Claudii: ut tyrannorum triginta viri hoc volumine tenerentur. Quæso qui expletum jam librum acceperas, boni consulas, atque hos volumini tuo volens addas: quos ego, quemadmodum Valentem superiorem huic Volumini, sic post Claudium & Aurelianum his qui inter Tacitum & Diocletianum fuerunt, addere destinaveram. Sed errorem meum major historiæ diligentia tuæ eruditionis avertit. Habeo igitur gratiam, quod titulum meum prudentiæ tuæ benignitas implevit. Nemo in templo Pacis dicturus est, me feminas inter tyrannos, cum risu & joco, tyrannas videlicet & tyrannides, ut ipsi de me solent jactare posuisse. Habent integrum numerum ex arcanis historiæ in meas litteras datum. Titus enim & Censorinus, quorum unus, ut dixi, sub Maximino, alter sub Claudio fuit, ambo ab iisdem militibus, à quibus purpura velati fuerunt, interempti sunt.

[Marginalia: Victoria XXX. è Triginta tyrannis. U. C. 1020. p. C. N. 268. — Tetricum ad Imperium suscipiendum hortatur. — Victoria occiditur. — Conclusio libelli de triginta tyrannis. — Quibus adduntur duo alieni temporis.]

(27.) De Victoria) Hujus Vultum ex MEDIOBARB. pag. 399. vide Tab. LXIII. num. 5.

DE TITO. (28.)

CAPUT XXXII.

Titus contra Maximinum coactus Imperium suscipit. U. C. 987. p. C. N. 235.

DOcet Dexippus, nec Herodianus tacet, omnesque qui talia legenda posteris tradiderunt, Titum tribunum Maurorum, qui à Maximino inter privatos relictus fuerat, timore violentæ mortis, ut alii dicunt, invitum vero, & à militibus coactum, ut plerique asserunt, imperasse. Atque hunc, intra paucos dies, post vindicatam defectionem, quam consularis vir Magnus Maximino paraverat, à suis militibus interemptum.

Interimitur. Describitur.

Imperasse autem mensibus sex. Fuit hic vir de primis erga Rempublicam domi forisque laudabilis: sed Imperio parum felix. Alii dicunt, ab Armeniis sagittariis, quos Maximinus, & oderat & offenderat, Principem factum. Nec mireris tantum esse varietatem de homine, cujus vix nomen agnoscitur. Hujus uxor Calpurnia fuit, sancta & venerabilis femina, de genere Cæsoniorum, id est Pisonum, quam majores nostri univiriam sacerdotem, inter sacratissimas feminas adorarunt: cujus statuam in templo Veneris adhuc videmus Argolicam, sed auratam. Hæc uniones Cleopatranas habuisse perhibetur: hæc lancem centum librarum argenti, cujus plerique Poëtæ meminerunt, in qua majorum ejus expressa ostenderetur historia.

Calpurnia Titi uxor.

Longius mihi videor processisse quam res postulabat: sed quid faciam? omnis scientia naturæ facilitate verbosa est. Quare ad Censorinum revertar, hominem nobilem: sed qui non tam bono quam malo Reipublicæ, septem diebus dicitur imperasse.

Transitio ad Censorinum.

DE CENSORINO.

CAPUT XXXIII.

Censorini honores.

CEnsorinus, vir plane militaris, & antiquæ in curia dignitatis, bis Consul, bis præfectus prætorii, ter præfectus Urbis, quarto proconsul, tertio consularis, legatus prætorius secundo, ædilitius quarto, quæstorius tertio, extra ordinem quoque legatione Persica functus, etiam Sarmatica. Post omnes tamen honores: cum in agro suo degeret senex, atque uno pede claudicans vulnere, quod bello Persico, Valeriani temporibus, acceperat, factus est Imperator, & scurrarum joco CLAUDIUS appellatus est.

Claudius dicitur.

Imperator factus. U. C. 1022. p. C. N. 270.

Cumque se gravissime gereret, neque à militibus ob disciplinam censoriam ferri posset, ab his ipsis à quibus factus fuerat, interemptus est.

Interimitur.

Exstat eius sepulcrum, in quo grandibus litteris circa Bononiam incisi sunt omnes ejus honores, ultimo tamen versu adscripto, FELIX AD OMNIA, INFELICISSIMUS IMPERATOR.

Ejus Epitaphium.

Exstat ejus familia: Censorinorum nomine frequentata; cujus pars Thracias, odio rerum Romanarum, pars Bithyniam petiit. Exstat etiam domus pulcherrima adjuncta gentibus Flaviis, quæ quondam Titi Principis fuisse perhibetur.

Modestia Treb. Pollionis.

Habes integrum numerum triginta tyrannorum, qui cum malevolis quidem, sed bono animo causaberis. Da nunc cui vis libellum, non tam diserte quam fideliter scriptum. Neque ego eloquentiam videor pollicitus esse, sed rem: qui hos libellos quos de vita principum edidi, non scribo, sed dicto cum ea festinatione, quam, si quid vel ipse promisero, vel tu petieris, sic perurges, ut respirandi non habeam facultatem.

Transitio ad Claudium.

Nunc ad Claudium Principem redeo; de quo speciale mihi volumen, quamvis breve, merito vitæ illius, videtur edendum; addito fratre singulari viro; ita ut de familia tam sancta & tam nobili, saltem pauca referantur.

TREBELLII POLLIONIS
DIVUS CLAUDIUS.

CAPUT I.

Claudii vita cum cura describenda.

FEliciter ventum est ad Principem Claudium, qui nobis intuitu Constantii Cæsaris, cum cura in litteris digerendus est. De quo ego idcirco recusare non potui, quod alios, tumultuarios videlicet Imperatores ac regulos, scripseram eo libro quam *De triginta tyrannis* edidi, qui Cleopatranam etiam stirpem, & Victorianam, & quæ nunc est, detinet. Siquidem eo res processit, ut mulierum etiam vitas scribi Gallieni comparatio effecerit. Neque enim fas erat eum tacere Prinpicem, qui tantam generis sui prolem, qui bellum Gothicum sua virtute confecit, qui manum publicis cladibus

Ob præclara & multa in rempublicam merita.

(28) De Tito) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 331. vide Tab. LXIII. num. 6.

bus victor imposuit, qui Gallienum prodigiosum Imperatorem, etiamsi non auctor consilii fuit, tamen ipse imperaturus bono generis humani, à gubernaculis publicis depulit: qui si diutius in hac esset commoratus Republica, Sciones bonos & Camillos, omnesque illos veteres, suis virtutibus, suis consiliis, sua providentia reddidisset.

Claudii Imperium breve fuit, sed conspicuum.

CAP. II. Breve illius in Imperio fuit tempus; sed breve fuisset, etiamsi quantum hominum vita suppetit, tantum vir talis imperare potuisset. Quid enim in illo non mirabile? quid non conspicuum? quid non triumphalibus vetustissimis præferendum? In quo Trajani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio, & magnorum Principum bona sic fuerunt, ut non ab aliis exemplum caperet, sed etiamsi illi non fuissent, hic ceteris reliquisset exemplum. Doctissimi mathematicorum, centum & viginti annos homini ad vivendum datos judicant, neque amplius cuiquam jactitant esse concessum: etiam illud addentes, Mosen solum, Dei (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem, centum viginti quinque annos vixisse: qui cum quereretur quod juvenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum. Quare etiamsi centum & viginti quinque annos Claudius vixisset, necessariam quidem mortem ejus exspectandam fuisse (ut Tullius de Scipione loquitur pro Milone) stupenda & mirabilis docet vita. Quid enim magnum vir ille domi forisque non habuit? Amavit parentes. Quid mirum? Amavit & fratres. Jam potest dignum esse miraculo. Amavit propinquos: res nostris temporibus comparanda miraculo. Invidit nulli, malos persequutus est. Fures judices palam aperteque damnavit. Stultis, quasi negligeret, indulsit. Leges optimas dedit. Talis in Republica fuit, ut ejus stirpem, ad Imperium summi Principes eligerent, emendatior Senatus optaret.

CAP. III. In gratiam me quispiam putet Constantii Cæsaris loqui: sed testis est & tua conscientia, & vita mea, me nihil umquam cogitasse, dixisse, fecisse gratiosum. Claudium Principem loquor; cujus vita, probitas, & omnia quæ in Republica gessit, tantam posteris famam dedere, ut Senatus Populusque Romanus novis eum honoribus post mortem affecerit. Illi clypeus aureus, vel (ut grammatici loquuntur) clypeum aureum, Senatus totius judicio in Romana curia collocatum est; ut etiam nunc videtur expressa thorace vultus ejus imago. Illi (quod nulli antea) Populus Romanus sumptu suo in Capitolio, ante Jovis Optimi Maximi templum, statuam auream decem pedum collocavit. Illi totius orbis judicio, in rostris posita est columna, cum palmata statua superfixa, librarum argenti mille quingentarum. Ille, velut futurorum memor, gentes Flavias, quæ Vespasiani & Titi, nolo autem dicere Domitiani, fuerant, propagavit. Ille bellum Gothicum brevi tempore implevit. Adulator igitur Senatus, adulator Populus Romanus, adulatrices exteræ gentes, adulatrices provinciæ: siquidem omnes ordines, omnis ætas, omnis civitas, statuis, vexillis, coronis, fanis, arcubus bonum Principem, aris ac templis honoraverunt.

Honores à Senatu Populoque Romano Claudio exhibiti.

Senatusconsulta de Claudio.

CAP. IV. Interest eorum qui bonos imitantur Principes, & totius orbis humani interest, cognoscere quæ de illo viro Senatusconsulta sint condita, ut omnes judicium publicæ mentis agnoscant. Nam cum esset nuntiatum nono Calendas Apriles ipso in sacrario Matris, sanguinis die, Claudium Imperatorem factum, neque cogi Senatus, sacrorum celebrandorum causa, posset, sumptis togis itum est ad Apollinis templum, ac lectis litteris Claudii Principis, hæc in Claudium dicta sunt, *Auguste Claudi, Dii te nobis præstent:* (dictum sexagies) *Claudi Auguste, Principem te, aut qualis tu es, semper optavimus:* (dictum quadragies) *Claudi Auguste, te Respublica requirebat;* (dictum quadragies) *Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu vere Princeps:* (dictum octuagies) *Claudi Auguste, tu nos ab Aureolo vindica:* (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos à Palmyrenis vindica:* (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos à Zenobia & à Victoria libera:* (dictum septies) *Claudi Auguste, Tetricus nihil fecit:* dictum septies.

Claudius Imperator, U. C. 1020. P. C. N. 268.

Claudius Aureolum tyrannum appellat.

CAP. V. Qui primum ut factus est Imperator, Aureolum, qui gravior Reipublicæ fuerat, quod multum Gallieno placebat, conflictu habito, à Reipublicæ gubernaculis depulit, tyrannumque missis ad Populum edictis, datis etiam ad Senatum orationibus, judicavit. His accedit, quod arrogantem Aureolum, & fœdus petentem, Imperator gravis & severus non audivit, responso tali repudiatum, *Hæc à Gallieno petenda fuerant, qui consentire moribus poterat, & timere.* Denique judicio militum apud Mediolanum Aureolus dignum exitum vitæ ac moribus suis habuit: & hunc tamen quidam historici laudare conati sunt, & ridicule quidem. Nam Gallus Antipater, ancillariorum & historicorum dehonestamentum, principium de Aureolo sic habuit; *Venimus ad Imperatorem nominis sui.* Magna ejus videlicet virtus, ab auro nomen accipere. At ego scio, sæpius inter gladiatores, bonis pugnatoribus hoc nomen appositum. Habuit proxime tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludorum.

Aureolus à quibusdam ridicule laudatur.

Claudii contra barbaras gentes. U. C. 1021. P. C. N. 269.

CAP. VI. Sed redeamus ad Claudium. Nam, ut superius diximus, illi Gothi qui evaserant eo tempore quo illos Macrianus est persequutus, quosque Claudius emitti non siverat, ne quid fieret quod effectum est, omnes gentes suorum ad Romanas incitaverunt prædas. Denique Scytharum diversi populi, Peucini, Trutungi, Austrogothi, Virtingui, Sigipedes, Celtæ etiam, & Heruli, prædæ cupiditate in Romanum solum & Rempublicam venerunt, atque illic pleraque vastarunt, dum aliis occupatus est Claudius, dumque se ad id bellum quod confecit, imperatorie instruit; ut videantur fata Romana boni Principis occupatione lentata. Sed credo, ut Claudii gloria accresceret, ejusdem fieret gloriosior toto penitus orbe victoria. Armatarum denique gentium trecenta viginti millia tunc fuere. Dicat nunc qui nos adulationis accusat, Claudium minus esse amabilem. Armatorum trecenta viginti millia. Quis tandem Xerxes hoc habuit? quæ fabella istum numerum effinxit? quis

Apparatus bellici.

quis poëta composuit? Trecenta viginti millia armatorum fuerunt. Adde servos, adde familias, adde carraginem & epota flumina consumptasque silvas. Laborasse denique ipsam, quæ tantum barbarici tumoris excepit, terram puto.

Claudii epistola ad Senatum de numero barbarorum.

CAP. VII. Exstat ipsius epistola missa ad Senatum, legenda ad Populum, qua indicat de numero barbarorum, quæ talis est: *Senatui Populoque Romano Claudius Princeps.* (hanc autem ipse dictasse perhibetur, ego verba magistri memoriæ non requiro) *Patres Conscripti, militantes (z) audite quod verum est. Trecenta viginti millia barbarorum in Romanum solum armati venerunt: hæc si vicero, vos vicem reddite meritis: si non vicero, scitote me post Gallienum velle pugnare. Fatigata est tota Respublica. Pugnabimus post Valerianum, post Ingenuum, post Regillianum, post Lollianum, post Postumium, post Celsum, post mille alios, qui contemptu Gallieni Principis à Republica defecerunt. Non scuta, non spathæ, non pila jam supersunt. Gallias & Hispanias, vires Reipublicæ, Tetricus tenet, & omnes sagittarios (quod pudet dicere) Zenobia possidet. Quidquid fecerimus, satis grande est.* Hos igitur Claudius, ingenita illa virtute superavit: hos brevi tempore attrivit. De his vix aliquos ad patrium solum redire permisit. Rogo quantum pretium est clypeus in curia tantæ victoriæ? quantum una aurea statua? Dicit Ennius de Scipione, *Quantam statuam faciet Populus Romanus, quantam columnam, quæ res tuas gestas loquatur?* Possumus dicere, Flavium Claudium, unicum in terris Principem, non columnis, non statuis, sed famæ viribus adjuvari.

Quos vicit.

CAP. VIII. Habuerunt præterea duo millia navium, duplicem scilicet numerum quam illum, quo tota pariter Græcia, omnisque Thessalia, urbes etiam Asiæ quondam expugnare conata est. Sed illud poëticus stilus fingit, hoc vera continet historia. Claudio igitur scriptores adulamur, qui duo millia navium barbarorum, & trecenta viginti millia armatorum delevit, oppressit, attrivit: qui carraginem tantam, quantam numerus hic armatorum sibimet aptare potuit & parare. Nunc incendia fecit, nunc cum omnibus familiis Romano servitio deputavit, ut docet ejusdem epistola, quam ad Junium Brocchum scripsit, Illyricum tuentem. *Claudius Broccho. Delevimus trecenta viginti millia Gothorum, duo millia navium mersimus. Tecta sunt flumina scutis; spathis & lanceolis omnia littora operiuntur. Campi ossibus latent tecti; nullum iter purum est; ingens carrago deserta est. Tantum mulierum cepimus, ut binas & ternas mulieres victor sibi miles possit adjungere.*

Claudii victoriæ.

CAP. IX. Et utinam Gallienum non esset passa Respublica: utinam sexcentos tyrannos non pertulisset. Salvis militibus, quos varia prælia sustulerunt, salvis legionibus, quas Gallienus male victor occidit, quantum esset additum Reipublicæ? Siquidem nunc verba naufragii publici colligit nostra diligentia, ad Romanæ Reipublicæ decus. Pugnatum est enim apud Mœsios, & multa prælia fuerunt apud Marcianopolin; multi naufragio perierunt; plerique capti reges; captæ diversarum gentium nobiles feminæ: impletæ barbaris servis, senibusque cultoribus Romanæ provinciæ. Factus miles barbarus & colonus ex Gotho. Nec ulla fuit regio quæ Gothum servum triumphali quodam servitio non haberet. Quid boum barbarorum nostri videre majores? quid ovium? quid equarum, quas fama nobilitat, Celticarum? Hoc totum ad Claudii gloriam pertinet. Claudius & securitate Rempublicam & opulentiæ nimietate donavit. Pugnatum præterea est apud Byzantios, ipsis qui superfuerant Byzantiis fortiter facientibus. Pugnatum apud Thessalonicenses, quos Claudio absente obsederant barbari. Pugnatum in diversis regionibus; & (29) ubique auspiciis Claudianis victi sunt Gothi, prorsus ut jam tunc Constantio Cæsari nepoti futuro, videretur Claudius securam parare Rempublicam.

Præda sub Claudio acta.

CAP. X. Et bene venit in mentem, exprimenda est sors quæ Claudio data esse perhibetur: eo magis, ut intelligant omnes, genus Claudii ad felicitatem Reipublicæ divinitus constitutum. Nam cum consuleret factus Imperator, quamdiu imperaturus esset, sors talis emersit:

De Claudii posteris sortes multa promittunt.

Tu qui nunc patrias gubernas oras,
Et mundum regis, arbiter Deorum;
- - - In veteres tuis novellis; (aa)
Regnabunt etenim tui minores,
Et reges facient suos minores.

Item cum in Apennino de se consuleret, responsum hujusmodi accepit,

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Item cum de posteris suis:

His ego nec metas rerum nec tempora pono.

Item cum de fratre Quintillo, quem consortem habere volebat Imperii, responsum est:

Ostendent terris hunc tantum fata.

Quæ idcirco posui, ut sit omnibus clarum, Constantium divini generis virum, sanctissimum decerni Cæsarem, & Augustæ ipsum familiæ esse, & Augustos multos de se daturum, salvis Diocletiano & Maximiano Augustis, & ejus fratre Galerio.

CAP. XI. Sed dum hæc à Divo Claudio aguntur, Palmyreni ducibus Saba & Timogene, contra Ægyptios bellum sumunt: atque ab his Ægyptia pervicacia & indefessa pugnandi continuatione vincuntur. Dux tamen Ægyptiorum Probatus, Timogenis insidiis interemptus est. Ægyptii vero omnes se Romano Imperatori dediderunt, in absentis Claudii verba jurantes. Atticiano & Orphito Consulibus, auspicia Claudiana favor divinus adjuvit. Nam cum se in Hæmi montem multitudo barbararum gentium quæ superfuerant, contulisset, illic ita fame ac pestilentia laborarunt, ut jam Claudius dedignaretur & vincere. Denique finitum

Palmyreni Ægyptios bello aggrediuntur.

Sed vincuntur à Claudio.

(z) al. Mirantes.
(aa) Alii supplent: *O longum in veteres tuis novelles!* Alii: *Tu vinces veteres tuis novellis!*

(29) Ubique auspiciis Claudianis victi sunt Gothi) Victoriæ Gothicæ fidem adstruit trophæum numi Tab. LXIII. num. 7. Conf. HEMELAR. Tab. XLVII. num. 3. pag. 159.

finitum est asperrimum bellum, terroresque Romani nominis sunt depulsi. Vera dici fides cogit; simul ut sciant hi, qui adulatores nos existimari cupiunt, id quod historia dici postulat, non tacere. Eo tempore quo parta est plena victoria, plerique milites Claudii secundis rebus elati, quæ sapientium quoque animos fatigant, ita in prædam versi sunt, ut non cogitarent à paucissimis se posse fatigari, dum occupati animo atque corporibus, avertendis prædis inserviunt. Denique in ipsa victoria prope duo millia militum à paucis barbaris, & iis qui fugerant, interempti sunt. Sed ubi hoc comperit Claudius, omnes qui rebelles animos extulerant, conducto exercitu rapit, atque in vincula Romam etiam mittit, ludo publico deputandos. Ita id quod vel fortuna vel miles egerat, virtute boni Principis antiquatum est. Nec sola de hoste victoria, sed etiam vindicta præsumpta est. In quo bello quod gestum est, equitum Dalmatarum ingens exstitit virtus, quod originem ex ea provincia Claudius videbatur ostendere; quamvis alii Dardanum, & ab Ilio Trojanorum, atque ipso Dardano, sanguinem dicerent trahere.

CAP. XII. Fuerunt per ea tempora & apud Cretam Scythæ, & Cyprum vastare tentarunt: sed ubique morbo exercitu laborante, superati sunt. Finito sane bello Gothico, gravissimus morbus increbuit; tunc cum etiam Claudius affectus morbo, mortales reliquit, & familiare virtutibus suis petiit cœlum. Quo ad Deos atque ad sidera demigrante, QUINTILLUS frater ejusdem, vir sanctus, & sui fratris (ut vere dixerim) frater, delatum sibi omnium judicio suscepit Imperium, non hereditarium, sed merito virtutum: qui factus esset Imperator, etiamsi frater Claudii Principis non fuisset. Sub hoc barbari qui superfuerant, Anchialo vastata, conati sunt Nicopolin etiam obtinere. Sed illi provincialium virtute obtriti sunt. Quintillus autem, ob brevitatem temporis, nihil dignum Imperio gerere potuit. Nam septimadecima die, quod se gravem & serium contra milites ostenderat, ac verum Principem pollicebatur, eo genere quo Galba, quo Pertinax, interemptus est. Et Dexippus quidem Claudium non dicit occisum, sed tantum mortuum. Nec tamen addidit morbo, ut dubium sentire videatur.

Claudius peste exstinguitur. U.C. 1022. p. C.N. 270.

Quintillus frater Claudii suscipit Imperium.

Interimitur. U.C. 1022. p. C.N. 270.

CAP. XIII. Quoniam res bellicas diximus, de Claudii genere & familia saltem pauca dicenda sunt, ne ea quæ scienda sunt præterisse videamur. Claudius, Quintillus, & Crispus, fratres fuerunt. Crispi filia, Claudia: ex ea & Eutropio, nobilissimo gentis Dardanæ viro, Constantius Cæsar est genitus. Fuerunt etiam sorores; quarum una, Constantina nomine, nupta tribuno Assyriorum, in primis annis defecit. De avis nobis parum cognitum. Varia enim plerique prodiderunt. Ipse Claudius insignis morum gravitate, insignis vita singulari & unica castimonia, vini parcus, ad cibum promptus, statura procerus, oculis ardentibus, lato & pleno vultu, digitis usque adeo fortibus, ut sæpe equis & mulis ictu pugni dentes excusserit. Fecerat hoc etiam adolescens in militia; cum, ludicro Martiali, in campo luctamen inter fortissimos quosque monstraret. Nam iratus ei qui non balteum sed genitalia sibi contorserat, omnes dentes uno pugno excussit. Quæ res indulgentiam meruit, pudore vindictæ: siquidem tunc Decius Imperator, quo præsente fuerat perpetratum, & virtutem & verecundiam Claudii publice prædicavit: donatumque armillis & torquibus, à militum congressu facessere præcepit; ne quid atrocius, quam luctamen exigit, faceret. Ipsi Claudio liberi nulli fuerunt: Quintillus duos reliquit: Crispus, (ut diximus) filiam.

Claudii genus & familia.

Claudii mores.

Ejus virtus & verecundia.

CAP. XIV. Nunc ad judicia Principum veniamus, quæ de illo à diversis edita sunt: & eatenus quidem, ut appareret quandoque Claudium Imperatorem futurum. Epistola Valeriani ad Zosimionem procuratorem Syriæ. *Claudium Illyricianæ gentis virum, tribunum Martiæ quintæ legioni fortissimæ dedimus; virum devotissimis quibusque ac fortissimis veterum præferendum. Huic salarium de nostro privato ærario dabis, annuos frumenti modios tria millia, hordei sex millia, laridi libras duo millia, vini veteris sextarios tria millia quingentos, olei boni sextarios centum quinquaginta, olei secundi sextarios sexcentos, salis modios viginti, ceræ pondo centum quinquaginta; fœni, paleæ, aceti, oleris, herbarum, quantum satis est: pellium tentoriarum, decurias triginta: mulos annuos sex, equos annuos tres, camelos annuos decem, mulas annuas novem: argenti in opere annua pondo quinquaginta: Philippeos nostri vultus, annuos centum quinquaginta, & in strenis quadraginta septem, & trientes centum sexaginta. Item in caucos* (aa) *& scyphos pondo undecim: item in caucos & scyphos & zuma pondo undecim. Tunicas russas militares annuas, sagochlamydes annuas duas, fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream cum acu Cyprea unam. Balteum argenteum inauratum unum, annulum bigemmeum uncialem, brachialem unum unciarum septem. Torquem libralem unum, cassidem inauratam unam. Scuta chrysographata duo, loricam unam, quam refundat. Lanceas Herculeanas duas, aclides duas, falces duas, falces fœnarias quatuor. Cocum, quem refundat, unum: mulionem, quem refundat, unum. Mulieres speciosas ex captivis duas. Albam subsericam unam, cum purpura succumbitana: subarmale unum cum pupura Maura. Notarium, quem refundat, unum: structorem, quem refundat, unum. Accubitalium Cypriorum paria duo. Interulas puras duas: Fascias viriles duas: togam, quam refundat, unam. Latum clavum, quem refundat, unum. Venatores, qui obsequantur, duos: carpentarium unum. Curam prætorii unum. Aquarium unum. Piscatorem unum. Dulciarium unum. Ligni quotidiani pondo mille, si est copia: sin minus, quantum fuerit, & ubi fuerit: coctilium quotidiana batilla quatuor. Balneatorem unum, & ad balneas ligna: sin minus, lavetur in publico. Jam cætera quæ propter minutias suas scribi nequeunt, pro moderatione præstabis: sed ita ut nihil adæretur. Et si alicubi aliquid defuerit, non præstetur, nec in nummo exigatur. Hæc autem omnia idcirco specialiter, non quasi tribuno, sed quasi duci detuli, quia vir talis est, ut ei plura etiam deferenda sint.*

Judicium Valeriani de Claudio.

CAP. XV. Item ex epistola ejusdem alia, inter cætera ad Ablavium Murenam præfectum

Aliud ejusdem.

(aa) al. *Caveos.*

fectum prætorii: *Define autem conqueri, quod adhuc Claudius eſt tribunus, nec exercitus ducem loco accipit: unde etiam Senatum & Populum conqueri jactabas. Dux factus eſt, & dux totius Illyrici. Habet in poteſtatem Thracias, Mœſios, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus: vir ille ſummus, noſtro quoque judicio, ſperet conſulatum, ſi ejus animo accommodum eſt, quando voluerit, accipiat prætorianam, accipiat præfecturam. Sane ſcias tantum ei à nobis decretum ſalarii, quantum habet Ægypti præfectura: tantum veſtium, quantum proconſulatui Africano detulimus: tantum argenti, quantum accipit curator Illyrici Metatius: tantum miniſteriorum, quantum nos ipſi nobis per ſingulas quaſque decernimus civitates: ut intelligant omnes, quæ ſit noſtra de viro tali ſententia.*

Decii judicium de Claudio.

CAP. XVI. Item epiſtola Decii de eodem Claudio: *Decius Meſſalæ Præſidi Achaiæ ſalutem.* Inter cetera: *Tribunum vero Claudium, optimum juvenem, fortiſſimum militem, conſtantiſſimum civem, caſtris, Senatui & Reipublicæ neceſſarium, in Thermopylas ire præcepimus, mandata eidem cura Peloponnenſium; ſcientes neminem melius omnia quæ injungimus, eſſe curaturum. Huic ex regione Dardania dabis milites ducentos, ex cataphractariis centum, ex equitibus centum & ſexaginta, ex ſagittariis Creticis ſexaginta, ex tironibus bene armatos mille. Nam bene illi novi creduntur exercitus. Neque enim illo quiſquam devotior, fortior, gravior invenitur.*

Gallieni judicium de Claudio.

CAP. XVII. Item epiſtola Gallieni, cum nuntiatum eſſet per frumentarios, Claudium iraſci, quod ille mollius viveret: *Nihil me gravius accepit, quam quod notoria tua intimaſti, Claudium parentem amicumque noſtrum, inſinuatis ſibi falſis pleriſque, graviter iraſci. Quæſo igitur, mi Venuſte, ſi mihi fidem exhibes, ut eum facias à Grato & Herenniano placari, neſcientibus hoc militibus Daciſianis, qui jam ſæviunt, ne graviter ferant. Ipſe ad eum dona miſi: quæ ut libenter accipiat, tu facias. Curandum præterea eſt, ne me hoc ſcire intelligat, ac ſibi ſuccenſere judicet, & pro neceſſitate ultimum conſilium capiat. Miſi autem ad eum pateras gemmatas trilibres duos, ſcyphos aureos gemmatos trilibres duos: diſcum corymbiatum argenteum librarum viginti: Lancem argenteam pampinatam librarum triginta. Patinam argenteam hederatam librarum viginti & trium. Boletare halieuticum argenteum librarum viginti, urceos duos auro incluſos, argenteos librarum ſex, & in vaſis minoribus argenti libras viginti quinque. Calices Ægyptios, operiſque diverſi, decem. Chlamydes veri luminis limbatas duas, veſtes diverſas ſedecim, albam ſubſericam, paragaudem triuncem unam, Zanchas de noſtris Parthicis paria tria, Singiliones Dalmatenſes decem, Chlamydem Dardanicam mantuelem unam, Penulam Illyricianam unam: Bardocucullum unum, Cucutia villoſa duo: Oraria Sarabdena quatuor. Aureos Valerianos centum quinquaginta. Trientes Saloninianos trecentos.*

CAP. XVIII. Habuit & Senatus judicia, priuſquam ad Imperium perveniret, ingentia. Nam cum eſſet nuntiatum, illum cum Macriano fortiter contra gentes in Illyrico dimicaſſe, acclamavit Senatus: *Claudi, dux fortiſſime, habeas virtutibus tuis, devotioni tuæ. Claudio ſtatuam omnes dicamus: Claudium Conſulem omnes cupimus. Qui amat Rempublicam, ſic agit: qui amat Principes, ſic agit. Antiqui milites ſic egerunt. Filicem te, Claudi, judicio Principum, felicem te virtutibus tuis, Conſulem te, te præfectum. Vivas Valerie; ameris à Principe.* Longum eſt tam multa quam meruit vir ille, perſcribere: unum tamen tacere non debeo, quod illum & Senatus & Populus, ante Imperium, & in Imperio, & poſt Imperium ſic dilexit, ut ſatis conſtet, neque Trajanum, neque Antoninos, neque quemquam alium Principem ſic amatum.

Senatus judicium de Claudio.



FLAVII



FLAVII VOPISCI SYRACUSII
DIVUS AURELIANUS.

CAPUT I.

Occasio scribendi vitam Aureliani.

HILARIBUS, quibus omnia festa & fieri debere scimus, & dici, impletis solemnibus, vehiculo suo me & judiciali carpento præfectus Urbis vir illustris, ac præfata reverentia nominandus, Junius Tiberianus accepit. Ibi cum animus, à causis atque à negotiis publicis solutus ac liber, vacaret, sermonem multum à Palatio usque ad hortos Valerianos instituit: & in ipso præcipue de vita Principum. Cumque ad templum Solis venissemus, ab Aureliano Principe consecratum, quod ipse nonnihilum ex ejus origine sanguinem duceret, quæsivit à me, quis vitam ejus in litteras retulisset. Cui ego cum respondissem, neminem à me Latinorum, Græcorum aliquos lectitatos, dolorem gemitus sui vir sanctus per hæc verba profudit: *Ergo Thersitem, Sinonem, ceteraque illa prodigia vetustatis, & nos bene scimus, & posteri frequentabunt. Divum Aurelianum, clarissimum Principem, severissimum Imperatorem, per quem totus Romano nomini orbis est restitutus, posteri nescient? Deus avertat hanc amentiam. Et tamen, si bene novi, ephemeridas illius viri scriptas habemus, etiam bella, charactere historico digesta, quæ velim accipias, & per ordinem scribas; additis quæ ad vitam pertinent. Qua omnia ex libris linteis, in quibus ipse quotidiana sua scribi præceperat, pro tua sedulitate condisces. Curabo autem ut tibi ex Ulpia bibliotheca & libri lintei proferantur. Tu velim Aurelianum, ita ut est, quatenus potes, in litteras mittas.* Parvi ipse quidem præceptis: accepi libros Græcos, & omnia mihi necessaria in manum sumpsi: ex quibus & quæ digna erant memoratu, in unum libellum contuli. Tu velim meum munus boni consulas; &, si hoc contentus non fueris, lectites Græcos, linteos etiam libros requiras, quos Ulpia tibi bibliotheca, cum volueris, ministrabit.

CAP. II. Et quoniam sermo nobis de Trebellio Pollione, qui à duobus Philippis usque ad Divum Claudium, & ejus fratrem Quintillum, Imperatores tam claros, quam obscuros memoriæ prodidit, in eodem vehiculo fuit, asserente Tiberiano quod Pollio multa incuriose, multa breviter prodidisset: me contra dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: prodente quinetiam, in quo Livius, in quo Salustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifestis testibus convincerentur: pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens jucundam præterea, *Scribe*, inquit, *ut libet: securus; quod velis, dicas: habiturus mendaciorum comites, quos historicæ eloquentiæ miramur auctores.*

Trebellius Pollio multa incuriose scripsit.

CAP. III. Ac ne multa & frivola procemiis odiosis intexam, Divus Aurelianus, ortus, ut plures loquuntur, Sirmii, familia obscuriore: ut nonnulli, Dacia ripensi. Ego autem legisse me memini auctorem, qui eum Mœsia genitum prædicaret. Et evenit quidem, ut de eorum virorum genitali solo nesciatur, qui humiliori loco nati, plerumque solum genitale confingunt, ut dent posteritati de locorum splendore fulgorem. Nec tamen magnorum Principum virtutibus summa sciendi est, ubi quisque sit genitus, sed qualis in republica fuerit.

Aureliani origo incerta.

An Platonem magis commendat, quod Athenienſis fuerit, quam quod unicum ſapientiæ munus illuxerit? An eo minores inveniuntur Ariſtoteles Stagirita, Eleateſque Zenon, aut Anacharſis Scytha, quod in minimis nati ſunt viculis, cum illos ad cœlum omnia philoſophiæ virtus extulerit?

CAP. IV. Atque ut ad ordinem redeam: Aurelianus modicis ortus parentibus, à prima ætate ingenio vivaciſſimus, viribus clarus, nullum umquam diem prætermiſit, quamvis feſtum, quamvis vacantem, quo non ſe pilo & ſagittis ceteriſque armorum exerceret officiis. Matrem quidem ejus, Callicrates Tyrius, Græcorum longe doctiſſimus ſcriptor, ſacerdotem templi Solis, in eo vico in quo habitabant parentes, fuiſſe dicit. Habuiſſe quinetiam nonnihilum divinationis, adeo ut aliquando marito ſuo jurgans ingeſſerit, cum ejus & ſtultitiam increparet & vilitatem, *En Imperatoris patrem.* Ex quo conſtat illam mulierem ſciſſe fatalia. Idem dicit, auſpicia Imperii Aureliano hæc fuiſſe: Primum, pueri ejus pelvem, ſerpentem plerumque cinxiſſe, neque umquam occidi potuiſſe: poſtremo ipſam matrem, quæ hoc viderat, ſerpentem quaſi familiarem occidere noluiſſe. His accedit, quod ex palliolo purpureo, quod Soli ſui temporis Imperator obtulerat, ſacerdos mulier crepundia filio feciſſe perhibetur. Addit etiam illud, quod vinctum faſciola Aurelianum aquila innoxie de cunis levaverit, & in aram poſuerit, quæ juxta ſacellum forte ſine ignibus erat. Idem auctor eſt, vitulum matri ejus natum miræ magnitudinis, candidum: ſed purpurantibus maculis: ita ut haberet in latere uno avem, in alio coronam.

Aureliani indoles. *Mater.* *Omina Imperii.*

CAP. V. Multa ſuperflua in eodem legiſſe memini: quippe qui aſſeverat etiam roſas, in ejuſdem mulieris chorte, nato Aureliano, exiſſe purpureas, odoris roſei, floris aurei. Fuerunt, & poſtea multa omina jam militanti, futuri, ut res monſtravit, Imperii. Nam ingrediente eo Antiochiam in vehiculo, quod præ vulnere tunc equo ſedere non poſſet, ita pallium purpureum, quod in honorem ejus expanſum fuerat, decidit, ut humeros ejus tegeret. Et, cum in equum tranſire vellet (quia invidioſum tunc erat vehiculis in civitate uti) equus eſt ei Imperatoris applicitus, cui per feſtinationem inſedit. Sed ubi comperit, ſemet ad ſuum tranſtulit. Data eſt ei præterea, cum legatus ad Perſas iſſet, patera qualis ſolet Imperatoribus dari à Rege Perſarum; in qua inſculptus erat Sol, eo habitu, quo colebatur in eo templo, in quo mater ejus fuerat ſacerdos. Donatus eidem etiam elephantus præcipuus, quem ille Imperatori obtulit: ſoluſque omnium privatus Aurelianus elephanti dominus fuit.

CAP. VI. Sed ut hæc & talia omittamus, fuit decorus, & gratia viriliter ſpecioſus, ſtatura procerior; nervis validiſſimis, vini & cibi paulo cupidior, libidinis raræ, ſeveritatis immenſæ, diſciplinæ ſingularis, gladii exerendi cupidus. Nam cum eſſent in exercitu duo Aureliani tribuni, hic, & alius qui cum Valeriano captus eſt, huic ſignum exercitus appoſuerat *Manu ad ferrum*; ut ſi forte quæreretur quis Aurelianus aliquid vel feciſſet vel geſſiſſet, ſuggereretur, *Aurelianus Manu ad ferrum*, atque cognoſceretur. Privati hujus multa exſtant egregia facinora. Nam erumpentes Sarmatas in Illyrico, cum trecentis præſidiariis ſolus attrivit. Refert Theoclius Cæſarianorum temporum ſcriptor, Aurelianum manu ſua bello Sarmatico uno die quadraginta & octo interfeciſſe: plurimis autem & diverſis diebus, ultra nongentos quinquaginta: adeo ut etiam balliſtea pueri & ſaltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus feſtis militariter ſaltitarent.

Aureliani forma corporis. *Nomini Aureliani ſignum, Manu ad ferrum adjectum.* *Facinora egregia privati Aureliani.*

Mille, mille, mille, mille, mille, mille, decollavimus.
Unus homo mille, mille, mille, mille, decollavimus,
Mille, mille, mille vivat, qui mille, mille occidit.
Tantum vini habet nemo, quantum fudit ſanguinis.

Hæc video eſſe perfrivola: ſed quia ſupra ſcriptus auctor ita eadem ut ſunt Latine, ſuis ſcriptis inſeruit, tacenda eſſe non credidi.

CAP. VII. Idem apud Maguntiacum tribunus legionis ſextæ Gallicanæ, Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit, ut trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis, ſub corona vendiderit. Unde iterum de eo facta eſt cantilena:

Francos Galliam vaſtantes repellit.

Mille Francos, mille Sarmatas ſemel & ſemel occidimus:
Mille, mille, mille, mille, Perſas quærimus.

Hic autem, ut ſupra diximus, militibus ita timori fuit, ut ſub eo, poſteaquam ſemel cum ingenti ſeveritate caſtrenſia peccata correxit, nemo peccaverit. Solus denique omnium, militem qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, ad pedes militis deligaret, eaſdemque ſubito dimitteret: ut ſciſſus ille utrimque penderet. Quæ res ingentem timorem omnibus fecit. Hujus epiſtola militaris eſt ad vicarium ſuum data hujuſmodi: *Si vis tribunus eſſe, imo ſi vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat. Uvam nullus auferat, ſegetem nemo deterat: oleum, ſal, lignum, nemo exigat: annona ſua contentus ſit. De præda hoſtis, non de lachrymis provincialium, habeat. Arma terſa ſint: ferramenta ſamiata, calciamenta fortia. Veſtis nova veſtem veterem excludat. Stipendium in balteo; non in popina habeat. Torquem brachialem & anulum apponat: equum ſagmarium ſuum defricet, capitum animalis non vendat, mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quaſi ſervus obſequatur: à medicis gratis curentur: aruſpicibus nihil dent: in hoſpitiis caſte ſe agant, qui litem fecerit, vapulet.*

Diſciplinam militarem ſeveriſſime ſervat.

CAP. VIII. Inveni nuper, in Ulpia bibliotheca inter linteos libros epiſtolam Divi Valeriani de Aureliano Principe ſcriptam, quam ad verbum, ut decebat, inſerui. *Valerianus Auguſtus Antonino Gallo Conſuli. Culpas me familiaribus litteris, quod Poſtumio filium meum Gallienum, magis quam Aureliano commiſerim: cum utique & ſeveriori & puer credendus fuerit & exercitus*

Judicium Valeriani de Aureliano.

citus: nec tu id diutius judicabis, si bene scieris quantæ sit Aurelianus severitatis. Nimius est, multus est, gravis est, & ad nostra jam non facit tempora. Testor autem omnes Deos, me etiam timuisse, ne quid etiam erga filium meum severius, si quid ille fecisset (ut est natura pronus ad ludicra) levius cogitaret. Hæc Epistola indicat quantæ fuerit severitatis, ut illum Valerianus etiam timuisse se dicat.

Aliud ejusdem.

CAP. IX. Et ejusdem Valeriani alia est epistola quæ laudes illius continet, quam ego ex scriniis præfecturæ urbanæ protuli. Nam illi Romam venienti salaria sui ordinis sunt decreta. Exemplum epistolæ: *Valerianus Augustus Cejonio Albino præfecto Urbi. Velleinus quidem singulis quibusque devitissimis Reipublicæ viris multo majora deferre compendia quam eorum dignitas postulat; maxime ubi honorem vita commendat. Debet enim quid, præter dignitatem, pretium esse meritorum. Sed facit rigor publicus, ut accipere de provinciarum oblationibus ultra ordinis sui gradum nemo plus possit. Aurelianum fortissimum virum, ad inspicienda & ordinanda castra omnia destinavimus: cui tantum à nobis, atque ab omni Republica, communi totius exercitus confessione, debetur, ut digna illo vix aliqua, vel nimis magna sint munera. Quid enim in illo non clarum? quid non Corvinis & Scipionibus conferendum? Ille liberator Illyrici, ille Galliarum restitutor, ille dux magni totius exempli. Et tamen nihil præterea possum addere tanto viro ad muneris gratiam, quam patitur sobria & bene gerenda Respublica. Quare sinceritas tua, mi parens carissime, supradicto viro efficiet, quamdiu Romæ fuerit, panes militares mundos sedecim, panes militares castrenses quadraginta; vini mensalis sextarios quadraginta, porcellum dimidium; gallinaceos duos; porcinæ pondo triginta; bubulæ pondo quadraginta; olei sextarium unum; & item olei secundi sextarium unum; liquaminis sextarium unum; salis sextarium unum; herbarum, olerum quantum satis est. Sane quoniam ei aliquid præcipue decernendum est quamdiu Romæ fuerit, pabula extra ordinem decernes: ipsi autem ad sumptus, aureos Antoninianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum, reliqua per præfectos ærarii præbebuntur.*

Honores ante adeptum Imperium.

CAP. X. Frivola hæc fortassis cuipiam: & nimis levia esse videantur; sed curiositas nihil recusat. Habuit ergo multos ducatus, plurimos tribunatus, vicarias ducum & tribunorum, diversis temporibus, prope quadraginta, usque adeo, ut etiam Ulpii Criniti (qui se de Traiani genere referebat, viri & Traiani simillimi, qui pictus est cum eodem Aureliano in templo Solis, quem Valerianus Cæsario loco habere instituerat) vicem sumeret, exercitum duceret, limitem restitueret, prædam militibus daret: Thracias bobus, equis, mancipiis, captivis locupletaret, manubias in Palatio collocaret: quingentos servos, duo millia vaccarum, equas mille; ovium decem millia, caprarum quindecim millia, in privatam villam Valeriani congereret. Tunc enim Ulpius Crinitus, publice apud Byzantium sedenti Valeriano in thermis egit gratias dicens, *Magnum de se judicium habitum: quod eidem vicarium Aurelianum dedisset: quare eum statuit arrogare.*

Valerianus Aurelianum arrogat.

CAP. XI. Interest epistolas nosse Aureliano scriptas, & ipsam arrogationem. Epistola Valeriani ad Aurelianum: *Si esset alius, Aureliane jucundissime, qui Ulpii Criniti vicem posset implere; tecum de ejus virtute ac sedulitate conferrem. Nunc tecum requirere potuissem. Suscipe bellum à parte Nicopolis, ne nobis ægritudo Criniti obsit. Fac quidquid potes. Multa non dico: in tua erit potestate militiæ magisterium. Habes sagittarios Ityreos trecentos, Armenios sexcentos, Arabas centum quinquaginta, Saracenos ducentos, Mesopotamios auxiliares quadringentos. Habes legionem tertiam Felicem, & equites cataphractarios octingentos. Tecum erit Hartomundus, Haldegastes, Hildemundus, Cariovişcus. Commeatus à præfectis necessarius in omnibus castris est constitutus. Tuum est, pro virtutibus tuis atque solertia, illic biemalia & æstiva disponere, ubi tibi nihil deerit: quærere præterea ubi carrago sit hostium, & vere scire quanti qualesque sint; ut non vinum aut annona consumatur, aut tela jaciantur, in quibus res bellica constituta est. Ego de te tantum, Deo favente, spero, quantum de Trajano, si viveret, posset sperare Respublica. Neque enim minor est, in cujus locum fidemque te legi, Consulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum sequentem à die undecimo Calendarum Juniarum, in locum Gallieni & Valeriani, sperare te convenit sumptu publico. Levanda est enim paupertas eorum hominum, qui diu Reipublicæ viventes, pauperes sunt; & nullorum magis.* His quoque litteris indicatur quantus fuerit Aurelianus, & re vera. Neque quisquam aliquando ad summam rerum pervenit, qui non à prima ætate gradibus virtutis ascenderit.

Aureliano Consulatus defertur.

CAP. XII. Litteræ de Consulatu. *Valerianus Augustus Ælio Xifidio Præfecto Ærarii. Aureliano, cui Consulatum detulimus ob paupertatem, qua ille magnus est, ceteris major; dabis ad editionem Circensium aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in ære sestertium quinquagies, tunicas multicias viriles decem, lineas Ægyptias viginti, mantelia Cypria paria duo, tapetia Afra decem, stragula Maura decem, porcos centum, oves centum: convivium autem publicum edi jubebis Senatoribus, equitibus Romanis: hostias majores duas, minores quatuor.* Et quoniam etiam de arrogatione aliqua me dixeram positurum, quæ ad tantum Principem pertinerent, quæso ne odiosior verbosiorve ea re videar: quam fidei causa inserendam credidi ex libris Acholii, qui magister admissionum Valeriani Principis fuit, libro Actorum ejus nono.

Quomodo Consul fuerit designatus.

CAP. XIII. Cum consedisset Valerianus Augustus in thermis apud Byzantium, præsente exercitu, præsente etiam officio Palatino, assidentibus Memmio Fusco Consule ordinario, Bæbio Macro præfecto prætorii, Quinto Ancario præside Orientis: assidentibus etiam à parte læva Avulvio Saturnino Scythici limitis duce: Murentio ad Ægyptum destinato, Julio Tryphone Orientalis limitis duce, & Meceo Brundusino præfecto Annonæ Orientis, & Ulpio Crinito duce Illyriciani limitis & Thracii, & Fulvio Bojo duce Rhætici limitis, Valerianus Augustus dixit: *Gratias tibi agit, Aureliane*

liane, Respublica, quod eam Gothorum potestate liberasti. Abundamus per te præda, abundamus gloria, & his omnibus quibus Romana felicitas crescit. Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas murales quatuor, coronas vallares quinque, coronas navales duas, coronas civicas duas; hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas ducales russas quatuor, pallia proconsularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam. Nam te Consulem hodie designo, scripturus ad Senatum ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed à Senatu, quando fit Consul, accipere.

Aurelianus Valeriano pro Consulatu gratias agit.

CAP. XIV. Post hæc Valeriani dicta, Aurelianus surrexit, atque ad manus accessit, agens gratias militaribus verbis, quæ propria & ipsa apponenda decrevi. Aurelianus dixit, *Et ego Domine Valeriane, Imperator Auguste, ideo cuncta feci, ideo vulnera patienter excepi, ideo & equos & cantherios meos lassavi, ut mihi gratias ageret Respublica, & conscientia mea. At tu plus fecisti: ago ergo gratias bonitati tuæ, & accipio Consulatum quem das. Dii faciant & Deus certus Sol, ut & Senatus de me sic judicet.* Agentibus igitur gratias omnibus circumstantibus Ulpius Crinitus surrexit, atque hac oratione usus est, *Apud majores nostros, Valeriane Auguste, quod & familiæ meæ amicum ac proprium fuit; ab optimis quibusque in filiorum locum fortissimi viri semper electi sunt, ut vel senescentes familias, vel fœtus matrimoniis jam caducos, substitutæ fœcunditas prolis ornaret. Hoc igitur quod Coccejus Nerva in Trajano adoptando, quod Ulpius Trajanus in Hadriano, quod Hadrianus in Antonino, & ceteri deinceps proposita suggestione fecerunt, jam in arrogando Aureliano, quem mihi vicarium judicii tui auctoritate fecisti, censui esse referendum. Jube igitur, ut lege agatur, sitque Aurelianus heres sacrorum, nominis & bonorum totiusque juris Ulpio Crinito jam consulari viro, ipse actutum, te judice, consularis.*

Ulpius Crinitus Aurelianum in præsentia Valeriani arrogat.

CAP. XV. Longum est cuncta pertexere. Nam & actæ sunt Crinito à Valeriano gratiæ; & adoptio, ut solebat, impleta. Memini me in quodam libro Græco legisse (quod tacendum esse non credidi) mandatum esse Crinito à Valeriano, ut Aurelianus adoptaretur, idcirco præcipue, quod pauper esset. Sed hoc in medio relinquendum puto. Et quoniam superius epistolam posui, qua sumptus Aureliano ad Consulatum delatus est, quare posuerim, rem quasi frivolam, eloquendum putavi. Vidimus proxime Consulatum Furii Placidi tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari aurigis, sed patrimonia viderentur; cum darentur tunicæ subsericæ, lineæ paragaudæ, darentur etiam equi, ingemiscentibus frugi hominibus. Factum est enim, ut jam divitiarum sit, non hominum Consulatus; quia utique si virtutibus defertur, editorem spoliare non debent. Perierunt casta illa tempora; & magis ambitione populari peritura sunt. Sed nos (ut solemus) hanc quoque rem in medio relinquimus.

Furius Placidus Consul.

CAP. XVI. His igitur tot ac talibus præjudiciis muneribusque fultus, Claudianis temporibus tantus enituit, ut post eum Quintillo quoque fratre ejus interempto, solus teneret Imperium, Aureolo interfecto, cum quo Gallienus fecerat pacem. Hoc loco tanta est diversitas historicorum, & quidem Græcorum, ut alii dicant, invito Claudio ab Aureliano Aureolum interfectum, alii mandante ac volente, alii ab Imperatore jam Aureliano eundem occisum, alii vero adhuc privato. Sed hæc quoque media relinquemus, ab ipsis petenda per quos in litteras missa sunt. Illud tamen constat, omne contra Mœotidas bellum, Divum Claudium nulli magis quam Aureliano credidisse.

Aurelianus Imperator. U.C.1022. p. C.N. 270.

CAP. XVII. Exstat epistola, quam ego (ut soleo) fidei causa, imo ut alios annalium scriptores fecisse video, inserendam putavi. *Flavius Claudius Valerio Aureliano suo salutem. Expetit à te munus solitum nostra Respublica. Aggredere: quid moraris? Tuo magisterio milites uti volo, tuo ductu tribunis. Gothi oppugnandi sunt: Gothi à Thraciis amovendi. Eorum enim plerique Hæmimontum Europamque vexant, qui te pugnante fugerunt. Omnes exercitus Thracicos, omnes Illyricianos totumque limitem in tua potestate constituo, solitam, en, nobis ede virtutem. Tecum erit etiam frater Quintillus, cum occurrerit. Ego aliis rebus occupatus, summam belli illius virtutibus tuis credo. Misi sane equos decem, loricas duas, & cetera, quibus munire ad bellum euntem necessitas cogit.* Secundis igitur præliis usus auspiciis Claudianis Rempublicam in integrum reddidit: atque ipse statim (ut supra diximus) consensu omnium legionum factus est Imperator.

Consensu omnium legionum.

CAP. XVIII. Equites sane omnes ante Imperium sub Claudio Aurelianus gubernavit, cum offensam magistri eorum incurrissent, quod temere, Claudio non jubente, pugnassent. Item Aurelianus contra Suevos & Sarmatas iisdem temporibus vehementissime dimicavit, ac florentissimam victoriam retulit. Accepta est sane clades sub Aureliano à Marcomannis per errorem. Nam dum is à fronte non curat occurrere, subito erumpentibus dumque illos à dorso persequi parat, omnia circa Mediolanum graviter evastata sunt. Postea tamen ipsi quoque Marcomanni cuncta vastabant, ingentes Romæ seditiones motæ sunt, paventibus cunctis ne eadem quæ sub Gallieno fuerant, provenirent. Quare etiam libri Sibyllini, noti beneficiis publicis, inspecti sunt, inventumque, ut in certis locis sacrificia fierent, quæ Barbari transire non possent. Facta denique sunt ea quæ præcepta fuerant in diverso ceremoniarum genere atque, ita Barbari restiterunt, quos omnes Aurelianus carptim vagantes occidit. Liber ipsius Senatusconsulti formam exponere, quo libros inspici clarissimorum jussit auctoritas.

Suevos & Sarmatas vincit.

Marcomannos similiter. U.C.1023. p. C.N. 271.

CAP. XIX. Die tertio Idus Januariæ Fulvius Sabinus prætor urbanus dixit; *Referimus ad vos, Patres Conscripti, Pontificum suggestionem, & Aureliani Principis litteras; quibus jubetur, ut inspiciantur fatales libri, quibus spes belli terminandi sacrato Deorum Imperio continetur; Scitis enim ipsi, quotiescumque gravior aliquis exstitit motus, eos semper inspectos: neque prius mala publica*

Senatus de libris Sibyllinis consultatio.

publica esse finita, quam ex iis sacrificiorum processit auctoritas. Tunc surrexit primae sententiae Ulpius Syllanus, atque ita loquutus est: *Sero nimis, Patres Conscripti, de Reipublicae salute consulimus, sero ad fatalia jussa respicimus; more languentium, qui ad summos medicos nisi in summa desperatione non mittunt: proinde quasi peritioribus viris major facienda sit cura; cum omnibus morbis occurri sit melius. Meministis enim, Patres Conscripti, me in hoc ordine saepe dixisse, jam tum cum primum nuntiatum est Marcomannos erupisse, consulenda Sibyllae decreta, utendum Apollinis beneficiis, inserviendum Deorum immortalium praeceptis: recusasse vero quosdam, & cum ingenti calumnia recusasse, cum adulando dicerent, tantam Principis esse virtutem, ut opus non sit Deos consuli: proinde quasi & ipse vir magnus non Deos colat, non de Diis immortalibus speret. Quid plura? audivimus litteras, quibus rogavit opem Deorum, quae numquam cuiquam turpis est, ut vir fortissimus adjuvetur. Agite igitur, Pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, qua vestitu animisque sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis* (a) *manibus libros evolvite, fata Reipublicae, quae sunt aeterna, perquirite; Patrimis matrimisque pueris carmen indicite: nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos aris ambarvalia indicemus.*

CAP. XX. Post haec interrogati plerique Senatores, sententias dixerunt, quas longum est innectere. Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententias euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est Senatus consultum. Itum est deinde ad templum, inspecti libri, proditi versus, lustrata Urbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarvalia promissa: atque ita solemnitas quae jubebatur, expleta. Est epistola Aureliani de libris Sibyllinis; nam ipsam quoque indidi ad fidem rerum. *Miror, vos, Patres sancti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris; perinde quasi in Christianorum ecclesia, non in templo Deorum omnium, tractaretis. Agite igitur, & castimonia Pontificum, caerimoniisque solemnibus juvate Principem, necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri: quae facienda fuerint, celebrentur. Quemlibet sumptum, cujuslibet gentis captivos, quaelibet animalia regia non abnuo, sed libens offero: neque enim indecorum est Diis juvantibus vincere. Sic apud majores nostros multa finita sunt bella, sic coepta. Si quid est sumptuum, datis ad praefectum aerarii litteris decerni jussi. Est praeterea vestrae auctoritatis arca publica, quam magis refertam esse reperio, quam cupio.*

Epistola Aureliani de aperiendis libris Sibyllinis.

CAP. XXI. Cum autem Aurelianus vellet omnibus simul facta exercitus sui constipatione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta est, ut Romanum paene solveretur Imperium. Et causa quidem hujus periculi, perfidia & calliditas barbarici fuit motus. Nam cum congredi aperto marte non possent, in silvas se densissimas contulerunt; atque ita nostros vespera incumbente turbarunt. Denique nisi divina ope, post inspectionem librorum sacrificiorumque curas, monstris quibusdam speciebusque divinis impliciti essent Barbari, Romana victoria non fuisset. Finito praelio Marcomannico, Aurelianus, ut erat natura ferocior, plenus irarum Romam petit, vindictae cupidus, quam seditionum asperitas suggerebat: incivilius denique usus Imperio, vir alias optimus, seditionum auctoribus interemptis, cruentius ea quae mollius fuerant curanda, compescuit. Interfecti sunt enim nonnulli etiam nobiles Senatores, cum his leve quiddam & quod contemni à mitiore Principe potuisset, vel unus, vel levis, vel vilis testis obiiceret. Quid multa? Magnum illud, & quod jam fuerat & quod non frustra speratum est, infamiae tristioris ictu contaminavit Imperium. Timeri coepit Princeps optimus, non amari, cum alii dicerent, perfodiendum talem Principem, non optandum: alii, bonum quidem medicum, sed mala ratione curantem. His actis, cum videret posse fieri ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret; adhibito consilio Senatus, muros Urbis Romae dilatavit. Nec tamen pomoerio addidit eo tempore, sed postea. Pomoerio autem nemini Principum licet addere, nisi ei, qui agri barbarici aliqua parte Romanam Rempublicam locupletaverit. Addidit autem Augustus, addidit Trajanus, addidit Nero, sub quo Pontus Polemoniacus & Alpes Cottiae Romano nomini tributae.

Victoria de Marcomannis.

Aurelianus in Senatores seditiosos saevit.

Muros Urbis Romae dilatavit.

CAP. XXII. Transactis igitur quae ad septiones, atque Urbis statum & civilia pertinebant, contra Palmyrenos, id est, contra Zenobiam, quae filiorum nomine Orientale tenebat Imperium, iter flexit. Multa in itinere ac magna bellorum genera confecit. Nam in Thraciis & in Illyrico occurrentes Barbaros vicit: Gothorum quinetiam ducem Cannabam, sive Cannabaudem, cum quinque millibus hominem trans Danubium interemit. Atque inde per Byzantium in Bithyniam transitum fecit, eamque nullo certamine obtinuit. Multa ejus magna & praeclara, tam facta, quam dicta sunt: sed omnia libro innectere nec possumus, fastidii evitatione, nec volumus: sed ad intelligendos mores atque virtutem pauca libanda sunt. Nam cum Thyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixisse fertur, *Canem in hoc oppido non relinquam.* Tunc & militibus acrius incumbentibus spe praedae, & Heraclammone quodam, timore ne inter ceteros occideretur, patriam suam prodente, civitas capta est.

Contra Zenobiam proficiscitur. U. C. 1024. P. C. N. 272.

Thyana obsessa.

& capta.

CAP. XXIII. Sed Aurelianus duo statim praecipua, quod unum severitatem ostenderet, alterum lenitatem, ex imperatoria mente monstravit. Nam & Heraclammonem proditorem patriae suae, sapiens victor occidit: & cum milites juxta illud dictum, quo canem se relicturum apud Thyanaeos negarat, eversionem urbis exposcerent, respondit iis; *Canem,* inquit *negavi in hac urbe me relicturum; canes omnes occidite.* Grande Principis dictum, grandius militum votum: nam dictum Principis, quo praeda negabatur, civitas, servabatur, totus exercitus, ita quasi ditaretur accepit. Epistola de Heraclammone. *Aurelianus Augustus Mallio Chiloni. Occidi passus sum cujus quasi beneficio Thyanam recepi. Ego vero proditorem amare non potui; &* libenter

Canes cur in urbe Thyana occidi jusserit.

Heraclammon proditor patriae interfectus.

(a) al. *velatis.*

libenter tuli, quod eum milites occiderunt: neque enim mihi fidem ſervare potuiſſet qui patriæ non pepercit. Solum denique ex omnibus qui oppugnabantur, campus accepit. Divitem hominem negare non poſſum, ſed cujus bona ejus liberis reddidi: ne quis me cauſa pecuniæ locupletem hominem occidi paſſum eſſe criminaretur.

Quomodo Thyana capta.

CAP. XXIV. Capta autem civitas eſt miro modo. Nam cum Heraclammon locum oſtendiſſet, aggeris naturali ſpecie tumentem, qua poſſet Aurelianus occultus aſcendere, ille conſcendit, atque elata purpurea chlamyde, intus civibus, foris militibus ſe oſtendit, & ita civitas capta eſt, quaſi totus in muris Aureliani fuiſſet exercitus. Taceri non debet res, quæ ad famam venerabilis viri pertinet. Fertur enim, Aurelianum de Thyanæ civitatis everſione vera dixiſſe, vera cogitaſſe: verum Apollonium Thyanæum, celeberrimæ famæ auctoritatiſque ſapientem, veterem philoſophum, amicum verum Deorum, ipſum etiam pro numine frequentandum, recipienti ſe in tentorium, ea forma qua videtur, ſubito adſtitiſſe, atque hæc Latine, ut homo Pannonius intelligeret, verba dixiſſe: *Aureliane, ſi vis vincere, nihil eſt, quod de civium meorum nece cogites. Aureliane, ſi vis imperare, à cruore innocentium abſtine. Aureliane, clementer te age, ſi vis vivere.* Norat vultum philoſophi venerabilis, Aurelianus, atque in multis ejus imaginem viderat templis. Denique ſtatim attonitus, & imaginem & ſtatuas & templum eidem promiſit, atque in meliorem rediit mentem. Hæc ego & à gravibus viris comperi, & in Ulpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro majeſtate Apollonii magis credidi. Quid enim illo viro ſanctius, venerabilius, antiquius, diviniuſque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam. Ille multa ultra homines & fecit & dixit: quæ qui velit noſſe, Græcos legat libros, qui de ejus vita conſcripti ſunt. Ipſe autem, ſi vita ſuppetat, atque ipſius viri favori uſquequaque placuerit, breviter ſaltem tanti viri facta in litteras mittam: non quo illius viri geſta munere mei ſermonis indigeant, ſed ut ea, quæ miranda ſunt, omnium voce prædicentur.

Apollonius Thyanæus Aurelianum ne in Thyanæos ſæviat, hortatur.

Antiochia ab Aureliano capta.

CAP. XXV. Recepta Thyana, Antiochiam, propoſita omnibus impunitate, brevi apud Daphnen certamine obtinuit: atque inde præceptis, quantum probatur, venerabilis viri Apollonii parens, humanior atque clementior fuit. Pugnatum eſt poſt hæc de ſumma rerum contra Zenobiam & Zabam ejus ſocium apud Emeſſam magno certamine. Cumque Aureliani equites fatigati, jam pæne diſcederent, ac terga darent, ſubito vi numinis, quod poſtea proditum, hortante quadam divina forma, per pedites etiam equites reſtituti ſunt. Fugata eſt Zenobia cum Zaba, & pleniſſime parta victoria. Recepto igitur Orientis ſtatu, Emeſſam victor Aurelianus ingreſſus eſt, ac ſtatim ad templum Heliogabali tetendit, quaſi communi officio vota ſoluturus. Verum illic eam formam numinis reperit, quam in bello ſibi faventem vidit. Quare & illic templa fundavit, donariis ingentibus poſitis: & Romæ Soli templum poſuit, majore honorificentia conſecratum, ut ſuo dicemus loco.

Palmyram obſidet Aurelianus.
U. C. 1024. p. C. N. 272.

CAP. XXVI. Poſt hæc Palmyram iter flexit, ut ea oppugnata, laborum terminus fieret. Sed in itinere à latronibus Syris male accepto frequenter exercitu, multa perpeſſus eſt, & in obſidione uſque ad ictum ſagittæ periclitatus eſt. Epiſtola ipſius exſtat ad Mucaporem miſſa, in qua de ejus belli difficultate ultra pudorem imperialem fatetur. *Romani me modo dicunt bellum contra feminam gerere: quaſi ſola mecum Zenobia & ſuis viribus pugnet, ac non hoſtium, quantum ſi vir à me oppugnandus eſſet, in conſcientia & timore longe deteriore. Dici non poteſt, quantum hic ſagittarum, qui belli apparatus, quantum telorum, quantum lapidum: nulla pars muri eſt, quæ non binis & ternis baliſtis occupata ſit: ignes etiam tormentis jaciuntur. Quid plura? non quaſi femina pugnat, quaſi pœnam timens. Sed credo adjuturos Romanam Rempublicam Deos, qui numquam noſtris conatibus defuerunt.* Denique fatigatus ac pro malis feſſus, litteras ad Zenobiam miſit, deditionem illius petens, vitam promittens, quarum exemplum indidi. *Aurelianus Imperator* (1) *Romani orbis, & receptor Orientis, Zenobiæ ceteriſque quos ſocietas tenet bellica. Sponte facere debuiſtis id quod meis litteris nunc jubetur: deditionem præcipio impunitate vitæ propoſita, ita ut illic Zenobia cum tuis agas vitam, ubi te ex Senatus ampliſſimi ſententia collocavero. Gemmas, argentum, aurum, ſericum, equos, camelos in ærarium Romanum conferas. Palmyrenis jus ſuum ſervabitur.*

Zenobiam ad deditionem hortatur.


Ab ea inſolentius reſponſum accipit.

CAP. XXVII. Hac epiſtola accepta, Zenobia ſuperbius inſolentiuſque reſcripſit, quam ejus fortuna poſcebat. Credo ad terrorem: nam ejus quoque epiſtolæ exemplum indidi. *Zenobia regina Orientis, Aureliano Auguſto. Nemo adhuc præter te, quod poſcis, litteris petiit. Virtute faciendum eſt, quidquid in rebus bellicis eſt gerendum. Deditionem meam petis: quaſi neſcias Cleopatram reginam perire maluiſſe, quam in qualibet vivere dignitate. Nobis Perſarum auxilia non deſunt, quæ jam ſperamus; pro nobis ſunt Saraceni, pro nobis Armenii. Latrones Syri exercitum tuum Aureliane vicerunt. Quid igitur, ſi illa venerit manus, quæ undique ſperatur? pones profecto ſupercilium, quo nunc mihi deditionem, quaſi omnifariam victor, imperas.* Hanc epiſtolam Nicomachus ſe tranſtuliſſe in Græcum ex lingua Syrorum dicit, ab ipſa Zenobia dictatam. Nam illa ſuperior Aureliani, Græca miſſa eſt.

Palmyram urget.

CAP. XXVIII. His acceptis litteris, Aurelianus non erubuit, ſed iratus eſt: ſtatimque collecto exercitu ac ducibus ſuis, undique Palmyram obſedit neque quidquam vir fortis reliquit, quod aut imperfectum videretur, aut incuratum. Nam & auxilia quæ à Perſis miſſa fuerant, intercepit: & alas Saracenas Armeniaſque corrupit, atque ad ſe, modo

(1) Romani Orbis & receptor Orientis) In numis Aurelianus prædicatur Reſtitutor Orbis & Orientis. Ut habent numi Tab. LXIII. num. 8. & 9.


Tab LXIII
ad pag. 390. 392
393. 394. 395.
396. 398. 406.
AR
I
IMP. C. HERODIANVS AVG.
Δ
AR
II
IMP. AEMILIANVS PIVS FEL. AVG.
Γ
AR
III
IMP. CAES. C. TREBELLIANVS AVG.
Γ
AR
IV
СЕПТ. ΖΗΝ. ΟΒΙΑ. СЕВ.
Γ
AR
V
IMP. VICTORIA AVG.
Γ
AR
VI
DIVO TITO
Γ
AR
VII
VICTORIA GOTHIC.
Γ
ÆR
VIII
RESTITVT. ORBIS.
A
Γ
ÆR
IX
RESTITVT. ORIENTIS
T
Γ

modo crociter, modo subtiliter, transtulit: denique post multa mulierem potentissimam vicit. Victa igitur Zenobia, cum fugeret camelis quos dromatas vocitant, atque ad Persas iter tenderet, equitibus missis est capta, atque in Aureliani potestatem deducta. Victor itaque Aurelianus, totiusque jam Orientis possessor, cum in vinculis Zenobiam teneret, cum Persis, Armeniis, Saracenis, superbior atque insolentior, egit ea, quæ ratio temporis postulabat. Tunc illæ vestes quas in templo Solis videmus, consertæ gemmis; tum Persici dracones, & tiaræ, tum genus purpuræ, quod postea nec ulla gens detulit, nec Romanus orbis vidit: de qua pauca saltem libet dicere.

Et una cum Zenobia capit. U.C. 1025. p. C.N. 273. Aurelianus victor Orientis.

CAP. XXIX. Meministis enim fuisse in templo Jovis Optimi Maximi Capitolini, pallium breve purpureum lanestre; ad quod, cum matronæ atque ipse Aurelianus jungerent purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur ceteræ, divini comparatione fulgoris. Hoc munus rex Persarum ab Indis interioribus sumptum, Aureliano dedisse perhibetur, scribens, *Sume purpuram qualis apud nos est.* Sed hoc falsum fuit. Nam postea diligentissime & Aurelianus & Probus & proxime Diocletianus, missis diligentissimis confectoribus, requisiverunt tale genus purpuræ, nec tamen invenire potuerunt. Dicitur enim sandix Indica talem purpuram facere, si curetur.

Pallium purpureum lanestre excellens.

CAP. XXX. Sed ad incepta redeamus. Ingens tamen strepitus militum fuit omnium, Zenobiam ad pœnam poscentium. Sed Aurelianus indignum existimans, mulierem interimi, occisis plerisque, quibus auctoribus illa bellum moverat, paraverat, gesserat, triumpho mulierem reservavit, ut Populi Romani oculis esset ostentui. Grave inter eos qui cæsi sunt, de Longino philosopho fuisse perhibetur, quo illa magistro usa esse ad Græcas litteras dicitur: quem quidem Aurelianus idcirco dicitur occidisse, quod superbior illa epistola ipsius diceretur dictata consilio, quamvis Syro esset sermone contexta. Pacato igitur Oriente, in Europam Aurelianus rediit victor, atque illic Carporum copias afflixit: & cum illum *Carpicum* Senatus absentem vocasset, mandasse illico fertur; *Superest, Patres Conscripti, ut me etiam Carpisculum vocetis.* (*Carpisculum* enim genus calciamenti esse, satis notum est.) Quod cognomen deforme videbatur; cum & *Gothicus*, & *Sarmaticus*, & *Armeniacus*, & *Parthicus*, & *Adiabenicus*, diceretur.

Zenobiam reservat triumpho.

Longinus Philosophus occisus.

Aureliano ob res gestas cognomina data.

CAP. XXXI. Rarum est ut Syri fidem servent, imo difficile. Nam Palmyreni, qui jam victi atque contusi fuerant, Aureliano rebus Europensibus occupato, non mediocriter rebellarunt. Sandarionem enim, quem in præsidio illic Aurelianus posuerat, cum sexcentis sagittariis occiderunt, Achilleo cuidam parenti Zenobiæ parantes Imperium. Verum adeo Aurelianus, ut erat paratus, ex Europa revertit; atque urbem, quia ita merebatur, evertit. Crudelitas denique Aureliani, vel (ut quidam dicunt) severitas, eatenus exstitit, ut epistola ejus feratur, confessionem immanissimi furoris ostentans, cujus hoc exemplum est. *Aurelianus Augustus Cejonio Basso. Non oportet ulterius progredi militum gladios, jam satis Palmyrenorum cæsum atque occisum est. Mulieribus non pepercimus, infantes occidimus, senes jugulavimus, rusticos interemimus. Cui terras, cui urbem deinceps relinquemus? Parcendum est iis qui remanserunt. Credimus enim tam paucos tam multorum suppliciis esse correctos. Templum sane Solis, quod apud Palmyram, aquiliferi legionis tertiæ cum vexilliferis, & draconario, & cornicinibus, atque liticinibus diripuerunt, ad eam formam volo quæ fuit, reddi. Habes trecentas auri libras è Zenobiæ capsulis: habes argenti mille octingenta pondo de Palmyrenorum bonis: habes gemmas regias. Ex his omnibus fac cohonestari templum: mihi & Diis immortalibus gratissimum feceris. Ego ad Senatum scribam, petens, ut mittat Pontificem qui dedicet templum.* Hæ litteræ, ut videmus, indicant satiatam esse immanitatem Principis duri.

Secundum Aurelianus contra Palmyrenos proficiscitur.

Et crudelissime in eos sævit.

CAP. XXXII. Securior denique iterum in Europam rediit: atque illic omnes, qui vagabantur hostes, nota illa sua virtute contudit. Interim res per Thracias Europamque omnem Aureliano ingentes agente, Firmus quidam exstitit, qui sibi Ægyptum, sine insignibus Imperii, quasi ut esset civitas libera, vindicavit. Ad quem continuo Aurelianus revertit: nec illi defuit felicitas solita. Nam Ægyptum statim recepit: atque, ut erat ferox animi, cogitatione multus, vehementer irascens, quod adhuc Tetricus Gallias obtineret, Occidentem petiit: atque ipso Tetrico exercitum suum prodente, quod ejus scelera ferre non posset, deditas sibi legiones obtinuit. Princeps igitur totius orbis Aurelianus, pacatis Oriente, Gallis, atque undique terris, Romam iter flexit, ut de Zenobia & Tetrico, hoc est de Oriente & Occidente, triumphum Romanis oculis exhiberet.

Firmum contra se insurgentem vincit. U. C. 1026. p. C. N. 274.

Tetricum similiter. U.C. 1026. p. C. N. 274.

CAP. XXXIII. Non ab re est cognoscere, qui fuerit Aureliani triumphus. Fuit enim speciosissimus. Currus regii tres fuerunt. In his unus Odenati, argento, auro, gemmis operosus atque distinctus: alter, quem rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus: tertius, quem sibi Zenobia composuerat, sperans, se Urbem Romanam cum eo visuram: quod illam non fefellit. Nam cum eo Urbem ingressa est, victa & triumphata. Fuit alius currus quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur regis Gothorum; quo, ut multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus invectus est, ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos, vovisse Jovi Optimo Maximo ferebatur. Præcesserunt elephanti viginti, feræ mansuetæ Libycæ, Palæstinæ diversæ ducentæ: quas statim Aurelianus privatis donavit, ne fiscum annonis gravaret: tigrides quatuor: camelopardali, alces, cetera talia per ordinem ducta: gladiatorum paria octingenta: præter captivos gentium barbararum, Blemyes, Axomytæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Persæ, cum suis quique muneribus: Gothi,

Triumphus Aureliani. U.C. 1026. p. C. N. 274.

Feræ in triumpho ductæ.

Gentes captivæ.

Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Suevi, Vandali, Germani: religatis manibus captivi præcesserunt. Inter hos etiam Palmyreni, qui superfuerant Principes civitatis. Et Ægyptii ob rebellionem.

CAP. XXXIV. Ductæ sunt & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gothos ceperat: cum multæ essent interemptæ, quas de Amazonum genere titulus indicabat. Prælati sunt tituli, gentium nomina continentes. Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccinea, tunica galbina, braccis Gallicis ornatus, adjuncto sibi filio quem Imperatorem in Gallia nuncupaverat. Incedebat etiam Zenobia, ornata gemmis, catenis aureis, quas alii sustentabant. Præferebantur coronæ omnium civitatum aureæ, titulis eminentibus proditæ. Jam Populus ipse Romanus, jam vexilla collegiorum atque castrorum, & cataphractarii milites, & opes regiæ, & omnis exercitus, & Senatus (etsi aliquantulo tristior, quod Senatores triumphari videbat) multum pompæ addiderant. Denique vix nona hora in Capitolium pervenit, sero autem ad Palatium. Sequentibus datæ sunt Populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum Circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ.

Tetricus. *Zenobia.*

CAP. XXXV. Non prætermittendum videtur, quod & memoria tenet publica, & fides historica frequentavit: Aurelianum eo tempore quo proficiscebatur ad bellum Orientale, bilibres coronas Populo promisisse, si victor rediret; & cum aureas Populus speraret, neque Aurelianus aut posset, aut vellet; coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei vocantur, & singulis quibusque donasse: ita ut siligineum suum quotidie toto ævo suo, & unusquisque reciperet, & posteris suis dimitteret. Nam idem Aurelianus & porcinam carnem Populo Romano distribuit, quæ hodieque dividitur. Leges plurimas sanxit, & quidem salutares: sacerdotia composuit, templum Solis fundavit, & Pontifices roboravit. Decrevit etiam emolumenta architectis & ministris. His gestis, ad Gallias profectus, Vindelicos obsidione barbarica liberavit: deinde ad Illyricum rediit, paratoque magno potius quam ingenti exercitu, Persis, quos eo quoque tempore, quo Zenobiam superavit, gloriosissime jam vicerat, bellum indixit. Sed cum iter faceret, apud Cænophrurium, mansionem quæ est inter Heracliam & Byzantium, malitia notarii sui, & manu Mucaporis interemptus est.

Aurelianus coronas de panibus largitur Populo. *Reliquæ Aureliani res gestæ.* *Aurelianus occiditur. U. C. 1027. p. C. N. 275.*

CAP. XXXVI. Et causa occidendi ejus quæ fuerit, & quemadmodum sit occisus, ne res tanta lateat, brevi edisseram. Aurelianus, quod negari non potest, severus, truculentus, sanguinarius fuit Princeps. Hic, cum usque eo severitatem tetendisset, ut & filiam sororis occideret, non in magna neque satis idonea causa, jam primum in odium suorum venit. Incidit autem, ut se res fataliter agunt, ut Mnestheum quemdam, quem pro notario secretorum habuerat, libertum, ut quidam dicunt, suum, infensiorem sibi minando redderet, quod nescio quid de quodam suspicatus esset. Mnestheus, qui sciret Aurelianum neque frustra minari solere, neque, si minaretur, ignoscere, brevem nominum conscripsit, mixtis iis, quibus Aurelianus vere irascebatur, cum iis de quibus nihil asperum cogitabat, addito etiam suo nomine, quo magis fidem faceret ingestæ sollicitudinis: ac brevem legit singulis quorum nomina continebat: addens, dispofuisse Aurelianum eos omnes occidere: illos vero debere suæ vitæ, si viri sunt, subvenire. Hi cum exarsissent timore qui merebantur offensam, dolorem miscentes beneficiis atque officiis quibus Aurelianus videbatur ingratus, in supradicto loco iter facientem Principem subito adorti, interemerunt.

Causa occidendi. *Mnestheus auctor occidendi.*

CAP. XXXVII. Hic finis Aureliano fuit, Principi necessario magis quam bono. Quo interfecto, cum esset res prodita, & sepulcrum ingens, & templum illi detulerunt ii, à quibus interemptus est. Sane Mnestheus postea surrectus ad stipitem, bestiis objectus est; quod statuæ marmoreæ positæ in eodem loco utrimque significant, ubi & in columnis Divo Aureliano statuæ constitutæ sunt. Senatus mortem ejus graviter tulit, gravius tamen Populus Romanus, qui vulgo dicebat, *Aurelianum pædagogum esse Senatorum.* Imperavit annis sex, minus paucis diebus: ac rebus magnis gestis inter Divos relatus est. Quia pertinet ad Aurelianum id quod in historia relatum est, tacere non debui. Nam multi ferunt Quintillum fratrem Claudii, cum in præsidio Italico esset, audita morte Claudii sumpsisse Imperium. Verum postea ubi Aurelianum comperit imperare, à toto exercitu derelictum; cumque contra eum concionaretur, nec à militibus audiretur, incisis sibimet venis die vigesimo Imperii sui periisse. Quidquid sane scelerum fuit, quidquid malæ conscientiæ, vel artium funestarum, quidquid denique factionum, Aurelianus toto penitus orbe purgavit.

Qui sceleris pœnas dat. *Aurelianus inter Divos refertur.*

CAP. XXXVIII. Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, Balbati filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, Imperium tenuisse quod tenuit. Fuit sub Aureliano etiam Monetariorum bellum, Felicissimo rationali auctore: quod acerrime severissimeque compescuit, septem tamen millibus suorum militum interemptis; ut epistola docet missa ad Ulpium Crinitum ter Consulem, qui eum ante adoptaverat. *Aurelianus Augustus Ulpio Patri. Quasi fatale quiddam incessit, (b) ut omnia quæcumque gessero, omnes motus ingravescant. Ita enim (c) seditio intramurana bellum mihi gravissimum peperit. Monetarii, auctore Felicissimo, ultimo servorum, cui procurationem fisci mandaveram, rebelles spiritus extulerunt. Hi compressi sunt, septem millibus Hiberorum, & Ripariensium & Castrianorum & Daciscorum interemptis. Unde apparet nullam mihi à Diis immortalibus, datam sine difficultate victoriam.*

Monetariorum bellum severissime compescuit.

CAP. XXXIX. Tetricum triumphatum correctorem Lucaniæ fecit, filio ejus in Senatu manente. Templum Solis magnificentissimum constituit:

Varia de Aureliano.

(*b*) al. *Quasi fatale quiddam mihi fit.* (*c*) al. *etiam.*

ros Urbis Romæ sic ampliavit, ut quinquaginta prope millia murorum ejus ambitus teneant. Item quadruplatores ac delatores ingenti severitate persequutus est: tabulas publicas ad privatorum securitatem exuri in foro Trajani semel jussit. Amnestia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est de exemplo Atheniensium; cujus rei etiam Tullius in Philippicis meminit. Fures provinciales repetundarum ac peculatus reos, ultra militarem modum est persequutus, ut eos ingentibus suppliciis cruciatibusque puniret. In templo Solis multum auri gemmarumque constituit. Cum vastatum Illyricum ac Mœsiam deperditam videret, provinciam trans Danubium Daciam à Trajano constitutam, sublato exercitu & provincialibus reliquit, desperans eam posse retineri: abductosque ex ea populos, in Mœsiam collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit. Dicitur præterea hujus fuisse crudelitatis, ut plerisque Senatoribus simulatam ingereret factionem conjurationis ac tyrannidis, quo facilius eos posset occidere. Addunt nonnulli, filium sororis, non filiam, ab eodem interfectum: plerique autem etiam filiam sororis.

Difficile Imperatorem bonum in locum boni eligere.

CAP. XL. Quam difficile sit Imperatorem in locum boni Principis legere, & Senatus sanctioris gravitas probat, & exercitus prudentis auctoritas. Occiso namque severissimo Principe, de Imperatore diligendo exercitus retulit ad Senatum, idcirco quod nullum de his faciendum putabat, qui tam bonum Principem occiderant. Verum Senatus hanc eandem delectionem in exercitum refudit, sciens, non libenter jam milites accipere Imperatores eos, quos Senatus elegerit. Denique id tertio factum est: ita ut per sex menses Imperatorem Romanus orbis non habuerit; omnesque judices ii permanerent, quos aut Senatus aut Aurelianus elegerat, nisi quod Proconsulem Asiæ Falconium Probum in locum Aurelii Fusci delegit.

Consultatio de eligendo Imperatore.

CAP. XLI. Non injucundum est ipsas inserere litteras quas ad Senatum exercitus misit. *Felices ac fortes exercitus Senatui Populoque Romano. Aurelianus Imperator noster per fraudem unius hominis, & per errorem bonorum ac malorum, interemptus est. Hunc inter Deos referte sancti & domini, Patres Conscripti, & de vobis aliquem, sed dignum vestro judicio, Principem mittite. Nos enim de iis qui vel erraverunt, vel male fecerunt: imperare nobis neminem patimur.* Rescriptum est Senatusconsulto, cum die tertio nonas Februarias Senatus amplissimus in curiam Pompilianam convenisset, Aurelius Gordianus Consul dixit, *Referimus ad vos Patres Conscripti, litteras exercitus felicissimi.* Quibus recitatis, Aurelianus Tacitus primæ sententiæ Senator, ita loquutus est, (hic autem est, qui post Aurelianum sententia omnium Imperator est appellatus) *Recte atque ordine consuluissent Dii immortales, Patres Conscripti, si boni Principes ferro inviolabiles exstitissent, ut longiorem ducerent vitam; neque contra eos aliqua esset potestas iis, qui neces infandas tristissima mente concipiunt. Viveret enim Princeps noster Aurelianus, quo neque utilior fuit quisquam. Respirare certe post infelicitatem Valeriani, post Gallieni mala, imperante Claudio cœperat nostra Respublica: at eadem reddita fuerat Aureliano toto penitus orbe vincente. Ille nobis Gallias dedit: ille Italiam liberavit: ille Vindelicis jugum barbaricæ servitutis amovit. Illo vincente Illyricum restitutum est, redditæ Romanis legibus Thraciæ. Ille (proh pudor) Orientem femineo pressum jugo, in nostra jura restituit: ille Persas, insultantes adhuc Valeriani nece, fudit, fugavit, oppressit. Illum Saraceni, Blemyes, Axomitæ, Bactriani, Seres, Hiberi, Albani, Armenii, populi etiam Indorum, veluti præsentem pæne venerati sunt Deum. Illius donis, quæ à Barbaris gentibus meruit, refertum est Capitolium: quindecim millia librarum auri, ex ejus liberalitate unum tenet templum: omnia in Urbe fana, ejus micant donis. Quare, Patres Conscripti, vel Deos ipsos jure, convenio, qui talem Principem interire passi sunt: nisi forte secum eum esse maluerunt. Decerno igitur divinos honores: id quod vos omnes existimo esse facturos. Nam de Imperatore deligendo ad eundem exercitus censeo esse referendum. Etenim in tali genere sententiæ, nisi fiat quod dicitur, & electi periculum erit, & eligentis invidia.* Probata est sententia Taciti: attamen cum iterum atque iterum mitteretur, ex Senatusconsulto, quod in Taciti vita dicemus, Tacitus factus est Imperator.

Sententia Taciti.

Tacitus factus Imperator. U. U. 1027. p. C. N. 275.

Aureliani posteri.

CAP. XLII. Aurelianus filiam solam reliquit, cujus posteri etiam nunc Romæ sunt. Aurelianus namque Proconsul Ciliciæ, Senator optimus, sui vere juris vitæque venerabilis, qui nunc in Sicilia vitam agit, ejus est nepos. Quid hoc esse dicam, tam paucos bonos extitisse Principes, cum jam tot Cæsares fuerint; nam ab Augusto in Diocletianum Maximianumque Principes, quæ series purpuratorum sit, index publicus tenet. Sed in his optimi, ipse Augustus, Flavius Vespasianus, Titus, Coccejus Nerva, Divus Trajanus, Divus Hadrianus, Pius & Marcus Antonini, Severus Afer, Alexander Mammææ, Divus Claudius & Divus Aurelianus. Valerianus enim, cum optimus fuerit, ab omnibus infelix apparuit. (*d*) Vides (quæso) quam pauci sint Principes boni, ut bene dictum sit à quodam mimico scurra Claudii, hujus temporibus, *In uno anulo bonos Principes posse perscribi atque depingi.* At contra, quæ series malorum? ut enim omittamus Vitellios, Caligulas, & Nerones; quis ferat Maximinos & Philippos, atque illam inconditæ multitudinis fæcem? Tametsi Decios excerpere debeam, quorum & vita & mors veteribus comparanda est.

Boni Principes pauci.

Principes malos quid faciat.

CAP. XLIII. Et quæritur quidem quæ res malos Principes faciat? Jam primum nimia licentia, deinde rerum copia; amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi avarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, & (quod negari non potest) rerum publicarum ignorantia. Sed ego à patre meo audivi, Diocletianum Principem, jam privatum, dixisse, *nihil esse difficilius quam bene imperare.* Colligunt se quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quod

Fff

(*d*) al. Ab omnibus infelicitas paruit.

quod probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non novit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit judices quos fieri non oportet; amovet à Republica quos debeat obtinere. Quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat, *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Hæc Diocletiani verba sunt; quæ idcirco inserui, ut prudentia tua sciret nihil esse difficilius bono Principe.

Judicia de Aureliano.

CAP. XLIV. Et Aurelianum quidem multi neque inter bonos, neque inter malos Principes ponunt, idcirco quod ei clementia, Imperatorum dos prima, defuerit. Verconius Herennianus præfectus prætorio Diocletiani, teste Asclepiodoto, sæpe dicebat, Diocletianum frequenter dixisse, cum Maximiani asperitatem reprehenderet, *Aurelianum magis ducem esse debuisse quam Principem.* Nam ejus nimia ferocitas eidem displicebat. Mirabile fortasse videtur, quod compertum Diocletiano, Asclepiodotus Celsino consiliario suo dixisse perhibet: sed de hoc posteri judicabunt. Dicebat enim, quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem, *utrum apud ejus posteros imperium permaneret?* tum illas respondisse dixit, *Nullius clarius in Republica nomen, quam Claudii posterorum futurum.* Et est quidem jam Constantius Imperator ejusdem vir sanguinis, cujus puto posteros ad eam gloriam quæ à Druidibus prænuntiata sit, pervenire. Quod idcirco ego in Aureliani vita constitui, quia hæc ipsi Aureliano consulenti responsa sunt.

Varia de Aureliano.

CAP. XLV. Vectigal ex Ægypto Urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stupæ, atque anabolicas species æternas constituit. Thermas in Transtiberina regione Aurelianus facere paravit hiemales, quod aquæ frigidioris copia illic deesset. Forum nominis sui in Ostiensi ad mare fundare cœpit: in quo postea prætorium publicum constitutum est. Amicos suos honeste ditavit & modice; ut miserias paupertatis effugerent, & divitiarum invidiam patrimonii moderatione vitarent. Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam dedit. Et cum ab eo uxor sua peteret, *ut unico pallio blatteo serico uteretur*, ille respondit, *Absit ut auro fila pensentur.* Libra enim auri tunc libra serici fuit.

Auri usum terminare voluit Aurelianus.

CAP. XLVI. Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur; dicens, *plus auri esse in rerum natura quam argenti; sed aurum per varios bractearum, filorum, & liquationum usus perire, argentum autem in suo usu manere.* Idem dederat facultatem, ut aureis, qui vellent, & vasis uterentur, & poculis. Dedit præterea potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent; cum antea ærata & eborata vehicula fuissent. Idem concessit, ut blatteas matronæ tunicas haberent, & ceteras vestes; cum antea coloreas habuisset, & ut multum oxypæderotinas. Et ut fibulas aureas gregarii milites haberent, idem primus concessit; cum antea argenteas habuissent. Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit; cum ante nonnisi rectas purpureas accepissent: & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & usque ad pentelores, quales hodie lineæ sunt.

Panem Populo Romano auget Valetianus.

CAP. XLVII. Panibus Urbis Romæ unciam de Ægyptio vectigali auxit, ut quadam epistola data ad præfectum annonæ Urbis, etiam ipse gloriatur, *Aurelianus Augustus Flavio Arabiano Præfecto annonæ. Inter cetera quibus Diis faventibus Romanam Rempublicam juvimus, nihil mihi est magnificentius, quam quod additamento unciæ omne annonarum urbicarum genus juvi: quod ut esset perpetuum, naviculariros Niliacos apud Ægyptum novos, & Romæ amnicos posui. Tiberinas exstruxi ripas: vadum alvei tumentis effodi. Diis & Perennitati vota constitui, almam Cererem consecravi. Nunc tuum est officium, Arabiane jucundissime, elaborare, ne meæ dispositiones in irritum veniant. Neque enim Populo Romano saturo quidquam potest esse lætius.*

Vinum quoque dare voluit gratis.

CAP. XLVIII. Statuerat & vinum gratuitum Populo Romano dare, ut, quemadmodum oleum & panis & porcina gratuita præberentur, sic etiam vinum daretur, quod perpetuum hac dispositione conceperat. Etruriæ per Aureliam, usque ad Alpes maritimas, ingentes agri sunt, iique fertiles ac silvosi. Statuerat igitur dominis locorum incultorum, qui tamen vellent, pretia dare, atque illic familias captivas constituere, vitibus montes conserere, atque ex eo opere vinum dare, ut nihil redituum fiscus acciperet, sed totum Populo Romano concederet. Facta erat ratio dogæ, cuparum, navium, & operum. Sed multi dicunt, Aurelianum, ne id faceret, præventum; alii à præfecto prætorii sui prohibitum, qui dixisse fertur, *Si & vinum Populo Romano damus, superest ut & pullos & anseres demus.* Argumento est id vere Aurelianum cogitasse, imo etiam facere disposuisse, vel ex aliqua parte fecisse, quod in porticibus templi Solis, fiscalia vina ponuntur, non gratuita Populo eroganda, sed pretio. Sciendum tamen, congiaria illum ter dedisse, donasse etiam Populo Romano tunicas albas manicatas ex diversis provinciis, & lineas Afras atque Ægyptias puras: ipsumque primum donasse oraria Populo Romano, quibus uteretur Populus ad favorem.

Severitas Aureliani in domesticos.

CAP. XLIX. Displicebat ei, cum esset Romæ, habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Sallustii, vel in Domitiæ vivere. Miliarensem denique porticum in hortis Sallustii ornavit, in qua quotidie & equos & se fatigabat, quamvis esset non bonæ valetudinis. Servos & ministros peccantes coram se cædi jubebat, ut plerique dicunt, causa tenendæ severitatis: ut alii, studio crudelitatis. Ancillam suam, quæ adulterium cum servo suo fecerat, capite punivit. Multos servos è familia propria qui peccaverant, legibus audiendos judiciis publicis dedit. Senatum, sive senaculum, matronis reddi voluerat: ita ut primæ illic, quæ sacerdotia Senatu auctore meruissent. Calceos mulleos, & cereos, & albos, & hederacios, viris omnibus tulit, mulieribus reliquit. Cursores eo habitu quo ipse habebat, Senatoribus concessit. Concubinas ingenuas haberi vetuit. Eunuchorum modum pro sena-

ſenatoriis profeſſionibus ſtatuit, idcirco quod ad ingentia pretia perveniſſent. Vas argenti ejus numquam triginta libras tranſiit. Convivium de aſſaturis maxime fuit. Vino rufo maxime delectatus eſt.

Res domeſticas quomodo curavit.

CAP. L. Medicum ad ſe cum ægrotaret, numquam vocavit, ſed ipſe ſe inedia præcipue curabat. (2) Uxori & filiæ anulum *(e)* ſigillaricium, quaſi privatus, inſtituit. Servis ſuis, veſtes eaſdem Imperator, quas & privatus dedit, præter duos ſenes; quibus quaſi libertis plurimum detulit, Antiſtium & Gillionem, qui poſt eum, ex Senatus ſententia, manumiſſi ſunt. Erat quidem rarus in voluptatibus; ſed miro modo mimis delectabatur: vehementiſſime autem delectatus eſt Phagone, qui uſque eo multum comedit, ut uno die ante menſam ejus aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum commederet: biberet autem infundibulo appoſito, plus orca. Habuit tempus, præter ſeditiones quaſdam domeſticas, fortunatiſſimum. Populus autem Romanus eum amavit: Senatus timuit.

Aurelianum Populus amavit, Senatus timuit.

FLAVII VOPISCI SYRACUSII

TACITUS IMPERATOR.

CAPUT I.

Pontifices hiſtoriæ conſcribendæ poteſtatem habuerunt.

QUod poſt exceſſum Romuli, novello adhuc Romanæ Urbis Imperio, factum Pontifices, penes quos ſcribendæ hiſtoriæ poteſtas fuit, in litteras retulerunt; ut interregnum, dum poſt bonum Principem bonus alius quæritur, iniretur; hoc poſt Aurelianum, habito inter Senatum exercitumque Romanum non invido, non triſti, ſed grato religioſoque certamine, ſex totis menſibus factum eſt. Multis tamen modis hæc ab illo negotio cauſa ſeparata eſt. Jam primum enim cum interregnum initum eſt poſt Romulum, interreges tamen facti ſunt. Totuſque ille annus per quinos & quaternos dies ſive ternos, centum Senatoribus deputatus eſt, ita ut qui valerent, interreges eſſent, ſinguli dumtaxat. Quare factum eſt, ut & plures annos interregnum iniretur, ne aliquis ſub æquali dignitate Romani expers remaneret Imperii. Huc accedit, quod etiam ſub Conſulibus tribuniſque militaribus præditis Imperio conſulari, ſi quando interregnum initum eſt, interreges fuerunt. Nec umquam ita vacua fuit hoc nomine Romana Reſpublica, ut nullus interrex biduo ſaltem triduove crearetur. Video mihi poſſe objici, curules magiſtratus apud majores noſtros quadriennium in Republica non fuiſſe: ſed erant tribuni plebis cum tribunitia poteſtate, quæ pars maxima regalis Imperii eſt: tamen non eſt proditum, interreges eo tempore non fuiſſe. Quinetiam, verioribus hiſtoricis referentibus, declaratum eſt, Conſules ab interregibus prius creatos, qui haberent reliquorum comitia magiſtratuum.

Interreges poſt exceſſum Romuli.

Sub Conſulibus.

Interregnum quietum.

CAP. II. Ergo, quod rarum & difficile fuit, Senatus Populuſque Romanus perpeſſus eſt, ut Imperatorem per ſex menſes, dum bonus quæritur, Reſpublica non haberet. Quæ illa concordia militum? quanta Populo quies? quam gravis Senatus auctoritas fuerit. Nullus uſquam tyrannus emerſit: ſub judicio Senatus & militum Populique Romani totus orbis eſt temperatus: non illi Principem quemquam, ut recte facerent, non tribunitiam poteſtatem formidabant: ſed (quod eſt in vita optimum) ſe timebant. Dicenda eſt tamen cauſa tam felicium morarum, & ſpeciatim monumentis publicis inſerenda ea in poſteros humani generis ſtupenda moderatio: ut diſcant qui regna cupiunt, non raptum ire Imperia, ſed mereri. Interfecto ſane fraude Aureliano, ut ſuperiore libro ſcriptum eſt, calliditate ſervi nequiſſimi, errore militarium, ut apud quoslibet commenta plurimum valent, dummodo irati audiant, plerumque temulenti, certe conſiliorum prope ſemper expertes (reverſis ad bonam mentem omnibus, eiſdemque ab exercitu graviter confutatis) cœptum eſt queri, & quis fieri deberet ex omnibus Princeps. Tunc odio præſentium, exercitus qui creare Imperatorem raptim ſolebat, ad Senatum litteras miſit, de quibus priore libro jam dictum eſt, petens, ut ex ordine ſuo Principem legerent. Verum Senatus ſciens, lectos à ſe Principes militibus non placere, rem ad milites retulit. Dumque id ſæpius fit, ſextus peractus eſt menſis.

Ejus cauſa.

Tacitus electus Imperator. U. C. 1027. p. C. N. 275.

CAP. III. Intereſt tamen, ut ſciatur quemadmodum Tacitus Imperator ſit creatus. Die ſeptimo Kalendas Octobres, cum in curiam Pompilianam ordo ampliſſimus conſediſſet, Velius Cornificius Gordianus Conſul dixit, *Referimus ad vos, Patres Conſcripti, quod ſæpe retulimus. Imperator eſt deligendus: exercitus ſine Principe recte diutius ſtare non poteſt, ſimul quia cogit neceſſitas. Nam limitem trans Rhenum Germani rupiſſe dicuntur, occupaſſe urbes validas, nobiles, divites, & potentes. Jam ſi nihil de Perſicis motibus nuntiatur; cogitate tam leves eſſe mentes Syrorum, ut regnare vel feminas cupiant potius, quam noſtram perpeti ſanctimoniam. Quid Africam? quid Illyricum? quid Ægyptum, earumque omnium partium exercitum, quouſque ſine Principe credimus poſſe conſiſtere? Quare agite, Patres Conſcripti, & Principem dicite: aut accipiet eum exercitus quem elegeritis: aut ſi refutaverit, alterum faciet.*

Ex Senatusconſulto.

CAP. IV. Poſt hæc cum Tacitus, qui erat primæ ſententiæ conſularis, ſententiam (incertum quam) vellet dicere, omnis Senatus acclamavit, Ta-

(*e*) al. Annum.

(2) Uxori) Quæ erat Severina. Cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 408. vide Tab. LXIV. num. 1.

Tacite Auguste, Dii te servent. Te deligimus, te Principem facimus, tibi curam Reipublicæ orbisque mandamus. Suscipe Imperium ex Senatus auctoritate: tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est, quod mereris. Princeps Senatus recte Augustus creatur; primæ sententiæ vir, recte Imperator creatur. Et quis melius quam gravis imperat? & quis melius quam litteratus imperat? Quod bonum, faustum, salutareque sit, diu privatus fuisti. Scis quemadmodum debeas imperare, qui alios Principes pertulisti. Scis quemadmodum debeas imperare, qui de aliis Principibus judicasti. At ille: *Miror, Patres Conscripti, vos in locum Aureliani fortissimi Imperatoris, senem velle Principem facere. En membra, quæ jaculari valeant, quæ hastile torquere, quæ clypeis intonare, quæ ad exemplum docendi milites frequenter equitare. Vix munia Senatus implemus, vix sententias, ad quas nos locus arctat, edicimus. Videte diligentius, quam ætatem de cubiculo atque umbra in pruinas æstusque mittatis. An probaturos senem Imperatorem milites creditis? Videte ne Reipublicæ, non eum quem velitis Principem detis: & mihi hoc solum obesse incipiat, quod me unanimiter delegistis.*

Tacitus Imperium recusat ob senectutem.

Sed frustra.

CAP. V. Post hæc acclamationes Senatus hæ fuerunt: *Et Trajanus ad Imperium senex venit:* (dixerunt decies) *Et Hadrianus ad Imperium senex venit:* (dixerunt decies) *Et Antoninus ad Imperium senex venit:* (dixerunt decies) *Et tu legisti, incanaque menta Regis Romani,* (dixerunt decies) *Et quis melius quam senex imperat?* (dixerunt decies) *Imperatorem te, non militem, facimus:* (dixerunt vicies) *Tu jube, milites pugnent.* (dixerunt tricies) *Habes prudentiam, & bonum fratrem.* (dixerunt decies) *Severus dixit, Caput imperare, non pedes.* (dixerunt tricies) *Animum tuum, non corpus eligimus.* (dixerunt vicies) *Tacite Auguste, Dii te servent.* Deinde OMNES. Interrogatus præterea qui post Tacitum sedebat Senator consularis Metius Falconius Nicomachus, in hæc verba disseruit.

Metii Falconii sententia de electione Taciti.

CAP. VI. *Semper quidem, Patres Conscripti, recte atque prudenter Reipublicæ magnificus hic ordo consuluit, neque à quoquam orbis terræ populo solidior umquam exspectata sapientia est: attamen nulla umquam neque gravior, neque prudentior in hoc sacrario dicta sententia est. Seniorem Principem fecimus, & virum qui omnibus quasi pater consulat. Nihil ab hoc immaturum, nihil properum, nihil asperum formidandum est. Omnia seria, cuncta gravia, & quasi ipsa Respublica jubeat, auguranda sunt. Scit enim qualem sibi Principem semper optaverit: nec potest aliud nobis exhibere, quam quod ipse desideravit & voluit. Enimvero si recolere velitis vetusta illa prodigia, Nerones dico & Heliogabalos, & Commodos, seu potius semper Incommodos, certe non hominum magis vitia illa quam ætatum fuerunt. Dii avertant, Principes pueros; & Patres patriæ, dici impuberes: & quibus ad subscribendum magistri litterarii manus teneant: quos ad consulatus dandos, dulcia & circuli, & quæcumque voluptas puerilis invitet. Quæ, malum, ratio est, habere Imperatorem qui famam curare non noverit: qui, quid sit Respublica, nesciat, nutritorem timeat, respiciat ad nutricem, manuum magistralium ictibus terrorique subjaceat: faciat eos Consules, duces, judices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta non norit. Sed quid diutius, Patres Conscripti, protrahor? magis gratulemur quod habemus Principem senem, quam illa iteremus quæ plusquam lacrymanda tolerantibus exstiterunt. Gratias igitur Diis immortalibus ago atque habeo, & quidem pro universa Republica; teque Tacite Auguste, convenio, petens, obsecrans, libere pro communis patriæ legibus deposcens, ne parvulos tuos, si te citius fata prævenirent, facias Romani heredes Imperii: ne sic Rempublicam, Patresque Conscriptos, Populumque Romanum, ut villulam tuam, ut colonos tuos, ut servos tuos relinquas. Quare circumspice, imitare Nervos, Trajanos, Hadrianos. Ingens est gloria morientis Principis, Rempublicam magis amare quam filios.*

CAP. VII. Hac oratione & Tacitus ipse vehementer est motus, & totus senatorius ordo concussus: statimque acclamatum est, *Omnes, Omnes.* Inde itum ad campum Martium: ibi comitiale tribunal ascendit: ibi præfectus Urbis Ælius Cesetianus sic loquutus est: *Vos sanctissimi milites, & sacratissimi vos Quirites, habetis Principem quem de sententia omnium exercituum Senatus elegit: Tacitum dico, augustissimum virum, ut qui hactenus sententiis suis Rempublicam juvit, nunc juvet jussis atque consultis.* Acclamatum est à Populo, *Felicissime Tacite Auguste, Dii te servent,* & reliqua quæ solent dici. Hoc loco tacendum non est, plerosque in litteras retulisse, Tacitum absentem & in Campania positum, Principem nuncupatum: quod verum est, nec dissimulare possum. Nam cum rumor emersisset, illum Imperatorem esse faciendum, discessit, atque in Bajano duobus mensibus fuit. Sed inde deductus, huic Senatusconsulto interfuit, quasi vere privatus, & qui vere recusaret Imperium.

Ælius Cesetianus Tacitum Imperatorem proclamat.

Tacitus absens electus.

CAP. VIII. Ac ne quis me Græcorum alicui vel Latinorum existimet temere credidisse, habet bibliotheca Ulpia, in armario sexto, librum elephantinum, in quo hoc Senatusconsultum perscriptum est: cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu hæc Senatusconsulta quæ ad Principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur. Inde ad exercitus profectus: ibi quoque cum primum tribunal ascendit, Mœsius Gallicanus præfectus prætorio in hæc verba disseruit. *Dedit, sanctissimi commilitones, Senatus Principem quem petiistis: paruit præceptis & voluntati castrensium ordo ille nobilissimus. Plura mihi apud vos præsente Imperatore non licet loqui. Ipsum igitur qui tueri nos debet, loquentem dignanter audite.* Post hoc Tacitus Augustus dixit: *Et Trajanus ad Imperium senex venit: sed ille ab uno deductus est: at me, sanctissimi commilitones, primum vos, qui scitis Principes approbare: deinde amplissimus Senatus, dignum hoc nomine judicavit: curabo, enitar, efficiam ne vobis desint, si non fortia facta, at saltem vobis atque Imperatore digna consilia.*

Mœsius Gallicanus Tacitum apud exercitum proclamat.

Taciti oratio ad exercitum.

CAP. IX. Post hoc stipendium & donativum ex more promisit: & primam orationem ad Senatum talem dedit: *Ita mihi liceat, Patres Conscripti, sic Imperium regere, ut à vobis me constet, electum, ut ego cuncta ex vestra facere sententia & potestate decrevi. Vestrum est igitur ea jubere atque*

Et ad Senatum.

sancire

sancire quæ digna vobis, digna modesto exercitu digna Populo Romano esse videantur. In eadem oratione, Aureliano statuam auream ponendam in Capitolio decrevit: idem statuam argenteam in curia, item in templo Solis, item in foro Divi Trajani. Sed aurea non est posita: dedicatæ autem sunt solæ argenteæ. In eadem oratione cavit, ut si quis argento publice privatimque æs miscuisset, si quis auro argentum, si quis æri plumbum, capitale esset, cum bonorum proscriptione. In eadem oratione cavit, ut servi in dominorum capita non interrogarentur, ne in causa majestatis quidem. Addidit, ut Aurelianum omnes pictum haberent. Divorum templum fieri jussit, in quo essent statuæ Principum bonorum; ita ut iisdem, natalibus suis, & parilibus, & Calendis Januariis, & votis, libamina ponerentur. In eadem oratione fratri suo Floriano consulatum petiit, & non impetravit, idcirco quod jam Senatus omnia nundina suffectorum Consulum clauserat. Dicitur autem multum lætatus Senatus libertate, quod ei negatus est consulatus, quem fratri petierat. Fertur denique dixisse, *Scit Senatus quem Principem fecerit.*

Statuas varias decernit.

Variæ Taciti leges.

CAP. X. Patrimonium suum publicavit, quod habuit in reditibus, sestertium bis millies octingenties. Pecuniam quam domi collegerat, in stipendium militum vertit. Togis & tunicis iisdem est usus quibus privatus. Meritoria intra Urbem stare vetuit: quod quidem diu tenere non potuit. Thermas omnes ante lucernam claudi jussit: ne quid per noctem seditionis oriretur. CORNELIUM TACITUM, scriptorem historiæ Augustæ, quod parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari jussit: & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus in* evicis archiis (*f*) jussit, & in bibliothecis poni. Holosericam vestem viris omnibus interdixit. Domum suam destrui præcepit, atque in eo loco thermas publicas fieri, privato sumptu jussit. Columnas centum Numidicas, pedum vicenum ternum, Ostiensibus donavit de proprio. Possessiones quas in Mauritania habuit, sartis tectis Capitolii deputavit. Argentum mensale quod privatus habuerat, ministeriis conviviorum, quæ in templis fierent, dedicavit. Servos urbanos omnes manumisit utriusque sexus; intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur.

Cornelium Tacitum historicum in omnibus bibliothecis poni jussit Tacitus.

CAP. XI. Ipse fuit vitæ parcissimæ, ita ut sextarium vini tota die numquam potaverit, sæpe intra heminam. Convivium vero unius gallinacei, ita ut sinciput adderet, & ova. Præ omnibus, oleribus affatim ministratis, lactucis impatienter indulsit: somnum enim se mercari illa sumptus effusione dicebat. Amariores cibos appetivit. Balneis raro usus est, atque validior in senectute. Vitreorum diversitate atque operositate vehementer est delectatus. Panem nisi siccum numquam comedit, eundemque sale atque aliis rebus conditum. Fabricarum peritissimus fuit: marmorum cupidus: nitoris senatorii: venationum studiosus. Mensam denique suam numquam nisi agrestibus opimavit. Fasianam avem, nisi suo & suorum natali & diebus festissimis, non posuit. Hostias suas, semper domum revocavit; iisdemque suos vesci jussit. Uxorem gemmis uti non est passus. Auroclavatis vestibus idem interdixit. Nam & ipse auctor Aureliano fuisse perhibetur, ut aurum à vestibus & cameris & pellibus submoveret. Multa hujus feruntur, sed longum est ea in litteras mittere. Quod si quis omnia de hoc viro cupit scire, legat Suetonium Optatianum, qui ejus vitam affatim scripsit. Legit sane senex minutulas litteras ad stuporem: nec umquam noctem intermisit, qua non aliquid vel scriberet vel legeret, præter posterum Calendarum diem.

Taciti Parsimonia.

CAP. XII. Nec tacendum est, & frequenter imitandum, tantam Senatus lætitiam fuisse, quod eligendi Principis cura ad ordinem amplissimum revertisset, ut & supplicationes decernerentur, & hecatombe promitteretur à singulis: denique Senatores ad suos scriberent, nec ad suos tantum, sed etiam ad externos: mitterentur præterea litteræ ad provincias, ut scirent omnes socii omnesque nationes, in antiquum statum redisse Rempublicam ac Senatum Principes legere; imo ipsum Senatum Principem factum: leges à Senatu petendas, reges barbaros Senatui supplicaturos; pacem ac bella Senatu auctore tractanda. Ne quid denique deesset cognitioni, plerasque hujusmodi epistolas in fine libri posui, & cum cupiditate & sine fastidio, ut existimo, perlegendas.

Lætitia, quod cura legendi Principis revertisset ad Senatum.

CAP. XIII. Et prima quidem illi cura Imperatoris facti hæc fuit, ut omnes qui Aurelianum occiderant, interimeret, bonos malosve, cum jam ille vindicatus esset. Et quoniam à Mæotide multi barbari eruperant, hos eosdem consilio atque viribus, ut eo redirent, compulit. Ipsi autem Mæotidæ ita congregabantur; quasi accitu Aureliani ad bellum Persicum convenissent, auxilium daturi nostris, si necessitas postularet. Cum Tullius dicat, magnificentius esse dicere quemadmodum ceperit consulatum Marcus: at in isto viro magnificum fuit, quod tanta gloria cepit Imperium. Gessit autem propter brevitatem temporum, nihil magnum. Interemptus est enim insidiis militaribus, ut alii dicunt, sexto mense: ut alii, morbo interiit. Tamen constat, factionibus eum oppressum, mente atque animo defecisse. Hic idem mensem Septembrem *Tacitum* appellari jussit, idcirco quod eo in mense & natus & factus est Imperator. Huic frater FLORIANUS Imperio successit: de quo pauca ponenda sunt.

Tacitus Mæotidas in ordinem redigit.

Interimitur. U. C. 1028. p. C. N. 276.

Mensem Septembrem Tacitum dicit.

(*f*) al. in cunctis archivis.

FLAVII VOPISCI SYRACUSII FLORIANUS.

CAPUT I.

Florianus Imperium arripit U.C. 1028. p. C. N. 276.

HIc frater Taciti germanus fuit, qui post fratrem arripuit Imperium, non Senatus auctoritate, sed suo motu, quasi hereditarium esset Imperium: cum sciret adjuratum esse in Senatu Tacitum, ut cum mori cepisset, non liberos suos, sed optimum aliquem Principem faceret. Denique vix duobus mensibus Imperium tenuit, & occisus est Tarsi à militibus, qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat. Tantus autem Probus fuit in re militari, ut illum Senatus optaret, miles eligeret, ipse Populus Romanus acclamationibus peteret. Fuit etiam Florianus morum fratris imitator, nec tamen usquequaque. Nam effusionem in eo frater frugi reprehendebat: & hæc ipsa imperandi cupiditas, aliis eum moribus ostendit fuisse quam fratrem. Duo igitur Principes una exstiterunt domo quorum alter sex mensibus, alter vix duobus imperaverunt, quasi quidam interreges inter Aurelianum & Probum, post interregnum Principes nuncupati.

Occiditur.

Mores Floriani.

Statuæ Taciti & Floriani.

CAP. II. Horum statuæ fuerunt Interamnæ duæ, pedum tricenum ex marmore, quod illic eorum cenotaphia constituta sunt in solo proprio: sed dejectæ fulmine, ita contritæ sunt, ut membratim jaceant dissipatæ: quo tempore, responsum est ab aruspicibus, quandoque ex eorum familia Imperatorem Romanum futurum, seu per feminam, seu per virum, qui det judices Parthis ac Persis: qui Francos & Alemannos sub Romanis legibus habeat; qui per omnem Africam barbarum non relinquat; qui Taprobanis præsidem imponat; qui ad Romanam Insulam Proconsulem mittat; qui Sarmatis omnibus judicet; qui terram omnem, qua Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, suam faciat: postea tamen Senatui reddat Imperium, & antiquis legibus vivat, ipse victurus annis centum viginti, & sine herede moriturus. Futurum autem eum dixerunt à die fulmine præcipitatis statuisque confractis post annos mille. Non magna hæc urbanitas aruspicum fuit, qui Principem talem post mille annos futurum esse dixerunt: quia si post centum annos prædicerent fore, possent eorum deprehendi mendacia, cum vix remanere talis possit historia. Ego tamen idcirco hæc inserenda volumini credidi, ne quis me legens, legisse non crederet.

Aruspicum responsio.

Mendacii merito insimulata.

Taciti imago.

CAP. III. Tacitus congiarium Populo Romano intra sex menses vix dedit. Imago ejus posita est in Quintiliorum, in una tabula, quintuplex, in qua semel togatus, semel chlamydatus, semel armatus, semel palliatus, semel venatorio habitu. De qua quidam epigrammatarius ita lusit, ut diceret: *Non agnosco senem armatum, non chlamydatum, inter cetera, sed agnosco togatum.* Et Floriani liberi & Taciti multi exstiterunt: quorum sunt posteri, credo, millesimum annum exspectantes. In quos multa epigrammata scripta, quo jocati sunt aruspices Imperium pollicentes. Hæc sunt quæ de vita Taciti atque Floriani digna memoratu comperisse memini. Nunc nobis aggrediendus est PROBUS, vir domi forisque conspicuus, vir Aureliano, Trajano, Adriano, Antoninis, Alexandro, Claudioque præferendus: nisi quia in illis varia, in hoc omnia præcipua tunc fuere: qui post Tacitum omnium judicio bonorum, Imperator est factus, orbemque rerrarum pacatissimum gubernavit, deletis barbaris gentibus, deletis etiam plurimis tyrannorum, qui ejus temporibus exstiterunt: de quo dictum est, ut Probus diceretur, etiamsi Probus nomine non fuisset. Quem quidem multi ferunt, etiam Sibyllinis libris promissum: qui si diutius fuisset, orbis terræ barbaros non haberet. Hæc ego in aliorum vita de Probo credidi relibanda, ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret, ne fatali necessitate absumptus, Probo indicto deperirem. Nunc claudam volumen, satisfactum arbitrans studio & cupiditati meæ.

Taciti & Floriani posteri.

Probus optimis Principibus præferendus.

Omina Imperii Taciti.

CAP. IV. Omina Imperii Tacito hæc fuerunt. Fanaticus quidam in templo Sylvani tensis membris exclamavit, *Taciti purpuram, Taciti purpuram*: idque septimo, quod quidem postea omini deputatum est. Vinum quo libaturus Tacitus fuerat in templo Herculis Fundani, subito purpureum factum est. Vitis quæ uvas Amineas albas ferebat, eo anno quo ille Imperium meruit, purpurascere plurima purpura cœpit. Mortis omina hæc fuerunt: Patris sepulcrum, disruptis janais, se aperuit; matris umbra, se per diem & Tacito & Floriano velut viventis obtulit; nam diversis patribus nati ferebantur. In larario Dii omnes seu terræ motu, seu casu aliquo conciderunt. Imago Apollinis, quæ ab his colebatur, ex summo fastigio in lectulo posita sine cujuspiam manu deprehensa est. Sed hæc sunt quæ à plerisque dicuntur. Nos ad Probum & ad Probi gesta insignia revertemur.

Omina mortis Taciti.

Epistolæ publicæ de electo Tacito à Senatu.

CAP. V. Et quoniam me promisi aliquas epistolas esse positurum quæ creato Tacito Principe gaudia Senatus ostenderent; his additis, finem scribendi faciam. Epistolæ publicæ. *Senatus amplissimus curiæ Carthaginensi Salutem dicit. Quod bonum, faustum, felix, salutareque sit Reipublicæ orbique Romano. Dandi jus Imperii, appellandi Principis, nuncupandi Augusti, ad nos revertit. Ad nos igitur referte quæ magna sunt. Omnis provocatio præfecti Urbis erit: quæ tamen à Proconsulibus & ab ordinariis judicibus emerserit: in quo quidem etiam vestram in antiquum statum redisse credimus dignitatem: siquidem primus hic ordo est, qui recipiendo vim suam, jus suum ceteris servat.* Alia epistola.

Senatus

Senatus amplissimus curiæ Trevirorum. Ut estis liberi & semper fuistis, lætari vos credimus. Creandi Principis judicium ad Senatum redit; simul etiam præfecturæ urbanæ appellatio universa decreta est. Eodem modo scriptum est Antiochensibus, Aquileiensibus, Mediolanensibus, Alexandrinis, Thessalonicensibus, Corinthiis & Athenensibus.

Privatæ.

CAP. VI. Privatæ autem epistolæ hæ fuerunt. *Autronio justo patri, Autronius Tiberianus salutem. Nunc te, pater sancte, interesse decuit Senatui amplissimo; nunc sententia dicere; cum tantum auctoritatis amplissimo ordini creverit, ut revertat in antiquum statum Respublica; & nos Principes demus. Nos faciamus Imperatores. Nos denique nuncupemus Augustos. Fac igitur ut convalescas, Curiæ interfuturus antiquæ. Nos recepimus jus proconsulare, redierunt ad præfectum Urbis appellationes omnium potestatum, & omnium dignitatum.* Item alia. *Claudius Capellianus Cerejo Metiano patruo Salutem. Obtinuimus, pater sancte, quod semper optavimus: In antiquum statum Senatus revertit. Nos Principes facimus; nostri ordinis sunt potestates. Gratias exercitui Romano, & vere Romano: reddidit nobis quam semper habuimus potestatem. Abjice Bajanos Puteolanosque secessus. Da te Urbi, da te curiæ. Floret Roma, floret tota Respublica. Imperatores damus, Principes facimus: possumus & prohibere, qui cœpimus facere. Dictum sapienti sat est.* Longum est omnes epistolas connectere, quas reperi, quas legi. Tantum illud dico, Senatores omnes ea esse lætitia elatos, ut domibus suis omnes, albas hostias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati sederent, convivia sumptuosiora prævenirent, antiquitatem sibi redditam crederent.

Lætitia Senatorum.

FLAVII VOPISCI SYRACUSII
PROBUS.

CAPUT I.

Virtutes proscriptorum ingenio magnæ, modo patrvæ sunt.

CErtum est quod Sallustius Crispus, quodque Marcus Cato & Gellius historici, sententiæ modo, in litteras retulerunt, *Omnes omnium virtutes tantas esse, quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui uniuscujusque facta descripserint:* Inde esse quod Alexander Magnus Macedo, quum ad Achillis sepulcrum venisset, graviter ingemiscens, *Felicem te*, inquit, *juvenis, qui talem præconem tuarum virtutum reperisti:* Homerum intelligi volens, qui Achillem tantum in virtutum studio finxit, quantum ipse valebat ingenio. Quorsum hæc pertineant, mi Celse, ne fortassis requiras. Probum Principem, cujus Imperio Oriens, Occidens, Meridies, Septemtrio. Omnesque orbis partes in totam securitatem redactæ sunt, scriptorum inopia jam pæne nescimus. Occidit, pro pudor, tanti viri & talis historia, qualem non habent bella Punica, non terror Gallicus, non motus Pontici, non Hispaniensis astutia. Sed non patiar ego ille, à quo dudum solus Aurelianus est expetitus: cujus vitam, quantum potui, persequutus, Tacito Florianoque jam scriptis, non me ad Probi facta conscendere; si vita suppetet, omnes qui supersunt usque ad Maximianum Diocletianumque dicturus. Neque ego nunc facultatem eloquentiamque polliceor, sed res gestas, quas perire non patior.

Probi historia rarius scripta.

honestissimi ac sincerissimi, beneficium amici senis tacere non debui. Cnæum Pompejum tribus fulgentem triumphis, belli Piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarumque rerum gestarum majestate sublimem, quis tandem nosset, nisi eum Marcus Tullius, & Titus Livius in litteras retulissent? Publicum Scipionem Africanum, imo Scipiones omnes, seu Lucios, seu Nasicas, nonne tenebræ possiderent ac tegerent, nisi commendatores eorum historici nobiles atque ignobiles exstitissent? Longum est omnia persequi, quæ ad exemplum hujuscemodi, etiam nobis tacentibus usurpanda sunt. Illud tantum contestatum volo, me & rem scripsisse, quam, si quis voluerit, honestius eloquio celsiore demonstret. Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros, in vita Principum & temporibus disserendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, ceterosque qui hæc & talia, non tam diserte, quam vere memoriæ tradiderunt. Sum enim unus ex curiosis, quod infinita scire non possum, incendentibus vobis, qui cum multa sciatis, scire multo plura cupitis. Et ne diutius ea quæ ad meum consilium pertinent loquar, magnum & præclarum Principem, & qualem historia nostra non novit, arripiam.

Principes præclari laterent, nisi ab historicis deprædicarentur.

Flavius Vopiscus unde historiam suam concinnatit.

CAP. II. Usus autem sum (ne in aliquo fallam carissimam mihi familiaritatem tuam) præcipue libris ex bibliotheca Ulpia ætate mea thermis Diocletianis; item ex domo Tiberiana. Usus etiam ex regestis scribarum porticus Porphyreticæ, actis etiam Senatus ac Populi. Et quoniam me ad colligenda talis viri gesta ephemeris Turduli Gallicani plurimum juvit, viri

CAP. III. Probus oriundus è Pannonia, civitate Sirmiensi, nobiliore matre quam patre, patrimonio moderato, affinitate non magna, tam privatus quam Imperator, nobilissimis virtutibus claruit. Probo, ut quidam in litteras retulerunt, pater nomine Maximus fuit: qui cum ordines honestissime duxisset, tribunatum adeptus, apud Ægyptum vita functus est, uxore ac

Probi origo & patria.

re ac filio & filia derelictis. Multi dicunt, Probum Claudii propinquum fuisse, optimi & sanctissimi Principis. Quod quia per unum tantum Græcorum relatum est, nos in medio relinquemus. Unum tamen dico, quod in ephemeride legisse me memini, à Claudia sorore Probum sepultum. Adolescens Probus, corporis moribus tam clarus est factus, ut Valeriani judicio tribunatum probe imberbis acciperet. Exstat epistola Valeriani ad Gallienum, qua Probum laudat adhuc adolescentem, & imitationi omnium proponit. Ex quo apparet, *neminem umquam pervenisse ad virtutum summam jam maturum, nisi qui puer seminario, virtutum generosiore concretus, aliquid inclytum designasset.*

Adolescentia.

CAP. IV. Epistola Valeriani. *Valerianus pater Gallieno filio, Augustus Augusto. Et meum sequutus judicium, quod semper de Probo adolescente primo habui, & omnium bonorum, qui eundem sui nominis virum dicunt, tribunatum in eum contuli, datis sex cohortibus Saracenis, creditis etiam auxiliaribus Gallis, cum ea Persarum manu, quam nobis Artabasses Syrus mancipavit. Te quæso, fili carissime, ut eum juvenem, quem imitari pueris omnibus volo, in tanto habeas honore, quantum virtutes ejus & merita, pro debito mentis splendore, desiderant.* Alia epistola de eodem ad præfectum prætorio cum salario. *Valerianus Augustus Mulvio Gallicano præfecto prætorii. Miraris fortassis, quod ego imberbem tribunum fecerim, contra constitutum Divi Hadriani. Sed non multum miraberis, si Probum cogitas, adolescentem vere probum, Numquam enim aliud mihi, cum eum cogito, nisi nomen occurrit. Quod nisi nomen haberet, potuit habere cognomen. Huic igitur dari jubebis (quoniam mediocris fortunæ est) ut ejus dignitas incrementis juvetur, tunicas rufulas duas, pallia Gallica duo fibulata: interulas paragaudias duas, patinam argenteam librarum decem specillatam, aureos Antoninianos centum, argenteos Aurelianos mille, æreos Philippeos decem millia. Item in salario diurno, bubulæ pondo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem, gallinaceum per biduum, olei per biduum sextarium unum, vini veteris diurnos sextarios decem, cum larido bubalino: salis, holerum, lignorum, quantum satis est. Hospitia præterea eidem, ut tribunis legionum, præberi jubebis.* Et hæc quidem epistolæ declarant. Nunc quantum ex ephemeride colligi potuit.

Valeriani de Probo judicium.

Aliud ejusdem

CAP. V. Cum bello Sarmatico jam tribunus, transmisso Danubio, multa fortiter fecisset, publice in concione donatus est hastis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona civica una, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo uno, patera sacrificali quinque libri una. Quo quidem tempore Valerium Flaccum, adolescentem nobilem, parentem Valeriani, è Quadorum liberavit manu: unde illi Valerianus coronam civicam detulit. Verba Valeriani pro concione habita, *Suscipe Probe præmia, pro Republica, suscipe coronam civicam, pro parente.* Quo quidem tempore, legionem tertiam eidem addidit, sub testimonio ejusmodi. Epistola de legione tertia: *Res gestæ tuæ, Probe carissime, faciunt ut & serius tibi tradere majores exercitus videar, & cito tamen tradam. Recipe in fidem tuam legionem tertiam felicem, quam ego adhuc nulli nisi profecto jam credidi: mihi autem eo tempore credita est, quo & me canosum, qui credebat, cum gratulatione vidit. Sed ego in te non exspecto ætatem, cum & virtutibus fulgeas, & moribus polleas. Vestes tibi triplices dari jussi, salarium duplex feci, vexillarium deputavi.*

Honores Probi ante Imperium

Valerianus legionem tertiam Probo confert.

CAP. VI. Longum est, si per res gestas tanti percurram viri, quæ ille sub Valeriano, quæ sub Gallieno, quæ ille sub Aureliano & Claudio privatus fecerit; quoties murum conscenderit, vallum diripuerit, hostem cominus interemerit, dona Principum emeruerit, Rempublicam in antiquum statum sua virtute reddiderit. Docet Gallieni epistola ad tribunos data, qui fuerit Probus. *Gallienus Augustus tribunis exercituum Illyricianorum. Etiamsi patrem meum fatalis belli Persici necessitas tenuit, habeo tamen parentem Aurelium Probum, quo laborante, possim esse securus. Qui si affuisset, numquam ille ne nominandos quidem tyrannus, sibi usurpasset Imperium. Quare omnes vos consiliis ejus cupio parere, qui & patris judicio probatus est & Senatus.* Non magnum fortassis judicium Gallieni esse videatur, Principis mollioris, sed quod negari non potest, ne dissolutus quidem quispiam se, nisi in ejus fidem tradit, cujus sibi virtutes existimat profuturas. Sed esto, Gallieni epistola sequestretur. Quid Aureliani judicium? qui Probo decimanos, fortissimos exercitus sui, & cum quibus ipse ingentia gesserat, tradidit sub hujusmodi testimonio, *Aurelianus Augustus Probo Salutem dicit. Ut scias quanti te faciam, decimanos meos sume, quos Claudius mihi credidit. Isti enim sunt, qui quadam felicitatis prærogativa, præsules, nisi futuros Principes, habere non norunt.* Ex quo intellectum est, Aurelianum in animo hic habuisse, ut si quid sibi scienti prudentique eveniret, Probum Principem faceret.

Res gestæ Probi variæ.

Gallieni judicium de Probo

Aureliani judicium.

CAP. VII. Jam Claudii, Jam Taciti judicia de Probo longum est innectere: quamvis feratur in senatu Tacitus dixisse, cum eidem offeretur Imperium, *debere Probum Principem fieri.* Sed ego Senatusconsultum ipsum non inveni. Ipse autem Tacitus Imperator primam talem ad Probum epistolam dedit: *Tacitus Augustus Probo. Me quidem Senatus Principem fecit, de prudentis exercitus voluntate. Attamen sciendum tibi est, tuis nunc humeris magis incubuisse Rempublicam. Qui & quantus sis, omnes novimus; scit Senatus. Adesto igitur nostris necessitatibus: tuæ familiæ assere, ut soles, Rempublicam. Nos tibi, decreto totius Orientis ducatu, salarium quintuplex fecimus, ornamenta militaria geminavimus, Consulatum in annum proximum nobiscum decrevimus: te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata.* Ferunt quidam Probo id pro Imperii omine fuisse quod Tacitus scripsit, *Te manet Capitolina palmata.* Sed in hanc sententiam omnibus semper Consulibus scribebatur.

Taciti similiter.

CAP. VIII. Amor militum erga Probum ingens semper fuit. Neque enim umquam ille passus est peccare militem. Ille quinetiam Aurelianum sæpe à gravi crudelitate deduxit.

Amor militum erga Probum.

duxit. Ille singulos manipulos adiit, vestes & calceamenta perspexit: si quid prædæ fuit, ita divisit, ut sibi nihil præter tela & arma servaret. Quin etiam cum de prædato, sive ex Alanis, sive ex aliqua alia gente, incertum est, repertus esset equus non decorus, neque ingens, qui, quantum captivi loquebantur, centum ad diem milliaria currere diceretur, ita ut per dies octo vel decem continuaret, & omnes crederent Probum tale animal sibimet servaturum, jam primum dixit; *Fugitivo militi potius, quam forti, hic equus convenit.* Deinde in urnam militares jussit nomen suum mittere, ut aliquis eum sorte ductus acciperet. Et cum essent in exercitu quidam nomine Probi alii quatuor milites, casu evenit, ut primum emergeret cui Probo nomen exsisteret, cum ipsius Probi ducis nomen missum non esset. Sed cum quatuor illi milites inter se contenderent, ac sortem sibi quisque defenderet, jussit iterum agitari urnam: sed & iterum Probi nomen emersit: cumque tertio & quarto fecisset, quarto Probi nomen effusum est. Tunc omnis exercitus equum illum Probo duci dicavit, ipsis etiam militibus, quorum nomina exierant, id volentibus.

Prædam ab hoste captam Probus sorte dividit.

CAP. IX. Pugnavit & contra Marmaridas in Africa fortissime, eos denique vicit, atque ex Libya Carthaginem transiit, eandemque à rebellionibus vindicavit. (3.) Pugnavit & singulari certamine contra quendam Aradionem in Africa, eundemque prostravit: & quia fortissimum ac pertinacissimum virum viderat, sepulcro ingenti honoravit, quod adhuc exstat, tumulo usque ad ducentos pedes terra elato per milites, quos otiosos esse numquam est passus. Exstant apud Ægyptum ejus opera, quæ per milites struxit, in plurimis civitatibus. In Nilo autem tam multa fecit, ut vectigal frumentarium solus adjuverit: pontes, templa, porticus, basilicas, labore militum struxit: ora fluminum multa patefecit, paludes plerasque siccavit, atque in his segetes agrosque constituit. Pugnavit etiam contra Palmyrenos, pro Odenati & Cleopatræ partibus Ægyptum defendentes, primo feliciter, postea temere, ut pæne caperetur: sed postea refectis viribus, Ægyptum & Orientis maximam partem in Aureliani potestatem redegit.

Probi res gestæ bellicæ.

CAP. X. Cum his igitur tot & tantis virtutibus eniteret, Tacito absumpto fataliter, ac Floriano Imperium arripiente, omnes Orientales exercitus eundem Imperatorem fecerunt. Non inepta neque inelegans fabula est, scire quemadmodum Imperium Probus sumpserit. Cum ad exercitus nuntius venisset, tum primum animus militibus fuit prævenire Italicos exercitus, ne iterum Senatus Principem daret. Sed cum inter milites sermo esset quis fieri deberet, & manipulatim in campo tribuni eos alloquerentur, dicentes, *requirendum esse Principem aliquem fortem, sanctum, verecundum, clementem, probum:* idque per multos circulos, ut fieri assolet, diceretur; quasi divino nutu undique ab omnibus acclamatum est, *Probe Auguste, Dii te servent.* Deinde concursus, & cespititium tribunal: appellatusque Imperator, ornatus etiam pallio purpureo, quod de statua templi oblatum est: atque inde ad Palatium reductus, invitus ac retrectans, & sæpe dicens, *Non enim vobis expedit milites; non mecum bene agitis. Ego enim vobis blandiri non possum.* Prima ejus epistola data ad Capitonem præfectum prætorio talis fuit: *Imperium numquam optavi, & invitus accepi. Deponere mihi rem invidiosissimam non licet. Agenda est persona quam mihi miles imposuit. Te quæso, Capito, ita mecum salva Republica perfruaris; annonam & commeatus, & quidquid necessarium est, ubique militi pares. Ego, quantum in me est, si recte omnia gubernaveris, præfectum alterum non habebo.* Itaque milites, cognito quod imperaret Probus, Florianum, qui quasi hereditarium Imperium arripuerat, interemerunt; scientes, neminem dignius imperare quam Probum. Ita ei sine ulla molestia totius orbis Imperium, & militum & Senatus judicio, delatum est.

Probus ab omni exercitu Imperator electus. U.C.1028. p. C.N. 276.

Probi litteræ de sua electione ad Capitonem.

CAP. XI. Et quoniam mentionem Senatus fecimus, sciendum est, quid ipse ad Senatum scripserit, quid item ad eum amplissimus ordo rescripserit. Oratio Probi prima ad Senatum. *Recte atque ordine, Patres Conscripti, proximo superiore anno factum est, ut vestra clementia orbi terrarum Principem daret, & quidem de vobis, qui & estis mundi Principes, & semper fuistis, & in vestris posteris eritis. Atque utinam id Florianus exspectare voluisset, nec velut hereditarium sibi vindicasset Imperium; vel illum vel alium quempiam majestas vestra fecisset. Nunc quoniam ille Imperium arripuit, nobis à militibus delatum est nomen Augustum, vindicatum quin etiam in illum à prudentioribus militibus, quod fuerat usurpatum: quæso, ut de meis meritis faciatis, quidquid jusserit vestra clementia.* Item Senatusconsultum. Die tertio Nonas Februarias in æde Concordiæ: inter cetera. Ælius Scorpianus Consul dixit, *Audistis, Patres Conscripti, litteras Aurelii Valerii Probi: de his quid videtur?* Tunc acclamatum est, *Probe Auguste, Dii te servent. Olim dignus, & fortis, & justus, bonus ductor, bonus Imperator. Exemplum militiæ, exemplum Imperii, Dii te servent. Assertor Reipublicæ felix imperes: Magister militiæ, felix imperes: te cum tuis Dii custodiant. Et Senatus antea te delegit. Ætate Tacito posterior, ceteris prior. Quod Imperium suscepisti, gratias agimus. Tuere nos, tuere Rempublicam. Bene tibi committimus quos ante servasti. Tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia. Et prius fuisti semper dignus Imperio, dignus triumphis. Felix agas, feliciter imperes.*

Ad Senatum.

Senatusconsultum de electione Probi.

CAP. XII. Post hæc Manlius Statianus, qui primæ sententiæ tunc erat, ita loquutus est: *Diis immortalibus gratias, & præ ceteris, Patres Conscripti, Jovi Optimo, qui nobis Principem talem, qualem semper optabamus dederunt. Si recte*

Manlii Statiani sententia de electione Probi.

(3) Pugnavit & singulari certamine contra quendam Aradionem in Africa, eundemque prostravit) Typus numi Tab. LXIV. num. 2. in aliorum Imperatorum numis quidem occurrit, ad indicandam Victoriam ab hostibus relatam; hic vero egregie cum fortissimo Probi facinore convenit, nullum ut remaneat dubium, quin signatus sit in perpetuam singularis hujus certaminis memoriam. Conf. BEGER. Th. Br. T. II. pag. 765.

cte cogitemus, non nobis Aurelianus, non Alexander, non Antonini, non Trajanus, non Claudius requirendi sunt: omnia in uno Principe constituta sunt; rei militaris scientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplar agendæ Reipublicæ, atque omnium prærogativa virtutum. Enimvero quæ mundi pars est quam ille non vincendo didicerit? Testes sunt Marmaridæ, in Africæ solo victi, testes Franci, inviis strati paludibus, testes Germani & Alemanni longe à Rheni submoti littoribus. Jam vero quid Sarmatas loquar, quid Gothos, quid Parthos, ac Persas, atque omnem Ponticum tractum? ubique vigent Probi virtutis insignia. Longum est dicere, quod reges magnarum gentium fugaverit, quod duces manu sua occiderit, quantum armorum sit quæ ipse cepit privatus. Superiores Principes, quas illi gratias egerint, testes sunt litteræ publicis insertæ monumentis. Dii boni quoties ille donis militaribus est donatus? quas militum laudes emeruit? Adolescens tribunatum, non longe post adolescentiam, regendas legiones accepit. Jupiter Optime Maxime, Juno regina, tuque virtutum præsul Minerva, tu orbis Concordia, & tu Romana Victoria, date hoc Senatui, Populoque Romano, date militibus, date sociis, atque exteris nationibus. Imperet quemadmodum militavit. Decerno igitur, Patres Conscripti, votis omnium concinentibus nomen Cæsareum, nomen Augustum: addo proconsulare Imperium, patris patriæ reverentiam, Pontificatum maximum, jus tertiæ relationis, tribunitiam potestatem.

Probus Senatui multa permittit.

CAP. XIII. Posthæc acclamatum est, *Omnes, Omnes.* Accepto igitur hoc Senatusconsulto, secundum orationem, permisit Patribus, ut ex magnorum judicum appellationibus ipsi cognoscerent, Proconsules crearent, legatos Consulibus darent, jus prætorium præsidibus darent, leges quas Probus ederet, Senatusconsultis propriis consecrarent. Statim deinde, si qui de interfectoribus Aureliani superfuerant, vario genere vindicavit: mollius tamen moderatiusque, quam prius exercitus, & postea Tacitus, vindicaverant. Deinde animadvertit etiam in eos, qui Tacito insidias fecerant. Floriani sociis pepercit, quod non tyrannum aliquem videbantur sequuti, sed sui Principis fratrem. Recepit deinde omnes Europenses exercitus, qui Florianum & Imperatorem fecerant & occiderant. His gestis, cum ingenti exercitu Gallias petit, quæ omnes, occiso Postumio, turbatæ fuerant, interfecto Aureliano, à Germanis possessæ. Tanta autem illic prælia feliciter gessit, ut à Barbaris sexaginta per Gallias nobilissimas reciperet civitates; prædam deinde omnem, qua illi præter divitias, etiam efferebantur ad gloriam. Et cum jam in nostra ripa, imo per omnes Gallias, securi vagarentur, cæsis prope quadringentis millibus, qui Romanum occupaverant solum, reliquias ultra Nicrum fluvium & Albam removit: tantum his prædæ Barbaricæ tulit, quantum ipsi Romanis abstulerant: contra urbes Romanas & castra in solo Barbarico posuit, atque illic milites collocavit.

Germanos multis cladibus afficit.

CAP. XIV. Agros, & horrea, & domos, & annonam Transrhenanis omnibus fecit, iis videlicet, quos in excubiis collocavit: nec cessatum est umquam pugnari, cum quotidie ad eum Barbarorum capita deferrentur, jam ad singulos aureos singula, quamdiu reguli novem ex diversis gentibus venirent, atque ad pedes Probi jacerent: quibus ille primum obsides imperavit, qui statim dati sunt: deinde frumentum, postremo etiam vaccas atque oves. Dicitur jussisse his acrius, ut gladiis non uterentur, Romanam exspectaturi defensionem, si essent ab aliquibus vindicandi. Sed visum est id non posse fieri, nisi si limes Romanus extenderetur, & fieret Germania tota provincia. Maxime tamen, ipsis regibus consentientibus, in eos vindicatum est, qui prædam fideliter non reddiderunt. Accepit præterea sedecim millia tyronum, quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris, vel limitaneis militibus, quinquagenos & sexagenos intersereret, dicens, *sentiendum esse, non videndum, cum auxiliaribus Barbaris Romanus juvatur.*

Eorumque reguli domiti.

CAP. XV. Compositis igitur rebus in Gallia, tales ad Senatum litteras dedit, *Ago Diis immortalibus gratias, Patres Conscripti, quia vestra in me judicia comprobarunt. Subacta est omnis qua tenditur late Germania, novem reges gentium diversarum ad meos pedes, imo ad vestros, supplices stratique jacuerunt. Omnes jam Barbari vobis arant, vobis jam serunt, & contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur vestro more decernite. Nam & quadraginta millia hostium cæsa sunt, & sedecim millia armatorum nobis oblata, & septuaginta urbes nobilissimæ captivitate hostium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ civitates aureas, vestræ Patres Conscripti, clementiæ dedicavi. Et has Jovi Optimo Maximo, ceterisque Diis Deabusque immortalibus, vestris manibus consecrate. Præda omnis recepta est, capta etiam alia, & quidem major, quam fuerat ante direpta. Arantur Gallicana rura Barbaris bobus, & juga Germanica captiva præbent nostris colla cultoribus: pascuntur ad nostram alimoniam gentium pecora diversarum: equinum pecus nostro jam fecundatur equitatui: frumento Barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis sola relinquimus sola, nos eorum omnia possidemus. Volueramus, Patres Conscripti, Germaniæ novum præsidem facere: sed hoc ad pleniora vota distulimus. Quod quidem credimus conferre, cum divina providentia nostros uberius fecundarit exercitus.*

Probi litteræ ad Senatum de subacta Germania.

CAP. XVI. Posthæc Illyricum petiit: & priusquam veniret, Rhætias sic pacatas reliquit, ut illic ne suspicionem quidem ullius terroris relinqueret. In Illyrico Sarmatas ceterasque gentes ita contudit, ut prope sine bello cuncta reciperet, quæ illi diripuerant. Tetendit deinde iter per Thracias, atque omnes Geticos populos fama rerum territos, & antiqui nominis potentia pressos, aut in deditionem aut in amicitiam recepit. His gestis, Orientem petiit: atque in itinere potentissimo quodam latrone Palfurio capto & interfecto, omnem Isauriam liberavit, populis atque urbibus Romanis legibus restitutis. Barbarorum qui apud Isauros sunt, vel per terrorem vel per voluntatem, loca ingressus est: quæ cum per-

Sarmatas contudit Probus. U.C. 1029. P.C.N. 277.

Isauriam à latronibus liberat. U.C. 1031. P.C.N. 279.

peragrasset, hoc dixit, *Facilius est ab istis locis latrones arceri, quam tolli.* Veteranis, omnia illa quæ anguste adeuntur loca, privata donavit; addens, ut eorum filii, ab anno octavodecimo, mares dumtaxat, ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari, quam militare discerent.

CAP. XVII. Pacatis denique omnibus Pamphyliæ partibus, ceterarumque provinciarum, quæ sunt Isauriæ vicinæ, ad Orientem iter flexit. Blemyas etiam subegit, quorum captivos Romam transmisit, qui mirabilem sui visum, stupente Populo Romano præbuerunt. Copton præterea & Ptolemaidem urbes, ereptas Barbarico servitio, Romano addidit juri. Ex quo tantum profecit, ut Parthi legatos ad eum mitterent, confitentes timorem, pacemque poscentes: quos ille superbius acceptos, magis timentes domum remisit. Fertur etiam epistola illius, repudiatis donis, quæ rex Parthorum miserat, ad Narseum talis fuisse, *Miror te de omnibus quæ nostra futura sunt, tam pauca misisse. Habeto interim omnia illa quibus gaudes: quæ si nos habere cupiamus, scimus quemadmodum possidere debeamus.* His acceptis litteris Narseus maxime territus, & præcipue quod Copton & Ptolemaidem comperit à Blemyis qui eas tenuerant vindicatas, cæsosque ad internecionem eos qui gentibus fuerant ante terrori.

Blemyas subigit.

Parthorum legati ad Probum.

Quorum dona spernit.

CAP. XVIII. Facta igitur pace cum Persis, ad Thracias rediit, & centum millia Bastarnarum in solo Romano constituit: qui omnes fidem servaverunt. Sed cum & ex aliis gentibus plerosque pariter transtulisset, id est, ex Gepidis, Gautunnis, & Vandalis, illi omnes fidem fregerunt, & occupato bellis tyrannicis Probo, per totum pene orbem, pedibus & navigando, vagati sunt, nec parum molestiæ Romanæ gloriæ intulerunt. Quos quidem ille diversis vicibus, variisque victoriis oppressit, paucis cum gloria domum redeuntibus, quod Probi evasissent manus. Hæc Probus cum Barbaris gessit. Sed habuit etiam non leves tyrannicos motus. Nam & *SATURNINUM*, qui Orientis Imperium arripuerat, variis præliorum generibus & nota virtute superavit. Quo victo, tanta in Oriente quies fuit, ut (quemadmodum vulgo loquebantur) mures rebelles nullus audiret. Deinde cum *PROCULUS* & *BONOSUS*, apud Agrippinam in Gallia, Imperium arripuissent, omnesque sibi jam Britannias, Hispanias, & braccatæ Galliæ provincias vindicarent, Barbaris semet juvantibus, vicit. Ac ne requiras plura vel de Saturnino, vel de Proculo, vel de Bonoso, suo eosdem inseram libro, pauca de iisdem, ut decet, imo ut poscit necessitas, loquuturus. Unum sane sciendum est, quod Germani omnes, cum ad auxilium essent rogati à Proculo, Probo potius perservire maluerunt, quam cum Bonoso & Proculo esse. Gallis omnibus & Hispanis ac Britannis hinc permisit, ut vites haberent, vinumque conficerent. Ipse Almam montem, in Illyrico circa Sirmium, militari manu fossum, lecta vite consevit.

Gentes varias rebelles,

Opprimit Probus.

Saturninum superat. U.C. 1032. p. C.N. 280.

Proculum & Bonosum vincit. U.C. 1033. p. C.N 281

Germanorum fides erga Probum.

Vites colere variis permittit Probus.

CAP. XIX. Dedit Romanis etiam congiariis. Triumphavit de Germanis & Blemyis: omnium gentium drungos usque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit. Venationem in Circo amplissimam dedit, ita ut Populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale: Arbores validæ per milites radicitus vulsæ, connexis late longeque trabibus affixæ sunt, terra deinde superjecta, totusque Circus ad silvæ consitus speciem, gratia novi viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ, & cetera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt vel inveniri. Immissi deinde populares; rapuit quisque quod voluit. Edidit alia die in amphitheatro una missione centum jubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes è posticis interempti sunt, non magnum præbentes spectaculum, cum occidebantur. Neque enim erat bestiarum impetus ille, qui esse è caveis egredientibus solet. Occisi sunt præterea multi, qui diripere volebant, sagittis. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum deinde Syriaci, centum leænæ, & ursi simul trecenti: quarum omnium ferarum magnum magis constat spectaculum fuisse, quam gratum. Edita præterea gladiatorum paria trecenta; Blemyis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, plerisque Germanis & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris.

Probus de Germanis & Blemyis triumphat. U.C. 1033. p. C.N. 281.

CAP. XX. Quibus peractis, bellum Persicum parans, cum per Illyricum iter faceret, à militibus suis per insidias interemptus est. Causæ occidendi ejus hæ fuere. Primum, quod numquam militem otiosum esse perpessus est. Siquidem multa opera militari manu perfecit; dicens, *annonam gratuitam militem comedere non debere.* His addidit dictum eis grave, *si umquam eveniat salutare Reipublicæ,* (4) *brevi milites necessarios non futuros.* Quid ille conceperat animo qui hoc dicebat? nonne omnes barbaras nationes subjecerat pedibus? quia totum mundum fecerat jam Romanum. *Brevi,* inquit, *milites necessarios non habebimus.* Quid est aliud dicere? Romanus jam miles erit nullus, ubique regnabit; omnia possidebimus, secura Respublica, orbis terrarum non arma fabricabit, non annonam præbebit: boves habebuntur aratro, equus nascetur ad pacem, nulla erunt bella, nulla captivitas: ubique pax, ubique Romanæ leges, ubique judices nostri.

Bellum Persicum parans occiditur. U.C. 1034. p. C.N. 282. Causæ occidendi.

CAP. XXI. Longius amore Imperatoris optimi progredior, quam pedestris sermo desiderat. Quare addam illud, quod præcipue tanto viro fatalem properavit necessitatem. Nam cum Sirmium venisset, ac solum patrium effecundari cuperet & dilatari; ad siccandam quandam paludem, multa simul millia militum posuit, ingentem parans fossam. Qua, dejectis in altum naribus, loca Sirmiensibus

Auctores necis Probi.

(4) Brevi milites necessarios non futuros) Hoc dictum Probi illustrat ejusdem numus Tab. LXIV. num. 3. In quo Hercules ramum Oleæ prætendens COMES AUGUSTI vocatur. Conf. BEGER. loc. cit. pag. 767.

ſibus profutura ſiccaret. Hoc permoti milites, confugientem eum in turrem ferratam, quam ipſe ſpeculæ cauſa editiſſimam exædificaverat, interemerunt, anno Imperii ſui quinto. Poſtea tamen ingens ei ſepulcrum elatis aggeribus, omnes pariter milites fecerunt, cum titulo hujuſmodi inciſo marmori: HIC PROBUS IMPERATOR, ET VERE PROBUS, SITUS EST, VICTOR OMNIUM GENTIUM BARBARARUM, VICTOR ETIAM TYRANNORUM.

Probi epitaphium.

CAP. XXII. Conferens ego cum aliis Imperatoribus Principem Probum, omnibus prope Romanis ducibus, qui fortes, qui clementes, qui prudentes, qui mirabiles exſtiterunt, intelligo hunc virum parem fuiſſe, aut, ſi non repugnat invidia furioſa, meliorem. Quinquennio enim Imperii ſui, per totum orbem terrarum tot bella geſſit, & quidem per ſe, ut mirabile ſit, quemadmodum omnibus occurrerit præliis. Multa manu ſua fecit, duces præclariſſimos inſtituit. Nam ex ejus diſciplina Carus, Diocletianus, Conſtantius, Aſclepiodotus, Annibalianus, Leonides, Cecropius, Piſonianus, Herennianus, Gaudioſus, Urſinianus, Herculius Maximinianus, & ceteri, quos Patres noſtri mirati ſunt, & de quibus nonnulli boni Principes exſtiterunt, inſtituti ſunt. Conferat nunc, cui placet, viginti Trajani Hadrianique annos; conferat prope totidem Antoninorum. Nam quid de Auguſto loquar? cujus Imperii anni vix poſſunt credi. Malos autem Principes taceo: ipſa vox Probi clariſſima indicat quid ſe facere potuiſſe ſperaret, qui dixit, *Brevi neceſſarios milites non futuros*.

Probus optimis Principibus præferendus.

Cum quibus confertur.

CAP. XXIII. Ille vero conſcius ſui, non Barbaros timuit, non tyrannos. Quæ deinde felicitas emicuiſſet, ſi ſub illo Principe milites non fuiſſent? Annonam provincialibus daret nullus, ſtipendia de largitionibus nulla erogarentur, æternos theſauros haberet Romana Reſpublica: nihil expenderetur à Principe, nihil à poſſeſſore redderetur. Aureum profecto ſæculum promittebat. Nulla futura erant caſtra, nuſquam lituus audiendus, arma non erant fabricanda: populus iſte militantium, qui nunc bellis civilibus Rempublicam vexat, pacis ſtudiis incumberet, erudiretur artibus, navigaret. Adde quod nullus occideretur in bello. Dii boni, quid tantum vos offendit Romana Reſpublica, cui talem Principem ſuſtuliſtis? Eant nunc, qui ad civilia bella milites parant, in Germanorum necem arment dexteras fratrum, hortentur in patrum vulnera liberos, & dignitatem Probo derogent; quam Imperatores noſtri prudenter & conſecrandam vultibus, & ornandam templis, & celebrandam ludis Circenſibus judicarunt.

Quæ felicitas evenisset Imperio Romano, ſi Probus vixiſſet.

CAP. XXIV. Poſteri Probi, vel odio invidiæ, vel timore, Romanam rem fugerunt: & in Italia circa Veronam ac Benacum & Larium, atque in his regionibus, larem locaverunt. Sane, quod præterire non potui, cum imago Probi in Veronenſi ſitu ita fulmine icta eſſet, ut ejus prætexta colores mutaret, aruſpices reſponderunt, hujus familiæ poſteros tantæ in Senatu claritudinis fore, ut omnes ſummis honoribus fungerentur. Sed adhuc neminem vidimus. Poſteri autem videntur æternitatem habere. Senatus mortem Probi graviſſime accepit, æque Populus. Et cum eſſet nuntiatum, Carum imperare, virum bonum quidem, ſed longe à moribus Probi; cauſa filii ejus Carini, qui ſemper peſſime vixerat, tam Senatus quam Populus inhorruit. Metuebant enim unuſquiſque triſtiorem Principem, ſed magis improbum metuebant heredem. Hæc ſunt, quæ de Probo cognovimus, vel quæ digna memoratu exiſtimavimus. Nunc in alio libro, & quidem brevi, de Firmo, & Saturnino, & Bonoſo, & Proculo dicemus. Non enim dignum fuit, ut quadrigæ tyrannorum bono Principi miſcerentur. Poſt deinde, ſi vita ſuppetit, Carum incipiemus propagare cum liberis.

Probi poſteri.

Carus timetur.

FLAVII VOPISCI SYRACUSII
FIRMUS, SATURNINUS,
PROCULUS, ET BONOSUS.

CAPUT I.

Cur etiam minuſculorum tyrannorum hiſtoria deſcribatur.

MInuſculos tyrannos ſcio pleroſque tacuiſſe, aut breviter præteriſſe. Nam & Suetonius Tranquillus, emendatiſſimus & candidiſſimus ſcriptor, Antonium & Vindicem tacuit, contentus eo, quod eos curſim perſtrinxerat: & Marius Maximus, qui Avidium Marci temporibus, Albinum & Nigrum Severi, non ſuis propriis libris, ſed alienis innexuit. Et de Suetonio non miramur, cui familiare fuit amare brevitatem. Quid Marius Maximus, homo omnium verboſiſſimus; qui & mythiſtoricis ſe voluminibus implicavit, num ad iſtam deſcriptionem curamque deſcendit? At contra Trebellius Pollio, ea fuit diligentia, eaque cura in edendis bonis maliſque Principibus, ut etiam tringinta tyrannos uno breviter libro concluderet, qui Valeriani & Gallieni, nec multo ſuperiorum aut inferiorum fuere Principum temporibus. Quare nobis etiam non minima fuit cura, ut dictis Aureliano, Tacito & Floriano, Probo etiam magno ac ſingulari Principe, cum dicendi eſſent Carus, Carinus, & Numerianus, de Saturnino, Bonoſo, Proculo, & Firmo, qui ſub Aureliano fuerant, non taceremus.

CAP.

Occaſio deſcribendæ vitæ Firmi.

CAP. II. Scis enim, mi Baſſe, quanta nobis contentio proxime fuerit cum amatore hiſtoriarum Marco Fontejo, cum ille diceret FIRMUM, qui Aureliani temporibus Ægyptum occupaverat, latrunculum fuiſſe, non Principem: contra ego, mecumque Rufus Celſus, & Cejonius Julianus, & Fabius Soſianus contenderent, dicentes, illum & purpura uſum, & percuſſa moneta *Auguſtum* eſſe vocitatum. Quin etiam nummos ejus Severus Archontius protulit: de Græcis autem Ægyptiiſque libris convicit illum ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ in edictis ſuis eſſe vocitatum. Et illi quidem adverſum nos contendenti hæc ſola ratio fuit, quod dicebat Aurelianum in edicto ſuo non ſcripſiſſe, quod tyrannum occidiſſet, ſed quod latrunculum quendam à Republica removiſſet: perinde quaſi digne tanti Princeps nominis debuerit tyrannum appellare hominem tenebrarium, aut non ſemper *latrones* vocitaverint magni Principes eos, quos invadentes purpuras necaverunt. Ipſe ego in Aureliani vita prius quam de Firmo cuncta cognoſcerem, Firmum non inter purpuratos habui, ſed quaſi quendam latronem: quod idcirco dixi, ne quis me oblitum exiſtimaret mei. Sed ne volumini, quod breviſſimum promiſi, multa connectam, veniamus ad Firmum.

Contentio an Firmus fuerit Auguſtus an latro. U.C. 1026. P.C.N. 274.

Firmi patria & origo.

CAP. III. FIRMO patria Seleucia fuit: tametſi plerique Græcorum alteram tradunt, ignari eo tempore ipſo tres fuiſſe Firmos, quorum unus, præfectus Ægypti, alter dux limitis Africani, idemque Proconſul, tertius, iſte Zenobiæ amicus ac ſocius: qui Alexandriam Ægyptiorum incitatus furore pervaſit, & quem Aurelianus, ſolita virtutum ſuarum felicitate, contrivit. De hujus divitiis multa dicuntur. Nam & vitreis quadraturis, bitumine aliiſque medicamentis inſertis, domum induxiſſe perhibetur: & tantum habuiſſe de chartis, ut publice ſæpe diceret, *exercitum ſe alere poſſe papyro & glutino.* Idem & cum Blemyis ſocietatem maximam tenuit, & cum Saracenis: naves quoque ad Indos negotiatorias ſæpe miſit. Ipſe quoque dicitur habuiſſe duos dentes elephanti, pedum denum, è quibus Aurelianus ipſe ſellam conſtituerat facere, additis aliis duobus, in qua Jupiter aureus & gemmatus ſederet, cum prætexta, ponendus in templo Solis, Appenninis ſortibus additis: quem appellari voluerat *JOVEM CONSULEM* vel *CONSULENTEM.* Sed eoſdem dentes poſtea Carinus mulieri cuidam dono dedit, quæ lectum ex iis feciſſe narratur: et quia nunc ſcitur, & ſciri apud poſteros nihil proderit, taceo. Ita donum Indicum Jovi Optimo Maximo conſecratum, per deterrimum Principem, & miniſterium libidinis factum videtur & pretium.

Elephanti dentes miræ magnitudinis.

Firmi Forma corporis.

CAP. IV. Fuit tamen Firmus ſtatura ingenti, oculis foris eminentibus, capillo criſpo, fronte vulnerata, vultu nigriore, reliqua parte corporis candidus, ſed piloſus atque hiſpidus, ita ut eum plerique *Cyclopem* vocarent. Carne multa veſcebatur: ſtruthionem ad diem comediſſe fertur. Vini non multum bibit, aquæ plurimum: mente firmiſſimus, nervis robuſtiſſimus, ita ut Tritanum vinceret, cujus Varro meminit. Nam & incudem ſuperpoſitam pectori conſtanter aliis tundentibus, pertulit, cum ipſe reclinus ac reſupinus & curvatus in manus penderet potius quam jaceret. Fuit tamen ei contentio cum Aureliani ducibus ad bibendum, ſi quando eum tentare voluiſſent. Nam quidam Burburus nomine, de numero vexillariorum, notiſſimus potator, cum ad bibendum eundem provocaſſet, ſitulas duas plenas mero duxit: & toto poſteà convivio ſobrius fuit. Et cum ei Burburus diceret, *Quare non fæces bibiſti?* reſpondit ille, *Stulte terra non bibitur.* Levia perſequimur, cum majora dicenda ſint.

Et mores.

Firmus contra Aurelianum ſumit Imperium.

CAP. V. Hic ergo contra Aurelianum ſumpſit Imperium, ad defendendas partes quæ ſupererant Zenobiæ. Sed Aureliano de Carris redeunte ſuperatus eſt. Multi dicunt laqueo vitam eum finiſſe: aliud edictis ſuis oſtendit Aurelianus. Namque cum eum viciſſet, tale edictum Romæ proponi juſſit. *Amantiſſimo ſui Populo Romano Aurelianus Auguſtus Salutem dicit. Pacato undique gentium toto qua patet orbe terrarum, Firmum etiam latronem Ægyptium, barbaricis motibus æſtuantem, & feminei propudii reliquias colligentem, ne plurimum loquar, fugavimus, obſedimus, cruciavimus, & occidimus. Nihil eſt, Romulei Quirites, quod timere poſſitis. Canon Ægypti, qui ſuſpenſus per latronem improbum fuerat, integer veniet. Sit vobis cum Senatu concordia, cum equeſtri ordine amicitia, cum prætorianis affectio. Ego efficiam, ne ſit aliqua ſollicitudo Romana. Vacate ludis, vacate Circenſibus. Nos publicæ neceſſitates teneant: vos occupent voluptates. Quare ſanctiſſimi Quirites.* & reliqua.

Sed victus & occiſus.

CAP. VI. Hæc nos de Firmo cognoviſſe, ſcire debuiſti, ſed digna memoratu. Nam ea, quæ de illo Aurelianus Feſtivus, libertus Aureliani ſigillatim retulit, ſi vis cognoſcere, eundem oportet legas: maxime cum dicat Firmum eundem inter crocodilos, unctum crocodilorum adipibus, nataſſe, & elephantum rexiſſe, & hippopotamos ediſſe, & ſedentem ingentibus ſtruthionibus vectum eſſe, & quaſi volitaſſe. Sed hæc ſcire quid prodeſt? cum & Livius & Salluſtius taceant res leves de iis quorum vitas ſcribendas arripuerint. Non enim ſcimus, quales mulos Clodius habuerit, aut mulas Titus Annius Milo, aut utrum Tuſco equo ſederit Catilina, an Sardo: vel quali chlamyde Pompejus uſus fuerit, an purpura. Quare finem de Firmo faciemus, venientes ad Saturninum, qui contra Probum Imperium ſibimet in Orientis partibus vindicavit.

Aurelianus Feſtivus de Firmo legendus.

Res leves in hiſtoriis tacendæ.

SATURNINUS.

CAPUT I.

Saturnini origo.

SAturninus oriundus fuit Gallis, ex gente hominum inquietissima, & avida semper, vel faciendi Principis, vel Imperii. Huic inter ceteros duces, qui vere summus videretur, Aurelianus limitis Orientalis Ducatum dedit, sapienter præcipiens, ne umquam Ægyptum videret. Cogitabat enim, quantum videmus, vir prudentissimus, Gallorum naturam; & verebatur, ne si perturbidam civitatem vidisset, quo eum natura ducebat, societate quoque hominum duceretur. Sunt enim Ægyptii (ut satis nosti) viri ventosi, furibundi, jactantes, injuriosi, atque adeo vani, liberi, novarum rerum, usque ad cantilenas publicas, cupientes, versificatores, epigrammatarii, mathematici, aruspices, medici. Nam & Christiani, Samaritæ, & quibus præsentia semper tempora cum enormi libertate displiceant. Ac ne quis mihi Ægyptiorum irascatur, & meum esse credat, quod in litteras retuli, Hadriani epistolam, ex libris Phlegontis liberti ejus proditam, ex qua penitus Ægyptiorum vita, detegitur, indidi.

Ægyptii describuntur.

Hadriani epistola de Ægyptiorum natura.

CAP. II. *Hadrianus Augustus Serviano Consuli Salutem. Ægyptum quam mihi laudabas, Serviane carissime, totam didici, levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt, & devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille Patriarcha cum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum. Genus hominum seditiosissimum, vanissimum, injuriosissimum: civitas opulenta, dives, fecunda, in qua nemo vivat otiosus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur: omnes certe lynifiones, cujuscumque artis & videntur & habentur. Podagrosi quod agant habent; cæci quod agant habent; cæci quod faciant. Ne chiragrici quidem apud eos otiosi vivunt. Unus illis Deus nullus est. Hunc Christiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur & gentes. Et utinam melius esset morata civitas, digna profecto sui profunditate, quæ pro sui magnitudine totius Ægypti teneat principatum. Huic ego cuncta concessi; vetera privilegia reddidi; nova sic addidi, ut præsenti gratias agerent. Denique ut primum inde discessi, & in filium meum Verum multa dixerunt, & de Antonino quæ dixerunt, comperisse te credo. Nihil illis opto, nisi ut suis pullis alantur, quos quemadmodum fecundent, pudet dicere. Calices tibi allassontes versicolores transmisi, quos mihi sacerdos templi obtulit, tibi & sorori meæ specialiter dedicatos, quos tu velim festis diebus conviviis adhibeas. Caveas tamen, ne his Africanus noster indulgenter utatur.*

CAP. III. Hæc ergo cogitans de Ægyptiis Aurelianus, jusserat ne Saturninus Ægyptum videret: & mente quidem divina. Nam ut primum Ægyptii magnam potestatem ad se venisse viderunt, statim clamaverunt, *Saturnine Auguste, Dii te servent:* & ille quidem, (quod negari non potest) vir sapiens, de Alexandrina civitate mox fugit, atque ad Palæstinam rediit. Ibi tamen cum cogitare cœpisset, tutum sibi non esse si privatus viveret, deposita purpura ex simulacro Veneris; cyclade uxoria militibus circumstantibus amictus, & adoratus est. Avum meum sæpe dicentem audivi, se interfuisse, cum ille adoraretur. Flebat (inquit) & dicebat: *Necessarium (si non arroganter dicam) Respublica virum perdidit. Ego certe instauravi Gallias: ego à Mauris possessam Africam reddidi. Ego Hispanias pacavi. Sed quid prodest? Omnia hæc affectato semel honore perierunt.*

Ægyptii Saturninum Augustum & Imperatorem salutant.

CAP. IV. Et cum eum animarent, vel ad vitam, vel ad Imperium, qui induerant purpuram, in hæc verba disseruit, *Nescitis, amici quid mali sit imperare. Gladii & tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ undique, undique spicula. Ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas in Imperio reprehenditur. Senex est quispiam? inhabilis videtur: sin minus, inest furor. Nam quod Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis. Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero.* Marcus Salvidienus hanc ipsius orationem vere fuisse dicit; & fuit re vera non parum litteratus. Nam & in Africa rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentaverat pergulas magistrales.

Ægre suscipit Imperium. U. C. 1032. p. C. N. 280.

CAP. V. Et ne longius progrediar, dicendum est, quod præcipue ad hunc pertinet. Errare quosdam scio, & putare hunc esse Saturninum, qui Gallieni temporibus Imperium occupavit; cum hic longe alius fuerit, etiam Probo pæne nolente sit occisus. Fertur autem Probus & clementes ad eum litteras sæpe misisse, & veniam esse pollicitum: sed milites qui cum eo fuerant, non credidisse. Obsessum denique in castro quodam ab iis, quos Probus miserat, invito Probo esse jugulatum. Longum est frivola quæque connectere, & odiosum dicere quali statura fuerit, quo corpore, quo decore: quid biberit, quid comederit: ab aliis ista dicantur, quæ prope ad exemplum nihil prosunt. Nos ad ea quæ sunt dicenda, redeamus.

Occiditur.

PROCULUS.

CAPUT I.

Proculi origo.

PRoculo patria Albingauni fuere, positi in Alpibus maritimis. Domi nobilis, sed majoribus latrocinantibus, atque adeo pecore ac servis, & iis rebus quas abduxerat, satis dives. Fertur denique eo tempore quo sumpsit

psit Imperium, duo millia servorum suorum armasse. Huic uxor virago, quæ illum in hanc præcipitavit dementiam, nomine Sampso, quod ei postea inditum est: nam antea Viturgia nominata est. Filius Herennianus, quem & ipsum, quinquennium si implesset, (ita enim loquebatur) dicasset Imperio. Homo (quod negari non potest) optimus, idemque fortissimus: ipse quoque latrociniis assuetus, qui tamen armatam semper egerit vitam. Nam & multis legionibus tribunus præfuit, & fortia edidit facta. Et quoniam minima quæque jucunda sunt, atque habent aliquid gratiæ cum leguntur; tacendum non est, quod & ipse gloriatur in quadam sua epistola: quam ipsam melius est ponere, quam de ea plurimum dicere. *Proculus Metiano Affini Salutem dicit. Centum ex Sarmatia virgines cepi. Ex his una nocte decem inivi: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra dies quindecim reddidi.* Gloriatur (ut vides) rem ineptam, & satis libidinosam: atque inter fortes se haberi credit, si criminum densitate coalescat.

Sampso uxor ejus.

Proculus describitur.

Rem ineptam de se gloriatur.

CAP. II. Hic tamen, cum etiam post honores militares se improbe & libidinose, tamen fortiter ageret, hortantibus Lugdunensibus, qui & ab Aureliano graviter contusi videbantur, & Probum vehementissime pertimescebant, in Imperium vocitatus est, ludo pæne & joco, ut Onesimus dicit: quod quidem apud nullum alium reperisse me scio. Nam cum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies Imperator exisset, quidam non ignobilis scurra, *Ave*, inquit, *Auguste*. Allataque lana purpurea, humeris ejus ingessit: eumque adoravit. Timor inde conscius, atque inde jam exercitus tentatio & Imperii. Non nihilum tamen Gallis profuit. Nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contrivit, numquam aliter quam latrocinandi pugnans modo. Hunc tamen Probus fugatum usque ad ultimas terras, & cupientem in Francorum auxilium venire, (à quibus originem se trahere ipse dicebat) ipsis prodentibus Francis, quibus familiare est ridendo fidem frangere, vicit & interemit. Posteri ejus etiam nunc apud Albingaunos agunt, qui joco solent dicere, *sibi non placere se esse vel Principes vel latrones*. Hæc digna memoratu de Proculo, didicisse memini. Veniamus ad Bonosum, de quo multo minora condidi.

A Lugdunensibus ad Imperium vocatur. U.C. 1029. p. C.N. 277.

Alemannos conterit.

Proculus à Probo victus & occisus.

BONOSUS.

CAPUT I.

Bonosi origo & patria.

Bonosus, homo Hispaniensis fuit, origine Britannus, Galla tamen matre: ut ipse dicebat, rhetoris filius, ut ab aliis comperi, pædagogi litterarii. Parvulus patrem amisit, atque à matre fortissima educatus, litterarum nihil didicit. Militavit primum inter ordinarios, deinde inter equites: duxit ordines, tribunatus egit, dux limitis Rhætici fuit: bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus sæpe dicebat, *Non ut vivat natus est, sed ut bibat.* Quem quidem diu in honore habuit causa militiæ. Nam si quando legati Barbarorum undecumque gentium venissent, ipsis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret. Ipse quantumlibet bibisset, semper securus & sobrius: &, ut Onesimus dicit, scriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. Habuit præterea rem mirabilem, ut quantum bibisset, tantum mingeret: neque umquam aut ejus pectus, aut venter, aut vesica gravaretur.

Aureliani de Bonoso jocus.

CAP. II. Hic idem, cum quodam tempore in Rheno Romanas luxurias Germani incendissent, timore, ne pœnas daret, sumpsit Imperium: idque diutius tenuit quam rebatur. Nam longo gravique certamine à Probo superatus, laqueo vitam finivit. Tunc quidam jocus exstitit, *Amphoram pendere, non hominem.* Filios duos reliquit, quibus ambobus Probus pepercit, uxore quoque ejus in honore habita, & usque ad mortem salario præstito. Fuisse enim dicitur (ut & avus meus dicebat) femina singularis exempli, & familiæ nobilis gentis Gothicæ: quam illi Aurelianus uxorem idcirco dederat, ut per eum à Gothis cuncta cognosceret. Erat enim illa virgo regalis. Exstant litteræ ad legatum Thraciarum scriptæ, de iis nuptiis & donis, quæ Aurelianus Bonoso dari nuptiarum causa jussit, quas ego inserui: *Aurelianus Augustus Gallonio Avito salutem. Superioribus litteris scripseram, ut optimates Gothicas apud Perinthum collocares, decretis salariis, non ut singulæ acciperent, sed ut septem simul unum convivium haberent. Cum enim divisæ accipiunt, & illæ parum sumunt, & Respublica plurimum perdit. Nunc tamen quoniam placuit Bonoso Hunilam dari, dabis ei, juxta breve infra scriptum, omnia quæ præcipimus: sumptu etiam publico nuptias celebrabis.* Brevis munerum fuit: *Tunicas palliolatas hyacinthinas subsericas: tunicam auro clavatam subsericam librilem unam, interulas dilores duas, & reliqua quæ matronæ conveniunt. Ipsi dabis aureos Philippeos centum, argenteos Antoninianos mille, æris, sestertium decies.* Hæc me legisse teneo de Bonoso. Et potui quidem horum vitam præterire, quos nemo quærebat: attamen, ne quid fidei deesset, etiam de iis quæ didiceram, intimanda curavi. Supersunt mihi Carus, Carinus, & Numerianus. Nam Diocletianus, & qui sequuntur, majore stylo dicendi sunt.

Bonosus Imperium arripiens. U.C. 1030. p. C.N. 278.

A Probo opprimitur.

Posteri Probi.

Uxor Probi laudatus.

Aurelianus Bonoso nuptias sumptu publico celebrat.

FLA-

FLAVII VOPISCI SYRACUSII
CARUS, NUMERIANUS
ET CARINUS.

CAPUT I.

Fato Respublicæ reguntur.

FAto Rempublicam regi, eamque nunc ad summum evehi, nunc ad minima retrahi, Probi mors satis prodidit. Nam cum ducta per tempora, variis vel erecta moribus, vel afflicta, nunc tempestate aliqua, nunc felicitate variata, omnia prope passa esset quæ patitur in homine uno mortalitas, videbatur post diversitatem malorum jam secura, continuata felicitate mansura, post Aurelianum vehementem Principem, Probo ex sententia Senatus & Populi leges & gubernacula temperante. Sed ruina ingens, vel naufragii modo, vel incendii, accensis fataliter militibus, sublato è medio tali Principe, in eam desperationem votum publicum redegit, ut timerent omnes Domitianos, Vitellios, & Nerones. Plus enim timetur de incertis moribus Principis quam speratur; maxime in ea Republica, quæ recentibus confossa vulneribus, Valeriani captivitatem, Gallieni luxuriam, triginta etiam prope tyrannorum, cæsa civilium membra sibimet vindicantium, perpessa mœruerit.

Quod demonstratur exemplo Reipublicæ Romanæ.

CAP. II. Nam si volumus ab ortu Urbis repetere quas varietates sit passa Romana Respublica, inveniemus nullam magis vel bonis floruisse, vel malis laborasse. Et ut à Romulo incipiam, vero patre ac parente Reipublicæ, quæ illius felicitas? qui fundavit, constituit, roboravitque Rempublicam, atque unus omnium conditorum perfectam Urbem reliquit? Quid deinde Numam loquar? qui frequentem bellis & gravidam triumphis civitatem religione munivit. Viguit igitur usque ad Tarquinii Superbi tempora nostra Respublica: sed passa tempestatem de moribus regiis, non sine gravi exitio semet ulta est. Adolevit deinde usque ad tempora Gallicani belli: sed quasi quodam mersa naufragio, capta præter arcem Urbe, plus pene mali sensit, quam tunc boni habuerat. Reddidit se deinde in integrum: sed eo usque gravata est Punicis bellis, ac terrore Pyrrhi, ut mortalitatis mala præcordiorum timore sentiret.

CAP. III. Crevit deinde victa Carthagine, trans maria missis Imperiis: sed socialibus affecta discordiis, extenuato felicitatis sensu, usque ad Augustum bellis civilibus confecta consenuit. Per Augustum deinde reparata; si reparata dici potest, libertate deposita. Tamen utcumque (etiamsi domi tristis fuit) apud exteras gentes effloruit. Passa deinceps tot Nerones, per Vespasianum caput extulit. Nec omni Titi felicitate lætata, Domitiani vulnerata immanitate, per Nervam atque Trajanum, usque ad Marcum solito melior, Commodi vecordia, & crudelitate lacerata est: nullum post hæc, præter Severi diligentiam, usque ad Alexandrum Mammææ, sensit bonum. Longum est, quæ sequuntur, universa connectere. Uti enim Principe Valeriano non potuit: & Gallienum per quindecim annos passa est. Invidit Claudio longinquitatem Imperii, amans varietatum prope, & semper inimica fortuna justitiæ. Sic enim Aurelianus occisus est; sic Tacitus absumptus; sic Probus cæsus; ut appareat, nihil tam gratum esse fortunæ, quam ut ea quæ sunt in publicis actibus, eventuum varietate mutentur. Sed quorsum talibus querelis & temporum casibus distinemur? Veniamus ad CARUM, medium (ut ita dixerim) virum, inter bonos magis quam inter malos Principes collocandum, & longe meliorem, si Carinum non reliquisset heredem.

Cari patria.

CAP. IV. Cari patria sic ambigue à plerisque proditur, ut præsumpte veritatem dicere nequeam, quæ illa vera sit. Onesimus enim, qui diligentissime vitam Probi scripsit, dicit Romæ illum & natum & litteris eruditum: sed Illyricianis parentibus fuisse, contendit. Sed Fabius Cerilianus, qui tempora Cari, Carini, & Numeriani sollertissime persequutus est, neque Romæ, sed in Illyrico genitum; neque Pannoniis, sed Pœnis parentibus asserit natum. In ephemeride quadam legisse memini, Carum Mediolanensem fuisse: sed avo juri Aquilejensis civitatis insertum. Ipse, quod negari non potest, ut epistola ejus indicat, quam Proconsul ad legatum scripsit, cum eum ad bona hortaretur officia, Romanus vult videri. Epistola Cari: *Carus Manlius Aurelianus Proconsul Ciliciæ, Junio Legato suo. Majores nostri, Romani illi Principes, in legatis creandis hac usi sunt consuetudine, ut morum suorum specimen per eos ostenderent, quibus Rempublicam delegabant. Ego vero, si ita non esset, aliter non fecissem: feci aliter, si te juvante non fallar. Fac igitur, ut majoribus nostris, id est Romanis, non discrepemus viris.* Vides quod tota epistola majores suos Romanos vult intelligi.

Qui vult Romanus esse.

Carus Imperator. U. C. 1034. P. C. N. 282.

CAP. V. Indicat & oratio ejus ad Senatum data, istam generis prærogativam. Nam cum primum Imperator esset creatus, sic ad Senatorium ordinem scripsit inter cetera: *Gaudendum est itaque, Patres Conscripti, unus ex vestro ordine, vestri etiam generis, Imperator est factus. Quare adnitemur, ne meliores peregrini quam vestri esse videantur.* Hoc quoque loco satis clarum est, illum voluisse intelligi se esse Romanum, id est Roma oriundum. Hic igitur per civiles & militares gradus, ut tituli statuarum

tuarum ejus indicant, præfectus prætorii à Probo factus, tantum sibi apud milites amoris locavit, ut interfecto Probo tanto Principe, solus dignissimus videretur Imperio.

CAP. VI. Non me præterit, suspicatos esse plerosque, & eos in fastos retulisse, Cari factione interemptum Probum: sed neque meritum Probi erga Carum, neque Cari mores id credi patiuntur: simul quia Probi mortem & acerrime & constantissime vindicavit. Quid autem de eo Probus senserit, indicant litteræ, de ejus honoribus ad Senatum datæ. *Probus Augustus amantissimo Senatui suo salutem dicit.* Inter cetera: *Felix esset nostra Respublica, si qualis Carus est, aut plerique vestrum, plures haberem in actibus collocatos. Quare equestrem statuam viro morum veterum (si vobis placet) decernendam censeo: addito eo, ut publico sumptu, vel eidem exædificetur domus, marmoribus à me delatis. Decet enim nos talis integritatem remunerari viri.* Et reliqua.

Probi de Caro judicium.

CAP. VII. Ac ne minima quæque connectam, & ea quæ apud alios poterunt inveniri, ubi primum accepit Imperium, consensu omnium militum bellum Persicum, quod Probus parabat, aggressus est, liberis Cæsaribus nuncupatis, & ita quidem, ut Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectissimis destinaret: secum vero Numerianum adolescentem, cum lectissimum, tum etiam disertissimum duceret. Et dicitur quidem sæpe dixisse, *se miserum, quod Carinum ad Gallias Principem mitteret; neque illa ætas esset Numeriani, ut illi Gallicanum, quod maxime constantem Principem quærit, crederetur Imperium.* Sed hæc alias. Nam exstant jam litteræ Cari, quibus apud præfectum suum de Carini moribus queritur; ut appareat, verum esse, quod Onesimus dicit, *habuisse in animo Carum ut Carino Cæsareum abrogaret Imperium.* Sed hæc (ut diximus) alias in ipsius Carini vita dicenda sunt. Nunc ad ordinem revertamur.

Carus contra Persas expeditionem suscipit. Liberos Cæsares nuncupat. Carinum ad tuendas Gallias relinquit.

CAP. VIII. Ingenti apparatu, & totis viribus Probi profligato magna ex parte bello Sarmatico quod gerebat, contra Persas profectus, nullo sibi occurrente, Mesopotamiam Carus cepit, & Ctesiphontem usque pervenit. Occupatisque Persis domestica seditione, Imperatoris Persici nomen meruit. Verum cum avidus gloriæ, præfecto suo maxime jurgante, (qui & ipsius & filii ejus quærebat exitium, cupiens imperare) longius progressus esset, ut alii dicunt, morbo; ut plures, fulmine interemptus est. Negari non potest, eo tempore quo periit, tantum fuisse subito tonitruum, ut multi terrore ipso exanimati esse dicantur. Cum igitur ægrotaret, atque in tentorio jaceret; ingenti exorta tempestate, immani coruscatione, immaniori (ut diximus) tonitru, exanimatus est. Junius Calpurnius, qui ad memoriam dictabat; talem ad præfectum Urbis, super morte Cari, epistolam dedit. Inter cetera, *cum,* inquit, *Carus, Princeps noster vere carus, ægrotaret, tanti turbinis subito exorta tempestas est, ut caligarent omnia, neque alter alterum nosceret: coruscationum deinde ac tonitruum in modum fulgurum igniti sideris continuata vibratio, omnibus nobis veritatis scientiam sustulit. Subito enim conclamatum est, Imperatorem mortuum, & post illud præcipue tonitruum, quod cuncta terruerat. His accessit, quod cubicularii, dolentes Principis mortem, incenderunt tentorium. Unde fama emersit, fulmine interemptum eum, quem, quantum scire possumus, ægritudine constat absumptum.*

Contra Persas Carus multa feliciter gerit. U.C. 1025. p. C. N. 273.

Carus fulmine exanimatur.

CAP. IX. Hanc ego epistolam idcirco indidi, quod plerique dicunt, vim fati quandam esse, ut Romanus Princeps Ctesiphontem transire non possit: ideoque Carum fulmine absumptum, quod eos fines transgredi cuperet, qui fataliter constituti sunt. Sed sibi habeat artes suas timiditas, calcanda virtutibus. Licet plane, ac licebit, per sacratissimum Cæsarem Maximianum, Persas vincere, atque ultra eos progredi: & futurum reor; si à nostris non deseratur promissus Numinum favor. Bonum Principem Carum fuisse, cum multa indicant, tum illud etiam, quod statim adeptus Imperium, Sarmatas, adeo morte Probi feroces, ut invasuros se non solum Illyricum, sed Thracias quoque Italiamque minarentur; ita inter bella patiendo contudit, ut paucissimis diebus Pannonias securitate donaverit, occisis Sarmatarum sedecim millibus, captis diversi sexus viginti millibus. Hæc de Caro satis esse credo.

Ctesiphontem transire non potest Princeps Romanus fato aliquo.

CAP. X. Veniamus ad Numerianum, cujus & vicinior patri, & admirabilior per socerum suum facta videtur historia. Et quamvis Carinus major ætate fuerit, prior etiam Cæsar sit nuncupatus; tamen necesse est, ut prius de Numeriano loquamur, qui patris secutus est mortem: post de Carino, quem vir Reipublicæ necessarius, Augustus Diocletianus, habitis conflictibus, interemit.

Cur Numeriani vita prius quam Carini describatur.

NUMERIANUS.

CAPUT I.

Numerianus U.C. 1034. p. C. N. 282.

NUmerianus Cari filius, moratus egregie & vere dignus Imperio, eloquentia etiam præpollens, adeo ut publice declamaverit, ferantur que illius scripta nobilia; declamationi tamen quam Tulliano accommodatiora stylo. Versu autem talis fuisse prædicatur, ut omnes poëtas sui temporis vicerit. Nam & cum Olympio Nemesiano contendit, qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ, & ναυτικὰ scripsit, quique omnibus coloniis illustratus emicuit. Et Aurelium Apollinarem Iamborum scriptorem, qui patris ejus gesta in litteras retulit, iisdem quæ recitaverat editis, veluti radio solis obtexit. Hujus oratio fertur ad Senatum missa, tantum habuisse eloquentiæ, ut illi statua, non quasi Cæsari, sed quasi rhetori decerneretur, ponenda in bibliotheca Ulpia, cui subscriptum est, NUMERIANO CÆSARI, ORATORI TEMPORIBUS SUIS POTENTISSIMO.

Poëta.

Et orator sui temporis excellentissimus.

CAP. II. Hic patri comes fuit bello Persico: quo mortuo, cum nimio fletu oculos dolere cœpisset, quod illud ægritudinis genus nimia (utpote familiarissima) confectus angustia incurrisset: & dum lectica portaretur, factione

Cum patre adversus Persas proficiscitur. U. C. 1034. p. C. N. 282. Factione soce-

ri sui Arrii occiditur. U. C. 1036. p. C. N. 284.

Arrii Apri soceri sui, qui invadere conabatur Imperium, occisus est. Sed cum per plurimos dies, de Imperatoris salute quæreretur à milite, concionareturque Aper, idcirco illum videri non posse, quod oculos invalidos à vento ac sole subtraheret; fœtore tamen cadaveris res esset prodita: omnes invaserunt Aprum, cujus factio latere non potuit, eumque ante signa & principia protraxere. Tunc habita est ingens concio, factum etiam tribunal.

Diocletianus vindex Numeriani.

CAP. III. Et cum quæreretur, quis vindex Numeriani justitissimus fieret, quis daretur Reipublicæ bonus Princeps, DIOCLETIANUM omnes divino consensu, cui multa jam signa facta dicebantur Imperii, Augustum appellaverunt, domesticos tunc regentem, virum insignem, callidum, amantem Reipublicæ, amantem suorum, & ad omnia quæ tempus quæsierat, paratum; consilii semper alti, nonnunquam tamen effrontis, sed prudentis, nimia pervicacia motus inquieti pectoris comprimentis. Hic cum tribunal conscendisset, atque Augustus esset appellatus, & quæreretur quemadmodum Numerianus esset occisus, educto gladio, Aprum præfectum prætorii ostentans, percussit; addens verbis suis, *Hic est auctor necis Numeriani.* Sic Aper seipsum fœdavit, & deformibus consiliis agens, dignum moribus suis exitum dedit. Avus meus retulit, se interfuisse concioni, cum Diocletiani manu esset Aper occisus: percussisse autem dicebat Diocletianum, & dixisse, *Gloriare Aper, magni Æneæ dextera cadis.* Quid ego miror de homine militari, quamvis sciam plurimos plus quam militares vel Græce vel Latine, vel Comicorum usurpare dicta, vel talium poëtarum. Ipsi denique Comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant vetera dicta usurpare. Nam &, *Lepus tute es, & pulpamentum quæris*, Livii Andronici dictum est, multaque alia, quæ Plautus Cæciliusque posuerunt. Curiosum non puto, neque satis vulgare, fabellam de Diocletiano Augusto ponere hoc convenientem loco, quæ illi data est ad omen Imperii. Avus meus mihi retulit ab ipso Diocletiano compertum. Cum (inquit) Diocletianus apud Tungros, in Gallia quadam in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, & cum Druide quadam muliere rationem convictus sui quotidiani faceret, atque illa diceret, *Diocletiane nimium avarus, nimium parcus es*, joco non serio Diocletianus respondisse fertur, *Tunc ero largus, cum Imperator fuero.* Post quod verbum Druias dixisse fertur, *Diocletiane jocari noli: nam Imperator eris, cum Aprum occideris.*

Aprum occidit.

Diocletianus ex qua ratione Aprum occiderit.

CAP. IV. Semper exinde Diocletianus in animo habuit Imperii cupiditatem, idque Maximiano conscio, atque avo meo, cui hoc dictum à Druide ipse retulerat. Denique ut erat altus, risit & tacuit. Apros tamen in venationibus, ubi fuit facultas, manu sua semper occidit. Denique cum Aurelianus Imperium accepisset, cum Probus, cum Tacitus, cum ipse Carus; Diocletianus dixit, *Ego semper Apros occido, sed alter semper utitur pulpamento.* Jam illud notum est, atque vulgatum, quod cum occidisset Aprum præfectum prætorii, dixisse fertur: *Tandem Aprum fatalem occidi.* Ipsum Diocletianum idem avus meus dixisse dicebat, *nullam aliam fuisse sibi causam occidendi manu sua Aprum, nisi ut impleret Druidis dictum, & suum firmaret Imperium.* Non enim tam crudelem se innotescere cuperet, primis maxime diebus Imperii, nisi illum necessitas ad hanc atrocitatem occisionis attraheret. Dictum est de Caro, dictum etiam de Numeriano, superest nobis Carinus.

CARINUS.

CAPUT I.

Carini mollities.

CArinus homo omnium contaminatissimus, adulter, frequens corruptor juventutis (pudet dicere quod in litteras Onesimus retulit) ipse quoque male usus genio sexus sui. Hic, cum Cæsar decretis sibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hispaniis ac Britannis & Africa, relictus à patre, Cæsarianum teneret Imperium, sed ea lege, ut omnia faceret, quæ Augusti faciunt, enormibus se vitiis & ingenti fœditate maculavit. Amicos optimos quosque relegavit: pessimum quemque elegit, aut tenuit: præfectum Urbi unum ex cancellariis suis fecit; quo fœdius nec cogitari potuit aliquando, nec dici. Præfectum prætorii, quem habebat, occidit: in ejus locum Matronianum, veterem conciliatorem fecit. Unum ex his notarium, quem stuprorum & libidinum conscium semper atque adjutorem habuerat, invito patre Consulem fecit. Superbas ad Senatum litteras dedit. Vulgo Urbis Romæ, quasi Populo Romano, bona Senatus promisit. Uxores ducendo ac rejiciendo novem duxit, pulsis plerisque prægnantibus. Mimis, meretricibus, pantomimis, cantoribus atque lenonibus, Palatium implevit. Fastidium subscribendi tantum habuit, ut impurum quendam, cum quo semper meridie jocabatur, ad subscribendum poneret, quem objurgabat plerumque, quod bene suum imitaretur magistrum.

Carinus Cæsar appellatus. U. C. 1034. p. C. N. 282.

Carini luxuria.

Carini profusio.

CAP. II. Habuit gemmas in calceis: nisi gemmata fibula usus non est. Balteum etiam sæpe gemmatum. Regem denique illum Illyrici plerique vocitarunt. Præfectis nunquam, Consulibus obviam processit. Hominibus improbis plurimum detulit, eosque ad convivium semper vocavit. Centum libras avium, centum piscium, mille diversæ carnis, in convivio suo frequenter exhibuit. Vini plurimum effudit. Inter poma & melones natavit. Rosis Mediolanensibus & triclinia & cubicula stravit. Balneis ita frigidis usus est, ut solent esse cellæ suppositoriæ, frigidariis semper nivalibus. Cum hiemis tempore ad quendam locum venisset, in quo fons erat aqua pertepida, ut solet per hiemem naturaliter, eaque in piscina usus esset, dixisse balneatoribus fertur, *Aquam mihi*

mihi muliebrem præparatis: atque hoc ejus clarissimum dictum effertur. Audiebat pater ejus quæ ille faceret, & clamabat, *Non est meus.* Staterat denique Constantium, (qui postea Cæsar est factus, tunc autem præsidatum Dalmatiæ administrabat) in locum ejus subrogare, quod nemo tunc vir melior videbatur: illum vero (ut Onesimus dicit) occidere. Longum est si de ejus luxuria plura velim dicere. Quicumque ostiatim cupit noscere, legat etiam Fulvium Asprianum, usque ad tædium, gestorum ejus universa dicentem.

CAP. III. Hic ubi patrem fulmine absumptum, fratrem à socero interemptum, Diocletianum Augustum appellatum comperit, majora vitia & scelera edidit, quasi jam liber à frenis domesticæ pietatis, suorum mortibus absolutus. Nec ei tamen defuit ad vindicandum sibimet Imperium vigor mentis. Nam contra Diocletianum multis præliis conflixit. Sed ultima pugna apud Murtium commissa, victus occubuit. Hic trium Principum finis fuit, Cari, Numeriani, & Carini: post quos DIOCLETIANUM & MAXIMIANUM Principes Dii dederunt; jungentes talibus viris GALERIUM atque CONSTANTIUM: quorum alter natus est, qui acceptam ignominiam Valeriani captivitate deleret: alter, qui Gallias Romanis legibus redderet. Quatuor sane Principes mundi, fortes, sapientes, benigni & admodum liberales, unum in Republica sentientes: præterea Senatus Romani moderati, Populo amici, potestate graves, religiosi, & quales Principes semper oravimus: quorum vitam singulis libris Claudius Eusthenius, qui Diocletiano ab epistolis fuit, scripsit: quod idcirco dixi, ne quis à me tantam rem quæreret, maxime cum vel vivorum Principum vita non sine reprehensione dicatur.

A Diocletiano victus occubuit Carinus. U. C. 1036. p. C. N. 284.

Diocletiani, Maximiani, Galerii & Constantii laudes.

CAP. IV. Memorabile maxime & Carini & Numeriani hoc habuit Imperium, quod ludos Populo Romano, novis ornatos spectaculis, dederunt, quos in Palatio circa porticum stabuli pictos vidimus. Nam & Neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & Tichobaten, qui per parietem urso eluso cucurrit: & ursos mimum agentes: & item centum salpistas uno crepitu concinentes, & centum camptaulas, choraulas centum, etiam pithaulas centum, pantomimos & gymnicos mille: pegma præterea, cujus flammis scena conflagravit; quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit. Mimos præterea undique advocavit. Exhibuit & ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil est. Exhibuit Cyclopem. Donatum est & Græcis artificibus, & gymnicis, & histrionibus, & musicis, aurum & argentum; donata & vestis serica.


Carinus & Numerianus ludorum nova genera exhibent.

CAP. V. Sed hæc omnia, nescio quantum ad Populum gratiæ habeant, nullius certe sunt momenti apud Principes bonos. Diocletiani denique dictum fertur, cum ei quidam largitionalis suus editionem Cari laudaret, dicens, multum placuisse Principes illos, causa ludorum theatralium, ludorumque Circensium; *Ergo* (inquit) *bene risus est Imperio suo Carus.* Denique cum omnibus gentibus advocatis Diocletianus daret ludos, parcissime usus liberalitate, dicens, *castiores esse oportere ludos, spectante censore.* Legat hunc locum Junius Messalla, quem ego libere culpare audeo. Ille enim patrimonium suum scenicis dedit; heredibus abnegavit: matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo: & recte, si aviæ pallio aurato atque purpurato, pro syrmate tragœdus uteretur. Inscriptum est adhuc in choraulæ pallio tyrianthino, quo ille velut spolio nobilitatis exsultat, Messallæ nomen & uxoris. Jam quid lineas petitas Ægypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles. Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canusini, Africanæ opes in scena non prius visæ.

Junii Messallæ profusio.

CAP. VI. Et hæc quidem idcirco ego in litteras retuli, quo futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia sua, proscriptis legitimis heredibus, mimis & balatronibus deputarent. Habe, mi amice, meum munus, quod ego (ut sæpe dixi) non eloquentiæ causa, sed curiositatis, in lumen edidi: id præcipue agens, ut si quis eloquens vellet facta Principum reserare, materiam non requireret, habiturus meos libellos ministros eloquii. Te quæso sis contentus, nosque sic voluisse scribere melius, quam potuisse, contendas.

Conclusio operis.




AMMI-

AMMIANI MARCELLINI

RERUM GESTARUM

QUI DE XXXI. SUPERSUNT,

LIBRI XVIII.



Desunt priores Libri XIII.

AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XIV.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

Galli Cæsaris sævitia.



POST emensos insuperabilis expeditionis eventus, languentibus partium animis, quas periculorum varietas fregerat & laborum, nondum tubarum cessante clangore, vel milite locato per stationes hibernas (a), fortunæ sævientis procellæ tempestates alias rebus infudere communibus, per (b) multa illa & dira facinora Cæsaris Galli: qui ex squalore nimio miseriarum, in ætatis adultæ primitiis, ad principale culmen insperato cultu provectus, ultra terminos potestatis delatæ procurrens, asperitate nimia cuncta fœdabat. Propinquitate enim regiæ stirpis, gentilitateque etiamtum (c) Constantini nominis efferebatur in fastus, si plus valuisset, ausurus hostilia in auctorem suæ felicitatis, ut videbatur. Cujus acerbitati uxor grave accesserat incentivum, germanitate Augusti turgida supra modum, quam Hanniballiano Regi fratris filio antehac Constantinus junxerat pater. Megæra quædam mortalis, inflammatrix sævientis adsidua (d), humani cruoris avida nihil mitius quam maritus, qui paullatim eruditiores facti processu temporis ad nocendum, per clandestinos versutosque rumigerulos, compertis leviter addere quædam malesuetos, falsa & placentia* sibi discentes, affectati regni vel artium nefandarum calumnias insontitus adfigebant. (e) Eminuit autem inter humilia, supergressa jam potentia fines mediocrium delictorum, nefanda Clematii cujusdam Alexandrini nobilis mors repentina: cujus socrus cum misceri sibi generum, flagrans ejus amore, non impetraret, ut ferebatur, per palatii pseudothyrum introducta, oblato pretioso Reginæ monili id assequuta est, ut ad Honoratum, tum Comitem Orientis, formula missa letali, homo scelere (f) nullo contactus idem Clematius, nec hiscere nec loqui permissus, occideretur. Post hoc impie perpetratum, quod in aliis quoque jam timebatur, tamquam licentia crudelitati indulta, per suspicionum nebulas æstimati quidam noxii damnabantur: quorum pars necati, alii puniti bonorum multatione, actique laribus suis extorres, nullo sibi relicto præter querelas & lacrymas, stipe collaticia victitabant: & civili justoque imperio ad voluntatem converso cruentam, claudebantur opulentæ domus & claræ. Nec vox accusatoris ulla, licet subdititicii, in his (g) malorum quærebatur acervis, ut saltem specie tenus crimina præscriptis legum committerentur, quod aliquotiens fecere Principes sævi: sed quidquid Cæsaris implacabilitati

Ut & uxoris ejus.

Clematii Consularis Palæstinæ cædes.

Aliorumque.

(a) al. Stationum hiberna. (b) al. Infundere conantur, par &c. (c) al. Etiamnum. (d) al. assidue. (e) al. adfingebant. (f) al. letali odio, scelere &c. (g) al. & in his.

cabilitati sedisset, id velut fas jusque perpensum confestim urgebatur impleri. Excogitatum est super his, ut homines quidam ignoti, vilitate ipsa parum cavendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent. Hi peragranter & dissimulanter honoratorum circulis adsistendo, pervadendoque divitum domus (*b*) egentium habitu, quidquid (*i*) noscere poterant vel audire, latenter intromissi per posticas in regiam, nuntiabant: id observantes conspiratione concordi, ut fingerent quædem, & cognita duplicarent in pejus: laudes vero supprimerent Cæsaris, quas invitis compluribus formido malorum impendentium exprimebat. Et interdum acciderat, ut si quid in penetrali secreto, nullo citerioris vitæ (*k*) ministro præsente, paterfamilias uxori susurrasset in aurem, velut Amphiarao referenti aut Marcio, quondam vatibus inclytis, postridie disceret Imperator. Ideoque etiam parietes arcanorum soli conscii timebantur. Adolescebat autem obstinatum propositum erga hæc & similia multa scrutandi (*l*), stimulos admovente Regina; quæ abrupte mariti fortunas trudebat (*m*) in exitium præceps: cum eum potius lenitate feminea ad veritatis humanitatisque viam reducere utilia suadendo deberet, ut in Gordianorum actibus factitasse Maximini truculenti illius Imperatoris retulimus conjugem. Novo denique perniciosoque exemplo idem Gallus ausus est inire flagitium grave, quod Romæ cum ultimo dedecore tentasse aliquando dicitur Gallienus: & adhibitis paucis clam ferro succinctis, vesperi per tabernas palabatur & compita, quæritando Græco sermone, cujus erat impendio gnarus, quid de Cæsare quisque (*n*) sentiret. (*o*) Et hæc confidenter agebat in Urbe, ubi pernoctantium luminum claritudo dierum solet imitari fulgorem. Postremo agnitus sæpe, jamque si prodisset, conspicuum se fore contemplans, non nisi luce (*p*) palam egrediens, ad agenda quæ putabat seria, cernebatur. Et hæc quidem medullitus multis (*q*) gementibus agebantur. Thalassius vero ea tempestate Præfectus Prætorio Præsens, ipse quoque arrogantis ingenii, considerans incitationem ejus ad multorum augeri discrimina, non maturitate vel consiliis mitigabat, ut aliquoties celsæ potestates iras Principum molliverunt: sed adversando jurgandoque cum parum congrueret, eum ad rabiem potius evibrabat: Augustum, actus ejus exaggerando, creberrime docens, idque, incertum qua mente, ne lateret affectans. Quibus mox (*r*) Cæsar acrius efferatus velut contumaciæ quoddam vexillum altius erigens, sine respectu salutis alienæ vel suæ, ad vertenda supposita instar rapidi fluminis irrevocabili impetu ferebatur.

Thalassius Præfectus Prætorio.

Isaurorum Incursiones.

CAP. II. Nec sane hæc pernicies sola Orientem diversis cladibus affligebat. Namque & Isauri, quibus usitatum est sæpe pacari, sæpeque inopinis excursibus cuncta miscere ex (*s*) latrociniis occultis & raris, alente impunitate adulescentem in pejus audaciam, ad bella gravia proruperunt: diu quidem perduelles spiritus irrequietis motibus erigentes; hac tamen (*t*) indignitate perciti vehementer (*u*), ut jactitabant, quod eorum quidam capti consortes, apud Iconium (*x*) Pisidiæ oppidum in amphitheatrali spectaculo feris prædatricibus objecti sunt præter morem. Atque, ut Tullius ait, ut *etiam feræ fame* (*y*) *monitæ plerumque ad eum locum, ubi aliquando pastæ sunt, revertuntur*; ita omnes instar turbinis digressi montibus impeditis & arduis, loca petivere mari confinia: per quæ viis latebrosis sese convallibusque occultantes, cum appeterent noctes, (*z*) (luna etiam tum cornuta, ideoque nondum solido splendore fulgente) nauticos observabant. Quos cum in somnum sentirent effusos, per ancoralia quadrupedo gradu repentes, seseque suspensis passibus injectantes in scaphas, eisdem nihil (*a*) opinantibus adsistebant, & incendente (*b*) aviditate sævitiam, ne cedentium (*c*) quidem ulli parcendo, obtruncatis omnibus merces opimas velut viles nullis repugnantibus evertebant. Hæcque non diu sunt perpetrata. Cognitis enim pilatorum cæsorumque funeribus, nemo deinde ad has stationes appulit navem: sed ut Scironis prærupta letalia declinantes, littoribus Cypriis contigui navigabant, quæ Isauriæ scopulis sunt controversa. Procedente igitur mox tempore cum adventicium (*d*) nihil inveniretur, relicta ora maritima in Lycaoniam adnexam Isauriæ se contulerunt: ibique densis intersæpientes (*e*) itinera prætenturis, provincialium & viatorum opibus pascebantur. Excitavit hic ardor milites per municipia plurima, quæ iisdem conterminant, dispositos & castella: & quisque serpentes latius pro viribus repellere moliens, nunc globis confertos, aliquoties & dispersos, multitudine superabatur ingenti: quæ nata & educata inter editos recurvosque ambitus montium, eos ut loca plana persultat & mollia, missilibus obvios eminus lacessens, & ululatu truci perterrens. Coactique aliquoties nostri pedites ad eos persequendos scandere clivos sublimes, etiamsi lapsantibus plantis, fruticeta prensando vel dumos, ad vertices venerint summos: inter arta tamen & invia nullas acies explicare permissi, nec firmare nisu valido gressus, hoste discursatore rupium abscissa volvente superne, periculose per prona discedunt; aut ex necessitate ultima fortiter dimicantes, ruinis ponderum immanium consternuntur. Quamobrem circumspecta cautela observatum est deinceps; & cum edita montium petere cœperint grassatores, loci iniquitate milites cedunt. Ubi autem in planitie potuerint reperiri, quod contingit assidue, nec exertari lacertos, nec crispare permissi tela, quæ vehunt (*f*) bina vel terna, pecudum ritu

In Lycaoniam.

(*h*) al. domos. (*i*) al. Si quidquid. (*k*) al. citerioris ejus vitæ. (*l*) al. servandi. (*m*) al. quæ abrupte è mariti fortuna stridebat. (*n*) alii τὸ quisque omittunt. (*o*) al. sentient. (*p*) al. lucem. (*q*) al. nultum. (*r*) al. Quibus ut mox. (*s*) al. &. (*t*) al. erigentes; attamen. (*u*) al. vehementes. (*x*) al. Leonium. (*y*) alii τὸ fame omittunt. (*z*) al. noctis (*a*) al. eisdem enim nihil. (*b*) al. incitante. (*c*) al. cadentium. (*d*) al. adventitium. (*e*) al. inter obsidentium. (*f*) al. veliunt.

ritu inertium trucidantur. Metuentes igitur iidem latrones Lycaoniam magna parte campestrem, cum se impares nostris fore congressione stataria documentis frequentibus scirent, tramitibus deviis petivere Pamphyliam, diu quidem intactam, sed timore populationum & cædium, milite per omnia diffuso propinqua, magnis undique præsidiis communitam. Raptim igitur properantes, ut motus sui rumorem celeritate nimia prævenirent, vigore corporum ac levitate confisi; per flexuosas (*g*) semitas ad summitates collium tardius evadebant. Et cum superatis difficultatibus arduis, ad supercilia venissent fluvii Melanis alti & verticosi, qui pro muro tuetur accolas circumfusus, augente nocte adulta terrorem (*h*), quievere paullisper lucem opperientes. Arbitrabantur enim nullo impediente transgressi, inopino accursu apposita quæque vastare: sed incassum labores pertulere gravissimos. Nam sole orto, magnitudine angusti gurgitis, sed profundi à transitu arcebantur: & dum piscatorios quærunt lenunculos, vel innare temere contextis ratibus parant: effusæ legiones, quæ hiemabant tunc apud Sidenisten impetu occurrere veloci. Et signis prope ripam locatis ad manus comminus conserendas, densata scutorum compage semet scientissime (*i*) præstruebant: ausos quoque aliquos fiducia nandi, vel cavatis arborum truncis amnem permeare latenter, facillime trucidarunt. Unde tentatis ad discrimen ultimum artibus multum, cum nihil impetraretur, pavore vique repellente extrusi, & quo tenderent ambigentes, venere prope oppidum Laranda. Ibi victu recreati & quiete, postquam abierat timor, vicos opulentos adorti, equestrium adjumento cohortium, quæ casu propinquabant, nec resistere planitie porrecta conati, digressi sunt: retroque concedentes, omne juventutis robur relictum in sedibus acciverunt. Et quoniam inedia gravi afflictabantur, locum petivere Paleas nomine, vergentem in mare, valido muro firmatum; ubi conduntur nuncusque commeatus, distribui militibus omne latus Isauriæ defendentibus adsueti. Circumstetere igitur hoc muuimentum per triduum & trinoctium: & cum neque acclivitas ipsa sine discrimine adiri letali (*k*), nec cuniculis quidquam geri posset, nec procedebat ullum obsidionale commentum, mœsti excedunt, postrema vi subigente (*l*) majora viribus aggressuri. Proinde concepta rabie sæviore, quam desperatio incendebat & fames, amplificatis viribus ardore incohibili in excidium urbium matris Seleuciæ (*m*) efferebantur, quam Comes tuebatut Castricius, tresque legiones bellicis sudoribus induratæ. Horum adventum prædocti speculationibus fidis rectores militum, tessera data solemni, armatos omnes celeri eduxere procursu: & agiliter prætererito Calycadni (*n*) fluminis ponte, cujus undarum magnitudo murorum alluit turres, in speciem locavere pugnandi. Neque tamen exsilivit quisquam, nec permissus est congredi. Formidabatur enim flagrans vesania manus, & superior numero, & ruitura sine respectu salutis in ferrum. Viso itaque exercitu procul auditoque liticinum (*o*) cantu, represso gradu parumper stetere prædones: exertantesque (*p*) minaces gladios, postea lentius incedebant. Quibus occurrere bene pertinax miles explicatis ordinibus parans, hastisque feriens scuta, (qui habitus iram pugnantium concitat & dolorem) proximos jam gestu terrebat. Sed eum in certamen alacriter consurgentem revocavere ductores, rati intempestivum, anceps subire certamen, cum haud longe muri distarent, quorum tutela securitas poterat in solido locari cunctorum. (*q*) Hac ita (*r*) persuasione, reducti intra mœnia bellatores, obseratis undique portarum aditibus, propugnaculis insistebant & pinnis, congesta undique saxa telaque habentes in promptu, ut si quis sese proripuisset interius, multitudine missilium sterneretur & lapidum. Illud tamen clausos vehementer angebat: quod captis navigiis, quæ frumenta vehebant per flumen, Isauri quidem alimentorum copiis adfluebant: ipsi vero solitarum rerum cibos jam consumendo, inediæ propinquantis ærumnas exitialeis horrebant. Hæc ubi latius fama vulgasset: missæque relationes adsiduæ Gallum Cæsarem permovissent: quoniam Magister equitum longius ea tempestate distinebatur, jussus Comes Orientis Nebridius, contractis undique militaribus copiis ad eximendam periculo civitatem amplam & opportunam, studio properabat ingenti: quo cognito abscessere latrones, nulla re amplius memorabili gesta, dispersique (*s*), ut solent, avia montium petiere celsorum.

Sed incassum.

Oppidum Laranda frustra aggrediuntur.

Seleuciam similiter.

Nebridius Comes Orientis Isauros à Seleucia pellit.

CAP. III. Eo adducta re per Isauriam, Rege Persarum bellis finitimis illigato, repellenteque à conlimitiis suis ferocissimas gentes, quæ mente quadam versabili hostiliter eum sæpe incessunt, & in nos arma moventem aliquoties juvant: Nohodares quidam nomine è numero optimatum, incursare Mesopotamiam quoties copia dederit ordinatus, explorabat nostra sollicite, si reperisset usquam locum, vi subita perrupturus. Et quia Mesopotamiæ tractus omnes crebro inquietari sueti, prætenturis & stationibus servabantur agrariis, lævorsum flexo itinere Osdroënæ subsederat extimas partes, novum parumque aliquando tentatum commentum adgressus: quod si impetrasset, fulminis modo (*t*) cuncta vastaret. Erat autem quod agitabat hujusmodi. Batne municipium in Anthemusia conditum Macedonum manu priscorum, ab Euphrate flumine brevi spatio disparatur; refertum mercatoribus opulentis: ubi annua sollemnitate, prope Septembris initium mensis (*u*), ad nundinas magna promiscuæ fortunæ convenit multitudo, ad commercanda quæ Indi mittunt & Seres, aliaque plurima vehi terra marique consueta. Hanc regionem

Persarum commentum irritum.

Iii

(*g*) al. Perplexuosas. (*h*) al. urgente nocte adultaque tempore, &c. (*i*) al. densas scutarum compages scientissime. (*k*) al. adiri posset letali. (*l*) al. postremo ira subeunte. (*m*) al. insolentia. (*n*) al. Calydcanni. (*o*) al. latronum. (*p*) al. extantesque. (*q*) al. securi poterant in solido loca cuncta locare. (*r*) al. Hac uti &c. (*s*) al. dispersisque (*t*) al. fulminis instar. (*u*) alii τὸ mensis omittunt.

gionem præstitutis celebritati diebus invadere parans dux ante dictus, per solitudines Aboræque amnis herbidas ripas: suorum indicio proditus, qui admissi flagitii metu exagitati, ad præsidia descivere (*x*) Romana, absque ullo egressus effectu, deinde tabescebat immobilis.

Saracenorum irruptiones & mores.

CAP. IV. Saraceni tamen nec amici nobis umquam, nec hostes (*y*) optandi, ultro citroque discursantes, quidquid inveniri poterat, momento temporis parvi vastabant, milvorum rapacium similes: qui si prædam dispexerint celsius, volatu rapiunt celeri, aut nisi impetraverint, non immorantur. Super quorum moribus licet in actibus Principis Marci, & postea aliquoties meminerim retulisse; tamen nunc quoque pauca de iisdem expediam carptim. Apud has gentes, quarum exordiens initium ab Assyriis ad Nili cataractas porrigitur & confinia Blemmyarum, omnes pari sorte sunt bellatores, seminudi, coloratis sagulis pube tenus amicti (*z*), equorum adjumento pernicium graciliumque camelorum per diversa reptantes, in tranquillis vel turbidis rebus: nec eorum quisquam aliquando stivam apprehendit, vel arborem colit, aut arva subigendo quæritat victum: sed errant semper per spatia longe lateque distenta, sine lare, sine sedibus fixis aut legibus: nec idem perferunt diutius cœlum, aut tractus unius soli illis umquam placet. Vita est illis semper in fuga: uxoresque mercenariæ conductæ ad tempus ex pacto: atque ut sit species matrimonii, dotis nomine futura conjunx hastam & tabernaculum offert marito, post statum diem si id elegerit, discessura: & incredibile est, quo ardore apud eos in venerem uterque solvitur sexus. Ita autem quoad vixerint, late palantur, ut alibi mulier nubat, in loco pariat alio, liberosque procul educat, nulla copia quiescendi permissa. Victus universis caro ferina est, lactisque abundans copia qua sustentantur, & herbæ multiplices, & si quæ alites capi per aucupium possint; & plerosque nos vidimus frumenti usum & vini penitus ignorantes. Hactenus de natione perniciosa: nunc ad textum propositum revertamur.

Magnentianorum supplicia.

CAP. V. Dum hæc in Oriente aguntur, Arelate hiemem agens Constantius, post theatrales ludos atque circenses ambitioso editos apparatu, die sexto (*b*) Idus Octobres qui Imperii ejus annum tricesimum terminabat, insolentiæ pondera gravius librans, si quid dubium deferebatur aut falsum, pro liquido accipiens & comperto, inter alia excarnificatum Gerontium Magnentianæ (*c*) Comitem partis, exsulari mœrore multavit.

Gerontius excarnificatus.

Utque ægrum corpus quassari etiam levibus solet offensis, ita animus ejus angustus & tener, quidquid increpuisset ad salutis suæ dispendium existimans factum, aut cogitatum, insontium cædibus fecit victoriam luctuosam. Si quis enim Militarium vel Honoratorum, aut Nobilis inter suos, rumore tenus esset insimulatus fovisse partes hostiles, injecto onere catenarum in modum belluæ trahebatur: & inimico urgente vel nullo, quasi sufficiente hoc solo quod nominatus esset, aut delatus, aut postulatus, capite vel multatione bonorum, aut insulari solitudine damnabatur. Accedebat enim ejus asperitati ubi imminuta vel læsa amplitudo Imperii dicebatur, & iracundæ suspicionum quantitati proximorum cruentæ blanditiæ, exaggerantium incidentia, & dolere impendio simulantium, si Principis perditur vita, à cujus salute velut filo pendere statum orbis terrarum fictis vocibus exclamabant. Ideoque fertur, neminem aliquando ob hæc vel similia pœna addictum, oblato de more elogio revocari jussisse, quod inexorabiles quoque Principes factitarunt. Et exitiale hoc vitium, quod in aliis nonnumquam intepescit, in illo, ætatis progressu effervescebat, obstinatum ejus propositum accendente adulatorum cohorte. Inter quos Paulus eminebat Notarius, ortus iu Hispania, glabro (*d*) quidem sub vultu latens, odorandi vias periculorum occultas perquam sagax.

Pauli Notarii facinora.

Is in Britanniam missus ut militares quosdam perduceret, ausos conspirasse Magnentio, cum reniti non possent, jussa licentius supergressus, fluminis modo fortunis complurium sese repentinus infudit: & ferebatur per strages multiplices ac ruinas, vinculis membra ingenuorum adfligens, & quosdam obterens manicis, crimina scilicet multa consarcinando, à veritate longe discreta. Unde admissum est facinus impium, quod Constantii tempus nota inusserat sempiterna. Martinus agens (*e*) illas provincias pro Præfectis, ærumnas innocentium graviter gemens, sæpeque obsecrans ut ab omni culpa immunibus parceretur, cum non impetraret, minabatur se discessurum: ut saltem id metuens perquisitor malevolus, tandem desineret quieti coalitos homines in aperta pericula projectare. Per hoc minui studium suum existimans Paulus, ut erat in complicandis negotiis artifex dirus, unde ei Catenæ (*f*) inditum est cognomentum, Vicarium ipsum eos quibus præerat adhuc defensantem, ad sortem periculorum communium traxit.

Catena vocatus.

Et instabat ut eum quoque, cum Tribunis & aliis pluribus, ad comitatum Imperatoris vinctum perduceret: quo percitus ille, exitio urgente abrupto, ferro (*g*) eumdem adoritur Paulum. Et quia languente dextera letaliter ferire non potuit, jam districtum mucronem in proprium latus impegit: hocque deformi genere mortis excessit è vita justissimus, remora ausus miserabilis casus levare multorum. Quibus ita scelestе patratis, Paulus cruore perfusus, reversusque ad Principis castra, multos coopertos pene catenis adduxit, in squalorem dejectos atque mœstitiam: quorum adventu intendebantur eculei, uncosque parabat carnifex & tormenta. Et ex iis proscripti sunt plures, actique in exsilium alii: nonnullos gladii consumpsere pœnales. Nec enim quisquam facile meminit sub Constantio, ubi susurro (*h*) tenus hæc movebantur, quemquam absolutum.

CAP.

(*x*) al. discurrere. (*y*) al. nobiscum quam nec hostes &c. (*z*) al. amiciti. (*a*) al. quæritant. (*b*) al. ad diem sextum. (*c*) al. Mogontianæ. (*d*) al. glaber. (*e*) al. regens. (*f*) al. *Catena*. (*g*) al. exitio urgente: abrepto ferro &c. (*h*) al. usurio.

Orfitus Præfectus Urbi.

CAP. VI. Inter hæc Orfitus Præfecti potestate regebat Urbem æternam, ultra modum delatæ dignitatis sese efferens insolenter: vir quidem prudens, & forensium negotiorum oppido gnarus, sed splendore liberalium doctrinarum minus quam Nobilem decuerat institutus: quo administrante, seditiones sunt concitatæ graves ob inopiam vini: cujus avidis usibus vulgus intentum, ad motus asperos excitatur & crebros. Et quoniam mirari posse quosdam peregrinos existimo hæc lecturos forsitan si contigerit, quamobrem cum oratio ad ea monstranda deflexerit, quæ Romæ gerentur, nihil præter seditiones narratur, & tabernas, & vilitates harum similes alias: summatim causas perstringam, nusquam à veritate sponte propria digressurus.

Roma virtute & fortuna ad tantam magnitudinem excrevit.

Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura dum erunt homines Roma, ut augeretur sublimibus incrementis, fœdere pacis æternæ VIRTUS convenit atque FORTUNA, plerumque dissidentes: quarum si altera defuisset (i), ad perfectam non venerat summitatem. Ejus Populus ab incunabulis primis adusque pueritiæ tempus extremum, quod annis circumcluditur fere trecentis, circummurana pertulit bella: deinde ætatem ingressus adultam, post multiplices bellorum ærumnas, transcendit & fretum: in juvenem erectus & virum, ex omni plaga quam orbis ambit immensus, reportavit laureæ triumphos: jamque vergens in senium, & nomine solo aliquoties vincens, ad tranquilliora vitæ discessit. Ideo Urbs venerabilis post superbas efferatarum gentium cervices oppressas, latasque leges, fundamenta libertatis & retinacula sempiterna, velut frugi parens, & prudens, & dives, Cæsaribus tamquam liberis suis regenda patrimonii jura permisit. Et olim licet otiosæ sint tribus, pacatæque centuriæ, & nulla suffragiorum certamina, sed Pompiliani redierit securitas temporis: per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum, ut domina suspicitur (k) & regina: & ubique Patrum reverenda cum auctoritate canities, Populique Romani nomen circumspectum & verecundum. (l)

Senatus vitia.

Sed læditur hic cœtuum magnificus splendor levitate paucorum incondita, ubi nati sint non reputantium, sed tamquam indulta licentia vitiis, ad errores (m) lapsorum & lasciviam. Ut enim Simonides Lyricus docet, beate perfecta ratione victuro, ante alia patriam esse convenit gloriosam. Ex his quidam æternitati se commendari posse per statuas existimantes, eas ardenter adfectant, quasi plus præmii ex figmentis æreis sensu carentibus adepturi, quam ex conscientia honeste recteque factorum: easque auro curant imbracteari: quod Acilio (n) Glabrioni delatum est primo, cum consiliis armisque regem superasset Antiochum. Quam autem sit pulchrum, exigua hæc spernentem & minima, ad ascensus veræ gloriæ tendere longos & arduos, ut memorat vates Ascræus, Censorius Cato monstravit: qui interrogatus quamobrem inter multos nobiles (o) statuam non haberet; *Malo*, inquit, *ambigere bonos, quamobrem id non meruerim: quam quod est gravius, cur impetraverim mussitare.* Alii summum decus in carrucis (p) solito altioribus, & ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderibus lacernarum, quas collis insertas (q) cingulis ipsis adnectunt, nimia (r) subtegminum tenuitate perflabiles; exspectantes crebris agitationibus, maximeque sinistra, ut longiores fimbriæ tunicæque (s) perspicue luceant, varietate liciorum effigiatæ (t) in species animalium multiformes. Alii nullo quærente, vultus severitate adsimulata, patrimonia sua in immensum extollunt, cultorum ut putant feracium multiplicantes annuos fructus, quæ à primo ad ultimum solem se abunde jactitant possidere: ignorantes profecto majores suos, per quos ita magnitudo Romana porrigitur, non divitiis eluxisse, sed per bella sævissima, nec opibus, nec victu, nec indumentorum vilitate à gregariis militibus discrepantes: opposita cuncta superasse virtute. Hinc ex collatitia stipe Valerius humatur ille Poplicola: & subsidiis amicorum mariti, inops cum liberis uxor alitur Reguli: & dotatur ex ærario filia Scipionis, cum nobilitas florem adultæ virginis, diuturnam absentiam pauperis erubesceret patris. At nunc si ad aliquem bene nummatum tumentemque (u) ideo, honestus advena salutatum introiveris, primitus tamquam exoptatus susciperis: & interrogatus multa, coactusque mentiri, miraberis numquam antea visus, summatem virum tenuem te sic enixius observantem: ut pœniteat ob hæc bona tamquam præcipua non vidisse ante decennium Romam. Hacque affabilitate confisus; cum eadem postridie feceris, ut incognitus hærebis & repentinus, hortatore illo hesterno ... numerando (x), qui sis vel unde venias, diutius ambigente. Agnitus vero tandem, & adscitus in amicitiam, si te salutandi assiduitati dederis triennio indiscretus, & per totidem defueris tempus, reverteris ad paria perferenda: nec ubi esses interrogatus, & num è medio discesseris, ætatem omnem frustra in stipite conteres submittendo. Cum autem intervallata (y) temporibus convivia longa & noxia cœperint apparari, vel distributio sollemnium sportularum; anxia deliberatione tractatur, an exceptis iis quibus vicissitudo debetur, peregrinum invitari conveniet: & si digesto plene consilio id placuerit fieri, is adhibetur qui pro domibus excubat aurigarum, aut artem tesserariam profitetur, aut secretiora quædam se nosse confingit. Homines enim eruditos & sobrios ut infaustos & inutiles vitant: eo quoque accedente, quod & nomenclatores adsueti hæc & talia venditare, mercede accepta, lucris quosdam & prandiis inserunt subdititios ignobiles & obscuros. Mensarum enim voragines, & varias voluptatum illecebras, ne longius progrediar, prætermitto: illuc transiturus, quod quidam per ampla spatia Urbis, subversasque silices, sine periculi metu

(i) al. abfuisset. (k) al. suscipitur. (l) al. verendum. (m) al. indulta licentiis ad errores. (n) al. quod à Cilicio. (o) alii τὸ nobiles omittunt. (p) al. carruchis. (q) al. in collis inserta. (r) al. ne una. (s) al. ut longioris fimbriæ tunicæ &c. (t) al. efricatæ. (u) al. timentemque. (x) al. hesterno die mirando. (y) al. Cum autem commotus intervallata.

metu properantes: equos velut publicos signatis, quod dicitur, calceis (z) agitant, familiarum agmina tamquam prædatorios globos post terga trahentes: ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto: quos imitatæ matronæ complures, opertis capitibus & basternis, per latera civitatis cuncta discurrunt. Utque præliorum periti rectores primo catervas densas opponunt & fortes, deinde leves armaturas, post jaculatores, ultimasque subsidiales acies, si fors adegerit, invasuras (a) ita præpositis urbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicite, quos insignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut tessera data castrensi, juxta vehiculi frontem omne textrinum incedit: huic atratum coquinæ adjungitur ministerium, deinde totum promiscue servitium, cum otiosis plebeiis (b) de vicinitate conjunctis: postrema multitudo spadonum, à senibus in pueros desinens, obluridi, distortaque lineamentorum compage deformes (c): ut quaqua incesserit quisquam, cernens mutilorum hominum agmina, detestetur memoriam Semiramidis Reginæ illius veteris, quæ teneros mares castravit omnium prima, velut vim injectans naturæ, eamdemque (d) ab (e) instituto cursu retorquens, quæ inter ipsa oriundi crepundia, per primigenios seminis fontes (f), tacita quodammodo lege, vias propagandæ posteritatis ostendit. Quod cum ita sit, paucæ domus studiorum seriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignaviæ torpentis exundant, vocali sono, perflabili (g) tinnitu fidium resultantes. Denique pro philosopho cantor, & in locum oratoris doctor artium ludicrarum accitur: & bibliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricantur (h) hydraulica, & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæque & histrionici gestus instrumenta non levia. Postremo ad id indignitatis est ventum, ut cum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab Urbe præcipites; sectatoribus disciplinarum liberalium impendio paucis sine respiratione ulla extrusis, tenerentur mimarum (i) asseclæ veri, quique id simularunt ad tempus: & tria millia saltatricum ne interpellata quidem, cum choris totidemque remanerent magistris. Et licet quocumque oculos flexeris, feminas adsatim multas spectare cirratas, quibus si nupsissent, per ætatem ter jam nixus poterat suppetere liberorum, adusque tædium pedibus pavimenta tergentes, jactari (k) volubilibus gyris, dum exprimunt innumera simulacra, quæ finxere fabulæ theatrales. Illud autem non dubitatur, quod cum esset aliquando virtutum omnium domicilium Roma, ingenuos advenas plerique Nobilium (ut Homerici baccarum suavitate Lotophagi) humanitatis multiformibus officiis retentabant. Nunc vero inanes flatus quorumdam, vile esse quidquid extra Urbis pomœrium nascitur, æstimant, præter orbos & cœlibes: nec credi potest, qua obsequiorum diversitate coluntur homines sine liberis Romæ. Et quoniam apud eos, ut in capite mundi, morborum acerbitates celsius dominantur, ad quos vel sedandos omnis professio medendi torpescit (l); excogitatum est adminiculum sospitale, ne quis amicum perferentem similia videat: additumque est cautionibus paucis remedium aliud satis validum; ut (m) famulos percontatum missos, quemadmodum valeant noti hac ægritudine conligati, non ante recipiant domum, quam lavacro purgaverint corpus. Ita etiam alienis oculis visa metuitur labes. Sed tamen hæc cum ita tutius observentur: quidam vigore artuum imminuto, rogati ad nuptias, ubi aurum dexteris manibus cavatis offertur, impigre vel usque Spoletium pergunt. Hæc Nobilium instituta. Ex turba vero imæ sortis & paupertinæ, in tabernis aliqui pernoctant vinariis: nonnulli velabris umbraculorum theatralium latent, quæ Campanam imitatus lasciviam Catulus in ædilitatæ sua suspendit omnium primus: aut pugnaciter aleis certant, turpi sono fragosis naribus introrsum reducto spiritu concrepantes: aut quod est studiorum omnium maximum, ab ortu lucis (n) ad vesperam sole fatiscunt vel pluviis, per minutias aurigarum equorumque præcipua (o), vel delicta scrutantes. Et est admodum mirum, videre plebem innumeram mentibus ardore quodam infuso, cum dimicationum curulium eventu pendentem. Hæc similiaque memorabile nihil vel serium agi Romæ permittunt. Ergo redeundum ad textum.

Populi vitia.

CAP. VII. Latius jam dissimulata licentia onerosus bonis omnibus Cæsar: nullum post hæc adhibens modum, Orientis latera cuncta vexabat, nec honoratis parcens, nec urbium primatibus, nec plebeiis. Denique Antiochensis ordinis vertices sub uno elogio jussit occidi; ideo efferatus, quod ei celebrari vilitatem intempestivam urgenti, cum impenderet inopia, gravius rationabili responderunt: & perissent ad unum, ni Comes Orientis tunc Honoratus fixa constantia restitisset. Erat autem diritatis ejus (p) hoc quoque indicium, nec obscurum, nec latens, quod ludicris cruentis delectabatur, & in circo sex vel septem aliquoties vetitis certaminibus pugilum vicissim se concidentium, perfusorumque sanguine specie ut lucratus ingentia lætabatur. Accenderat (q) super his incitatum propositum ad nocendum aliqua mulier vilis, quæ ad palatium ut poposcerat intromissa, insidias ei latenter obtendi prodiderat ab militibus obscurissimis: quam Constantina (r) exsultans, ut in tuto jam locata mariti salute, muneratam vehiculoque impositam, per regiæ januas emisit in publicum, ut iis illecebris alios quoque ad indicanda proliceret paria vel majora. Post hæc Gallus Hierapolim profecturus, ut expeditioni specie tenus adesset, Antiochensi plebi suppliciter obsecranti, ut inediæ dispelleret metum, quæ

Galli Cæsaris immanitas & sævitia.

(z) al. calcis. (a) al. juvaturas. (b) al. otiosæ plebis. (c) al. oblurida .... deformis (d) al. eundemque. (e) alii τὸ ab omittunt. (f) al. fortes. (g) al. vocabili sono perflabili &c. (h) al. fabricant ut &c. (i) al. minimarum. (k) al. tergentis jactare. (l) al. torrescit. (m) alii τὸ ut omittunt. (n) alii τὸ lucis omittunt. (o) al. pluviis, præmia auregarum &c. (p) alii τὸ ejus omittunt. (q) al. Accederat. (r) al. Constantia.

quæ per multas difficilesque cauſas affore jam ſperabatur, non (ut mos eſt Principibus, quorum diffuſa poteſtas localibus ſubinde medetur ærumnis) diſponi quidquam ſtatuit, vel ex provinciis alimenta transferri conterminis: ſed Conſularem Syriæ Theophilum prope adſtantem, ultima metuenti multitudini dedit, aſſidue replicando, quod invito rectore nullus egere poterit victu. Auxerunt hæc vulgi ſordidioris audaciam: & cum ingraveſceret penuria commeatuum, famis & furoris impulſu, Eubuli cujuſdam inter ſuos clari domum ambitioſam ignibus ſubditis inflammavit: rectoremque ut ſibi judicio imperiali addictum calcibus inceſſens & pugnis, conculcans ſeminecem laniatu miſerando diſcerpſit. Poſt cujus lacrymoſum interitum, in unius exitio quiſque imaginem periculi ſui conſiderans, documento recenti ſimilia formidabat. Eodem tempore Serenianus ex Duce, cujus ignaviâ populatam in Phœnice Celſen ante retulimus, pulſatæ majeſtatis Imperii reus jure poſtulatus ac lege, incertum qua potuit ſuffragatione abſolvi: aperte convictus, familiarem ſuum cum pileo, quo caput operiebat, incantato vetitis artibus, ad templum miſiſſe fatidicum, quæritatum expreſſe an ei firmum portenderetur Imperium, ut cupiebat, & cunctum. Duplexque iiſdem diebus acciderat malum, quod & Theophilum inſontem atrox interceperat caſus, & Serenianus dignus exſecratione cunctorum, innoxius modo non reclamante publico vigore diſceſſit. Hæc ſubinde Conſtantius audiens, & quædam referente Thalaſſio doctus, quem obiſſe jam compererat lege communi: ſcribens ad Cæſarem blandius, adjumenta paullatim illi ſubtraxit, ſollicitari ſe ſimulans, ne, uti eſt militare otium fere tumultuoſum, in ejus perniciem conſpiraret, ſoliſque Scholis juſſit eſſe contentum Palatinis & Protectorum, cum Scutariis & Gentilibus: & mandabat Domitiano, ex Comite Largitionum, Præfecto, (s) ut cum in Syriam venerit, Gallum, quem crebro acciverat, ad Italiam properare blande hortaretur & verecunde. Qui cum veniſſet ob hæc feſtinatis itineribus Antiochiam, præſtrictis palatii januis, contempto Cæſare, quem videri decuerat, ad Prætorium cum pompa ſollemni perrexit: morboſque (t) diu cauſatus, nec regiam introiit, nec proceſſit in publicum: ſed abditus multa in ejus moliebatur exitium, addens quædam relationibus ſupervacua, quas ſubinde dimittebat ad Principem. Rogatus ad ultimum, admiſſuſque in conſiſtorium, ambage nulla prægreſſa, inconſiderate & leviter. *Proficiſcere*, inquit, *ut præceptum eſt, Cæſar, ſciens quod ſi ceſſaveris, & tuas & palatii tui auferri jubebo propediem annonas.* Hocque ſolo contumaciter dicto, ſubiratus abſceſſit, nec in conſpectum ejus poſtea venit ſæpius arceſſitus. (u) Hinc ille commotus, ut injuſta perferens & indigna, Præfecti cuſtodiam Protectoribus mandaverat fidis. Quo comperto Montius tunc Quæſtor, vafer (x) quidem, ſed ad lenitatem propenſior, conſulens in commune, advocatos Palatinarum primos ſcholarum alloquutus eſt mollius, docens (y) nec decere hæc fieri, nec prodeſſe: addenſque vocis (z) objurgatorio ſono, quod ſi id placeret, poſt ſtatuas Conſtantii dejectas, ſuper adimenda vita Præfecto conveniet ſecurius cogitari. His cognitis, Gallus ut ſerpens appetitus telo vel ſaxo, jamque ſpes extremas opperiens, & ſuccurrens ſaluti ſuæ quavis ratione, colligi omnes juſſit armatos: & cum ſtarent attoniti, diſtricta dentium acie ſtridens, *Adeſte*, inquit, *viri fortes mihi periclitanti vobiſcum, Montius nos tumore inuſitato quodam & novo, ut rebelles & majeſtati recalcitrantes Auguſtæ, per hæc quæ ſtrepit incuſat* (a): *iratus nimirum, quod contumacem Præfectum, quid rerum ordo poſtulat, ignorare, diſſimulantem, formidine tenus juſſerim cuſtodiri.* Nihil morati poſt hæc militares, avidi ſæpe turbarum, adorti ſunt Montium primum, qui divertebat in proximo, levi corpore ſenem, atque morboſum: & hirſutis reſticulis cruribus ejus (b) innexis, divaricatum ſine ſpiramento ullo adusque Prætorium traxere Præfecti. Et eodem impetu Domitianum præcipitem per ſcalas, itidem funibus conſtrinxerunt: eoſque conjunctos per ampla ſpatia civitatis acri raptavere diſcurſu. Jamque artuum & membrorum divulſa compage, ſuperſcandentes corpora mortuorum, ad ultimam truncata deformitatem, velut exſaturati (c) mox (d) abjecerunt in flumen. Incenderat autem audaces uſque ad inſaniam homines ad hæc, quæ nefariis egere conatibus, Luſcus quidam Curator Urbis ſubito viſus: eos ut ejulans bajulorum (e) præcentor, ad expediendum quod orſi ſunt incitans vocibus crebris: qui haud longe poſtea ideo vivus exuſtus eſt. Et quia Montius inter dilaniantium (f) manus ſpiritum efflaturus, Epigonium & Euſebium, nec profeſſionem, nec dignitatem oſtendens, aliquoties increpabat: qui ſint hi, magna quærebatur induſtria, & ne quid intepeſceret, Epigonius à Lycia philoſophus ducitur, & Euſebius ab Emiſſa Pittacas cognomento (g), concitatus orator: cum Quæſtor non hos, ſed Tribunos Fabricarum inſimulaſſet, promittentes armorum ſi novas res agitari comperiſſent. (h) Iiſdem diebus Apollinaris Domitiani gener, paullo ante agens Palatii Cæſaris curam, ad Meſopotamiam miſſus à ſocero, per militares numeros immodice ſcrutabatur, an quædam altiora meditantis jam Galli ſecreta ſuſceperint ſcripta: qui compertis Antiochiæ geſtis, per minorem Armeniam lapſus, Conſtantinopolim petiit, exindeque per Protectores retractus, artiſſime tenebatur. Quæ dum ita ſtruuntur, indicatum eſt apud Tyrum indumentum regale textum occulte, incertum quo locante, vel cujus uſibus apparatum. Ideoque rector provinciæ tunc pater Apollinaris, ejuſdem nominis, ut conſcius

Theophilus Syriæ Conſularis.

Ejus domus combuſta.

Ipſe interficitur.

Serenianus Majeſtatis Imperii reus.

Abſolvitur.

Conſtantius Gallo inſidias ſtruit.

Gallus à Domitiano duriter compellatur.

Gallus ſaluti ſuæ incipit providere.

Montius à militibus crudeliter interficitur.

Similiter Domitianus.

Epigonius & Euſebius Philoſophi.

Et Apollinaris conſpirationis ſuſpecti.

(s) al. Largitionum Præfecto provecto. (t) al. morboque. (u) al. accerſitus. (x) al. aſper. (y) al. dicens. (z) al. voces. (a) al. *incauſat*. (b) alii τὸ ejus omittunt. (c) al. exaturatio. (d) alii τὸ mox omittunt. (e) al. viſus cumque eo Sthenelaus bajulorum. (f) al. dilacinantium. (g) al. & Euſebius è Myſia pietatis cognomento &c. (h) al. cœpiſſent.

ſcius ductus eſt: aliique congregati ſunt ex diverſis civitatibus multi, qui atrocium criminum ponderibus urgebantur. Jamque lituis cladium concrepantibus internarum, non celate, ut antea, turbidum ſæviebat ingenium, à veri conſideratione detortum: & nullo impoſitorum vel compoſitorum fidem ſollemniter inquirente, nec diſcernente (*i*) à ſocietate noxiorum inſontes, velut exturbatum è judiciis fas omne diſceſſit: & cauſarum legitima ſilente defenſione, carnifex rapinarum ſequeſter, & obductio capitum, & bonorum ubique multatio verſabatur per Orientales provincias: quas recenſere puto nunc opportunum, abſque Meſopotamia, jam digeſta, cum bella Parthica dicerentur, & Ægypto, quam neceſſario aliud rejeci ad tempus.

Orientis Provinciarum deſcriptio. Ciliciæ.

CAP. VIII. Superatis Tauri montis verticibus, qui ad ſolis ortum ſublimius attolluntur, Cilicia ſpatiis porrigitur late diſtentis, dives bonis omnibus terra: ejuſque lateri dextro adnexa Iſauria, pari ſorte uberi palmite viret & frugibus multis: quam mediam navigabile flumen Calycadnus interſcindit. Et hanc quidem præter oppida multa, duæ civitates exornant, Seleucia, opus Seleuci Regis, & (1) Claudiopolis, quam deduxit coloniam Claudius Cæſar.

Iſauriæ.

Iſaura enim antehac nimium (*k*) potens, olim ſubverſa ut rebellatrix interneciva, ægre veſtigia claritudinis priſtinæ monſtrat admodum pauca. Ciliciam vero, quæ Cydno amne exſulat, Tarſus nobilitat, urbs perſpicabilis: (hanc condidiſſe Perſeus memoratur, Jovis filius & Danaës, vel certe ex Æthiopia profectus Sandan quidam nomine, vir opulentus & nobilis) & Anazarbus auctoris vocabulum referens: & Mopſueſtia, vatis illius domicilium Mopſi, quem à commilitio Argonautarum, cum aureo vellere direpto redirent, errore abſtractum, delatumque ad (*l*) Africæ litus mors repentina conſumpſit: & ex eo, cæſpite Punico tecti manes ejus heroïci, dolorum varietati medentur plerumque ſoſpitales. Hæ duæ provinciæ bello quondam Piratico catervis miſtæ prædonum, à Servilio Proconſule miſſæ ſub jugum, factæ ſunt vectigales. Et hæ quidem regiones velut in prominenti terrarum lingua poſitæ, ab orbe (*m*) Eoo monte Amano diſparantur. Orientis vero limes in longum protentus & rectum, ab Euphratis fluminis ripis aduſque ſupercilia porrigitur Nili, læva Saracenis conterminans gentibus, dextra pelagi fragoribus patens:

Seleucus Nicator.

quam plagam Nicator Seleucus occupatam auxit magnum in modum, cum poſt Alexandri Macedonis obitum ſucceſſorio jure teneret regna Perſidis, efficaciæ impetrabilis Rex, ut indicat cognomentum. Abuſus enim multitudine hominum, quam tranquillis in rebus diutius rexit, ex agreſtibus habitaculis urbes

Multarum urbium fundator.

conſtruxit, multis opibus firmas & viribus: quarum ad præſens pleræque licet Græcis nominibus appellentur, quæ iiſdem ad arbitrium impoſita ſunt conditoris, primogenia tamen nomina non amittunt (*n*), quæ eis Aſſyria lingua inſtitutores veteres indiderunt.

Commagenæ deſcriptio.

Et prima poſt Oſdroënam, quam (ut dictum eſt) ab hac deſcriptione diſcrevimus, Commagena, nunc Euphratenſis, clementer adſurgit; Hierapoli, vetere Nino, (*o*) & Samoſata civitatibus amplis illuſtris. (*p*)

Syriæ.

Dein Syria per ſpecioſam interpatet diffuſa planitiem. Hanc nobilitat Antiochia, mundo cognita civitas, cui non certaverit alia advectitiis ita adfluere copiis & internis, & Laodicea, & Apamia, itidemque Seleucia, jam inde à primis auſpiciis florentiſſimæ.

Phœnices.

Poſt hanc acclinis (*q*) Libano monti Phœnice, regio plena gratiarum & venuſtatis, urbibus decorata magnis & pulchris: in quibus amœnitate celebritateque nominum Tyrus excellit, Sidon & Berytus, iiſdemque pares, Emiſſa, & Damaſcus, ſæculis conditæ priſcis. Has autem provincias, quas Orontes ambiens amnis, imoſque pedes Caſſii montis illius celſi prætermeans, funditur in Parthenium mare, Cn. Pompejus ſuperato Tigrane, regnis Armeniorum abſtractas ditioni Romanæ conjunxit.

Palæſtinæ.

Ultima Syriarum eſt Palæſtina, per intervalla magna protenta, cultis abundans terris & nitidis, & civitates habens quaſdam egregias, nullam nulli cedentem, ſed ſibi viciſſim velut ad perpendiculum æmulas: Cæſaream, quam ad honorem Octaviani Principis exædificavit Herodes, & Eleutheropolim, & Neapolim, itidemque Aſcalonem, Gazam (*r*) ævo ſuperiore exſtructas. In his tractibus navigerum nuſquam viſitur flumen: & in locis plurimis aquæ ſuapte natura calentes emergunt, ad uſus aptæ multiplicium medelarum. Verum has quoque regiones pari ſorte Pompejus Judæis domitis, & Hieroſolymis captis, in provinciæ ſpeciem rectori delata juriſdictione formavit.

Arabiæ.

Huic Arabia eſt conſerta, ex alio latere Nabatæis contigua; opima varietate commerciorum, caſtriſque oppleta validis & caſtellis, quæ ad repellendos gentium vicinarum excurſus, ſollicitudo pervigil veterum per opportunos ſaltus erexit & cautos. Hæc quoque civitates habet inter oppida quædam ingentes, Boſtram & Geraſam atque Philadelphiam, murorum firmitate cautiſſimas. Hanc provinciæ impoſito nomine, rectoreque attributo, obtemperare legibus noſtris Trajanus compulit Imperator, incolarum tumore ſæpe contuſo, cum glorioſo marte Mediam urgeret & Parthos.

Cyprus inſula deſcribitur.


Cyprum itidem inſulam procul à continenti diſcretam & portuoſam, inter municipia crebra urbes duæ faciunt claram, Salamis & Paphus: altera Jovis delubris, altera Veneris templo inſignis.

Tanta

(*i*) al. diſcerpente. (*k*) al. mœnium. (*l*) al. delatum ad. (*m*) al. ab urbe. (*n*) al. admittunt. (*o*) al. Veterennio. (*p*) al. amplis & illuſtris. (*q*) al. acclivis. (*r*) alii τὸ Gazam omittunt.

(1) Claudiopolis, quam deduxit coloniam Claudius Cæſar) Egregium elegantiſſimumque hujus ab Imperatore Claudio deductæ Coloniæ numum, quem exhibemus Tab. LXIV. num. 4. vulgavit PATINUS Numiſm. Impp. Romanor. ex ær. med. & min. formæ pag. 78. In quo colonus boves agens deductæ coloniæ ſymbolum eſt, quinque autem ſigna militaria indicare videntur, ex quinque legionibus veteranos ſimul tranſmiſſos eſſe, ut nos arbitramur.

Tab. LXIV
ad pag. 411. 417. 419. 438. 442. 449



Tanta tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium eadem Cyprus, ut nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus, à fundamento ipso carinæ ad supremos usque carbasos ædificet onerariam navem, omnibusque armamentis instructam mari committat. Nec piget dicere, avide magis hanc insulam Populum Romanum invasisse, quam juste. Ptolemæo enim Rege fœderato nobis & socio, ob ærarii nostri angustias jusso sine ulla culpa proscribi, ideoque hausto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta est, & velut hostiles ejus exuviæ classi impositæ, in Urbem advectæ sunt per Catonem. Nunc repetetur ordo gestorum.

Ursicinus.

CAP. IX. Inter has ruinarum varietates, à Nisibi quam tuebatur accitus Ursicinus, cui nos obsequuturos junxerat imperiale præceptum, dispicere litis exitialis semina cogebatur, abnuens & reclamans adulatorum oblatrantibus turmis: bellicosus sane milesque semper & militum ductor, sed forensibus jurgiis longe discretus: qui metu sui discriminis anxius, cum accusatores quæsitoresque subditivos (*s*) sibi consociatos ex iisdem foveis cerneret emergentes, quæ clam palamve agitabantur (*t*), occultis Constantium literis edocebat, implorans subsidia, quorum metu tumor notissimus Cæsaris exhalaret. Sed cautela nimia in pejores hæserat plagas, ut narrabimus postea, æmulis consarcinantibus insidias graves apud Constantium, cetera medium Principem, sed si quid auribus ejus (*u*) hujusmodi quivis infudisset ignotus, acerbum & implacabilem, & in hoc causarum titulo dissimilem sui. Proinde die funestis interrogationibus præstituto, imaginarius judex equitum resedit Magister, adhibitis aliis jam quæ essent agenda prædoctis: & adsistebant hinc inde Notarii, quid quæsitum esset, quidve responsum, cursim ad Cæsarem perferentes: cujus imperio truci, ac stimulis Reginæ, exertantis aurem subinde per aulæum, nec diluere objecta permissi, nec defensi periere complures.

Epigonius & Eusebius morte puniuntur.

Primi igitur omnium statuuntur Epigonius & Eusebius, ob nominum gentilitatem oppressi. Prædiximus enim Montium, sub ipso vivendi termino, his vocabulis appellatos fabricarum culpasse Tribunos, ut adminicula futuræ molitioni (*x*) pollicitos. Et Epigonius quidem amictu tenus philosophus, ut apparuit, prece frustra tentata, sulcatis lateribus, mortisque metu admoto, turpi confessione cogitatorum socium, quæ nulla erant, fuisse firmavit, cum nec vidisset quidquam nec audisset, penitus expers forensium rerum: Eusebius vero objecta fidentius negans, suspensus in eodem gradu constantiæ stetit, latrocinium illud esse, non judicium clamans. Cumque pertinacius, ut legum gnarus, accusatorem flagitaret atque sollemnia, doctus id Cæsar, libertatemque superbiam ratus, tamquam obtrectatorem audacem excarnificari præcepit: qui ita evisceratus, ut cruciatibus membra deessent, implorans cœlo justitiam, torvum renidens fundato pectore mansit immobilis, nec se incusare, nec quemquam alium passus: & tandem nec confessus nec confutatus, cum abjecto consorte pœnali est morte multatus. Et ducebatur intrepidus temporum iniquitati insultans, imitatus Zenonem illum veterem Stoïcum, qui ut mentiretur quædam, laceratus diutius, avulsam sedibus linguam suam cum cruento sputamine in oculos interrogantis Cyprii (*y*) Regis impegit.

Zeno Stoicus linguam in os tyranni expuit.

Post hæc indumentum regale quærebatur: & ministris fucandæ purpuræ tortis, confessisque pectoralem tuniculam sine manicis textam, Maras quidam nomine inductus est (ut appellant Christiani) Diaconus: cujus prolatæ literæ scriptæ Græco sermone ad Tyrii textrini Præpositum, celerari speciem perurgebant: quam autem non indicabant: denique etiam idem ad usque discrimen vitæ vexatus, nihil fateri compulsus est. Quæstione igitur per multiplices dilatata fortunas, cum ambigerentur quædam, nonnulla levius actitata constaret, post multorum clades Apollinares ambo pater & filius in exsilium acti, cum ad locum Crateras nomine pervenissent, villam scilicet suam, quæ ab Antiochia vicesimo & quarto disjungitur lapide, ut mandatum est, fractis cruribus occiduntur. Post quorum necem nihilo lenius ferociens Gallus, ut leo cadaveribus pastus, multa hujusmodi scrutabatur: quæ singula narrare non refert, ne professionis modum, quod evitandum (*z*) est, excedamus.

Galli expeditio contra Alemannos.

CAP. X. Hæc dum Oriens diu perferret, cœli reserato tepore, Constantius Consulatu suo septies, & Cæsaris ter, egressus Arelate Valentiam petit, in Gundomadum (*a*) & Vadomarium fratres Alemannorum Reges arma moturus, quorum crebris excursibus vastabantur confines limitibus terræ Gallorum. Dumque ibi diu moratur, commeatus opperiens, quorum translationem ex Aquitania verni (*b*) imbres solito crebriores prohibebant, auctique torrentes, Herculanus (*c*) advenit Protector Domesticus, Hermogenis ex Magistro equitum filius, apud Constantinopolim, ut supra retulimus, populari quondam (*d*) turbela discerpti: quo verissime referente quæ Gallus egerat, damnis super præteritis mœrens, & futurorum timore suspensus; angorem animi quamdiu potuit emendabat. Miles tamen interea omnis apud Cabillona collectus, morarum impatiens sæviebat, hoc irritatior, quod nec subsidia vivendi suppeterent, alimentis nondum ex usu translatis. Unde Rufinus ea tempestate Præfectus Prætorio, ad discrimen trusus est ultimum. Ire enim ipse compellebatur ad militem, quem exagitabat inopia simul & feritas, & alioquin coalito more in ordinarias dignitates asperum semper & sævum, ut satisfaceret, atque monstraret, quam ob causam annonæ convectio sit impedita. Quod opera consulta cogitabatur astute, ut hoc insidiarum genere Galli periret (*e*) avunculus, ne eum ut præpotens acueret in (*f*) fiduciam exitiosa cœptantem. Verum navata est opera diligens; hoc-

Rufinus homo dirus.

(*s*) al. subditítios. (*t*) al. quædam quæ palam agebantur. (*u*) alii τὸ ejus omittunt. (*x*) al. ultioni. (*y*) al. Cyprini. (*z*) al. sævitatum. (*a*) al. Gundoundum. (*b*) al. Averni al. Arverni. (*c*) al. Arculanus. (*d*) al. populari ut quondam. (*e*) al. genere talis periret. (*f*) al. ad.

Eusebius Præpositus cubiculi.

hocque dilato (*g*), Eusebius Præpositus cubiculi missus est Cabillona, aurum secum perferens: quo per turbulentos seditionum concitores occultius distributo, & tumor consenuit militum, & salus est in tuto locata Præfecti. Deinde cibo abunde perlato, castra die prædicto sunt mota. Emensis itaque difficultatibus multis, & nive obrutis callibus pluribus, ubi prope Rauracum ventum est ad supercilia fluminis Rheni, resistente multitudine Alemanna, pontem suspendere navium compage Romani vi nimia vetabantur, ritu grandinis undique convolantibus telis: & cum id impossibile videretur, Imperator cogitationibus magnis attonitus, quid capesseret ambigebat. Ecce autem ex improviso index quidam regionum gnarus advenit, & mercede accepta vadosum locum nocte monstravit, unde superari potuit flumen: & potuisset aliorsum intentis (*h*) hostibus exercitus inde transgressus, nullo id opinante, cuncta vastare (*i*) ni pauci ex eadem gente, quibus erat honoratioris militiæ cura commissa, populares suos hæc per nuntios docuissent occultos, ut quidam existimabant. Infamabat autem hæc suspicio Latinum Domesticorum Comitem, & Agilonem Tribunum stabuli, atque Scudilonem Scutariorum rectorem, qui tunc ut dextris suis gestantes Rempublicam colebantur. At Barbari suscepto pro instantium rerum ratione consilio, dirimentibus forte auspicibus, vel congredi prohibente auctoritate sacrorum, mollito vigore, quo fidentius resistebant, optimates misere delictorum veniam petituros & pacem. Tentis igitur Regis utriusque legatis, & negotio tectius diu pensato, cum pacem oporteret tribui, quæ justis conditionibus petebatur, eamque ex re tum fore sententiarum via concinens approbasset, advocato in concionem exercitu, Imperator pro tempore pauca dicturus, tribunali adsistens, circumdatus potestatum cœtu celsarum, ad hunc disseruit modum:

Latinus domesticorum comes.

Alemanni pacem à Romanis petunt & impetrant.

Oratio Galli ad milites de pace Alemannis concedenda.

Nemo, quæso, miretur, si post exsudatos labores itinerum longos, congestosque affatim commeatus, fiducia vestri ductante, Barbaricos pagos adventans, velut mutato repente consilio ad placidiora diverti. Pro suo enim loco & animo quisque vestrûm reputans, id inveniet (*k*) *verum, quod miles ubique, licet membris vigentibus firmus, se solum vitamque propriam circumspicit & defendit: Imperator vero officiorum, dum æquis omnibus alienæ custos salutis nihil non ad sui spectare tutelam rationes populorum cognoscit, & remedia cuncta quæ status negotiorum admittit, arripere debet alacriter, secunda numinis voluntate delata. Ut in breve igitur conferam, & ostendam qua ex causa omnes vos simul adesse volui, commilitones mei fidissimi, accipite æquis auribus, quæ succinctius explicabo. Veritatis enim absolutus sermo ac semper est simplex.* (*l*) *Arduos vestræ gloriæ gradus quos fama per plagarum quoque accolas extimarum diffundit, excellenter accrescens, Alemannorum Reges & populi formidantes, per oratores quos videtis summissis cervicibus concessionem præteritorum poscunt & pacem: quam ut cunctator & cautus utiliumque monitor, si vestra voluntas adest, tribui debere censeo, multa contemplans: primo ut Martis ambigua declinentur, dein ut auxiliatores pro adversariis adsciscamus, quod pollicentur: tum autem, ut incruenti mitigemus ferociæ flatus, perniciosos sæpe provinciis: postremo id reputantes, quod non ille hostis vincitur solus, qui cadit in acie, pondere armorum oppressus, & virium; sed multo tutius etiam tuba tacente, sub jugum* (*m*) *mittitur voluntarius, qui sentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in supplices animos deesse. In summa, tanquam arbitros vos quid suadetis opperior, ut Princeps tranquillus temperanter adhibere modum allapsæ felicitate decernens. Non enim inertiæ, sed modestiæ humanitatique, mihi credite, hoc quod recte consultum est, adsignabitur.*

Mox dicta finierat, multitudo omnis ad quæ Imperator (*n*) voluit promptior, laudato consilio, consensit in pacem, ea ratione maxime percita, quod norat expeditionibus crebris, fortunam ejus in malis tantum civilibus vigilasse: cum autem bella moverentur externa, accidisse plerumque luctuosa. Icto post hæc fœdere gentium ritu, perfectaque sollemnitate, Imperator Mediolanum ad hiberna discessit.

CAP. XI. Ubi curarum abjectis ponderibus aliis, tamquam nodum Gordium (*o*) difficillimum, Cæsarem convellere nisu valido cogitabat: eique deliberanti cum proximis, clandestinis colloquiis & nocturnis, qua vi quibusve commentis id fieret, antequam effundendis rebus pertinacius incumberet confidentia: acciri mollioribus scriptis per simulationem tractatus publici nimis urgentis eumdem placuerat Gallum, ut auxilio destitutus, sine ullo interiret obstaculo. Huic sententiæ versabilium adulatorum refragantibus globis, (inter quos erat Arbetio ad insidiandum acer & flagrans, & Eusebius tunc Præpositus cubiculi, effusior ad nocendum) id occurrebat, Cæsare discedente Ursicinum in Oriente perniciose relinquendum, si nullus esset qui prohiberet, altiora meditaturum. Iisdemque residui regii accessere spadones, quorum ea tempestate plus habendi cupiditas ultra mortalem modum adulescebat, inter ministeria vitæ secretioris per arcanos susurros nutrimenta fictis criminibus subserentes: qui ponderibus invidiæ gravioris virum fortissimum opprimebant, subolescere imperio adultos ejus filios mussitantes, decore corporum favorabiles & ætate, per multiplicem armaturæ scientiam agilitatemque membrorum inter quotidiana proludia exercitus, consulto consilio cognitos: Gallum suopte ingenio trucem per suppositos quosdam ad sæva facinora ideo animatum, ut eo digna omnium ordinum detestatione exoso, ad Magistri equitum liberos principatus insignia transferantur. Cum hæc taliaque sollicitas ejus aures everberarent, expositas semper hujusmodi rumoribus & patentes, varia animo tum miscente consilia, tandem id ut optimum factu elegit: & Ursicinum primum ad se venire summo cum honore mandavit, ea specie, ut pro rerum tunc urgentium

Gallus à Constantio evocatur.

Ursicinus læsæ majestatis accusatus.

(*g*) al. hacque delato. (*h*) al. mittentis. (*i*) alii verba: exercitus.... vastare, omittunt. (*k*) al. *invenit.* (*l*) al. *Veritatis enim sermo est simplex.* (*m*) al. jugo. (*n*) al. omnis atque Imperator. (*o*) al. nodum & odium &c.

tium captu disponeretur concordi consilio, quibus virium incrementis Parthicarum gentium arma minantium impetus frangerentur. Et ne quid suspicaretur adversi venturus, vicarius ejus, dum redit, Prosper missus est Comes: acceptisque literis, & copia rei vehiculariæ data, Mediolanum, itineribus properavimus (p) magnis. Restabat ut Cæsar post hæc properaret accitus: & abstergendæ causa suspicionis sororem suam, ejus uxorem, Constantius ad se tandem desideratam venire multis fictisque blanditiis hortabatur. Quæ licet ambigeret, metuens sæpe cruentum; spe tamen quod eum lenire poterat ut germanum, profecta, cum Bithyniam introisset, in statione quæ Cænos Gallicanos appellatur, cum Bithyniam introisset, in statione quæ Cænos Gallicanos appellatur, absumpta est vi febrium repentina. Cujus post obitum maritus contemplans cecidisse fiduciam, qua se fultum existimabat, anxia cogitatione quid moliretur hærebat. Inter res enim impeditas & turbidas, ad hoc unum mentem sollicitam dirigebat, quod Constantius cuncta ad suam sententiam conferens, nec satisfactionem sucipiet aliquam, nec erratis ignoscet: sed ut erat in propinquitatis perniciem inclinatior, laqueos ei latenter obtendens, si cepisset incautum, morte multaret. Eo necessitatis adductus, ultimaque ni vigilasset opperiens, principem locum, si qua patuisset copia, adfectabat: sed perfidiam proximorum ratione bifaria verebatur, (q) qui eum ut truculentum horrebant & levem, quique altiorem Constantii fortunam in discordiis civilibus formidabant. Inter has curarum moles immensas, Imperatoris scripta suscipiebat assidua, monentis orantisque ut ad se veniret, & mente monstrantis obliqua, Rempublicam nec posse dividi, nec debere, sed pro viribus quemque ei ferre suppetias fluctuanti, nimirum Galliarum indicans vastitatem. Quibus subserebat non adeo vetus exemplum, quod Diocletiano & ejus collegæ, ut apparitores, Cæsares non resides, sed ultro citroque discurrentes obtemperabant: & in Syria Augusti vehiculum irascentis per spatium mille passuum (r) fere pedes antegressus est Galerius purpuratus. Advenit post multos Scudilo (s) Scutariorum Tribunus, velamento subagrestis ingenii persuasionis opifex callidus: qui eum adulabili sermone seriis admisto, solus omnium proficisci pellexit, vultu adsimulato sæpius replicando, quod flagrantibus votis eum videre frater cuperet patruelis, quod per imprudentiam gestum & remissurus ut mitis & clemens: participemque eum suæ majestatis adscitum, & futurum laborum quoque socium, quos Arctoæ provinciæ diu fessæ poscebant. Utque solent manum injectantibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi, his illecebris ad meliorem exspectationem erectus, egressusque Antiochia numine lævo ductante, prorsus ire tendebat de fumo, ut proverbium loquitur vetus, ad flammam: & ingressus Constantinopolim, tamquam in rebus prosperis & securis, editis equestribus ludis, capiti Coracis (t) aurigæ coronam imposuit ut victoris. Quo cognito Constantius ultra mortalem modum exarsit: ac ne quo casu idem Gallus de futuris incertus, agitare quædam conducentia saluti suæ per itinera conaretur, remoti sunt omnes de industria milites agentes in civitatibus perviis. Eoque tempore Taurus Quæstor ad Armeniam missus, confidenter nec appellato eo nec viso transivit. Venere tamen aliqui jussu Imperatoris, administrationum specie diversarum, eumdem ne commovere se posset, neve tentaret aliquid occulte custodituri: inter quos Leontius erat, postea Urbi Præfectus, ut Quæstor, & Lucillianus quasi domesticorum Comes, & Scutariorum Tribunus nomine Bainobaudes. Emensis itaque longis intervallis & planis, cum Hadrianopolim introisset urbem Hæmimontanam, Uscudamam antehac appellatam, fessasque labore diebus duodecim recreans vires, comperit Thebæas legiones in vicinis oppidis hiemantes, consortes suos misisse quosdam, eum ut remaneret promissis fidis hortaturos & firmis, fiducia sui abunde per stationes locati confines: sed observante cura pervigili proximorum, nullam videndi vel audiendi quæ ferebant furari potuit facultatem. Inde aliis super alias urgentibus litteris exire, & decem vehiculis publicis, ut præceptum est, usus, relicto palatio omni, præter paucos tori ministros & mensæ, quos adduxerat (u) secum, squalore concretus celerare gradum compellebatur adigentibus multis, temeritati suæ subinde flexibiliter imprecatus, quæ (x) eum jam despectum & vilem arbitrio subdiderat infimorum. Inter hæc tamen per inducias naturæ conquiescentis, sauciabantur ejus sensus circumstridentium terrore larvarum: interfectorumque catervæ, Domitiano & Montio præviis correptum eum, ut existimabat in somnis uncis furialibus objectabant. Solutus enim corporeis nexibus animus, semper vigens motibus indefessis, & cogitationibus subjectus & curis, quæ mortalium sollicitant mentes, colligit visa nocturna, quas φαντασίας nos appellamus. Pandente itaque viam fatorum sorte tristissima, qua præstitutum erat eum vita & imperio spoliari, itineribus interjectis (y) permutatione jumentorum emensis, venit Petobionem oppidum Noricorum: ubi reseratæ (z) sunt insidiarum latebræ omnes, & Barbatio repente apparuit Comes, qui sub eo Domesticis præfuit, cum Apodemio Agente in rebus, milites ducens, quos beneficiis suis oppigneratos elegerat Imperator, nec præmiis nec miseratione ulla posse deflecti. Jamque non adumbratis (a) fallaciis res agebatur: sed qua palatium est extra muros, armatis omne circumdedit. Ingressusque obscuro jam die ablatis regiis indumentis, Cæsarem tunica texit & paludamento communi, eum post hæc nihil passurum velut mandato Principis jurandi crebritate confirmans: & *Statim*, inquit, *exsurge:* & inopinum carpento privato imposi-tum,

Constantia Bithyniæ moritur.

Galli miser status.

Scudilo Scutariorum Tribunus.

Taurus Quæstor.

Gallus larvis à se interfectorum agitatur.

(p) al. properamus. (q) al. deferebatur. (r) al. mille passus. (s) al. Cudiculo. (t) al. Thoracis. (u) al. adjunxerat. (x) al. quod. (y) al. ejectis. (z) al. reservatæ. (a) al. Umbratis.

Ad Istriam ductus Gallus.

tum, ad Istriam duxit prope oppidum Polam, ubi quondam peremptum Constantini filium accepimus Crispum. Et cum ibi servaretur artissime, terrore propinquantis exitus jam præsepultus: accurrit Eusebius Cubiculi tunc Præpositus, Pentadiusque Notarius, & Mellobaudes Armaturarum Tribunus, jussu Imperatoris compulsuri (*b*) eum singillatim docere, quam ob causam quemque apud Antiochiam necatorum jusserat trucidari. Ad quæ Adrasteo pallore perfusus, hactenus valuit loqui, quod plerosque incitante conjuge jugulaverit Constantina: ignorans profecto Alexandrum Magnum urgenti matri ut occideret quemdam insontem, & dictitanti spe impetrandi postea quæ vellet eum se per novem menses utero portasse prægnantem, ita respondisse prudenter: *Aliam, parens optima, posce mercedem; hominis enim salus beneficio nullo pensatur.* Quo comperto, irrevocabili ira Princeps percitus & dolore, (*c*) fiduciam omnem fundandæ securitatis in eodem posuit abolendo. Et misso Sereniano, quem in crimen Majestatis vocatum, præstigiis quibusdam absolutum esse supra monstravimus, Pentadio quinetiam Notario, & Apodemio Agente in rebus, eum capitali supplicio destinavit: & ita colligatis manibus in modum noxii cujusdam latronis cervice abscissa, ereptaque vultus & capitis dignitate, cadaver est relictum informe, paullo ante urbibus & provinciis formidatum. Sed vigilavit utrubique superni numinis æquitas. Nam & Gallum actus oppressere crudeles, (*d*) & non diu postea ambo cruciabili morte absumpti sunt, qui eum licet nocentem, blandius palpantes, perjuriis adusque plagas perduxere letales: quorum Scudilo destillatione jecoris pulmones vomitans interiit: Barbatio, qui in eum jamdiu (*e*) falsa composuerat crimina, cum ex Magisterio peditum altius niti quorumdam susurris incusaretur (*f*), damnatus, exstincti per fallacias Cæsaris manibus lacrymoso obitu parentavit. Hæc & hujusmodi quædam innumerabilia ultrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix aliquoties operatur Adrastia, (atque utinam semper!) quam vocabulo duplici etiam (2.) Nemesin appellamus: Jus quoddam sublime numinis efficacis, humanarum mentium opininone lunari circulo superpositum, vel, ut definiunt alii, substantialis tutela generali potentia paxtilibus præsidens fatis: quam theologi veteres fingentes Justitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradunt omnia despectare terrena. Hæc ut regina causarum, & arbitra rerum ac disceptatrix, urnam sortium temperat, accidentium vices alternans: voluntatumque nostrarum exorsa interdum alio, quam quo contendebant, exitu terminans, multiplices actus permutando convolvit. Eademque necessitatis insolubili retinaculo mortalitatis vinciens, fastus tumentes incassum, & incrementorum detrimentorumque momenta versans, (*g*) ut novit, nunc erectas mentium cervices opprimit & enervat: nunc bonos ab imo suscitans, ad bene vivendum extollit. Pinnas autem ideo illi fabulosa vetustas aptavit, ut adesse velocitate volucri cunctis existimetur: & prætendere gubernaculum dedit, eique subdidit rotam, ut universitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoretur. Hoc immaturo interitu, ipse quoque sui pertæsus, excessit è vita ætatis anno nono atque vigesimo, (*h*) cum quadriennio imperasset: natus apud Tuscos in Massa Veternensi, patre Constantino, Constantini fratre Imperatoris, matreque Galla sorore Rufini & Cerealis, quos trabeæ Consulares nobilitarunt, & Præfecturæ. Fuit autem forma conspicuus bona, decente filo corporis, membrorumque recta compage, flavo capillo & molli, barba licet recens emergente lanugine tenera, ita tamen ut maturius auctoritas emineret: tantum à temperatis moribus Juliani differens fratris, quantum inter Vespasiani filios fuit Domitianum & Titum. Adsumptus autem in amplissimum fortunæ fastigium, versabileis ejus (*i*) motus expertus est, qui (*k*) ludunt mortalitatem: nunc evehentes quosdam ac sidera, nunc in Cocyti profunda mergentes, cujus rei cum innumera sint exempla, pauca tactu summo transcurram. Hæc fortuna mutabilis & inconstans fecit Agathoclem Siculum ex figulo Regem, & Dionysium gentium quondam terrorem, Corinthi literario ludo præfecit. Hæc Adramytenum Andriscum in fullonio (*l*) natum, ad pseudo-Philippi nomen evexit: & Persei legitimum filium artem ferrariam ob quærendum docuit victum. Eadem Mancinum post imperium dedidit (*m*) Numantinis, Samnitum atrocitati Veturium, & Claudium Corsis, substravitque feritati Carthaginis Regulum: istius iniquitate Pompejus, post quæsitum Magni ex rerum gestarum amplitudine cognomentum, ad spadonum libidinum in Ægypto trucidatur. Et Eunus quidam ergastularius servus ductavit in Sicilia fugitivos. Quam multi splendido loco nati, eadem rerum domina connivente, Viriathi genua sunt amplexi vel Spartaci? quot capita, quæ horruere gentes, funesti carnifices abscinderunt? Alter in vincula ducitur, alter insperatæ præficitur potestati, alius à summo culmine dignitatis excutitur. Quæ omnia si scire quisquam velit quam varia sint & assidua, arenarum numerum idem jam desipiens, & montium pondera scrutari putabit. (*n*)

Alexandri Magni dictum ad matrem.

Gallus occiditur. U. C. 1106. p. C. N. 354.

Adrastia sive Nemesis ultrix facinorum impiorum.

Galli ætas.

Forma corporis.

Fortuna ludit cum hominibus.

Quod exemplis firmatur.

Explicit Liber XIV.

(*b*) al. compulsi. (*c*) al. Irrevocabili Princeps percitus dolore.
(*d*) al. Gallum obitu oppressit crudeli. (*e*) al. jam diu. (*f*) al. incausaretur.
(*g*) al. versabilis. (*h*) al. vicesimo. (*i*) alii Tò ejus omittunt. (*k*) al. quæ.
(*l*) al. fullonia. (*m*) al. dedit. alii τὸ dedidit omittunt. (*n*) al. putavit.

(2.) Nemesin) Hanc repræsentamus cum GRONOVIO Tab. LXIV. n. 5. & 6. Prior nummus est TRISTANI, alter ANDREÆ MORELLII utrobique tamen spectatur sine gubernacula & pennis. Conf. GRONOV. in Præf. ad AMMIAN. MARCELLIN.

AMMIANI

AMMIANI MARCELLINI RERUM GESTARUM LIBER XV.

Incipit feliciter.

UTCUMQUE potuimus veritatem ſcrutari ea quæ videre licuit per ætatem, vel perplexe interrogando verſatos in medio ſcire, narravimus ordine caſuum expoſito diverſorum: reſidua quæ ſequuturus aperiet textus, pro virium captu limatius abſolvemus, nihil obtrectatores longi, ut putant, operis formidantes. Tunc enim laudanda eſt brevitas, cum moras rumpens intempeſtivas, nihil ſubtrahit cognitioni geſtorum.

CAP. I. Nondum apud Noricum exuto penitus Gallo, Apodemius quoad vixerat igneus turbarum incentor, raptos ejus calceos vehens equorum permutatione veloci, ut nimietate cogendi quoſdam exſtingueret, præcurſorius index Mediolanum advenit: ingreſſuſque regiam ante pedes projecit Conſtantii, velut ſpolia Regis occiſi Parthorum: & perlato nuntio repentino, docente rem inſperatam & arduam ad ſententiam tota facilitate completam, hi qui ſummam aulam tenebant, omni placendi ſtudio in adulationem ex more collato, virtutem felicitatemque Imperatoris extollebant in cœlum: cujus nutu, in modum gregariorum militum, licet diverſis temporibus, duo exauctorati ſunt Principes, Veteranio nimirum & Gallus. Quo ille ſtudio blanditiarum exquiſito ſublatus, immunemque ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter exiſtimans, confeſtim à juſtitia declinavit ita intemperanter, ut *æternitatem eam* aliquoties aſſereret ipſe dictando, ſcribendoque propria manu orbis totius ſe dominum appellaret: quod dicentibus aliis, indignanter admodum ferre deberet is, qui ad æmulationem civilium Principum vitam formare moreſque ſuos, ut prædicabat, diligentia laborabat enixa. Namque etiamſi mundorum infinitates Democriti regeret, quos Anaxarcho incitante Magnus ſomniabat Alexander, id reputaſſet legens vel audiens, quod (ut docent Mathematici concinentes (*o*): ambitus terræ totius, quæ nobis videtur immenſa, ad magnitudinem univerſitatis inſtar brevis obtinet puncti.

Apodemius calceos Galli Cæſaris ad Conſtantium Aug. defert, indicium cædis.

Conſtantius ſe Dominum totius orbis vocat.

CAP. II. Jamque poſt miſerandam deleti Cæſaris cladem, ſonante periculorum judicialium tuba, in crimen læſæ majeſtatis arceſſebatur Urſicinus, adoleſcente magis magiſque contra ejus ſalutem livore, omnibus bonis infeſto. Hac enim ſuperabatur difficultate, quod ad ſuſcipiendas defenſiones æquas & probabiles Imperatoris aures occluſæ, patebant ſuſurris inſidiantium clandeſtinis: qui Conſtantii nomine per Orientis tractus omnes abolito, antedictum Ducem domi foriſque deſiderari, ut formidoloſum Perſicæ genti fingebant. Sed contra accidentia vir magnanimus ſtabat immobilis, ne ſe projiceret abjectius cavens, parum tuto loco innocentiam ſtare medullitus gemens: hocque uno triſtior, quod amici ante hæc frequentes ad potiores deſciverant, ut ad ſucceſſores, officiorum more poſcente, ſolent tranſire lictores. Impugnabat autem eum per fictæ benignitatis illecebras collega, & virum fortem propalam ſæpe appellans Arbetio, ad innectendas letales inſidias vitæ ſimplici perquam callens, & ea tempeſtate nimium potens. Ut enim ſubterraneus ſerpens foramen ſubſidens occultum, adſultu ſubito ſingulos tranſitores obſervans inceſſit: ita ille ab imæ ſortis gregario ad ſummum evectus militiæ munus, nec læſus aliquando nec laceſſitus, inexplebili quodam lædendi propoſito conſcientiam polluebat. Igitur paucis arcanorum Præfectis conſciis, latenter cum Imperatore ſententiam rogante id ſederat, ut nocte ventura procul à conſpectu militarium raptus Urſicinus indemnatus occideretur, ut quondam Domitius Corbulo dicitur cæſus in colluvione illa Neroniani ſæculi, provinciarum fidus defenſor & cautus. Quibus ita compoſitis, cum ad hoc deſtinati prædictum tempus opperirentur, conſilio in lenitudinem flexo, facinus impium ad deliberationem ſecundam differri præceptum eſt. Indeque ad Julianum recens perductum calumniarum vertitur machina, memorabilem poſtea Principem, gemino crimine ut iniquitas æſtimabat implicitum: quod à Macelli fundo in Cappadocia poſito, ad Aſiam demigrarat liberalium deſiderio doctrinarum, & per Conſtantinopolim tranſeuntem viderat fratrem. Qui cum objecta dilueret, oſtenderetque neutrum ſine juſſu feciſſe, nefando adſentatorum cœtu periſſet urgente, ni adſpiratione ſuperni numinis, Euſebia ſuffragante Regina, ductus ad Comum oppidum Mediolano vicinum, ibique paulliſper moratus, procudendi (*p*) ingenii cauſa, ut cupidine flagravit, ad Græciam ire permiſſus eſſet. Nec defuere deinceps ex his emergentia caſibus, quæ diſpiceres (*q*) ſecundis avibus contigiſſe, dum punirentur ex jure, vel tamquam irrita diffluebant & vana. Sed accidebat nonnumquam, ut opulenti pulſantes præſidia potiorum, iiſdemque tamquam hederæ celſis arboribus adhærentes, abſolutionem pretiis mercarentur immenſis: tenues vero,

Urſicinus læſæ majeſtatis accuſatur.

Arbetio in damna potens.

Urſicinus condemnatur.

Sed ſententia differtur.

Julianus accuſatur læſæ majeſtatis.

In Græciam ſtudiorum cauſa proficiſcitur.

(*o*) al. continentes. (*p*) al. procandenti. (*q*) al. diſpliceret.

vero, quibus exiguæ vires erant ad redimendam salutem aut nullæ, damnabantur abrupte. Ideoque & veritas mendaciis velabatur, & valuere pro veris aliquoties falsa. Perductus est iisdem diebus & Gorgonius, cui erat thalami Cæsariani cura commissa: cumque eum ausorum fuisse participem concitoremque interdum, ex confesso pateret, conspiratione spadonum, justitia concinnatis mendaciis obumbrata, periculo evolutus abscessit.

Gorgonius læsæ majestatis accusatur.

CAP. III. Hæc dum Mediolani aguntur, militarium catervæ ab Oriente perductæ sunt Aquilejam, cum aulicis pluribus, membris inter catenas fluentibus spiritum trahentes exiguum, vivendique moras per ærumnas detestati multiplices. Arcessebantur enim ministri fuisse Galli ferocientis, perque eos Domitianus discerptus credebatur, & Montius, & alii post eos acti in exitium præceps. Ad quos audiendos Arborius missus est, & Eusebius Cubiculi tunc Præpositus, ambo inconsideratæ jactantiæ, injusti pariter & cruenti: qui nulla perspicacitate, sine innocentium sontiumque differentia, alios verberibus vel tormentis adflictos exsulari pœna damnarunt, quosdam ad infimam trusere militiam, residuos capitalibus addixere suppliciis. Impletisque funerum bustis, reversi velut ovantes, gesta retulerunt ad Principem, erga hæc & similia palam obstinatum & gravem. Vehementius hinc & deinde Constantius, quasi præscriptum fatorum ordinem convulsurus, recluso pectore patebat insidiantibus multis. Unde rumorum aucupes subito exstitere complures, honorum vertices ipsos ferinis morsibus adpetentes, postea que & divites indiscrete: non ut Cibyratæ illi Verrini, tribunal unius legati lambentes, sed Reipublicæ membra totius per incidentia mala vexantes. Inter quos facile Paulus & Mercurius eminebant: hic origine Persa; ille natus in Dacia: Notarius ille; hic ex ministro (r) triclinii Rationalis. Et Paulo quidem, ut relatum est supra, Catenæ inditum est cognomentum, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis, tetra venena ferens, varieque dispèrdens: ut in colluctationibus calce tenere quidam solent artifices palæstritæ. Mercurius somniorum appellatus comes, quod ut clam mordax canis, interno vitio submissus, agitans caudam, epulis cœtibusque se crebris inserens, si per quietem quisquam, ubi fusius natura vagatur, vidisse aliquid amico narrasset, id venenatis artibus coloratum in pejus, patulis Imperatoris auribus infundebat: & ob hoc homo tamquam inexpiabili obnoxius culpæ, gravi mole criminis pulsabatur. Hæc augente vulgatius fama, tantum aberat ut proderet quisquam visa nocturna, cum ægre homines dormisse sese præsentibus faterentur externis: mœrebantque docti quidam, quod apud Atlanteos nati non essent, ubi memorantur somnia non videri: quod unde eveniat, rerum scientissimis relinquamus. Inter has quæstionum suppliciorumque species diras, in Illyrico exoritur alia clades, ad multorum pericula ex verborum inanitate progressa. In convivio (s) Africani Pannoniæ secundæ rectoris, apud Sirmium poculis amplioribus madefacti quidam, arbitrum adesse nullum existimantes, licenter Imperium præsens ut molestissimum incusabant: è quibus alii optatam permutationem temporum adventare, veluti è præsagiis affirmabant: nonnulli majorum auguria sibi portendi incogitabili dementia promittebant. E quorum numero Gaudentius Agens in rebus, mente præcipiti stolidus, rem ut seriam detulerat ad Rufinum, Apparitionis Præfecturæ Prætorianæ tunc Principem ultimorum semper avidum hominem, & coalita (t) pravitate famosum. Qui confestim quasi pinnis elatus (u) ad comitatum Principis advolavit: eumque ad suspiciones hujusmodi mollem & penetrabilem, ita acriter inflammavit, ut sine deliberatione ulla Africanus, & omnes letalis mensæ participes juberentur rapi sublimes. Quo facto delator funestus, vetita ex more humano validius cupiens, biennio id quod agebat, ut postularat, continuare præceptus est. Missus igitur ad eos corripiendos Teutomeres Protector Domesticus cum collega, onustos omnes catenis, ut mandatum est, perducebat. Sed ubi ventum est Aquilejam, Marinus Tribunus ex Campidoctore (x) eo tempore vacans, auctor perniciosi sermonis, & alioquin naturæ ferventis, in taberna relictus, dum parantur itineri necessaria, lateri suo cultrum casu repertum impegit, statimque extractis vitalibus interiit. Residui ducti Mediolanum, excruciatique tormentis, & confessi vi quæstionis, inter epulas petulanter se quædam loquutos, jussi sunt attineri pœnalibus claustris, sub absolutionis aliqua spe, licet incerta. Protectores vero pronuntiati vertere solum exsilio, ut Marino iisdem conscìis mori permisso, veniam Arbetione meruere precante.

In Galli Cæsaris amicos & ministros animadvertitur.

Arborii & Eusebii d ira facinora.

Paulus Catena dictus.

Mercurii nequitia.

Gaudentius Agens in rebus.

Teutomeres Protector Domesticus.

Marinus se ipsum interficit.

CAP. IV. Re hoc modo finita, paullo post & Lentiensibus Alemannicis pagis indictum est bellum, collimitia sæpe Romana latius irrumpentibus: ad quem procinctum Imperator egressus, in Rhætias camposque venit Caninos: & digestis diu consiliis, id visum est honestum & utile, ut eo cum militis parte Arbetio Magister equitum, cum validiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantiæ pergeret, protinus Barbaris congressurus: cujus loci figuram breviter, quantum ratio patitur, designabo. Inter montium celsorum anfractus immani pulsu Rhenus exoriens, per præruptos scopulos extenditur nullis aquis externis adoptatis, ut ...... per cataractas inclinatione præcipiti funditur Nilus. Et navigari ab Ortu poterat primigenio copiis exuberans propriis, ni ruenti curreret similis potius quam fluenti. Jamque absolutus, altaque divortia riparum adradens, lacum invadit rotundum & vastum, quem Brigantiam (y) accola Rhætus appellat, perque quadraginta & sexaginta stadia longum, parique pæne spatio late diffusum, horrore silvarum squalentium inaccessum, (nisi qua vetus illa Romana virtus & sobria iter composuit latum) Barbaris & natura locorum & cœli inclementia

Bellum cum Lentiensibus Alemannis. U. C. 1106. p. C. N. 354.

Rhenus fluvius describitur.

(r) al. à ministro. (s) al. In provincia. (t) al. collita. (u) al. alatus. (x) al. Campiductore. (y) al. Murigantiam.

mentia refragante. Hanc ergo paludem ſpumoſis ſtrependo verticibus amnis irrumpens, & undarum quietem permeans pigram, mediam velut finali interſecat libramento: & tamquam elementum perenni diſcordia ſeparatum, nec aucto, nec imminuto agmine quod intulit, vocabulo & viribus abſolvitur integris, nec contagia deinde ulla perpetiens, Oceani gurgitibus intimatur. Quodque eſt impendio mirum, nec ſtagnum aquarum rapido tranſcurſu movetur, nec limoſa ſubluvie tardatur properans flumen, & confuſum miſceri non poteſt corpus: quod ni ita agi ipſe doceret adſpectus, nulla vi credebatur poſſe diſcerni. Sic Alpheus oriens in Arcadia, cupidine fontis Arethuſæ captus, ſcindens Jonium mare, ut fabulæ ferunt, adusque amatæ confinia progreditur. *** Arbetio qui adventus Barbarorum nuntiarent, non exſpectans dum adeſſent, licet ſciret aſpera orſa bellorum; in occultas delatus inſidias, ſtetit immobilis, malo repentino perculſus. Interea niſi è latebris hoſtes exſiliunt, & ſine parcimonia quidquid offendi poterat, telorum genere multiplici configebant: nec enim reſiſtere noſtrorum quisquam potuit, nec aliud vitæ ſubſidium, niſi diſceſſu ſperare veloci. Quocirca vulneribus declinandis intenti, incompoſito agmine milites huc & illuc diſpalantes terga ferienda dederunt. Plerique tamen per anguſtas ſemitas ſparſi, periculoque præſidio tenebroſæ noctis extracti, revoluta jam luce redintegratis viribus agmini quiſque proprio ſeſe conſociavit. In quo caſu ita triſti & inopino abundans numerus armatorum, & Tribuni deſiderati ſunt decem. Ob quæ Alemanni ſublatis animis ferocius (z) incedentes, quotidie prope munimenta Romana, adimente matutina nebula lucem, ſtrictis mucronibus diſcurrebant, frendendo minas tumidas intentantes. Egreſſique repente Scutarii, cum objectu turmarum hoſtilium repercuſſi ſtetiſſent, omnes ſuos conſpiratis mentibus ciebant ad pugnam. Verum cum pleroſque recentis ærumnæ documenta terrerent, & intuta fore reſidua credens hæreret Arbetio: tres ſimul exſiluere Tribuni, Arinthæus agens vicem Armaturarum rectoris, & Seniauchus qui equeſtrem turmam Comitum tuebatur, & Bappo ducens Promotos, * cum commiſſis ſibi à Principe. Urgebat cauſa communis velut propria, vim cunctis arcentibus veterum exemplo: inſtarque fluminis (a) hoſtibus ſuperfuſi, non juſto prælio, ſed diſcurſionibus prædatoriis, univerſos in fugam coëgere fœdiſſimam: qui disperſi laxatis ordinibus, dumque elabi properant impediti, corpora nudantes intecta, gladiorum haſtarumque denſis ictibus truncabantur, multique cum equis interfecti, jacentes etiam tum eorum dorſis videbantur innexi: quo viſo omnes è caſtris effuſi, qui prodire in prælium cum ſociis ambigebant, cavendi immemores proterebant barbaram plebem, niſi quos fuga exemerat morti; calcantes cadaverum ſtrues, & perfuſi ſanie peremptorum. Hocque exitu prælio terminato, Imperator Mediolanum ad hiberna ovans revertit & lætus.

Alpheus fluvius.

Alemanni Romanos fundunt.

Sed Alemanni à Romanis partim cæduntur, partim fugantur. U. C. 1106. p. C. N. 354.

Conſtantius Mediolanum ovans revertitur.

CAP. V. Exoritur jam hinc rebus adflictis haud diſpari provinciarum malo, calamitatum turbo novarum: exſtincturus (b) omnia ſimul, ni fortuna moderatrix humanorum caſuum, motum eventu celeri conſummaſſet impendio formidatum. Cum diuturna incuria Galliæ cædes acerbas, rapinasque & incendia, Barbaris licenter graſſantibus, nullo juvante perferrent; Silvanus pedeſtris militiæ rector, ut efficax ad hæc corrigenda, Principis juſſu perrexit (c), Arbetione id maturari modis quibus poterat adigente, ut abſenti æmulo quem (d) ſupereſſe adhuc gravabatur, periculoſæ molis onus impingeret. ** Dynamius quidam Actuarius ſarcinalium Principis jumentorum, commendatitias ab eo petierat literas ad amicos, ut quaſi familiaris ejusdem eſſet notiſſimus. Hoc impetrato, cum ille nihil ſuſpicans ſimpliciter præſtitiſſet, ſervabat epiſtolas, ut pernitioſum aliquid in tempore moliretur. Memorato itaque duce Gallias ex re publica diſcurſante, Barbarosque propellente, jam ſibi diffidentes & trepidantes: idem Dynamius inquietius agens, ut verſutus & in fallendo exercitatus, fraudem comminiſcitur impiam, ſubornatore & conſcio, ut jactavere rumores incerti, Lampadio Præfecto Prætorio (e), & Euſebio ex Comite rei privatæ, cui cognomentum erat inditum Mattiocopæ (f), atque Ædeſio ex Magiſtro memoriæ, quos ad Conſulatum, ut amicos junctiſſimos, idem curarat rogari Præfectus: & peniculo ſerie literarum abſterſa, ſola incolumi relicta ſubſcriptione, alter multum à vero illo diſſonans ſuperſcribitur textus: velut Silvano rogante verbis obliquis, oranteque amicos agentes intra Palatium, vel privatos, (inter quos & Tuſcus erat Albinus, aliique plures) ut ſe altiora cœptantem, & propediem ſolium Principis (g) aditurum juvarent: Hunc faſcem ad arbitrium figmenti commiſit, vitam pulſaturus inſontis. Dynamius præfectus eſt, ut hæc pro Imperatore ſcrutaretur. Hæc & ſimilia cum aſtu texeret, Conſiſtorium ſolus ingreſſus intimum, captato tempore vincire ſperans pervigilem ſalutis imperatoriæ cuſtodem. Lectaque in Conſiſtorio aſtu callido conſarcinata materia, Tribuni juſſi ſunt cuſtodiri, & de provinciis duci privati, quorum epiſtolæ nomina deſignabant. Confeſtimque iniquitate rei percitus Malarichus (h) Gentilium rector, collegis adhibitis ſtrepebat immaniter, circumveniri homines dicatos Imperio per factiones & dolos minime debere proclamans: petebatque ut ipſe relictis obſidum loco neceſſitudinibus ſuis, Mallobaude Armaturarum Tribuno ſpondente quod remeabit, velocius juberetur (i) ire ducturus Silvanum, aggredi nihil tale conatum, quale inſidiatores acerrimi concitarunt: vel contra ſe paria promittente (k), Mallobaudem orabat properare permitti, hæc quæ ipſe pollicitus eſt impleturum. Teſtabatur enim id ſe proculdubio ſcire, quod ſi quis mitteretur

Silvanus Magiſter peditum per Gallias.

Dynamii ſtelus.

Malarichus Gentilium rector.

(z) al. ferocibus. (a) al. fulminis. (b) al. deſtructurus. (c) al. ſuperrexit. (d) ali. τὸ quem omittunt. (e) ali. τὸ Prætorio omittunt. (f) al. Mathocobæ. (g) al. propediem locis Principalis. (h) al. Malaridius. (i) al. juberet. (k) al. promittentem.

mitteretur externus, suopte ingenio Silvanus, etiam nulla re perterrente timidior, composita forte turbabit. Et quamquam utilia moneret & necessaria, ventis tamen loquebatur incassum. Namque Arbetione auctore, Apodemius ad eum vocandum cum litteris mittitur, inimicus bonorum omnium diuturnus & gravis: qui incidentia parvipendens, cum venisset in Gallias, diffidens à mandatis, quæ proficiscenti sunt data, nec viso Silvano, nec oblatis scriptis ut veniret admonito, remansit: adscitoque Rationali, quasi proscripti jamque necandi Magistri peditum clientes & servos hostili tumore vexabat. Inter hæc tamen dum præsentia Silvani speratur, & Apodemius quieta perturbat: Dynamius ut argumento validiore impie structorum assereret fidem compositas litteras, his concinentes quas obtulerat Principi per Præfectum, ad Tribunum miserat Fabricæ Cremonensis, nomine Silvani & Malarichi, à quibus ut arcanorum conscius monebatur parare propere cuncta. Qui cum hæc legisset, hærens & ambigens diu quidnam id esset, (nec enim meminerat secum aliquando super negotio ullo interiore, hos quorum litteras acceperat colloquutos) epistolas ipsas per bajulum qui portarat, juncto milite ad Malarichum misit, obsecrans ut doceret aperte quæ vellet, non ita perplexe: nec enim intellexisse firmabat, ut subagrestem & simplicem, quid significatum esset obscurius. Hæc Malarichus subito nactus, etiam tunc squalens & mœstus, suumque & popularis Silvani vicem graviter ingemiscens, adhibitis Francis, quorum ea tempestate in palatio multitudo florebat, erectius jam loquebatur: tumultuabaturque, patefactis insidiis, retectaque jam fallacia, per quam ex confesso salus eorum appetebatur. Hisque cognitis statuit Imperator dispicientibus Consistorianis & Militaribus universis, in negotium præterinquiri. Cumque judices fastidissent, Florentius Nigriniani filius, agens tunc pro Magistro Officiorum, contemplans diligentius scripta, apicumque pristinorum reliquias quasdam reperiens, animadvertit, ut factum est, priore textu interpolato longe alia quam dictarat Silvanus, ex libidine consarcinatæ falsitatis adscripta. Proinde fallaciarum nube discussa, Imperator doctus gesta relatione fideli, abrogata potestate, Præfectum statui sub quæstione præcipit: sed absolutus est enixa conspiratione multorum: suspensus autem Eusebius ex Comite Privatarum, se conscio hæc dixerat concitata. Ædelius enim, minus scisse quid actum sit pertinaci infitiatione contendens, abiit innoxius: & ita finito negotio, omnes sunt absoluti, quos exhiberi delatio compulit criminis. Dynamius vero ut præclaris artibus illustratus, cum Correctoris dignitate regere jussus est Tuscos. Agens inter hæc apud Agrippinam Silvanus, assiduisque suorum compertis nuntiis, quæ Apodemius in labem suarum ageret fortunarum, & sciens animum tenerum versabilis Principis, timens ne absens & indemnatus peragereretur reus; in difficultate positus maxima, Barbaricæ se fidei committere cogitabat. Sed Laniogaiso vetante, tunc Tribuno, quem dum militaret Candidatus, solum adfuisse morituro Constanti supra retulimus, docenteque Francos, unde oriebatur, interfecturos eum, aut accepto præmio udituros: nihil tutum ex præsentibus ratus in consilia cogebatur extrema: & sensim cum Principiorum verticibus secretius colloquutus, iisdemque magnitudine promissæ mercedis accensis, cultu purpureo à draconum & vexillorum insignibus ad tempus abstracto, ad culmen imperiale surrexit. Dumque hæc aguntur in Galliis, ad occasum inclinato jam die, perfertur Mediolanum insperabilis nuntius, aperte Silvanum demonstrans, dum ex Magisterio (l) peditum altius nititur, sollicitato exercitu ad Augustum culmen evectum. Hac mole casus inopini Constantio icto, quasi fulmine fati; Primates consilio secunda vigilia convocato properarunt omnes in regiam. Cumque nulli ad eligendum quid agi deberet, mens suppetere posset aut lingua: submissis verbis perstringebatur (m) Ursicini mentio, ut consiliis rei bellicæ præstantissimi, frustraque gravi injuria lacessiti: & per Admissionum Magistrum, (qui mos est honoratior) accito eodem, ingresso Consistorium offertur purpura, multo quam antea placidius . . . . omnium primus extero ritu & regio more instituit adorari, cum semper antea ad similitudinem judicum salutatos Principes legerimus. Et qui paullo antea cum insectatione (n) malivola, Orientis vorago, invadendæque summæ rei per filios adfectator compellabatur: tunc dux prudentissimus & Constantini Magni fuerat commilito, solusque ad exstinguendum probis quidem, sed insidiosis rationibus petebatur. Diligens enim opera navabatur Silvanum exstingui, ut fortissimum perduellem: aut si secus accidisset, Ursicinum exulceratum jam penitus aboleri; ne superesset scrupulus impendio formidandus. Igitur cum de profectione celeranda disponeretur, propulsationem objectorum criminum eumdem ducem parantem, prægressus oratione leni prohibet Imperator, non id esse memorans tempus, ut controversa defensio causæ susciperetur, cum vicissim restitui in pristinam concordiam partes necessitas subigeret urgentium rerum, antequam cresceret mollienda. Habita igitur deliberatione multiplici, potissimum tractabatur, quo commento Silvanus gesta etiam tum Imperatorem (o) ignorare existimaret. Et probabili argumento ad firmandam fidem reperto, monetur honorificis scriptis, ut accepto Ursicino successore, cum potestate rediret intacta. Post hæc ita digesta, protinus jubetur exire, Tribunis & Protectoribus Domesticis (p) decem, ut postularat, ad juvandas necessitates publicas ei conjunctis (q): inter quos ego quoque eram cum Veriniano collega; residui omnes propinqui & familiares. Jamque eum egressum, solum de se metuens quisque per longa spatia deducebat. Et quamquam ut bestiarii obji-

Dynamii scelus retegitur.

Silvanus in Gallia Imperator. U. C. 1107. C. N. 355.

Terror Constantii.

Constantius adorari se jubet ritu extero & regio.

Silvano insidiæ struuntur.

Ursicinus contra Silvanum mittitur.

(l) al. Magistro. (m) al. fit. (n) al. infestatione. (o) al. gesto etiam tum Imperatore rem &c. (p) al. Protectores domesticos. (q) al. publicas secum duxit.

objiceremur intractabilibus feris, perpendentes tamen hoc bonum habere tristia præcedentia, (*r*) quod in locis suis secunda substituunt, mirabimur illam sententiam Tullianam, ex internis (*s*) veritatis ipsius (*t*) promulgatam, quæ est talis: *Et quamquam optatissimum est perpetuo fortunam quam florentissimam permanere; illa tamen æquabilitas vitæ non tantum habet sensum, quantum cum ex sævis & perditis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur.* Festinabimus itaque itineribus magnis, ut ambitiosus Magister armorum, ante allapsum per Italicos de tyrannide ullum rumorem, in suspectis finibus appareret. Verum cursim nos properantes aëria quædam antevolans prodiderat fama: & Agrippinam ingressi invenimus cuncta nostris conatibus altiora. Namque convena undique multitudine trepidem cœpta fundante, coactisque copiis multis: pro statu rei præsentis id aptius videbatur, ut ad Imperatoris novelli, per ludibriosa auspicia virium accessu firmandi, sensum ac voluntatem dux flebilis verteretur: (*u*) quo variis assentandi figmentis in mollius vergente securitate, nihil metuens hostile deciperetur. Cujus rei finis arduus videbatur. Erat enim cautius observandum, ut appetitus opportunitati obtemperarent, nec præcurrentes eam, nec deferentes: qui si eluxissent intempestive, constabat nos omnes sub elogio uno morte multandos. Susceptus tamen idem Dux leniter, adactusque, inclinante negotio ipso cervices, adorare solemniter anhelantem celsius purpuratum, ut spectabilis colebatur, & intimus: facilitate aditus, honoreque mensæ regalis adeo antepositus aliis, ut jam secretius de rerum summa consultaretur. Ægre ferebat Silvanus ad Consulatum potestatesque sublimes elatis indignis, se & Ursicinum solos, post exsudatos magnos pro Republica labores & crebros, ita fuisse despectos, ut ipse quidem per quæstiones familiarium sub disceptatione ignobili crudeliter agitatus, commisisse in majestatem arcesseretur: alter vero ab Oriente raptus, odiis inimicorum addiceretur: & hæc assidue clam querebatur & palam. Terrebant nos tamen, cum dicerentur hæc & similia, circumfrementia undique murmura causantis inopiam militis, & rapida celeritate ardentis angustias Alpium perrumpere Cottiarum. In hoc æstu mentis ancipiti, ad effectum tendens consilium occulta scrutabamur indagine: sederatque tandem, mutatis præ timore sæpe sententiis, ut quæsitis magna industria cautis rei (*x*) ministris, obstricto religionum consecratione colloquio, Braccati sollicitarentur atque Cornuti, fluxioris fidei, & ubertate mercedis ad momentum omne versabiles. Firmato itaque negotio per sequestres quosdam gregarios, obscuritate ipsa ad id patrandam idoneos, præmiorum exspectatione accensos, Solis ortu jam rutilo subitus armatorum globus erupit: atque, ut solet in dubiis rebus audentior, cæsis custodibus regia penetrata, Silvanum extractum ædicula, quo exanimatus confugerat, ad conventiculum ritus Christiani tendentem, densis gladiorum ictibus trucidarunt. Ita dux haud exsilium meritorum hoc genere oppetit mortis, metu calumniarum, quibus factione iniquorum irretitus est absens, ut tueri possit salutem, ad præsidia progressus extrema. Licet enim ob tempestivam illam cum Armaturis proditionem ante Mursense prælium, obligatum gratia retineret Constantium; ut dubium tamen & mutabilem verebatur: licet patris quoque Boniti prætenderet fortia facta, Franci quidem, sed pro Constantini partibus in bello civili acriter contra Licinianos sæpe versati. Evenerat autem antequam hujusmodi aliquid agitaretur in Galliis, ut Romæ in Circo Maximo Populus, incertum ratione quadam percitus an præsagio, *Silvanus devictus est*, magnis vocibus exclamaret. Igitur Silvano Agrippinæ, ut relatum est, interfecto, inæstimabili gaudio re cognita, Princeps insolentia coalitus & tumore, hoc quoque felicitatis suæ prosperis cursibus adsignabat: eo more, quo semper oderat fortiter facientes, ut quondam Domitianus, superare tamen quacumque arte contraria cupiebat. Tantumque abfuit laudare industrie gesta, ut etiam quædam scriberet de Gallicanis intercepta thesauris, quos nemo attigerat. Idque scrutari jusserat artius, interrogato Remigio etiamtum Rationario apparitionis armorum Magistri: cui multo postea Valentiniani temporibus laqueus vitam in causa Tripolitanæ legationis eripuit. Post quæ ita completa, Constantius ut jam cœlo contiguus, casibusque imperaturus humanis, magniloquentia sufflabatur adulatorum: quos augebat ipse, spernando projiciendoque id genus parum callentes. Ut Crœsum legimus ideo regno suo Solonem expulisse præcipitem, quia blandiri nesciebat: & Dionysium intentasse poëtæ Philoxeno mortem, cum eum recitantem proprios versus absurdos & inconcinnos, laudantibus cunctis, solus audiret immobilis: quæ res perniciosa vitiorum est altrix. Ea demum enim laus grata esse potestati debet excelsæ, cum interdum & vituperationi secus gestorum pateat locus.

Marginal notes: A quo suscipitur leniter. — Silvanus indignos sibi prælatos conqueritur. — Silvanus trucidatur. U. C. 1107. p. C. N. 355. — Gaudium Constantii de trucidato Silvano. — Adulatores Constantii.

CAP. VI. Jamque post securitatem quæstiones agitabantur ex more, & vinculis catenisque plures ut noxii plectebantur. (*y*) Exsurgebat enim effervens lætitia Paulus, tartareus ille delator, ad venenatas artes suas licentius exercendas: & inquirentibus in negotium Consistorianis atque Militaribus, ut præceptum est, Proculus admovetur eculeo, Silvani Domesticus, homo gracilis & morbosus, metuentibus cunctis, ne vi nimia tormentorum levi corpore fatigato, reos atrocium criminum perspicue citari faceret multos: verum contra quam speratum est contigit. Memor enim somnii, quo vetitus erat per quietem, ut ipse firmavit, pulsare quemquam insontem, usque ad confinia mortis vexatus, nec nominavit, nec prodidit aliquem: sed adserebat factum Silvani constanter, id eum cogitasse quod iniit, non cupiditate, sed necessitate compulsum, argumento

Marginal notes: Silvani amici & conscii necantur. — Proculus.

(*r*) al. recidentia. (*s*) al. æternis. (*t*) al. adytis. (*u*) al. veteretur. (*x*) al. spei, quod tamen alii omittunt. (*y*) al petebantur.

mento evidenti demonſtrans. Cauſam enim probabilem ponebat in medio, multorum teſtimoniis claram, quod die quinto antequam infulas ſuſciperet principatus, donatum ſtipendio militem Conſtantii nomine adloquutus eſt, fortis eſſet & fidus. Unde apparebat, quod ſi præſumere fortunæ ſuperioris inſignia conaretur, auri tam grave pondus largiretur ut ſuum. Poſt hunc damnatorum ſorte Pœmenius raptus ad ſupplicium interiit: qui (ut ſupra retulimus) cum Treveri civitatem Cæſari clauſiſſent Decentio, ad defendendam plebem electus eſt. Tum Aſclepiodotus, & Lutto, & Maudio Comites interempti ſunt, aliique plures, hæc & ſimilia perplexe temporis obſtinatione ſcrutante.

Pœmenius.

Aſclepiodotus, Lutto, & Maudio.

CAP. VII. Dum has exitiorum communium clades ſuſcitat turbo feralis, Urbem æternam Leontius regens, multa ſpectati Judicis documenta præbebat (z), in audiendo celer, in diſceptando juſtiſſimus, natura benevolus, licet auctoritatis cauſa ſervandæ acer quibusdam videbatur, & inclinatior ad amandum. Prima igitur cauſa ſeditionis in eum concitandæ viliſſima fuit & levis. Philoromum enim aurigam rapi præceptum, ſequuta plebs omnis velut defenſura proprium pignus, terribili impetu Præfectum inceſſebat ut timidum; ſed ille ſtabilis & erectus immiſſis apparitoribus, correptos aliquot vexatosque tormentis, nec ſtrepente ullo nec obſiſtente, inſulari pœna multavit. (a) Diebusque paucis ſequutis cum itidem plebs excita calore quo conſuevit, vini cauſando inopiam, ad Septemzodium convenisſet, celebrem locum, ubi operis ambitioſi Nymphæum Marcus condidit Imperator: illuc de induſtria pergens Præfectus, ab omni toga Apparitioneque rogabatur enixius, ne in multitudinem ſe arrogantem immitteret & minacem, ex commotione priſtina ſævientem: difficilisque ad pavorem recte tetendit, adeo ut eum obſequentium pars deſereret, licet in periculum feſtinantem abruptum. Inſidens itaque vehiculo cum ſpecioſa fiducia contuebatur acribus oculis tumultuantium undique cuneorum veluti ſerpentium vultus: perpeſſusque multa dici probroſa, agnitum quemdam inter alios eminentem, vaſti corporis, rutilique capilli, interrogavit an ipſe eſſet Petrus Valvomeres, ut audierat, cognomento: eumque, cum eſſe ſono reſpondiſſet objurgatorio, ut ſeditioſorum anteſignanum olim ſibi compertum, reclamantibus multis, poſt terga manibus vinctis ſuſpendi præcepit. Quo viſo ſublimi, tribuliumque adjumentum nequidquam implorante, vulgus omne paullo ante confertum, per varia Urbis membra diffuſum ita evanuit, ut turbarum acerrimus concitor, tamquam in judiciali ſecreto exaratis lateribus ad Picenum ejiceretur: ubi poſtea auſus eripere virginis non obſcuræ pudorem, Patruini Conſularis (b) ſententia ſupplicio eſt capitali addictus. Hoc adminiſtrante Leontio, Liberius Chriſtianæ legis antiſtes, à Conſtantio ad Comitatum mitti præceptus eſt, tamquam Imperatoris juſſis & plurimorum ſui (c) conſortium decretis obſiſtens, in re quam brevi textu percurram. Athanaſium Epiſcopum eo tempore apud Alexandriam, ultra profeſſionem altius ſe efferentem, ſciſcitarique cunatum externa, ut prodidere rumores adſidui, cœtus in unum quæſitus (d) ejusdem loci multorum (ſynodus ut appellant) removit à ſacramento quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum ſortium fidem, quæve augurales portenderent alites, ſcientiſſime callens, aliquoties prædixiſſe futura: ſuper his intendebatur ei alia quoque à propoſito legis abhorrentia, cui præſidebat. Hunc per ſubſcriptionem abjicere Sede Sacerdotali, paria ſentiens ceteris, jubente Principe, Liberius monitus; perſeverantur renitebatur, nec viſum hominem, nec auditum damnare, nefas ultimum ſæpe exclamans, aperte ſcilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanaſio ſemper infeſtus, licet ſciret impletum, tamen auctoritate quoque, qua potiores (e) æternæ Urbis Epiſcopi, firmari deſiderio nitebatur ardenti: quo non impetrato, Liberius ægre Populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit abſportari.

Leontius Præfectus Urbi, ſeditiones Populi Romani, reprimit.

Petrus Valvomeres ſuſpenditur.

Athanaſius Epiſcopus Alexandriæ.

Liberius Pontifex ſede pulſus. U.C.1107, p. C.N.355.

CAP. VIII. Et hæc quidem Romæ, ut oſtendit textus ſuperior, agebantur. Conſtantium vero exagitabant adſidui nuntii, (f) deploratas jam Gallias indicantes, nullo renitente; ad internecionem Barbaris vaſtantibus univerſa: æſtuansque diu qua vi propulſaret ærumnas, ipſe in Italia reſidens, ut cupiebat: (periculoſum enim exiſtimabat ſe in partem contrudere longe dimotam) reperit tandem conſilium rectum: & Julianum patruelem fratrem, haud ita dudum ab Achaico tractu (g) accitum, etiam tum palliatum, in ſocietatem Imperii adſciſcere cogitabat. Id ubi urgente malorum impendentium mole confeſſus eſt proximis, ſuccumbere tot neceſſitatibus tamque crebris unum ſe, quod numquam fecerat, aperte demonſtrans: illi in adſentationem nimiam eruditi infatuabant hominem, nihil eſſe ita aſperum dictitantes, quod præpotens ejus virtus, fortunaque tam vicina ſideribus non ſuperaret ex more. Addebantque, noxarum conſcientia ſtimulante complures, deinceps caveri debere Cæſaris nomen, replicantes geſta ſub Gallo. Queis adnitentibus obſtinate, opponebat ſe ſola Regina incertum migrationem ad longinqua pertimeſcens, an pro nativa prudentia conſulens in commune, omnibusque memorans anteponi debere propinquum. Poſt multaque (h) per deliberationes ambiguas actitata, ſtetit fixa ſententia: abjectisque diſputationibus irritis, ad Imperium placuit Julianum adſumere. Cum veniſſet accitus prædicto die, advocato omni quod aderat commilitio, tribunali ad altiorem ſuggeſtum erecto, quod aquilæ circumdederunt & ſigna, Auguſtus inſcendens, eumque manu retinens dextera, hæc ſermone placido peroravit: *Adſiſtimus*

Conſtantius Julianum Galli fratrem.

Opponente ſe Regina.

(z) al. præcipiebat. (a) al. multati ſunt. (b) al. Conſulari. (c) al. ſuis. (d) al. quæſiti. (e) al. auctoritate qua potiuntur &c. (f) alii τὸ nuntii omittunt. (g) al. contractu. (h) al. multa quæ.

mus apud vos, optimi Reipublicæ defenſores, cauſæ communi uno pæne omnium ſpiritu vindicandæ, quam acturus, tamquam apud æquos judices, ſuccinctius edocebo. Poſt interitum rebellium tyrannorum, quos ad hæc tentanda quæ moverunt, rabies egit & furor: velut impiis eorum manibus Romano ſanguine parentantes, perſultant Barbari Gallias rupta limitum pace; hac animati fiducia, quod nos per disjunctiſſimas terras arduæ neceſſitates adſtringunt. Huic igitur malo ultra adpoſita jam proſerpenti, (i) ſi dum patitur tempus, occurrerit noſtri veſtrique conſulti ſuffragium, & colla ſuperbarum gentium detumeſcent, (k) & Imperii fines erunt intacti. Reſtat ut rerum ſpem, quam gero, ſecundo roboretis effectu. Julianum hunc fratrem meum patruelem, ut noſtis, verecundia, qua nobis ita ut neceſſitudine carus eſt, recte ſpectatum, jamque elucentis induſtriæ juvenem, in Cæſaris adhibere poteſtatem exopto, cœptis, ſi videntur utilia, etiam veſtra conſenſione firmandis. Dicere ſuper his plura conantem interpellans concio lenius prohibebat arbitrium ſummi numinis (*l*) id eſſe, non mentis humanæ, velut præſcia venturi prædicans. Stansque Imperator immobilis, dum ſilerent, reſidua fidentius explicavit: *Quia igitur veſtrum quoque favorem adeſſe fremitus indicat lætus, adoleſcens vigoris tranquilli, cujus temperati mores imitandi ſunt potius quam prædicandi, ad honorem proſperatum (m) exſurgat: cujus præclaram indolem bonis artibus inſtitutam hoc ipſo plene videor expoſuiſſe, quod elegi. Ergo (n) eum præſente nutu Dei cœleſtis amictu Principali velabo.* Dixit: moxque indutum avita purpura Julianum, & Cæſarem cum exercitus gaudio declaratum, his alloquitur contractiore vultu ſubmœſtum: *Recepiſti primævus originis tuæ ſplendidum florem, amantiſſime mihi omnium frater: aucta gloria mea confitear, qui juſtus in deferenda ſuperiori poteſtate nobilitati mihi propinquæ, quam ipſa poteſtate videor eſſe ſublimis. Adeſto igitur laborum periculumque particeps, & tutelam miniſterii ſuſcipe Galliarum, omni beneficentia partes levaturus adflictas: & ſi hoſtibus congredi ſit neceſſe, fixo gradu conſiſte inter ſigniferos ipſos, audendi in tempore conſideratus hortator, pugnantes accendens præeundo cautiſſime, turbatosque ſubſidiis fulciens, modeſte increpans deſides, veriſſimus teſtis adfuturus induſtriis & ignavis. Proinde urgente rei magnitudine, perge vir fortis, ducturus viros itidem fortes. Aderimus vobis viciſſim amoris robuſta conſtantia, militabimus ſimul, una orbem pacatum, Deus modo velit quod oramus, pari moderatione pietateque recturi. Mecum ubique videberis præſens, & ego tibi quodcumque acturo non deero. Ad ſummam i, i, propera ſociis omnium votis, velut aſſignatam tibi ab ipſa Republica ſtationem cura pervigili defenſurus.* Nemo poſt hæc finita reticuit: ſed militares omnes horrendo fragore ſcuta genibus illidentes, (quod eſt proſperitatis indicium plenum: nam contra cum haſtis clypei feriuntur, iræ documentum eſt & doloris) immane quo quantoque gaudio præter paucos Auguſti probavere judicium: Cæſaremque admiratione digna ſuſcipiebant, Imperatorii muricis fulgore flagrantem. Cujus oculos cum venuſtate terribiles, vultumque excitatius gratum, diu multumque contuentes, qui futurus ſit colligebant, velut ſcrutatis veteribus libris, quorum lectio per corporum ſigna pandit animarum interna. Eumque ut potiori reverentia ſervaretur, nec ſupra modum laudabant, nec infra quam decebat: atque ideo cenſorum voces ſunt æſtimatæ, non militum. Suſceptus denique ad ſeſſum vehiculi; receptusque in regiam, hunc verſum ex Homerico carmine ſuſurrabat:

Cæſarem declarat. U.C.1107. p. C.N. 355.

Juliani Phyſionomia deſcribitur.

(3.) Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

Hæc die octavo Iduum Novemb. geſta ſunt, cum Arbetionem Conſulem annus haberet & Lollianum. Deinde diebus paucis, (4.) Helena virgine Conſtantii ſorore eidem Cæſari jugali fœdere copulata, paratisque univerſis, quæ maturitas proficiſcendi poſcebat, comitatu parvo ſuſcepto, Kal. Decembribus egreſſus eſt: deductusque ab Auguſto adusque locum duabus columnis inſignem, qui Laumellum interjacet & Ticinum, itineribus rectis Taurinos pervenit: ubi nuntio percellitur gravi, qui nuper in comitatum Auguſti perlatus, de induſtria ſilebatur, ne parata diffluerent. Indicabat autem Coloniam Agrippinam, ampli nominis urbem in ſecunda Germania, pertinaci Barbarorum obſidione reſeratam magnis viribus & deletam. Quo mœrore perculſus, velut primo adventantium malorum auſpicio, murmurans querulis vocibus ſæpe audiebatur, nihil ſe plus adſecutum, quam ut occupatior interiret. Cumque Viennam veniſſet, ingredientem optatum quidem & impetrabilem (*o*) honorifice ſuſceptura omnis ætas concurrebat & dignitas: proculque viſum plebs univerſa cum vicinitate finitima, Imperatorem clementem appellans & fauſtum, prævia conſonis laudibus celebrabat, avidius pompam regiam in Principe legitimo cernens: communiumque remedium ærumnarum in ejus locabat adventu, ſalutarem quemdam Genium adfulſiſſe conclamatis negotiis arbitrata. Tunc anus quædam orba luminibus, cum percontando quinam eſſet ingreſſus, Julianum Cæſarem comperiſſet, exclamavit, hunc Deorum templa reparaturum.

Julianus Helenam Conſtantii ſororem uxorem ducit. U.C. 1107. p. C.N. 355.

Colonia Agrippina à barbaris capta.

Julianum Viennam ingredientem.

Deorum templa inſtauraturum anus prædicit.

CAP. IX. Proinde, quoniam (ut Mantuanus vates prædixit excelſus) majus opus moveo, majorque mihi rerum naſcitur ordo, Galliarum tractus & ſitum oſtendere puto nunc tempeſtivum, ne inter procinctus ardentes (*p*) præliorumque varios caſus ignota quibusdam expediens, imitari videar deſides nauticos, adtrita lintea cum rudentibus, quæ licuit parari ſecurius, inter fluctus reſarcire coactos & tempeſtates. Ambigentes ſuper origine prima Gallorum

De origine Gallorum.

(*i*) al. *proſerpentis.* (*k*) al. *detumeſcet.* (*l*) al. Jovis. (*m*) al. *prope ſperatum.* al. *properatum.* (*n*) al. *Ego.* (*o*) al. imperabilem. al. Imperatorem. (*p*) al. urgentes.

(3.) Ἔλλαβε &c.) Homerus Iliad. V.

(4.) Helena virgine Conſtantii ſorore eidem Cæſari jugali fœdere copulata) Hujus vultum ex MEDIOBARB. pag. 499. vide Tab. LXIV. num. 7.

lorum Scriptores veteres notitiam reliquere negotii semiplenam: sed postea Timagenes & diligentia Græcus & lingua, hæc quæ diu sunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cujus fidem secuti obscuritate dimota, eadem distincte docebimus & aperte. Aborigines primos in his regionibus quidam visos esse firmarunt, Celtas nomine Regis amabilis, & matris ejus vocabulo Galatas dictos: ita enim Gallos sermo Græcus appellat. Alii Dorienses, antiquiorem sequutos Herculem, Oceani locos inhabitasse confines. Drysidæ memorant revera fuisse populi partem indigenam: sed alios quoque ab insulis extimis confluxisse & tractibus Transrhenanis, crebritate bellorum, & alluvione fervidi maris sedibus suis expulsos. Ajunt quidam, paucos post excidium Trojæ, fugitantes Græcos ubique dispersos, loca hæc occupasse, tunc vacua. Regionum autem incolæ id magis omnibus adseverant, quod etiam nos legimus in monumentis eorum incisum, Amphitruonis filium Herculem ad Geryonis & Taurisci sævium tyrannorum perniciem festinasse, quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat: superatisque ambobus coisse cum generosis feminis, suscepisseque liberos plures, & eas partes quibus imperitabant, suis nominibus appellasse. A Phocæa vero Asiaticus populus Harpali inclementiam vitans, Cyri Regis Præfecti, Italiam navigio petiit. Cujus pars in Lucania Veliam; alia condidit in Viennensi Massiliam: dein sequutis ætatibus oppida aucta virium copia instituere non pauca: sed declinanda varietas, sæpe satietati conjuncta. Per hæc loca hominibus paullatim excultis, viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, & Euhages, & Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroïcis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Euhages vero scrutantes seriem & sublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, sodaliciis adstricti consortiis, quæstionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt, & despectantes humana pronuntiarunt animas immortales.

Unde dicti Celtæ & Galatæ.

Gallorum doctores.

Inter quos Druidæ celebriores.

CAP. X. Hanc Galliarum plagam, ob suggestus montium arduos, & horrore nivali semper obductos, orbis residui incolis antehac pene ignotam, (nisi qua litoribus est vicina) munimina claudunt undique, natura velut arte circumdata. Et à latere quidem australi Tyrrheno alluitur, & Gallico mari: qua cœleste suspicit plaustrum, à feris gentibus fluentis distinguitur Rheni: ubi occidentali subjecta est sideri, oceano & altitudine Pyrenæi cingitur; (*q*) unde ad solis ortus adtollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarum: quas Rex Cottius perdomitis Galliis, solus in angustiis latens, inviaque locorum asperitate confisus, lenito tandem tumore in amicitiam Octaviani receptus Principis, molibus magnis exstruxit ad vicem memorabilis muneris, compendiarias & viantibus opportunas, medias inter alias Alpes vetustas, super quibus comperta paullo postea referemus. In his Alpibus Cottiis, quarum initium à Segusione (*r*) est oppido, præcelsum erigitur jugum, nulli fere sine discrimine penetrabile. Est enim è Galliis venientibus prona humilitate devexum, pendentium saxorum altrinsecus visu terribile, præsertim verno tempore: cum liquente gelu, nivibusque solutis flatu calidiore ventorum, per diruptas utrimque angustias, & lacunas pruinarum congerie latebrosas, descendentes cunctantibus plantis homines & jumenta procidunt & carpenta: idque remedium ad arcendum exitium repertum est solum, quod pleraque vehicula vastis funibus illigata, pone cohibente virorum vel boum nisu valido, vix gressu reptante paullo tutius devolvuntur. Et hæc, ut diximus, anni verno contingunt. Hieme vero humus crustata frigoribus, & tamquam levigata, ideoque labilis, incessum præcipitantem impellit, & patulæ valles per spatia plana glacie perfidæ vorant nonnumquam transeuntes. Ob quæ locorum callidi, eminentes ligneos stilos per cautiora loca defigunt, ut eorum series viatorem ducat innoxium: qui si nivibus operti latuerint, montanis defluentibus rivis eversi, agrestibus (*s*) præviis difficile pervaduntur. A summitate autem hujus Italici clivi: planities adusque stationem nomine Martis, per septem extenditur miliaria, & hinc alia celsitudo erectior, ægreque superabilis, ad Matronæ porrigitur verticem, cujus vocabulum casus feminæ nobilis dedit. Unde declive quidem iter, sed expeditius adusque castellum Virgantiam patet. Hujus sepulcrum Reguli, quem itinera struxisse retulimus, Segusione est mœnibus proximum: manesque ejus ratione gemina religiose coluntur: quod justo moderamine rexerat suos, & adscitus in societatem rei Romanæ, quietem genti præstitit sempiternam. Et licet hæc, quam diximus viam, (*t*) media sit & compendiaria, magisque celebris, tamen etiam aliæ multo antea temporibus sunt constructæ diversis. Primam Thebæus Hercules ad Geryonem exstinguendum, ut relatum est, & Tauriscum lenius gradiens, prope Maritimas composuit Alpes: hicque harum indidit nomen: Monœci similiter arcem & portum ad perennem sui memoriam consecravit. Deinde emensis postea sæculis multis, hac ex causa sunt Alpes excogitatæ Pœnimæ. Superioris Africani pater P. Cornelius Scipio Saguntinis memorabilibus ærumnis & fide, pertinaci destinatione Afrorum obsessis, iturus auxilio in Hispaniam, traduxit onustam manu valida classem: sed civitate Pœnorum Marte delata, Hannibalem assequi (*u*) nequiens, triduo ante transito Rhodano ad Italiæ partes contendentem, navigatione veloci intercursu spatio maris haud longo, degressurum montibus apud Genuam observabat Liguriæ oppidum, ut cum eo, si copiam fors dedisset, viarum asperitate fatigato decerneret in planitie. Consulens tamen rei communi, Cn. Scipionem fratrem ire monuit in Hispanias, ut Hasdrubalem exinde similiter erupturam arceret. Quæ Hannibal doctus à perfugis,

De Alpibus Gallicanis, & de variis per eas itineribus.

Cottius amicus Romanorum.

Cottii sepulcrum.

Herculis contra Geryonem & Thebæum iter per Alpes.

Hannibalis iter per Alpes.

(*q*) alii τὸ cingitur omittunt. (*r*) al. Segutione. (*s*) al. eversi, graves agrestibus &c. (*t*) al. via. (*u*) al. sequi.

fugis, ut erat expeditæ mentis & callidæ, Taurinis ducentibus accolis, per Tricassinos & oram Vocontiorum (*x*) extremam, ad saltus Tricorios venit. Indeque exorsus, aliud iter antehac insuperabile fecit: excisaque rupe in immensum elata, quam cremando vi magna flammarum acetoque infuso dissolvit, per Druentiam flumen gurgitibus vagis intortum, regiones occupavit Etruscas. Hactenus super Alpibus, nunc ad restantia veniamus.

Divisio Galliarum

CAP. XI. Temporibus priscis cum laterent hæ partes ut barbaræ, tripartitæ fuisse creduntur, in Celtas eosdemque Gallos divisæ, & Aquitanos, & Belgas, lingua, institutis, legibusque discrepantes. Et Gallos quidem, qui Celtæ sunt, ab Aquitanis Garumna disterminat flumen, à Pyrenæis Oriens collibus, postque oppida multa transcursa in Oceano delitescens. A Belgis vero eandem gentem Matrona discernit & Sequana, amnes magnitudinis geminæ, qui fluentes per Lugdunensem, post circumclausum ambitu insulari Parisiorum castellum, Luteciam nomine, consociatim meantes protinus prope castra Constantia funduntur in mare.

Et descriptio.

Horum omnium apud veteres Belgæ dicebantur esse fortissimi, ea propter quod ab humaniore cultu longe discreti, nec adventitiis effeminati deliciis, diu cum Transrhenanis certavere Germanis. Aquitani enim, ad quorum littora ut proxima placidaque merces adventitiæ convehuntur; moribus ad mollitiem lapsis, facile in ditionem venere Romanam. Regebantur autem Galliæ omnes, jam inde uti crebritate bellorum urgenti cessere Julio Dictatori, potestate in partes divisa quatuor: quarum Narbonensis una, Viennensem intra se continebat, & Lugdunensem: altera Aquitanis præerat universis: superiorem & inferiorem Germaniam, Belgasque duæ jurisdictiones iisdem rexere temporibus. At nunc numerantur provinciæ per omnem ambitum Galliarum:

Germania prima & secunda.

secunda Germania, prima ab Occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita, civitatibus amplis & copiosis. Dein prima Germania, ubi præter alia municipia Mogontiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota.

Belgica prima & secunda.

Post has Belgica prima Mediomatricos prætendit, & Treviros domicilium Principum clarum. Huic adnexa secunda est Belgica, qua Ambiani sunt, urbs inter alias eminens, & Catelauni, & Remi. Apud Sequanos Bisontios vidimus, & Rauracos, aliis potiores oppidis multis.

Lugdunensis prima & secunda.

Lugdunensem primam Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones, & Biturigæ, & mœnium Augustoduni magnitudo vetusta. Secundam enim Lugdunensem Rothomagi, & Turini, Mediolanum ostendunt: & Tricasni (*y*): Alpes Graiæ & Pœninæ, exceptis obscurioribus .... habent & Aventicum, desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant. Hæ provinciæ, urbesque sunt splendidæ Galliarum.

Aquitania.

In Aquitania, quæ Pyrenæos montes & eam partem spectat Oceani, quæ pertinet ad Hispanos, prima provincia est Aquitanica, amplitudine civitatum admodum culta: omissis aliis multis, Burdegala, & Arverni (*z*) excellunt, & Santones, & Pictavi. Novem populos Ausci commendant, & Vasatæ.

Narbonensis & Viennensis provinciæ.

In Narbonensi Elusa, & Narbona, & Tolosa principatum urbium tenent. Viennensis civitatum exsultat decore multarum, quibus potiores sunt Vienna ipsa, & Arelate, & Valentia: quibus Massilia jungitur, cujus societate & viribus in discriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His prope Salluvii sunt, & Nicæa, & Antipolis, insulæque Stœchades.

Rhodani fluminis cursus.

Et quoniam ad has partes opere contexto pervenimus, silere super Rhodano, maximi nominis flumine, incongruum est & absurdum. A Pœninis Alpibus effusiore copia fontium Rhodanus fluens, & proclivi impetu ad planiora degrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi sese ingurgitat nomine Lemāno, eamque intermeans, nusquam aquis miscetur externis: sed altrinsecus summitates undæ præterlabens segnioris (*a*), quæritans exitus, viam sibi impetu veloci molitur. Unde sine jactura rerum per Sabaudiam fertur (*b*) & Sequanos: longeque progressus, Viennensem latere sinistro perstringit, dextro Lugdunensem: & emensus spatia flexuosa (*c*), Ararim, (quem Sauconnam appellant) inter Germaniam primam fluentem, suum in nomen adsciscit: qui locus exordium est Galliarum. Exindeque (*d*) non millenis passibus, sed leucis itinera metiuntur. Hinc Rhodanus aquis advenis locupletior, vehit grandissimas naves, ventorum difflatu jactari sæpius adsuetas: finitisque intervallis quæ ei natura præscripsit, spumeus Gallico mari concorporatur per patulum sinum, quem vocant Ad Gradus, ab Arelate octavo decimo ferme lapide disparatum. Sit satis de situ locorum: nunc figuras & mores hominum designabo.

Forma & mores Gallorum.

CAP. XII. Celsioris staturæ & candidi pæne Galli sunt omnes, & rutili, luminumque torvitate terribiles, avidi jurgiorum, & sublatius insolescentes. Nec enim eorum quemquam adhibita uxore rixantem, multo fortiore & glauca, peregrinorum ferre poterit globus: tum maxime cum illa inflata cervice suffrendens, ponderansque niveas ulnas & vastas, admistis calcibus emittere cœperit pugnos, ut catapultas tortilibus nervis excussas. Metuendæ voces complurium & minaces, placatorum juxta & irascentium: tersi tamen pari diligentia cuncti & mundi: nec in tractibus illis, maximeque apud Aquitanos, poterit aliquis videri, vel femina, licet perquam pauper, ut alibi, frustis squalere pannorum. Ad militandum omnis ætas aptissima: & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artubus & labore adsiduo, multa contempturus & formidanda: nec eorum aliquando quisquam, ut in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos jocaliter Murcos appellant. Vini avidum genus, affectans ad vini similitudinem multiplices potus: & inter eos humiles quidam obtusis ebrietate continua sensibus, quam furoris volun-

(*x*) al. Vocontigrum. (*y*) al. Tricastini. (*z*) al. Averni. (*a*) al. segniores. (*b*) al. per densa paludium fertur &c. (*c*) al. spatio flexuoso. (*d*) al. Exinde.

voluntariam speciem esse Catoniana sententia definivit, raptantur discursibus vagis: ut verum illud videatur, quod ait defendens Fonteium Tullius, *Gallos post hæc dilutius esse poturos*, quod illi venenum esse arbitrabantur. Hæ regiones, præcipue quæ confines Italicis, paullatim levi sudore sub Imperium venere Romanum: primo tentatæ per Fulvium, deinde præliis parvis quassatæ per Sextium, ad ultimum per Fabium Maximum domitæ: cui negotii plenus effectus, asperiore Allobrogum gente devicta, hoc indidit cognomentum. Nam omnes Gallias, nisi qua paludibus inviæ fuere, ut Sallustio docetur auctore, post decennalis belli mutuas clades subegit (*e*) Cæsar, societatique nostræ fœderibus junxit æternis. Evectus sum longius, sed remeabo tandem ad cœpta.

Gallia victa, cessit Imperio Romano.

CAP. XIII. Domitiano crudeli morte consumpto, Musonianus ejus successor Orientem Prætoriani regebat potestate Præfecti, facundia sermonis utriusque clarus: unde sublimius quam sperabatur eluxit. Constantinus enim cum limatius superstitionum quæreret sectas, Manichæorum & similium, nec interpres inveniretur idoneus, hunc sibi commendatum ut sufficientem elegit: quem officio functum perite, Musonianum voluit appellari, ante Strategium dictitatum: & ex eo percursis honorum gradibus multis, adscendit ad Præfecturam: prudens alias, tolerabilisque provinciis, & mitis & blandus: sed ex qualibet occasione, maximeque ex controversis litibus, quod nefandum est, & in totum lucrandi aviditate sordescens: ut inter alia multa evidenter apparuit in quæstionibus agitatis super morte Theophili Syriæ Consularis, proditione Cæsaris Galli, impetu plebis promiscuæ discerpti: ubi damnatis pauperibus, quos, cum hæc agerentur, peregre constabat fuisse, auctores diri facinoris, exuti patrimoniis, absoluti sunt divites. Hunc Prosper adæquabat (*f*), pro Magistro equitum, agente etiam tum in Galliis, militem regens, abjecte ignavus, &, ut ait Comicus, arte despecta furtorum rapiens propalam. Queis concordantibus, mutuaque commercia vicissim sibi conciliando locupletatis, Persici duces vicini fluminibus, Rege in ultimis terrarum suarum terminis occupato, per prædatorios globos nostra vexabant, nunc Armeniam, aliquoties Mesopotamiam confidentius incursantes, Romanis ductoribus ad colligendas obeuntium exuvias occupatis.

Musonianus Præfectus Prætorio per Orientem.

ante Strategius dictus.

Ejus avaritia.

Prosper vir pessimus.

Explicit Liber XV.

AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XVI.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

Juliani Cæsaris laudes.

HÆc per orbem Romanum fatorum (*g*) ordine contexto versante, Cæsar apud Viennam in collegium fastorum à Consule octies Augusto adscitus, urgente genuino vigore, pugnarum fragores cædesque barbaricas somniabat, colligere provinciæ fragmenta jam parans, si adfuisset flatu tandem secundo. Quia igitur res magnæ, quas per Gallias virtute felicitateque correxit, multis veterum factis fortibus præstans, singula serie progrediente monstrabo, instrumenta omnia mediocris ingenii, si suffecerint, commoturus. Quidquid autem narrabitur, quod non falsitas arguta concinnat, sed fides integra rerum absolvit, documentis evidentibus fulta, ad laudativam pæne materiem pertinebit. Videtur enim lex quædam vitæ melioris hunc juvenem à nobilibus cunis, adusque spiritum comitata supremum. Namque incrementis velocibus ita domi forisque colluxit, ut prudentia Vespasiani filius Titus alter æstimaretur, bellorum gloriosis cursibus Trajani simillimus, clemens ut Antoninus, rectæ perfectæque rationis indagine congruens Marco, ad cujus æmulationem actus suos effingebat (*h*) & mores. Et quoniam, ut Tulliana docet auctoritas, omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item: sic præclaræ hujus indolis rudimenta tunc multis obnubilantibus tegebantur, quæ anteferri gestis ejus postea multis & miris hac ratione deberent, quod adulescens primævus, ut Erichtheus in secessu Minervæ nutritus, ex Academiæ quietis umbraculis, non è militari tabernaculo, in pulverem Martium tractus, strata Germania, pacatisque rigentis Rheni meatibus, cruenta spirantium Regum hic sanguinem fudit, alibi manus catenis affixit.

CAP. II. Agens itaque negotiosam hiemem apud oppidum ante dictum, inter rumores qui volitabant adsidui, comperit Augustoduni civitatis antiquæ muros, spatiosi quidem ambitus, sed carie vetustatis invalidos, barbarorum impetu

Julianus Cæsar Alemannos adoritur. U. C. 1108. p. C. N. 356.

(*e*) al. τὸ subegit omittunt. (*f*) al. Huc Prosper adequitabat. (*g*) al. factorum. (*h*) al. affingebat.

impetu repentino insessos, torpente præsentium militum manu, veteranos concursatione (*i*) pervigili defendisse: ut solet abrupta sæpe discrimina salutis ultima desperatio propulsare. Nihil itaque remittentibus curis, ancillari adulatione posthabita, qua eum proximi ad amœnitatem flectebant & luxum, satis omnibus comparatis, VIII. Kal. Julias Augustodunum pervenit, velut dux diuturnus, viribus eminens & consiliis, per diversa palantes barbaros, ubi dedisset fors copiam, aggressurus. Habita itaque deliberatione, adsistentibus locorum peritis, quodnam iter eligeretur ut tutum, multa ultro citroque dicebantur, aliis per Arbor (*k*)..... quibusdam per Sedelaucum & Coram iri debere firmantibus. Sed cum subfererent quidam, Silvanum paullo ante Magistrum peditum, per compendiosas vias, verum suspectas, quia tenebris multis umbrantur, cum VIII. auxiliarium millibus ægre transisse, fidentius Cæsar audaciam viri fortis imitari magnopere nitebatur. Et ne qua interveniret mora, adhibitis Cataphractariis (*l*) solis, & Balistariis, parum ad tuendum rectorem idoneis, percurso eodem itinere Autosidorum pervenit. Ubi brevi, sicut solebat, otio cum milite recreatus, ad Tricassinos tendebat: & barbaros in se catervatim ruentes, partim cum timeret ut ampliores, confertis lateribus observabat: alios occupatis habilibus locis decursu facili proterens, nonnullos pavore traditos cepit: residuos in curam celeritatis omne quod poterant conferentes, quia sequi non valebat gravitate præpeditus armorum, innocuos abire perpessus est. Proinde certiore jam spe ad resistendum ingruentibus confirmatus, per multa discrimina venerat Tricassas adeo insperatus, ut eo portas pæne pulsante, diffusæ multitudines barbaræ metu, aditus urbis non sine anxia panderetur ambage. Et paullisper moratus dum fatigato consulit militi, civitatem Remos nihil prolatandum existimans petit: ubi in unum congregatum exercitum vehentem ...... jusserat opperiri præsentiam suam: cui præsidebat Ursicini successor Marcellus, & ipse Ursicinus adusque expeditionis finem agere præceptus iisdem in locis. Post variatas itaque sententias plures, cum placuisset per decem pagos Alemannam adgredi plebem, densatis agminibus tendebat illuc solito alacrior miles. Et quia dies humectus & decolor vel contiguum eripiebat adspectum, juvante locorum gnaritate, hostes tramite obliquo discurso post Cæsaris terga, legiones duas arma cogentes adorti pæne delessent, ni subito concitus clamor sociorum auxilia coëgisset. Hinc & deinde nec itinera nec flumina transire posse sine insidiis putans, erat providus & cunctator: quod præcipuum bonum in magnis ductoribus, opem ferre solet exercitibus & salutem. Audiens itaque Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, & Vangionas, & Mogontiacum civitates barbaros possidentes, territoria earum habitare: (nam ipsa oppida ut circumdata retibus busta declinant) primam omnium Brotomagum occupavit: eique jam adventanti Germanorum manus pugnam intentans occurrit. Cumque in bicornem figuram acie divisa, collato pede res agi cœpisset, exitioque hostes urgerentur ancipiti, captis nonnullis, aliis in ipso prælii fervore truncatis, residui discessere celeritatis præsidio tecti.

Quos cædit, capit & fugat.

CAP. III. Nullo itaque posthæc repugnante, ad recuperandam ire placuit Agrippinam, ante Cæsaris in Gallias adventum excisam: per quos tractus nec civitas ulla visitur, nec castellum: nisi quod apud Confluentes, locum ita cognominatum, ubi amnis Mosella confunditur Rheno, Rigomagum (*m*) oppidum est, & una prope ipsam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingressus, non ante motus est exinde, quam Francorum Regibus furore mitescente perterritis, pacem firmaret Reipublicæ interim profuturam, & urbem reciperet munitissimam. Quibus vincendi primitiis lætus, per Treveros hiematurus apud Senonas oppidum tunc opportunum abscessit. Ubi bellorum inundantium molem humeris suis, quod dicitur, vehens scindebatur in multiplices curas: ut milites qui à solitis descivere præsidiis, reducerentur ad loca suspecta, & conspiratas gentes in noxam Romani nominis disjectaret, ac provideret ne alimenta deessent exercitui per varia discursuro.

Coloniam à Francis captam recipit.

Cum Francorum regibus pacem facit. U. C. 1108. p. C. N. 356.

CAP. IV. Hæc sollicite perpensantem hostilis aggreditur multitudo, oppidi capiundi spe in majus accensa: ideo confidentes, quod ei nec Scutarios adesse & quidem monentibus perfugis didicerant, nec Gentiles, per municipia distributos, ut commodius vescerentur. Cum autem *** Clausa ergo urbe, murorumque intuta parte firmata, ipse cum armatis die noctuque inter propugnacula visebatur & pinnas, ira (*n*) exundante substridens, cum erumpere sæpe conatus, paucitate præsentis manus impediretur. Post tricesimum denique diem abiere barbari tristes, inaniter stulteque cogitasse civitatis obsidium mussitantes. At, quod indignitati rerum est adsignandum, periclitanti Cæsari distulit suppetias ferre Marcellus Magister equitum, agens in stationibus proximis: cum etiamsi civitas absque Principe vexaretur, opposita multitudine malis obsidionalibus expediri deberet. Hoc metu solutus efficacissimus Cæsar, providebat constanti sollicitudine, ut militum diuturno labori quies succederet aliqua, licet brevis, ad recreandas tamen sufficiens vires: quamquam ultima squalentes inopia terræ sæpe vastitatæ exigua quædam victui congrua adgerebant. Verum hoc quoque diligentia curato pervigili, affusa lætiore spe prosperorum, sublato animo ad exsequenda plurima consurgebat.

Julianus Cæsar ab Alemannis obsidetur.

Sed liberatur.

CAP. V. Primum igitur factuque difficile, temperantiam ipse sibi indixit, atque retinuit, tamquam adstrictus sumptuariis legibus viveret, quas ex rhetris Lycurgi, & axonibus, Romam translatas diuque observatas, & senescentes paullatim, reparavit Sylla Dictator: reputans ex prædictis Democriti, quod ambitiosam men-

Juliani temperantia.

(*i*) al. concussatione. (*k*) al. Arborosam &c. (*l*) al. Cataphractis. (*m*) al. Rigodulum. (*n*) al. ita.

mensam fortuna, parcam virtus apponit. Id enim etiam Tusculanus Cato prudenter definiens, cui Censorii cognomentum castior vitæ indidit cultus: *Magna*, inquit, *cura cibi, magna virtutis incuria.* Denique cum legeret libellum adsidue, quem Constantius ut privignum ad studia (o) mittens, manu sua conscripserat, prælicenter disponens quid in convivio Cæsaris impendi deberet: phasianum, & vulvam, & sumen exigi vetuit & inferri, munificis militis vili & fortuito cibo contentus. Hinc contingebat (p) ut noctes ad officia divideret tripartita, quietis, & publicæ rei, & Musarum: quod factitasse Alexandrum legimus Magnum; sed multo hic fortius. Ille namque ænea concha supposita brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteam, ut cum nervorum vigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum. Julianus vero absque instrumento quoties voluit evigilavit: & nocte dimidiata semper exsurgens, non è plumis vel stragulis sericis ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete, & σισύρα, quam vulgaris simplicitas sisurnam appellat, (5) occulte Mercurio supplicabat, quem mundi velociorem sensum esse, motum mentium suscitantem, theologicæ prodidere doctrinæ: atque in tanto rerum defectu explorate Reipublicæ munera curabat. Post quæ ut ardua & seria terminata, ad procudendum ingenium vertebatur: & incredibile quo quantoque (q) ardore rerum principalium notitiam celsam indagans, & quasi pabula quædam animo ad sublimiora scandenti conquirens, per omnia philosophiæ membra prudenter disputando currebat. Sed tamen cum hæc effecte pleneque colligeret, nec humiliora despexit, poëticam mediocriter, & rhetoricam, (ut ostendit orationum epistolarumque ejus cum gravitate comitas incorrupta) & nostrarum externarumque rerum historiam multiformem. Super his aderat Latine quoque disserendi sufficiens sermo. Si (r) itaque verum est, quod scriptores varii memorant, Cyrum Regem, & Simonidem lyricum, & Hippiam Eleum sophistarum acerrimum ideo valuisse memoria, quod epotis quibusdam remediis id impetrarunt: credendum est hunc etiam tum adultum, totum memoriæ dolium, si usquam reperiri potuit, exhausisse. Et hæc quidem pudicitiæ virtutumque sunt signa nocturna. Diebus vero quæ ornate dixerit & facete, quæve in apparatu vel in ipsis egit congressibus præliorum, aut in re civili, magnanimitate correxit & libertate, suo quæque loco singula demonstrabuntur. Cum exercere proludia disciplinæ castrensis philosophus cogeretur ut Princeps, artemque modulatius incedendi per pyrricham concinentibus disceret fistulis; vetus illud proverbium, *Clitellæ bovi impositæ sunt: plane non est nostrum onus*, Platonem crebro nominans exclamabat. Inductis quadam sollemnitate Agentibus in rebus in Consistorium, ut aurum acciperent; inter alios quidam ex eorum consortio, non, ut moris est, expansa chlamyde, sed utraque manu cavata suscepit. Et Imperator: *Rapere*, inquit, *non accipere sciunt Agentes in rebus.* Aditus à parentibus virginis raptæ, eum qui violarat, convictum relegari decrevit. Hisque indigna pati querentibus, quod non sit morte multatus, responderat hactenus: *Incusent jura clementiam: sed Imperatorem mitissimi animi legibus præstare ceteris decet.* Egressurum eum ad expeditionem plures interpellabant, ut læsi, quos audiendos provinciarum rectoribus commendabat: & reversus, quid egerint singuli quærens, delictorum vindictas genuina lenitudine mitigabat. Ad ultimum exceptis victoriis, per quas cadentes sæpe incolumi contumacia barbaros fudit; quod profuerit anhelantibus extrema penuria Galliis, hinc maxime claret: quod primitus partes eas ingressus, pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari: discedens vero septenos tantum, munera universa complentes: ob quæ tamquam solem sibi serenum post squalentes tenebras affulsisse, cum alacritate & tripudiis lætabantur. Denique id eum ad usque Imperii finem & vitæ scimus utiliter observasse, ne per indulgentias quas appellant, tributariæ rei concederet reliqua. Norat enim hoc facto se aliquid locupletibus additurum, cum constet ubique pauperes inter ipsa dictorum exordia solvere universa sine laxamento compelli. Inter has tamen regendi moderandique vias, bonis Principibus æmulandas, barbarica rabies exarserat in majus (s). Utque bestiæ custodum negligentia raptu vivere solitæ, ne his quidem remotis appositisque fortioribus abscesserunt, sed tumescentes inedia, sine respectu salutis, armenta vel greges incursant: ita etiam illi, cunctis quæ diripuere consumptis, fame urgente agebant aliquoties prædas: interdum antequam contingerent aliquid, oppetebant.

Noctem trifariam dividit Julianus.

Philosophiæ & reliquis artibus liberalibus operam dat.

Ejus facete dicta.

Juliani clementia.

CAP. VI. Hæc per eum annum spe dubia, eventu tamen secundo, per Gallias agebantur. In comitatu vero Augusti circumlatrabat Arbetionem invidia, velut summa mox adepturum, decora cultus Imperatorii præstruxisse: instabatque ei strepens immania Comes Verissimus nomine, arguens coram, quod à gregario ad magnum militiæ culmen evectus, hoc quoque non contentus ut parvo, locum appeteret principalem. Sed specialiter eum insectabatur Dorus quidam ex-Medico Scutariorum, quem nitentium rerum Centurionem sub Magnentio Romæ provectum, retulimus accusasse Adelphium Urbi Præfectum, ut altiora cœptantem. Cumque res in inquisitionem veniret, necessariisque negotio tentis, objectorum probatio speraretur, tamquam per satyram subito Cubiculariis suffragantibus, ut loquebatur pertinax rumor, & vinculis sunt exutæ

Arbetio læsæ majestatis accusatus.

Sed absolvitur.

(o) al. studium. (p) al. contigebat. (q) al. quo & quanto. (r) al. Sic. (s) exarserat majus.

(5) Occulte Mercurio supplicabat) Ex hoc Juliani religio detegitur, quæ Christianorum non erat. Quanta autem veneratione Julianus Mercurium prosequutus fuerit, vel ex numo apparet Tab. LXIV. num. 8. in quo Anubim expressit pro votis publicis, qui idem est ac Mercurius. Conf. HEMELAR. Impp. Rom. numism. aur. Tab. LV. num. 12. pag. 201.

exutæ personæ, quæ stringebantur ut consciæ, & Dorus evanuit, & Verissimus ilico tacuit, velut aulæo deposito scenæ.

CAP. VII. Iisdem diebus adlapso rumore Constantius doctus, obsesso apud Senonas Cæsari auxilium non tulisse Marcellum, eum sacramento solutum abire jussit in larem: qui tamquam injuria gravi perculsus, quædam in Julianum moliebatur, auribus Augusti confisus in omne patentibus (*t*) crimen. Ideoque cum discederet, Eutherius Præpositus Cubiculi mittitur statim post eum si quid finxerit convicturus. Verum ille hoc nesciens, mox venit Mediolanum, strepens & tumultuans, ut erat vanidicus & amenti propior, admissus in Consistorium, Julianum ut procacem insimulat: jamque ad evagandum altius, validiores sibi pinnas aptare: ita enim cum motu quodam corporis loquebatur ingenti. Hæc eo fingente licentius, Eutherius ut postulavit inductus, jussusque loqui quod vellet, verecunde & modice docet velari veritatem mendaciis. Magistro enim armorum (ut credebatur) cessante consulto, industria vigili Cæsarem obsessum apud Senonas diu, barbaros repulisse: apparitoremque fidum auctori suo quoad vixerit fore, obligata cervice sua spondebat. Res monuit super hoc eodem Eutherio pauca subserere, forsitan non credenda; ea re quod si Numa Pompilius, vel Socrates bona quædam dicerent de spadone, dictisque religionum adderent fidem, à veritate descivisse arguerentur. Sed inter vepres rosæ nascuntur, & inter feras nonnullæ mitescunt. Itaque carptim ejus præcipua, quæ sunt comperta, monstrabo. Natus in Armenia sanguine libero, captusque à finitimis hostibus etiamtum parvulus, abstractis geminis, Romanis mercatoribus venumdatus, ad palatium Constantini deducitur: ubi paullatim adulescens rationem recte vivendi sollertiamque ostendebat, litteris quantum tali fortunæ satis esse poterat eruditus, cogitandi inveniendique dubia & scrupulosa acumine nimio præstans, immensum quantum memoria vigens, benefaciendi avidus, plenusque justi consilii: quem si Constans Imperator olim ex adulto jamque maturum audiret honesta suadentem & recta, nulla, vel venia certe digna peccasset. Is Præpositus Cubiculi etiam Julianum aliquoties corrigebat, Asiaticis coalitum moribus, ideoque levem. Denique digressus ad otium, adscitusque postea in palatium, semper sobrius, & in primis constans, ita fidem continentiamque virtutes coluit amplas, ut nec prodidisse aliquando arcanum, nisi tuendæ causa alienæ salutis, nec exarsisse cupidine plus habendi arcesseretur ut ceteri. Unde factum est, ut subinde Romam secedens, ibique fixo domicilio consenescens, comitem circumferens conscientiam bonam, colatur à cunctis ordinibus, & ametur; cum soleant id genus homines, post partas ex iniquitate divitias, latebras captare secretas, ut lucifugæ vitantes multitudinis læsæ conspectus. Cui spadonum veterum hunc comparare debeam, antiquitatem replicando compluries invenire non potui. Fuerunt enim apud veteres, licet oppido pauci, fideles & frugi, sed ob quædam vitia maculosi: inter præcipua enim quæ quisque studio possederat vel ingenio, aut rapax, aut feritate contentior fuit, aut propensior ad lædendum, vel diligentibus nimium blandus, aut potentiæ fastu superbior: ex omni latere autem ita peritum, neque legisse me, neque audisse confiteor, ætatis nostræ testimonio locupleti confisus. Verum si forte scrupulosus quidam lector antiquitatum, Menophilum Mithridatis Pontici Regis eunuchum nobis opponat, hoc monitu recordetur, nihil super eo relatum, præter id solum, quod in supremo discrimine gloriose monstravit. Ingenti prælio superatus à Romanis & Pompeio Rex prædictus, fugiensque ad regna Colchorum, adultam filiam nomine Drypetinam (*u*) vexatam asperitate morborum in castello Synhorio huic Menophilo commissam reliquit: qui virginem omni remediorum solatio plene curatam patri tutissime servans, cum à Manlio Prisco Imperatoris legato munimentum quo claudebatur, obsideri cœpisset, defensoresque ejus deditionem meditari (*x*) sentiret: veritus ne parentis opprobrio puella nobilis captiva superesset & violata, interfecta illa mox gladium in viscera sua compegit. Nunc redeam unde diverti.

CAP. VIII. Superato (ut dixi) Marcello, reversoque Serdicam (*y*), unde oriebatur, in castris Augusti per simulationem tuendæ majestatis Imperatoriæ multa & nefanda perpetrabantur. (*z*) Nam si quis super occentu soricis vel occursu mustelæ, vel similis signi gratia consuluisset quemquam peritum, aut anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem, (quod medicinæ quoque admittit auctoritas) reus unde non poterit opinari delatus, raptusque in judicium, pœnaliter interibat. Per id tempus fer .... num (*a*) quemdam nomine Danum, terrore tenus uxor rerum levium incusarat, certum an incertum, insontem Rufinus subsidebat: (quo indicante quædam cognita per Gaudentium Agentem in rebus, Consularem Pannoniæ tunc Africanum, cum convivis retulimus interfectum:(*b*) Apparitionis Præfecturæ Prætorianæ tum etiam Princeps ob devotionem. Is ut loquebatur jactantius, versabilem feminam post nefandum concubitum periculosam in fraudem illexit: suasitque consarcinatis mendaciis, læsæ majestatis arcessere maritum insontem: & fingere quod velamen purpureum à Diocletiani sepulcro furatus, quibusdam consciis occultabat. Hisque ad multorum exitium ita formatis, ipse spe potiorum ad Imperatoris pervolat castra, excitaturus calumnias consuetas. Reque comperta jubetur Mavortius tunc Præfectus Prætorio, vir sublimis constantiæ, crimen acri inqui-

Marcellus militia dimittitur.

Eutherius Julianum contra Marcellum defendit.

Eutherii laudes.

Menophilus Mithridatis regis eunuchus laudatur.

Delationes & calumniæ in castris Constantii.

Danus læsæ majestatis accusatus.

(*t*) al. parentibus. (*u*) al. Colchorum avita, filiam nomine Direptin &c. (*x*) al. meditantes. (*y*) al. Marcello eversoque, Sardicani. (*z*) al. perpetrabant. (*a*) alii sic supplent: Per id tempus fertur fuisse virum quemdam &c. (*b*) al. cum conviviis retulissent effectum. al. præfectum.

quiſitione ſpectare, juncto ad audiendi ſocietatem Urſulo Largitionum Comite, ſeveritatis itidem non improbandæ. Exaggerato itaque negotio ad arbitrium temporum, cum nihil poſt tormenta multorum inveniretur, judiceſque hærerent ambigui: tandem veritas reſpiravit oppreſſa, & in abrupto neceſſitatis mulier Rufinum totius machinæ confitetur auctorem, nec adulterii fœditate ſuppreſſa: ſtatimque legibus contemplatis, prout poſcebant ordo & juſtitia, ambos ſententia damnavere letali. Quo cognito Conſtantius fremens, & tamquam vindicem ſalutis ſuæ lugens exſtinctum, miſſis equitibus citis, Urſulum redire ad comitatum minaciter juſſit. Et ille ſpretis qui prohibebant, perrupit intrepidus: ingreſſuſque Conſiſtorium, ore & pectore libero docuit geſta: hacque fiducia linguis adulatorum occluſis, & Præfectum & ſe diſcrimine gravi ſubtraxit. Tunc illud apud Aquitanos evenit, quod latior fama vulgarat. Veterator quidam ad lautum convivium rogatus & mundum, qualia ſunt in his regionibus plurima, cum vidiſſet linteorum toralium par, duos clavos ita latiſſimos, ut ſibi viciſſim arte miniſtrantium cohærerent, menſamque operimentis paribus tectam: anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens, intrinſecus ſtructuram omnem ut amictus adornaverat principales quærens, patrimonium dives evertit. Malignitate ſimili quidam Agens in rebus in Hiſpania, ad cœnam itidem invitatus, cum inferentes veſpertina lumina pueros exclamaſſe audiſſet ex uſu, *Vincamus perun* .... ſollemne interpretatus atrociter, delevit nobilem domum. Hæc taliaque ideo magis magiſque creſcebant, quod Conſtantius impendio timidus, ſemper ſe feriri ſperabat, ut Dionyſius tyrannus ille Siciliæ: qui ob hoc idem vitium & tonſtrices docuit filias, ne cui alieno ora committeret leviganda: ædemque brevem ubi cubitare ſueverat, alta circumdedit foſſa, eamque ponte ſolubili ſuperſtravit: cujus disjectos aſſeres & axiculos ſecum in ſomnum abiens transferebat, eoſdemque compaginabat lucis initio proceſſurus. Inflabant itidem has malorum civilium buccinas potentes in regia, ea re, ut damnatorum petita bona ſuis adcorporarent, eſſetque materia per vicinitates eorum late graſſandi. Namque ut documenta liquida prodiderunt, proximorum fauces aperuit primus omnium Conſtantinus: ſed eos medullis provinciarum ſaginavit Conſtantius. Sub hoc enim ordinum ſingulorum auctores infinita cupidine divitiarum arſerunt, ſine juſtitiæ diſtinctione vel recti, inter ordinarios judices Rufinus primus Præfectus Prætorio: & inter militares equitum Magiſter Arbetio, Præpoſituſque Cubiculi Euſebius (*c*), &..... anus Quæſtor, & in Urbe Anicii, quorum ad avorum æmulationem poſteritas tendens, ſatiari numquam potuit cum poſſeſſione multo majore.

Rufinus capite punitur. U. C. 1108. p. C. N. 356.

Conſtantius timet inſidias.

CAP. IX. At Perſæ in Oriente per furta & latrocinia potius quam, ut ſolebant antea, per concurſatorias pugnas, hominum prædas agitabant & pecorum: quis nonnumquam lucrabantur (*d*) ut repentini; aliquoties ſuperati multitudine militum amittebant; interdum nihil proſpicere prorſus quod poterat rapi permittebantur (*e*). Muſonianus tamen Præfectus Prætorio, multis (ut ante diximus) bonis artibus eruditus, ſed venalis, & flecti à veritate pecunia facilis, per emiſſarios quoſdam fallendi perſtringendique gnaros, Perſarum ſciſcitabatur conſilia, aſſumpto in deliberationes hujuſmodi Caſſiano Meſopotamiæ Duce, ſtipendiis & diſcriminibus indurato diverſis. Qui cum fide concinente ſpeculatorum aperte cognoſſent, Saporem in extremis regni limitibus ſuorum ſanguine fuſo multiplici ægre propulſare gentes infeſtas; Tamſaporem (*f*) ducem parti noſtræ contiguum, occultis per ignotos milites tentavere colloquiis, ut ſi copiam fors dediſſet, ſuaderet Regi per litteras pacem tandem aliquando cum Principe Romano firmare, ut hoc facto latere ab omni ſecurus, perduelles advolaret adſiduos. Paruit Tamſapor, hiſque fretus refert ad Regem, quod bellis acerrimis Conſtantius implicatus, pacem poſtulat precativam. Dumque ad Chionitas & Euſenos hæc ſcripta mittuntur, in quorum confiniis agebat hiemem Sapor, tempus interſtitit longum.

Perſæ Orientem deprædantur.

Pacem cum Romanis facere conantur. U. C. 1108. p. C. N. 356.

CAP. X. Hæc dum per Eoas partes & Gallias pro captu temporum diſponuntur, Conſtantius tamquam recluſo Jani templo, ſtratiſque hoſtibus cunctis, Romam viſere geſtiebat, poſt Magnentii exitium abſque nomine ex ſanguine Romano triumphaturus. Nec enim gentem ullam bella cientem per ſe ſuperavit, aut victam fortitudine ſuorum comperit ducum, vel addidit quædam Imperio, aut uſquam in neceſſitatibus ſummis primus, vel inter primos eſt viſus: ſed ut pompam nimis extentam, rigentiaque auro vexilla, & pulcritudinem ſtipatorum oſtenderet agenti tranquillius Populo, hæc vel ſimile quidquam videre nec ſperanti umquam nec optanti. Ignorans fortaſſe, quoſdam veterum Principum in pace quidem lictoribus fuiſſe contentos: ubi vero præliorum ardor nihil perpeti poterat ſegne, alium anhelante rabido flatu (*g*) ventorum lenunculo ſe commiſiſſe piſcantis, alium ad Deciorum exempla voviſſe pro Republica ſpiritum, alium hoſtilia caſtra per ſemetipſum cum militibus infimis exploraſſe: diverſos (*h*) denique actibus inclaruiſſe magnificis, ut glorioſas ſuas res poſteritati celebri memoria commendarent. Ut igitur multa quæque conſumpta ſunt in apparatu...... ſecunda Orfiti Præfectura, tranſcurſo Ocriculo, elatus honoribus magnis, ſtipatuſque agminibus formidandis, tamquam acie ducebatur inſtructa, omnium oculis in eo contuitu pertinaci intentis. Cumque Urbi propinquaret, Senatus officia, reverendaſque Patriciæ ſtirpis effigies ore ſereno contemplans, non ut Cineas ille Pyrrhi legatus in unum coactam multitudinem Regum, ſed aſylum mundi totius adeſſe exiſtimabat. Unde cum ſe vertiſſet ad plebem, ſtupebat qua celeritate omne quod ubique eſt hominum genus confluxerit Romam: & tamquam Euphratem

Conſtantii Auguſti militaris ac velut triumphalis in Urbem Romam adventus.

(*c*) alii Tò Euſebius omittunt. (*d*) al. lucrabatur. (*e*) al. percutebantur. (*f*) al. Tanſaporem al. Tomen Saporem. (*g*) al. avido ſtatu. (*h*) al. diverſis.

phratem armorum ſpecie territurus aut Rhenum, altrinſecus præeuntibus ſignis, inſidebat aureo ſolus ipſe carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum: quo micante, lux quædam miſceri videbatur alterna. Eumque poſt antegreſſos multiplices alios, purpureis ſubteminibus texti circumdedere dracones, haſtarum aureis gemmatiſque ſummitatibus illigati, hiatu vaſto perflabiles, & ideo velut ira perciti ſibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum. Et incedebat hinc inde ordo geminus armatorum, clypeatus atque criſtatus, coruſco lumine radians, nitidis loricis indutus; ſparſique cataphracti equites, quos clibanarios dictitant Perſæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes ſimulacra: non viros: quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti: ut quocumque artus neceſſitas commoviſſet, veſtitus congrueret junctura cohærenter aptata. Auguſtus itaque fauſtis vocibus appellatus, montium litorumque intonante fragore cohorruit, talem ſe tamque immobilem, qualis in provinciis ſuis viſebatur, oſtendens. Nam & corpus perhumile curvabat portas ingrediens celſas, & velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra vultum, nec læva flectebat, tamquam figmentum hominis: non cum rota concuteret nutans, nec ſpuens, aut os aut naſum tergens vel fricans, manumve agitans viſus eſt umquam. Quæ licet affectabat, erant tamen hæc & alia quædam in citeriore *(i)* vita patientiæ non mediocris indicia, ut exiſtimari dabatur, uni illi conceſſæ. Quod autem per omne tempus Imperii, nec in conſeſſum vehiculi quemquam ſuſcepit, nec in trabea ſocium privatum adſcivit, ut fecere Principes conſecrati, & ſimilia multa, quæ *(k)* elatus in arduum ſupercilium tamquam leges æquiſſimas obſervavit, prætereo, memor ea me retuliſſe cum incidiſſent. Proinde Romam ingreſſus, Imperii virtutumque omnium larem: cum veniſſet ad Roſtra, perſpectiſſimum priſcæ potentiæ Forum obſtupuit: perque omne latus, quo ſe oculi contuliſſent, miraculorum denſitate præſtrictus, allocutus Nobilitatem in Curia, Populumque è tribunali, in Palatium receptus favore multiplici, lætitia fruebatur optata: & ſæpe cum equeſtres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec ſuperbæ, nec à libertate coalita deſciſcentis, reverenter modum ipſe quoque debitum ſervans. Non enim, ut per civitates alias, ad arbitrium ſuum certamina finiri patiebatur: ſed ut mos eſt, variis caſibus permittebat. Deinde intra ſeptem montium culmina, per acclivitates planitiemque poſita Urbis membra colluſtrans & ſuburbana, quidquid viderat primum, id eminere inter alia cuncta ſperabat: Jovis Tarpei delubra: quantum terrenis divina præcellunt: lavacra in modum provinciarum exſtructa: Amphitheatri molem ſolidatam lapidis Tiburtini compage: ad cujus ſummitatem ægre viſio humana conſcendit: Pantheum velut regionem teretem, ſpecioſa celſitudine fornicatam; elatoſque vertices qui ſcanſili ſuggeſtu conſurgunt, priorum Principum imitamenta portantes, & Urbis templum, forumque Pacis, & Pompeii theatrum, & Odeum, & ſtadium, aliaque inter hæc decora Urbis æternæ. Verum cum ad Trajani forum veniſſet, ſingularem ſub omni cœlo ſtructuram, ut opinamur, etiam numinum aſſenſione mirabilem, hærebat attonitus, per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu ineffabiles, nec rurſus mortalibus appetendos. Omni itaque ſpe hujuſmodi quidpiam conandi depulſa, Trajani equum ſolum locatum in atrii medio, qui ipſum Principem vehit, imitari ſe velle dicebat, & poſſe. Cui prope adſtans Regalis Hormiſda, cujus è Perſide diſceſſum ſupra monſtravimus, reſpodit geſtu gentili: *Ante*, inquit, *Imperator ſtabulum tale condi jubeto, ſi vales: equus quem fabricare diſponis, ita late ſuccedat, ut iſte quem videmus.* Is ipſe interrogatus, quid de Roma ſentiret, *id tantum ſibi placuiſſe* aiebat, *quod didiciſſet ibi quoque homines mori.* Multis igitur cum ſtupore viſis horrendo, Imperator de fama *(l)* querebatur ut invalida vel maligna, quod augens omnia ſemper in majus, erga hæc explicanda quæ Romæ ſunt obſoleſcit: deliberanſque diu quid ageret, Urbis addere ſtatuit ornamentis, ut in proximo circo erigeret obeliſcum, cujus originem formamque loco competenti monſtrabo. Inter hæc Helenæ ſorori Conſtantii, Juliani conjugi Cæſaris, Romam adfectionis ſpecie ductæ, Regina tunc inſidiabatur Euſebia, ipſa quoad vixerat ſterilis: quæſitumque venenum bibere per fraudem illexit, ut quotieſcumque conce piſſet, immaturum abjiceret partum. Nam & pridem in Galliis, cum marem genuiſſet infantem, hoc perdidit dolo, quod obſtetrix corrupta mercede, mox natum præfecto pluſquam convenerat umbilico necavit: tanta tamque diligens opera navabatur, ne fortiſſimi viri ſoboles appareret. Cupiens itaque auguſtiſſima omnium ſede morari diutius Imperator, ut otio puriore frueretur & voluptate, adſiduis nuntiis terrebatur & certis, indicantibus Suevos Rhætias incurſare, Quadoſque Valeriam, & Sarmatas, latrocinandi peritiſſimum genus, ſuperiorem Mœſiam & ſecundam populari Pannoniam: quibus percitus, triceſimo poſtquam ingreſſus eſt die, IV. Kal. Junias ab Urbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum feſtinavit. Unde miſſo in locum Marcelli Severo, bellorum uſu & maturitate firmato, Urſicinum ad ſe venire præcepit. Et ille litteris gratanter acceptis, Sirmium venit, comitantibus ſociis: libratiſque diu ſuper pace conſiliis, quam fundari poſſe cum Perſis Muſonianus retulerat, in Orientem cum Magiſterii remittitur poteſtate: provectis è conſortio noſtro ad regendos milites natu majoribus, adoleſcentes eum ſequi jubemur, quidquid pro Republica mandaverit impleturi.

Hormiſdæ reſponſum ad Conſtantium Auguſtum.

Ejuſdem judicium de Roma.

Euſebia uxor Conſtantii Helenæ uxori Juliani inſidiatur.

Conſtantius Imperator contra Barbaros proficiſcitur.

CAP. XI. At Cæſar exacta apud Senonas hieme trubulenta, Auguſto novies, ſeque iterum Conſule Germanicis undique circumfrementibus minis, ſecundis ominibus motus, Re-

Julianus Alemanos aggreditur.

U.C. 1108. p. C.N. 356.

Mmm

(i) al. cætera. *(k)* al. alii τὸ quæ omittunt. *(l)* al. Imperatori fama &c.

Remos properavit, alacrior magiſque lætus, quod exercitum regebat Severus, nec diſcors, nec arrogans, ſed longa militiæ frugalitate compertus, & eum recta præeuntem ſecuturus, ut ductorem morigerus miles. Parte alia Barbatio poſt Silvani interitum promotus ad peditum Magiſterium, ex Italia juſſu Principis cum XXV. millibus armatorum Rauracos venit. Cogitatum eſt enim, ſolliciteque præſtructum, ut ſævientes ultra ſolitum Alemanni, vagantesque fuſius, multitudine geminata noſtrorum, forcipis ſpecie truſi in anguſtias cæderentur. Dum hæc tamen rite diſpoſita celerantur, læti barbari ad tempeſtiva furta ſollertes, inter utriuſque exercitus caſtra occulte tranſgreſſi, invaſere Lugdunum incautam: eamque populatam niſu valido concremaſſent, ni clauſis aditibus repercuſſi, quidquid extra oppidum potuit inveniri, vaſtaſſent. Qua clade cognita, agili ſtudio Cæſar miſſis cuneis tribus equitum expeditorum & fortium, tria obſervavit itinera, ſciens per ea erupturos proculdubio graſſatores: nec conatus irritus fuit. Cunctis enim qui per eos tramites exiere truncatis: receptaque præda omni intacta, hi ſoli innoxii abſoluti ſunt, qui per vallum Barbationis tranſiere ſecuri: ideo labi permiſſi, quod Bainobaudes Tribunus & Valentinianus poſtea Imperator, cum equeſtribus turmis quas regebant, ad exſequendum id ordinati, à Cella Tribuno Scutariorum, qui Barbationi ſociatus venerat ad procinctum, iter obſervare ſunt vetiti, unde redituros didicere Germanos. Quo non contentus Magiſter peditum ignavus, & gloriarum Juliani pervicax obtrectator, ſciens ſe id contra utilitatem Romanam juſſiſſe, (hoc enim cum argueretur, Cella confeſſus eſt) relatione fefellit Conſtantium: finxitque hos eoſdem Tribunos ad ſollicitandos milites quos duxerat per ſpeciem veniſſe negotii publici: qua cauſa, abrogata poteſtate ad lares rediere privati. Iiſdem diebus exercituum adventu perterriti barbari: qui domicilia fixere cis Rhenum, partim difficiles vias & ſuapte natura clivoſas concædibus clauſere ſollerter, arboribus immenſi roboris cæſis: alii occupatis inſulis ſparſis crebro per flumen Rhenum: ululantes lugubre conviciis & Romanos inceſſebant & Cæſarem. Qui graviore motu animi percitus, ad corripiendos aliquos, ſeptem à Barbatione petierat naves, ex his quas velut tranſiturus amnem, ad compaginandos paraverat pontes: qui ne quid per eum impetraretur, omnes incendit. Doctus denique exploratorum delatione recens captorum, æſtate jam torrida fluvium vado poſſe tranſiri, hortatus auxiliares velites cum Bainobaude Cornutorum Tribuno miſit, facinus memorabile ſi juviſſet fors patraturos. Qui nunc incedendo per brevia, aliquoties ſcutis in modum alveorum ſuppoſitis nando ad inſulam venere propinquam: egreſſique promiſcue virile & muliebre ſecus, *(m)* ſine ætatis ullo diſcrimine, trucidabant ut pecudes: nactique vacuas lintres, per eas licet vacillantes evecti, hujuſmodi loca plurima perruperunt: & ubi cædendi ſatietas cepit, opimitate prædarum onuſti, cujus partem vi fluminis amiſerunt, rediere omnes incolumes. Hocque comperto reſidui Germani, ut infido præſidio inſularum relicto, ad ulteriora neceſſitudines & fruges opeſque barbaricas contulerunt. Converſus hinc Julianus ad reparandas Tres-tabernas, munimentum ita cognominatum, haud ita dudum obſtinatione ſubverſum hoſtili; (quo ædificato conſtabat ad intima Galliarum, ut conſueverant, adire Germanos arceri) & opus ſpe celerius conſummavit, & victum defenſoribus ibi locandis ex barbaricis meſſibus, non ſine diſcriminis metu collectum militis manu, condidit in uſus anni totius. Nec ſane hoc ſolo contentus, ſibi quoque viginti dierum alimenta parata collegit. Libentius enim bellatores quæſito dextris propriis utebantur, admodum indignati quoniam ex commeatu qui eis recens advectus eſt, ideo nihil ſumere potuerunt, quod partem ejus Barbatio, cum tranſiret juxta, ſuperbe præſumpſit, reſiduum quod ſuperfuit, congeſtum in acervum exuſſit: quæ utrum ut vanus gerebat & demens, an mandatu Principis confidenter nefanda multi tentabant, uſque in id temporis latuit. Illud tamen rumore tenus ubique jactabatur, quod Julianus non levaturus incommoda Galliarum electus eſt, ſed ut poſſit per bella deleri ſæviſſima: rudis etiamtum ut exiſtimabatur, ac ne ſonitum quidem duraturus armorum. Dum caſtrorum opera mature conſurgunt, militiſque pars ſtationes prætendit agrarias, alias frumenta inſidiarum metu colligit caute: multitudo barbarica rumorem nimia velocitate præverſa, Barbationem cum exercitu quem regebat (ut prædictum *(n)* eſt) Gallico vallo diſcretum, impetu repentino aggreſſa, ſequenſque fugientes aduſque Rauracos, & ultra quoad potuit, rapta ſarcinarum & jumentorum cum calonibus parte maxima, redit ad ſuos. Et ille tamquam expeditione eventu proſpero terminata, milite diſperſo per ſtationes hibernas, ad comitatum Imperatoris revertit, crimen compoſiturus in Cæſarem, ut ſolebat *(o)*.

In inſulis Rheni, quo ſe & ſua receperunt.

Julianus Tres Tabernas adverſus Alemannos reparat.

U. C. 1109. p. C. N. 357.

Barbatio ab Alemannis fugatur,

Et Julianum calumniatur.

CAP. XII. Quo diſpalato fœdo terrore, Alemannorum Reges Chnodomarius & Veſtralpus, Urius quinetiam & Urſicinus cum Serapione & Suomario & Hortario, in unum robore virium ſuarum omni collecto, conſedere *(p)* prope urbem Argentoratum, extrema metuentem Cæſarem arbitrari retroceſſiſſe, cum ille tum *(q)* etiam perficiendi munimenti ſtudio ſtringeretur. Erexit autem confidentiam caput altius adtollentium *(r)* Scutarius perfuga: qui commiſſi criminis metuens pœnam, tranſgreſſus ad eos poſt Ducis fugati diſceſſum, armatorum tredecim millia tantum remanſiſſe cum Juliano docebat: is enim numerus eum ſequebatur, barbara feritate certaminum rabiem undique concitante. Cujus aſſeveratione eadem ſubinde replicantis, ad majora ſtimulati fiducia, miſſis legatis ſatis pro Imperio Cæſari mandaverunt, ut terris abſcederet

Alemannorum reges Romanos adoriuntur.

(m) al. virilis & muliebris ſexus *(n)* al. ut dictum. *(o)* alii verba ut ſolent, omittunt. *(p)* al. collecto bello, cumque fœdere conſedere &c. *(q)* alii τὸ tum omittunt. *(r)* al. adtollentem.

deret virtute sibi quæsitis & ferro: qui ignarus pavendi, nec ira nec dolore perculsus, sed fastus barbaricos ridens, detentis (s) legatis adusque perfectum opus castrorum, in eodem gradu constantiæ stetit immobilis. Agitabat autem miscebatque omnia sine modo, ubique sese diffunditans, & princeps audendi periculosa Rex Chnodomarius, ardua subrigens supercilia, ut sæpe secundis rebus elatus. Nam & Decentium Cæsarem superavit æquo marte congressus, & civitates erutas multas vastavit & opulentas, licentiusque diu nullo refragante Gallias persultavit. Ad cujus roborandam fiduciam recens quoque fuga Ducis accessit, numero præstantis & viribus. Alemanni enim scutorum insignia contuentes, norant eos milites permisisse paucis suorum latronibus terram, quorum metu aliquoties eum gradum conferrent, amissis pluribus abiere dispersi. Quæ anxie ferebat sollicitus Cæsar, quod trudente ipsa necessitate digresso periculis, cum paucis licet fortibus, populosis gentibus occurrere cogebatur. Jamque solis radiis rutilantibus, tubarumque concinente clangore, pedestres copiæ lentis incessibus educuntur, earumque lateri equestres conjunctæ sunt turmæ, inter quas cataphractarii (t) erant & sagittarii, formidabile genus armorum. Et quoniam à loco unde Romana promota sunt signa, adusque vallum barbaricum quarta leuga signabatur & decima, id est unum & viginti millia passuum: utilitati securitatique recte consulens Cæsar, revocatis præcursatoribus jam antegressis, indictaque solitis vocibus quiete, cuneatim circumsistentes alloquitur genuina placiditate sermonis: *Urget ratio salutis tuendæ communis, ut parcissime dicam, non jacentis animi Cæsarem hortari vos, & orare commilitones mei, ut adulta robustaque virtute consisi, cautiorem viam potius eligamus ad toleranda vel depellenda quæ sperantur, non præproperam & ancipitem. Ut enim in periculis juventutem (u) impigram esse convenit & audacem; ita cum res postulat, regibilem & consultam. Quod (x) igitur censeo, si arbitrium adfuerit vestrum, justaque sustinet indignatio, paucis absolvam. Jam dies in meridiem vergit; lassitudine non itineris fatigatos scrupulosi tramites excipient & obscuri; non senescente Luna nullis sideribus adjuvanda; terræ protinus æstu flagrantes, nullis aquarum subsidiis fultæ: quæ si dederit quisquam commode posse transiri, ruentibus hostium examinibus post otium cibique refectionem & potus, quid nos aginus? quo vigore, inedia, siti, laboreque membris marcentibus occurramus? Ergo quoniam negotiis difficillimis sæpe dispositis tempestiva prospexit, & statum nutantium rerum recto consilio in bonam partem accepto, aliquoties divina remedia repararunt, hic quæso vallo fossaque circumdati, divisis vigiliis quiescamus, somnoque & victu congruis potiti pro tempore, pace Dei sit dictum, triumphaturas aquilas & vexilla victricia primo lucis moveamus exordio.* Nec finiri perpessi quæ dicebantur, stridore dentium infrendentes, ardoremque pugnandi hastis illidendo scuta monstrantes, in hostem se duci jam conspicuum exorabant, cœlitis Dei favore, fiduciaque sui, & fortunati rectoris expertis virtutibus freti: atque ut exitus docuit, salutaris quidam Genius præsens ad dimicandum eos, dum adesse potuit, incitabat. Accessit huic alacritati plenus celsarum potestatum assensus, maximeque Florentii Præfecti Prætorio, periculose quidem, sed ratione secunda pugnandum esse censentis (y), dum instarent barbari conglobati: qui si diffluxissent (z), motum militis in seditiones nativo calore propensioris ferri non posse aiebat, extortam sibi victoriam, ut putavit, non sine ultimorum conatu graviter toleraturi. Addiderat autem fiduciam nostris consideratio gemina: recordantibus quod anno nuper emenso Romanis per Transrhenana spatia fusius volitantibus, nec visus est quisquam laris sui defensor, nec obvius stetit: sed concæde arborum densa undique semitis clausis, sidere urente brumali, ægre vixere barbari longius amandati: quodque Imperatore terras eorum ingresso, nec resistere ausi, nec apparere, pacem impetraverunt suppliciter obsecrantes. Sed nullus mutatam rationem temporis advertebat, quod tunc tripertito exitio premebantur: Imperatore urgente per Rhætias, Cæsare proximo nusquam elabi permittente, finitimis quos hostes fecere discordiæ, modo non occipitia conculcantibus hinc indeque cinctorum. Postea vero pace data, discesserat Imperator: & sedata jurgiorum materia, vicinæ gentes jam concordabant: & turpissimus Ducis Romani digressus ferociam natura conceptam auxit in majus. Alio itidem modo res est aggravata Romana ex negotio tali. Regii duo (a) fratres vinculo pacis adstricti, quam anno præterito impetraverant à Constantio, nec tumultuare, nec commoveri sunt ausi. Sed paullo postea uno ex his Gundomado, qui potior erat fideique firmioris, per insidias interempto, omnis ejus populus cum nostris hostibus conspiravit: & confestim Vadomarii plebs, ut asserebat, agminibus bella cientium barbarorum sese conjunxit. Cunctis igitur summis infimisque approbantibus tunc opportune congrediendum, nec de rigore animorum quidquam remittentibus, exclamavit subito Signifer: *Perge, felicissime omnium Cæsar, quo te fortuna prosperior ducit: tandem per te virtutem & consilia militare sentimus. I prævius ut faustus antesignanus & fortis: experieris quid miles sub conspectu bellicosi ductoris, testisque individui gerendorum, modo adsit superum numen, iis rebus efficiet excitatus.* His auditis, cum nullæ laxarentur induciæ, promotus exercitus prope collem advenit molliter editum, opertum segetibus jam maturis, à superciliis Rheni haud longo intervallo distantem: è cujus summitate speculatores hostium tres equites exciti, subito nuntiaturi Romanum exercitum adventare: festinarunt ad suos: unus vero pedes, qui sequi non potuit, captus agilitate nostrorum indicavit, per triduum & trinoctium flumen transisse Germanos. Quos cum jam prope densantes semet in cuneos nostrorum conspexere ductores, steterunt vestigiis fixis, Antepila-

Superant Decentium Cæsarem.

Juliani oratio ad milites.

Florentii Præfecti Prætorio consilium de pugna cum Alemannis.

Romani aggrediuntur Alemannos.

Acies Romanorum.

(s) al. retentis. (t) al. cataphracti. (u) al. *virtutem.* (x) al. *Id.* (y) al. consentientibus. (z) al. deflexissent. (a) al. Resi duo.

tepilanis Hastatisque & Ordinum primis velut insolubili muro fundatis: & pari cautela hostes stetere cunctati. Cumque ita ut antedictus docuerat perfuga, equitatum omnem à dextro latere sibi vidissent oppositum, quidquid apud eos per equestres copias præpollebat, in lævo cornu locavere confertum. Iisdemque sparsim pedites miscuere discursatores & leves, profecto ratione tuta poscente. Norant enim licet prudentem ex equo bellatorem cum clibanario nostro congressum, frena retinentem & scutum, hasta una manu vibrata, tegminibus ferreis abscondito bellatori nocere non posse: peditem vero inter ipsos discriminum vertices, cum nihil caveri solet præter id quod occurrit, humi occulte (*b*) reptantem, latere forato jumenti, incautum rectorem præcipitem agere, levi negotio trucidandum. Hoc itaque disposito, dextrum sui latus struxere claudestinis insidiis & obscuris. Ductabant autem populos omnes pugnaces & sævos Chnodomarius & Serapio, potestate excelsiores ante alios Reges. Et Chnodomarius quidem nefarius belli (*c*) totius incentor, cujus vertici flammeus torulus aptabatur, anteibat cornu sinistrum audax & fidens ingenti robore lacertorum, ubi ardor prælii sperabatur immanis, equo spumante sublimior, erectus in jaculum formidandæ vastitatis, armorumque nitore conspicuus, antea strenuus & miles, & utilis præter ceteros ductor. Latus vero dextrum Serapio agebat, etiam tum adultæ lanuginis juvenis, efficacia præcurrens ætatem: Mederichi fratris Chnodomarii filius, hominis quoad vixerat perfidissimi: ideo sic appellatus, quod pater ejus diu obsidatus pignore tentus in Galliis, doctusque Græca quædam arcana, hunc filium suum Agenarichum genitali vocabulo dictitatum, ad Serapionis transtulit nomen. Hos sequebantur potestate proximi Reges numero quinque, Regalesque decem, & Optimatum series magna, armatorumque (*d*) millia triginta & quinque, ex variis nationibus partim mercede, partim pacto vicissitudinis reddendæ quæsita. Jamque torvum concrepantibus tubis, Severus Dux Romanorum aciem dirigens lævam, cum prope fossas armatorum refertas venisset, unde dispositum erat ut abditi repente exorti cuncta turbarent: stetit impavidus: suspectiorque de obscuris, nec referre gradum, nec ulterius ire tentavit. Quo viso, animosus contra labores maximos Cæsar, ducentis equitibus sæptus, ut (*e*) ardor negotii flagitabat, agmina peditum impetu veloci discurrens verbis hortabatur. Et cum alloqui pariter omnes, nec longitudo spatiorum extenta, nec in unum coactæ multitudinis permitteret crebritas, (& alioquin vitabat gravioris invidiæ pondus, ne videretur id affectasse, quod sibi soli deberi Augustus existimabat) cautior sui, hostium tela prætervolans, his & similibus notos pariter & ignotos ad faciendum fortiter (*f*) accendebat: *Advenit, ô socii, justum pugnandi jam tempus, olim exoptatum mihi vobiscum: quod antehac arcessentes, arma inquietis motibus poscebatis.* Item cum ad alios Postsignanos in acie locatos extrema venisset: *En*, inquit, *commilitones, diu speratus præsto est dies, compellens nos omnes elutis pristinis maculis Romanæ majestati reddere proprium decus. Hi sunt barbari, quos rabies & immodicus furor ad perniciem rerum suarum coëgit occurrere, nostris viribus opprimendos.* Alios itidem bellandi usu diutino callentes aptius ordinans, his exhortationibus adjuvabat: *Exsurgamus viri fortes; propellamus fortitudine congrua illisa nostris partibus probra: quæ contemplans, Cæsaris nomen cunctando suscepi.* Quoscumque autem pugnæ signum inconsulte poscentes, rupturosque Imperium irrequietis motibus prævideret: (*g*) *Quæso*, inquit, *ne hostes vertendos in fugam sequentes avidius, futuræ victoriæ gloriam violetis, neu quis ante necessitatem ultimam cedat. Nam fugituros proculdubio deseram: hostium terga cæsuris adero indiscretus, si hoc pensatione moderata fiat & cauta.* Hæc aliaque in eumdem modum sæpius replicando, majorem exercitus partem primæ barbarorum opposuit fronti: & subito Alemannorum peditum fremitus indignationi mistus auditus est, unanimi conspiratione vociferantium, relictis equis secum oportere versari Regales: ne si quid contigisset adversum, deserta miserabili plebe facilem discedendi copiam reperirent. Hoc comperto, Chnodomarius jumento statim desiluit, & secuti eum residui idem facere nihil morati, nec enim eorum quisquam ambigebat partem suam fore victricem. Dato igitur ahenatorum accentu solemniter signo, ad pugnandum utrimque magnis concursum est viribus. Propilabantur missilia, & properantes cito quam considerato cursu Germani, telaque dextris explicantes, involavere nostrorum equitum turmas, frendentes immania: eorumque ultra solitum sævientium comæ fluentes horrebant, & elucebat quidam ex oculis furor: quos contra pertinax miles scutorum obicibus vertices tegens, ejectansque gladios, vel tela concrispans mortem minitantia perterrebat. Cumque in ipso præliorum articulo eques se fortiter conturmaret, & muniret latera sua firmius pedes, frontem artissimis conserens parmis: erigebantur crassi pulveris nubes, variique fuere discursus, nunc resistentibus, nunc cedentibus nostris: & obnixi genibus quidam barbari peritissimi bellatores, hostem propellere laborabant: sed destinatione nimia dexteræ dexteris miscebantur, & umbo trudebat umbonem: cœlumque exsultantium cadentiumque resonabat à vocibus magnis: & cum cornu sinistrum altius gradiens, urgentium tot agmina Germanorum vi nimia pepulisset, iretque in barbaros fremens, equites nostri cornu tenentes dextrum, præter spem incondite discesserunt: dumque primi fugientium postremos impediunt, gremio legionum protecti, fixerunt integrato prælio gradum. Hoc autem exinde acciderat, quod dum ordinum restituitur series, cataphracti equites viso rectore suo leviter vulnerato, & consorte quodam per cervicem equi labentis pondere armorum oppresso, dilapsi qua quisque poterat, peditesque calcando

Et Alemannorum.

Julianus suos ad pugnam exeitat.

Pugna.

Equites Romani repelluntur.

(*b*) al. humiliter occulti. (*c*) al. boni. (*d*) al. armatorum. (*e*) alii τὸ ut omittunt (*f*) alii τὸ fortiter omittunt, (*g*) al. pervideret.

do cuncta turbassent, ni conferti illi sibique vicissim innixi stetissent immobiles. Igitur cum equites nihil præter fugæ circumspectantes præsidia, vidisset longius Cæsar, concito equo eos velut repagulum quoddam cohibuit. Quo agnito per purpureum signum Draconis, summitati hastæ longioris aptatum, velut senectutis pandentis exuvias, stetit unius turmæ Tribunus: & pallore timoreque perculsus, ad aciem integrandam recurrit. Utque in rebus amat fieri dubiis, eosdem lenius increpans Cæsar: *Quo*, inquit, *cedimus, viri fortissimi? an ignoratis fugam, quæ salutem numquam reperit, irriti conatus stultitiam indicare? redeamus ad nostros, saltem gloriæ futuri participes, si eos pro Republica dimicantes non relinquimus inconsulte.* Hæc reverenter dicendo, reduxit omnes ad munia subeunda bellandi, imitatus salva differentia (*h*) veterem Sullam: qui cum contra Archelaum Mithridatis ducem educta acie prælio fatigabatur ardenti, relictus à militibus cunctis, cucurrit in ordinem primum, raptoque & conjecto vexillo in partem hostilem, *Ite*, dixerat, *socii periculorum electi, & scitantibus ubi relictus sim Imperator, respondete nihil fallentes, solus in Bœotia pro omnibus nobis cum dispendio sanguinis sui decernens.* Proinde Alemanni pulsis disjectisque equitibus nostris, primam aciem peditum incesserunt, eam abjecta resistendi animositate pulsuri. Sed postquam comminus ventum est, pugnabatur paribus diu momentis. Cornuti enim & Braccati (*i*), usu præliorum diuturno firmati, eos jam gestu terrentes, barritum civere vel maximum: qui clamor ipso fervore certaminum à tenui susurro exoriens, paullatimque adulescens: ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum: jaculorum deinde stridentium crebritate hinc inde convolante, pulvis æquali motu assurgens, & prospectum eripiens, arma armis, corpora corporibus obtrudebat. Sed violentia iraque imcompositi barbari in modum exarsere flammarum, nexamque scutorum compagem, quæ nostros in modum testudinis tuebatur, scindebant ictibus gladiorum adsiduis. Quo cognito, opitulatum conturmalibus suis celeri cursu Batavi venere cum Regibus: (formidabilis manus, extremæ necessitatis articulo circumventos, si juvisset fors, ereptura.) torvumque canentibus classicis, adultis viribus certabatur. Verum Alemanni bellum acriter ineuntes, altius anhelabant, velut quodam furoris affectu opposita omnia deleturi. Spicula tamen verutaque (*k*) missilia non cessabant, ferrateæque arundines fundebantur: quamquam etiam (*l*) comminus mucro feriebat contra mucronem, & loricæ gladiis findebantur, & vulnerati nondum effuso cruore, ad audendum exertius (*m*) consurgebant. Pares enim quodammodo coïvere cum paribus, Alemanni robusti & celsiores; milites usu nimio dociles: illi feri & turbidi; hi quieti & cauti: animis isti fidentes; grandissimis illi corporibus freti. Resurgebat tamen aliquoties armorum pondere pulsus loco Romanus: lassatisque impressus (*n*) genibus, lævum reflectens poplitem barbarus subsidebat, hostem ultro lacessens: quod indicium est obstinationis extremæ. Exsiluit itaque subito ardens Optimatium globus, inter quos decernebant & Reges, & sequente vulgo ante alios agmina nostrorum irrupit, & iter sibi aperiendo (*o*) adusque Primanorum legionem pervenit, locatam in medio (quæ confirmatio Castra Prætoria dictitatur) ubi densior & ordinibus frequens miles, instar turrium fixa firmitate consistens, prælium majore spiritu repetivit: & vulneribus declinandis intentus, seque in modum mirmillonis operiens, hostium latera, quæ nudabat ira flagrantior, districtis gladiis perforabat. At illi prodigere vitam pro victoria contendentes, tentabant agminis nostri laxare compagem. Sed continuata serie peremptorum, quos Romanus jam fidentior stravit, succedebant barbari superstites interfectis: auditoque occumbentium gemitu crebro, pavore perfusi torpebant. Fessi denique tot ærumnis, & ad solam deinceps strenui fugam, per diversos tramites tota celeritate egredi festinabant: ut è mediis sævientis pelagi fluctibus, quocumque avexerit ventus, ejici nautici properant & vectores: quod voti magis quam spei fuisse, fatebitur quilibet tunc præsens. Aderatque (*p*) propitiati numinis arbitrium clemens: & secans terga cedentium miles, cum interdum flexis ensibus feriendi non suppeterent instrumenta, ipsis barbaris tela eorum vitalibus immergebat: nec quisquam vulnerantium sanguine iram explevit, nec satiavit cæde multiplici dexteram, vel miseratus supplicantem abscessit. Jacebant itaque plurimi transfixi letaliter, remedia mortis compendio postulantes: alii semineces labente jam spiritu, lucis usuram oculis morientibus inquirebant: quorumdam capita discissa trabalibus telis, & pendentia jugulis cohærebant: pars per lutosum & lubricum solum in sociorum cruore lapsi, intactis ferro corporibus, acervis superruentium obruti necabantur. Quæ ubi satis evenere prosperrime, validius instante victore, acumina densis ictibus hebescebant, splendentesque galeæ sub pedibus volvebantur, & scuta: ultimo denique trudente discrimine barbari, cum elati cadaverum aggeres exitus impedirent, ad (*q*) subsidia fluminis petivere; quæ sola restabant, eorum terga jam perstringentis. (*r*) Et quia cursu sub armis concito fugientes miles indefessus urgebat: quidam nandi peritia eximi se posse discriminibus arbitrati, animas fluctibus commiserunt. Qua causa celeri corde futura prævidens Cæsar, cum Tribunis & Ducibus clamore objurgatorio prohibebat, ne hostem avidius sequens nostrorum quisquam se gurgitibus committeret verticosis. Unde id observatum est, ut marginibus insistentes confoderent telorum varietate Germanos: quorum si quem morti velocitas subtraxisset, jacti corporis pondere ad ima fluminis subsidebat. Et velut in quodam theatrali spectaculo aulæis miranda monstrantibus, multa licebat jam sine metu videre: nandi strenuis

Julianus pugnam restaurat.

Alemanni acriter instant.

Alemanni fugantur.

Clades Alemannorum. U. C. 1109, p. C. N. 357.

(*h*) alii verba, salva differentia omittunt. (*i*) al. Brachati. al. Bracchiati. (*k*) al. verrutaque. (*l*) al. enim. (*m*) al. exercitus. (*n*) al. impressis (*o*) al. pariendo. (*p*) al. Adorant. (*q*) ali τὸ ad omittunt. (*r*) al. perstringentes.

nuis quosdam nescios adhærentes (s); fluitantes alios, cum expeditioribus linquerentur (t) ut stipites; & velut luctante amnis violentia, vorari quosdam fluctibus involutos; nonnullos clypeis vectos, præruptas undarum occursantium moles obliquatis meatibus declinantes, ad ripas ulteriores post multa discrimina pervenire. Spumans denique cruore barbarico decolor alveus insueta stupebat augmenta. (u)

Chnodomarius Rex Alemannorum in deditionem Romanorum venit.

Dum hæc aguntur, Rex Chnodomarius reperta copia discedendi, lapsus per funerum strues, cum satellitibus paucis celeritate rapida properabat ad castra, quæ prope Tribuncos (x) & Concordiam munimenta Romana fixit intrepidus, ut escensis navigiis, dudum paratis ad casus ancipites, in secretis se secessibus amandaret. (y) Et quia nonnisi Rheno transito ad tentoria sua poterat pervenire, vultum ne agnosceretur operiens, sensim retulit pedem. Cumque propinquaret jam ripis, lacunam palustribus aquis interfusam circumgrediens ut transiret, calcata mollitie glutinosa, equo est evolutus: & confestim licet obeso corpore gravior, ad subsidium vicini collis evasit: quem agnitum (nec enim potuit celare qui fuerat, fortunæ prioris magnitudine proditus) statim anhelo cursu cohors cum Tribuno secuta, armis circumdatum aggerem nemorosum cautius obsidebat, perrumpere verita ne fraude latenti inter ramorum tenebras exciperetur occultas. Quibus visis compulsus ad ultimos metus, ultro se dedit, solus egressus: comitesque ejus ducenti numero, & tres amici junctissimi, flagitium arbitrati post Regem vivere, vel pro Rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos. Utque nativo more sunt barbari humiles in adversis, disparesque in secundis: servus alienæ voluntatis trahebatur pallore confusus, claudente noxarum conscientia linguam: immensum quantum ab eo differens, qui post feros lugubresque terrores cineribus Galliarum insultans, multa minabatur & sæva. Quibus ita favore superni numinis terminatis; post exactum jam diem, occinente liticine revocatus invictissimus miles, prope supercilia Rheni tendebat, scutorumque ordine multiplicato vallatus, victu fruebatur & somno.

Clades Romanorum.

Ceciderunt autem in hac pugna Romani quidem CCXL & III. rectores vero IV. Bainobaudes Cornutorum Tribunus, adæque Laipso, & Innocentius Cataphractarios ducens, & vacans quidam Tribunus, cujus non suppetit nomen: ex Alemannis vero sex millia corporum inventa sunt in campo constrata, & inæstimabiles mortuorum acervi per undas fluminis ferebantur.

Julianus Augustus vocatur. U. C. 1109. P. C. N. 357.

Tunc Julianus, ut erat fortuna sui spectatior, meritisque magis quam Imperio potens, Augustus acclamatione concordi totius exercitus appellatus, ut agentes petulantius milites increpabat, id se nec sperare, nec adipisci velle jurando confirmans. Et ut augeret eventus secundi lætitiam, concilio Chnodomarium jussit sibi offerri: qui primo curvatus, deinde humi suppliciter fusus, gentilique prece veniam poscens, bono animo esse est jussus.

Chnodomarius Romam missus moritur.

Et diebus postea paucis ductus ad comitatum Imperatoris, missusque exinde Romam, in Castris Peregrinis, quæ in monte sunt Cælio, morbo veterni consumptus est. His tot ac talibus prospero peractis eventu, in palatio Constantii quidam Julianum culpantes, ut Princeps ipse delectaretur, irrisive Victorinum ideo nominabant, quod verecunde referens, quoties imperaret, superatos indicabat sæpe Germanos. Interque exaggerationem inanium laudum, ostentationemque aperte lucentium, inflabant ex usu Imperatorem suopte ingenio nimium, quidquid per omnem terræ ambitum agebatur, felicibus ejus auspiciis adsignantes.

Constantii vana jactantia.

Quocirca magniloquentia elatus adulatorum, tunc & deinde edictis propositis arroganter satis multa mentiebatur, se solum, cum gestis non adfuisset, & dimicasse, & vicisse, & supplices Reges gentium erexisse aliquoties scribens: & si verbi gratia eo agente tunc in Italia, dux quidam egisset fortiter contra Persas, nulla ejus mentione per textum longissimum facta laureatas litteras ad provinciarum damna mittebat, se inter primores versatum cum odiosa sui jactatione significans. Exstant denique ejus edicta in tabulariis Principis publicis condita......... delata narrandi, extollendique (z) semet in cœlum. Ab (a) Argentorato cum pugnaretur mansione quadragesima disparatus, describens prælium, aciem ordinasse, & stetisse inter signiferos, & Barbaros fugasse præcipites, sibique oblatum falso indicat Chnodomarium; (proh rerum indignitas!) super Juliani gloriosis actibus conticescens: quos sepelierat penitus, ni fama res maximas vel obumbrantibus plurimis silere nesciret.

(s) al. adhærere. (t) al. expediti viribus linquerentur &c. (u) al. argumenta. (x) al. Tribunos. (y) al. emendaret. (z) al. extollendoque. (a) alii τὸ ab omittunt.

Explicit Liber XVI.

AM-

AMMIANI MARCELLINI RERUM GESTARUM LIBER XVII.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

HAc rerum, quas jam digeſſimus, varietate ita concluſa, Martius juvenis Rheno poſt Argentoratenſem pugnam otioſe fluente ſecurus, ſollicituſque ne diræ volucres conſumerent corpora peremptorum, ſine diſcretione cunctos humari mandavit: abſolutiſque legatis, quos ante certamen ſuperba quædam portaſſe prædiximus, ad Tres-tabernas revertit. Unde cum captivis omnibus prædam Mediomatricos, ſervandam ad reditum uſque ſuum, duci præcepit: & petiturus ipſe Mogontiacum, ut ponte compacto tranſgreſſus, in ſuis requireret barbaros, cum nullum reliquiſſet in noſtris, refragante vetabatur exercitu: verum facundia jucunditateque ſermonum allectum, in voluntatem traduxerat ſuam. Amor enim poſt documenta flagrantior, ſequi libenter hortatus eſt omnis operæ conturmalem, auctoritate magnificum ducem, plus laboris indicere ſibi quam militi, ſicut perſpicue contigit, aſſuetum. Moxque ad locum prædictum eſt ventum, flumine pontibus conſtratis tranſmiſſo, occupavere terras hoſtiles. At barbari præſtricti negotii magnitudine, qui ſe in tranquillo poſitos otio tunc parum inquietari poſſe ſperabant, aliorum exitio quid fortunis ſuis immineret anxie cogitantes, ſimulata pacis petitione, ut primæ vertiginis impetum declinarent, miſere (*b*) legatos cum verbis compoſitis quæ denuntiarent concordem fœderum firmitatem: incertumque quo conſilio aut inſtituto mutata voluntate, per alios curſu celeri venire compulſos, acerrimum noſtris minati ſunt bellum, ni eorum regionibus exceſſiſſent. Quibus clara fide compertis, Cæſar prima noctis quiete navigiis modicis & velocibus octingentos impoſuit milites: ea re ut vi ingenti ſurſumverſum (*c*) decurſo egreſſi, quidquid invenire potuerint, ferro violarent & flammis. Quo ita diſpoſito, Solis primo exortu viſis per montium vertices barbaris, ad celſiora ducebatur alacrior miles: nulloque invento, (hoc ſiquidem opinati diſceſſere confeſtim) eminus ingentia (*d*) fumi volumina viſebantur, indicantia noſtros perruptas populari terras hoſtiles. Quæ res Germanorum perculit animos, atque deſertis inſidiis, quas per arta loca & latebroſa ſtruxerant noſtris, trans Mœnum nomine fluvium ad opitulandum ſuis neceſſitudinibus avolarunt. Ut enim rebus amat fieri dubiis & turbatis, hinc equitum noſtrorum accurſu, inde navigiis vectorum militum impetu repentino perterrefacti, evadendi ſubſidium velox locorum invenere prudentes: quorum digreſſu miles libere gradiens, opulentas pecore villas & frugibus rapiebat nulli parcendo. Extractiſque captivis, domicilia cuncta curatius ritu Romano conſtructa, flammis ſubditis exurebat. Emenſaque æſtimatione decimi lapidis, cum prope ſilvam veniſſet ſqualore tenebrarum horrendam, ſtetit diu cunctando, indicio perfugæ doctus, per ſubterranea quædam occulta foſſaſque multifidas latere plurimos, ubi habile viſum fuerit erupturos. Auſi tamen omnes accedere fidentiſſime, ilicibus inciſis & fraxinis, roboreque abietum magno ſemitas invenere conſtratas. Ideoque gradientes cautius retro, non niſi per anfractus longos & aſperos ultra progredi poſſe, vix indignationem capientibus animis, advertebant. Et quoniam aëris urente ſævitia, cum diſcriminibus ultimis laborabatur incaſſum, (æquinoctio quippe autumnali exacto, per eos tractus ſuperfuſæ nives opplevere montes ſimul & campos) opus arreptum eſt memorabile. Et dum nullus obſiſteret, munimentum quod in Alemannorum ſolo conditum Trajanus ſuo nomine voluit appellari, dudum violentius oppugnatum, tumultuario ſtudio reparatum eſt: locatiſque ibi pro tempore defenſoribus, ex Barbarorum viſceribus alimenta congeſta ſunt. Quæ illi maturata ad ſuam perniciem contemplantes, metuque rei peractæ volucriter congregati, precibus & humilitate ſuprema petiere miſſis oratoribus pacem: quam Cæſar omni conſiliorum via firmata; cauſatus veriſimilia plurima, per decem menſium tribuit intervallum: id nimirum ſollerti colligens mente, quod caſtra, ſupra quam optari potuit occupata ſine obſtaculo, tormentis muralibus & apparatu deberent valido communiri. Hac fiducia tres immaniſſimi Reges venerunt, tandem aliquando jam trepidi, ex his qui miſere victis apud Argentoratum auxilia, jurantes conceptis ritu patrio verbis, nihil inquietum acturos, ſed fœdera ad præſtitutum uſque diem, quia id noſtris placuerat, cum munimento ſervaturos intacto, frugeſque portaturos humeris, ſi defuiſſe ſibi docuerint defenſores: quod utrumque metu perfidiam frenante fecerunt. Hoc memorabili bello, comparando quidem Punicis & Teutonicis, ſed diſpendiis (*e*) rei Romanæ peracto leviſſimis (*f*), ut fauſtus Cæſar exſultabat & felix: credi-

Julianus Cæſar Mogontiacum petit. U. C. 1109. p. C. N. 357.

Rhenum tranſit.

Et Alemannorum vicos diripit ac incendit.

Trajani munimentum reparat.

Alemannis decimeſtres inducias concedit.

(*b*) al. miſerunt. (*c*) al. ſurſum verſus. (*d*) al. ingentis. (*e*) al. diſpendio. (*f*) al. leviſſimo.

credique obtrectatoribus potuit, ideo fortiter eum ubique fecisse fingentibus, quod oppetere dimicando gloriose magis optabat, quam damnatorum sorte, sicut sperabant, ut frater Gallus occidi: ni pari proposito post excessum quoque Constantii actibus mirandis inclaruisset.

CAP. II. Quibus, ut in tali re, compositis firmiter, ad sedes revertens hibernas, sudorum reliquias reperit tales. Remos Severus Magister equitum per Agrippinam petens & Juliacum Francorum validissimos cuneos in sexcentis velitibus, ut postea claruit, vacua præsidiis loca vastantes offendit: hac opportunitate in scelus audaciam erigente, quod Cæsare in Alemannorum secessibus occupato, nulloque vetante, expleri se posse prædarum opimitate sunt arbitrati. Sed metu jam reversi exercitus, munimentis duobus, quæ olim exinanita sunt, occupatis, se quoad fieri poterat tuebantur. Hac Julianus rei novitate perculsus, & conjiciens quorsum erumperet, si iisdem transisset intactis, retento milite circumvallare disposuit..... Mosa fluvius præterlambit, & adusque quartum & quinquagesimum diem, Decembri scilicet & Januario mense, obsidionales tractæ sunt moræ, destinatis barbarorum animis incredibili pertinacia reluctatis. (*g*) Tunc pertimescens sollertissimus Cæsar, ne observata nocte illuni, barbari gelu vinctum amnem pervaderent, quotidie à sole in vesperam flexo adusque lucis principium, lusoriis navibus discurrere flumen ultro citroque milites ordinavit, ut crustis pruinarum diffractis, nullus ad erumpendum quopiam facile perveniret. Hocque commento, inedia, & vigiliis, & desperatione postrema lassati, sponte se propria dederunt: statimque ad comitatum Augusti sunt missi. Ad quos eximendos periculo multitudo Francorum egressa, cum captos comperisset & asportatos nihil amplius ausa repedavit ad sua: (*h*) hisque perfectis acturus hiemem revertit Parisios Cæsar.

Sexcenti Francorum Germaniam II. vastant.

Quos vero Julianus fame ad deditionem compellit.

CAP. III. Quia igitur plurimæ gentes vi majore collaturæ capita sperabantur, dubia bellorum conjectans sobrius rector, magnis curarum molibus stringebatur. Dumque per inducias licet negotiosas & breves ærumnosis possessorum damnis mederi posse credebat, tributi ratiocinia dispensavit. Cumque Florentius Præfectus Prætorio cuncta permensus, ut contendebat, quidquid in capitatione deesset, ex conquisitis se supplere firmaret, talium gnarus, animam prius amittere, quam hoc sinere fieri memorabat. Norat enim hujusmodi provisionum, immo eversionum, ut verius dixerim, insanabilia vulnera, sæpe ad ultimam egestatem provincias contraxisse: quæ res, ut docebitur postea, penitus evertit Illyricum. Ob quæ Præfecto Prætorio ferri (*i*) non posse clamante, se repente factum infidum, cui Augustus summam commiserit rerum; Julianus eum sedatius leniens, scrupulose computando & vere, docuit non sufficere solum, verumetiam exuberare capitationis calculum ad commeatuum necessarios apparatus. Nihilominus tamen diu postea indictionale augmentum oblatum sibi, nec recitare nec subnotare perpessus, humi projecit. Litterisque Augusti monitus ex relatione Præfecti, non agere ita perplexe, ut videretur parum Florentio credi: rescripsit gratandum esse, si provincialis hinc inde vastatus, saltem sollemnia præbeat, nedum incrementa, quæ nulla supplicia egenis possent hominibus extorquere. Factumque est tunc & deinde unius animi firmitate, ut præter solita nemo Gallis quidquam exprimere conaretur..... inique. Inusitato exemplo id petendo Cæsar impetraverat à Præfecto, ut secundæ Belgicæ multiformibus malis oppressæ dispositio sibi committeretur, ea videlicet lege, ut nec Præfectianus, nec Præsidialis Apparitor ad solvendum quemquam urgeret. Quo levati solatio cuncti, quos in curam susceperat suam, nec interpellati, ante præstitutum tempus debita contulerunt.

Julianus Cæsar Gallos tributis oppressos levare conatur.

Ut & Belgicam secundam.

CAP. IV. Inter hæc recreandarum exordia Galliarum, administrante secundam adhuc Orfito Præfecturam, Obeliscus Romæ in Circo erectus est Maximo. Super quo nunc quia tempestivum est, pauca discurram. Urbem priscis sæculis conditam ambitiosa mœnium strue, & portarum centum quondam aditibus celebrem, Hecatompylos Thebas institutores ex facto cognominarunt, cujus vocabulo provincia nunc usque Thebaïs appellatur. Hanc inter exordia pandentis se late Carthaginis, improviso excursu duces oppressere Pœnorum: posteaque reparatam Persarum Rex ille Cambyses, quoad vixerat, alieni cupidus & immanis, Ægypto perrupta aggressus est, ut opes exinde raperet invidendas, ne Deorum quidem donariis parcens. Qui dum inter prædatores turbulente concursat, laxitate præpeditus indumentorum concidit pronus: ac suomet pugione, quem aptatum femori dextro gestabat, subita vi ruinæ nudato, vulneratus pæne letaliter interisset. Longe autem postea Cornelius Gallus, Octaviano res tenente Romanas, Ægypti Procurator, exhausit civitatem plurimis interceptis: reversusque cum furtorum arcesseretur & populatæ provinciæ, metu Nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium spectandum dederat Imperator, stricto incubuit ferro. Is est, si recte existimo, Gallus poeta, quem flens quodammodo in postrema Bucolicorum parte Virgilius carmine leni decantat. In hac urbe inter labra ingentia, diversasque moles figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes, Obeliscos vidimus plures, aliosque jacentes & comminutos: quos antiqui Reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis vel apud extremos orbis incolas perscrutatis excisos erectosque, Diis superis in religione dicarunt. Est autem Obeliscus asperrimus lapis, in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam; utque radium imitetur (*k*), gracilescens, paullisper specie quadrata in verticem productus angustum, manu levigatus artifici. Formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei undique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insignivit auctoritas. Volucrum enim ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, ad ævi quoque

Jussu Constantii Augusti Obeliscus erigitur. U.C. 1109. p. C. N. 357.

Similiter Cornelius Gallus.

Obeliscorum origo.


Obelisci descriptio.

Notarumque in illis hieroglyphicarum.

(*g*) al. reluctantis. (*h*) al. ad sua castra. (*i*) al. ferre. (*k*) al. emittitur.

OBELISCVS RAMESSÆVS

Tab. LXV adpag. 465



Continet Obeliscus hic a basi usq; ad pyramidion palmos 130. ipsum vero pyramidion palmos 14. qui additi faciunt palmos 144. totius Obelisci altitudinem. Latera maiora boreale et meridiale inferioris basis palmos continent 13¾. minora orientale et occidentale 12¾. Latera vero majora superioris basis palmos 9¼. minora 7½. atq; adeo totius molis crassities et soliditas continet palmos 15120. cubicos id quod 1031029. libras pendet.

que sequentis ætates ut patratorum vulgatius perveniret memoria, promissa vel soluta Regum vota monstrabant. Non enim, ut nunc litterarum numerus præstitutus & facilis exprimit quidquid humana mens concipere potest; ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptii: sed singulæ litteræ singulis nominibus serviebant & verbis; nonnumquam significabant integros sensus. Cujus rei scientiæ in his interim sit (*l*) duobus exemplum. Per vulturem naturæ vocabulum pandunt: quia mares nullos posse inter has alites inveniri rationes memorant physicæ: perque speciem apis mella conficientis indicant Regem: moderatori cum jucunditate aculeos quoque innasci debere his signis ostendentes, & similia plurima. Et quia sufflantes adulatores ex more Constantium, id sine modo strepebant, quod cum Octavianus Augustus obeliscos duos ab Heliopolitana civitate transtulisset Ægyptia, quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus est Martio; hunc recens advectum difficultate magnitudinis territus, nec contrectare ausus est, nec movere: discant qui ignorant, veterem Principem translatis aliquibus hunc intactum ideo præterisse, quod Deo Soli speciali munere dedicatus, fixusque intra ambitiosi templi delubra, quæ contingi non poterant, tamquam apex omnium eminebat. Verum Constantinus id parvi ducens, avulsam hanc molem sedibus suis, nihilque committere in religionem recte existimans, si ablatum uno templo miraculum Romæ sacraret, id est, in templo mundi totius, jacere diu perpessus est, dum translationi pararentur utilia. Quo convecto per alveum Nili, projectoque Alexandriæ, navis amplitudinis antehac inusitatæ ædificata est, sub trecentis remigibus agitanda. Quibus ita provisis, digressoque vita Principe memorato, urgens effectus intepuit: tandemque sero impositus navi, per maria fluentaque Tibridis velut paventis, ne quod pæne ignotus miserat Nilus, ipse parum sub meatus sui discrimine mœnibus alumnis inferret, defertur in vicum Alexandri, tertio lapide ab Urbe sejunctum: unde chamulcis impositus, tractusque lenius, per Ostiensem portam piscinamque publicam Circo illatus est Maximo. Sola post hæc restabat erectio, quæ vix aut ne vix quidem sperabatur posse compleri erectisque usque periculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes & longi, ad speciem multiplicium liciorum cœlum densitate nimia subtexentes: quibus colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paullatimque id per arduum inane protentus, diu pensilis, hominum millibus multis tamquam molendinarias rotantibus metas, cavea locatur (*m*) in media, eique sphæra superponitur ahenea, aureis laminis nitens: qua confestim vi ignis divini contacta, ideoque sublata, facis imitamentum infigitur æreum, itidem auro imbracteatum, velut abundanti flamma candentis. Secutæque ætates alios transtulerunt: quorum unus in Vaticano, alter in hortis Sallustii, duo in Augusti monumento erecti sunt. (6) Qui autem notarum textus obelisco incisus est veteri, quem videmus in Circo, Hermapionis librum secuti, interpretatum litteris subjecimus Græcis.

Constantius Obeliscum Romam advehit.

Et in Circo Maximo erigit.

Textus obelisco incisi.

(7) ΑΡΧΗΝ ΑΠΟ ΤΟΥ ΝΟΤΙΟΥ ΔΙΕΡΜΗΝΕΥΜΕΝΑ ΕΧΕΙ

ΣΤΙΧΟΣ ΠΡΩΤΟΣ.

(8.) Τάδε ἐςὶν ἃ βασιλεῖ Ραμέςῃ δεδωρήμεθα, ὃν πᾶσαν οἰκουμένην μετὰ χαρᾶς βασιλεύων. Ἥλιος φιλεῖ καὶ Ἀπόλλων. Κρατερὸς Φιλαλήθης υἱὸς Ἥρωνος, θεογέννητος κτίςης τῆς οἰκουμένης, ὃν Ἥλιος προέκρινεν, ἄλκιμος Ἄρεως βασιλεὺς Ραμέςης. ᾧ πᾶσα ὑποτέτακται ἡ γῆ μετὰ ἀλκῆς καὶ θάρσους. Βασιλεὺς Ραμέςης Ἡλίου παῖς αἰωνόβιος.

(9.) ΣΤΙΧΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ.

(10.) Ἀπόλλων κρατερὸς, ὁ ἑςὼς ἐπ᾽ ἀληθείας δεσπότης διαδήματος, τὴν Αἴγυπτον δοξάσας κεκτημένος, ὁ ἀγλαοποιήσας Ἡλίου πόλιν, καὶ κτίσας τὴν λοιπὴν οἰκουμένην, καὶ πολυτιμήσας τοὺς ἐν Ἡλίου πόλει θεοὺς ἀνιδρυμένους, ὃν Ἥλιος φιλεῖ.

(11.) ΤΡΙΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ.

(12.) Ἀπόλλων κρατερὸς Ἡλίου παῖς παμφεγγὴς, ὃν Ἥλιος προέκρινεν καὶ Ἄρης ἄλκιμος ἐδωρήσατο. οὗ τὰ ἀγαθὰ ἐν πάντι διαμενεῖ καιρῷ. ὃν Ἄμμων ἀγαπᾷ, πληρώσας τὸν νεὼν τοῦ Φοίνικος ἀγαθῶν. ᾧ οἱ θεοὶ ζωῆς χρόνον ἐδωρήσαντο. Ἀπόλλων κρατερὸς υἱὸς Ἥρωνος βασιλεὺς οἰκουμένης Ραμέςης, ὃς ἐφύλαξεν Αἴγυπτον τοὺς ἀλλοεθνεῖς (*n*) νικήσας. ὃν Ἥλιος φιλεῖ. ᾧ πολὺν χρόνον ζωῆς ἐδωρήσαντο θεοὶ, δεσπότης οἰκουμένης Ραμέςης αἰωνόβιος.

Nnn (13.) ΑΛΛΟΣ

(*l*) alii τὸ sit omittunt. (*m*) al. locatus. (*n*) al. τοὺς ἄλλους ἔθνους

(6.) Qui autem notarum textus obelisco incisus est) Ut non solum, Lector erudite, habeas textum, sed & notas hieroglyphicas ipsas in hoc obelisco expressas, duo ejusdem latera speciminis loco exhibemus Tab. LXV. uti ea nobis dedit GRONOVIUS ad AMMIANUM MARCELLINUM pag. 176.

(7.) ΑΡΧΗΝ ΑΠΟ ΤΟΥ ΝΟΤΙΟΥ ΔΙΕΡΜΗΝΕΥΜΕΝΑ ΕΧΕΙ) Hoc est: A parte Australi versus primus hæc interpretata habet.

(8.) Τάδε ἐςὶν ἃ βασιλεῖ Ραμέςῃ δεδωρήμεθα, ὃν πᾶσαν οἰκουμένην &c. - - - - - αἰωνόβιος) Hoc est: Hæc sunt, quæ Regi Rhamesti donavimus: quem Sol amat & Apollo, qui omnem terrarum orbem cum gaudio regit. Potens veritatis amicus; filius Heronis Deo satus, conditor orbis terræ, quem Sol ceteris prætulit, strenuus Martis Rex Rhamestes, cui omnis terra cum vigore & audacia subjecta est. Rex Rhamestes Solis filius, in æternum vivens.

(9.) ΣΤΙΧΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ) Hoc est: Versus vel Ordo secundus.

(10.) Ἀπόλλων κρατερὸς, ὁ ἑςὼς ἐπ᾽ ἀληθείας δεσπότης διαδήματος, &c. - - - ὃν Ἥλιος φιλεῖ) Hoc est: Apollo potens, qui est revera Dominus diadematis, & Ægyptum glorificans possidet, qui Solis urbem splendidam reddidit, quique condidit reliquum orbem terræ, & valde honorat Deos in Solis civitate (Heliopoli) constitutos: quem Sol amat.

(11.) ΤΡΙΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ) Hoc est: Versus vel Ordo tertius.

(12.) Ἀπόλλων κρατερὸς Ἡλίου παῖς παμφεγγὴς, ὃν Ἥλιος προέκρινεν &c. - - - - - αἰωνόβιος) Hoc est: Appollo potens Solis filius præfulgidus, quem Sol ceteris præfecit, & Mars strenuus muneribus donat; cujus bona in omni tempore permanent: quem Ammon diligit, qui Phœnicis delubrum bonis implevit; cui Dii tempus vitæ dederunt. Apollo potens filius Heronis, Rex orbis terrarum Rhamestes, qui conservavit Ægyptum alienigenis devictis: quem Sol amat, cui diuturnum vitæ tempus largiti sunt Divi; Dominus orbis terræ Rhamestes æternum vivens.

(13.) ΑΛΛΟΣ ΣΤΙΧΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ.

(14.) Ἥλιος θεὸς μέγας δεσπότης οὐρανοῦ δεδώρημαί σοι βίον ἀπρόσκορον. Ἀπόλλων κρατερὶς κύριος διαδήματος ἀνείκαστος, οὗ ἀνδριάντας ἀνέθηκεν ἐν τῇδε τῇ βασιλείᾳ δεσπότης Αἰγύπτου, καὶ ἐκόσμησεν Ἡλίου πόλιν ὁμοίως καὶ αὐτὸν Ἥλιον δεσπότην οὐρανοῦ. συνετελεύτησεν ἔργον ἀγαθὸν Ἡλίου παῖς βασιλεὺς αἰωνόβιος.

(15.) ΤΡΙΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ.

(16.) Ἥλιος θεὸς δεσπότης οὐρανοῦ Ῥαμέστῃ βασιλεῖ δεδώρημαι τὸ κράτος καὶ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν. ὃν Ἀπόλλων φιλαλήθης δεσπότης χρόνων, καὶ Ἥφαιστος ὁ τῶν θεῶν πατὴρ προέκρινεν διὰ τὴν Ἄρεα. βασιλεὺς παγχαρὴς Ἡλίου παῖς, καὶ ὑπὸ Ἡλίου φιλούμενος,

(17.) ΑΦΗΛΙΩΤΗΣ ΠΡΩΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ.

(18.) Ὁ ἀφ' Ἡλίου πόλεως μέγας θεὸς ἐνουράνιος Ἀπόλλων κρατερὸς, Ἥρωνος υἱὸς, ὃν Ἥλιος ἠγώγησεν, ὃν οἱ θεοὶ ἐτίμησαν, ὁ πάσης γῆς βασιλεύων, ὃν Ἥλιος προέκρινεν, ὁ ἄλκιμος διὰ τὴν Ἄρεα βασιλεὺς, ὃν Ἄμμων φιλεῖ. καὶ ὁ παμφεγγὴς συγκρίνας αἰώνιον βασιλέα. *& reliqua.*

Constantius Aug. & Sapor Persarum Rex frustra de pace per litteras & legatos agunt. U. C. 1110. p. C. N. 358.

CAP. V. Datiano & Cereali Consulibus cum universa per Gallias studio cautiore disponerentur, formidoque præteritorum barbaricos hebetaret excursus: Rex Persarum in confiniis agens adhuc gentium extimarum, jamque cum Chionitis & Gelanis, omnium acerrimis bellatoribus, pignore icto societatis, rediturus ad sua, Tamsaporis scripta suscepit, pacem Romanum Principem nuntiantis poscere precativam. Ideoque non nisi informato Imperii robore tentari talia suspicatus, latius semet extentans, pacis amplectitur nomen, & conditiones proposuit graves: missoque cum muneribus Narseo quodam legato, litteras ad Constantium dedit, nusquam a genuino fastu declinans, quarum hunc fuisse accepimus sensum:

Saporis litteræ ad Constantium.

Rex Regum Sapor, particeps siderum, frater Solis & Lunæ, Constantio Cæsari fratri meo salutem plurimam dico. Gaudeo, tandemque mihi placet ad optimam te viam revertisse, & incorruptum æquitatis agnovisse suffragium, rebus ipsis expertum, pertinax alieni cupiditas quas aliquoties ediderit strages. Quia igitur veritatis oratio soluta esse debet & libera, & celsiores fortunas idem loqui decet atque sentire; propositum meum in pauca conferam, reminiscens hæc quæ dicturus sum, me sæpius replicasse. Adusque Strymona flumen, & Macedonicos fines tenuisse majores meos, antiquitates quoque vestræ testantur: hæc me convenit flagitare, (ne sit arrogans quod affirmo) splendore virtutumque insignium serie vetustis Regibus antistantem. Sed ubique mihi cordi est recordatio, cui coalitus ab adolescentia prima, nihil umquam pœnitendum admisi. Ideoque Armeniam recuperare cum Mesopotamia debeo, avo meo composita fraude præreptam. Illud apud nos numquam acceptum fuit, quod adseritis vos exsultantes, nullo discrimine virtutis ac doli, prosperos omnes laudari decere bellorum eventus. Postremo si morem gerere suadenti volueris recte, contemne partem exiguam semper luctificam & cruentam, ut cetera regas securus: prudenter reputans, medelarum quoque artifices urere nonnumquam & secare, & partes corporum amputare, ut reliquis uti liceat integris: hocque bestias factitare; quæ cum advertant cur maximopere capiantur, illud propria sponte amittunt, ut vivere deinde possint impavidæ. Id sane pronuntio, quod si hæc mea legatio redierit irrita; post tempus hiemalis quietis exemptum, viribus totis accinctus, fortuna conditionumque æquitate spem successus secundi fundante, venire quoad ratio siverit festinabo. His litteris diu libratis, recto pectore (quod dicitur) considerateque responsum est hoc modo:

Constantii responsum ad Saporem.

Victor terra marique Constantius semper Augustus fratri meo Sapori Regi salutem plurimam dico. Sospitati quidem tuæ gratulor, ut futurus, si velis, amicus: cupiditatem vero semper indeflexam fusiusque vagantem vehementer insimulo. Mesopotamiam poscis ut tuam, perindeque Armeniam: & suades integro corpori adimere membra quædam, ut salus ejus deinceps locetur in solido: quod refutandum est potius, quam ulla consensione firmandum. Accipe igitur veritatem non obtectam præstigiis, sed perspicuam, nullisque minis inanibus perterrendam. Præfectus Prætorio meus, opinatus aggredi negotium publicæ utilitati conducens, cum duce tuo per quosdam ignobiles, me inconsulto sermones conseruit super pace. Non refutamus hanc nec repellimus: adsit modo cum decore & honestate, nihil pudori nostro præreptura vel majestati. Est enim absonum & indecens, cum gestarum rerum ordine explicatæ sint aures, quas invidiæ nobis multipliciter incluserunt: cum deletis tyrannis totus orbis Romanus nobis obtemperat, ea prodere, quæ contracti in Orientales angustias diu servavimus illibata. Cessent autem quæso formidines, quæ nobis intentantur ex more: cum ambigi nequeat, non inertia nos, sed modestia, pugnas interdum excepisse potius, quam intulisse: & nostra, quoties lacessimur, fortissimo benevolentiæ spiritu defensare, id experiendo legendoque scientes, in prœliis quibusdam raro rem titubasse Romanam, in summa vero bellorum numquam ad deteriora prolapsam.

Hanc

(13.) ΑΛΛΟΣ ΣΤΙΧΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ) Hoc est: Alius ordo vel versus secundus.

(14.) Ἥλιος θεὸς μέγας δεσπότης οὐρανοῦ δεδώρημαί σοι βίον ἀπρόσκορον. &c. - - - αἰωνόβιος) Hoc est: Sol Deus, Magnus Dominus cœli, dono tibi vitam non onerosam. Apollo potens Dominus diadematis incomparabilis, cui statuas posuit in hoc Regno, & ornavit Solis urbem, similiter & ipsum Solem Dominum cœli, qui perfecit opus bonum, Solis filius Rex perpetuo vivens.

(15.) ΤΡΙΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ) Hoc est: Versus seu Ordo tertius.

(16.) Ἥλιος Θεὸς δεσπότης οὐρανοῦ Ῥαμέστῃ βασιλεῖ δεδώρημαι τὸ κράτος &c. - - - φιλούμενος) Hoc est: Sol Deus, Dominus cœli Rhamesti Regi tribuo imperium & in omnes potestatem, quem Apollo veritatis amans, Dominus temporum, & Vulcanus pater Deorum delegit ac prætulit propter Martem; Rex omni ex parte lætus, Solis filius, & a Sole amatus.

(17.) ΑΦΗΛΙΩΤΗΣ ΠΡΩΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ) Hoc est: A parte Orientali versus vel Ordo Primus.

(18.) Ὁ ἀφ' Ἡλίου πόλεως μέγας Θεὸς ἐνουράνιος Ἀπόλλων κρατερὸς &c. - - - αἰώνιον βασιλέα) Hoc est: A Solis urbe magnus Deus, incola cœli Apollo potens Heronis filius, quam Sol diligit, quem Dii honorarunt, qui totam terram regit, quem Sol præ ceteris delegit: strenuus propter Martem Rex, quem Ammon diligit: & præfulgidus eligens sempiternum Regem.

Desumpsimus hanc versionem, quæ est R. P. Brunelli S. J. ex editione GRONOV. pag. 176.

Hanc legationem nullo impetrato remissam (nec enim effrenatæ Regis cupiditati responderi amplius quidquam potuit) post paucissimos dies secutus est Prosper Comes, & Spectatus Tribunus & Notarius, itemque Eustathius Musoniano suggerente Philosophus, ut opifex suadendi: Imperatoris scripta perferentes & munera, enisuri apparatum interim Saporis arte quadam suspendere, ut supra humanum modum provinciæ munirentur Arctoæ.

Juthungi, Alemannorum gens, Rhætias vastant.

CAP. VI. Inter quæ ita ambigua Juthungi Alemannorum pars, Italicis conterminans tractibus, obliti pacis & fœderum, quæ adepti sunt obsecrando, Rhætias turbulente vastabant, adeo ut etiam oppidorum tentarent obsidia præter solitum. Ad quos repellendos cum valida manu missus Barbatio, in locum Silvani peditum promotus Magister, ignavus sed verbis effusior, alacritate militum vehementer erecta, prostravit acerrime multos, ita ut exigua portio, quæ periculi metu se dedit in fugam, ægre dilapsa res suas non sine lacrymis reviseret & lamentis. Huic pugnæ Nevitta, postea Consul, equestris præpositus turmæ, & adfuisse, & fortiter fecisse firmatur.

Sed à Romanis cæduntur & fugantur.

Terræ motus diversis in locis.

CAP. VII. Iisdem diebus terræmotus horrendi per Macedoniam, Asiamque, & Pontum adsiduis pulsibus oppida multa concusserunt & montes. Inter monumenta tamen multiformium ærumnarum eminuere Nicomediæ clades, Bithyniæ urbium matris, cujus ruinarum eventum vere breviterque absolvam. Primo lucis exortu die nono Kal. Septembrium, concreti nubium globi nigrantium lætam paullo ante cœli speciem confuderunt: & amandato Solis splendore, nec contigua vel apposita cernebantur: ita oculorum obtutu præstricto, humo involutus crassæ caliginis squalor insedit. Dein velut numine summo fatales contorquente manubias, ventosque ab ipsis excitante cardinibus, magnitudo furentium incubuit procellarum, & elisi littoris fragor: hæcque secuti typhones atque presteres, cum horrifico tremore terrarum, civitatem & suburbana funditus everterunt. Et quoniam acclivitate collium ædes pleræque vehebantur, aliæ super alias concidebant, reclangentibus cunctis sonitu ruinarum immenso. Interim clamoribus variis excelsa culmina resultabant, quæritantium conjugium liberosque, & si quid necessitudinis arte constringit. Post horam denique secundam, multo ante tertiam, aër jam sudus & liquidus latentes retexit funereas strages. Nonnulli enim superruentium ruderum vi nimia constipati, sub ipsis interire ponderibus. Quidam collo tenus aggeribus obruti, cum superesse possent si qui juvissent, auxiliorum inopia necabantur. Alii lignorum exstantium acuminibus fixi pendebant. Uno ictu cæsi complures paullo ante homines, tunc promiscuæ strages cadaverum cernebantur. Quosdam domorum inclinata fastigia intrinsecus ferebant intactos, angore & inedia consumendos. Inter quos Aristænetus affectatam recens diœcesim curans vicaria potestate, quam Constantius ad honorem uxoris Eusebiæ Pietatis cognominaverat, animam hoc casu cruciatam diutius exhalavit. Alii subita ruinæ magnitudine oppressi, iisdem adhuc molibus conteguntur. Collisis quidam capitibus, vel humeris præsectis aut cruribus, inter vitæ mortisque confinia, aliorum adjumenta paria perferentium implorantes cum obtestatione magna deserebantur. Et superesse potuit ædium sacrarum & privatarum, hominumque pars major, ni palantes abruptæ flammarum ardores per quinquaginta dies & noctes, quidquid consumi poterat exussissent. Adesse tempus existimo pauca dicere, quæ de terræ pulsibus conjectura veteres collegerunt. Ad ipsius enim veritatis arcana non modo hæc nostra vulgaris inscitia, sed ne sempiterna quidem lucubrationibus longis nondum exhausta physicorum jurgia penetrarunt. Unde & in ritualibus & pontificiis observatur obtemperantibus sacerdotiis caute, ne alio Deo pro alio nominato, cum quis eorum terram concutiat, sit in abstruso, piacula committantur. Accidunt autem, ut opiniones existimant, inter quas Aristoteles æstuat & laborat, aut in cavernis minutis terrarum, quas Græce syringas appellamus, impulsu crebriore aquis undabundis: aut certe, ut Anaxagoras affirmat, ventorum vi subeuntium ima terrarum: qui cum soliditatibus concrustatis inciderint, eruptiones nullas reperientes, eas partes soli convibrant, quas subrepserint humidi. Unde plerumque observatur, terra tremente, ventorum apud nos spiramina nulla sentiri, quod in ultimis ejus secessibus occupantur. Anaximander ait, arescentem nimia æstuum siccitate, aut post madores imbrium, terram rimas pandere grandiores, quas penetrat supernus aër violentus & nimius, ac per eas vehementi spiritu quassatam cieri propriis sedibus. Qua de causa terrores hujusmodi vaporatis temporibus, aut nimia aquarum cœlestium superfusione contingunt. Ideoque Neptunum humentis substantiæ potestatem, Ennosigæon & Sisichthona Poëtæ veteres & Theologi nuncupaverunt. Fiunt autem terrarum motus modis quatuor. Aut enim brasmatiæ sunt, qui humum molestius suscitantes, sursum propellunt immanissimas moles: ut in Asia Delos emersit, & Hiera, & Anaphe, & Rhodus, Ophiusa & Pelagia prioribus sæculis dictitata, aureo quondam imbri perfusa, & Eleusin in Bœotia, & apud Tyrrhenos Vulcanus, insulæque plures: aut climatiæ, qui limes ruentes & obliqui urbes, ædificia, montesque complanant: aut chasmatiæ, qui grandiori motu patefactis subito voratrinis, terrarum partes absorbent; ut in Atlantico mari Europæo orbe spatiosior insula, & in Crissæo sinu Helice & Bura, & in Ciminia Italiæ parte oppidum Saccumum ad Erebi profundos hiatus abactæ, æternis tenebris occultantur. Inter hæc tria genera terræ motuum, mycematiæ sonitu audiuntur minaci, cum dissolutis elementa compagibus ultro adsiliunt, vel relabuntur considentibus terris. Tunc enim necesse est velut taurinis reboare mugitibus fragores fremitusque terrenos. Sed hinc ad exorsa.

Nicomedia terræ motu prostrata. U. C. 1110. p. C. N. 358.

Terrarum motuum causæ.

Terrarum motus modis quatuor fiunt.

CAP. VIII. At Cæsar hiemem apud Parisios agens, Alemannos prævenire studio maturabat ingenti, nondum in unum coactos, sed in

Julianus apud Parisios hiemem agit. U. C. 1110. p. C. N. 358.

in (*o*) inſaniam poſt Argentoratum audaces omnes & ſævos: opperiensque Julium menſem, unde ſumunt Gallicani procinctus exordia, diutius angebatur. Nec enim egredi poterat, antequam ex Aquitania, æſtatis remiſſione ſolutis frigoribus & pruinis, veheretur annona. Sed ut eſt difficultatum pæne omnium diligens ratio victrix, multa mente verſans & varia, id tandem reperit ſolum, ut anni maturitate non exſpectata, barbaris occurreret inſperatus (*p*), firmatoque conſilio XX. dierum frumentum, ex eo quod erat in ſedibus conſumendum, ad uſus diuturnitatem excoctum, buccellatum (*q*) ut vulgo appellant, humeris impoſuit libentium militum: hocque ſubſidio fretus, ſecundis ut ante auſpiciis profectus eſt, intra menſem quintum vel ſextum duas expeditiones conſummari poſſe urgentes & neceſſarias arbitratus. Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet quos conſuetudo Salios appellavit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxiandriam locum habitacula ſibi figere prælicenter. Cui cum Tungros veniſſet, occurrit legatio prædictorum, opinantium reperiri Imperatorem etiamtum in hibernis, pacem ſub hac lege prætendens, ut quieſcentes eos tamquam in ſuis nec laceſſeret quiſquam, nec vexaret. Hos legatos, negotio plene digeſto, oppoſitaque conditionum perplexitate, ut in iisdem tractibus moraturus dum redeunt, muneratos abſolvit. Dictoque citius ſecutus profectos, Severo Duce miſſo per ripam, ſubito cunctos adgreſſus, tamquam fulminis turbo perculſit: jamque precantes potius quam reſiſtentes, in oportunam clementiæ partem effectu victoriæ flexo, dedentes ſe cum opibus liberisque ſuſcepit. Chamavos itidem auſos ſimilia adortus eadem celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes, vivosque captos compegit in vincula: alios præcipiti fuga trepidantes, ad ſua, ne militem ſpatio longo defatigaret, abire interim permiſit innocuos: quorum legatis paullo poſtea miſſis precatum conſultumque rebus ſuis, humi proſtratis ſub obtutibus ejus, pacem hoc tribuit pacto, ut ad ſua redirent incolumes.

Salios gentem Francicam in deditionem accipit.

Chamavos alios cædit, alios capit.

Reliquis pacem dat.

CAP. IX. Cunctis igitur ex voto currentibus, ſtudio pervigili properans modis omnibus utilitatem fundare provinciarum munimenta tria recta ſerie ſuperciliis impoſita fluminis Moſæ, ſubverſa dudum obſtinatione barbarica, reparare pro tempore cogitabat: & ilico ſunt inſtaurata, procinctu paulliſper omiſſo. Atque ut conſilium prudens celeritas faceret tutum, ex annona decem dierum & ſeptem, quam in expeditionem pergens vehebat cervicibus miles, portionem ſubtractam in iisdem condidit caſtris, ſperans ex Chamavorum ſegetibus id ſuppleri poſſe quod ablatum eſt. Longe autem aliter accidit. Frugibus enim nondum etiam maturis, miles expenſis quæ portabat nuſquam reperiens victus, extrema minitans (*r*) Julianum compellationibus inceſſebat & probris: Aſianum appellans, Græculum, & fallacem, & ſpecie ſapientiæ ſtolidum. Utque inveniri ſolent quidam inter armatos verborum volubilitate conſpicui, hæc & ſimilia multa ſtrepebant: *Quo trahimur ſpe meliorum abolita olim quidem dura & perpeſſu aſperrima per nives tolerantes & acumina crudelium pruinarum? ſed nunc, proh nefas! cum ultimis hoſtium fatis inſtamus, fame, ignaviſſimo mortis genere tabeſcentes. Et ne quis nos turbarum exiſtimet concitores, pro vita loqui ſola teſtamur; non aurum, neque argentum petentes, quæ olim nec contrectare potuimus, nec videre, ita nobis negata velut contra Rempublicam tot ſuſcepiſſe labores & pericula confutatis.* Et erat ratio juſta querelarum. Inter tot enim rerum probabilium curſus articuloſque neceſſitatum ancipites, ſudoribus Gallicanis miles exhauſtus, nec donativum meruit nec ſtipendium, jam inde ut Julianus illo eſt miſſus: ea re quod nec ipſi quod daret ſuppetere poterat uſquam, nec Conſtantius erogari more ſolito permittebat. Hocque exinde claruit fraude potius quam tenacitate committi, quod cum idem Cæſar, petenti ex uſu gregario cuidam ut barbas detonderet, dediſſet aliquid vile, contumelioſis calumniis appetitus eſt à Gaudentio tunc Notario, ad explorandos ejus actus diu morato per Gallias, quem poſtea ipſe interfici juſſit, ut loco monſtrabitur competenti.

Julianus Cæſar tria munimenta ad Moſam, everſa à Barbaris, inſtaurat.

Julianus à milite famem patiente probris ac minis inceſſitur.

CAP. X. Lenito tandem tumultu non ſine blanditiarum genere vario, contextoque navali ponte Rheno tranſito, terris Alemannorum calcatis, Severus Magiſter equitum bellicoſus ante hæc & induſtrius, repente commarcuit. Et qui ſæpe univerſos ad fortiter faciendum hortabatur & ſingulos; tunc diſſuaſor pugnandi contemptus videbatur & timidus, mortem fortaſſe metuens adventantem: ut in Tageticis (*s*) libris legitur, (19.) Vejovis (*t*) fulmine mox tangendos adeo hebetari, ut nec tonitrum, nec majores aliquos poſſint audire fragores: & iter ignaviter egerat præter ſolitum, ut ductores viarum præeuntes alacri gradu, ultima minitando terreret, ni omnes conſpirantes in unum ſe loca penitus ignorare firmarent. Qui interdicti metuentes auctoritatem, nuſquam deinde ſunt progreſſi. Inter has tamen moras Alemannorum Rex Suomarius (*u*) ultro cum ſuis improviſus occurrit, ferox ante ſæviensque in damna Romana, ſed tum lucrum exiſtimans inſperatum, ſi propria retinere permitteretur. Et quia vultus inceſſuſque ſupplicem indicabat, ſuſceptus, bonoque animo eſſe juſſus & placido, nihil arbitrio ſuo relinquens, pacem genibus curvatis orabat. Et eam cum conceſſione præteritorum ſub hac meruit lege, ut captivos redderet noſtros, & quoties ſit neceſſe militibus alimenta præberet, ſuſceptorum vilium more ſecuritates accipiens pro illatis: quas ſi non oſtendiſſet in tempore, ſciret ſe rurſus ea de re fatigandum. Quod ita recte diſpoſitum, eſt impræpedite completum. Hortarii

Severus male rem gerit.

Suomarius Rex Alemannorum.

(*o*) al. ad. (*p*) al. inſperatis. (*q*) al. bucellatum. (*r*) al. militans. (*s*) al. Tagetinicis. (*t*) al. Vegonicis. (*u*) al. Sumoarius.

(19.) Vejovis fulmine) Vejovis eſt Jupiter fulguritor, cujus effigiem cum fulmine ex numo familiæ Cæſiæ, vide Tab. LXVI. num. I. Conf. PATIN. Fam. Rom. p. 54. & BEGER. Th. Br. T. II. p. 543.

Pariter & Hortarius.

tarii nomine petendus erat Regis alterius pagus: & quia nihil videbatur deeſſe præter ductores, Neſticæ Tribuno Scutariorum, & Chariettoni viro fortitudinis miræ, imperaverat Cæſar, ut magna quæſitum induſtria comprehenſumque offerrent ſibi captivum: & correptus velociter adoleſcens ducitur Alemannus, pacto obtinendæ ſalutis pollicitus itinera ſe monſtraturum. Hoc prægreſſo ſecutus exercitus, celſarum arborum obſiſtente concæde ire protinus vetabatur. Verum per circuitus longos & flexuoſos ventum eſt tandem ad loca: & ira quisque percitus armatorum urebat agros, pecora diripiebat & homines, reſiſtenteſque ſine ulla parcimonia contruncabat. His malis perculſus Rex, cum multiplices legiones, vicorumque reliquias cerneret exuſtorum, ultimas fortunarum jacturas adeſſe jam contemplatus, oravit ipſe quoque veniam, facturum ſe imperanda, jurandique exſecratione reſtituere univerſos promiſit: id enim cura agebatur impenſiore: detentiſque plurimis, reddidit paucos. Quo cognito, ad indignationem juſtam Julianus erectus, cum munerandus veniſſet ex more, quatuor comites ejus, quorum ope & fide maxime nitebatur, non ante abſolvit, dum omnes rediere captivi.

Redditis captivis.

Ad colloquium tamen accitus à Cæſare, termentibus oculis adorato, victoriſque ſuperatus adſpectu, conditione difficili premebatur: hac ſcilicet, ut quoniam conſentaneum erat, poſt tot ſecundos eventus civitates quoque reparari vi barbarorum exciſas, carpenta & materias ex opibus ſuis ſuorumque præberet: & hæc pollicitus, imprecatuſque, ſi perfidum quidquam egiſſet, luenda ſibi cruore ſupplicia, ad propria remeare permiſſus eſt. Annonam enim transferre, ita ut Suomarius, ea re compelli non potuit, quod ad internecionem regione ejus vaſtata nihil inveniri poterat quod daretur.

Pacem à Juliano impetrant. U.C.1110. p. C.N.358.

Ita Reges illi tumentes quondam immaniter, rapiniſque diteſcere adſueti noſtrorum, Romanæ potentiæ jugo ſubdidere colla jam domita, & velut inter tributarios nati & educati, obſecundabant imperiis ingravate. Quibus hoc modo peractis, diſperſo per ſtationes milite conſuetas, ad hiberna regreſſus eſt Cæſar.

CAP. XI. Hæc cum in comitatu Conſtantii ſubinde noſcerentur, (erat enim neceſſe tamquam Apparitorem Cæſarem ſuper omnibus geſtis ad Auguſti referre ſcientiam) omnes qui plus poterant in Palatio, adulandi profeſſores jam docti, recte conſulta proſpereque completa vertebant in deridiculum: talia ſine modo ſtrepentes inſulſe, *In odium venit cum victoriis ſuis capella, non homo*: ut hirſutum Julianum carpentes, appellanteſque loquacem talpam, & purpuratam ſimiam, & litteronem Græcum: & his congruentia plurima atque vernacula Principi reſonantes, audire hæc taliaque geſtienti, virtutes ejus obruere verbis impudentibus conabantur, ut ſegnem inceſſentes, & timidum & umbratilem, geſtaque ſecus verbis comptioribus exornantem: quod non tunc primitus accidit.

Julianus, poſt res bene geſtas ab invidis deridetur.

Segnis & timidus vocatur.

Ampliſſima gloria invidiæ objecta eſt ſemper.

Namque ut ſolet ampliſſima gloria objecta eſſe ſemper invidiæ, legimus in veteres quoque magnificos Duces vitia criminaque, etiamſi inveniri non poterant, finxiſſe malignitatem, ſpectatiſſimis actibus eorum offenſam.

Quod roboratur exemplo Cimonis.

Ut Cimonem Miltiadis filium inſimulatum intemperantiæ, qui prope Eurymedonta Pamphylium flumen Perſarum populum delevit innumerum, coëgitque gentem inſolentia ſemper elatam (*x*), obſecrare ſuppliciter pacem:

Scipionis.

Æmilianum itidem Scipionem, ut ſomniculoſum æmulorum incuſari malevolentia, cujus impetrabili (*y*) vigilantia, obſtinatæ in perniciem Romæ, duæ ſunt potentiſſimæ urbes exciſæ.

Pompeji.

Nec non etiam in Pompejum obtrectatores iniqui multa ſcrutantes, cum nihil unde vituperari deberet inveniretur, duo hæc obſervaverunt ludibrioſa & irrita: quod genuino quodam more caput digito uno ſcalpebat: quodque aliquamdiu tegendi ulceris cauſa deformis faſciola candida crus colligabat (*z*): quorum alterum factitare ut diſſolutum, alterum ut novarum rerum cupidum adſerebant: nihil intereſſe oblatrantes argumento ſubfrigido, quam partem corporis redimeret regiæ majeſtatis inſigni: eum virum (*a*), quo nec fortior, nec cautior quiſquam patriæ fuit, ut documenta præclara teſtantur.

Artemius Præfectus Urbi.

Dum hæc ita aguntur, Romæ Artemius curans Vicariam Præfecturam pro Baſſo quoque agebat: qui recens promotus Urbi Præfectus fatali deceſſerat ſorte. Cujus adminiſtratio ſeditiones perpeſſa eſt turbulentas, nec memorabile quidquam habuit, quod narrari ſit dignum.

CAP. XII. Auguſto inter hæc quieſcenti per hiemem apud Sirmium, indicabant nuntii graves & crebri, permiſtos Sarmatas & Quados, vicinitate & ſimilitudine morum armaturæque concordes, Pannonias Mœſiarumque alteram cuneis incurſare diſperſis.

Sarmatæ & Quadi Pannoniam vaſtant.

Quibus ad latrocinia magis quam aperto habilibus Marti, haſtæ ſunt longiores, & loricæ ex cornibus raſis & levigatis, plumarum ſpecie linteis indumentis innexæ: equorumque plurimi ex uſu caſtrati, ne aut feminarum viſu exagitati raptentur, aut in ſubſidiis ferocientes, prodant hinnitu denſiore vectores.

Eorum armatura.

Et per ſpatia diſcurrunt ampliſſima ſequentes alios, vel ipſi terga vertentes, inſidendo velocibus equis & morigeris, trahenteſque ſingulos, interdum & binos, uti permutatio vires foveat jumentorum, vigorque otio integretur alterno.

Contra quos proficiſcitur Conſtantius Aug. U. C. 1110. p. C. N. 358.

Æquinoctio itaque temporis verni confecto, Imperator coacta militum valida manu, ductu lætioris fortunæ profectus, cum ad locum aptiſſimum perveniſſet, flumen Iſtrum exundantem pruinarum jam reſoluta congerie, ſuper navium foros ponte contexto transgreſſus, populandis Barbarorum incubuit terris: qui itinere feſtinato præventi, catervaſque bellatoris exercitus jugulis ſuis imminere cernentes, quem nondum per anni tempus colligi poſſe rebantur, nec ſpirare auſi, nec ſtare, ſed vitantes exitium inſperatum, ſemet omnes effuderunt in fugam. Stratiſque plurimis, quorum greſſus vinxerat timor, hi quos

A quo repelluntur.

(*x*) al. inſolentia regis elatam. (*y*) al. impenetrabili. (*z*) al. colligatum.
(*a*) al. in eum virum.

quos exemit celeritas morti, inter latebrosas convalles montium occultati, videbant patriam ferro pereuntem: quam vindicassent profecto, si vigore quo discesserant, restitissent. Gerebantur hæc in ea parte Sarmatiæ, quæ secundam prospectat Pannoniam: parique fortitudine circa (b) Valeriam opus barbaricas, urendo (c) rapiendoque occurrentia, militaris turbo vastabat. Cujus cladis immensitate permoti, posthabito consilio latendi, Sarmatæ petendæ specie pacis agmine tripertito agentes securius nostros aggredi cogitarunt: ut (d) nec expedire tela, nec vim vulnerum declinare, nec quod est in rebus artissimis ultimum, verti possent in fugam. Aderant autem ilico Sarmatis periculorum Quadi participes, qui noxarum sæpe socii fuerant indiscreti: sed ne eos quidem prompta juvit audacia, in discrimina ruentes aperta. Cæsis enim compluribus, pars quæ potuit superesse, per notos colles evasit: quo eventu vires & animos incitante, junctis densius cuneis ad Quadorum regna properabat exercitus: qui ex præterito casu impendentia formidantes, rogaturi suppliciter pacem, fidentes ad Principis venere conspectum, erga hæc & similia lenioris: dictoque die statuendis conditionibus, Zizais quoque etiamtum Regalis, haud parvi corporis juvenis, ordines Sarmatarum more certaminis instruxit ad preces: visoque Imperatore abjectis armis pectore toto procubuit exanimis stratus. Et admisso vocis officio præ timore, tum cum (e) orare deberet, majorem misericordiam movit, conatus aliquoties, parumque, impediente singultu, permissus explicare quæ poscebat. Recreatus denique tandem, jussusque exsurgere, genibus nixus usu linguæ recuperato, concessionem delictorum sibi tribui supplicavit & veniam: eoque ad precandum admissa multitudo, cujus ora formido muta claudebat, periculo adhuc præstantioris ambiguo: ubi ille solo jussus attolli, orandi signum exspectantibus diu monstravit, omnes clypeis telisque projectis manus precibus dederunt, plura excogitantes ut vincerent humilitate supplicandi Regalem. Duxerat potior cum ceteris Sarmatis etiam Rumonem, & Zinafrum, & Fragiledum Subregulos, plurimosque Optimates, cum impetrandi spe (f) similia petituros. Qui licet elati gaudio salutis indultæ, conditionum sarcina compensare inimice facta pollicebantur, seque cum facultatibus & liberis & conjugibus terrarumque suarum ambitu, Romanæ potentiæ libenter offerrent: prævaluit tamen æquitati juncta benignitas: jussique obtinere sedes impavidi, nostros reddidere captivos. Duxeruntque obsides postulatos, & obedire præceptis deinde promptissime spoponderunt. Hortante hoc exemplo clementiæ, advolarunt Regales cum suis omnibus Araharius & Usafer, inter Optimates excellentes, agminum gentilium duces, quorum alter Transjugitanorum (g) Quadorumque parti, alter quibusdam Sarmatis præerat, locorum confiniis & feritate junctissimis: quorum plebem veritus Imperator, ne ferire fœdera simulans, in arma repente consurgeret, discreto consortio, pro Sarmatis obsecrantes jussit paullisper abscedere, dum Araharii (h) & Quadorum negotium spectaretur. Qui cum eorum ritu oblati, stantes curvatis corporibus, facinora gravia purgare non possent, ultimæ sortis infortunia metuentes, dederunt obsides imperatos, numquam antea pignora fœderis exhibere compulsi. His ex æquo bonoque compositis, Usafer in preces admissus est: Arahario pertinaciter obstrepente, firmanteque, pacem quam ipse meruit, ei quoque debere proficere, ut participi, licet inferiori, & obtemperare suis imperiis consueto. Verum quæstione discussa, aliena potestate eripi Sarmatæ jussi, ut semper Romanorum clientes, offerre obsides, quietis vincula conservandæ, gratanter amplexi sunt. Ingerebat autem se post hæc maximus numerus catervarum confluentium nationum & Regum, suspendi à jugulis suis gladios obsecrantium, postquam Araharium impune compererant abscessisse: & pari modo ipsi quoque adepti pacem quam poscebant, accitos ex intimis regni Procerum filios, obsidatus sorte opinione celerius obtulerunt; itidemque captivos, ut placuerat, nostros, quos haud minori gemitu perdidere quam suos. Quibus ordinatis, translata est in Sarmatas cura miseratione dignos potius quam simultate: quibus incredibile quantum prosperitatis hæc attulit causa: ut verum illud existimetur, quod opinantur quidam, fatum vinci Principis potestate, vel fieri. Potentes olim ac nobiles (i) erant hujus indigenæ regni, sed conjuratio clandestina servos armavit in facinus. Atque ut barbaris esse omne jus in viribus adsuevit, vicerunt dominos ferocia pares, sed numero præminentes. Qui confundente metu consilia, ad Victohalos discretos longius confugerunt, obsequi defensoribus, ut in malis, optabile, quam servire suis mancipiis arbitrati: quæ deplorantes post impetratam veniam recepti in fidem, poscebant præsidia liberati: eosque iniquitate rei permotus, inspectante omni exercitu, convocatos allocutus verbis mollioribus Imperator, nullo nisi sibi Ducibusque Romanis parere (k) præcepit. Atque ut restitutio libertatis haberet dignitatis augmentum, Zizain Regem iisdem præfecit, conspicuæ fortunæ tum insignibus aptum profecto, ut res docuit, & fidelem: nec discedere quisquam post hæc gloriose (l) gesta permissus est, antequam (ut placuerat) remearent nostri captivi. His in barbarico gestis, Bregetionem castra commota sunt: ut etiam ibi belli Quadorum reliquias, circa illos agitantium tractus, lacrymæ vel sanguis exstingueret. Quorum Regalis Vitrodorus Viduarii filius Regis, & Agilimundus Subregulus, aliique Optimates, & judices variis populis præsidentes, viso exercitu in gremio regni solique genitalis, sub gressibus jacuere militum, & adepti veniam jussa fecerunt: sobolemque suam obsidatus pignore, ut

Et per Zizaem regalem pacem petere coguntur.

Quam, datis obsidibus & captivis redditis, impetrant.

Similiter Regales Araharius & Usafer.

Servorum in Sarmatia in dominos conjuratio.

Constantius Sarmatis Zizaim regem præficit.

Regalis Vitrodorus à Constantio pacem petit.

(b) al. cum. (c) al. ferendo. (d) alii τὸ ut omittunt. (e) al. dum eum. (f) al. specie. (g) al. Transfugitanorum. (h) al. Barbarii. (i) al. olim ignobiles. (k) al. parcere. (l) al. gloriosa.

ut obsequuturi conditionibus impositis, tradiderunt: eductisque mucronibus, quos pro numinibus colunt, juravere se permansuros in fide.

Constantius Augustus Limigantes Sarmatas servos.

CAP. XIII. His (ut narratum est) secundo finitis eventu, ad Limigantes (m) Sarmatas Servos ocius signa transferri utilitas publica flagitabat, quos erat admodum nefas, impune multa & nefaria perpetrasse. Nam velut obliti priorum, tunc erumpentibus Liberis, ipsi quoque tempus aptissimum nacti, limitem perrupere Romanum, ad hanc solam fraudem dominis suis hostibusque concordes. Deliberatum est tamen id quoque lenius vindicari, quam criminum magnitudo poscebat, hactenus ultione porrecta, ut ad longinqua translati amitterent copiam nostra vexandi: quos pericula formidare monebat scelerum conscientia diutius commissorum. Ideoque in se pugnæ molem suspicati vertendam, dolos parabant, & ferrum, & preces. Verum adspectu primo exercitus tamquam fulminis ictu perculsi, ultimaque cogitantes, vitam precati, tributum annuum, delectumque validæ juventutis, & servitium spoponderunt: abnuere parati, si juberentur aliorsum migrare, ut gestibus indicabant & vultibus, locorum confisi præsidio, ubi lares post exactos dominos fixere securi. Has enim terras Parthiscus irruens obliquatis meatibus Istro miscetur. Sed dum solus licentius fluit, spatia longa & lata sensim præterlabens, & ea coartans prope exitum in angustias, accolas ab impetu Romanorum alveo Danubii defendit, à barbaricis vero excursibus suo tutos præstat obstaculo: ubi pleraque humidioris soli natura & incrementis fluminum redundantia, stagnosa & referta salicibus, ideoque invia nisi perquam gnaris: & super his insularem anfractum aditu Parthisci pæne contiguum amnis potior ambiens, terræ consortio separavit. Hortante igitur Principe, cum genuino fastu ad citeriorem venere fluminis ripam, ut exitus docuit, non jussa facturi, sed ne viderentur militis præsentiam formidasse: stabantque contumaciter, ideoque propinquasse monstrantes, ut jubenda repudiarent. Quæ Imperator accidere posse contemplans, in agmina plurima clam distributo exercitu, celeritate volucri migrantes intra suorum acies (n) clausit. Stansque in aggere celsiore cum paucis, & stipatorum præsidio tectus, eos ne ferocirent lenius admonebat. Sed fluctuantes ambiguitate mentium, in diversa rapiebantur, & furori mista versutia tentabant cum precibus prælium: vicinumque sibi in nostros (o) parantes excursum, projecere consulto longius scuta, ut ad ea recuperanda sensim progressi, sine ullo fraudis indicio spatia furarentur. Jamque vergente in vesperum die, cum moras rumpere lux moneret excedens, erectis vexillis, in eos igneo miles impetu ferebatur: qui conferti (p), acieque densiore contracta, adversus ipsum Principem stantem (ut dictum est) altius, omnem impetum contulerant, eum oculis incessentes & vocibus truculentis. Cujus furoris amentiam exercitus ira ferre non potuit, eosque Imperatori, ut dictum est, acriter imminentes, desinente in angustum fronte, quem habitum caput porci simplicitas militaris appellat, impetu disjecit ardenti: & dextra pedites catervas peditum obtruncabant; equites læva equitum se turmis agilibus infuderunt. Cohors Prætoria ex adverso Augustum cautius stipans, resistentium pectora, moxque terga fugientium incidebat (q): & cadentes insuperabili contumacia barbari, non tam mortem dolere, quam nostrorum lætitiam horrendo stridore monstrabant: & jacentes absque mortuis plurimi succisis poplitibus, ideoque adempto fugiendi subsidio; alii dextris amputatis; nonnulli ferro quidem intacti, sed superruentium (r) collisi ponderibus, cruciatus alto silentio perferebant. Nec eorum quisquam inter diversa supplicia veniam petiit, aut ferrum projecit, aut exoravit celerem mortem: sed arma jugiter retinentes, licet adflicti, minus criminis æstimabant, alienis viribus potius (s) quam conscientiæ suæ judicio vinci: mussantesque audiebantur interdum, fortunæ non meriti fuisse quod evenit. Ita in semihoræ curriculo discrimine præliorum emenso, tot procubuere subito barbari, ut pugnam fuisse sola victoria declararet. Vixdum populis hostilibus stratis, gregatim peremptorum necessitudines ducebantur humilibus extractæ tuguriis, ætatis sexusque promiscui: & fastu vitæ prioris abolito, ad infimitatem obsequiorum venere servilium: & exiguo temporis intervallo decurso, cæsorum aggeres, & captivorum agmina cernebantur. Incitante itaque fervore certaminum fructuque vincendi, consurrectum est in perniciem eorum, qui deseruere prælia, vel in tuguriis latitantes occultabantur. Hos cum ad loca venisset avidus barbarici sanguinis miles, disjectis culmis levibus obtruncabat: nec quemquam casa vel trabibus compacta firmissimis periculo mortis extraxit. Denique cum inflammarentur omnia, nullusque latere jam posset, cunctis vitæ præsidiis circumcisis, aut obstinate igni peribat absumptus, aut incendium vitans egressusque, uno supplicio declinato, ferro sternebatur hostili. Fugientes tamen aliqui tela incendiorumque magnitudinem: amnis vicini se commisere gurgitibus, peritia nandi ripas ulteriores occupare posse sperantes: quorum plerique submersi necati sunt, alii jaculis periere confixi: adeo ut abunde cruore diffuso meatus fluminis spumaret immensi: ita per elementum utrumque Sarmatas vincentium ira virtusque delevit. Placuerat igitur post hunc rerum ordinem cunctis adimi spem omnem vitæque solatium: & post lares incensos raptasque familias, navigia jussa sunt colligi, ad indagandos quos à nostrorum acie ulterior discreverat ripa. Statimque ne alacritas intepesceret pugnatorum, impositi lintribus per abdita ducti velites, expediti,

Post magnam ipsorum cædem factam.

(m) al. Limitantes. (n) al. intra vallum acies &c. (o) al. in nocturnos. (p) al. conversi. (q) al. cædebat. (r) al. supervenientium. (s) alii τὸ potius omittunt.

pediti, occuparunt latibula Sarmatarum: quos repentinus fefellit adſpectus, gentiles lembos & nota remigia conſpicantes. Ubi vero procul micantibus telis, quod verebantur, propinquare ſenſerunt, ad ſuffugia (*t*) locorum paluſtrium ſe contulerunt: eoſque ſecutus infeſtius miles, cæſis plurimis ibi victoriam reperit, ubi nec caute poſſe conſiſtere, nec audere aliquid credebatur. Poſt abſumptos pæne diffuſoſque Amicenſes, petiti ſunt ſine mora Picenſes, ita ex regionibus appellati conterminis: quos tutiores fecere ſociorum ærumnæ, rumorum adſiduitate compertæ. Ad quos opprimendos (erat enim arduum ſequi per diverſa conſperſos, imprudentia viarum arcente) Taifalorum auxilium, & Liberorum adæque Sarmatarum adſumptum eſt. Cumque auxiliorum agmina locorum ratio ſepararet, tractus contiguos Mœſiæ ſibi miles elegit; Taifali proxima ſuis ſedibus obtinebant; Liberi terras occupaverant è regione ſibi oppoſitas. Limigantes (*u*) territi recentibus (*x*) ſubactorum exemplis & proſtratorum, diu hæſitabant ambiguis mentibus, utrum oppeterent an rogarent, cum utriuſque rei ſuppeterent documenta non levia. Vicit tamen ad ultimum cœtu Seniorum urgente, dedendi ſe conſilium: variæque palmæ victoriarum acceſſit eorum quoque ſupplicatio, qui armis libertatem invaſerant: & reliqui eorum cum precibus, ut ſuperatos & imbelles dominos aſpernati, fortioribus viſis inclinavere cervices. Accepta itaque publica fide, & deſerto montium propugnaculo, ad caſtra Romana convolavit eorum pars major, diffuſa per ſpatia ampla camporum, cum parentibus, & natis, atque conjugibus, opumque vilitate, quam eis celeritatis ratio furari (*y*) permiſit. Et qui animas amittere potius, quam cogi ſolum vertere putabantur, dum licentem amentiam libertatem exiſtimarent, parere imperiis, & ſedes alias ſuſcipere ſunt adſenſi tranquillas & fidas: ut nec bellis vexari, nec mutari ſeditionibus poſſint. Iiſdemque ex ſententia, ut credebatur, acceptis, quievere paulliſper, poſt feritate nativa in exitiale ſcelus erecti, ut congruo docebitur textu. Hoc rerum proſpero currente ſucceſſu, tutela Illyrico competens gemina eſt ratione firmata: cujus negotii duplicem magnitudinem Imperator adgreſſus, utramque perfecit. Exſules (*z*) populos, licet mobilitate ſuſpectos, acturos tamen paullo verecundius, tandem reductos in avitis ſedibus collocavit. Iiſdemque ad gratiæ cumulum, non ignobilem quempiam Regem, ſed quem ipſi antea ſibi præfecere, Regalem impoſuit, bonis animi corporiſque præſtantem. Tali textu recte factorum, Conſtantius jam metuente ſublimior, militarique conſenſu ſecundo Sarmaticus appellatus ex vocabulo ſubactorum, jamque diſceſſurus, convocatis cohortibus, & centuriis, & manipulis omnibus, tribunal inſiſtens, ſigniſque ambitus & aquilis, & agmine multiplicium poteſtatum, his exercitum alloquutus eſt, ore omnium favorabilis, ut ſolebat: *Hortatur recordatio rerum glorioſe geſtarum, omni jucunditate viris fortibus gratior, admodum verecunde replicare, quæ divinitus delata ſorte vincendi, & ante prælia, & in ipſo correximus fervore pugnarum, Romanæ rei fidiſſimi defenſores. Quid enim tam pulcrum, tamque poſteritatis memoriæ juſta ratione mandandum, quam ut miles ſtrenue factis, ductor prudenter conſultis exſultet? Perſultabat Illyricum furor hoſtilis, abſentiam noſtram inanitate tumenti deſpiciens, dum Italos tueremur & Gallos: variiſque diſcurſibus vaſtabat extima limitum: nunc cavatis (a) roboribus, aliquoties peragrans pedibus flumina, non congreſſibus, nec armis fretus aut viribus, ſed latrociniis aſſuetus occultis, aſtu & ludificandi varietate jaminde ab inſtituta gente noſtris quoque (b) majoribus formidatus: quæ longius diſparati, quæ ferri poterant tulimus, leviores jacturas efficacia ducum vetari poſſe ſperantes. Ubi vero per licentiam ſcandens in majus, ad funeſtas provinciarum clades erepſit & crebras: communitis aditibus Rhæticis, tutelaque pervigili Galliarum ſecuritate fundata, terrore nullo relicto poſt terga, venimus, in Pannonias, (c) ut placuit numini (d) ſempiterno, labentia firmaturi: cunctiſque paratis, ut noſtis, vere adulto egreſſi, arripuimus negotiorum maximas moles: primum ne ſtruendo textis compagibus ponti telorum officeret multitudo: quo opera levi perfecto, viſis terris hoſtilibus & calcatis, obſtinatis ad mortem animis conatos reſiſtere Sarmatas abſque noſtrorum diſpendio ſtravimus: parique petulantia ruentes in agmina nobilium legionum Quados, Sarmatis adjumenta ferentes, attrivimus, qui poſt ærumnoſa diſpendia inter diſcurſus & repugnandi minaces anhelitus, quid noſtra valeat virtus experti, manus ad dimicandum paratas, armorum abjecto munimine, pone terga vinxerunt: reſtareque ſolam ſalutem contemplantes in precibus, affuſi ſunt veſtigiis Auguſti clementis, cujus prælia ſæpe compererant exitus habuiſſe felices. His ſequeſtratis, Limigantes quoque fortitudine ſuperavimus pari: interfectiſque pluribus, alios periculi declinatio adegit ſuffugia petere latebrarum paluſtrium. Hiſque ſecundo finitis eventu, lenitatis tempus aderat tempeſtivæ. Limigantes ad loca migrare compulimus longe diſcreta, ne in perniciem noſtrorum ſe commovere poſſent ulterius: & pepercimus plurimis; & Zizain præfecimus Liberis, dicatum nobis futurum & fidum, plus æſtimantes creare, quam auferre barbaris Regem: hoc decore augente ſollemnitatem, quod iiſdem quoque rector tributus, antehac electus eſt & acceptus. Quadruplex igitur præmium, quod unus procinctus abſolvit, nos quæſivimus & Reſpublica primo ultione parta de graſſatoribus noxiis; deinde quod vobis abunde ſufficient ex hoſtibus captivi. His enim virtutem oportet eſſe contentam, quæ ſudore quæſivit & dexteris. Nobis amplæ (e) facultates, opumque ſunt magni theſauri: integra omnium patrimonia noſtri labores & fortitudo ſervarint, hoc enim boni Principis menti, hoc ſucceſſibus (f) congruit proſperis. Poſtremo ego quoque hoſtilis vocabuli ſpolium præ me*

Margin notes: cogit ſedibus ſuis emigrare. U. C. 1110. p. C. N. 358. — Conſtantius Sarmaticus vocatur. — Conſtantius Aug. milites ſuos alloquitur.

(*t*) al. ſuffragia. (*u*) al. Limitantes. (*x*) alii τὸ recentibus omittunt. (*y*) al. futurari. (*z*) al. perfecit inſidis. Exſulem &c. (*a*) al. *nauticis*. (*b*) al. *noſtriſque* (*c*) al. *Pannoniam*. (*d*) al. *nomini*. (*e*) al. *amplas*. (*f*) al. *ſenſibus*.

me fero, secundi Sarmatici cognomentum, quod vos unum idemque sentientes, mihi (ne sit arrogans dicere) merito tribuistis.

Post hunc dicendi finem, concio omnis alacrior solito, aucta spe potiorum & lucris, vocibus festis in laudes Imperatoris assurgens, Deumque ex usu testata, non posse Constantium vinci, tentoria repetit læta. Et reductus Imperator ad regiam, otioque bidui recreatus, Sirmium cum pompa triumphali regressus est, & militares numeri destinatas remearunt sedes.

Romani legati de pace, re infecta revertuntur ex Perside, Sapore Armeniam & Mesopotamiam reperente. U. C. 1110. p. C. N. 358.

CAP. XIV. Hisce iisdem diebus Prosper, & Spectatus, atque Eusthathius legati ad Persas ut supra docuimus missi, Ctesiphonta reversum Regem adiere, litteras proferentes Imperatoris & munera: poscebantque rebus integris pacem, & mandatorum memores nusquam ab utilitate Romanæ rei majestateque discedebant, amicitiæ fœdus sub hac lege firmari debere asseverantes, ne super turbando Armeniæ vel Mesopotamiæ statu quidquam moveretur. Diu igitur ibi morati, cum obstinatissimum Regem, nisi harum regionum dominio sibi adjudicato, obdurescentem ad suscipiendam cernerent pacem, negotio redierunt infecto. Post quod, idipsum conditionum robore pari impetraturi, Lucillianus missus est Comes, & Procopius tunc Notarius, qui postea nodo quodam violentæ necessitatis adstrictus; ad res consurrexit novas:

Explicit Liber XVII.

AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XVIII.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

HÆc per orbis varias partes uno eodemque anno sunt gesta. At in Galliis cum in meliore statu res essent (g) & Eusebium atque Hypatium fratres sublimarent vocabula Consulum, Julianus contextis successibus clarus, apud hiberna, sequestratis interim sollicitudinibus bellicis, haud minore cura provinciarum fortunis multa conducentia disponebat: diligenter observans ne quem tributorum sarcina prægravaret, neve potentia præsumeret (h) aliena, aut ii versarentur in medio, quorum patrimonia publicæ clades augebant, vel judicum quisquam ab æquitate deviaret impune. Idque ea re levi labore correxit, quod ipse jurgia dirimens, ubi causarum cogebat magnitudo vel personarum, erat indeclinabilis justorum injustorumque distinctor. Et licet multa sint ejus laudanda in hujusmodi controversiis, unum tamen sufficiet poni, ad cujus similitudinem acta vel dicta sunt.

Julianus Cæsar Gallorum commodis consulit, & ubique ab omnibus jus servandum curat. U. C. 1111. p. C. N. 359.

In causa Numerii ipse præsidet.

Numerium Narbonensis paullo ante rectorem accusatum ut furem, inusitato censorio vigore pro tribunali palam admissis volentibus audiebat: qui cum infitiatione (i) defenderet objecta, nec posset in quoquam confutari; Delphidius orator acerrimus vehementer eum inpugnans, documentorum inopia percitus exclamavit: *Ecquis, florentissime Cæsar, nocens esse poterit usquam, si negare suffecerit?* Contra quem Julianus prudenter motus ex tempore, *Ecquis*, ait, *innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?* Et hæc quidem & hujusmodi multa civilia.

CAP. II. Egressurus autem ad procinctum urgentem, cum Alemanorum pagos aliquos esse reputaret hostiles, & ausuros immania, ni ipsi quoque ad ceterorum sternerentur exempla: hærebat anxius qua vi, qua celeritate, cum primum ratio copiam tribuisset, rumore præcurso terras eorum invaderet repentinus. Seditque tandem multa & varia cogitanti, id tentare, quod utile probavit eventus. Hariobaudem vacantem Tribunum fidei fortitudinisque notæ, nullo conscio, legationis specie ad Hortarium miserat Regem jam pacatum, ut exinde facile ad collimitia progressus eorum, in quos erant arma protinus commovenda, scitari possit quid molirentur, sermonis barbarici perquam gnarus. Quo fidenter ad hæc patranda digresso, ipse anni tempore opportuno, ad expeditionem undique milite convocato profectus, id inter potissima mature duxit implendum, ut ante præliorum fervorem civitates multo ante excisas introiret, receptasque communiret: horrea quinetiam exstrueret pro incensis, ubi condi posset annona, à Britannis sueta transferri. Et utrumque perfectum & spe omnium citius. Nam & horrea veloci opere surrexerunt, alimentorumque in iisdem satias condita: & civitates occupatæ sunt septem; Castra Herculis, Quadriburgium, Tricesimæ, Novesium, Bonna, Antunnacum, & Bingio: ubi læto quodam eventu etiam Florentius Præfectus apparuit subito, partem militum ducens, & commeatuum perferens copiam sufficientem usibus longis. Post hæc impetrata (k), restabat adigente necessitatum articulo, receptarum urbium mœnia reparari, nullo etiam tum interturbante: idque claris indiciis apparet, ea tempestate utilitati publicæ metu

Hariobaudes Tribunus fidei notæ.

Julianus occupat septem civitates. U. C. 1111. p. C. N. 359.

Quarum mœnia reparat.

Ooo

(g) al. esset. (h) al. premeret. (i) al. insita ratione. (k) al. imperata.

tu barbaros obedisse, rectoris amore Romanos. Reges ex pacto superioris anni ædificiis habilia multa suis misere carpentis: & auxiliarii milites semper munia spernentes hujusmodi, ad obsequendi sedulitatem Juliani blanditiis deflexi (*l*) quinquagenarias longioresque materias vexere cervicibus ingravate, & fabricandi ministeriis opem maximam contulerunt. Quæ dum diligenti maturantur effectu, Hariobaudes exploratis omnibus rediit, docuitque comperta. Post cujus adventum incitatis viribus omnes venere Mogontiacum: ubi Florentio & Lupicino, Severi Successore, destinate certantibus per pontem illic constitutum transiri debere; renitebatur firmissime Cæsar, asserens pacatorum terras non debere calcari, ne, ut sæpe contigit per incivilitatem militis occurrentia vastantis, abrupte fœdera frangerentur. Alemanni tamen omnes, quos petebat exercitus, confine periculum cogitantes, Suomarium Regem amicum nobis ex pactione præterita monuerunt minaciter, ut à transitu Romanos arceret. Ejus enim pagi Rheni ripis ulterioribus adhærebant. Quo testante resistere (*m*) solum non posse: in unum coacta barbarica (*n*) multitudo venit prope Mogontiacum, prohibitura (*o*) viribus magnis exercitum, ne transmitteret flumen. Gemina itaque ratione visum est habile quod suaserat Cæsar, ne pacatorum terræ corrumpentur, neve renitente pugnacissima plebe, pons cum multorum discrimine jungeretur, iri in locum ad compaginandum pontem aptissimum. Quod hostes sollertissime contemplati, per contrarias ripas leniter incedentes, ubi nostros figere tentoria procul cernebant, ipsi quoque noctes agebant exsomnes, custodientes pervigili studio ne transitus tentaretur. Verum cum nostri locum adventarent provisum, vallo fossaque quievere circumdati: & adscito Lupicino in consilium, Cæsar certis imperavit Tribunis, ut trecentenos pararent cum sudibus milites expeditos, quid agi, quove iri deberet penitus ignorantes. Et collecti nocte provecta, impositique omnes, quos lusoriæ naves quadraginta, quæ tunc aderant solæ, ceperunt, decurrere jubentur per flumen adeo taciti, ut etiam remi suspenderetur, ne barbaros sonitus excitaret undarum: atque mentis agilitate & corporum, dum hostes nostrorum ignes observant, adversas perrumpere limitis (*p*) ripas. Dum hæc celerantur, Hortarius Rex nobis antea fœderatus, non novaturus quædam, sed amicus finitimis quoque suis, Reges omnes, & Regales, & Regulos ad convivium corrogatos retinuit, epulis adusque vigiliam tertiam gentili more extentis: quos discedentes inde, casu nostri ex improviso adorti, nec interficere, nec corripere ullo genere (*q*) potuerunt, tenebrarum equorumque adjumento, quo dubius impetus trusit abreptos: lixas vero vel servos qui eos pedibus sequebantur, nisi quos exemit discrimine temporis obscuritas, occiderunt. Cognito denique Romanorum transitu, qui tunc perque expeditiones præteritas ibi levamen sumere laborum opinabantur, ubi hostem contingeret inveniri: perculsi Reges eorumque populi, qui pontem, ne strueretur, studio servabant intento, metu exhorrescentes diffuse vertuntur in pedes: & indomito furore sedato necessitudines opesque suas transferre longius festinabant. Statimque difficultate omni depulsa, ponte constrato, sollicitarum gentium opinione præventa, visus in barbarico miles, per Hortarii regna transibat intacta. Ubi vero terras infestorum etiam tum tetigit Regum, urens omnia rapiensque per medium rebellium solum grassabatur intrepidus. Postque sæpimenta fragilium penatium inflammata, & obtruncatam hominum multitudinem, visosque cadentes multos aliosque supplicantes, cum ventum fuisset ad regionem cui Capellatii vel Palas nomen est, ubi terminales lapides Alemannorum (*r*) & Burgundiorum (*s*) confinia distinguebant, castra sunt posita: ea propter ut Macrianus (*t*) & Hariobaudus germani fratres & Reges, susciperentur impavidi; qui propinquare sibi perniciem sentientes, venerant pacem anxiis animis precaturi. Post quos statim Rex quoque Vadomarius venit, cujus erat domicilium contra Rauracos: scriptisque Constantii Principis, quibus commendatus est artius, allegatis, leniter susceptus est, ut decebat, olim ab Augusto in clientelam rei Romanæ susceptus. Et Macrianus quidem cum fratre inter aquilas admissus & signa, stupebat armorum viriumque varium decus, visa tunc primitus, proque suis orabat. Vadomarius vero nostris coalitus, utpote vicinus limiti mirabatur quidem apparatum ambitiosi procinctus, sed vidisse se talia sæpe ab adulescentia meminerat prima. Libratis denique diu consiliis, concordi assensione cunctorum, Macriano quidem & Hariobaudo pax est attributa: Vadomario vero, qui suam locaturus securitatem in tuto, & legationis nomine precator venerat pro Urio (*u*), & Ursicino, & Vestralpo Regibus, pacem itidem obsecrans, interim responderi non poterat, ne, ut sunt fluxioris fidei barbari, post abitum recreati nostrorum, parum acquiescerent per alios impetratis. Sed cum ipsi quoque missis legatis post messes incensas & habitacula, captosque plures & interfectos, ita supplicarent, tamquam ipsi hæc deliquissent in nostros; pacem conditionum similitudine meruerunt. Inter quas id festinatum est maxime, ut captivos restituerent omnes, quos rapuerant excursibus crebris.

Julianus Cæsar Rhenum transit.

Et hostili parte Alemanniæ vastata.

Alemannorum Reges ad pacem petendam & captivos reddendos compellit. U. C. IIII. p. C. N. 359.

CAP. III. Hæc dum in Galliis cœlestis corrigit cura, in comitatu Augusti turbo novarum exoritur rerum, à primordiis levibus ad luctus & lamenta progressus, in domo Barbationis pedestris militiæ tunc rectoris, examen apes fecere perspicuum. Superque hoc ei (*v*) prodigiorum gnaros sollicite consulenti, discrimen magnum portendi responsum est; conjectura videlicet tali; quod hæ volucres post compositas sedes opesque congestas, fumo pelluntur

Barbationi Magistro peditum.

(*l*) al. defluxi. (*m*) alii τὸ resistere omittunt. (*n*) al. barbara. (*o*) al. prohibitus. (*p*) al. milites. (*q*) al. ullo modo. (*r*) al. Romanorum. (*s*) al. Burgundorum. (*t*) al. Macrinus. (*u*) al. Vario. (*v*) al. τὸ ei omittunt.

luntur & turbulento sonitu cymbalorum. Huic uxor erat Assyria nomine, nec taciturna, nec prudens: quæ eo ad expeditionem profecto & multiplici metu suspenso, ob ea quæ meminerat sibi prædicta, perculsa vanitate muliebri, ancilla adscita notarum perita, quam è patrimonio Silvani possederat, ad maritum scripsit intempestive, velut flens obtestansque ne post obitum Constantii propinquantem in Imperium ipse ut sperabat admissus, despecta se anteponeret Eusebiæ matrimonium tunc Reginæ, decore corporis inter multas feminas excellentis. Quibus litteris occulte quantum fieri potuit missis, ancilla quæ domina dictante perscripserat, reversis omnibus è procinctu, exemplum ferens ad Arbetionem (*x*) noctis prima quiete confugit, avideque suscepta, chartulam prodidit. Hocque indicio ille confisus, ut erat ad criminandum aptissimus, Principi detulit: atque ex usu nec mora ulla negotio tributa nec quiete; Barbatio epistolam suscepisse confessus, & mulier scripsisse documento convicta non levi, cervicibus interiere præcisis. Hisce punitis, quæstiones longe serpebant, vexatique multi nocentes sunt, & innocentes. Inter quos etiam Valentinus ex Primicerio Protectorum Tribunus, ut conscius inter complures alios tortus aliquoties supervixit, penitus quid erat gestum ignorans. Ideoque ad injuriæ periculique compensationem, Ducis in Illyrico meruit potestatem. Erat autem idem Barbatio subagrestis arrogantisque propositi, ea re multis exosus, quod & dum Domesticos Protectores sub Gallo regeret Cæsare, proditor erat & perfidus: & post ejus excessum nobilioris militiæ fastu (*y*) elatus, in Julianum itidem Cæsarem paria confingebat, crebroque detestantibus bonis sub Augusti patulis auribus multa garriebat & sæva. Ignorans profecto vetus (*z*) Aristotelis sapiens dictum, qui Callisthenem sectatorem & propinquum suum ad Regem Alexandrum mittens, ei sæpe mandabat, ut quam rarissime & jucunde apud hominem loqueretur, vitæ potestatem & necis in acie linguæ portantem. Ne sit hoc mirum, homines profutura discernere nonnumquam & nocentia (*a*), quorum mentes cognatas cœlestibus arbitramur, animalia ratione carentia salutem suam interdum alto tueri silentio solent: ut exemplum est hoc perquam notum. Linquentes Orientem anseres (*b*) ob calorem, plagamque petentes occiduam, cum montem penetrare cœperint Taurum aquilis abundantem; timentes fortissimas volucres, nostra lapillis occludunt, ne eis eliciat vel necessitas extrema clangorem: iisdemque collibus agiliore volatu transcursis projiciunt calculos, atque ita securius pergunt.

Et uxori ejus jussu Constantii capita abscissa.

Barbationis indoles.

Aristotelis monitum ad Callisthenem.

Animalia silentio salutem suam tuentur.

CAP. IV. Dum apud Sirmium hæc diligentia quæruntur impensa, Orientis fortuna periculorum terribiles tubas inflabat. Rex enim Persidis ferarum gentium quas placarat adjumentis accinctus, augendique regni cupiditate supra homines flagrans, arma viresque parabat & commeatus, consilia tartareis manibus miscens, & præstigiatores omnes consulens de futuris: hisque satis collectis, pervadere cuncta prima verni temperie cogitabat. Et cum hæc primo rumores, dein nuntii certi perferrent, omnesque suspensos adventantium calamitatum complicaret magna formido, Comitatensis (*c*) fabrica eamdem incudem (ut dicitur) diu noctuque tundendo ad spadonum arbitrium, Imperatori suspicaci (*d*) ac timido intendebat Ursicinum, velut vultus Gorgonei torvitatem: hæc sæpe taliaque replicans, quod interempto Silvano, quasi penuria meliorum ad tuendas partes Eoas denuo missus, altius anhelabat. Hac autem assentandi nimia fœditate mercari complures nitebantur Eusebii favorem, cubiculi tunc Præpositi, apud quem (si vere dici debeat) multa Constantius potuit, antedicti Magistri equitum salutem acriter impugnantis, ratione bifaria: quod omnium solus nec opis ejus egebat ut ceteri, & domo sua non cederet Antiochiæ, quam molestissime flagitabat. Qui ut coluber copia virus exuberans, natorum multitudinem etiamtum ægre serpentium excitans ad nocendum, emittebat cubicularios jam adultos: ut inter ministeria vitæ secretioris, gracilitate vocis semper puerilis & blandæ, apud Principis aures nimium patulas existimationem viri fortis invidia gravi pulsarent: & brevi jussa fecerunt. Horum & similium tædio juvat veterem laudare Domitianum, qui licet patris fratrisque dissimilis memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit; tamen receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos jurisdictionis Romanæ castraret quisquam puerum: quod ni contigisset, quis eorum ferret examina, quorum paucitas (*e*) difficile toleratur? Actum est tamen cautius, ne ut fingebat, rursus accitus idem Ursicinus metu cuncta turbaret, sed cum fors (*f*) copiam detulisset, raperetur ad mortem. Hæc opperientibus illis, & ancipiti cogitatione districtis, nobis apud Samosatam, Commageni quondam regni clarissimam sedem, parumper morantibus, repente novi motus rumoribus densis audiuntur & consertis (*g*); quos docebit orationis progrediens (*h*) textus.

Rex Persarum Sapor Romanos totis viribus aggredi parat. U.C. IIII. p. C.N. 359.

Domitianus lege, de non castrandis maribus, inclaruit.

CAP. V. Antoninus quidam ex mercatore opulento Rationarius Apparitor Mesopotamiæ Ducis, tunc Protector, exercitatus & prudens, perque omnes illas notissimus terras, aviditate quorumdam nexus ingentibus damnis, cum jurgando contra potentes se magis magisque injustitia frangi contemplaretur, ad deferendam (*i*) potioribus gratiam, qui spectabant negotium, inclinatis: ne contra acumina calcitraret, flexit se in blanditias molliores: confessusque debitum, per colludia in nomen fisci translatum, jamque ausurus immania, rimabatur tectius Reipublicæ membra totius: & utriusque linguæ litteras sciens, circa ratiocinia versabatur, qui vel quarum virium milites ubi agant, vel procinctus tempore quos tueren-tur

Antoninus Protector cum suis omnibus ad Saporem deficit.

(*x*) al. Barbetionem. (*y*) al. statu. (*z*) al. notum. (*a*) al. decentia. (*b*) al. grues. (*c*) al. Comitensis. (*d*) al. suspicanti. (*e*) al. paritas. (*f*) al. fors. (*g*) al. concretis. (*h*) al. exitus. (*i*) al. differendam.

tur (*k*) deſcribens: itidem armorum & commeatuum copiæ, aliaque uſui bello futura an abunde ſuppetant, indefeſſa ſcitatione percontans. Et cum totius Orientis didiciſſet interna, virorum ſtipendiique parte maxima per Illyricum diſtributa, ubi diſtinebatur ex negotiis ſeriis Imperator: adlapſuro jam præſtituto die ſolvendæ pecuniæ, quam per ſyngrapham debere ſe confiteri vi metuque compulſus eſt, cum omnibus ſe proſpiceret undique periculis opprimendum, Largitionum Comite ad alterius gratiam infeſtius perurgente; fugam ad Perſas cum conjuge, liberis (*l*), & omni vinculo caritatum ingenti molimine conabatur. Atque ut lateret ſtationarios milites, fundum in Hiaſpide, qui locus Tigridis fluentis adluitur, pretio non magno mercatur. Hocque commento cum nullus cauſam veniendi ad extremas Romani limitis partes, jam poſſeſſorem cum plurimis auderet exigere, per familiares fidos peritoſque nandi occultis ſæpe colloquiis cum Tamſapore habitis, qui tractus omnes adverſos Ducis poteſtate tunc tuebatur, & antea cognitus, miſſo à Perſicis caſtris auxilio virorum pernicium, lembis impoſitus, cum omni penatum (*m*) dulcedine nocte concubia transfretat, re (*n*) contraria, ſpecie Zopyri illius ſimilis Babylonii proditoris. Rebus per Meſopotamiam in hunc ſtatum deductis, Palatina cohors palinodiam in exitium concinens noſtrum, invenit tandem anſam nocendi fortiſſimo viro, auctore & incitatore cœtu ſpadonum: qui feri & acidi ſemper, carenteſque neceſſitudinibus ceteris, divitias ſolas ut filiolas jucundiſſimas amplectuntur.

Sabinianus homo imbellis.

Stetitque ſententia, ut Sabinianus vietus quidam ſenex & bene nummatus, ſed imbellis & ignavus, & ab impetranda magiſterii dignitate per obſcuritatem adhuc longe diſcretus, præficiendus Eois partibus mitteretur:

Urſicinus Barbationi ſuccedit.

Urſicinus vero curaturus pedeſtrem militiam, & ſucceſſurus Barbationi, ad Comitatum reverteretur, quo præſens rerum novarum avidus concitor, ut jactabant, à gravibus inimicis & metuendis inceſſeretur. Dum hæc in caſtris Conſtantii quaſi per luſtra aguntur & ſcenam, & diribitores venumdatæ ſubito poteſtatis pretium per potiores diffundirant domos,

Antoninus magnifice à Perſis excipitur.

Antoninus ad Regis hiberna perductus aventer ſuſcipitur: & apicis nobilitatus auctoritate, (quo honore participantur menſæ regales, & meritorum apud Perſas ad ſuadendum ferendaſque ſententias in concionibus ora panduntur) non contis, nec rymulco (*o*), (ut aiunt) id eſt non flexiloquis ambagibus vel obſcuris, ſed velificatione plena in Rempublicam ferebatur:

Regem Perſarum in bellum Romanum impellit.

eumdemque incitans Regem, ut quondam Maharbal lentitudinis increpans Hannibalem, poſſe eum vincere, ſed victoria uti neſcire, adſidue prædicabat. Educatus (*p*) enim in medio, ut rerum omnium gnarus, auditorum nactus vigiles ſenſus (*q*), & aurium delenimenta captantes, nec laudantium, ſed ſecundum Homericos Phæacas cum ſilentio admirantium, jam inde quadrageſimi anni memoriam replicabat: poſt bellorum adſiduos caſus, & maxime apud Hileiam & Singaram, ubi acerrima illa nocturna concertatione pugnatum eſt, noſtrorum copiis ingenti ſtrage confoſſis, quaſi dirimente quodam medio feciali, Perſas nondum Edeſſam nec pontes Euphratis tetigiſſe victores: quos armipotentia fretos ſucceſſibuſque magnificis, ita dilataſſe decuerat rem, eo maxime tempore, quo diuturnis bellorum civilium motibus ſanguis utrimque Romani roboris fundebatur. His ac talibus ſubinde inter epulas ſobrius perfuga, ubi de apparatu bellorum & ſeriis rebus apud eos Graiorum more veterum conſultatur, Regem incendebat ardentem, ut exacta hieme ſtatim arma, fretus fortunæ ſuæ magnitudine, concitaret: ipſe quoque in multis ac neceſſariis operam ſuam fidenter promittens.

CAP. VI. Sub iiſdem fere diebus Sabinianus adepta repentina poteſtate ſufflatus, & Ciliciæ fines ingreſſus, deceſſori ſuo Principis litteras dedit hortantis, ut ad Comitatum dignitate afficiendus ſuperiore citius properaret: eo neceſſitatum articulo, quo etiamſi apud Thulen moraretur Urſicinus: acciri eum magnitudo rerum ratione probabili flagitabat; utpote diſciplinæ veteris, & longo uſu bellandi artis Perſicæ ſcientiſſimum.

Urſicinus ex Oriente evocatus.

Quo rumore provinciis percitis, ordinis civitatum & populi, decretis & acclamationibus denſis, injecta manu detinebant penes ſe publicum defenſorem, memores quod relictus ad ſui tutelam cum inerti & umbratili milite, nihil amiſerat per decennium: ſimul metuentes ſaluti, quod tempore dubio, remoto illo, adveniſſe hominem compererant inertiſſimum. Credimus, neque enim dubium eſt, per aërios tramites famam præpetem volitare, cujus indicio hæc geſta pandente, conſiliorum (*r*) apud Perſas ſumma proponebatur: & multis ultro citroque deliberatis placuit, Antonino ſuadente, ut Urſicino procul amoto, deſpectoque novello Duce, Poſthabitis civitatum pernicioſis obſidiis, perrumperetur Euphrates, ireturque prorſus: ut occupari poſſint provinciæ, fama celeritate præventa, omnibus ante bellis (niſi temporibus Gallieni) intactæ, paceque longiſſima locupletes: cujus rei, proſperante Deo, ductorem commodiſſimum fore ſpondebat. Laudato firmatoque concordi omnium voluntate conſilio, converſiſque univerſis ad ea quæ erant citius congerenda, commeatus, milites, arma, ceteraque inſtrumenta, quæ poſcebat procinctus adventans, perpetua hieme parabantur.

Remittitur in Meſopotamiam.

Nos interea paulliſper cis Taurum morati, ex Imperio ad partes Italiæ feſtinantes, prope flumen venimus Hebrum, ex Odryſarum montibus decurrentem: ibique Principis ſcripta ſuſcepimus, jubentia omni cauſatione (*s*) poſthabita reverti Meſopotamiam ſine apparitione, nullam expeditionem curaturi periculoſam, ad alium omni poteſtate translata. Quod ideo per moleſtos formatores Imperii ſtruebatur, ut ſi Perſæ fruſtra habiti rediſſent ad ſua, Ducis novi virtuti facinus aſſignaretur egregium: ſi

(*k*) al. intuerentur. (*l*) al. liberiſque. (*m*) al. pœnarum. (*n*) al. Rex. (*o*) al. ramulo. (*p*) al. Eductus. (*q*) al. vigiliis ejus ſenſus. (*r*) al. conciliorum. (*s*) al. cautione.

ſi fortuna ſequior (*t*) ingruiſſet, Urſicinus reus proditor Reipublicæ deferretur (*u*) Agitati igitur ſine rationibus, diu cunctati, reverſique, faſtidii plenum Sabinianum invenimus: hominem mediocris ſtaturæ, & parvi anguſtique animi, vix ſine turpi metu ſufficientem ad levem convivii, nedum prælii ſtrepitum perferendum. Tamen quoniam ſpeculatores apparatus omnes apud hoſtes fervere conſtanti adſeveratione perfugis concinentibus affirmabant, oſcitante homunculo Niſibin propere venimus utilia paraturi, ne (*x*) diſſimulantes obſidium Perſæ civitati ſupervenirent incautæ. Dumque intra muros maturanda perurgerentur, fumus micanteſque ignes adſidue à Tigride per caſtra Maurorum, & Siſara, & conlimitia reliqua aduſque civitatem continui (*y*) perlucebant ſolito crebriores, erupiſſe hoſtium vaſtatorias manus ſuperato flumine permonſtrantes. Qua cauſa ne occuparentur itinera, celeri curſu prægreſſi, cum ad ſecundum lapidem veniſſemus, liberali forma puerum torquatum, ut conjectabamus, octennem, in aggeris medio vidimus ejulantem, ingenui cujuſdam filium, ut aiebat: quem mater dum imminentium hoſtium terrore percita fugeret, impeditior trepidando reliquerat ſolum. Hunc dum imperatu Ducis miſerati commotique, impoſitum equo præ me ferens ad civitatem reduco; circumvallato murorum ambitu prædatores latius vagabantur. Et quia me obſidionales ærumnæ terrebant, intra ſemiclauſam poſticam expoſito puero, noſtrorum agmen agilitate volucri repetebam exanimis: nec multum fuit quin caperer. Nam cum Abdigidum quemdam Tribunum fugientem cum calone ala ſequeretur hoſtilis, lapſoque per fugam domino ſervum deprehenſum, cum ego rapido ictu tranſirem, interrogaſſent, quiſnam provectus (*z*) ſit judex, audiſſentque Urſicinum paullo ante urbem ingreſſum, montem Izalam petere: occiſo indice, in unum quæſiti complures nos irrequietis curſibus ſectabantur. Quos cum jumenti agilitate prægreſſus, apud Amudim (*a*) munimentum infirmum diſperſis per pabulum equis recubantes noſtros ſecurius inveniſſem, porrecto extentius (*b*) brachio, & ſummitatibus ſagi contortis elatius, adeſſe hoſtes ſigno ſolito demonſtrabam: iiſdemque junctus impetu communi ferebar, equo jam fatiſcente. Terrebat autem nos plenilunium noctis, & planities ſupina camporum, nulla, ſi occupaſſet artior caſus, latibula præbere ſufficiens; ubi nec arbores nec fruteta, nec quidquam præter herbas, humiles viſebatur. Excogitatum eſt ergo, ut ardente ſuperpoſita lampade & circumligata ne rueret, jumentum ſolum quod eam vehebat, ſolutum ſine rectore lævorſum ire permitteretur, cum nos ad montanos exceſſus dextra poſitos tenderemus (*c*): ut prælucere ſebalem facem Duci lenius gradienti Perſæ credentes, eum tenerent potiſſimum curſum: quod niſi fuiſſet prævïſum, circumventi & capti ſub ditionem veniſſemus hoſtilem. Hoc extracti periculo, cum ad nemoroſum quemdam locum vineis arbuſtiſque pomiferis conſitum, Mejacarire nomine veniſſemus, cui fontes dedere vocabulum gelidi, lapſis accolis omnibus, ſolum in remoto ſeceſſu latentem invenimus militem: qui oblatus Duci, & locutus varia præ timore, ideoque ſuſpectus, adigente metu qui intentabatur, pandit rerum integram fidem: docetque quod apud Pariſios natus in Galliis, & equeſtri militans turma, vindictam quondam commiſſi facinoris timens, ad Perſas abierat profugus; exindeque morum probitate ſpectata ſortita conjuge, liberiſque ſuſceptis, ſpeculatorem ſe miſſum ad noſtra, ſæpe veros nuntios reportaſſe. At nunc ſe à Tamſapore & Nohodare Optimatibus miſſum, qui catervas ductaverant prædatorum, ad eos redire quæ didicerat perlaturum. Poſt hæc, adjectis quæ agi in parte diverſa norat, occiditur. Proinde curarum creſcente ſollicitudine, inde paſſibus citis Amidam pro temporis copia venimus, civitatem poſtea ſecutis cladibus inclytam. Quo reverſis exploratoribus noſtris, in vaginæ internis notarum figuris membranam reperimus ſcriptam, à Procopio ad nos perferri mandatam, quem legatum ad Perſas antea miſſum cum Comite Lucilliano prædixi: hæc conſulto obſcurius indicantem, ne captis bajulis, ſenſuque intellecto ſcriptorum, excitaretur materia funeſtiſſima: *Amandatis procul Graiorum legatis, forſitan & necandis, Rex longævus non contentus Helleſponto, junctis Granici & Ryndaci (d) pontibus, Aſiam cum numeroſis populis pervaſurus adveniet, ſuopte ingenio irritabilis & aſperrimus, auctore & incenſore Hadriani quondam Romani Principis ſucceſſore: actum & conclamatum eſt, ni caverit Græcia.* Qui textus ſignificabat Perſarum Regem, tranſitis fluminibus Anzaba & Tigride, Antonino hortante dominium Orientis affectare totius. His ob perplexitatem nimiam ægerrime lectis; conſilium ſuſcipitur prudens. Erat eo tempore Satrapa Corduenæ, quæ obtemperabat poteſtati Perſarum, Jovinianus nomine appellatus, in ſolo Romano adoleſcens, nobiſcum occulte ſentiens: ea gratia quod obſidatus ſorte in Syriis detentus, & dulcedine liberalium ſtudiorum illectus, remeare ad noſtra ardenti deſiderio geſtiebat. Ad hunc miſſus ego cum Centurione quodam fidiſſimo, exploratius noſcendi gratia quæ gerebantur, per avios montes anguſtiaſque præcipites veni. Viſuſque & agnitus, comiterque ſuſceptus, cauſam præſentiæ meæ uni illi confeſſus, adjuncto taciturno aliquo locorum perito, mittor ad præcelſas rupes exinde longe diſtantes: unde niſi oculorum deficeret acies, ad quinquageſimum uſque lapidem quodvis etiam minutiſſimum apparebat. Ibi morati integrum biduum, cum Sol tertius affulſiſſet, cernebamus terrarum omnes ambitus ſubjectos, quos horizontas appellamus, agminibus oppletos innumeris, & antegreſſum Regem veſtis claritudine rutilantem. Quem juxta lævus incedebat Grumbates

Sabinianus deſcribitur.

Ammianus Marcellinus pæne à Perſis captus.

Explorator Perſarum capitur.

Et occiditur.

Procopii litteræ ad Urſicinum de Regis Perſarum moliminibus.

Ammianus Marcellinus ad Jovinianum Corduenæ ſatrapam mittitur.

(*t*) al. æquior. (*u*) al. differretur. (*x*) al. ni. (*y*) alii τὸ continui omittunt. (*z*) al. profectus (*a*) al. Amudum. (*b*) al. extenſius. (*c*) al. extenderemus. (*d*) al. Bandaci.

tes Chionitarum Rex, ætate quidem media (e), rugosisque membris, sed mente quadam grandifica, multisque victoriarum insignibus nobilis: dextra Rex Albanorum, pari loco atque honore sublimis: post Duces varii auctoritate & potestatibus eminentes: quos ordinum omnium multitudo sequebatur, ex vicinarum gentium roboribus lecta, ad tolerandam rerum asperitatem diuturnis casibus erudita. Quousque nobis Doriscum Thraciæ oppidum, & agminatim intra consepta exercitus recensitos Græcia fabulosa narrabis? cum nos cauti, vel ut verius dixerim, timidi nihil exaggeremus, præter ea quæ fidei testimonia neque dubia, neque incerta monstrarunt.

Qui adventum Saporis explorat.

CAP. VII. Postquam Reges Nineve Adiabenæ ingenti civitate transmissa, in medio pontis Anzabæ hostiis cæsis extisque prosperantibus transiere lætissimi, conjectantes nos residuam plebem omnem ægre penetrare post triduum posse, citius exinde ad Satrapen reversi quievimus, hospitalibus officiis recreati. Unde per loca itidem deserta & sola, magno necessitatis ducente solatio: celerius quam potuit sperari reversi, confirmavimus animos hæsitantium, unum è navalibus pontem transisse Reges absque ulla circuitione perdoctos. Extemplo igitur equites citi mittuntur ad Cassianum Mesopotamiæ Ducem, rectoremque provinciæ tunc Euphronium, compulsuri agrestes cum familiis & pecoribus universis ad tutiora transire, & agiliter deseri Carras oppidum, invalidis circumdatum muris, super his campos omnes incendi, ne pabulorum suppeteret copia. Et imperatis sine mora completis, injecto igne, furentis elementi vis maxima frumenta omnia, cum jam stipula flaventi turgerent, herbasque pubentes ita contorruit, ut adusque Euphratem ab ipsis marginibus Tigridis nihil viride cerneretur. Tunc exustæ sunt feræ complures, maximeque leones per ea loca sævientes immaniter, consumi vel cæcari sueti paullatim hoc modo. Inter harundineta Mesopotamiæ fluminum & frutecta leones vagantur innumeri, clementia hiemis ibi mollissimæ semper innocui. At ubi Solis radiis exarserit tempus, in regionibus æstu ambustis, vapore sideris & magnitudine culicum agitantur, quorum examinibus per eas terras referta sunt omnia. Et quoniam oculos quasi humida & lucentia membra eædem appetunt volucres, palpebrarum libramentis mordicus insidentes, iidem leones cruciati diutius, aut fluminibus mersi sorbentur, ad quæ remedii causa confugiunt, aut amissis oculis, quos unguibus crebro lacerantes effodiunt, immanius efferascunt: quod ni fieret, universus Oriens hujusmodi bestiis abundaret. Dum campi cremantur, (ut dictum est) Tribuni cum Protectoribus missi, citeriores ripas Euphratis castellis, & præacutis sudibus, omnique præsidiorum genere communibant, tormenta, qua non erat voraginosum: locis opportunis aptantes. Dum hæc celerantur, Sabinianus inter rapienda momenta periculorum communium lectissimus moderator belli internecivi, per Edessena sepulcra, quasi fundata cum mortuis pace nihil formidans, more vitæ remissioris fluxius agens, militari pyrricha sonantibus modulis pro histrionicis gestibus in silentio summo delectabatur, ominoso sane & incepto & in loco. Cum hæc & hujusmodi factu dictuque tristia futuros prænuntiant motus, vitare optimum quemque dedere sæculi progressione discamus. Interea Reges Nisibi prostratione vili transmissa, incendiis arida nutrimentorum varietate crescentibus, fugitantes inopiam pabuli, sub montium pedibus per valles gramineas incedebant. Cumque Bebasen villam venissent, unde ad Constantinam usque oppidum, quod centesimo lapide disparatur, arescunt omnia siti perpetua, nisi quod in puteis aqua reperitur exilis; quid agerent diu cunctati, jamque suorum duritiæ fiducia transituri, exploratore fido docente, cognoscunt Euphratem nivibus tabefactis inflatum, late fusis gurgitibus evagari: ideoque vado nequaquam posse transiri. Convertuntur ergo ad ea, quæ amplectenda fortuita daret occasio, spe concepta præter opinionem exclusi: ac proposito pro abrupto rerum præsentium statu urgenti consilio, Antoninus dicere quid sentiat jussus orditur, flecti iter suadens in dexterum latus, ut per longiorem circuitum, omnium rerum usu regionum feracium, (f) & consideratione ea qua rectus pergeret hostis adhuc intactarum, castra duo præsidiaria Barzala & Laudias peterentur sese ductante: ubi tenuis fluvius prope originem & angustus, nullisque adhuc aquis advenis adulescens, facile penetrari poterit ut vadosus. His auditis, laudatoque suasore, & jusso ducere qua norat, agmina cuncta ab instituto itinere conversa prævium sequebantur.

Campi in Mesopotamia à Romanis incenduntur.

Leones in Mesopotamia qua ratione intereant.

Sabinianus inter sepulcra moratur.

Antonini consilium.

CAP. VIII. Quo certis speculationibus cognito, nos disposuimus properare Samosata, ut superato exinde flumine, pontiumque apud Zeugma & Capersana juncturis abscissis, hostiles impetus, si juvisset fors ulla, repelleremus. Sed contigit atrox & silentio omni dedecus obruendum. Namque duarum turmarum equites circiter septingenti, ad subsidium Mesopotamiæ recens ex Illyrico missi, enerves & timidi, præsidium per eos traductus agentes, nocturnasque paventes insidias, ab aggeribus publicis vesperi, quando custodiri magis omnes tramites conveniret, longius discedebant. Hocque observato, eos vino oppressos & somno, viginti millia fere Persarum, Tamsapore & Nohodare ductantibus, nullo prospiciente transgressa, post tumulos celsos vicinos Amidæ occultabantur armata. Moxque (ut dictum est) cum abituri Samosatam luce etiamtum dubia pergeremus, ab alta quadam specula radiantium armorum splendore præstricti, hostesque adesse excitatius clamitantes, signo dato quod ad prælium solet hortari, restitimus conglobati, nec fugam capessere, cum essent jam in contuitu qui sectarentur, nec congredi cum hoste, equitatu & numero

Septingenti equites Illyriciani à Persis conjiciuntur in fugam. U.C. IIII. P. U. N. 359.

(e) al. Grynbates Chionitarum Rex nobis quidem ætate media. (f) al. omnem rerum usu regionum inferacium.

mero prævalente, metu indubitatæ mortis cautum existimantes. Denique ex ultima necessitate manibus jam conserendis, cum quid agi oporteat cunctaremur, occiduntur quidam nostrorum temere procursantes: & urgente utraque parte, Antoninus ambitiose prægrediens agmina, ab Ursicino agnitus, & objurgatorio sono vocis increpitus, proditorque & nefarius appellatus, sublata tiara, quam capiti summo ferebat honoris insigne, desiluit equo: curvatisque membris, humum vultu pæne contingens, salutavit patronum appellans & dominum, manus post terga connectens, quod apud Assyrios supplicis indicat formam: &, *Ignosce mihi*, inquit, *amplissime Comes, necessitate non voluntate ad hæc quæ novi scelesta prolapso: egere me præcipitem flagitatores, ut nosti: quorum avaritiæ ne tua quidem excelsa illa fortuna, propugnans miseriis meis, potuit refragari.* Simul hæc dicens, è medio prospectu abscessit, non aversus, sed dum evanesceret verecunde retrogradiens, & pectus ostentans. Quæ dum in curriculo semihoræ aguntur, Postsignani nostri, qui tenebant editiora collis, exclamant aliam cataphractorum multitudinem equitum pone visam, celeritate quam maxima propinquare. Atque ut in rebus solet afflictis, ambigentes cuinam deberet aut posset occurri, trudente pondere plebis immensæ, passim qua cuique proximum videbatur, diffundimur universi. Dumque se quisque expedire discrimine magno conatur, sparsim disjecti hosti concursatori miscemur. Itaque spreta jam vivendi cupiditate fortiter decernentes, ad ripas pellimur Tigridis alte excisas. Unde quidam præcipites pulsi, implicantibus armis hæserunt, ubi vadosus est amnis: alii lacunarum hausti vertigine vorabantur: nonnulli cum hoste congressi, vario eventu certabant: quidam cuneorum densitate perterriti, petebant proximos Tauri montis excessus. Inter quos Dux ipse agnitus, pugnatorumque mole circumdatus, cum Aiadalthe Tribuno, caloneque uno, equi celeritate ereptus abscessit. Mihi dum avius ab itinere comitum quid agerem circumspicio, Verennianus Domesticus Protector occurrit, femur sagitta confixus: quam dum avellere obtestante collega conarer; cinctus undique antecedentibus Persis, civitatem petebam anhelo cursu rependo, ex eo latere quo incessebamur, in arduo sitam, unoque adscensu peranguesto meabilem, quem scissis collibus molinæ ad calles artandas fidificatæ, densius constringebant. Hic misti cum Persis, eodem ictu procurrentibus ad superiora nobiscum adusque ortum alterius solis immobiles stetimus, ita conferti, ut cæsorum cadavera multitudine fulta reperire ruendi spatium nusquam possent: utque miles ante me quidam discriminato capite, quod in æquas partes ictus gladii fiderat validissimus, in stipitis modum undique coartatus hæreret. Et licet multiplicia tela, per tormentorum omnia genera volarent è propugnaculis, hoc tamen periculo murorum nos propinquitas eximebat: tandemque per posticam ingressus, refertam inveni confluente ex finitimis virili & muliebri sexu.

Ursicinus & Ammianus Marcellinus evadunt.

Nam & casu illis ipsis diebus, in suburbanis peregrina commercia circumacto anno solita celebrari, multitudo convenarum augebat agrestium. Interea sonitu vario cuncta miscentur, partim amissos gementibus, aliis cum exitio sauciis, multis caritates diversas, quas præ angustiis videre non poterant, invocantibus.

Civitatis Amidæ descriptio.

CAP. IX. Hanc civitatem olim perquam brevem, Cæsar etiamtum Constantius, ut accolæ suffugium possint habere tutissimum, eo tempore quo Antoninupolim oppidum aliud struxit, turrbus circumdedit amplius & mœnibus: locatoque ibi conditorio muralium tormentorum, fecit hostibus formidatam, suoque nomine voluit appellari. Et à latere quidem australi, geniculato Tigridis meatu subluitur propius emergentis: qua Euri opponitur flatibus, Mesopotamiæ plana despectat: unde Aquiloni obnoxia est, Nymphæo amni vicina, verticibus Taurinis umbratur, gentes Transtigritanas dirimentibus & Armeniam: spiranti Zephyro contraversa Gumathenam contingit, regionem uberem & cultu juxta fecundam: in qua vicus est Abarne nomine, sospitalium aquarum lavacris calentibus notus. In ipso autem Amidæ meditullio sub arce fons dives exundat, potabilis quidem, sed vaporatis æstibus nonnumquam fœtens. Cujus oppidi præsidio erat semper quinta Parthica legio destinata, cum indigenarum turma non contemnenda. Sed tunc ingruentem Persarum multitudinem sex legiones raptim percursis itineribus antegressæ, muris adstitere firmissimis; Magnentiaci & Decentiaci, quos post consummatos civiles procinctus, ut fallaces & turbidos ad Orientem venire compulit Imperator, ubi nihil præter bella timetur externa: & Tricesimani (*g*) Decimanique Fortenses, & Superventores atque Præventores cum Æliano jam Comite, quos tirones tum etiam novellos, hortante memorato adhuc Protectore erupisse à Singara, Persasque fusos in somnum retulimus trucidasse complures. Aderat Comitum quoque sagittariorum pars major, equestres videlicet turmæ ita cognominatæ, ubi merent omnes ingenui barbari, armorum viriumque firmitudine inter alios eminentes.

Quot ibi legiones ac turmæ in præsidio fuerint.

CAP. X. Hæc dum primi impetus turbo conatibus agitat insperatis, Rex cum populo suo gentibusque quas ductabat, à Bebase loco itinere flexo dextrorsus, ut monuerat Antoninus, per Horren & Mejacarire (*h*) & Charcha, ut transiturus Amidam, cum prope castella Romana venisset, quorum unum Reman, alterum Busan appellatur, perfugarum indicio didicit (*i*), multorum opes illuc translatas servari, ut in munimentis præcelsis & fidis: additumque est ibi cum supellectili pretiosa inveniri feminam pulchram cum filia parvula, Craugasii Nisibeni cujusdam uxorem, in municipali ordine genere, fama, potentiaque circumspecti. Aviditate itaque rapiendi aliena festinans, petit impetu fidenti castella: unde subita animi consternatione defensores armorum varietate præstricti, se cunctosque prodidere qui ad præsidia confugerunt, & digredi jussi, confestim claves obtulere portarum: pate-

Sapor duo castella Romana in fidem recipit. U.C. IIII. p. C. N. 359.

(*g*) al. Tricensimani. (*h*) al. Mejacariren. (*i*) al. dicitur.

patefactiſque aditibus, quidquid ibi congeſtum erat eruitur: & productæ ſunt attonitæ metu (*k*) mulieres, & infantes matribus implicati, graves ærumnas inter initia tenerioris ætatis experti. Cumque Rex, percontando cujuſnam conjunx eſſet, Craugaſii comperiſſet, vim in ſe metuentem prope venire permiſit intrepidam, & viſam opertamque abſque labra ipſa atro velamine, certiore jam ſpe mariti recipiendi, & pudoris inviolati manſuri, benignius confirmavit. Audiens enim conjugem miro ejus amore flagrare, hoc præmio Niſibenam ſe proditionem mercari poſſe arbitrabatur. Inventas tamen alias quoque virgines Chriſtiano ritu cultui divino ſacratas, cuſtodiri intactas, & religioni ſervire ſolito more, nullo vetante præcepit: lenitudinem profecto in tempore ſimulans: ut omnes quos antehac diritate crudelitateque terrebat, ſponte ſua metu remoto venirent, exemplis recentibus docti, humanitate eum & moribus jam placidis magnitudinem temperaſſe fortunæ.

Craugaſii uxor à Sapore capta.

Saporis temperantia erga virgines ſacras.

Explicit Liber XVIII.

AMMIANI MARCELLINI RERUM GESTARUM LIBER XIX.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

Sapor Amidam venit. U. C. IIII. p. C. N. 359.

HOc miſeræ noſtrorum captivitatis eventu Rex lætus, ſucceſſuſque opperiens ſimiles, egreſſus exinde paullatimque incedens, Amidam die tertio venit. Cumque primum aurora fulgeret (*l*), univerſa quæ videri poterant armis ſtellantibus coruſcabant, ac ferreus equitatus campos opplevit & colles. Inſidens autem equo, ante alios celſior ipſe præibat agminibus cunctis, aureum capitis arietini figmentum interſtinctum lapillis pro diademate geſtans, multiplici vertice dignitatum & gentium diverſarum comitatu ſublimis. Satiſque eum conſtabat colloquio tenus defenſores mœnium tentaturum, alioſum Antonini conſilio feſtinantem. Verum cœleſte numen, ut Romanæ rei totius ærumnas intra unius regionis concluderet ambitum, adegerat in immenſum ſe extollentem, credentemque quod viſo ſtatim obſeſſi omnes metu exanimati, ſupplices venirent in preces. Portis obequitabat, comitante cohorte regali: qui dum ſe prope confidentius inſerit, ut etiam vultus ejus poſſit aperte cognoſci, ſagittis miſſilibuſque ceteris ob decora petitus inſignia, corruiſſet, ni pulvere jaculantium adimente conſpectum, parte indumenti tragulæ ictu diſciſſa, editurus poſtea ſtrages iunumeras evaſiſſet. Hinc quaſi in ſacrilegos violati ſæviens templi, temeratumque tot Regum & gentium dominum prædicans, eruendæ urbis apparatu niſibus magnis inſtabat: & orantibus potiſſimis Ducibus, ne profuſus in iram à glorioſis deſciſceret cœptis, leni Summatum petitione placatus, poſtridie quoque ſuper deditione moneri decreverat defenſores. Ideoque cum prima lux adveniſſet, Rex Chionitarum Grumbates fidenter eam operam navaturus tendebat ad mœnia, cum manu (*m*) promptiſſima ſtipatorum: quem ubi venientem jam telo forte contiguum contemplator peritiſſimus advertiſſet, contorta balliſta filium ejus primæ pubis adoleſcentem lateri paterno hærentem, thorace cum pectore perforato profudit, proceritate & decore corporis æqualibus anteſtantem. Cujus occaſu in fugam dilapſi populares ejus omnes, moxque ne raperetur ratione juſta regreſſi, numeroſas gentes ad arma clamoribus diſſonis concitarunt: quarum concurſu ritu grandinis hinc inde convolantibus telis, atrox committitur pugna. Et poſt interneciva certamina adusque finem diei protenta, cum jam noctis eſſet initium, per acervos cæſorum & ſcaturigines ſanguinis ægre defenſum caligine tenebrarum extrahitur corpus; ut apud Trojam quondam ſuper comite Theſſali Ducis exanimi acies Marte acerrimo conflixerunt. Quo funere regia mæſta, & Optimatibus univerſis cum parente ſubita clade perculſis, indicto juſtitio juvenis nobilitate commendabilis & dilectus, ritu nationis propriæ lugebatur. Itaque ut armari ſolebat elatus, in amplo quodam ſuggeſtu locatur & celſo: circaque eum lectuli decem ſternuntur, figmenta vehentes hominum mortuorum, ita curate pollincta, ut imagines eſſent corporibus ſimiles jam ſepultis: ac per dierum ſpatium ſeptem, viri quidem omnes per contubernia & manipulos epulis iudulgebant ſaltando, & cantando triſtia quædam genera næniarum, regium juvenem lamentantes. Feminæ vero miſerabili planctu, in primævo flore ſucciſam ſpem gentis ſolitis fletibus conclamabant; ut lacrymare cultrices Veneris (*n*) ſæpe ſpectantur in ſollemnibus Adonidis ſacris, quod ſimulacrum aliquod eſſe frugum adultarum religiones myſticæ docent.

Qui dum Amidenſes ad deditionem hortatur.

A præſidiariis ſagittis & tragulis petitur.

Idem dum tentat Grumbates Rex.

Filius ejus interficitur.

Cujus funus lugetur.

CAP. II. Poſt incenſum corpus, oſſaque in argenteam urnam conjecta, quæ ad gentem humo mandanda portari ſtatuerat pater; agitata ſum-

Corpuſque incenditur.

(*k*) al. ſonitu. (*l*) al. ſurgeret. (*m*) al. cum eo manu. (*n*) al. Venereæ,

summa consiliorum placuerat, busto urbis subversæ expiare perempti juvenis manes: nec enim Grumbates inulta (*n*) unici pignoris umbra ire ultra patiebatur. Biduoque ad otium dato, ac missis abunde qui pacis modo patentes agros pingues cultosque vastarent, quinquies ordine multiplicato scutorum cingitur civitas: ac tertiæ principio lucis corusci globi turmarum impleverunt cuncta, quæ prospectus humanus potuit undique contueri: & sorte loca divisa clementi gradu incedentes ordines occuparunt. Persæ omnes murorum ambitus obsidebant. Pars quæ Orientem spectabat, Chionitis evenit, qua funestus nobis ceciderat adolescens. Vertæ meridiano (*o*) lateri sunt destinati: tractum servabant Septemtrionis Albani: Occidentali portæ oppositi sunt Segestani, acerrimi omnium bellatores: cum quibus elata in arduum specie elephantorum agmina, rugosis horrenda corporibus, leniter incedebant armatis onusta, ultra omnem diritatem tetri spectaculi formidanda, ut retulimus sæpe. Cernentes populos tam indimensos, ad orbis Romani incendium diu quæsitos, in nostrum conversos exitium; salutis rata desperatione gloriosos vitæ exitus deinde curabamus, jamque omnibus nobis optatos. A Sole itaque orto usque diei ultimum acies immobiles stabant ut fixæ, nullo variato vestigio, nec sonitu, vel equorum audito hinnitu: eademque figura digressi qua venerant, cibo recreati & somno, cum superesset exiguum noctis, æneatorum clangore ductante, urbem ut mox casuram terribili corona cinxerunt. Vixque ubi (*p*) Grumbates hastam infectam sanguine ritu patrio nostrique more conjecerat fecialis, armis exercitus concrepans involat in muros: confestimque lacrymabilis belli turbo crudescit, rapido turmarum processu in procinctum alacritate omni tendentium, & contra acri intentaque occursatione nostrorum. Proinde diffractis capitibus multos hostium scorpionum jactu moles saxeæ colliserunt: alii trajecti sagittis, pars confixi tragulis humum corporibus obstruebant (*q*); vulnerati alii socios fuga præcipiti repetebant. Nec minores in civitate luctus aut mortes, sagittarum creberrima nube auras spissa multitudine obumbrante, tormentorumque machinis, quæ direpta Singara (*r*) possederant Persæ, vulnera inferentibus plura. Namque viribus collectis propugnatores, omissa vicissim certamina repetentes, in maximo defendendi ardore saucii perniciose cadebant, aut laniati, volvendo stantes proxime subvertebant, aut certe spicula membris infixa viventes adhuc vellendi peritos quæritabant. Ita strages stragibus implicatas, & ad extremum usque diei (*s*) productas, ne vespertinæ quidem hebetaverant tenebræ: ea re quod obstinatione utrimque magna decernebatur. Agitatis itaque sub onere armorum vigiliis, resultabant altrinsecus exortis clamoribus colles: nostris virtutes Constantii Cæsaris extollentibus, ut domini rerum & mundi: Persis Saporem & Saansaan (*t*) appellantibus & Pyrosen (*u*), quod Rex Regibus imperans, & bellorum victor interpretatur. Ac priusquam lux occiperet, signo per lituos dato, ad fervorem (*x*) similium præliorum excitæ undique inæstimabiles copiæ in modum alituum ferebantur: unde longe ac late prospici poterat, campis & convallibus nihil præter arma micantia ferarum gentium demonstrantibus. Moxque clamore sublato, cunctis temere prorumpentibus, telorum vis ingens volabat è muris: utque opinari dabatur, nulla frustra mittebantur, inter hominum cadentia densitatem. Tot enim nos circumstantibus malis, non obtinendæ causa salutis, ut dixi, sed fortiter moriendi studio flagrabamus: & à diei principio adusque lucem obscuram neutrubi prælio inclinato, ferocius quam consultius pugnabatur. Exsurgebant enim ruentium ferientiumque clamores, ut præ alacritate consistere sine vulnere quisquam vix possit. Tandemque nox finem cædibus fecit, & satias ærumnarum inducias partibus dederat longiores. Ubi enim quiescendi nobis tempus est datum, exiguas quæ superant vires continuus cum insomnia labor absumpsit, sanguine & pallente exspirantium facie perterrente, quibus (*y*) ne suprema quidem humandi solatia tribui sinebant angustiæ spatiorum, intra civitatis ambitum non nimium amplæ legionibus septem, & promiscua advenarum civiumque sexus utriusque plebe, & militibus aliis paucis adusque numerum millium xx. concitis inclusis. Medebatur ergo suis quisque vulneribus pro possibilitate vel curantium copia: cum quidam graviter saucii cruore exhausto spiritus reluctantes efflarent: alii confossi mucronibus prostrati, animis in ventum solutis projiciebantur exstincti: aliquorum foratis undique membris mederi periti vetabant, ne offensionibus cassis animæ vexarentur adflictæ: nonnulli vellendis (*z*) sagittis in ancipiti curatione graviora morte supplicia perferebant.

Amidæ obsidium.

Amida intra biduum bis à Persis oppugnatur.

CAP. III. Dum apud Amidam hac partium destinatione pugnatur, Ursicinus mœrens quod ex alterius pendebat arbitrio, auctoritatis tunc in regendo milite potioris Sabinianum, etiamtum sepulcris hærentem crebro monebat, ut compositis velitaribus cunctis, per imos pedes montium occultis itineribus properarent: quo levium armorum auxilio, si qua fors juvisset, stationibus interceptis, nocturnas hostium adgrederentur excubias, quæ ingenti circuitu vallaverant muros, aut lacessitionibus crebris occuparent obsidioni fortiter adhærentes. Quibus Sabinianus renitebatur ut noxiis, palam quidem litteras imperiales prætendens, intacto ubique milite, quidquid geri potuisset, impleri debere aperte jubentes: clam vero corde altissimo retinens, sæpe in Comitatu sibi mandatum, ut ansam omnem adipiscendæ laudis decessori suo ardenti studio gloriæ circumcideret, etiam ex Republica processuram. Adeo vel cum exitio provinciarum festinabatur, ne bellicosus homo memorabilis alicujus facinoris auctor nuntiaretur aut socius. Ideo-

Ursicinus noctu obsidentibus supervenire frustra tentatur.

Sabiniano magistro militum repugnante.

(*n*) al. invita. (*o*) al. Cujus meridiano. (*p*) al. ibi. (*q*) al. obsternebant. (*r*) al. direpta in Singara. (*s*) al. diem. (*t*) al. Seansaan. (*u*) al. Pirosen. (*x*) al. fortiorem. (*y*) al. de quibus. (*z*) al. vulsis.

Ideoque his attonitus malis, exploratores ad nos ſæpe mittendo, (licet ob cuſtodias artas nullus facile oppidum poterat introire) & utilia agitando complura nihil proficiens, viſebatur ut leo magnitudine corporis & torvitate terribilis, incluſos intra retia catulos periculo ereptum ire non audens, unguibus ademptis & dentibus.

Peſtilentia Amidæ oritur.

CAP. IV. Sed in civitate, ubi ſparſorum per vias cadaverum multitudo humandi officia ſuperaret, peſtilentia tot malis acceſſit, verminantium corporum lue tabifica, vaporatis æſtibus, varioque plebis languore nutrita: quæ genera morborum unde oriri ſolent, breviter explicabo.

Peſtilentiæ cauſæ.

Nimietatem frigoris, aut caloris, vel humoris, vel ſiccitatis, peſtilentias gignere philoſophi & illuſtres medici tradiderunt. Unde accolentes loca paluſtria vel humecta, tuſſes & oculares caſus, & ſimilia perferunt, contra confines caloribus, tepore febrium areſcunt. Sed quanto ignis materies ceteris eſt (*a*) efficacior; tanto ad perimendum celerior ſiccitas. Hinc cum decennali bello Græcia deſudaret, ne peregrinus pœnas diſſociati regalis matrimonii lucraretur: hujuſmodi graſſante (*b*) pernicie, telis Apollinis periere complures, qui Sol æſtimatur. Atque ut Thucydides exponit, clades illa quæ in Peloponneſiaci belli principiis Athenienſes acerbo genere morbi vexavit, abuſque ferventi (*c*) Æthiopiæ plaga paullatim proſerpens, Atticam occupavit. Aliis placet, auras, ut ſolent, aquaſque vitiatas fœtore cadaverum vel ſimilibus, ſalubritatis violare maximam partem: vel certe aëris permutationem ſubitam ægritudines parere leviores. Adfirmant etiam aliqui, terrarum halitu denſiore craſſatum aëra, emittendis corporis ſpiraminibus reſiſtentem, necare nonnullos: qua cauſa animalia præter homines cetera jugiter prona Homero auctore, & experimentis deinceps multis, cum talis inceſſerit labes, ante novimus interire.

Ac genrea.

Et prima ſpecies luis Pandemus appellatur, quæ efficit in aridioribus locis agentes caloribus crebris interpellari: ſecunda Epidemus, quæ tempore ingruens acies hebetat (*d*) luminum, & concitat periculoſos humores: tertia Lœmodes, quæ itidem temporaria eſt, ſed volucri velocitate letabilis. Hac exitiali peſte quaſſati, paucis intemperanti æſtu comſumptis, quos multitudo angebat: tandem nocte quæ diem conſequuta eſt decimum, exiguis imbribus disjecto concreto ſpiritu & craſſato, ſoſpitas retenta eſt corporum firma.

Perſæ Amidam urgent.

CAP. V. Verum inter hæc, inquies Perſa vimineis (*e*) civitatem pluteis circumdabat, & erigi aggeres cœpti: turreſque fabricabantur frontibus ferratis excelſæ, quarum faſtigiis balliſtæ locatæ ſunt ſingulæ, ut à propugnaculis propellerent defenſores: levia tamen per funditores & ſagittarios prælia ne puncto quidem brevi (*f*) ceſſabant. Erant nobiſcum duæ legiones Magnentiacæ, recens è Galliis ductæ, ut prædiximus, virorum fortium & pernicium, ad planarios (*g*) conflictus aptorum: ad eas vero belli artes quibus ſtringebamur, non modo inhabiles, ſed contra nimii turbatores: qui cum neque in (*h*) machinis, neque in operum conſtructione juvarent aliquem, ſtolidius (*i*) erumpentes dimicanteſque fidentiſſime, minuto numero revertebant; tantum proficientes, quantum in publico (ut ajunt) incendio aqua unius hominis manu adgeſta.

Fruſtranea Romanorum eruptio.

Poſtremo obſeratis portis, precantibuſque Tribunis egredi nequeuntes, frendebant ut beſtiæ. Verum ſecutis diebus efficacia eorum eminuit, ut docebimus. In ſummoto loco partis meridianæ murorum, quæ deſpectat fluvium Tigrim, turris fuit in ſublimitatem exſurgens, ſub qua hiabant rupes abſciſſæ, ut deſpici ſine vertigine horrenda non poſſent: unde cavatis fornicibus ſubterraneis per radices montis ſcalæ aduſque civitatis ducebant planitiem, quo ex amnis alveo haurirentur aquæ furtim: ut in omnibus per eas regiones munimentis quæ contingunt flumina vidimus, fabre politæ.

Per fornices ſubterraneos.

Per has tenebras ob dirupta neglectas, oppidano transfuga quodam ductante, qui ad diverſam partem deſciverat, LXX. ſagittarii Perſæ ex agmine regio, arte fiduciaque præſtantes, ſilentio ſummoti loci defenſi, ſubito ſinguli noctis medio (*k*) ad contignationem turris tertiam adſcenderunt: ibique occultati, manè ſago punicei coloris elato, quod erat ſubeundæ indicium pugnæ, cum ex omni parte circumveniri urbem ſuis copiis inundantibus advertiſſent, exinanitis projectiſque ante pedes pharetris, clamoris (*l*) ululabilis incendio tela ſumma peritia diſpergebant.

Transfuga duce.

Amida oppugnatur.

Moxque acies omnes denſæ (*m*) petebant multo infeſtius quam antea civitatem. Inter (*n*) incertos nos & ancipites quibus occurri deberet, inſtantibus ſupra, an multitudini tranſcenſu ſcalarum jam propugnacula ipſa prenſanti, dividitur opera: & translatæ leviores quinque balliſtæ contra turrim locantur: quæ ocius lignea tela fundentes nonnumquam binos forabant: è quibus pars graviter vulnerati ruebant: alii machinarum metu ſtridentium præcipites acti, laniatis corporibus interibant. Quibus hac celeritate confectis, relatiſque ad loca ſueta tormentis, paullo ſecurius mœnia omnium (*o*) concurſu defendebantur. Et quoniam augebat curas militum ſceleſtum facinus perfugæ, quaſi decurrentes in planum, ita jaculantes diverſa miſſilia lacertis ſortibus incumbebant, ut Vertæ in meridiem (*p*) degentes, vulnerum acri repulſa disjecti, lacrymantes complurium mortes tentoria repeterent metu.

CAP. VI. Adſpiravit auram quamdam ſalutis fortuna, innoxia die cum hoſtili clade emenſo: cujus reliquo tempore ad quietem reficiendis corporibus dato, poſteræ lucis initio exarte innumeram cernimus plebem, quæ Ziata capto caſtello ad hoſticum ducebatur: ad quem locum ut capaciſſimum & munitum (ſpatio quippe decem ſtadiorum ambitur) promiſcua confugerat multitudo. Nam etiam alia mu-

Varia munimenta à Perſis capta & incenſa.

(*a*) alii τὸ eſt omittunt. (*b*) al. graſſata. (*c*) al. τὸ ferventi omittunt. (*d*) al. habet. (*e*) al. vineis. (*f*) alii τὸ brevi omittunt. (*g*) al. palmarios. (*h*) alii τὸ in omittunt. (*i*) al. ſtudiis. (*k*) al. nocte media. (*l*) al. clamoſis. (*m*) al. tenſæ. (*n*) alii τὸ inter omittunt. (*o*) al. omnia. (*p*) al. Vergentem meridiem.

munimenta iisdem diebus rapta sunt & incensa, unde hominum millia extracta complura servituri sequebantur: inter quos multi senecta infirmi, & mulieres jam grandævæ, cum ex variis deficerent causis, itineris longinquitate offensæ, abjecta vivendi cupiditate, suris vel suffraginibus relinquebantur exsectis. Has miserabiles turmas Galli milites contuentes, rationabili quidem sed intempestivo (r) motu, conserendæ cum hostibus manus copiam sibi dari poscebant, mortem Tribunis vetantibus primisque ordinibus minitantes, si deinceps prohiberent. Utque tentatæ in caveis bestiæ, tetro pedore acerbius efferatæ, evadendi spe repagulis versabilibus illiduntur: ita gladiis portas cædebant, quas supra diximus obseratas: admodum anxii ne urbe excisa ipsi quoque sine ullo specioso facinore deleantur, aut exuta periculis, nihil egisse operæpretium pro magnanimitate Gallica memorentur: licet antea sæpe egressi, structoresque aggerum confossis (s) quibusdam impedire conati, paria pertulerunt. Inopes nos consilii, & quid opponi deberet sævientibus ambigentes, id potissimum, ægre iisdem adsentientibus, tandem elegimus, ut quoniam ultra ferri non poterant, paullisper morati custodias aggredi permitterentur hostiles, quæ non procul erant à conjectu locatæ telorum, ut eis perruptis pergerent prorsus. Apparebat enim eos, si impetrassent, strages maximas edituros. Quæ dum parantur, per varia certaminum genera defensabantur acriter muri, laboribus & vigiliis, & tormentis ad emittenda (t) undique saxa telaque dispositis. Duo tamen aggeres celsi, Persarum peditum manu erecti, & expugnatio civitatis struebatur operibus lentis: contra quos nostrorum impensiore cura moles excitabantur altissimæ, fastigio adversæ celsitudinis æquatæ, propugnatorum vel nimia pondera duraturæ. Inter hæc Galli morarum impatientes, securibus gladiisque succincti, patefacta sunt egressi postica, observata nocte squalida & interluni; orantes cœleste præsidium, ut propitium adesset & libens. Atque ipsum spiritum reprimentes, cum prope venissent, conferti valido cursu, quibusdam stationariis interfectis, exteriores castrorum vigiles, ut in nullo tali metu sopitos obtruncantes, supervenire ipsi regiæ, si prosperior juvisset eventus, occulte meditabantur. Verum audito licet levi tendentium sonitu, gemituque cæsorum, discusso somno, excitatis multis, & ad arma pro se quoque clamitante, steterunt milites vestigiis fixis, progredi ultra non ausi: neque enim cautum deinde, expergefactis quos petebant insidiæ (u), in apertum properare discrimen, cum jam undique frendentium catervæ Persarum in prælia venirent accensæ. Contra Galli corporum robore audaciaque quoad poterant inconcussi, gladiis secantes adversos, parte suorum strata, vel sagittarum undique volantium crebritate confixa, cum unum in locum totam periculi molem conversam, & currentium hostium agmina advertissent, nullo terga vertente evadere festinabant: & velut repedantes sub modulis, sensim extra vallum protrusi, cum manipulos confertius invadentes sustinere non possent, tubarum perciti clangore castrensium, discedebant. Et resultantibus è civitate lituis multis, portæ panduntur recepturæ nostros, si pervenire illuc usque valuissent: tormentorumque machinæ stridebant sine jaculatione ulla telorum, ut stationibus præsidentes, post interemptos socios pone agerentur ignari, urbis oppositi mœnibus nudatis ut viri fortes susciperentur innoxii. Hacque arte Galli portam prope confinia lucis introiere minuto numero, quidam perniciose, pars leviter vulnerati, quadringentis ea nocte desideratis: qui non Rhœsum, nec cubitantes pro muris Iliacis Thracas, sed Persarum Regem armatorum centum millibus circumseptum, ni obstitisset violentior casus, in ipsis tentoriis obtruncarant. Horum Campiductoribus ut fortium factorum antesignanis, post civitatis excidium, armatas statuas apud Edessam in regione celebri locari jusserat Imperator, quæ ad præsens servantur intactæ. Retectis sequenti luce funeribus, cum inter cæsorum cadavera Optimates invenirentur & Satrapæ, clamoresque dissoni fortunam aliam alibi cum lacrymis indicabant, luctus ubique & indignatio Regum audiebatur, arbitrantium per stationes muris objectas irrupisse Romanos: induciisque ob hoc tridui datis adsensu communi, nos quoque spatium ad respirandum accepimus.

Galli milites eruptionem desiderant.

Gallorum eruptio.

Persis exitiabilis.

CAP. VII. Perculsæ deinde novitate rei efferatæque gentes, omissa omni cunctatione, operibus, quoniam vis minime procedebat, decernere jam censebant: & concito extremo belli ardore, omnes oppetere gloriose jam properabant, aut ruina urbis animis litasse cæsorum. Jamque apparatu cunctorum alacritate perfecto, exsiliente lucifero, operum variæ species cum turribus ferratis admovebantur: quorum in verticibus celsis aptatæ ballistæ propugnatores agitantes humilius disjectabant. Et albescente jam die, ferrea munimenta membrorum cœlum omne subtexunt: densitatæque acies non inordinatim ut antea, sed tubarum sonitu leni ductante, nullis procursantibus incedebant, machinarum operti tegminibus, cratesque vimineas prætendentes. Cumque propinquantes ad conjectum venere telorum, oppositis scutis Persæ pedites sagittas tormentis excussas è muris ægrius evitantes, laxarunt aciem, nullo pæne jaculi genere in vanum cadente: etiam cataphracti hebetati & cedentes animos auxere nostrorum. Tamen quia hostiles ballistæ ferratis impositæ turribus, in humiliora ex supernis valentes, ut loco dispari, ita eventu dissimili nostra multo cruore fœdabant: ingruente jam vespera cum requiescerent partes, noctis spatium majus consumptum est, ut excogitari possit, quid exitio ita atroci objectaretur. Et tandem multa versantibus nobis sedit consilium, quod tutius celeritas fecit, quatuor iisdem ballistis scorpiones opponi: qui dum translati è regione caute, quod artis est difficillimæ, collocantur

Turres & alia opera Amidæ muris admoventur.

Quibus Romani opponunt scorpiones.

(r) al. intemperativo. (s) al. confusis. (t) al. mittenda. (u) al. insidiis.

cantur, lux nobis advenit mœstissima, Persarum manipulos formidatos ostentans, adjectis elephantorum agminibus, quorum stridore immanitateque corporum nihil humanæ mentes terribilius cernunt. Cumque omni ex latere armorum & operum belluarumque molibus urgeremur, per scorpionum ferreas fundas è propugnaculis subinde rotundi lapides acti, dissolutis turrium coagmentis, ballistas earumque tortores ita fudere præcipites, ut quidam citra vulnerum noxas, alii obtriti magnitudine ponderum interirent: elephantis vi magna propulsis, quos flammis conjectis undique circumnexos, jam corporibus tactis, gradientesque retrorsus, retinere magistri non poterant: postque exustis operibus, nulla quies certaminibus data. Rex enim ipse Persarum, qui numquam adesse certaminibus cogitur, his turbinum infortuniis percitus, novo & numquam ante cognito more, præliatoris militis ritu prosiluit in confertos: & quia conspectior tegentium multitudine procul speculantibus visebatur, petitus crebritate telorum, multis stipatoribus stratis abscessit, alternans regibiles acies: & ad extremum diei nec morientium truci visu nec vulnerum territus, tandem tempus exiguum tribui quieti permisit.

Eaque incendunt.

Saporis fortitudo.

CAP. VIII. Verum nocte prælia dirimente, somno per breve otium capto, innotescente jam luce ad potiunda sperata, ira & dolore exundans, nec fas ullum præ oculis habiturus, gentes in nos excitabat. Cumque crematis operibus, ut docuimus (x), pugna per aggeres celsos muris proximos tentaretur, ex aggestis erectis intrinsecus, quantum facere nitique poterant, nostri æquis viribus per ardua resistebant. Et diu cruentum prælium stetit, nec metu mortis quisquam ex aliqua parte à studio propugnandi removebatur: eoque producta contentione, cum sors partium eventu regeretur indeclinabili, diu laborata moles illa nostrorum, velut terræ quodam tremore quassata procubuit: & tamquam itinerario aggere vel superposito ponte complanatum spatium, quod inter murum congestamque forinsecus struem hiabat, patefecit hostibus transitum, nullis obicibus impeditum; & pars pleraque militum dejectorum oppressa vel debilitata cessabat. Concursum est tamen undique ad propulsationem periculi tam abrupti: & festinandi studio aliis irretientibus alios, audacia hostium ipso successu crescebat. Accitis igitur Regis imperio præliatoribus universis, strictoque comminus ferro, cum sanguis utrobique immensis cædibus funderetur, oppletæ sunt corporibus fossæ, latiorque via ideo (y) pandebatur: & concursu copiarum ardenti jam civitate oppleta, cum omnis defendendi vel fugiendi spes esset abscissa, pecorum ritu armati & imbelles sine sexus discrimine trucidabantur. Itaque vespera tenebrante, cum adhuc licet iniqua reluctante fortuna, multitudo nostrorum manu conserta distringeretur; in abstrusa quadam parte oppidi cum duobus aliis latens obscuræ præsidio noctis, postica per quam nihil servabatur evado, & squalentum peritia locorum, comitumque adjutus celeritate, ad decimum lapidem tandem perveni. In qua statione lenius recreati, cum ire protinus pergeremus, & incedendi nimietate jam superarer ut insuetus ingenuus: offendi dirum adspectum (z), sed fatigato mihi lassitudine gravi levamen impendio tempestivum. Fugaci equo nudo & infreni calonum quidam sedens, ne labi possit, ex more habenam qua ductabatur, sinistra manu artius illigavit: moxque decussus, vinculi nodum abrumpere nequiens, per avia saltusque membratim discerptus jumentum exhaustum cursu, pondere cadaveris detinebat (a): cujus dorsualis comprehensi servitio usus in tempore, cum iisdem sociis ad fontes sulfureos aquarum suapte natura calentium ægre perveni. Et quia per æstum arida siti reptantes (b) aquam diu quæritando, profundum bene vidimus puteum, & neque descendendi præ altitudine, nec restium aderat copia, necessitate docente postrema, indumenta lintea quibus tegebamur, in oblongos discidimus pannulos: unde explicato fune ingenti, centonem quem sub galea unus ferebat è nostris, ultimæ aptavimus summitati: qui per funem conjectus aquasque hauriens ad peniculi modum, facile sitim qua hauriebamur exstinxit. Unde citi ferebamur ad flumen Euphraten, ulteriorem ripam petituri per navem, quam transfretandi causa jumenta & homines, in eo tractu diuturna consuetudo locarat. Ecce autem Romanum agmen cum equestribus signis disjectum eminus cernimus, quod persequebatur (c) multitudo Persarum, incertum unde impetu tam repentino terga viantum aggressa. Quo exemplo terrigenas illos non finibus terræ emersos, sed exuberanti (d) pernicitate credimus natos: qui quoniam inopini per varia visebantur, Sparti vocitati, humo exsiluisse, vetustate ut cetera fabulosius extollente, sunt existimati. Hoc conciti (e), cum omne jam esset in celeritate salutis præsidium, per dumeta & silvas montes petimus celsiores: exindeque Melitinam minoris Armeniæ oppidum venimus: ubi repertum Ducem comitati jam profecturum, Antiochiam revisimus.

Amida per celsos aggeres muris proximos tentatur.

Et à Persis expugnatur. U. C. IIII. p. C. N. 359.

Marcellinus nocte evadit.

Et post varia discrimina.

Antiochiam venit.

CAP. IX. Interea Sapor & Persæ, quia tendere jam introrsus autumno præcipiti hædorumque improbo (f) sidere exorto prohibebantur, captivos agentes & prædas, remeare cogitabant ad sua. Inter hæc tamen funera direptionesque civitatis excisæ, Æliano Comite & Tribunis, quorum efficacia diu defensa sunt mœnia, stragesque multiplicatæ Persarum, patibulis scelesté suffixis, Jacobus & Cæsius Numerarii Apparitionis Magistri equitum, aliique Protectores post terga vinctis manibus ducebantur: Transtigritanis, qui sollicita quærebantur industria, nullo infimi summique discrimine, ad unum omnibus contruncatis. Uxor vero Craugasii, quæ retinens pudorem inviolatum ut matrona nobilis colebatur, mœrebat velut orbem alium sine marito visura, quamquam sperabat documentis præsentibus altiora. In

Ex ducibus Romanis qui Amidam defenderant, alii supplicio afficiuntur.

alii vinciuntur.

(x) al. docueram. (y) al. inde. (z) al. adspectu. (a) al. detinebatur. (b) al. reputantes. (c) al. prosequebatur. (d) al. exsuperanti. (e) al. Hoc malo conciti. (f) alii τὸ improbo omittunt.

In rem itaque consulens suam, & accidentia longe ante prospiciens, anxietate bifaria stringebatur, viduitatem detestans & nuptias. Ideo familiarem suum perquam fidum, regionumque Mesopotamiæ gnarum, per Izalam montem inter castella præsidiaria duo, Maride & Lorne, introiturum Nisibin occulte dimisit, mandatis arcanisque vitæ secretioris maritum exorans, ut auditis quæ contigerint, veniret secum beate victurus. Quibus contentus expeditus viator, per saltuosos tramites & frutecta Nisibin passibus citis ingressus, causatusque se domina nusquam visa, & forsitan interempta, data evadendi copia castris hostilibus abscessisse, & ideo ut vilis neglectus, docet Craugasium gesta: moxque accepta fide, quod si tuto licuerit, sequetur conjugem libens, evasit exoptatum mulieri nuntium ferens: quæ hoc cognito, per Tamsaporem Ducem supplicaverat Regi, ut si daretur facultas, antequam Romanis excederet finibus, in potestatem suam juberet propitius maritum adsciscí. Præter spem itaque omnium digresso advena repentino, qui postliminio reversus, statim sine ullius evanuit conscientia, perculsus suspicione (g) Dux Cassianus, præsidentesque ibi proceres alii, minitantes ultima Craugasium incessebant, non sine ejus voluntate vel venisse, vel abisse hominem clamitantes. Qui proditionis (h) metuens crimen, impendioque sollicitus, ne transitione perfugæ uxor ejus superesse doceretur, & tractari piissime; per simulationem matrimonium alterius splendidæ virginis adfectavit. Et velut paraturus necessaria convivio nuptiali, egressus ad villam octavo lapide ab urbe distantem, concito equo ad Persarum vastatorium globum, quem didicerat adventare, confugit: susceptusque aventer, qui esset ex iis cognitus quæ loquebatur, Tamsapori post diem traditur quintum: perque eum Regi oblatus, opibus & necessitudine omni recuperata cum conjuge, quam paucos post menses amisit, erat secundi loci post Antoninum, ut ait Poëta præclarus, longo proximus intervallo. Ille enim ingenio & usu rerum diuturno firmatus, consiliis validis sufficiebat in cuncta quæ conabatur: hic natura simplicior, nominis tamen itidem pervulgati. Et hæc quidem haud diu postea contigerunt. Rex vero licet securitatem referens vultu, exsultansque specie tenus urbis excidio videbatur; profundo tamen animi (i) graviter æstuabat, reputans in obsidionalibus malis sæpe luctuosas se pertulisse jacturas, multoque ampliores seipsum populos perdidisse, quam è nostris ceperat vivos, vel certe per diversas fuderat pugnas: ut apud Nisibin aliquoties evenit, & Singaram: parique modo cum septuaginta tresque dies Amidam multitudine circumsedisset armorum, xxx. millia perdidit bellatorum; quæ paullo postea per Discenen Tribunum & Notarium numerata sunt hac discretione facilius, quod nostrorum cadavera mox cæsorum fatiscunt & defluunt, adeo ut nullius mortui facies post quatriduum agnoscatur: interfectorum vero Persarum inarescunt in modum stipitum corpora, ut nec liquentibus membris, nec sanie perfusa madescant: quod vita parcior facit, & ubi nascuntur, exustæ caloribus terræ.

Craugasius Nisibenus desiderio uxoris captivæ transfugit ad Persas.

Persarum clades in obsidione Amidæ.

CAP. X. Dum hæc per varios turbines in Orientis extimo festinantur, difficultatem adventantis inopiæ frumentorum Urbs verebatur æterna: vique minacissimæ plebis, famem ultimum malorum omnium exspectantis, subinde Tertullus vexabatur ea tempestate Præfectus, irrationabiliter plane: nec enim per eum steterat, quo minus tempore congruo alimenta navibus veherentur, quas maris casus asperiores solitis, ventorumque procellæ reflantium, delatas in proximos sinus, introire portum Augusti discriminum magnitudine perterrebant. Quocirca idem sæpe Præfectus seditionibus agitatus, ac plebe jam sævitante immanius, quam urebat impendens exitium, ab omni spe tuendæ salutis exclusus, ut æstimabat, tumultuanti (k) acriter populo, sed accidentia considerare sueto, prudenter objecit parvulos filios: & lacrymans, *En*, inquit, *cives vestri (procul omen Dii cœlestes avertant!) eadem perlaturi vobiscum, ni fortuna adfulserit lætior. Si itaque his abolitis, nihil triste accidere posse existimatis, præsto in potestate sunt (l) vestra.* Qua miseratione vulgus, ad clementiam suapte natura proclive, lenitum conticuit, æquanimiter venturam opperiens sortem. Moxque divini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis Romam, perpetuamque fore respondit, dum Tertullus, apud Ostia in æde sacrificat Castorum, tranquillitas mare mollivit: mutatoque in austrum placidum vento, velificatione plena portum naves ingressæ, frumentis horrea refserserunt.

Plebs Romana inopiam frumenti metuens seditiones movet.

CAP. XI. Inter hæc ita ambigua (m) Constantium, Sirmii etiamtum hiberna quiete curantem, permovebant nuntii metuendi & graves, indicantes id quod tunc magnopere formidabat, Limigantes (n) Sarmatas, quos expulisse paternis avitisque sedibus dominos suos ante monstravimus, paullatim posthabitis locis, quæ eis anno præterito utiliter sunt destinata, ne, ut sunt versabiles, aliquid molirentur inimicum, regiones confines limitibus occupasse: vagarique licentius genuino more, ni pellerentur, omnia turbaturos. Quæ superbius incitanda propediem Imperator dilato negotio credens, coacta undique multitudine militis ad bella promptissimi, necdum adulto vere ad procinctum egressus est, gemina consideratione alacrior: quod expletus prædarum opimitate exercitus æstate nuper emensa, similium spe (o) fidenter in effectus animabitur prosperos: quodque Anatolio regente tunc per Illyricum Præfecturam, necessaria cuncta vel ante tempus coacta sine ullius dispendiis adfluebant. Nec enim dispositionibus umquam alterius Præfecturæ (ut inter omnes constat) ad præsens Arctoæ provinciæ bonis omnibus floruerunt, correctione titubantium benivola & sollerti, vehiculariæ rei jacturis ingentibus, quæ clausere domos innumeras, & censuali professione speciosa fiducia relevatæ: indemnesque deinde & innoxii earum incolæ partium,

Limigantes Sarmatæ iterum turbant. U. C. IIII. p. C. N. 359.

(g) al. pernicione. (h) al. Qui vero proditionis. (i) al. animo. (k) al. tumultuante. (l) al. *sum.* (m) al. ambiguum. (n) al. Limitantes. (o) simili in spe.

tium, querelarum ſopitis materiis viverent, ni poſtea exquiſitorum deteſtanda nomina titulorum, per offerentes ſuſcipienteſque criminoſe in majus exaggerata, his propugnare (*p*) ſibi nitentibus poteſtates, illis attenuatis omnium opibus ſe fore ſperantibus tutos, aduſque proſcriptiones miſerorumque ſuſpendia pervenerunt. Rem igitur emendaturus urgentem, profectus cum inſtrumentis ambitioſis Imperator, ut dictum eſt, Valeriam venit partem quondam Pannoniæ, ſed ad honorem (20) Valeriæ Diocletiani filiæ & inſtitutam & ita cognominatam: ſub pellibuſque exercitu diffuſo per Hiſtri fluminis margines, barbaros obſervabat, ante adventum ſuum amicitiæ velamento Pannonias furtim vaſtandas invadere hiemis duriſſimo cogitantes, cum necdum ſolutæ vernis caloribus nives amnem undique pervium faciunt, noſtrique priunis ſubdivales moras difficile tolerabant. Confeſtim itaque miſſis ad Limigantes duobus Tribunis cum interpretibus ſingulis, explorabat modeſtius percunctando, quam ob rem relictis laribus, poſt pacem & fœdera petentibus adtributis, ita palarentur varii, limiteſque contra interdicta pulſarent. Qui vana quædam cauſantes & irrita, pavore adigente mentiri, Principem exorabant in veniam, obſecrantes ut ſimultate abolita, tranſmiſſo flumine ad eum venire permitterentur, docturi quæ ſuſtinerent incommoda: paratique intra ſpatia orbis Romani, ſi id placuerit, terras ſuſcipere longe diſcretas, ut diuturno otio involuti, & quietem colentes tamquam ſalutarem Deam, tributariorum onera ſubirent & nomen. His poſt reditum Tribunorum compertis, Imperator exſultans, ut negotio quod rebatur inexplicabile, ſine ullo pulvere conſummando, cunctos admiſit, aviditate plus habendi incenſus: quam adulatorum cohors augebat, id ſine modo ſtrepentium, quod externis ſopitis, & ubique pace compoſita, proletarios lucrabitur plures, & tirocinia cogere poterit validiſſima: aurum quippe gratanter provinciales corporibus dabunt, quæ ſpes rem Romanam aliquoties adgravavit. Proinde vallo prope Acimincum locato, celſoque aggere in ſpeciem tribunalis erecto, naves vehentes quoſdam legionarios expeditos, alveum fluminis proximum ripis obſervare ſunt juſſæ, cum Innocentio quodam Agrimenſore hujus auctore conſilii, ut ſi barbaros tumultuare ſenſiſſent, alioſum intentos poſt terga pervaderent improviſi. Quæ Limigantes licet properari ſentirent, nihil tamen præter preces fingentes ſtabant incurvi; longe alia quam quæ geſtu præferebant & verbis, altis mentibus perpenſantes. Viſoque Imperatore ex alto ſuggeſtu jam ſermonem parante (*q*) leniſſimum, meditanteque alloqui velut morigeros jam futuros: quidam ex illis furore percitus truci, calceo ſuo in tribunal contorto, *marha, marha*, quod eſt apud eos ſignum bellicum, exclamavit: eumque ſecuta incondita multitudo, vexillo elato repente barbarico, ululans ferum in ipſum Principem ferebatur. Qui cum ex alto deſpiciens plena omnia diſcurrentis turbæ cum millibus (*r*) vidiſſet, retectiſque gladiis & verutis jam propinquam perniciem: externis miſtus & ſuis, ignotuſque dux eſſet an miles, quia neque cunctandi aderat tempus neque ceſſandi, equo veloci impoſitus, curſu effuſo evaſit. Stipatores tamen pauci, dum ignis more inundantes conabantur arcere, aut vulnerati interierunt, aut ponderibus ſuperruentium ſolis adflicti: ſellaque regalis cum aureo pulvinari nullo vetante direpta eſt. Mox autem audito quod ad ultimum pæne tractus exitium, in abrupto ſtaret adhuc Imperator, antiquiſſimum omnium exercitus ratus eum juvare, (nondum enim exemptum periculis æſtimavit) ſalutis faſtu fidentior, licet ob procurſionem ſubitam ſemitectus, ſonolum & Martium frendens, barbarorum mori obſtinatorum catervis ſemet immerſit. Et quia virtute dedecus purgatura ardens copia noſtrorum erupit, iras in hoſtem perfidum parans, obvia quæque obtruncabat ſine parcimonia, vivos conculcans & ſemineces ac peremptos: & antequam exſatiaret cædibus barbaricis manus, acervi conſtipati ſunt mortuorum. Urgebantur enim rebelles, aliis trucidatis, aliis terrore disjectis: quorum pars ſpem vitæ caſſis precibus uſurpando, multiplicatis ictibus cædebantur poſtque deletos omnes in (*s*) receptum canentibus lituis, noſtri quoque licet rari videbantur exanimes, quos impetus conculcaverat vehemens, aut furori reſiſtentes hoſtili, lateraque nudantes intecta, ordo fatalis abſumpſit. Mors tamen eminuit inter alios Cellæ Scutariorum Tribuni, qui inter confligendi exordia primus (*t*) omnium in medios Sarmatarum globos ſe immiſit. Poſt quæ tam ſæva (*u*), digeſtis pro ſecuritate limitum quæ rationes monebant urgentes, Conſtantius Sirmium redit, ferens de hoſte fallaci vindictam: & maturatis quæ neceſſitates temporis poſcebant inſtantes, egreſſus exinde Conſtantinopolim petit: ut Orienti jam proximus, cladibus apud Amidam mederetur acceptis, & redintegrato ſupplementis exercitu, impetus Regis Perſarum pari virium robore cohiberet: quem conſtabat (ni cœleſtis ratio, impenſiorque repelleret cura multorum) Meſopotamia relicta poſt terga, per extenta ſpatia ſigna moturum.

Contra quos proficiſcitur Conſtantius.

Doloſe Limigantes Sarmatæ Conſtantium invadunt.

Sed maxima ſuorum ſtrage reprimuntur.

CAP. XII. Inter has tamen ſollicitudines, velut ex recepto quodam antiquitus more, ad vicem bellorum civilium inflabant litui quædam colorata læſæ crimina majeſtatis; quorum exſecutor & adminiſter ſæpe dicendus ille Notarius miſſus eſt Paulus: qui peritus artium cruentarum, ut laniſta ex commerciis libitinæ vel ludi, ipſe quoque ex eculeo vel carnifice quæſtum fructumque captabat. Ut enim erat obſtinatum fixumque ejus propoſitum ad lædendum; ita nec furtis abſtinuit, innocentibus exitiales cauſas adſtringens, dum in calamitoſis ſtipendiis verſaretur. Materiam autem in infinitum quæſtionibus extendendis dedit occa-

Pauli notarii facinora.

(*p*) al. propugnari. (*q*) al. parare. (*r*) al. miſſilibus. (*s*) alii τὸ in omittunt. (*t*) al. primum. (*u*) al. ſæve.

(20) Valeriæ Diocletiani Filiæ) Et Gal. Val. Maximiani Imp. uxor. cujus vultum ex MEDIOBARBO pag. 444. vide Tab. LXVI. num. 2. & Confer ad hunc locum AUR. VICTOREM de Cæſaribus Cap. XL. hoc Tomo pag. 140.

occasio vilis & parva. (x) Oppidum est Abydum in Thebaidis parte situm extrema: hic Besæ Dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat, priscis circumjacentium regionum cærimoniis solitum coli. Et quoniam quidam præsentes, pars per alios desideriorum indice missa scriptura, supplicationibus expresse conceptis consulta numinum scitabantur; chartulæ seu membranæ continentes quæ petebantur, post data quoque responsa interdum remanebant in fano. Ex his aliqua ad Imperatorem maligne sunt missa, qui ut erat augusti pectoris, obsurdescens in aliis etiam nimium seriis, in hoc titulo ima, quod aiunt, auricula mollior, & suspicax, & minutus (y), acri felle concaluit: statimque ad Orientem ocius ire monuit Paulum, potestate delata, ut instar Ducis rerum experientia clari, ad arbitrium suum audiri efficeret causas. Datumque est negotium Modesto etiamtum per Orientem Comiti, apto ad hæc & similia. Hermogenes enim Ponticus ea tempestate Præfectus Prætorio, ut lenioris ingenii spernebatur. Perrexit ut præceptum est Paulus, funesti furoris & anhelitus plenus: dataque calumniæ indulgentia, plurimi ducebantur ab orbe prope terrarum, juxta nobiles & obscuri: quorum aliquos vinculorum adflixerant nexus, alios claustra pœnalia consumpserunt. Et electa est spectatrix suppliciorum feralium civitas in Palæstina Scythopolis, gemina ratione visa magis omnibus opportuna, quod secretior, & inter Antiochiam Alexandriamque media, unde multi plerumque ad crimina trahebantur. Ductus est itaque inter primos Simplicius Philippi filius ex Præfecto & Consule, reus hac gratia postulatus, quod super adipiscendo interrogasse dicebatur Imperio: perque elogium Principis torqueri præceptus, qui in his casibus nec peccatum aliquando pietati dederat nec erratum, fato quodam arcente, corpore immaculato lata fuga (z) damnatus est. Dein Parnasius ex Præfecto Ægypti, homo simplicium morum, eo deductus periculi ut pronuntiaretur capitis reus, itidem pulsus est in exsilium: sæpe auditus multo antehac retulisse, quod cum Patras Achaicum oppidum, ubi genitus habuit larem, impetrandæ causa cujusdam relinqueret potestatis, per quietem deducentia se habitus tragici figmenta viderat multa. Andronicus post à studiis liberalibus & claritudine carminum notus, in judicium introductus, cum secura mente nullis suspicionibus urgeretur, purgando semper & fidentius absolutus est. Demetrius itidem Chytras cognomento Philosophus, grandævus quidam, & corpore durus & animo, sacrificasse aliquoties confutatus infitiari non potuit, adserens propitiandi causa numinis hæc à prima adolescentia factitasse, non tentandi sublimiora scrutatis: nec enim quemquam id noverat adfectare. Diu itaque adhærens eculeo, cum fiducia gravi fundatus, nequaquam varians, eadem oraret intrepidus, Alexandriam, unde oriebatur, innoxius abire permissus est. Et hos quidem aliosque paucos æqua sors veritatis adjutrix, periculis exemit abruptis. Criminibus vero serpentibus latius per implicatos nexus sine fine distentos: quidam corporibus laniatis exstinguebantur: alii pœnis ulterioribus damnati sunt, bonis ereptis, Paulo succentore fabularum crudelium, quasi è promptuaria cella fallaciarum & nocendi species suggerente complures, cujus ex nutu (prope dixerim) pendebat incedentium omnium salus. Nam si qui remedia quartanæ, vel doloris alterius collo gestaret, sive per monumentum transisse vespere malivolorum argueretur indiciis, ut veneficus, sepulcrorumque horrores & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana, pronuntiatus reus capitis interibat. Et prorsus ita res agebatur, quasi Clarum, Dodonæas arbores, & effata Delphorum olim sollemnia, in Imperatoris exitium sollicitaverint multi. Unde blanditiarum tetra commenta palatina cohors exquisite confingens, immunem eum fore malorum communium adserebat, fatum ejus vigens semper & præsens in abolendis adversa conantibus eluxisse, vocibus magnis exclamans. Et inquisitum in hæc negotia fortius, nemo qui quidem recte sapiat reprehendit. Nec enim abnuimus salutem legitimi Principis, propugnatoris bonorum & defensoris, unde salus quæritur aliis, consociato studio muniri debere cunctorum: cujus redimendæ causa validius, obi majestas pulsata defenditur, à quæstionibus vel cruentis nullam Corneliæ leges exemere fortunam. Sed exsultare mœstis casibus effrenate non decet, ne videantur licentia regi subjecti, non potestate. Imitandus sit Tullius cum: parcere vel lædere potuisset, ut ipse adfirmat, ignoscendi quærens causas. non puniendi occasiones; quod judicis lenti & considerati est proprium. Tunc apud Daphnen, amœnum illud & ambitiosum Antiochiæ suburbanum, visu relatusque horrendum natum est monstrum, infans ore gemino, cum dentibus binis & barba, quatuorque oculis, & brevissimis duabus auriculis: qui partus ita distortus præmonebat Rempublicam in statum verti deformem. Nascuntur hujuscemodi sæpe portenta, indicantia rerum variarum eventus: quæ quoniam non expiantur, ut apud veteres, publice inaudita prætereunt & incognita.

Lasæ majestatis multi arcessiti & damnati. — *Inter quos Simplicius.* — *Parnasius.* — *Andronicus.* — *Demetrius.* — *Judicis est potius ignoscere, quam lædere.* — *Monstrum apud Daphnen natum.*

CAP. XIII. His temporibus Isauri diu quieti, post gesta quæ superior continet textus, tentatumque Seleuciæ civitatis obsidium, paullatim im reviviscentes (ut solent verno tepore foveis exsilire serpentes) saltibus degressi scrupulosis & inviis, confertique in cuneos densos, per furta & latrocinia finitimos adflictabant; prætenturas militum ut montani fallentes, perque rupes & dumeta ex usu facile discurrentes. Ad quos vi vel ratione sedandos Lauricius, adjecta Comitis dignitate, missus est rector; homo civilis prudentiæ: qui minis potius quam acerbitate pleraque correxit, adeo ut eo diu provinciam obtinente, nihil accideret, quod animadversione dignum æstimaretur.

Isauri latrocinantur. U. C. IIII. P. C. N. 359. — *Seu à Lauricio compescuntur.*

(x) al. pura. (y) al. munitus. (z) alii τὸ fuga mittunt.

Explicit Liber XIX.

AMMIA-

AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XX.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

Scoti & Picti Britannias invadunt. U. C. 1112. p. C. N. 360.

HÆc per Illyricum, perque Orientem rerum series fuit. Consulatu vero Constantii decies, terque Juliani, in Britanniis cum Scotorum Pictorumque gentium ferarum excursus rupta quiete condicta, loca limitibus vicina vastarent, & implicaret formido provincias præteritarum cladium congerie fessas: hiemem agens apud Parisios Cæsar, distractusque in sollicitudines varias, verebatur ire subsidio transmarinis: (21.)(ut retulimus ante fecisse Constantem) ne rectore vacuas relinqueret Gallias, Alemannis ad sævitiam etiamtum incitatis & bella. Ire igitur ad hæc ratione vel vi componenda Lupicinum placuit, ea tempestate Magistrum armorum, bellicosum sane, & castrensis rei peritum, sed supercilia erigentem ut cornua, & de tragico, quod ajunt, cothurno strepentem: super quo diu ambigebatur, avarus esset potius, an crudelis. Moto ergo velitari auxilio, Ærulis scilicet & Batavis, numerisque Mœsiacorum duobus *(a)*, adulta hieme Dux antedictus Bononiam venit: quæsitisque navigiis, & omni imposito milite, observato flatu secundo ventorum, ad Rutupias sitas ex adverso defertur, petitque Lundinium *(b)*: ut exinde suscepto pro rei qualitate consilio, festinaret ocius ad procinctum.

Contra quos Lupicinus mittitur.

Ursicinus Amidæ excidii rationem reddere cogitur.

CAP. II. Quæ cum ita geruntur, post Amidæ oppugnationem Ursicinum ad commilitium Principis ut peditum Magistrum reversum, (successisse enim eum Barbationi prædiximus) obtrectatores excipiunt: primo disseminantes mordaces susurros: dein propalam ficta crimina subnectentes. Quibus Imperator adsensus, ex opinione pleraque æstimans & insidiantibus patens, Arbetionem & Florentium Officiorum Magistrum quæsitores dederat, spectaturos quas ob res oppidum sit excisum. Quibus apertas probabilesque refutantibus causas, veritisque ne offenderetur Eusebius Cubiculi tunc Præpositus, si documenta suscepissent perspicue demonstrantia, Sabiniani pertinaci ignavia hæc accidisse quæ contigerunt: à veritate detorti, inania quædam, longeque à negotio distantia scrutabantur. Qua iniquitate percitus qui audiebatur *(c)*: *Et sime*, inquit, *despicit Imperator, negotii est tamen magnitudo, ut nonnisi judicio Principis nosci possit & vindicari: sciat tamen velut quodam præsagio, quod dum mæret super his: quæ apud Amidam gesta emendata didicit fide, dumque ad spadonum arbitrium trahitur, defrustandæ (d) Mesopotamiæ: proximo vere ne ipse quidem cum exercitus robore omni opitulari poterit præsens.* Relatis adjectisque cum interpretatione maligna compluribus, iratus ultra modum Constantius, nec discusso negogotio, nec patefieri quæ scientiam ejus latebant permissis, adpetitum calumniis, deposita militia digredi jussit ad otium, Agilone ad ejus locum immodico saltu promoto, ex Gentilium Scutariorum Tribuno.

Militia dimittitur.


Eclipsis.

CAP. III. Eodem tempore per Eoos tractus cœlum subtextum caligine cernebatur obscura, & à primo auroræ exortu adusque meridiem intermicabant jugiter stellæ: hisque terroribus accedebat, quod cum lux cœlestis operiretur, è mundi conspectu penitus luce abrepta, defecisse diutius Solem pavidæ mentes hominum æstimabant: primo attenuatum in Lunæ corniculantis effigiem, deinde in speciem auctum semenstrem *(e)*, posteaque in integrum restitutum. Quod alias non evenit ita perspicue, nisi cum post inæquales cursus intermenstruum Lunæ ad idem revocatur initium certis temporum intervallis: id est, cum in domicilio ejusdem signi tota reperitur Luna sub Sole liniamentis objecta rectissimis, atque in his paullisper consistit minutis, quæ geometrica ratio partium partes appellat. Ac licet utriusque sideris conversiones & motus, ut scrutatores causarum intelligibilium adverterant, in unum eumdemque finem lunari cursu impleto, perenni distinctione conveniunt: tamen Sol non semper his diebus obducitur, sed cum Luna è regione, velut libramento quodam, igneo orbi & adspectui nostro opponitur media. Ad summam tum Sol occultatur splendore suppresso, cum ipse & lunaris globus astrorum omnium infimus, parili comitatu obtinentes circulos proprios, salvaque ratione altitudinis interjectæ junctim locati; ut scienter & decore Ptolemeus exponit, ad dimensiones venerint, quos ἀναβιβάζοντας & καταβιβάζοντας ἐκλειπτικοὺς συνδέσμους, coagmenta videlicet defectiva Græco dictitant *(f)* sermone. Et si contigua iisdem juncturis præstrinxerint spatia, dilucior erit defectus. Si vero articulis ipsis inhæserint, qui

Causæ defectuum Solis.

(a) al. Mœsicorum pluribus. *(b)* al. Lundinum. *(c)* al. audiebat. *(d)* al. *defensandæ*. *(e)* al. semestrem. *(f)* al. dictitata.

(21.) Ut retulimus ante fecisse Constantem) Cujus trajectus Constantis in Britanniam conservat numus Tab. LXVI. num. 2. Conf. BEGER. Th. Br. Tom. II. p. 813.


Tab. LXVI.
ad pag. 468. 486. 488.
504. 533.
I
II
GAL. VAL ERIA AVG.
ÆR
III
FEL. TEMP. REPARATIO
TR.S.
Δ
ÆR
IV
GENIO AVGVSTI
Γ
ÆR
V
GENIO POPVLI ROMANI
P.TR
Γ
ÆR
VI
BONVS EVENTVS
Γ
ÆR
VII
BONI EVENTVI.
Γ
ÆR
VIII
LIBO BON.EVENT.
Γ

qui coactius adscensus vinciunt & descensus, offunditur (g) densioribus tenebris cœlum, ut crassato aëre ne proxima quidem & adposita cernere queamus. Sol autem geminus ita videri existimatur, si erecta celsius solito nubes, æternorumque ignium propinquitate collucens orbis alterius claritudinem tamquam è speculo puriore formaverit. Nunc veniamus ad Lunam. Apertum & evidentem ita demum sustinet Luna defectum, cum pleno lumine rotundata (h) Solique contraria, ab ejus orbe centum octoginta partibus, id est signo septimo, disparatur. Et quamquam hoc per omne plenilunium semper eveniat, non semper deficit tamen. Sed quoniam circa terrenam mobilitatem locata, & à cœlo totius pulcritudinis extima, nonnumquam ferienti se subserit luci, objectu metæ noctis in conum desinentis angustum latet parumper umbrata: tumque nigrantibus involvitur globis, si Sol sphæræ inferioris curvamine circumfusus, mole obsistente terrena, radiis eam suis illustrare non possit: quam numquam habere proprium lumen opiniones variæ collegerunt. Et cum ad idem signum æquis partibus Soli concurrerit, obscuratur (ut dictum est) penitus hebetato candore, σύνοδος Græce μένης dicitur. Nasci autem putatur, cum parva declinatione velut è perpendiculo superjectum gerit Solem. Exortus vero ejus adhuc gracilescens primitus mortalitati videtur, cum ad secundum relicto Sole migraverit signum. Progressa (i) itaque porrectius, jamque abunde nitens cornutæ habitu, μηνοειδὴς est appellata. Cum autem Sole longo cœperit interstitio submoveri, & ad quintum pervenerint signum, radiis ejus ad se conversis, majus concipit lumen, & fit Græco sermone διχόμενος (k) quæ forma semiorbem ostendit, procedens deinde jam disjunctissime, quintoque signo arrepto, figuram monstrat ἀμφικύρτȣ, utrimque prominentibus gibbis. E regione vero cum normaliter steterit contra, lumine pleno fulgebit, domicilium septimi retinens signi: & in eodem tum etiam agens, paullulumque progressa minuitur, quem habitum vocamus ἀπόκρȣσιν, (l) atque easdem formas repetit senescendo: traditurque (m) doctrina multiplici congruente, nonnisi tempore intermenstrui deficere visam usquam Lunam. Quod autem Solem nunc in æthere, nunc in mundo inferiore cursare (n) prædiximus; sciendum est siderea corpora, quantum ad universitatem pertinet, nec occidere, nec oriri: sed ita videri nostris obtutibus constitutis in terra spiritus cujusdam interni motu suspensa, rerumque magnitudini instar exigui subdita (o) puncti, nunc cœlo infixas suspicere stellas, quarum ordo est sempiternus, aliquoties humana visione languente discedere suis sedibus arbitrari. Verum ad instituta jam revertamur.

Sol geminus. — *Causæ defectuum Lunæ.* — *De variis Lunæ mutationibus ac figuris.*

CAP. IV. Properantem Constantium Orienti ferre suppetias, turbando propediem excursibus Persicis, ut perfugæ concinnentes exploratoribus indicabant; urebant Juliani virtutes, quas per ora gentium diversarum fama celebrior effundebat, magnorum ejus laborum factorumque vehens adoreas celsas, post Alemanniæ quædam Regna prostrata, receptaque oppida Gallicana ante direpta à barbaris & excisa, quos tributarios ipse fecit & vectigales. Ob hæc & similia percitus, metuensque ne augerentur in majus, stimulante (ut ferebatur) Præfecto Florentio, Decentium Tribunum & Notarium misit, auxiliares milites exinde protinus abstracturum Ærulos & Batavos, cumque Petulantibus Celtas, & lectos ex numeris aliis trecentenos, hac specie jussos accelerare, ut adesse possint armis primo vere movendis in Parthos. Et super auxiliariis quidem & trecentenis cogendis ocius proficisci, Lupicinus conventus est solus transisse ad Britannias nondum compertus: de Scutariis autem & Gentilibus excerpere quemque promptissimum, & ipse perducere Sintula (p) jubetur, Cæsaris stabuli tunc Tribunus. Conticuit, hisque acquieverat Julianus, potioris arbitrio cuncta concedens. Illud tamen nec dissimulare potuit, nec silere: ut illi nullas paterentur molestias, qui relictis laribus Transrhenanis, sub hoc venerant pacto, ne ducerentur ad partes unquam Transalpinas: verendum esse affirmans, ne voluntarii barbari militares, sæpe sub ejusmodi legibus adsueti transire ad nostra, hoc cognito deinceps arcerentur. Sed loquebatur incassum. Tribunus enim parvi querelas Cæsaris ducens, Augusti jussis obtemperabat: & lecta expeditiore manu, vigore corporumque levitate præstanti, cum iisdem profectus est, spe potiorum erectus. Et quia sollicitus Cæsar, quid de residuis mitti præceptis agi deberet, perque varias curas animum versans, attente negotium tractari oportere censebat; cum hinc barbara feritas, inde jussorum urgeret auctoritas, maximeque absentia Magistri equitum augente (q) dubietatem, redire ad se Præfectum hortatus est, olim Viennam specie annonæ parandæ digressum, ut se militari eximeret turba. Perpendebat enim ad relationem suam, quam olim putabatur misisse, abstrahendos à Galliarum defensione pugnaces numeros, barbarisque jam formidatos. Qui cum suscepisset Cæsaris litteras monentis petentisque ut venire acceleraret, Rempublicam consiliis juvaturus; obstinatissime detrectabat: ea ratione pavore mente confusa, quod aperta scripta significabant, ab Imperatore nusquam dijungi debere Præfectum in ardore terribilium rerum. Adjectumque est, quod si procurare dissimularet, ipse propria sponte (r) projiceret insignia principatus: gloriosum esse existimans jussa morte oppetere, quam ei provinciarum interitum assignari. Sed vicit Præfecti propositum pertinax, his quæ rationabiliter poscebantur parere contentione maxima reluctantis. Inter has tamen moras absentis Lupicini, motusque militares timentis Præfecti, Julianus consiliorum adminiculo destitutus, ancipitique sententia fluctuans, id optimum factu existimavit: via

Julianus Cæsar — *Jubetur à Constantio sibi detrahi milites Gallicanos & adversus Persas in Orientem transferri. U. C. 1112. p. C. N. 360.*

(g) al. offenditur. (h) al. rotunda. (i) al. Progressus. (k) al. διχότομος.
(l) al. ἀςόκρισιν al. ἀπόκρισιν. (m) al. graditurque. (n) al. cursari. (o) al. subditam.
(p) al. Singula. (q) al. fugiente. (r) al. fronte.

via solemni cunctos è stationibus egressos, in quibus hiemabant, maturare disposuit. Hocque comperto, apud Petulantium signa famosum quidam libellum humi projecit occulte, inter alia multa etiam id continentem: *Nos quidem ad orbis terrarum extrema ut noxii pellimur & damnati (s): caritates vero nostræ Alemannis denuo servient, quas captivitate prima post internecivas liberavimus pugnas.* Quo textu ad Comitatum perlato lectoque, Julianus contemplans rationabiles querelas, cum familiis eos ad Orientem proficisci præcepit, clavularis cursus facultate permissa: & cum ambigeretur diutius qua pergerent via, placuit Notario suggerente Decentio, per Parisios homines transire, ubi morabatur adhuc Cæsar nusquam motus. Et ita factum est. Iisdemque adventantibus in suburbanis Princeps occurrit ex more, laudans quos agnoscebat, factorumque fortium singulos monens, animabat lenibus verbis, ut ad Augustum alacri gradu pergerent, ubi potestas est ample patens & larga, præmia laborum adepturi dignissima. Utque honoratius procul abituros tractaret, ad convivium Proceribus corrogatis, petere jure si quid in promptu esset edixit. Qua liberaliter ita suscepti, dolore duplici suspensi discesserunt & mœsti, quod eos fortuna quædam inclemens & moderato rectore & terris genitalibus dispararet. Hocque angore impliciti, in stativa solita recesserunt. (t) Nocte vero cœptante in apertum erupere dissidium: incitatisque animis, ut quemque insperata res adflictabat, ad tela convertuntur & manus: fremituque ingenti omnes petivere Palatium, & spatiis ejus ambitis, ne ad evadendi copiam quisquam perveniret, Augustum Julianum horrendis clamoribus concrepabant, eum ad se prodire destinatius (u) adigentes: exspectareque coacti dum lux promicaret, tandem progredi compulerunt. Quo viso, iterata magnitudine sonus (x) Augustum appellavere consensione firmissima. Et ille mente fundata universis resistebat & singulis, nunc indignari semet ostendens, nunc manus tendens, oransque & obsecrans, ne post multas felicissimasque victorias agatur aliquid indecorum; neve intempestiva temeritas & prolapsio discordiarum materias excitaret. Hæcque adjiciebat, tandem sedatos leniter allocutus: *Cesset ira, quæso, paullisper: absque dissensione, vel rerum appetitu novarum impetrabitur facile, quod postulatis: quoniam vos dulcedo patriæ retinet, & insueta peregrinaque metuitis loca, redite jam nunc ad sedes, nihil visuri, quia displicet Transalpinum. Hocque apud Augustum capacem rationis prudentissimum ego competenti satisfactione purgabo.* Conclamabatur post hæc ex omni parte nihilominus, uno parique ardore nitentibus universis: maximoque contentionis fragore, probro & conviciis misto, Cæsar assentire coactus est. Impositusque scuto pedestri, & sublatius eminens, nullo silente Augustus renuntiatus, jubebatur diadema proferre: negansque umquam habuisse, uxoris colli vel capitis poscebatur. Eoque adfirmante, primis auspiciis non congruere aptari muliebri mundo, equi phalera (y) quærebatur, uti coronatus speciem saltem obscuram superioris prætenderet potestatis. Sed cum id quoque turpe esse asseveraret: Maurus nomine quidam, postea Comes qui rem male gessit apud Succorum angustias, Petulantium tunc Hastatus, abstractum sibi torquem, quo ut Draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit confidenter: qui trusus ad necessitatem extremam, jamque periculum præsens vitare non posse advertens, si reniti perseverasset, quinos omnibus aureos, argentique singula pondo promisit. Hisque gestis haud minore quam antea cura constrictus, futuraque celeri providens corde, nec diadema gestavit, nec procedere ausus est usquam, nec agere seria quæ nimis urgebant. Sed cum ad latebras secessisset occultas accidentium varietate perterritus Julianus; aliquis Palatii Decurio, qui ordo est dignitatis, pleniore gradu signa Petulantium ingressus atque Celtarum, facinus indignum turbulente exclamat, pridie Augustum eorum arbitrio declaratum, clam interemptum. Hocque comperto, milites quos ignota pari sollicitudine movebant & nota, pars crispantes missilia, alii minitantes nudatis gladiis, diverso vagoque (ut in repentino solet) excursu occupavere volucriter regiam; strepituque immani excubitores perculsi, & Tribuni, & Domesticorum Comes Excubitor nomine, veritique versabilis (z) perfidiam militis, evanuere metu mortis subitæ dispalati. Viso tamen otio summo, quieti stetere paullisper armati: & interrogati quæ causa esset inconsulti motus & repentini, diu tacendo hæsitantes super salute Principis, non antea discesserunt, quam acciti in Consistorium fulgentem eum augusto habitu conspexissent.

A quibus Cæsar Julianus scuto impositus, Augustus renuntiatur per vim.

Maurus Draconarius torquem Juliano imponit.

CAP. V. His tamen auditis, etiam illi quos antegressos retulimus ducente Sintula, cum eo jam securi Parisios revertuntur: edictoque ut futura luce cuncti convenirent in Campo, progressus Princeps ambitiosius solito tribunal adscendit, signis aquilisque circumdatus & vexillis, septusque tutius (a) armatarum cohortium globis. Cumque interquievisset paullulum, dum alte contemplatur præsentium vultus, alacres omnes visos & lætos, quasi lituis verbis (ut intelligi possit) simplicibus incendebat. *Res ardua poscit & flagitat, propugnatores mei reique publicæ fortes & fidi, qui mecum pro statu provinciarum vitam sæpius objecistis, quoniam Cæsarem vestrum firmo judicio ad potestatum omnium columen sustulistis, perstringere pauca summatim, ut remedia permutatæ rei rata colligantur & cauta. Vixdum adulescens specie tenus purpuratus, (ut nostis) vestræ tutelæ nutu cælesti commissus, numquam à proposito recte vivendi dejectus sum: vobiscum in omni labore perspicuus, cum dispersa gentium confidentia, post civitatum excidia, peremptaque innumera hominum millia, pauca quæ semi-integra sunt relicta, cladis immensitas persultaret. Et retexere superfluum puto, quoties hieme cruda, rigentique cælo, quo tempore ter-*

Julianus Augustus concionem habet ad milites.

(s) al. *imbelles.* (t) al. cessarunt. (u) al. festinatius. (x) al. soni. (y) al. phaleræ. (z) al. versabilem. (a) al. totis.

re terræ ac maria opere Martio vacant, indomitos antea cum jactura virium suarum repulimus Alemannos. Id sane nec prætermitti est æquum nec taceri, quod cum prope Argentoratum illuxisset ille beatissimus dies, vehens quodammodo Galliis perpetuam libertatem, inter confertissima tela me discurrente, vos vigore usus que diuturnitate fundati, velut incitatos torrentes, hostes abruptius inundantes, superastis ferro prostratos, vel fluminis profundo submersos, paucis relictis nostrorum, quorum exsequias honestavimus celebri potius laude, quam luctu. Post quæ opinor tanta & talia nec posteritatem tacituram de vestris in Rempublicam meritis in (b) gentibus cunctis, si plene, quem altiore fastigio majestatis ornastis, virtute gravitateque, si quid adversum ingruerit, defendatis. Ut autem rerum integer ordo servetur, præmiaque virorum fortium maneant incorrupta, nec honores ambitio præripiat clandestina, id sub reverenda consilii vestri facie statuo, ut NEQUE CIVILIS QUISQUAM JUDEX, NEC MILITIÆ RECTOR, ALIO QUODAM PRÆTER MERITA SUFFRAGANTE, AD POTIOREM VENIAT GRADUM, NON SINE DETRIMENTO PUDORIS EO, QUI PRO QUOLIBET PETERE TENTAVERIT, DISCESSURO. Hac fiducia spei majoris animatus inferior miles, dignitatum jam diu expers & præmiorum, hastis feriendo clypeos sonitu assurgens ingenti, uno propemodum ore dictis favebat & cœptis. Statimque ne turbandæ dispositioni consultæ tempus saltem breve concederetur, pro Actuariis obsecravere (c) Petulantes & Celtæ, recturi quas placuisset provincias mitterentur: quo non impetrato abiere nec offensi, nec tristes. Nocte tamen quæ declarationis Augustæ præcesserat diem, junctioribus proximis retulerat Imperator, per quietem aliquem visum, ut formari Genius publicus solet, hæc objurgando dixisse: *Olim, Juliane, vestibulum ædium tuarum observo latenter, augere tuam gestiens dignitatem; & aliquoties tamquam repudiatus abscessi: sed si ne nunc quidem recipior, sententia concordante multorum; ibo demissus & mœstus. Id tamen retineto imo corde (d), quod tecum non diutius habitabo.*

Genium publicum Julianus videt.

CAP. VI. Hæc dum per Gallias agerentur intente, truculentus Rex ille Persarum, incentivo Antonini adventu Craugasii duplicato, ardore obtinendæ Mesopotamiæ flagrans, dum ageret cum exercitu procul Constantius, armis multiplicatis & viribus transmisso sollemniter Tigride, oppugnandam adoritur Singaram milite usuique congruis omnibus, ut æstimavere qui regionibus præerant, abunde munitam. Cujus propugnatores viso hoste longissime, clausis ocius portis, ingentibus animis per turres discurrebant & minas, saxa tormentaque bellica congerentes, cunctisque præstructis stabant omnes armati, multitudinem parati propellere, si mœnia subire tentasset. Adventans itaque Rex, cum per Optimates suos propius admissos, pacatiore colloquio flectere defensores ad suum non potuisset arbitrium, quieti diem integrum dedit: & matutinæ lucis exordio, signo per flammeum erecto vexillum, circumvaditur civitas à quibusdam vehentibus scalas, aliis componentibus machinas, plerisque objectu vinearum pluteorumque tectis, iter ad fundamenta parietum quærentibus subvertenda. Contra hæc oppidani superstantes propugnaculis celsis, lapidibus eminus telorumque genere omni ad interiora ferocius se proripientes arcebant. Et pugnabatur eventu ancipiti diebus aliquot, hinc inde multis amissis & vulneratis: postremo fervente certaminum mole, & propinquante jam vespera, inter machinas plures admotus aries robustissimus orbiculatam turrim feriebat ictibus densis, unde reseratam urbem obsidio superiore docuimus. Ad quam conversa plebe dimicabatur artissime: facesque cum tædis ardentibus & malleolis ad exurendum imminens malum undique convolabant, nec (e) sagittarum crebritate, nec glandis (f) hinc inde cessante. Vicit tamen omne prohibendi commentum acumen arietis, coagmenta fodiens lapidum recens structorum, madoreque etiamtum infirmium. Dumque adhuc ferro certatur & ignibus, turri collapsa cum patuisset iter in urbem, nudato propugnatoribus loco, quos periculi disjecerat magnitudo, Persarum agmina undique ululabili clamore sublato, nullo cohibente cuncta oppidi membra complebant: cæsisque promiscue paucissimis, residui omnes mandato Saporis vivi comprehensi, ad regiones Persidis ultimas sunt asportati. Tuebantur autem hanc civitatem legiones duæ, prima Flavia, primaque Parthica, & indigenæ plures, cum auxilio equitum ilico ob repentinum malum inclusorum: qui omnes, ut dixi, vinctis manibus ducebantur, nullo juvante nostrorum. Nisibin enim sub pellibus agens pars major exercitus custodiebat, intervallo perquam longo discretam: alioquin numquam labenti Singaræ vel temporibus priscis quisquam ferre auxilium potuit, aquarum penuria cunctis circum arentibus locis. Et licet ad præscíscendos adversos subitosque motus, id munimentum opportune locavit antiquitas, dispendio tamen fuit rei Romanæ, cum defensorum jactura aliquoties interceptum.

Sapor Rex Persarum.

Singaram oppugnat. U.C. 1112. p. C.N. 360.

Expugnat.

CAP. VII. Exciso itaque oppido, Rex Nisibin prudenti consilio vitans, memor nimirum quæ sæpius ibi pertulerat, dextrum latus itineribus petit obliquis: Bezabden, quam Phœnicam quoque institutores veteres appellarunt, vi vel promissorum dulcedine illectis defensoribus retenturus, munimentum impendio validum, in colle mediocriter edito positum, vergensque in margines Tigridis, atque ubi loca suspecta sunt & humilia, duplici muro vallatum: ad cujus tutelam tres legiones sunt deputatæ, secunda Flavia, secundaque Armeniaca, & Parthica itidem secunda, cum sagittariis pluribus Zabdicenis, in quorum solo tunc nobis obtemperantium hoc est municipium positum. Primo igitur impetu cum agmine cataphractorum fulgentium Rex ipse sublimior ceteris, castrorum ambitum circumcursans, prope labra ipsa fossarum venit audentius:

Et excidit.

Idem Bezabden oppidum

(b) alii τὸ in omittunt. (c) al. observare. (d) al. in imo corde. (e) al. non. (f) al. glande.

tius: petitusque balliftarum ictibus certis & fagittarum, denfitate opertus armorum in modum teftudinis contextorum, abfceffit innoxius. Ira tamen tum fequeftrata, caduceatoribus miffis ex more, claufos blandius hortabatur, ut vitæ fpeique confulturi obfidium deditione folverent opportuna, referatifque portis egreffi, fupplices victori gentium femet offerrent. Quibus adire propius aufis defenfores mœnium ideo pepercerunt, quod cohærenter fibi junctos duxerant iifdem notos ingenuos, Singaræ captos: eorum enim miferatione telum nemo contorfit, nec fuper pace refpondit. Deinde datis induciis diei totius & noctis, ante alterius lucis initium Perfarum populus omnis adortus avide vallum, acriterque minans ac fremens, ubi ad ipfa mœnia confidenter acceffit, dimicabat vi magna refiftentibus oppidanis. Quare fauciabantur plerique Parthorum, quod pars fcalas vehentes, alii opponentes vimineas crates, veluti cœci pergebant introrfus, nec noftris innocui. Sagittarum enim nimbi crebrius volitantes, ftantes confertius perforabant: partibufque poft Solis occafum æqua jactura digreffis, appetente poftridie luce ardentius multo quam antea pugnabatur, hinc inde concinentibus tubis: nec minores ftrages utrobique vifæ funt, ambobus obftinatiffime colluctatis. Verum fecuto die otio communi adfenfu poft ærumnas multiplices attributo, cum magnus terror circumfifteret muros, Perfæque paria formidarent: Chriftianæ legis Antiftes exire fe velle geftibus oftendebat & nutu; acceptaque fide quod redire permitteretur incolumis, adufque tentoria Regis acceffit. Ubi data copia dicendi quæ vellet, fuadebat placido fermone difcedere Perfas ad fua, poft communes partis utriufque luctus formidari etiam majores affirmans, forfitan adventuros. Sed perftabat incaffum hæc multaque fimilia differendo, efferata vefania Regis obftante, non ante caftrorum excidium digredi pertinaciter adjurantis. Perftrinxit tamen fufpicio vana quædam Epifcopum, ut opinor, licet affeveratione vulgata multorum, quod clandeftino colloquio Saporem docuerat, quæ mœnium appeteret membra ut fragilia intrinfecus & invalida. Hocque exinde verifimile vifum eft, quod poftea intuta loca carieque nutantia cum exfultatione magna, velut regentibus penetralium callidis, contemplabiliter machinæ feriebant hoftiles. Et quamquam angufti calles difficiliorem aditum dabant ad muros, aptatique arietes ægre promovebantur, manualium faxorum fagittarumque metu arcente: nec balliftæ tamen ceffavere nec fcorpiones, illæ tela torquentes, hi lapides crebros, qualique fimul ardentes pice & bitumine illiti: quorum adfiduitate per proclive labentium machinæ (g) hærebant velut altis radicibus fixæ, eafque malleoli & faces jactæ deftinatius exurebant. Sed cum hæc ita effent, caderentque altrinfecus multi, ardebant magis oppugnatores naturali fitu & ingenti opere munitum oppidum ante brumale fidus exfcindere, rabiem Regis non ante fedari poffe (h) credentes. Quocirca nec multa cruoris effufio, nec confixi mortiferis vulneribus plurimi ceteros ab audacia parili revocabant. Sed diu cum exitio decernentes poftremo, periculis objectavere femet abruptis: & agitantes arietes, denfo faxorum molarium pondere fomentifque ignium variis, ire protinus vetabantur. Verum unus aries refiduis celfior, humectis taurinis opertus exuviis, ideoque minus cafus flammeos pertimefcens aut tela, antegreffus omnes repfit nifibus magnis ad murum: vaftoque acumine coagmenta lapidum fodiens, turrim laxatam evertit. Qua fonitu lapfa ingenti, fuperftantes quoque repentina ruina dejecti, diffractique vel obruti, mortibus interiere diverfis & infperatis: inventoque tutiore adfcenfu armata irruit multitudo. Trepidis deinde fuperatorum auribus ululantium undique Perfarum intonante fragore, artius prælium intra muros exarfit, hoftium noftrorumque catervis certantibus comminus, cum confertis inter fe corporibus, hinc indeque ftricto mucrone nulli ocurrentium parceretur. Magna denique mole ancipiti diu exitio renitentes obfeffi, poftremo plebis immenfæ ponderibus effufe disjecti funt. Et poft hæc iratorum hoftium gladii quidquid inveniri poterat concidebant: abreptique finibus matrum parvuli, ipfæ quoque matres trucidabantur; nullo quid ageret refpectante. Inter ea tam funefta, gens rapiendi cupidior, onufta fpoliorum genere omni, captivorumque examen maximum ducens, tentoria repetivit exfultans. Rex tamen gaudio infolenti elatus, diuque defiderio capiendæ Phœnicæ flagrans, munimenti perquam tempeftivi, non ante difceffit quam labefactata murorum parte reparata firmiffime, alimentifque affatim conditis, armatos ibi locaret infignes origine, bellique artibus claros, Verebatur enim, quod accidit, ne amiffionem caftrorum ingentium ferentes ægre Romani, ad eadem obfidenda viribus magnis accingerentur. Latius fe proinde jactans, additaque fpe quidquid aggredi poffet adipifcendi, interceptis caftellis aliis vilioribus Virtam adoriri difpofuit, munimentum valde vetuftum, ut ædificatum à Macedone credatur Alexandro, in extremo quidem Mefopotamiæ fitum, fed muris velut finuofis circumdatum & cornutis, inftructioneque varia inacceffum. Quod cum omni tentaret arte, nunc promiffis defenfores alliciens, nunc pœnas cruciabiles minitans, aliquoties ftruere aggeres parans, obfidionalefque admovens machinas, multis acceptis vulneribus, quam illatis, omiffo vano inccepto tandem abfceffit.

Expugnat. U. C. 1112. p. C. N. 360.

ac reparatum præfidio commeatisque inftruit.

Idem Sapor Virtam munimentum fruftra adoritur.

CAP. VIII. Hæc eo anno inter Tigrim gefta funt & Euphraten. Quæ cum frequentibus nuntiis didiciffet Conftantius, metuens expeditiones Parthicas, hiemem apud Conftantinopolim agens, impenfiore cura limitem inftruebat cum omni apparatu bellorum. Arma quoque & tirocinia cogens, legionefque augens juventutis validæ fupplementis, quarum ftatariæ pugnæ per Orientales fæpius emicuere procinctus: auxilia fuper his Scytharum pofce-

Conftantius hiemem apud Conftantinopolim agit.

(g) al. machinarum. (h) alii τὸ poffe omittunt.

poſcebat mercede vel gratia, ut adulto vere profectus è Thraciis, loca ſuſpecta protinus occuparet. Inter quæ Julianus apud Pariſios hibernis locatis, ſumma cœptorum quorſum evaderet pertimeſcens, erat anxius, nuſquam aſſenſurum Conſtantium factis multa volvendo conſiderans, apud quem ſordebat ut infimus & contemptus. Circumſpectis itaque trepidis rerum novarum exordiis, legatos ad eum mittere ſtatuit geſta docturos, eiſque concinentes litteras dedit, quid actum ſit, quidve fieri oporteat deinceps, monens apertius & demonſtrans. Quamquam eum hæc dudum comperiſſe opinabatur relatu Decentii olim reverſi, & Cubiculariorum recens de Galliis prægreſſorum qui ad Cæſarem aliqua portavere ſollemnia. Et quamquam non repugnanter, tamen nec arrogantibus verbis quidquam ſcripſit, ne videretur, ſubito reclinaſſe (*i*) Erat autem litterarum ſenſus hujuſmodi: *Ego quidem propoſiti mei fidem non minus moribus quam fœderum pacto, quoad fuit, unum ſemper atque idem ſentiens conſervavi, ut effectu multiplici claruit evidenter. Jamque inde ut me creatum Cæſarem pugnarum horrendis fragoribus objeciſti, poteſtate delata contentus, currentium ex voto proſperitatum nuntiis crebris, ut apparitor fidus tuas aures implevi, nihil uſquam periculis meis aſſignans: cum documentis adſiduis conſtet, diffuſis permiſtiſque paſſim Germanis, in laboribus me ſemper viſum omnium primum, in laborum refectione poſtremum. Sed bona venia tua dixerim, ſi quid novatum eſt nunc, ut exiſtimas: in multis bellis & aſperis ætatem ſine fructu conterens miles, olim deliberatum implevit, fremens, ſecundique impatiens loci rectorem, cum nullas ſibi vices à Cæſare diuturni ſudoris & victoriarum frequentium rependi poſſe contemplaretur. Cujus iracundiæ, nec dignitatum augmenta nec annuum merentis ſtipendium, id quoque inopinum acceſſit: quod ad partes orbis Eoi poſtremas venire juſſi, homines aſſueti glacialibus terris, ſeparandique liberis & conjugibus, egentes trahebantur & nudi. Unde ſolito ſævius efferati, nocte in unum collecti Palatium obſedere, Auguſtum Julianum vocibus magnis appellantes & crebris. Cohorrui, fateor, & ſeceſſi: amandatuſque dum potui, ſalutem ſimulatione quæritabam & latebris. Cumque nullæ darentur induciæ, libero pectoris muro, ut ita dixerim, ſeptus, progreſſus ante conſpectum omnium ſteti, molliri poſſe tumultum auctoritate ratus, vel ſermonibus blandis. Exarſere mirum in modum, eouſque provecti, ut cum precibus vincere pertinaciam conabar, inſtanter mortem contiguis aſſultibus intentarent. Victus denique mecumque ipſe conteſtans, quod alter confoſſo me forſitan libens declarabitur Princeps, aſſenſus ſum, vim lenire ſperans armatam. Geſtorum hic textus eſt, quem mente quæſo accipito placida. Nec actum quidquam ſecus exiſtimes, vel ſuſurrantes pernicioſa malignos admittas, ad compendia ſua excitare ſeceſſiones Principum adſuetos: ſed adulatione vitiorum altrice depulſa (k), excellentiſſimam virtutum omnium adverte juſtitiam: conditionum æquitatem quam propono, bona fide ſuſcipito, cum animo diſputans, hæc ſtatui Romano prodeſſe, nobiſque, qui caritate ſanguinis, & fortunæ ſuperioris culmine ſociamur. Ignoſce enim: quæ cum ratione poſcuntur, non tam fieri cupio, quam à te utilia probari & recta, avide tua præcepta deinde quoque ſuſcepturus. Quæ neceſſe ſit fieri, in compendium redigam breve. Equos præbebo curules Hiſpanos (l), & miſcendos Gentilibus atque Scutariis adoleſcentes Letos (m) quoſdam, cis Rhenum editam barbarorum progeniem, vel certe ex deditiis, qui ad noſtra deſciſcunt. Et hæc aduſque exitium vitæ me ſpondeo non modo grato animo, verum cupido quoque facturum. Præfectos Prætorio, æquitate & meritis notos, tua nobis dabit clementia: reſiduos ordinarios judices, militiæque moderatores promovendos arbitrio meo concedi eſt conſentaneum, itidemque ſtipatores. Stultum eſt enim, cum ante caveri poſſit ne fiat, eos ad latus Imperatoris adſciſci, quorum mores ignorantur & voluntates. Hoc ſane ſine ulla dubitatione firmaverim: tirones ad peregrina & longinqua Galli mittere, diuturna perturbatione caſibuſque vexati graviſſimis, nec ſponte ſua poterunt nec coacti, ne conſumpta penitus juventute ut affliguntur præterita recordantes, ita deſperatione pereant impendentium. Nec Parthicis gentibus opponenda auxilia hinc acciri conveniet, cum adhuc nec barbarici ſint impetus intercluſi, & (ſi dici quod verum eſt pateris) hæ provinciæ malis jactatæ continuis, externis indigeant adjumentis & fortibus. Hæc hortando, ut æſtimo, ſalutariter ſcripſi, poſcens & rogans. Scio enim, ſcio, ne quid ſublatius dicam cum imperio congruens, quas rerum acerbitates jam conclamatas & perditas, concordia viciſſim ſibi cedentium Principum meliorem revocavit in ſtatum: cum appareat majorum exemplo noſtrorum, moderatores hæc & ſimilia cogitantes, fortunate beateque vivendi reperire quodammodo viam, & ultimo tempori poſteritatique jucundam ſui memoriam commendare.* His litteris junctas ſecretiores alias Conſtantio offerendas clanculo miſit, objurgatorias & mordaces: quarum ſeriem nec ſcrutari licuit, nec ſi licuiſſet, proferre decebat in publicum. Ad id munus implendum electi viri ſunt graves, Pentadius Officiorum Magiſter, & Eutherius Cubiculi tunc Præpoſitus, poſt oblatas litteras relaturi nullo ſuppreſſo quæ viderunt, & ſuper ordine futurorum fidenter acturi. Auxerat inter hæc cœptorum invidiam Florentii fuga Præfecti: qui velut præſagiens concitandos motus ob militem, ut ſermone tenus jactabatur, accitum, conſulto diſceſſerat Viennam, alimentariæ rei gratia divelli cauſatus à Cæſare quem ſæpe tractatum aſperius formidabat. Dein cum comperiſſet eum ad Auguſtum culmen evectum, exigua ac prope nulla vivendi ſpe verſus in metum, ut longe disjunctus, malis ſe quæ ſuſpicabatur exemit: & neceſſitudine omni relicta digreſſus venit ad Conſtantium itineribus lentis: utque ſe nulli obnoxium culpæ monſtraret, Julianum ut perduellem multis criminibus appetebat. Cujus poſt abitum bene Julianus cogitans & prudenter, ſcirique volens quod præſenti quoque pepercilſet; caritates ejus cum re familiari intacta, publici curſus uſu

Julianus Auguſtus.

Conſtantium Auguſtum de re Litteciæ geſtæ certiorem per litteras facit. U. C. 1112. p. C. N. 360.

Florentii Præfecti Prætorii fuga.

(*i*) al. redundaſſe. (*k*) al. *vitiorum alacri cæde pulſa.* (*l*) al. *Sparnos.* (*m*) al. *Lectos.*

usu permisso, ad Orientem redire tutius imperavit.

CAP. IX. Nec minore studio secuti legati, hæc secum ferentes quæ prædiximus, intentique ad viandum, cum venirent ad judices celsiores, oblique tenebantur: morasque per Italiam & Illyricum perpessi diuturnas & graves tandem transfretati per Bosporum (*n*), itineribusque lentis progressi, apud Cæsaream Cappadociæ etiamtum degentem invenere Constantium, Mazacam antehac nominatam, opportunam urbem & celebrem, sub Argæi montis pedibus sitam. Qui intromissi, data potestate offerunt scripta: iisque recitatis, ultra modum solitæ indignationis excanduit Imperator, limibusque (*o*) oculis eos adusque metum contuens mortis, egredi jussit, nihil post hæc percontatus vel audire perpessus. Perculsus tamen ardenter cunctatione stringebatur ambigua, utrum in Persas, an contra Julianum moveri juberet acies quibus fidebat: hæsitansque diu perpensis consiliis, flexus est quorumdam sententia utilium suasorum, & iter Orientem versus edixit. Statim tamen & legatos absolvit, & Leonam Quæstorem suum in Gallias cum litteris datis ad Julianum pergere celeri statuit gradu, nihil novatorum se asserens suscepisse, sed eum (si saluti suæ proximorumque consulit) tumenti flatu deposito, intra Cæsaris se potestatem continere præcipiens. Utque id facile formido intentatorum efficeret, velut magnis viribus fretus, in locum Florentii Præfectum Prætorio Nebridium, tum Quæstorem ejusdem Cæsaris promoverat, & Felicem Notarium, Officiorum Magistrum, & quosdam alios. Gumoharium enim successorem Lupicini, antequam sciretur hujusmodi quidquam, Magistrum provexit armorum. Ingressus itaque Parisios Leonas, susceptus ut honoratus & prudens, postridie Principi progresso in Campum cum multitudine armata pariter & plebeia, quam de industria convocarat, & tribunali ut emineret altius superstanti, scripta jubetur offerre. Replicatoque volumine edicti quod missum est, & legi ab exordio cœpto: cum ventum fuisset ad locum id continentem, quod gesta omnia Constantius improbans, Cæsaris potestatem sufficere Juliano censebat, exclamabatur undique vocum terribilium sonu: *Auguste Juliane: ut provincialis, & miles, & Reipublicæ decrevit auctoritas; recreatæ quidem, sed adhuc metuentis redivivos barbarorum excursus.* Quibus auditis Leonas, cum Juliani litteris hæc eadem indicantibus (*p*) revertit incolumis: solusque admissus est ad Præfecturam Nebridius: id enim Cæsar quoque scribens, ex sententia sua fore aperte prædixit. Magistrum enim Officiorum jampridem ipse Anatolium ordinavit, libellis antea respondentem, & quosdam alios, ut sibi utile videbatur & tutum. Et quoniam, cum hæc ita procederent, timebatur Lupicinus, licet absens, agensque etiamtum apud Britannos, homo superbæ mentis & turgidæ; eratque suspicio, quod si hæc trans mare didicisset, novarum rerum materias excitaret. Notarius Boloniam mittitur, observaturus sollicite ne quisquam fretum Oceani transire permitteretur. Quo vetito, reversus Lupicinus antequam sciret, nullas (*q*) ciere potuit turbas.

Constantius Augustus Julianum Cæsaris nomine contentum esse jubet.

Legionibus Gallianis uno animo constanter repugnantibus.

CAP. X. Julianus tamen jam celsiore fortuna militisque fiducia lætior, ne intepesceret, neve ut remissus argueretur & deses, legatis ad Constantium missis, in limitem Germaniæ secundæ est egressus: omnique apparatu, quem flagitabat instans negotium, communitus, Tricensimæ oppido (*r*) propinquabat. Rheno exinde (*s*) transmisso regionem subito pervasit Francorum, quos Attuarios vocant, inquietorum hominum: licentius etiamtum percursantium extima Galliarum. Quos adortus subito nihil metuentes hostile, nimiumque securos, quod scruposa viarum difficultate arcente, nullum ad suos pagos introisse meminerant Principem, superavit negotio levi; captisque plurimis & occisis, orantibus aliis qui superfuere, pacem ex arbitrio dedit: hoc prodesse possessoribus finitimis arbitratus. Unde reversus pari celeritate per flumen, præsidiaque limitis explorans diligenter & corrigens, adusque Rauracos venit: locisque recuperatis, quæ olim barbari intercepta retinebant ut propria, iisdemque pleniore cura firmatis, per Besantionem Viennam hiematurus abscessit.

Julianus Francos cognomine Attuarios aggreditur.

Quibus plurimis captis & occisis pacem dedit.

CAP. XI. Hic per Gallias erat ordo gestorum. Quæ dum ita prospere succedunt & caute, Constantius accitum Arsacen Armeniæ Regem, summaque liberalitate susceptum præmonebat & hortabatur, ut nobis amicus esse perseveraret & fidus. Audiebat enim sæpius eum tentatum à Rege Persarum fallaciis, & minis, & dolis, ut Romanorum societate posthabita, suis rationibus stringeretur. Qui crebro adjurans animam prius posse amittere quam sententiam, muneratus cum comitibus quos duxerat, redit ad Regnum, nihil ausus temerare postea promissorum, obligatus, gratiarum multiplici nexu Constantio: inter quas illud potius excellebat, quod Olympiada Ablabii filiam Præfecti quondam Prætorio, ei copulaverat conjugem, sponsam fratris sui Constantis. Quo dimisso à Cappodocia, ipse per Melitinam minoris Armeniæ oppidum, & Lacotena, & Samosata, transito Euphrate Ædessam venit: ubique dum agmina undique convenientium militum, & rei cibariæ abundantes copias opperitur, diu moratus; post æquinoctium egreditur autumnale, Amidam petens. Cujus cum prope venisset mœnia, favillis oppleta collustrans, flebat cum gemitu, reputans quales miseranda civitas pertulerat clades. Ibi tunc forte Ursulus præsens qui ærarium tuebatur, dolore percitus exclamavit: *En quibus animis urbes à milite defenduntur, cui ut abundare stipendium possit, Imperii opes jam fatiscunt!* Quod dictum ita amarum militaris multitudo postea apud Chalcedona recordata, ad ejus exitium consurrexit. Exinde cuneis confertis incedens, cum Bezabden adventaret, fixis tentoriis, vallo fossarumque altitudine circumseptis, obequitans castrorum ambitum longius, docebatur relatione multorum, instau-

Constantius cum Arsace Armeniæ Rege amicitiam contrahit. U. C. 1112. p. C. N. 360.

Amidæ excidium fiet.

Bezabden oppidum omnibus copiis expugnat.

(*n*) al. Bosphorum. (*o*) al. limisque. (*p*) al. innotantibus. (*q*) al. nullus. (*r*) al. Obtricensi Mosæ oppidum. (*s*) al. deinde.

instaurata esse firmius loca, quæ antehac incuria corruperat vetustatis. Et ne quid omitteret, quod ante fervorem certaminum erat necessario præstruendum; viris prudentibus missis, conditione posita dupla, cogebat mœnium defensores redire ad suos, alienis sine cruore concessis, aut in ditionem venire Romanam dignitatibus augendos & præmiis. Ad quæ cum illi destinatione nativa retinerentur ut clare nati, periculisque & laboribus indurati, cuncta obsidioni congrua parabantur. Densis itaque ordinibus cum tubarum incitamentis latera oppidi cuncta adortus alacris miles, legionibus in testudines varias conglobatis, paullatim tuto progrediens subruere mœnia conabatur: & quia telorum omne genus in subeuntes effundebatur, nexu clypeorum soluto discessum est, in recessum canentibus signis. Laxatis deinde ad diem unum induciis, tertia luce curiosius tecti, elatis passim clamoribus adscensus undique tentabant. Et licet defensores obtentis ciliciis, ne conspicerentur ab hostibus, latebant intrinsecus; tamen quoties flagitabat necessitas, lacertos fortiter exsertantes, lapidibus subjectos incessebant & telis. Et vimineæ crates cum procederent confidenter, essentque parietibus contiguæ, dolia desuper cadebant, molæ & columnarum fragmenta: quorum ponderibus nimiis obruebantur oppugnatores, hiatuque violento disjectis operimentis, cum periculis ultimis evadebant. Decimo itaque postquam pugnari die cœptum est, cum spes nostrorum interiora cuncta mœrore compleret, transferri placuerat molem arietis magni, quam Persæ quondam Antiochia pulsibus ejus excisa relatam reliquerant apud Carras: quæ subito visa, aptataque faberrime, clausorum hebetaverat mentes, adusque deditionis remedia pæne prolapsas, ni resumptis viribus opponenda machinæ huic præparassent. Nec temeritas post hæc cessaverat, nec consilium. Namque dum instrueretur aries vetustus, & dissolutus ut facile veheretur: omni arte, omnique virium nisu, & oppugnatorum vi & firmitudine (t) summa defensabatur: tormenta nihilominus & lapidum crebritas atque fundarum ex utraque parte plurimos consumebant: & aggerum moles incrementis celeribus consurgebant: acriorque indies adolescebat obsidio, multis nostrorum idcirco cadentibus, quod decernentes sub Imperatoris conspectu, spe præmiorum, ut possent facile qui essent agnosci, nudantes galeis capita sagittariorum hostilium peritia fundebantur. Proin dies & noctes intentæ vigiliis, cautiores stantes utrobique faciebant. Et Persæ aggerum altitudine jam in sublime porrecta, machinæque ingentis horrore perculsi, quam minores quoque sequebantur, omnes exurere vi maxima nitebantur: & adsidue malleolos atque incendiaria tela torquentes, laborabant incassum: ea re quod humectis scortis & centonibus erant opertæ materiæ plures, aliæ unctæ alumine diligenter, ut ignis in eas laberetur innoxius. Verum has admoventes fortitudine magna Romani, licet difficile defensabant, tamen cupiditate potiundi oppidi ne prompta quidem pericula contemnebant. Et contra propugnatores, cum jam discussurus turrim oppositam aries maximus adventaret, prominentem ejus ferream frontem, quæ revera formam, effingit (u) arietis, arte subtili illaqueatam altrinsecus laciniis retinuere longissimis, ne retrogradiens resumeret vires, neve ferire muros assultibus densis contemplabiliter posset, fundentes quoque ferventissimam picem: & diu promotæ machinæ stabant, muralia saxa perferentes & tela. Jamque aggeribus cumulatius excitatis, defensores, ni vigilassent, exitium adfore jam sperantes, in audaciam ruere præcipitem: & repentino decursu portis effusi, primosque adorti nostrarum, faces fitellasque ferreas onustas ignibus in arietes magnis viribus jaciebant. Verum post ambiguam prælii virtutem, plurimi nihil impetrato intra mœnia repelluntur: moxque ex aggeribus quos erexerant Romani, iidem Persæ propugnaculis insistentes, sagittis incessebantur & fundis; telisque igniferis: quæ per tegumenta turrium volitantia, paratis qui restinguerent, plerumque irrita labebantur. Cumque pauciores utrobique fierent bellatores, & Persæ truderentur ad ultima, ni potior ratio succurrisset, impensiore opera procursus tentabatur ex castris: & eruptione subita multitudinis facta, inter armatos qui portabant ignes amplioribus ordinatis, jaciebantur corbes in materias ferreæ plenæ flammarum, & sarmenta, aliaque ad ignes concipiendos aptissima. Et quia conspectum abstulerant fumi nigerrimæ nubes, classico excitante in pugnam, legiones procinctæ celeri gradu venerunt: & subcrescente paullatim ardore bellandi, cum ventum fuisset ad manus, repente machinæ omnes effusis ignibus urebantur, præter majorem: quam direptis restibus, quibus è muro jactis implicabatur, virorum fortium acrior nisus ægre semiustam extraxit. At ubi nocturnæ tenebræ finem præliis attulerunt: non in longum militi quies data: cibo enim exiguo refectus & somno, rectorum monitu excitus, munitiones à muro longe dimovit, dimicare succinctius parans per sublimes aggestus, qui jam consummati muris altius imminebant. Utque facile defensores mœnibus pellerentur, in ipsis aggerum summitatibus binæ sunt locatæ ballistæ, quarum metu ne prospicere quidem posse hostium quisquam crederetur. His satis provisis, prope ipsum crepusculum triplex acies nostrorum instructa, conisque galearum minacius nutans, scalas vehentibus multis impetum conabantur in muros. Jam resultantibus armis & tubis, uno parique ardore hinc inde pugnabatur audaci conflictu: latiusque sese pandentes Romani, cum Persas occultari viderent pavore impositorum aggeribus tormentorum, pulsabant turrim ariete: & cum ligonibus & dolabris & vectibus scalisque propinquabant, utrimque convolante missilium crebritate. Afflictabant tamen multo vehementius Persas ictus varii ballistarum, tamquam per transennam à cli-

(t) al. fortitudine. (u) al. efficit.

clivis ſtructilibus decurrentes. Unde fortunas ſuas ſitas in extremo jam cogitantes, deſtinatam ruebant in mortem: & partiti munera dimicandi inter neceſſitatis articulos, relictis qui mœnia tuerentur, reſerata latenter poſtica, ſtrictis gladiis valida manus erupit, pone ſequentibus aliis qui flammas occulte portabant. Dumque Romani nunc inſtant cedentibus, nunc ultro inceſſentes excipiunt: qui vehebant foculos repentes incurvi, prunas unius aggreſti inſeruere juncturis, ramis arborum diverſarum, & junco, & manipulis conſtructi cannarum: qui conceptis incendiorum aridis nutrimentis jam cremabantur, militibus cum intactis tormentis exinde periculoſe digreſſis. Ut vero certaminibus finem veſpera dedit incedens (x) parteſque diſceſſerunt ad otium breve, Imperator in varia ſeſe conſilia diducens & verſans, cum excidio Phœnicæ diutius imminere neceſſariæ rationes urgerent, quod munimentum velut inſolubile clauſtrum hoſtium excurſibus erat objectum, & ſerum repelleret tempus: certaturus leviter ibi ſtatuit immorari, alimentis deſtituendos forſitan cedere exiſtimans Perſas: quod ſecus atque rebatur evenit. Cum enim remiſſius pugnaretur, humente cœlo undantes nubes cum tenebris advenere minacibus: adſiduiſque imbribus ita immaduerat ſolum, ut luti glutinoſa mollities per eas regiones pinguiſſimi ceſpitis omnia perturbaret: & ſuper his jugi fragore tonitrua fulguraque mentes hominum pavidas perterrebant. Accedebant arcus cœleſtis conſpectus adſidui: quæ ſpecies unde ita figurari ſit ſolita, expoſitio brevis oſtendet. Halitus terræ calidiores & humoris ſpiramina conglobata in nubes, exindeque disjecta in aſpergines parvas, ac radiorum fuſione ſplendida facta, ſupinantur volubiliter contra ipſum igneum orbem, Irimque conformant, ideo ſpatioſo curvamine ſinuoſam, quod in noſtro panditur mundo, quem ſphæræ dimidiæ parti rationes phyſicæ ſuperponunt. Cujus ſpecies quantum mortalis oculus contuetur, prima lutea viſitur, ſecunda flaveſcens vel fulva, punicea tertia, quarta purpurea, poſtrema cœruleo concreta & viridi. Hac autem mixta pulcritudine temperatur ideo, ut terrenæ exiſtimant mentes, quod prima ejus pars dilutior cernitur, aëri concolor circumfuſo: ſequens fulva, id eſt paulló excitatior quam lutea: punicea tertia, quod Solis obnoxia claritudini, pro receptatione ſpiritus fulgores ejus puriſſimi è regione deflorat: quarta ideo purpurat, quod intermicante aſperginum denſitate per quas moritur, radiorum ſplendor, conſpiciens offendit adſpectum flammeo propiorem: qui color quanto magis diffunditur, concedit in cœruleum & virentem. Arbitrantur alii tunc Iridis formam rebus apparere mundanis, cum altius delatæ nubi craſſæ radii Solis infuſi lucem injecerint liquidam: quæ non reperiens exitum, in ſe conglobata nimio ſplendeſcit adtritu: & proximos quidem albo colores à Sole ſublimiore decerpit: ſubvirides vero à nubis ſimilitudine ſuperjectæ: ut in mari ſolet uſu venire, ubi candidæ ſunt undæ quæ littoribus illiduntur, interiores ſine ulla concretione cœrulæ. Et quoniam indicium eſt permutationis auræ, (ut diximus) à ſudo aëre nubium concitans globos, aut contra ex concreto immutans (y) in ſerenam lætitiam cœlum; ideo apud Poëtas legimus ſæpe, Irim de cœlo mitti, cum præſentium rerum verti neceſſe ſit ſtatus. Suppetunt aliæ multæ opiniones & variæ, quas dinumerare nunc eſt ſupervacuum, narratione redire unde digreſſa eſt feſtinante. His ac talibus Imperator inter ſpem metumque jactabatur, ingraveſcente hiemis magnitudine, ſuſpectiſque per avios tractus inſidiis: inter quæ etiam tumultum exaſperati militis verebatur. Super his urebat ejus anxiam mentem, quod velut patefacta janua divitis domus, irritus propoſiti reverteretur. Quas ob res omiſſo vano incœpto, hiematurus Antiochiæ redit in Syriam ærumnoſam, perpeſſus & ulcerum ſed & atrocia, diuque deflenda. Evenerat enim hoc, quaſi fatali conſtellatione ita regente diverſos eventus, ut ipſum Conſtantium dimicantem cum Perſis fortuna ſemper ſequeretur afflictior: unde vincere ſaltem per Duces optabat: quod aliquoties meminimus contigiſſe.

Arcus cœleſtis rationes & cauſæ.

Conſtantius re infecta ab Amida diſcedit. U. C. 1112, p. C. N. 360.

(x) alii τὸ incedens omittunt. (y) al. mutans.

Explicit Liber XVII.



AMMI-



AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XXI.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

INTERCLUSO hac bellorum difficili sorte Constantio trans flumen Euphratem, Julianus agens apud Viennam, formandis in futura consiliis dies impendebat & noctes, quantum opes patiebantur angustæ, altius semet attollens: semperque ambigens, utrum Constantium modis omnibus alliceret in concordiam, an terroris incutiendi gratia lacesseret prior. Quæ sollicitæ reputans, utrumque formidabat, & amicum cruentum, & in ærumnis civilibus sæpe victorem: maximeque Galli fratris exemplum mentem ejus anxiam suspendebat, quem inertia mistæque perjuriis fraudes prodidere quorundam. Erigebat tamen aliquoties animum ad multa & urgentia, tutissimum ratus inimicum se ex confesso monstrare ei, cujus ex præteritis motus conjectabat ut prudens, ne per amicitias fictas insidiis falleretur occultis. Parvi igitur habitis quæ per Leonam Constantius scripserat, nulloque arbitrio ejus promotorum suscepto præter Nebridium, quinquennalia Augustus jam edidit: & ambitioso diademate utebatur lapidum fulgore distincto, cum inter exordia principatus assumpti vili corona circumdatus erat, Xystarchæ similis purpurato. Inter quæ Helenæ conjugis defunctæ suprema miserat Romam, in suburbano viæ Nomentanæ condenda, ubi uxor quoque Galli, quondam soror ejus, sepulta est Constantina. Accidebat autem, incendebatque ejus cupiditatem pacatis jam Galliis incessere ultro Constantium: conjiciens eum per vaticinandi præsagia multa (quæ callebat) & somnia, è vita protinus excessurum. Et quoniam erudito & studioso cognitionum omnium Principi malivoli prænoscendi futura pravas artes assignant, advertendum est breviter, unde sapienti viro hoc quoque accidere poterit doctrinæ genus haud leve. Elementorum omnium spiritus, utpote perennium corporum præsentiendi (z) motu semper & ubique vigens, ex his quæ per disciplinas varias affectamus, participat nobiscum munera divinandi: & substantiales potestates ritu diversos placatæ, velut ex perpetuis fontium venis vaticina (a) mortalitati suppeditant verba, quibus numen præesse dicitur Themidis: quam ex eo, quod fixa fatali lege decreta præscire facit in posterum, quæ τεθειμένα sermo Græcus appellat, ita cognominatam, in cubili solioque Jovis vigoris vivifici Theologi veteres collocarunt. Auguria & auspicia non volucrum arbitrio futura nescientium (b) colliguntur: (nec enim hoc vel insipiens quisquam dicet) sed volatus avium dirigit Deus, ut rostrum sonans, aut prætervolans pinna turbido meatu vel leni futura præmonstret. Amat enim benignitas numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus pro-

Julianus Viennæ quinquennalia celebrat, U.C. 1112. p. C. N. 360.

Julianus prænoscit Constantium brevi moriturum.

De variis artibus futura prænoscendi.

(z) al. præsentienti. (a) al. vaticinia. (b) al. nascentium.

prodere quæ impendent. Extis item pecudum attenti fatidicis, in ſpecies (c) converti ſuetis innumeras, accidentia ſciunt. Cujus diſciplinæ Tages nomine quidam monſtrator eſt; ut fabulantur, in Etruriæ partibus emerſiſſe ſubito viſus è terra. Aperiunt tunc quoque ventura, cum æſtuant (d) hominum corda, ſed loquuntur divina. Sol enim (ut ajunt Phyſici) mens mundi, noſtras mentes ex ſeſe velut ſcintillas diffunditans, cum eas incenderit vehementius, futuri conſcias reddit. Unde Sibyllæ crebro ſe dicunt ardere, torrente vi magna flammarum. Multa ſignificant ſuper his crepitus vocum, & occurrentia ſigna, tonitrua quinetiam & fulgura & fulmina, itidemque ſiderum ſulci. Somniorum autem rata fides & indubitabilis foret, ni ratiocinantes conjectura fallerentur. Interdumque, ut Ariſtoteles affirmat, tum fixa ſunt & ſtabilia, cum animantis altius quieſcentis ocularis pupilla (e) neutrobi inclinata, rectiſſime cernit. Et quia vanities aliquoties plebeja ſtrepit, hæc imperite muſſando, ſi eſſet præſentiendi notitia quædam, cur ille ſe caſurum in bello, vel alius hoc ſe paſſurum ignoravit, aut illud? Sufficiet dici, quod & grammaticus locutus interdum eſt barbare, & abſurde cecinit muſicus, & ignoravit remedium medicus: & non ideo nec grammatica, nec muſica, nec medicina ſubſiſtit. Unde præclare hoc quoque, ut alia, Tullius, *Signa oſtenduntur*, ait, *à Diis rerum futurarum. In his ſi quis erraverit, non Deorum natura, ſed hominum conjectura peccavit.* Ne igitur extra calcem, quod dicitur, ſermo decurrens lecturo faſtidium ferat, ad explicanda proſpecta revertamur.

CAP. II. Cum apud Pariſios adhuc Cæſar Julianus, quatiens ſcutum variis motibus exerceretur in Campo, axiculis, queis orbis erat compaginatus, in vanum excuſſis, anſa remanſerat ſola: quam retinens valida manu ſtringebat. Territiſque ut omine diro præſentibus cunctis, *Nemo*, inquit, *vereatur: habeo firmiter quod tenebam.* Item cum apud Viennam poſtea quieſceret ſobrius, horrore medio (f) noctis imago quædam viſa ſplendidior, hos ei verſus heroos modo non vigilanti aperte dixit, eadem ſæpius replicando: quibus fretus nihil aſperum ſibi ſupereſſe exiſtimabat.

Omina de Imperio Juliani.

Ζεὺς ὅταν εἰς πλατὺ τέρμα μόλῃ κλυτοῦ ὑδροχόοιο,
Παρθενικῆς δὲ Κρόνος μοίρῃ βαίνῃ ἐπὶ πέμπτῃ
Εἰκοστῇ, βασιλεὺς Κωνστάντιος Ἀσίδος αἴης
Τέρμα φίλου βιότου στυγερὸν καὶ ἐπώδυνον ἕξει.

Agebat itaque nihil interim de ſtatu rerum præſentium mutans, ſed animio tranquillo & quieto incidentia cuncta diſponens, paullatimque ſeſe corroborans, ut dignitatis augmento virium quoque congruerent incrementa. Utque omnes, nullo impediente, ad ſui favorem illiceret, adhærere cultui Chriſtiano fingebat, à quo jam pridem occulte deſciverat, arcanorum participibus paucis, haruſpicinæ auguriiſque intentus, & ceteris quæ Deorum ſemper fecere cultores. Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Chriſtiani Epiphania (g) dictitant, progreſſus in eorum eccleſiam, ſollemniter numine orato diſceſſit.

Julianus Chriſtianum ſe ſimulat illiciendæ multitudinis cauſa.

CAP. III. Dum hæc ita aguntur, propinquante jam vere, nuntio percitus inopino, ad triſtitiam verſus eſt & mœrorem. Didicit enim Alemannos à pago Vadomarii exorſos, unde nihil poſt ictum fœdus ſperabatur incommodum, vaſtare confines Rhætiis tractus: nihilque ſinere intentatum manus prædatorias fuſius diſcurrentes. Quod ne diſſimulatum redivivas bellorum materias excitaret; Libinonem quemdam Comitem cum Celtis & Petulantibus miſit hiemantibus ſecum, negotium, ut poſcebat ratio, correcturum. Qui cum mature prope oppidum Sanctionem veniſſet, longe viſus à barbaris, qui jam certamina meditantes ſeſe per valles abdiderant: hortatuſque milites licet numero impares, cupidine tamen pugnandi vehementius irritatos, aggreditur inconſulte Germanos, interque dimicandi exordia ipſe concidit omnium primus: cujus interitu erecta barbarorum fiducia, Romaniſque ad Ducis vindictam accenſis, certamen committitur obſtinatum, & urgente magnitudinis mole disjecti ſunt noſtri, occiſis paucis & vulneratis. Cum hoc Vadomario, & Gundomado ejus fratre itidem Rege, Conſtantius (ut jam relatum eſt) firmaverat pacem. Poſt quæ mortuo Gundomado, hunc ſibi fore exiſtimans fidum, ſecretorumque taciturnum exſecutorem & efficacem, mandabat (ſi famæ ſolius admittenda eſt fides) ſcribebatque ut tamquam rupto concordiæ pacto, ſubinde collimitia ſibi vicina vexaret: quo Julianus id metuens, nuſquam à tutela diſcederet Galliarum. Quibus (ut dignum eſt credere) obtemperans Vadomarius, hæc & ſimilia perpetrabat: ad perſtringendum fallendumque miris modis ab ætatis primitiis callens, ut poſtea quoque Ducatum per Phœnicen regens oſtendit. Sed re ipſa convictus abſtinuit. Capto enim à ſtationariis militibus Notario, quem miſerat ad Conſtantium, ſcrutatoque ſi quid portaret, epiſtola ejus reperta eſt, in qua præter alia multa id quoque ſcripſerat: *Cæſar tuus diſciplinam non habet.* Julianum autem adſidue per litteras Dominum & Auguſtum appellabat, & Deum.

Vadomarius Rex Alemannorum fœdus rumpit. U. C. 1112. p. N. C. 360.

Et Libinonem Comitem cum paucis interficit.

Julianus intercipit Vadomarii litteras ad Conſtantium.

CAP. IV. Hæc ut erant perículoſa & dubia, Julianus in exitiale malum eruptura conſiderans, in unum omni cogitatione intenta, eum incautum rapere feſtinabat, ut ſecuritatem ſuam provinciarumque locaret in tuto: & iniit conſilium tale. Philagrium Notarium, Orientis poſtea Comitem, ad eas miſerat partes, cujus prudentiæ fidebat olim ſibi comperti: eique inter multa, quæ pro captu inſtantium rerum erat acturus, ſignatam quoque chartulam tradidit, mandavitque ne aperiret vel recitaret, niſi Vadomario viſo cis Rhenum. Perrexit Philagrius, ut præceptum eſt: eoque præſente, & negotiis adſtricto diverſis, tranſgreſſus Vadomarius flumen, ut nihil in profunda metuens pace, nihilque ſecus geſtorum ſimulans ſcire, viſo præpoſito militum ibi degentium, pauca locutus ex more, ultro ſemet, ut ſuſpicionis

Philagrius comes ad Vadomarium prehendendum mittitur.

(c) al. in ſpes. (d) al. æſtivant. (e) al. popiala. (f) al. hora media. (g) al. Epiphaniam.

cionis nihil relinqueret abiturus, ad convivium ejus venire promisit, ad quod erat etiam Philagrius invitatus. Qui statim ingressus, Rege conspecto, Imperatoris recordatus est verba, causatusque rem seriam & urgentem, ad diversorium rediit: scriptisque lectis doctus quid agi conveniret, confestim reversus discubuit inter ceteros. Finitisque epulis Vadomarium fortiter apprehensum, rectori militum arte custodiendum apud signa commisit, textu lecto jussorum, comitibus ejus ad sua redire compulsis, super quibus nihil fuerat imperatum. Exhibitus tamen idem Rex ad Principis castra, jamque spe veniæ omni præclusa, cum interceptum Notarium, & quæ scripserat ad Constantium comperisset jam publicata, ne convicio quidem tenus compellatus, missus est ad Hispanias. Id enim studio curabatur ingenti, ne Juliano discedente à Galliis, immanissimus homo provinciarum statum ægre compositum licentius conturbaret. Hoc casu elatior Julianus, Regis opinione citius intercepti, quem profecturus ad longinqua formidabat, nihil remittentibus curis barbaros adoriri disposuit, quos peremisse Libinonem Comitem in congressu cum militibus docuimus paucis. Et ne rumor adventus sui eos ad remotiora traduceret, superato Rheno noctis alto silentio, cum auxiliorum expeditissimis globis, nihil metuentes hujusmodi circumvenit: excitatosque hostilium fragore armorum, dum gladios circumspectant & tela, celeriter involavit: & quosdam occidit, orantes alios prædamque offerentes dedititios cepit: reliquis qui remansere pacem precantibus dedit, quietem pollicitis firmam.

Qui apprehenditur.

Et Alemanni in ordinem rediguntur.

CAP. V. Quæ dum mentibus aguntur erectis, conjectans quantas intestinæ cladis excitaverat moles, nihilque tam convenire conatibus subitis quam celeritatem, sagaci prævidens mente, professa palam defectione se tutiorem fore existimavit: incertusque de militum fide, placata ritu secretiore Bellona, classico ad concionem exercitu convocato, saxeo suggestu insistens, jamque ut apparebat fidentior, hæc clarius solito differebat. *Jamdudum tacita deliberatione vos æstimo, magni commilitones, gestorum excitos (h) amplitudine, hoc opperiri consilium, ut eventus qui sperantur, perpendi possint & præcaveri. Plus enim audire quam loqui militem decet, actibus coalitum gloriosis: nec alia (i) spectatæ æquitatis sentire rectorem, quam ea quæ laudari (k) digne potuerunt (l) & probari. Ut igitur quæ proposui abjectis absolvam, advertite oro benivole, quæ sermone brevi percurram. Arbitrio Dei cælestis vobis inter ipsa juventæ rudimenta permistus, irruptiones Alemannorum adsiduas & Francorum, populandique jugem licentiam fregi: & vigore communi Romanis agminibus quoties libet Rhenum pervium feci: contra rumorum fremitus, gentiumque validarum violentos excursus stando immobilis, virtutis vestræ nimirum firmamento confisus. Et hæc, laborum quos exhausimus Galliæ spectatrices, post funera multa jacturasque recreatæ diuturnas & graves, posteritati per ætatum examina commendabunt. At nunc cum auctoritate vestri judicii, rerumque necessitate compulsus, ad Augustum elatus sum culmen, Deo vobisque fautoribus, si fortuna cæptis adfuerit, altius affecto majora: id præ me ferens, quod exercitui, cujus æquitas armorumque inclaruit magnitudo, domi (m) moderatus visus sum & tranquillus, & in crebritate bellorum contra conspiratas gentium copias consideratus & cautus. Ut igitur adversa præveniamus mentium societate junctissima, sequimini viam consilii mei salutarem, ut peto, cum integritas rerum intentioni nostræ voluntatique respondeat: & dum majoribus vacant præsidiis regiones Illyricæ, impræpedito cursu tendentes, Daciarum interim fines extimos occupemus, exinde quid agi oporteat bonis successibus instruendi. At vos ex more fidentium Ducum, juramento quæso concordiam spondete mansuram & fidem, operam mihi navaturo sedulam & solitam, ne quid agatur inconsultum & segne; & producturo, si quis exegerit, incorruptam conscientiam meam, quod nihil voluntate præter ea quæ in commune conducunt, aggrediar aut tentabo. Illud sane obtestor & rogo, observate ne impetu gliscentis ardoris in privatorum damna quisquam vestrum exsiliat: id cogitans, quod haud ita nos illustrarunt hostium innumeræ strages, ut indemnitas provinciarum & salus, exemplis virtutum pervulgatæ.* Hoc sermone Imperatoris vice alicujus oraculi comprobato, mota est incitatius omnis concio: & rerum cupida novandarum, unanimanti (n) consensu voces horrendas immani scutorum fragore miscebat, magnum elatumque Ducem, & ut experta est, fortunatum domatorem (o) gentium appellans & Regum. Jussique universi in ejus nomen jurare sollemniter, gladiis cervicibus suis admotis sub exsecrationibus diris, verbis juravere conceptis, omnes pro eo casus quoad vitam profuderint, sid id necessitas exegerit, perlaturos: quæ secuti rectores, omnesque Principis proximi (p) fidem simili religione firmarunt. Solus omnium licet proposito stabili, audacter tamen Præfectus repugnavit Nebridius, jurisjurandi nexu contra Constantium nequaquam se constringi posse commemorans, cujus beneficiis obligatus erat crebris & multis. Quibus auditis cum stantes propius milites acriter inflammati eum appeterent trucidandum; ad genua sua prolapsum Imperator paludamento protexit: indeque reversus in regiam cum antegressum eum vidisset, supplicemque jacentem orare, ut levandi causa timoris ei porrigeret dexteram: *Ecquid*, ait, *præcipuum amicis servabitur, si tu manum tetigeris meam? Sed hinc quo libet abi securus.* Hocque audito, ille innoxius ad larem suum recessit in Tusciam. His Julianus ut poscebat negotii magnitudo præstructus, expertus quid in rebus tumultuosis anteversio valeat & prægressus, per tesseram edicto itinere in Pannonias, castris promotis & signis, temere se fortunæ commisit ambiguæ.

Julianus milites suos alloquitur.

Et in verba sua universos adigit.

Solo repugnante Nebridio.

Quem tamen in Tusciam innoxium ire permittit.

CAP. VI. Replicare nunc convenit tempore, & narrare summatim, quæ (dum aguntur in Galliis antedicta) Constantius hiemans Antiochiæ, domi militiæque perfecit. Inter complures

Constantio Antiochiæ agente.

Rrr 2

(h) al. *exercitos.* (i) al. *alium.* (k) al. *quam eum qui & laudari.* (l) al. *potuerit.* (m) al. *& domi.* (n) al. unanimi. (o) al. dominatorem. (p) al. proximis.

plures alios honore conspicuos, adoraturi Imperatorum peregre venientem ordinantur etiam ex Tribunis insignibus. Cum igitur à Mesopotamia reversus Constantius hoc exciperetur officio, Amphilochius quidam ex Tribuno Paphlago, quem dudum sub Constante militantem discordiarum sevisse causas inter priores fratres, suspiciones contiguæ veritati pulsabant, ausus paullo petulantius stare, ut ipse quoque ad parile obsequium admittendus (q) agnitus est & prohibitus: strepentibusque multis, & intueri lucem ulterius non debere clamantibus ut perduellem & obstinatum, Constantius circa hæc lenior solito: *Desinite*, ait, *urgere hominem ut existimo sontem, sed nondum aperte convictum: & menentote, quod si quid admisit hujusmodi, sub obtutibus meis conscientiæ punietur, quam latere non poterit.* Et ita discessum est. Postridie lucis Circensibus idem ex adverso Imperatoris, ubi consueverat, spectans, repentino clamore sublato, cum certamen opinatum emitteretur, diffractis cancellis quibus una cum pluribus incumbebat, cunctis cum eo in vanum excussis, læsisque leviter paucis, interna compage disrupta efflasse spiritum repertus est solus: unde Cnstantius futurorum quoque præscius exsultabat. Eodem tempore Faustinam nomine sortitus est conjugem, amissa jampridem Eusebia, cujus fratres erant Eusebius & Hypatius Consulares, corporis morumque pulcritudine pluribus antistante, & in culmine tam celso humana: cujus favore justissimo exemptum periculis, declaratumque Cæsarem retulimus Julianum. Habita est iisdem diebus etiam Florentii ratio, è Galliis novitatis metu digressi, & Anatolio recens mortuo Præfecto Prætorio per Illyricum, ad ejus mittitur locum: cumque Tauro itidem Præfecto Prætorio per Italiam, amplissimi suscepit insignia magistratus. Parabantur nihilominus externorum atque civilium instrumenta bellorum, & augebatur turmarum equestrium numerus, parique studio supplementa legionibus scripta sunt, indictis per provincias tirociniis: omnisque ordo & professio vexabatur, vestem armaque exhibens & tormenta, aurum quinetiam & argentum; multiplicisque rei cibariæ copias, & diversa genera jumentorum. Et quia Persarum Rege ob difficultatem hiberni temporis ægre contruso, reserata cœli temperie validior impetus timebatur, ad Transtigritanos Reges & Satrapas legati cum muneribus missi sunt amplis, monituri cunctos & hortaturi nostra sentire, & nihil fallax tentare vel fraudulentum. Ante omnia tamen Arsaces & Meribanes, Armeniæ & Hiberiæ Reges, cultu ambitioso indumentorum emercabantur & multiformibus donis, damna negotiis Romanis illaturi, si rebus tum etiam dubiis descivissent ad Persas. Inter tot urgentia Hermogene defuncto, ad Præfecturam promovetur Helpidius, ortus in Paphlagonia, adspectu vilis & lingua, sed simplicioris ingenii, incruentus & mitis: adeo ut cum ei coram innocentem quemdam torquere Constantius præcepisset, æquo animo abrogari sibi potestatem oraret, hæcque potioribus aliis ex sententia Principis agenda permitti.

Amphilochius seditiones serit.

Et perit.

Constantius Faustinam uxorem ducit, U. C. 1113. p. C. N. 361.

Exercitum auget supplementis.

Armeniæ & Hiberiæ reges donis sibi conciliat.

Helpidius præfectus.

CAP. VII. Rigore itaque instantium negotiorum anceps Constantius quid capesseret ambigebat, diu multumque anxius, utrum Julianum peteret & longinqua, an Parthos repelleret jam transituros, ut minabantur, Euphraten: hærensque, tandem cum Ducibus communicato sæpe consilio in id flexus est, ut finito propriore bello vel certe mollito, nullo post terga relicto quem formidaret, Illyriis perculsis & Italia, ut rebatur, Julianum inter exordia ipsa cœptorum tamquam venaticiam (r) prædam caperet: hoc enim ad leniendum suorum metum subinde prædicabat. Tamen ne intepesceret, aut omisisse belli videretur aliud latus, adventus sui terrorem ubique dispergens, veritusque ne Africa absente eo perrumperetur, ad omnes casus principibus opportuna, velut finibus Orientis egressus per mare Notarium misit Gaudentium, quam exploratorem actuum Juliani per Gallias aliquamdiu fuisse præstrinximus. Hunc enim obsequio celeri cuncta consideratione gemina efficere posse sperabat, quod adversam partem metueret offensam, & properabat nactus hanc opportunitatem commendari Constantio, quem credebat proculdubio fore victorem: nemo enim omnium tunc ab hac constanti sententia discrepabat. Qui cum eo venisset, mandatorum Principis memor, per litteras Cretione Comite quid ageretur edocto, reliquisque rectoribus, lecto undique milite fortiore, translatisque ab utraque Mauritiana discursatoribus expeditis, Aquitaniæ & Italiæ (s) objecta littora tuebatur artissime. Neque id consilium fefellit Constantium. Eo enim superstite nullus adversorum illas tetigit terras, licet oram Siciliensem à Lilybæo protentam & Pachyno, multitudo servabat armata, si patuisset facultas, ocius transitura. His pro rerum ratione, ut sibi prodesse existimabat Constantius, aliisque minutis & levioribus ordinatis, Ducum nuntiis docebatur & litteris, Persarum copias in unum coactas Rege turgido (t) præeunte, jam prope margines tendere Tigridis, incertum quonam erumpere cogitantes. Quibus percitus, ut propius agens futuros possit anteveniré conatus, quamprimum hibernis egressus, accito undique equitatu peditumque robore quo fidebat, per Capessanam Euphrate navali ponte transcurso, Edessam petit uberem commeatibus & munitam: ibi parumper opperiens, dum exploratores aut perfugæ motum castrorum hostilium indicarent.

Gaudentius ad Julianum explorator mittitur.

Qui Africam in Potestate Constantii retinet.

Constantius Edessam se exercitumque confert.

CAP. VIII. Discedens inter hæc Julianus à Rauracis, peractis quæ docuimus dudum, Sallustium Præfectum promotum remisit in Gallias, Germaniano jusso vicem tueri Nebridii: itidemque Nevittæ magisterium commisit armorum, Gumoarium (u) proditorum antiquum timens, quem cum Scutarios ageret, latenter prodidisse Vetranionem suum Principem audiebat; & Jovio Quæsturam, cujus in actibus Magnen-

Julianus res Galliarum ordinat.

(q) al. mittendus. (r) al. venaticam. (s) al. & Galliæ. (t) alii τὸ turgido omittunt. (u) al. Gumaorium.

Magnentii meminimus; & Mamertino Largitiones curandas: & Dagalaiphum præfecit Domesticis, aliosque plures (*x*) ex arbitrio suo militibus regendis apposuit, quorum merita norat & fidem. Profecturus itaque per Marcianas silvas, viasque junctas Histri fluminis ripis, inter subita vehementer incertus id verebatur, ne contemptus ut comitantibus paucis, multitudinem offenderet repugnantem. Quod ne fieret, consilio sollerti prævidit: & agminibus distributis, per itinera Italiæ nota quosdam properaturos cum Jovino misit & Jovio; alios per mediterranea Rhætiarum (*y*) Magistro equitum Nevittæ commissos, quo diffusi per varia opinionem numeri præberent immensi, formidineque cuncta complerent. Id enim & Alexander Magnus & deinde alii plures, negotio ita poscente, periti fecere ductores. Mandabat tamen egressis, ut tamquam hoste protinus occursuro ocius graderentur, stationesque nocturnas agerent & vigilias, ne improviso invaderentur excursu.

Juliani stratagema.

CAP. IX. Quibus ita ut videbatur apte dispositis, more quo tractus perruperat sæpe barbaricos, contextis successibus fidens, porrectius ire pergebat. Cumque ad locum venisset unde navigari posse didicit flumen, lembis adscensis, quos opportune fors dederat plurimos, per alveum (quantum fieri potuit) ferebatur occulte: ideo latens, quod toleranter & fortiter nullius cibi indigens mundioris, sed paucis contentus & vilibus, oppida forinsecus transibat & castra: imitatus egregium (*z*) illud Cyri veteris dictum, qui cum delatus ad hospitem, interrogaretur ab eo *quid ad convivium parari deberet*, *panem* responderat *solum: sperare enim* ajebat *prope rivum se cœnaturum.* Fama vero, quæ mille (ut ajunt) linguis rerum misere exaggerat fidem, per Illyrios omnes celebrior fundebatur, Julianum strata per Gallias multitudine Regum & gentium, numeroso exercitu & successibus tumidum variis adventare. Quo rumore perculsus Præfectus Prætorio Taurus, ut hostem vitans exterum mature discessit: vectusque mutatione celeri cursus publici, transitis Alpibus Juliis, eodem ictu Florentinum itidem Præfectum secum abduxit. Levibus tamen indiciis super Juliani motu Lucillianus percitus Comes, qui per illas regiones rem curabat ea tempestate castrensem, agensque apud Sirmium, milites congregans quos ex stationibus propriis acciri celeritatis ratio permittebat, venturo resistere cogitabat. Sed ille ut fax vel incensus malleolus voluciter ad destinata festinans, cum venisset Bononiam, à Sirmio milliario nono disparatam & decimo, senescente Luna, ideoque obscurante noctis maximam partem, è navi exsiluit improvisus: statimque Dagalaiphum (*a*) misit cum expeditis ad Lucilianum vocandum, trahendumque si reniteretur. Qui tum etiam quiescens, cum strepitu excitatus turbulento vidisset ignotorum hominum se circulo circumseptum, concepto negotio, & Imperatorii nominis metu (*b*) præstrictus, præceptis paruit invitissimus: secutusque alienum arbitrium Magister equitum, paullo ante superbus & ferox, jumentoque impositus repentino, Principi ut captivus offertur ignobilis, oppressam terrore vix colligens mentem. Verum cum primitus visus, adorandæ purpuræ datam sibi copiam advertisset, recreatus tandem suique securus: *Incaute*, inquit, *Imperator & temere cum paucis alienis partibus te comisisti.* Cui amarum Julianus subridens, *Hæc verba prudentia serva*, inquit, *Constantio: majestatis enim insigne non ut consiliario tibi, sed ut desinas pavere porrexi.*

Julianus vili victu contentus.

Taurus & Florentius Consules appropinquante Juliano fugiunt.

Lucillianus Juliano resistens opprimitur.

CAP. X. Nihil deinde amoto Lucilliano differendum, nec agendum segne ratus, ut erat in rebus trepidis audax & confidentior, civitatem, ut præsumebat, deditiam petens, citis passibus incedebat: eumque suburbanis propinquantem amplis nimiumque protentis, militaris & omnis generis turba cum lumine multo & floribus, votisque (*c*) faustis, Augustum appellans & Dominum, duxit in regiam. Ubi eventu lætus & omine, firmata spe venturorum, quod ad exemplum urbium matris & populosæ & celebris, per alias quoque civitates ut sidus salutare susciperetur, edito postridie curuli certamine cum gaudio plebis, ubi lux excanduit tertia, morarum impatiens percursis aggeribus publicis, Succos (nemine auso resistere) præsidiis occupavit: iisdemque tuendis Nevittam præfecit ut fidum: cujus loci situm ex ex nunc convenienter ostendam. Consertæ celsorum montium summitates Æmi & Rhodopes, quorum alter ab ipsis Histri marginibus, alter ab Axii fluminis citeriori parte consurgit, in angustias tumidiosis collibus desinentes, Illyrios interscindunt & Thracas, hinc vicinæ mediterraneis Dacis & Serdicæ, inde Thracias despectantes & Philippopolim, civitates amplas & nobiles: & (tamquam Natura (*d*) in ditionem Romanam redigendas nationes circumsitas prænoscente) ita figuratæ consulto, inter artos colles quondam hiantes obscurius, ad magnitudinem splendoremque postea rebus elatis patefactæ sunt & carpentis: aditibusque aliquoties clausis magnorum Ducum populorumque repulere conatus. Et pars quæ Illyricum spectat mollius edita, velut incauta subinde superatur. Latus vero è regione oppositum Thraciis, prona humilitate deruptum, hincque & inde fragosis tramitibus impeditum, difficile scanditur etiam nullo vetante. Sub hac altitudine aggerum utrobique spatiosa camporum planities jacet, superior adusque Julias Alpes extenta, inferior ita resupina & panda, ut nullis habitetur obstaculis adusque Fretum & Propontidem. His ut in re tali tamque urgenti compositis, Magistro equitum illic relicto, Imperator revertitur Næssum copiosum oppidum, quo impræpedite (*e*) cuncta disponeret suis utilitatibus profutura. Ubi Victorem apud Sirmium visum scriptorem Historicum, exindeque venire præceptum, Pannoniæ secundæ Consularem præfecit, & honoravit ænea statua, virum sobrietatis gratia æmulandum (*f*), multo

Julianus à Bononiensibus faustis vocibus in regiam ducitur. U. C. 1113. P. C. N. 361.

Succorum angustias occupat.

Quæ describuntur.

Julianus Næssum revertitur.

Ubi Victorem historicum honorat.

(*x*) alii τὸ plures omittunt. (*y*) al. Rhætiorum. (*z*) al. græcum. (*a*) al. Dagalaisum. (*b*) al. motu. (*c*) al. portisque. (*d*) alii τὸ Natura omittunt. (*e*) al. præpedite. (*f*) al. multilaudum.

Juliani invectiva in Constantium & Constantinum.

multo post Urbi Præfectum. Jamque altius se extollens, & numquam credens ad concordiam provocare posse Constantium, orationem acrem & invectivam, probra quædam in eum explanantem & vitia, scripserat ad Senatum. Quæ cum Tertullo administrante adhuc Præfecturam recitarentur in Curia, eminuit Nobilitatis cum speciosa fiducia benignitas grata. Exclamatum est enim, in unum cunctorum sententia congruente, AUCTORI TUO REVERENTIAM ROGAMUS. Tunc & memoriam Constantini, ut novatoris turbatorisque priscarum legum & moris antiquitus recepti, vexavit, eum aperte incusans, quod barbaros omnium primus adusque fasces auxerat & trabeas Consulares: insulse nimirum & leviter: qui cum vitare deberet id quod infestius objurgavit, brevi postea Mamertino in Consulatu junxit Nevittam, nec splendore (*g*) nec usu, nec gloria horum similem (*h*), quibus Magistratum amplissimum detulerat Constantinus: contra inconsummatum & subagrestem, & quod minus erat ferendum, celsa in potestate crudelem.

CAP. XI. Hæc & talia cogitanti, sollicitoque super maximis rebus & seriis, nuntius metuendus intimatur & insperatus, ausa indicans quorumdam immania, impeditura cursus ejus ardentes, ni vigilanter hæc quoque antequam adolescerent hebetasset: quæ breviter exponentur. Duas legiones Constantiacas, addita una sagittariorum cohorte, quas invenerat apud Sirmium, ut suspectæ adhuc fidei per speciem necessitatum urgentium misit in Gallias: quæ pigrius motæ, spatiaque itinerum longa & Germanos hostes truces & adsiduos formidantes, novare quædam moliebantur, auctore & incitatore Nigrino, equitum turmæ Tribuno, in Mesopotamia genito: reque digesta per secreta colloquia, & alto roborata silentio, cum Aquilejam pervenissent, urbem situ & opibus murisque circumdatam validis, eam hostiliter repente clausere, juvante indigena plebe tumultus horrorem, cui Constantii nomen erat tum etiam amicum. Et obseratis aditibus, turribusque armatis & propugnaculis, futuræ concertationi præparabant utilia, interim soluti & liberi: hocque facinore ita audaci, ad favendum Constantii partibus ut superstitis, Italicos incolas excitabant.

Duæ legiones Constantianæ quæ ad Julianum transierant.

Aquilejam occupant, & militi Juliani portas claudunt.

CAP. XII. Quibus Julianus acceptis, agens tunc apud Næssum, nihil à tergo timens adversum, legensque & audiens hanc civitatem circumsessam quidem aliquoties, numquam tamen excisam aut deditam, impensiore studio sibi sociare, vel fraude, vel diversis adulationum generibus, antequam majus oriretur aliquid, properabat. Ideoque Jovinum Magistrum equitum venientem per Alpes, Noricosque ingressum, ad id quod exarserat quoquo modo corrigendum redire citius imperavit (*i*). Et ne quid deesset, milites omnes qui Comitatum sequebantur aut signa, retineri jussit per idem oppidum transeuntes, pro viribus laturos auxilium. Hisque dispositis, ipse haud diu postea cognita morte Constantii, discursis Thraciis, Constantinopolim introiit: ac sæpe doctus lentius fore id obsidium quam verendum, Immone cum Comitibus aliis ad hoc destinato, removit exinde Jovinum (*k*), alia quæ potiores flagitabant necessitates acturum. Ordine itaque scutorum gemino Aquileja circumsepta, concinentibus sententiis Ducum, conveniens visum est ad deditionem allicere defensores minacium blandorumque varietate sermonum: & multis ultro citroque dictitatis, in immensum obstinatione gliscente, ex colloquio re infecta disceditur. Et quia nihil præter pugnam jam spectabatur, curatis utrobique cibis somnoque corporibus, aurora jam surgente, concrepante sonitu buccinorum, partes accensæ in clades mutuas, ferocientes magis quam consultius, elatis clamoribus ferebantur. Pluteos igitur præferentes oppugnatores, cratesque densius textas; sensim incedentes & caute, murorum ima suffodere ferramentorum multitudine conabantur: factas plerique vehentes ad mensuram mœnium scalas, jamque parietibus pæne contigui, pars lapidibus volutis in pronum conlisi, pars confixi stridentibus jaculis, retroque gradientes averterunt secum omnes alios, metu similium à proposito pugnandi retortos. Hoc primo congressu erecti in audaciam clausi, assumpta fiducia meliorum parvi ducebant restantia: mentibusque fundatis, & compositis per opportuna tormentis, indefesso labore vigilias & cetera subsidia securitatis implebant. Contra munitores licet pavore discriminum anxii, pudore tamen ne secordes viderentur & segnes ubi parum vis procedebat Marte aperto tentata, ad instrumenta obsidionalium artium transtulerunt. Et quia nec arietibus admovendis nec ad intentandas machinas, (*l*) vel ut possint forari cuniculi, inveniebatur usquam habilis locus, disparatione brevi civitatem Natisone (*m*) amni præterlabente, commentum excogitatum est cum veteribus admirandum. Constructas veloci studio ligneas turres, propugnaculis hostium celsiores, imposuere trigeminis navibus valde sibi connexis: quibus insistentes armati, uno parique ardore prohibitores dispellere collatis ex propinquo viribus nitebantur: subterque expediti velites à turrium cavernis egressi, injectis ponticulis quos ante cempaginarant, transgredi festinarunt indiviso negotio: ut dum vicissim missilibus se petunt & saxis utrimque secus alte locati, hi qui transiere per pontes, nullo interpellante ædificii parte convulsa, aditus in penetralia reserarent. Iterum summa cœpti prudentis aliorsum evasit. Cum enim adventarent jam turres, contortis malleolis madentibus pice, arundine quinetiam, sarmentis ac vario fomite flammarum incessebantur. Quæ quoniam incendio celeri, ponderibusque trepide superstantium inclinatæ prociderunt in flumen, armatorum aliqui per earum fastigia interibant, eminus confixi tormentis. Inter quæ destituti pedites post navalium sociorum occasum, obtriti sunt saxis immanibus, præter paucos, quos morti scilicet per impedita suffugia

Julianus per Jovinum Aquilejam oppugnat.

(*g*) al. brevi postea Mamertinum in Consulatum evexit, nec vita, nec splendore &c. (*h*) al. horum cujusquam similem. (*i*) al. imperabat. (*k*) al. Jovium. (*l*) al. nec intentandis machinis. (*m*) al. Tisioni.

fugia velocitas exemerat pedum. Ad ultimum certamine protracto (*n*) in vesperam, datoque signo in receptum (*o*) ex more, ambo digressi diei residuum animis egere disparibus. Munitorum enim mœrores, funera lugentium propria, prohibitores spe jam superandi firmabant (*p*), licet ipsi quoque paucos gemebant amissos. Properabatur tamen nihilominus: & quantum recreandis viribus quiete & cibo satis fuit, tributo per noctis integræ spatium, reparatur lucis exordio prælium incitamento turbarum. Et quidam elatis super capita scutis, ut pugnaturi levius, alii vehentes humeris ut antea scalas, ferventique impetu procurrentes, pectora multiformium telorum ictibus exponebant. Alii ferratos portarum obices effringendos adorti, ultro ignibus petebantur, vel saxis muralibus oppetebant. Quidam fossas fidentius transire conati repentinis eorum adsultibus, qui erumpebant clanculo per posticas, ruebant incaute, aut saucii (*q*) discedebant. Recursus enim ad mœnia tutior, vallumque antemuranum, cespitibus fultum, insidiantes ab omni discrimine defendebat. Et quamquam prohibitores duritia bellorumque artibus antistarent, quibus nihil præter mœnium supererat adjumentum: collectus tamen ex potioribus numeris miles diuturnas ferre nequiens moras, suburbana omnia circumibat diligenter inquirens, qua vi vel machinis posset patefactam irrumpere civitatem. Quod ubi patrare non poterat magnitudine vetante difficultatum, obsideri remissius cœpta est: & excubiis stationibusque relictis præsidiarii milites vastantes agros propinquos, omnibus congruentibus abundabant, raptorum pleraque concorporalibus suis impertientes. Unde largiore admodum potu saginisque distenti marcebant. His relatione Immonis consortiumque cognitis, Julianus Constantinopoli etiamtum hibernans, solerti remedio turbatis consuluit rebus: moxque Agilonem Magistrum peditum ea tempestate probe cognitum miserat, ut viso honoratissimo viro, compertaque per eum morte Constantii, solveretur obsidium. Inter quæ ne cessaret Aquileiæ oppugnatio, cum in reliquis opera consumeretur incassum, placuit resistentes acriter ad deditionem siti compelli. Et ubi aquarum ductibus intersectis nihilominus celsiore fiducia repugnarent, flumen laboribus avertitur magnis; quod itidem frustra est factum. Attenuatis enim avidioribus bibendi subsidiis, hi quos temeritas clauserat, contenti putealibus aquis parce vixerunt. Quæ dum agitantur casibus antedictis, supervenit ut præceptum est Agilo, scutorumque densitate contectus, prope fidenter accessit: multaque locutus & vera, quibus Constantii obitum, firmatumque Juliani docebat imperium, non sine conviciis computabatur ut fallax. Nec ei quisquam credidit gesta narranti, antequam pacta salute susceptus ad pugnaculum solus, fide religiosius reddita, ea quæ docuerat replicaret. His auditis, ex diuturno angore portis reclusis omnes effusi, suscepere læti pacificum Ducem: seque purgantes, Nigrinum totius

Aquileja comperto Constantii morte Juliano se dedit. U.C. 1113. p. C.N. 361.

furoris auctorem, paucosque alios obtulerunt, eorum supplicio læsæ crimina majestatis & urbis ærumnas expiari poscentes. Paucis denique post diebus exploratius spectato negotio, Mamertino tum judicante Præfecto Prætorio, Nigrinus ut acerrimus belli instinctor exustus est vivus. Romulus vero post eum & Sabostius Curiales, convicti sine respectu periculi studia sevisse discordiarum, pœnali consumpti sunt ferro: residui omnes abierunt innoxii, quos in certaminum rabiem necessitas egerat, non voluntas. Id enim æquitate pensata statuerat placabilis Imperator & clemens. Et hæc quidem postea gesta sunt. Julianus vero agens etiamtum apud Næssum, curis altioribus stringebatur, multa utrimque pertimescens: formidabat enim ne clausorum militum apud Aquileiam repentino adsultu obseratis angustiis Alpium Juliarum, provincias & adminicula perderet, quæ exinde sperabat in dies. Itidemque opes Orientis magnopere verebatur, audiens dispersum per Thracias militem contra vim subitam cito coactum adventare Succorum confinia, comite Marciano ducente. Sed tamen congrua instantium sollicitudinum moli ipse quoque agitans, efficaciter Illyricum contrahebat exercitum, pulvere coalitum Martio, promptumque in certaminibus bellicoso jungi rectori: nec privatorum utilitates in tempore afflagranti despiciens, litesque audiens controversas, maxime municipalium Ordinum, ad quorum favorem propensior, injuste plures muneribus publicis adnectebat. Ibi Symmachum repertum & Maximum Senatores conspicuos, à Nobilitate legatos ad Constantium missos, exinde reversos honorifice vidit: & potiore posthabito, in locum Tertulli Maximum Urbi præfecit æternæ, ad Rufini Vulcatii gratiam, cujus sororis eum filium norat. Hoc administrante alimentaria res abundavit, & querelæ plebis excitari crebro solitæ cessaverunt. Tunc ut securitatem trepidis rebus afferret, & obedientium nutriret fiduciam, Mamertinum Præfectum Prætorio per Illyricum designavit Consulem, & Nevittam: qui nuper, ut primum augendæ barbaricæ vilitatis auctorem, immoderate notaverat Constantinum.

Julianus exercitum Illyricum contrahit.

Maximum Præfectum Urbi Romæ dicit.

Et Mamertinum Præfectum Prætorio per Illyricum.

CAP. XIII. His ac talibus inter spem metumque nova negotia commovente: Constantius apud Edessam exploratorum relationibus variis anxius, in rationes diducebatur (*r*) ancipites, nunc ad concursatorias pugnas militem struens: nunc si copia patuisset, obsidione gemina Bezabden aggressurus: consultans prudenter, ne mox partes petiturus Arctoas, improtectum Mesopotamiæ relinqueret latus. Verum consiliorum ambiguum retinebant multiplices moræ, tardante trans Tigridem Rege, dum moveri (*s*) permitterent sacra. Nam si permeato flumine nullum qui resisteret invenisset, absque difficultate penetrarat Euphraten: alioquin ad civilia bella custodiens militem, timebat eum periculis objectare circummuranis, firmitatem mœnium munimenti defensorumque alacritatem expertus. Ne quiesceret tamen, neve condemnaretur inertiæ, Arbetionem

Constantius consiliorum ambiguus.

(*n*) al. producto. (*o*) al. datoque signo receptui. (*p*) al. inflammabant. (*q*) al. ruentes incaute saucii &c. (*r*) al. ducebatur. (*s*) al. movere.

betionem & Agilonem, pedeſtris equeſtriſque militiæ Magiſtros, cum agminibus maximis properare coëgit: non ut laceſſerent Perſas in prælia, ſed prætenturis juncturos citeriores Tigridis ripas, & ſpeculaturos quonam Rex eorum erumperet violentus. Addebatque monendo ſæpius & ſcribendo, ut ſimulatque multitudo tranſire cœpiſſet hoſtilis, referrent citius pedem. Dumque conlimitia juſſa cuſtodiunt Duces, & occulta fallaciſſimæ gentis obſervantur, agens ipſe cum parte validiori exercitus curabat urgentia, velut pugnaturus, oppidaque tuebatur excurſu. Speculatores vero & transfugæ ſubinde venientes repugnantia prodebant: ideo futurorum incerti, quod apud Perſas nemo conſiliorum eſt conſcius, præter Optimates taciturnos & fidos, apud quos Silentii quoque colitur numen. Accerſebatur autem à memoratis Ducibus Imperator adſidue, orantibus ferri ſibi ſuppetias. Teſtabantur enim ſe nonniſi coactis in unum viribus cunctis poſſe impetum Regis ardentiſſimi ſuſtinere. Quæ dum aguntur ita ſollicite, nuntii percrebuere certiſſimi: quorum clara fide compertum eſt, Julianum Italiam & Illyricum curſu celebri prætergreſſum, clauſtra interim occupaſſe Succorum: accita undique præſtolantem auxilia, ut multitudine ſtipatus armorum pervaderet Thracias. Quo cognito, mœrore offuſus Conſtantius, ſolatio uno ſuſtentabatur, quod inteſtinos ſemper ſuperaverit motus: re tamen magnam ei difficultatem ad capeſſendum conſilium adferente, id elegit potiſſimum, ut vehiculis publicis impoſitum paullatim præmitteret militem, imminenti caſus atrocitati velocius occurſurum. Omniumque conſenſit approbata ſententia, pergebant ut præceptum eſt expediti. Eique hæc diſponenti luce poſtera nuntiatur, Regem cum omni manu quam duxerat, ad propria revertiſſe, auſpiciis dirimentibus: lenitoque metu, revocatis omnibus præter eos quos conſuetudo præſidio Meſopotamiæ deſtinarat, reverſus eſt Hierapolim. Summa itaque cœptorum quorſum evaderet ambigens, cum in unum exercitus conveniſſet, omnes centurias, & manipulos, & cohortes in concionem vocavit concinentibus tubis: oppletoque multitudinis campo, ut eam ad firmanda promptius adigeret imperanda, tribunali celſo ſiſtens, ſtipatoque ſolito denſius, hæc proſecutus eſt adſerenitatis ſpeciem & fiduciæ vultu formato. *Sollicitus ſemper, ne quid re levi vel verbo committam inculpatæ parum congruens honeſtati, utque cautus navigandi magiſter, clavos pro fluctuum motibus erigens vel inclinans, compellor nunc apud vos, amantiſſimi viri, confiteri meos errores, quin potius (ſi dici liceat verum) humanitatem, quam credidi negotiis communibus profuturam. Proinde ut facilius ſciri poſſit, quæ ſit hujus concilii convocandi materia, accipite quæſo æquis auribus & ſecundis. Gallum patruelem meum, tempore quo confundendis rebus pertinaciter Magnentius inhærebat, quem obruere veſtræ virtutes, poteſtate Cæſaris ſublimatum ad Orientis præſidium miſi: qui cum à juſtitia per multa viſu relatuque nefaria defeciſſet, arbitrio punitus eſt legum. Atque utinam hoc contenta eſſet invidia, turbarum acerrima concitatrix! & angebat nos una ſed ſecura doloris præteriti recordatio. At nunc aliud accidit, auſim dicere, prœteritis mœſtius, quod per fortitudinem vobis ingenitam adjumenta cœleſtia coërcebunt. Julianus, quem, dum circumfrementes Illyrycum nationes exteras oppugnatis, tuendis præfecimus Galliis, levium confidentia præliorum, quæ cum Germanis geſſit ſemiermibus, ut vecors elatus, adſcitis in ſocietatem ſuperbam auxiliaribus paucis, feritate ſpeque poſtrema ad pernitioſam audaciam promptis, in noxam publicam conſpiravit, æquitate calcata, parente nutriceque orbis Romani: quam tumentes ſpiritus tamquam favillas eſſe facturam deinde, ut ſceleſtorum ultricem: & ipſe expertus, & docente antiquitate facile credo. Quid igitur ſupereſt, niſi ut turbinibus excitis occurramus? ſubcreſcentis rabiem belli, antequam pubeſcat validius, celeritatis remediis oppreſſuri. Nec enim dubium, favore numinis ſummi præſente, cujus perenni ſuffragio damnantur ingrati, ferrum impie præparatum ad eorum interitum eſſe vertendum, qui non laceſſiti ſed aucti beneficiis pluribus, ad inſontium pericula ſurrexerunt. Ut enim mea mens auguratur, juſtitiaque rectis conſiliis adfutura promittit, ſpondeo quod ſi ventum fuerit comminus, ita pavore torpeſcent, ut nec oculorum veſtrorum vibratæ lucis ardorem, nec barritus ſonum perferant primum.* Omnes poſt hæc dicta in ſententiam ſuam, haſtaſque vibrantes irati, poſt multa quæ benevole reſponderant, petebant ſe duci protinus in rebellem. Qua pratia in lætitiam Imperator verſus ex metu, concione mox abſoluta, Arbetionem ante alios fauſtum ad inteſtina bella ſedanda ex anteactis jam ſciens, iter ſuum præire cum Lanceariis & Matriariis, & catervis expeditorum præcepit, & cum Lætis itidem Gomoarium, venturis in Succorum anguſtias opponendum, ea re aliis antelatum, quod ut contemptus in Galliis, erat Juliano infeſtus.

Perſarum Optimates taciturni & fidi.

Conſtantius contra Julianum proficiſcitur.

Milites ſuos adhortatur.

CAP. XIV. In hoc rerum adverſarum tumultuo hærens ejus fortuna jam & ſubſiſtens, adventare caſum vitæ difficilem, modo non loquentibus ſignis aperte monſtrabat. Namque & nocturnis imaginibus (*t*) terrebatur, & nondum penitus merſus in ſomnum, umbram viderat patris obtuliſſe pulchrum infantem: eumque ſuſceptum & locatum in gremio ſuo, excuſſam ſibi projeciſſe longius ſphæram, quam ipſe dextera manu geſtabat. Id autem permutationem temporum indicabat, licet interpretantes placentia reſponderent. Poſt hæc confeſſus eſt junctioribus (*u*) proximis, quod tamquam deſolatus ſecretum aliquid videre deſierit, quod interdum adfuiſſe ſibi ſqualidius exiſtimabat: & putabatur Genius quidam tutelæ ſalutis appoſitus eum reliquiſſe, mundo citius digreſſurum. Ferunt enim Theologi, (2) in lucem editis hominibus cunctis, ſalva firmitate fatali, hujuſmodi quædam velut actus rectu-

Præſagia mortis Conſtantii Imp.

Omnibus hominibus ſui genii familiares.

(*t*) al. temporibus. (*u*) al. conjunctioribus.

(2) In lucem editis hominibus cunctis ...... actus rectura numina ſociari) Non hominibus ſolum Romani; ſed & Populi Romani ſuos credebant Genios, quos & in numis expreſſerunt, nimirum Neronis Imp. Tab. LXVI. num. 3. Conf. HEMELAR. Tab. VIII. num. 4. pag. 25. deinde Populi Romani Tab. LXVI. num. 4. Conf. HEMELAR. Tab. L. num. 12. pag. 178.

rectura numina ſociari, admodum tamen pauciſſimis viſa quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracula & auctores docuere præclari: inter quos eſt etiam Menander Comicus, apud quem hi ſenarii duo leguntur.

> Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
> Εὐθὺς γενομένῳ, μυσαγωγὸς τοῦ βίου.

Iridem ex ſempiternis Homeri carminibus intelligi datur, non Deos cœleſtes cum viris fortibus collocutos, nec adfuiſſe pugnantibus vel juviſſe, ſed familiares genios cum iiſdem verſatos, quorum adminiculis freti (*x*) præcipuis Pythagoras enituiſſe dicitur & Socrates, Numaque Pompilius, & ſuperior Scipio: & ut quidam exiſtimant, Marius, & Octavianus, cui Auguſti vocabulum delatum eſt primo: Hermeſque Termaximus, & Tyaneus Apollonius, atque Plotinus, auſus quædam ſuper hac re differere myſtica, alteque monſtrare, quibus primordiis hi genii animis connexi mortalium, eas tamquam gremiis ſuis ſuſceptas tuentur, quoad licitum eſt, docentque majora, ſi ſenſerint puras, & à colluvione peccandi immaculata corporis ſocietate diſcretas.

Conſtantius venit Antiochiam,

CAP. XV. Ingreſſus itaque Antiochiam feſtinando Conſtantius, ad motum certaminum civilium ut ſolebat avide ſurrecturus, paratis omnibus exire properabat immodice, renitentibus plurimis murmure tenus: nec enim diſſuadere palam audebat quiſquam vel vetare. Autumno jam ſeneſcente profectus, cum ad ſuburbanum veniſſet disjunctum exinde tertio lapide, Hippocephalum nomine, lucente jam die cadaver hominis interfecti dextra jacens capite avulſo conſpexit, contra occiduum latus extenſum: territuſque omine, finem parantibus fatis deſtinatius ipſe tendebat: venitque Tarſum, ubi leviore febri contactus, ratuſque itinerario motu imminutæ valetudinis excuti poſſe diſcrimen, petiit per vias difficiles Mopſucrenas (*y*), Ciliciæ ultimam hinc pergentibus ſtationem, ſub Tauri montis radicibus poſitam: egredique ſecuto die conatus, invalente morbi gravitate detentus eſt: paullatimque urente calore nimio venas, ut ne tangi quidem corpus ejus poſſet in modum foculi fervens, cum uſus deficeret medelarum, ultimum ſpirans deflebat exitium: mentiſque ſenſu tum etiam integro, ſucceſſorem ſuæ poteſtatis ſtatuiſſe dicitur Julianum. Deinde anhelitu jam pulſatus letali conticuit: diuque cum anima colluctatus jam diſceſſura, abiit è vita III. Non. Octobrium, Imperii vitæque anno quadrageſimo & menſibus paucis. Poſt quæ, ſupremis cum gemitu conclamatis, excitiſque lamentis & luctu: deliberabant locum obtinentes in aula regia primum, quid agerent, quidve moliri deberent: pauciſque occulte ſuper eligendo Imperatore tentatis, incitante ut ferebatur Euſebio, quem noxarum conſcientia ſtimulabat, cum novandis rebus imminens obſiſteret Julianus; mittuntur ad eum Theolaiphus & Aligildus, tunc Comites, mortem indicantes propinqui, & oraturi ut mora omni depulſa ad obtinendum obtemperare ſibi paratum tenderet Orientem. Fama tamen rumorque loquebatur incertus, Conſtantium voluntatem ordinaſſe poſtremam: in qua Julianum ut prædiximus ſcripſit heredem: & iis quos diligebat, fideicommiſſa detulit & legata. Uxorem autem prægnantem reliquit, unde edita poſtuma, ejuſque nomine appellata, cum adoleviſſet, matrimonii jure copulata eſt Gratiano.

Petit Mopſucrenas.

Ubi moritur. U. C. 1113. p. C. N. 361.

Julianum ſcripſit heredem.

Conſtantii poſtuma Conſtantia.

Conſtantii virtutes.

CAP. XVI. Bonorum igitur vitiorumque ejus differentia vere ſervata, præcipua prima conveniet expediri. Imperatoriæ auctoritatis cothurnum ubique cuſtodiens, popularitatem elato animo contemnebat & magno: erga tribuendas celſiores dignitates impendio parcus: nihil circa adminiſtrationum augmenta præter pauca novari perpeſſus: numquam erigens cornua militarium. Nec ſub eo Dux quiſquam cum Clariſſimatu provectus eſt. Erant enim, ut nos quoque meminimus, Perfectiſſimi: nec occurrebat Magiſtro equitum provinciæ rector, nec contingi ab eo civile negotium permittebat. Sed cunctæ caſtrenſes & ordinariæ poteſtates, ut honorum omnium apicem, priſcæ reverentiæ more Præfectos ſemper ſuſpexere Prætorio. In conſervando milite nimium cautus: examinator meritorum nonnumquam ſcrupuloſus, Palatinas dignitates velut ex quodam tribuens perpendiculo: & ſub eo nemo celſum aliquid acturus in regia, repentinus adhibitus eſt vel incognitus: ſed qui poſt decennium Officiorum Magiſterium, vel Largitiones, vel ſimile quidquam eſſet recturus, apertiſſime noſcebatur. Valdeque parum contigerat, ut militarium aliquis ad civilia regenda tranſiret: contraque nonniſi pulvere bellico indurati præficiebantur armatis. Doctrinarum diligens adfectator: ſed cum à Rhetorica per ingenium deſereretur obtuſum (*z*), ad verſificandum tranſgreſſus, nihil operæpretium fecit. In vita parca & ſobria, edendi potandique moderatione valetudinem ita retinuit firmam, ut raros colligeret morbos, ſed eos non procul à vitæ periculis: id enim evenire corporibus à laſcivia demotis & luxu, diuturna experimenta & probationes medendi monſtrarunt. Somno contentus exiguo cum id poſceret tempus & ratio: perque ſpatia vitæ longiſſima impendio caſtus, ut nec mare miniſtro ſaltem (*a*) ſuſpicione tenus poſſet redargui; quod crimen etiamſi non invenit malignitas, fingit in ſummarum licentia poteſtatum. Equitandi & jaculandi, maximeque perite dirigendi ſagittas, artiumque armaturæ pedeſtris perquam ſcientiſſimus. Quod autem nec terſiſſe umquam nares in publico, nec ſpuiſſe, nec tranſtuliſſe in partem alterutram vultum aliquando viſus eſt, nec pomorum quidquam quoad vixerat guſtaverit, ut dicta ſæpius prætermitto. Dinumeratis carptim bonis, quæ ſcire potuimus, nunc ad explananda ejus vitia veniamus. Cum eſſet in negotiis aliis Principibus mediis comparandus, ſi affectatæ dominationis anſam quamdam falſam repeiſſet aut levem, hanc ſine fine ſcrutando, faſque eodem loco ducens & nefas, Caligulæ, & Domitiani, & Commodi immanitatem facile ſuperabat: quorum æmulatus ſævitiam inter imperandi exordia, cunctos ſanguine & genere ſe contin-

Et vitia.

(*x*) alii τὸ freti omittunt. (*y*) al. Mopſueſtiam. (*z*) al. obtunſum. (*a*) al. ut nec amare miniſtros ſaltem &c.

gentes turpiter interemit. Addebatur miserorum ærumnis, qui rei majestatis imminutæ vel læsæ deferebantur, acerbitas ejus & iracundiæ suspiciones, in hujusmodi cuncta distentæ. Et si quid tale increpuisset, in quæstiones acrius exsurgens quam civiliter, spectatores apponebat his litibus truces: mortemque longius in puniendis quibusdam, si natura permitteret, conabatur extendi: in hujusmodi controversiarum partibus etiam Gallieno ferocior. Ille enim perduellionum crebris verisque appetitus insidiis, Aureoli, & Postumi, & Ingenui, & Valentis cognomento Thessalonici, aliorumque plurium, mortem factura crimina aliquoties lenius vindicabat: hic etiam facta vel dubia adigebat videri certissima, vi nimia tormentorum. Justumque in ejusmodi titulis capitaliter oderat, cum maxime id ageret ut justus existimaretur & clemens. Et tamquam ex arida silva volantes scintillæ, flatu leni ventorum adusque discrimina vicorum agrestium incohibili cursu perveniunt, ita ille quoque ex minimis causis malorum congeries excitabat: Marci illius dissimilis Principis verecundi: qui cum ad imperiale culmen in Syria Cassius surrexisset, epistolarum fascem ab eo ad conscios missum, perlatore capto sibi oblatum, ilico signatum exuri præcepit, agens adhuc in Illyrico, ne insidiatoribus cognitis, invitus quosdam habere posset offensos. Utque recte sentientes quidam arbitrabantur, virtutis erat potius indicium magnæ, Imperio eumdem Constantium sine cruore cessisse, quam vindicasse tam inclementer. Ut Tullius quoque docet, crudelitatis increpans Cæsarem in quadam ad Nepotem epistola: *Neque enim quidquam aliud est felicitas*, inquit, *nisi honestarum rerum prosperitas.* Vel ut alio modo definiam: *Felicitas est fortuna adjutrix consiliorum bonorum: quibus qui non utitur, felix esse nullo pacto potest. Ergo in perditis impiisque consiliis quibus Cæsar usus erat, nulla potuit esse felicitas. Feliciorque meo judicio Camillus exsulans, quam temporibus iisdem Manlius, etiamsi (id quod cupierat) regnare potuisset.* Id Ephesius quoque Heraclitus adserens monet, & ab inertibus & ignavis, eventus variante fortuna, superatos aliquoties viros fuisse præstantes: Illud vero eminere inter præcipuas laudes, cum potestas in gradu, velut sub jugum missa nocendi sæviendique cupiditate & irascendi, in arce victoris animi trophæum erexit gloriosum. Ut autem in externis bellis hic Princeps fuit saucius & adflictus: ita prospere succedentibus pugnis civilibus tumidus, & intestinis ulceribus Reipublicæ sanie perfusus horrenda: quo pravo proposito magis quam recto vel usitato, triumphales arcus ex clade provinciarum sumptibus magnis erexit in Galliis & Pannoniis, titulis gestorum adfixis . . . . se quoad stare poterunt monumenta lecturis. Uxoribus, ac spadonum gracilentis vocibus, & Palatinis quibusdam nimium quantum addictus, ad singula ejus verba plaudentibus, & quid ille ajat vel neget, ut assentiri possint, observantibus. Augebat etiam amaritudinem temporum flagitatorum rapacitas inexpleta, plus odiorum ei quam pecuniæ conferentium. Hocque multis intolerantius videbatur, quod nec causam aliquando audivit, nec provinciarum indemnitati prospexit, cum multiplicatis tributis & vectigalibus vexarentur. Eratque super his adimere facilis quæ donabat. Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit discidia plurima; quæ progressa fusius aluit concertatione verborum: ut catervis Antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per Synodos quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, rei vehiculariæ succideret nervos. Figura tali situque membrorum: subniger, luce oculorum edita, cernensque acutum, molli capillo, rasis adsidue genis lucentibus ad decorem, adusque pubem ab ipsis colli confiniis longior, brevissimis cruribus & incurvis: unde saltu valebat & cursu. Pollinctum igitur corpus defuncti, conditumque in loculis, Jovianus etiamtum Protector Domesticus, cum regia prosequi pompa Constantinopolim usque jussus est, prope necessitudines ejus humandum. Eique vehiculo insidenti quod portabat reliquias, ut Principibus solet, annonæ militaris offerebantur indicia ut ipsi nominant proba, & animalia publica monstrabantur, & ex usu crebrescebant occursus: quæ & alia horum similia, eidem Joviano Imperium quidem, sed & cassum & umbratile ut ministro rerum funebrium portendebant.

Constantii forma.

Constantius Constantinopoli sepelitur.

Explicit Liber XXI.

AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XXII.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

Julianus Haruspices & Augures consulit.

Dum hæc in diversa parte terrarum fortunæ struunt volubiles casus, Julianus inter multa quæ per Illyricum agitabat, exta rimabatur adsidue, avesque suspiciens, præscire festinabat accidentium finem: sed responsis ambiguis & obscuris hærebat futurorum incertus. Eique tandem Haruspicinæ peritus Aprunculus Gallus orator, promotus rector postea Narbonensis, nuntiavit

vit eventus, inspectu jecoris ut ajebat ipse praedoctus, quod operimento duplici viderat tectum. Cumque ille timeret ne cupiditati suae congruentia fingerentur, atque ideo moestus, omen multo praesentius ipse conspexit, quod excessum Constantii clare monstrabat. Eodem enim puncto, quo idem obierat in Cilicia, lapso milite, qui se insessurum (*b*) equo dextra manu erexit, humique prostrato, exclamavit, ilico audientibus multis, cecidisse qui eum ad culmen evexit. Fixa tamen firmitate consistens, intra terminos Daciae se continebat, sic quoque plurima pertimescens. Nec enim cautum ducebat conjecturis credere, forsitan in contrarium erupturis.

In Dacia subsistit.

CAP. II. Inter quae tam suspensa, advenere subito missi ad eum legati, Theolaïphus atque Aliguldus, defunctum Constantium nuntiantes, addentesque quod eum voce suprema successorem suae fecerit potestatis. Qua re cognita, post exemptos periculorum aestus, & bellicarum sollicitudinum turbas imminentes elatus (*c*), jamque vaticiniis credens, & celeritatem negotiis suis aliquoties profuisse expertus, edixit iter in Thracias: motisque propere (*d*) signis emensa declivitate Succorum, Philippopolim petiit Eumolpiada veterem, alacri gradu sequentibus quos duxerat cunctis. Advertebant enim Imperium, quod ereptum ibant cum ultimorum metu discriminum, praeter spem ordinario jure concessum. Utque solet fama novitates augere, properabat exinde sublimior, ut quodam Triptolemi curru, quem ob rapidos circumgressus aëriis serpentibus & pinnigeris fabulosa vetustas imponit: perque terras & maria formidatus, nullis obstantibus muris, Heracleam ingressus est Perinthum. Quo apud Constantinopolim mox comperto, effundebatur aetas omnis & sexus tamquam demissum aliquem visura de coelo. Exceptus igitur tertio Iduum Decembrium verecundis Senatus officiis, & popularium consonis plausibus, stipatusque armatorum & togatorum agminibus, velut acie ducebatur instructa: omnium oculis in eum non modo contuitu destinato, sed cum admiratione magna defixis. Somnio enim propius videbatur, adultum adhuc juvenem, exiguo corpore, factis praestantem ingentibus, post cruentos exitus Regum & gentium, ab urbe in urbem inopina velocitate transgressum, quaqua incederet accessione opum (*e*) & virium flammae (*f*) instar cuncta facilius occupasse: principatum denique deferente nutu coelesti absque ulla publicae rei suscepisse jactura.

Julianus cognita morte Constantii.

Thracias transcurrit.

Constantinopolim pacatam intrat.

Totumque Imperium recipit. U. C. 1113, p. C. N. 361.

CAP. III. Brevi deinde Secundo Sallustio, promoto Praefecto Praetorio, summam quaestionum agitandarum ut fido commisit: Mamertino, & Arbetione, & Agilone atque Nevitta adjunctis, itidemque Jovino Magistro equitum per Illyricum recens provecto. Qui omnes transgressi Chalcedona, praesentibus Jovianorum Herculianorumque Principibus & Tribunis, causas vehementius aequo bonoque spectaverunt, praeter paucas in quibus veritas reos nocentissimos offerrebat. Et Palladium primum ex Magistro Officiorum in Britannos exterminarunt, suspicione tenus insimulatum, quaedam in Gallum composuisse apud Constantium (*g*), dum sub eodem Caesare Officinorum esset Magister. Dein Taurum ex Praefecto Praetorio in exsilium egere Vercellum: cujus factum apud judices justorum injustorumque distinctores videri potuit veniae plenum. Quid enim deliquit, si ortum turbinem veritus, ad tutelam Principis sui confugit? Et acta super eo gesta non sine magno legebantur horrore, cum id voluminis publici contineret exordium: *Consulatu Tauri & Florentii, inducto sub praeconibus Tauro.* Ad exitium itidem tale Pentadius trahebatur: cui id objectum est, quod à Constantio (*h*) missus notis excepit, quae propinquante pernicie super multis interrogatus responderat Gallus. Sed cum se juste defenderet, tandem abiit (*i*) innoxius. Iniquitate simili Florentius tunc Magister Officiorum, Nigriniani filius, contrusus est in insulam Dalmatiae Boas. Alter enim Florentius ex Praefecto Praetorio Consul etiamtum, rerum mutatione subita territus, cum conjuge periculis exemptus diu delituit, nec redire ante mortem potuit (*k*): capitis crimine tamen damnatus est absens. Pari sorte Evagrius Comes rei privatae, & Saturninus ex Cura Palatii, & Cyrinus ex Notario, portati sunt in exsilium. Ursuli vero necem Largitionum Comitis ipsa mihi videtur flesse Justitia, Imperatorem arguens ut ingratum. Cum enim Caesar in partes mitteretur Occiduas omni tenacitate stringendus, nullaque potestate militi quidquam donandi delata, ut pateret ad motus asperior exercitus; hic idem Ursulus datis litteris ad eum qui Gallicanos tuebatur thesauros, quidquid posceret Caesar, proculdubio jusserat dari. Quo exstincto, cum maledictis execrationibusque multorum se Julianus sentiret expositum, impurgabile crimen excusari posse existimans, absque conscientia sua hominem affirmabat occisum, praetendens quod eum militaris ira delevit, memor quae dixerat, ut ante retulimus, cum Amidam vidisset excisam. Ideoque timidus videbatur, vel parum intelligens quid conveniret, cum Arbetionem semper ambiguum & praetumidum his quaestionibus praefecisset, aliis specie tenus cum Principiis legionum praesentibus, quem primum omnium saluti suae norat objectum, ut decuit victoriarum civilium participem fortem. Et quamquam haec quae retulimus, ejus displicuere fautoribus; sequentia tamen severitatis recto vigore sunt gesta. Apodemium enim ex Agente in rebus, quem in Silvani necem & Galli effrenatius arsisse docuimus, Paulumque Notarium cognomento Catenam, cum multorum gemitu nominandum, vivos exustos, qui sperari debuit, oppressit eventus. Eusebium super his, cui erat Constantiani thalami cura commissa, alte spirantem & dirum addixere poenae letali: quem ab ima sorte adusque jubendum Imperatori

Secundus Sallustius in Constantinos inquirit.

Palladium exterminat in Britannos.

Taurum in exsilium mittit.

Pentadius accusatur.

Sed absolvitur

Florentius absens capitis damnatur.

Evagrius in exsilium mittitur.

Ursulus occidi jubetur.

Apodemius & Paullus vivi exusti.

Eusebius è rupe dejicitur.

(*b*) al. insensurum. (*c*) al. turbas in immensum elatus. (*d*) alii τὸ propere omittunt. (*e*) al. operum. (*f*) al. fame. (*g*) al. Constantinum. (*h*) al. Constantino. (*i*) al. obiit. (*k*) al. ante mortem Juliani potuit.

tori pæne elatum, ideoque intolerabilem, humanorum ſpectatrix Adraſtia, aurem (quod dicitur) vellens, monensque ut caſtigatius viveret, reluctantem præcipitem tamquam è rupe quadam egit excelſa.

CAP. IV. Converſus poſt hæc Princeps ad Palatinos (*l*), omnes omnino qui ſunt, quique eſſe poſſunt, non ut Philoſophus indagandæ veritatis profeſſor. Laudari enim poterat, ſi ſaltem moderatos quosdam licet paucos retinuiſſet, morumque probitate compertos. Namque fatendum eſt pleramque eorum partem vitiorum omnium ſeminarium effuſius (*m*) aluiſſe, ita ut Rempublicam inficerent cupiditatibus pravis: plusque exemplis, quam peccandi licentia læderent multos. Paſti enim ex his quidam templorum ſpoliis, & lucra ex omni odorantes occaſione, ab egeſtate infima ad ſaltum ſublati divitiarum ingentium, nec largiendi, nec rapiendi, nec abſumendi tenuere aliquem modum, aliena invadere ſemper adſuefacti. Unde fluxioris vitæ initia pullularunt, & perjuria, & nullus exiſtimationis reſpectus, demensque ſuperbia fidem ſuam probroſis quæſtibus polluebat. Inter quæ ingluvies (*n*) & gurgites crevere prærupti conviviorum, & pro victorialibus epulares triumphi: uſusque abundantes ſerici & textiles auctæ ſunt artes, & culinarum ſollicitior cura: & ambitioſa ornatarum domorum exquiſita ſunt ſpatia: quorum menſuram ſi in agris Conſul Quintius poſſediſſet, amiſerat etiam poſt Dictaturam gloriam paupertatis. Quibus tam maculoſis acceſſere flagitia diſciplinæ caſtrenſis, cum miles cantilenas meditaretur pro jubilo molliores (*o*): & non ſaxum erat ut antehac armato cubile, ſed pluma & flexiles lectuli, & graviora gladiis pocula, teſta enim bibere (*p*) jam pudebat: & quærebantur ædes marmoreæ, cum ſcriptum ſit in antiquitatibus, Spartanum militem coërcitum acriter, quod procinctus tempore auſus ſit videri ſub tecto. Adeo autem ferox erat in ſuos illis temporibus miles & rapax; ignavus vero in hoſtes & fractus, ut per ambitiones otiumque opibus partis, auri & lapillorum varietates diſcerneret ſcientiſſime, contra quam recens memoria tradit. Notum eſt enim, ſub Maximiano Cæſare vallo Regis Perſarum direpto, gregarium quemdam poſt (*q*) ſacculum Parthicum, in quo erant margaritæ, repertum, projectis imperitia gemmis, abiſſe pellis nitore ſolo contentum. Evenerat iiſdem diebus, ut ad demendum Imperatoris capillum tonſor venire præceptus, introiret quidam ambitioſe veſtitus. Quo viſo Julianus obſtupuit: *Ego*, inquit, *non Rationalem juſſi, ſed tonſorem acciri.* Interrogatus tamen ille, quid haberet ex arte compendii: vicenas diurnas reſpondit annonas, totidemque pabula jumentorum, (quæ vulgo dictitant capita) & annuum ſtipendium grave, absque fructuoſis petitionibus multis. Unde motus, omnes hujusmodi cum coquis ſimilibusque aliis eadem accipere bene conſuetos, ut parum ſibi neceſſarios, data quo velint eundi poteſtate projecit.

Palatinorum ſpadonum vitia.

Corrupta diſciplina militaris.

Juliani dictum in tonſorem.

Julianus tonſores & coquos ab aula expellit.

CAP. V. Et quamquam à rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat erga numinum cultum, paullatimque adulescens deſiderio rei flagrabat, multa metuens tamen agitabat quædam ad id pertinentia quantum fieri poterat occultiſſime. Ubi vero abolitis quæ verebatur, adeſſe ſibi liberum tempus faciundi quæ vellet advertit, ſui pectoris patefecit arcana: & planis abſolutisque decretis (*r*) aperiri templa, arisque hoſtias admoveri ad Deorum ſtatuit cultum. Utque diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum Antiſtites cum plebe diſciſſa in palatium intromiſſos monebat, ut civilibus diſcordiis (*s*) conſopitis quisque nullo vetante religioni ſuæ ſerviret intrepidus. Quod agebat ideo obſtinate, ut diſſenſiones augente licentia, non timeret unanimantem poſtea plebem: nullas infeſtas hominibus beſtias, ut ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum, expertus. Sæpeque dictitabat, *Audite me, quem Alemanni audierunt & Franci:* imitari putans Marci Principis veteris dictum. Sed parum advertit hoc ab eo nimium diſcrepare. Ille enim cum Palæſtinam tranſiret, Ægyptum petens, fœtentium Judæorum & tumultuantium ſæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamaſſe: *O Marcomanni, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inertiores inveni.*

Julianus Idolorum templa aperit.

Et Chriſtianorum Epiſcopos inter ſe committit.

CAP. VI. Per hoc idem tempus rumoribus exciti variis Ægyptii venere complures, genus hominum controverſum, & adſuetudine perplexius litigandi ſemper lætiſſimum, maximeque avidum multiplicatum repoſcere, ſi compulſori quidquam dederit, ut levari debito poſſit, vel certe commodius per dilationem inferre quæ flagitantur, aut criminis vitandi formidine, divites pecuniarum repetundarum interrogare. Hi omnes denſati in unum, Principem ipſum (*t*), & præfectos Prætorio graculorum more ſtrepentes interpellabant inconditе, modo non ante ſeptuageſimum annum extorquentes, quæ dediſſe ſe jure vel ſecus plurimis affirmabant. Cumque nihil aliud agi permitterent, edicto propoſito univerſos juſſit tranſire Chalcedona, pollicitus quod ipſe quoque protinus veniret, cuncta eorum negotia finiturus. Quibus tranſgreſſis, mandatum eſt navigiorum magiſtris ultro citroque diſcurrentium, ne quis transfretare auderet Ægyptium: hocque obſervato cura propenſiore, evanuit pertinax calumniandi propoſitum, & omnes ſpe præſumpta fruſtrati redierunt ad lares. Unde velut æquitate ipſa dictante, lex eſt promulgata, qua cavetur nullum interpellari ſuffragatorem ſuper his, quæ eum recte conſtiterit accepiſſe.

Qua arte Julianus litigioſos Ægyptios domum redire coëgerit.

CAP. VII. Allapſo itaque Kalendarum Januariarum die, cum Mamertini & Nevittæ nomina ſuſcepiſſent paginæ Conſulares, humilior Princeps viſus eſt, in officio pedibus gradiendo cum Honoratis: quod laudabant alii, quidam ut affectatum & vile carpebant. Dein

Juliani humanitas.

(*l*) al. ad Palatinos homines. (*m*) al. fuſius. (*n*) al. eluvies. (*o*) al. meliores. (*p*) al. vivere. (*q*) alii τὸ poſt omittunt. (*r*) al. & plane abſolutis decretis. (*s*) al. monebat civilius ut diſcordiis &c. (*t*) alii τὸ ipſum omittunt.

Dein Mamertino ludos edente Circenſes, manumittendis ex more inductis per admiſſionum Proximum, ipſe lege agi dixerat, ut ſolebat: ſtatimque admonitus jurisdictionem eo die ad alterum pertinere, ut errato obnoxium decem libris auri ſemet ipſe multavit. Frequentabat inter hæc Curiam agendo diverſa, quæ diviſiones multiplices ingerebant. Et cum die quodam ei cauſas ibi (*u*) ſpectanti veniſſe nuntiatus eſſet ex Aſia Philoſophus Maximus, exſiluit indecore: & qui eſſet oblitus, effuſo curſu à veſtibulo longe progreſſus, exoſculatum ſuſceptumque reverenter ſecum induxit, per oſtentationem intempeſtivam nimius captator inanis gloriæ viſus, præclarique illius dicti immemor Tulliani, quo tales notando ita relatum: *Ipſi illi Philoſophi, etiam in his libris quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, ut in eo ipſo quo prædicationem nobilitatemque deſpiciunt, prædicari de ſe ac ſe nominari velint.* Nec multo deinceps, duo Agentes in rebus ex iis qui projecti ſunt, eum adiere, fidentius promittentes latebras monſtrare Florentii, ſi eis gradus militiæ redderetur: quos inceſſens delatoresque appellans, addebat non eſſe Imperatorium, obliquis flecti indiciis ad retrahendum hominem mortis metu abſconditum, qui forte non diu latitare citra ſpem veniæ permitteretur. Aderat his omnibus Prætextatus, præclaræ indolis gravitatisque priſcæ Senator, ex negotio proprio forte repertus apud Conſtantinopolim, quem arbitrio ſuo Achaiæ Proconſulari præfecerat poteſtate. Nec tamen cum corrigendis civilibus ita diligenter inſtaret, omiſit caſtrenſia: rectores militibus diu exploratos adponens, urbes quinetiam per Thracias omnes cum munimentis reparans extimis curansque ſollicite ne arma vel indumenta, aut ſtipendium, vel alimenta deeſſent his, quos per ſupercilia Hiſtri diſperſos, excurſibusque barbarorum oppoſitos, agere vigilanter audiebat & fortiter. Quæ cum ita divideret, nihil ſegnius agi permittens: ſuadentibus proximis ut aggrederetur propinquos Gothos ſæpe fallaces & perfidos, hoſtes quærere ſe meliores ajebat: illis enim ſufficere mercatores Galatas, per quos ubique ſine conditionis diſcrimine venumdantur. Hæc eum curantem & talia commendabat externis nationibus fama, ut fortitudine ſobrietate, militaris rei ſcientia, virtutumque omnium incrementis excelſum: paullatimque, progrediens ambitum oppleverat mundi. Proinde timore ejus adventus per finitimos longeque diſtantes latius explicato, legationes undique ſolito ocius concurrebant: hinc Tranſtigritanis pacem obſecrantibus & Armeniis, inde nationibus Indicis certatim cum donis Optimates mittentibus ante tempus abuſque Divis & Serendivis: ab Auſtrali plaga ad famulandum rei Romanæ ſemet offerentibus Mauris: ab Aquilone & regionibus Solis per quas in mare Phaſis accipitur, Boſporanis aliisque antehac ignotis legationes vehentibus ſupplices ut annua complentes ſollemnia intra terrarum genitalium terminos otioſe vivere ſinerentur.

In curia jus dicit.

Maximum Philoſophum magna lætitia excipit.

Juliani dictum Imperatorium.

Julianus res militares & caſtrenſes corrigit.

Julianus variis exterarum gentium legationibus aditur. U. C. 1114. p. C. N. 362.

CAP. VIII. Appoſitum eſt (ut exiſtimo) tempus, ad has partes nos occaſione magni Principis devolutos, ſuper Thraciarum extimis, ſituque Pontici ſinus viſa vel lecta quædam perſpicua fide monſtrare. Athos in Macedonia mons ille perceſſus, navibus quondam Medicis pervius, & Caphareus Euboïcus ſcopulus, ubi Nauplius Palamedis pater claſſem conliſit Argivam, licet longo ſpatio controverſi à Theſſalo mari diſtinguunt Ægæum: quod paullatim fuſius adoleſcens, dextra, qua late protenditur, per Sporadas eſt inſuloſum atque Cycladas; ideo ſic appellatas, quod omnes ambiunt Delon partu (*x*) Deorum inſignem: læva Imbrum (*y*) & Tenedum circumluens & Lemnum & Thaſum: (*z*) quando perflatur, Lesbo illiditur violentius. Unde gurgitibus refluis Apollinis Sminthii templum & Troada perſtringit, & Ilium heroicis caſibus clarum: efficitque Melana ſinum oppoſitum Zephyro: cujus apud principium Abdera viſitur Protagoræ domicilium & Democriti: cruentæque Diomedis Thracii ſedes, & convalles per quas Hebrus ſibi miſcetur, & Maronea, ac Ænus, qua diris auſpiciis cœpta moxque relicta, ad Auſoniam veterem ductu numinum properavit Æneas. Hinc gracileſcens paullatim, & velut naturali quodam commercio ruens in Pontum, ejusque partem adſumens, in ſpeciem Græcæ litteræ formatur: exin Helleſpontum à Rhodopa ſcindens, Cynoſſema, ubi ſepulta creditur Hecuba, & Cœla præterlabitur & Seſton & Callipolin: contra per Achillis Ajacisque ſepulcra Dardanum contingit & Abydon, unde junctis pontibus Xerxes maria pedibus peragravit: dein Lampſacum, Themiſtocli dono datam à Rege Perſarum, & Parion, quam condidit Jaſionis filius Parius. Unde ſemiorbe curveſcens altrinſecus, lateque aperiens terrarum divortia, circumfluis ſpatiis Propontidos reſpergit ex Eoo latere Cyzicum, & Dindyma religioſa Matris Magnæ delubra, & Apamiam, Ciumque, & Aſtacum ſecuto tempore Nicomediam à Rege cognominatam: qui in occaſum procedit, Cherroneſum pulſat & Ægospotamus, in quo loco lapides caſuros ex cœlo prædixit Anaxagoras, & Lyſimachiam, & civitatem quam Hercules conditam Perinthi comitis ſui memoriæ dedicavit. Et ut effecte pleneque litteræ Φ figura ſervetur, in meditullio ipſo rotunditatis Proconeſus inſula eſt oblonga, & Beſbicus. Poſt cujus ſummitatem in anguſtias rurſus extenuatum, Europam & Bithyniam intercurrens, per Chalcedona, Chryſopolim, & ſtationes tranſit obſcuras. Nam ſupercilia ejus ſiniſtra Athyras portus deſpectat & Selymbria, & Conſtantinopolis, vetus Byzantium, Atticorum colonia, & promontorium Ceras prælucentem navibus vehens conſtructam celſius turrim: quapropter Elatas (*a*) appellatur: & vetus inde fons Euripus prægelidus. (*b*) Hoc modo fractum & participatione maris utriusque finitum, jamque miteſcens, in æquoream panditur faciem, quantum poteſt cadere ſub adſpectum, late diffuſum & longe. Omnis autem ejus velut inſularis circuitus littorea

Deſcriptio Thraciarum & Sinus Pontici, regionumque ac nationum adjacentium Ponto.

(*u*) al. ſibi. (*x*) al. parte. (*y*) al. Embrum. (*z*) al. Taxum. (*a*) al. Pharos.
(*b*) al. appellatur ventus inde ſuetus oriri prægelidus.

torea navigatio viginti tribus dimensa millibus stadiorum, ut Eratosthenes affirmat, & Hecatæus, & Ptolemæus, aliisque hujusmodi cognitionum minutissimi scrutatores, in speciem Scythici arcus nervo coagmentati geographiæ totius assensione formatur. Et qua Sol Oceano exsurgit Eoo, paludibus clauditur Mæotidos: qua declinat in vesperum, Romanis provinciis terminatur: unde suspicit sidus Arctoum, homines alit linguis & moribus dispares: latus ejus Austrinum molli devexitate subductum. Per hæc amplissima spatia oppida sunt dispersa Græcorum: quæ cuncta ætatibus variis præter pauca Atheniensium coloni condidere Milesii, inter Jonas alios in Asia per Nileum multo ante locati, Codri illius filium, qui se pro patria bello fertur Dorico devovisse. Extremitates autem arcus utrimque tenues duo exprimunt Bospori, è regione sibi oppositi, Thracius & Cimmericus: hac causa Bospori vocitati, quod per eos quondam Inachi filia mutata (ut Poëtæ loquuntur) in bovem, ad mare Jonium permeavit. Dextram igitur inflexionem Boshori Thracii excipit Bithyniæ latus, quam veteres dixere Mygdoniam: in qua Thynia & Mariandena sunt regiones, & Amyci sævitia Bebryces exempti virtute Pollucis, remotaque statio, in quo volitantes minaciter harpyias Phineus vates horrebat: per quæ littora in sinus oblongos curvata Sangarius & Phyllis (c), & Bizes & Rhebas fluvii funduntur in maria: quibus controversæ extraneæ sunt Symplegades, gemini scopuli in vertices undeque porrecti diruptos, assueti priscis sæculis obviam sibi cum horrendo fragore collisis mollibus ferri, cedentesque (d) retrorsus acri assultu ad ea reverti quæ pulsarant. Per has saxorum dehiscentium concursantiumque crebritates, si etiam ales intervolasset, nulla celeritate pinnarum eripi poterat, quin interiret oppressa. Hi scopuli cum eos Argo prima omnium navis, Colchos ad direptionem aurei properans velleris, præterisset innoxia, immobiles turbine circumfracto stetere concorporati, ut eos aliquando fuisse diremptos nulli nunc conspicantium credant, nisi super hoc congruerent omnes priscorum carminum cantus. Post Bithyniæ partem, provinciæ Pontus & Paphlagonia protenduntur, in quibus Heraclea, & Sinope, & Polemonion, & Amisos amplæ sunt civitates, & Tios, & Amastris, omnes ab auspicio diligentia fundatæ Græcorum: & Cerasus, unde advexit hujusmodi poma Lucullus, insulæque arduæ, Trapezunta & Pityunta continentes oppida non obscura. Ultra hæc loca Acherusium specus est quod accolæ μυχοπόντιον appellant, & portus Acone: fluvii diversi, Acheron, itidemque Arcadius, & Iris, & Tibris (e), & juxta Parthenius, omnes in mare ictu rapido decurrentes. Thermodon his est proximus, ab Armonio defluens monte, & Themiscyræos interlabens lucos: ad quos Amazonas quondam migrare necessitas subegerat talis. Attritis damnorum adsiduitate finitimis, Amazones veteres quæ eos cruentis populabantur incursibus, altiora spirabant: viresque suas circumspectantes his quæ propinqua sæpius appetebant, validiores, raptæ præcipiti cupiditatis ardore, perruptis nationibus plurimis, manus Atheniensibus intulerunt: acrique concertatione effusæ disjectæ, omnes nudatis equitatus sui lateribus corruere. Harum interitu cognito, residuæ ut imbelles domi relictæ, extrema perpessæ, vicinitatis eis repensantis similia funestos impetus declinantes, ad pacatiorem sedem transiere Thermodoontis: quarum progenies longe deinde propagata per numerosam subolem, manu firmissima ad loca reverterat genitalia, secuto tempore populis diversarum originum formidabilis. Haud procul inde attollitur Carambis placidi (f) collis, contra Septemtrionem Helicen exsurgens, cujus è regione est Criumetopon Tauricæ promontorium, duobus millibus & quingentis stadiis disparatum. Hocque ex loco omnis ora maritima, cujus initium Halys est amnis, velut longitudine lineali directa nervi efficit speciem, duabus arcus summitatibus complicati. His regionibus Dahæ confines sunt, acerrimi omnium bellatores, & Chalybes, per quos erutum & domitum est primitus ferrum. Post quos terras patentes Byzares obtinent, & Sapires, (g) & Tibareni, & Mossynœci, & Macrones, & Philyres, populi nulla nobis adsuetudine cogniti. A quibus brevi spatio distant virorum monumenta nobilium, in quibus Sthenelus (h) est humatus, & Idmon, & Tiphys: primus Herculis socius Amazonico bello letaliter vulneratus: alter augur Argonautarum: tertius ejusdem navis cautissimus rector. Prætercursis partibus memoratis, Aulion (i) antrum est, & fluenta Callichori ex facto cognominati, quod superatis post triennium Indicis nationibus, ad eos tractus Liber versus, circa hujus ripas virides & opacas orgia pristina reparavit & choros: Trieterica hujusmodi sacra quidam existimant appellari. Post hæc confinia Camaritarum pagi sunt celebres, & Phasis fremebundis cursibus Colchos attingit, Ægyptiorum antiquam sobolem: ubi inter civitates alias Phasis est nomine fluvii dictitata, & Dioscurias nunc usque nota: cujus auctores Amphitus & Cercius (k) Spartani traduntur, aurigæ Castoris & Pollucis, à quibus Heniochorum natio est instituta. Paullum ab his secernuntur Achæi: qui bello anteriore quodam apud Trojam consummato, non cum super Helena certaretur, ut Auctores prodidere nonnulli, in Pontum reflantibus ventis errore delati, cunctisque hostilibus, stabilem domiciliis sedem nusquam repeerientes, verticibus montium insedere semper nivalium: & horrore cœli districti, victum etiam (l) sibi cum periculis rapto parare assuefacti sunt: atque eo ultra omnem deinde ferociam sævierunt. Super Cercetis, qui iisdem adnexi sunt, nihil memoratu traditur dignum. Quorum post terga Cimmerici agitant incolæ Bospori, ubi Milesiæ sunt civitates, harumque velut

(c) al. Psylis. (d) al. cadentesque. (e) al. Tembrius. (f) al. placide. (g) al. Tapires. (h) al. Sthelenus: (i) al. Alion. (k) al. Telchius. (l) alii τὸ etiam omittunt.

velut mater omnium Panticapæum: quam perstringit (*m*) Hypanis fluvius, genuinis intumescens aquis & externis. Itineribus hinc extensis, Amazones adusque Caspium mare porrectæ circumcolunt Tanaïn: qui inter Caucasius oriens rupes per sinuosos labitur circumflexus, Asiamque disterminans ab Europa, in stagnis Mæoticis delitescit. Huic Rhavicinus est amnis, in cujus superciliis quædam vegetabilis ejusdem nominis gignitur radix, proficiens ad usus multiplices medelarum. Ultra Tanaïn panduntur in latitudinem Sauromatæ, per quos amnes fluunt perpetui, Maraccus (*n*), & Rhombites, & Theophanes, & Totordanes. Licet alia quoque distans immanibus intervallis Sauromatarum prætenditur natio, littori juncta, quod Coracem suscipiens fluvium in æquor ejectat extremum. Prope palus est Mæotis amplissimi circumgressus: ex cujus uberrimis venis per Patares angustias undarum magnitudo prorumpit iu Pontum, cujus in dextro latere insulæ sunt Phanagorus & Hermonassa, studio constructæ Græcorum. Circa hæc stagna ultima extimaque plures habitant gentes, sermonum institutorumque varietate dispariles: Jaxamatæ (*o*) & Mæotæ, & Jazyges, Roxolanique, & Alani, & Melanchlænæ, & cum Gelonis Agathyrsi, apud quos adamantis est copia lapidis: aliique ultra latentes, quod sunt omnium penitissimi. Sed Mæotidos lateri lævo Cherronesus est propinqua, coloniarum plena Græcarum. Unde quieti sunt homines & sedati, adhibentes vomeri curam, & proventibus fructuariis victitantes. A quibus per varia regna diducti itineribus modicis Tauri dissociantur, inter quos immani diritate terribiles Arinchi, & Sinchi, & Napæi, intendente sævitiam licentia diuturna, indidere mari nomen inhospitali: & à contrario per cavillationem Pontus Euxinus appellatur, ut εὐήθην Græci dicimus stultum, & noctem εὐφρόνην, & furias Eumenidas. Diis enim hostiis litantes humanis, & immolantes advenas Dianæ, quæ apud eos dicitur Oreiloche (*p*), cæsorum capita fani parietibus præfigebant, velut fortium perpetua monumenta facinorum. In hac Taurica insula Leuce sine habitatoribus ullis Achilli est dedicata. In quam si fuerint quidam forte delati, visis antiquitatis vestigiis, temploque & donariis eidem heroi consecratis, vesperi repetunt naves: ajunt enim non sine discrimine vitæ illic quemquam pernoctare. Ibi & aquæ sunt, & candidæ aves nascuntur halcyonibus similes: super quarum origine, & Hellespontiacis præliis tempore disseremus. Sunt autem quædam per Tauricam civitates: inter quas eminet Eupatoria, & Dandace, & Theodosia, & minores aliæ nullis humanis hostiis impiatæ. Hactenus arcus apex protendi existimatur. Ejus nunc residua leniter sinuata, subjectaque ursæ cœlesti adusque lævum Bospori Thracii latus, ut ordo postulat, exsequemur: id admonentes, quod cum arcus omnium gentium flexis curventur hastilibus, Scythici soli vel Parthici circumductis utrimque introrsus pandis & patulis cornibus, effigiem Lunæ decrescentis ostendunt, medietatem recta & rotunda regula dividente. Ergo in ipso hujus compagis exordio, ubi Riphæi deficiunt montes, habitant Arymphæi (*q*) justi homines, placiditateque cogniti, quos amnes Chronius & Bisula præterfluunt: juxtaque Massagetæ, Alani & Sargetæ (*r*), aliique plures obscuri: quorum nec vocabula nobis sunt nota, nec mores. Interjectu deinde non mediocri Carcinites panditur sinus, ejusdemque nominis fluvius: & religiosus per eas terras Triviæ lucus. Deinde Borysthenes à montibus oriens Neurorum (*s*), primigeniis fontibus copiosus, concursuque multorum amnium adulescens, mari præruptis undarum verticibus intimatur: cujus in marginibus nemorosis Borysthenes est civitas, & Cephalonesus, & aræ Alexandro Magno, Cæsarique Augusto sacratæ. Longo exinde intervallo pæne est insula quam incolunt Sindi ignobiles, post heriles in Asia casus conjugiis potiti dominorum & rebus: quibus subjectum gracile litus, Achilleos vocant indigenæ dromon, exercitiis Ducis quondam Thessali memorabilem. Eique proxima est civitas Tyros colonia Phœnicum, quam præstringit fluviis Tyras. In medio autem spatio arcus, quod prolixæ rotunditatis esse prædiximus, quodque expedito viatori diebus conficitur quindecim, Europæi sunt Alani, & Costobocæ, gentesque Scytharum innumeræ, quæ porriguntur adusque terras sine cognito fine distentas: quarum pars exigua frugibus alitur: residuæ omnes palantes per solitudines vastas, nec stivam aliquando nec sementem expertas, sed squalentes & pruinosas (*t*), ferarum tetro ritu vescuntur: eisque caritates, & habitacula, vilesque supellectiles plaustris impositæ sunt corticibus tectis: & cum placuerit sine obstaculo migrant, eadem carpenta quo libuerit convolventes. Cum autem ad alium portuosum ambitum fuerit ventum, qui arcus figuram determinat ultimam, Peuce prominet insula, quam circumcolunt Troglodytæ & Peuci minoresque aliæ gentes: & Histros (*u*) quondam potentissima civitas, & Tomi, & Apollonia, & Anchialos, & Odissos: aliæ præterea multæ, quas littora continent Thraciarum. Amnis vero Danubius oriens prope Rauracos montes, confines limitibus Rhæticis, per latiorem orbem prætentus, ac sexaginta navigabiles pæne recipiens fluvios, septem ostiis per hoc Scythicum latus (*x*) erumpit in mare. Quorum primum est Peuce iusula supra dicta, ut interpretata sunt vocabula Græco sermone, secundum Naracustoma, tertium Calonstoma, quartum Pseudostoma. Nam Boreonstoma ac deinde Sthenostoma longe minora sunt ceteris: septimum ingens & palustri specie nigrum. Omnis autem circumfluo ambitu pontus, & nebulosus est, & dulcior æquorum ceteris & vadosus: quod & concrescit aër ex humorum spiramine sæpe densatus, & irruentium undarum magnitudine (*y*) temperatur, & consurgit in brevia tortuosa, limum globosque aggerente

(*m*) al. prætexit. (*n*) al. Maraccius. (*o*) al. Ixomatæ. (*p*) al. Orsiloche. (*q*) al. Arimaspi. (*r*) al. Sarmatæ. (*s*) al. Nerviarum. (*t*) al. ruinosas. (*u*) al. Istros. (*x*) al. littus. (*y*) al. multitudine.

rente multitudine circumvenientium fluentorum. Et constat ab ultimis nostri finibus maris agminatim ad hunc secessum pariendi gratia petere pisces, ut aquarum suavitate salubrius fœtus (z) educant, in receptaculis cavis quæ sunt ibi densissima, securi voracium belluarum: nihil enim in Ponto hujusmodi aliquando est visum, præter innoxios delphinas & parvos. (a) Quidquid autem ejusdem Pontici sinus Aquilone cæditur & pruinis, ita perstringitur gelu, ut nec amnium cursus subtervolvi credantur, nec per infidum & labile solum gressus hominis possit vel jumenti firmari: quod vitium numquam mare sincerum, sed permistum aquis amnicis tentat. Perlati (b) aliquantorsum longius (c) quam sperabamus, pergamus ad reliqua. Accesserat aliud ad gaudiorum præsentium cumulum, diu quidem speratum, sed dilationum ambage multiplici tractum. Nuntiatum est enim per Agilonem (d) & Jovium postea Quæstorem, Aquileiæ defensores longioris (e) obsidii tædio, cognitoque Constantii excessu, patefactis portis egressos, auctores prodidisse turbarum: iisdemque vivis exustis, ut supra relatum est, omnes concessionem impetrasse delictorum & veniam.

Julianus deditione Aquileiæ elatior fit.

CAP. IX. At prosperis Julianus elatior, ultra homines jam sperabat, periculis expertus adsiduis, quod ei orbem Romanum placide jam regenti, velut mundanam cornucopiam Fortuna gestans propitia, cuncta gloriosa deferebat & prospera: antegressis victoriarum titulis hæc quoque adjiciens, quod dum teneret Imperium solus, nec motibus internis est concitus, nec barbarorum quisquam ultra suos exsiluit fines: sed (f) populi omnes aviditate semper insectandi præterita, ut damnosa & noxia, in laudes ejus studiis miris accendebantur. Omnibus igitur, quæ res diversæ poscebant & tempora, perpensa deliberatione dispositis, & militibus orationibus crebris, stipendioque competenti ad expedienda incidentia promptius animatis, cunctorum favore sublimis, Antiochiam ire contendens, reliquit Constantinopolim incrementis maximis fultam: natus enim illic, diligebat eam ut genitalem patriam & colebat. Transgressus itaque fretum, prætercursa Chalcedona & Libyssa, ubi sepultus est Hannibal Pœnus, inde Nicomediam venit urbem antehac inclytam, ita magnis retro Principum amplificatam impensis, ut ædium multitudine privatarum & publicarum recte noscentibus regio quædam Urbis æstimaretur æternæ. Cujus mœnia cum vidisset in favillas miserabiles consedisse, angorem animi tacitis fletibus indicans, pigriore gradu pergebat ad regiam: hoc maxime ærumnis ejus illacrimans, quod ordo squalens occurrit & populus nimium (g) quantum antehac florentissimus: & agnoscebat quosdam, ibidem ab Eusebio educatus (h) Episcopo, quem genere longius contingebat. Hic quoque pari modo ad reparanda quæ terræ subverterat tremor, abunde præstitis plurimis, per Nicæam venit ad Gallogræciæ fines: unde dextrorsus itinere declinato, Pessinunta convertit, visurus vetusta Matris Magnæ delubra: à quo oppido bello Punico secundo, carmine Cumano monente per Scipionem Nasicam simulacrum translatum est Romam. Cujus super adventu in Italiam pauca cum aliis huic materiæ congruentibus in actibus Commodi Principis digessimus per excessum: quam autem ob rem hoc nomine oppidum sit appellatum, variant rerum scriptores. Quidam enim figmento Deæ cœlitus lapso, ἀπὸ τȢ πεσεῖν, quod cadere nos dicimus, urbem asseruere cognominatam. Alii memorant Ilum Trois filium Dardaniæ Regem, locum (i) sic appellasse. Theopompus non Ilum id egisse, sed Midam affirmat Phrygiæ quondam potentissimum Regem. Venerato igitur nomine, hostiisque litato & votis Ancyram (k) redit: eumque exinde progredientem ulterius multitudo inquietabat, pars violenter erepta reddi sibi poscentium; alii querentes consortiis se curiarum addictos injuste; nonnulli sine respectu periculi agentes adusque rabiem, ut adversarios suos læsæ majestatis criminibus illigarent. Verum ille judicibus Cassiis tristior & Lycurgis, causarum momenta æquo jure perpendens, suum cuique tribuebat, nusquam à vero abductus, acrius in calumniatores exsurgens: quos oderat, multorum hujusmodi petulantem sæpe dementiam adusque discrimen expertus, dum esset adhuc humilis & privatus. Exemplumque patientiæ ejus in tali negotio, licet sint alia plurima, id unum sufficiet poni. Inimicum quidam suum, cum quo discordabat asperrime, commisisse (l) in majestatem turbulentius deferebat: Imperatoreque dissimulante, eadem diebus continuis replicans, interrogatus ad ultimum, qui esset quem argueret, respondit, municipem locupletem. Quo audito, Princeps renidens (m): *Quibus indiciis*, ait, *ad hoc pervenisti?* Et ille, *Purpureum sibi*, inquit, *indumentum ex serico pallio parat.* Jussusque post hæc ut vilis, arduæ rei vilem incusans, abire tacitus & innoxius, nihilominus instabat. Quo tædio Julianus defatigatus, ad Largitionum Comitem visum propius, *Jube*, inquit, *periculoso garritori pedum tegmina dari purpurea, ad adversarium perferenda: quem ut datur intelligi, chlamydem hujus coloris memorat sibi consarcinasse: ut sciri possit, sine viribus maximis quid pannuli proficiant leves.* Sed ut hæc laudanda & bonis moderatoribus æmulanda: ita illud amarum & notabile fuit, quod ægre sub eo à Curialibus quisquam appetitus, licet privilegiis, & stipendiorum numero, & originis penitus alienæ firmitudine (n) communitus, obtinebat æquissimum: adeo ut plerique territi emercarentur molestias pretiis clandestinis. Itineribus itaque emensis cum ad Pylas venisset, qui locus Cappadocas discernit & Cilicas, osculo susceptum rectorem provinciæ nomine Celsum, jam inde à studiis cognitum Atticis, adscitumque in consessum vehiculi

Antiochiam petit. U. G. 1114. p. C. N. 362.

Ad reparandam Nicomediam pecunias tribuit.

Pessinus oppidum unde sic appellatum.

Julianus Ancyræ jurisdictionibus vacat.

Juliani æquitas.

Celsus à Juliano in vehiculum susceptus Tarsum deducitur.

(z) al. fœtum. (a) al. pavos. (b) al. Prolati. (c) al. aliquando longius. (d) al. Abilonem. (e) al. longiore. (f) al. et. (g) al. occurrit populi: nimium &c. (h) al. ducatus. (i) al. Regem vel locum. (k) al. Anticyram. (l) al. dixisse. (m) al. venitens. (n) al. fortitudine.

culi Tarſum ſecum induxit. At hinc videre properans Antiochiam, Orientis apicem pulcrum, uſus itineribus ſolitis venit: urbique propinquans in ſpeciem alicujus numinis votis excipitur publicis, miratus voces multitudinis magnæ, ſalutare ſidus inluxiſſe Eois partibus adclamantis. Evenerat autem iiſdem diebus annuo curſu completo Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris ut fabulæ fingunt apri dente ferali deleto, quod in adulto flore ſectarum eſt indicium frugum. Et viſum eſt triſte, quod amplam urbem Principumque domicilium introeunte Imperatore nunc primum, ululabiles undique planctus & lugubres ſonus audiebantur. Hic patientiæ ejus & lenitudinis documentum leve quidem apparuit, ſed mirandum. Thalaſſium quemdam ex Proximo libellorum, inſidiatorem fratris oderat Galli: quo adorare adeſſeque officio inter Honoratos prohibito, adverſarii cum quibus litigabat in foro, poſtridie turba congregata ſuperflua, adito Imperatore, *Thalaſſius*, clamitabant, *inimicus pietatis tuæ noſtra violenter eripuit.* Et ille hac occaſione hominem opprimi poſſe conjiciens, *Agnoſco*, reſpondit, *quem dicitis offendiſſe me juſta de cauſa: & ſilere vos interim conſentaneum eſt, dum mihi inimico potiori faciat ſatis.* Mandavitque adſidenti Præfecto, ne audiretur eorum negotium, antequam ipſe cum Thalaſſio rediret in gratiam, quod brevi, evenit.

Juliani patientia & lenitudo erga Thalaſſium.

CAP. X. Ibi hiemans ex ſententia, nullis interim voluptatis rapiebàtur illecebris, quibus abundant Syriæ omnes: verum per ſpeciem quietis judicialibus cauſis intentus, non minus arduis quam bellicis, diſtrahebatur (*o*) multiformibus curis, exquiſita docilitate librans, quibus modis ſuum cuique tribueret: juſtiſque ſententiis & improbi modicis coërcerentur ſuppliciis, & innocentes fortunis defenderentur intactis. Et quamquam in diſceptando aliquoties erat intempeſtivus, quid quiſque jurgantium coleret, tempore alieno interrogans: tamen nulla ejus definitio litis à vero diſſonans reperitur: nec argui umquam potuit ob religionem vel quodcumque aliud, ab æquitatis recto tramite deviaſſe. Judicium enim hoc eſt optandum & rectum, ubi per varia negotiorum examina juſtum id eſt & injuſtum: à quo ille ne aberraret, tamquam ſcopulos cavebat abruptos. Hoc autem ideo aſſequi potuit, quod levitatem agnoſcens commotioris ingenii ſui, Præfectis proximiſque permittebat, [ut fidenter impetus ſuos aliorſus tendentes, ad quæ decebat monitu opportuno frenarent: monſtrabatque] ſubinde, ſe dolere delictis, & gaudere correctione. Cumque eum defenſores cauſarum, ut conſcium rationis perfectæ, plauſibus maximis celebrarent, fertur id dixiſſe permotus: *Gaudebam plane, præ meque ferebam,* (*p*) *ſi ab his laudarer, quos & vituperare poſſe adverterem, ſi quid factum ſit ſecus aut dictum.* Sufficiet autem pro multis quæ clementer egit in litibus cognoſcendis, hoc unum ponere nec abhorrens à propoſito, nec abſurdum. Inducta in judicium femina quædam, cum Palatinum adverſarium ſuum è numero projectorum, cinctum præter ſpem conſpexiſſet, hoc factum inſolens tumultuando querebatur: & Imperator, *Proſequere,* ait, *mulier, ſi quid te læſam exiſtimas: hic enim ſic cinctus eſt, ut expeditius per lutum incedat: at parum nocere tuis partibus poteſt.* Et æſtimabatur per hæc & ſimilia, ut ipſe dicebat adſidue, vetus illa Juſtitia, quam offenſam vitiis hominum Aratus extollit in cœlum, imperante eo reverſa ad terras, ni quædam ſuo ageret, non legum arbitrio, erranſque aliquoties obnubilaret gloriarum multiplices curſus. Poſt multa enim etiam jura quædam correxit in melius, ambagibus circumciſis, indicantia liquide quid juberent fieri vel vetarent. Illud autem erat inclemens, obruendum (*q*) perenni ſilentio, quod arcebat docere magiſtros Rhetoricos & Grammaticos, ritus Chriſtiani cultores.

Julianus Antiochiæ hiemans jura reddit.

Facile ſe corrigi paſſus eſt.

Juliani clementia.

Julianus Grammaticam & Rhetoricam docere Chriſtianos vetat.

CAP. XI. Iiſdem diebus Gaudentius ille Notarius, quem opponendum per Africam miſſum ſupra diximus à Conſtantio; Julianus quinetiam ex Vicario, earumdem partium nimius fautor, retracti ſub vinculis, morte periere pœnali. Tunc & Artemius ex Duce Ægypti, Alexandrinis urgentibus atrocium criminum mole, ſupplicio capitali multatus eſt. Poſt quem Marcelli ex Magiſtro equitum & peditum filius, ut injectans Imperio manus, publica deletus eſt morte. Romanus quinetiam & Vincentius, Scutariorum ſcholæ primæ ſecundæque Tribuni, agitaſſe convicti quædam ſuis viribus altiora, acti ſunt in exſilium. Cumque tempus interſtetiſſet exiguum, Alexandrini Artemii comperto interitu, quem verebantur ne cum poteſtate reverſus (id enim minatus eſt) multos læderet ut offenſus, iram in Georgium verterunt Epiſcopum, vipereis, ut ita dixerim, morſibus ab eo ſæpius appetiti. (*r*) In fullonio natus, ut ferebatur, apud Epiphaniam Ciliciæ oppidum, auctuſque in damna complurium, contra utilitatem ſuam reique communis Epiſcopus Alexandriæ eſt ordinatus, in civitate quæ ſuopte motu, & ubi cauſæ non ſuppetunt, ſeditionibus crebris agitatur & turbulentis, ut oraculorum quoque loquitur fides. His efferatis hominum mentibus Georgius quoque ipſe grave acceſſerat incentivum, apud patulas aures Conſtantii multos exinde incuſans, ut ejus recalcitrantes imperiis: profeſſioniſque ſuæ oblitus, quæ nihil niſi juſtum ſuadet & lene, ad delatorum auſa feralia deſciſcebat. Et inter cetera dicebatur id quoque maligne docuiſſe Conſtantium, quod in urbe prædicta ædificia cuncta ſolo cohærentia, à conditore Alexandro magnitudine impenſarum publicarum exſtructa, emolumentis ærarii proficere debent ex jure. Ad hæc mala id quoque addiderat, unde paullo poſt truſus eſt in exitium præceps. Reverſus ex comitatu Principis, cum tranſiret per ſpecioſum Genii templum, multitudine ſtipatus ex more, flexis ad ædem ipſam luminibus, *Quamdiu,* inquit, *ſepulcrum hoc ſtabit?* Quo audito velut fulmine multi perculſi, metuenteſque ne illud quo-

Gaudentius & Julianus morte puniuntur.

Similiter Artemius & Marcelli filius.

Romanus & Vincentius in exſilium aguntur.

Georgius Alexandriæ Epiſcopus.

Ttt

(*o*) al. non minus quam bellicis ardiſque, quibus diſtrahebatur &c. (*p*) al. *Gaudebam, planeque me efferebam &c.* (*q*) al. Illud autem inclemens obruendum &c. (*r*) al. appetitus.

quoque tentaret evertere, quidquid poterant, in ejus perniciem clandestinis insidiis concitabant. Ecce autem repente perlato lætabili nuntio indicante exstinctum Artemium, plebs omnis elata gaudio insperato, vocibus horrendis infrendens, Georgium petit: raptumque diversis mulctandi generibus proterens & conculcans divaricatis pedibus. Cumque eo Dracontius Monetæ Præpositus, & Diodorus quidam veluti Comes, injectis per crura funibus simul exanimati sunt: ille quod aram in Moneta quam regebat, recens locatam evertit: alter quod dum ædificandæ præesset Ecclesiæ, cirros puerorum licentius detondebat, id quoque ad Deorum cultum existimans pertinere. Quo non contenta multitudo immanis dilaniata cadavera peremptorum camelis imposita vexit ad littus: iisdemque subdito igne crematis, cineres projecit in mare, id metuens ut clamabat, ne collectis supremis, ædes illis exstruerentur ut reliquis, qui deviare à religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas, adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, & nunc Martyres appellantur. Poterantque miserandi homines ad crudele supplicium ducti, Christianorum adjumento defendi, ni Georgii odio omnes indiscrete flagrabant. Hoc comperto, Imperator ad vindicandum facinus nefandum erectus, jamque expetiturus pœnas à noxiis ultimas, mitigatus est lenientibus proximis: missoque edicto, acri oratione scelus detestabatur admissum, minatus extrema, si deinde tentatum fuerit aliquid, quod justitia vetet & leges.

Factione Alexandrinæ plebis occiditur impune. U. C. 1114. P. C. N. 362.

Quod facinus nefandum improbat Julianus.

CAP. XII. Inter hæc expeditionem parans in Persas, quam dudum animi robore conceperat celso, ad ultionem præteritorum vehementer elatus est, sciens & audiens gentem asperrimam per sexaginta ferme annos inussisse Orienti cædum & direptionem monumenta sævissima, ad internecionem exercitibus nostris sæpe deletis. Urebatur autem bellandi gemino desiderio: primo quod impatiens otii lituos somniabat & prælia: dein quod in ætatis flore primævo objectus efferarum gentium armis: recalentibus etiamtum Regum precibus & Regalium, qui vinci magis posse, quam supplices manus tendere credebantur, ornamentis illustrium gloriarum inserere Parthici cognomentum ardebat. Quæ maximis molibus festinari cernentes obtrectatores desides & maligni, unius corporis permutatione tot cieri turbas intempestivas indignum & perniciosum esse strepebant, studium omne in differendo procinctu ponentes: & dictitabant his præsentibus, quos audita referre ad Imperatorem posse rebantur, eum ni sedatius ageret, immodica rerum secundarum prosperitate, velut luxuriantes ubertate nimia fruges, bonis suis protinus occasurum. Et hæc diu multumque agitantes, frustra virum circumlatrabant immobilem occultis injuriis, ut Pygmæi vel Thiodamas agrestis homo Lindius Herculem. Ille tamen ut majoris præter ceteros spiritus, nihilo lentius magnitudinem expeditionis secum commentans, in præparandis congruis operam navabat enixam. Hostiarum tamen sanguine plurimo aras crebritate nimia perfundebat, tauros aliquoties immolando centenos, & innumeros varii pecoris greges, avesque (s) candidas terra quæsitas & mari: adeo ut indies pæne singulos milites carnis distentiore sagina victitantes incultius, potusque aviditate corrupti, humeris impositi transeuntium, per plateas ex publicis ædibus, ubi vindicandis potius quam cedendis conviviis indulgebant, ad sua diversoria portarentur: Petulantes ante omnes & Celtæ, quorum ea tempestate confidentia creverat ultra modum. Augebantur autem cærimoniarum ritus immodice, cum impensarum amplitudine antehac inusitata & gravi: & quisque cum impræpedite liceret, scientiam vaticinandi professus, juxta imperitus & docilis, sine fine vel præstitutis ordinibus, oraculorum permittebantur scitari responsa, & extispicia, nonnumquam futura pandentia: oscinumque & auguriorum, & omnium fides, si reperiri usquam posset, affectata varietate quærebatur. Hæcque dum ita procedunt, more pacis multorum curiosior Julianus novam consilii viam ingressus est; venas fatidicas Castalii recludere congitans fontis: quem obstruxisse Cæsar dicitur Hadrianus mole saxorum ingenti, veritus ne ut ipse præcinentibus aquis capessendam rempublicam comperit, etiam alii similia docerentur: ac statim circumhumata corpora statuit exinde transferri eo ritu, quo Athenienses insulam purgaverant Delon.

Julianus expeditionem in Persas parat.

Victimas innumerabiles cædit.

Castalii fontis venas obstructas recludere cogitat.

CAP. XIII. Eodem tempore die XI. Kalend: Novembrium amplissimum Daphnæi Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus Rex ille condidit iracundus & sævus, & simulacrum in eo Olympiaci Jovis imitamenti æquiparans magnitudinem, subita vi flammarum exustum est. Quo tam atroci casu repente consumpto, ad id usque Imperatorem ira provexit, ut quæstiones agitari juberet solito acriores, & majorem ecclesiam Antiochiæ claudi. Suspicabatur enim id Christianos egisse stimulatos invidia, quod idem templum inviti videbant ambitioso circumdari peristylio. Ferebatur autem licet rumore levissimo, hac ex causa conflagrasse delubrum: quod Asclepiades Philosophus, cujus in actibus Magnentii meminimus, cum visendi gratia Juliani peregre (t) ad id suburbanum venisset, Deæ Cœlestis argenteum breve figmentum quocumque ibat secum solitus efferre, ante pedes statuit simulacri sublimes, accensisque cereis ex usu cessit: unde medietate noctis emensa, cum nec adesse quisquam potuit nec juvare, volitantes scintillæ adhæsere materiis vetustissimis, ignesque aridis nutrimentis erecti, omne quidquid contingi potuit, licet ardua discretum celsitudine, concremarunt. Eo anno, sidere etiamtum instante brumali, aquarum incessit inopia metuenda, ut & rivi arescerent (u) quidam, & fontes antehac aquarum copiosis pulsibus abundantes: sed in integrum postea restituti sunt. Et quarto Nonas Decembres vergente in (x) vesperam die, reliqua Nicomedia collapsa est terræ motu, itidemque Nicææ portio non mediocris.

Daphnæi Apollinis fani incendium.

Immerito Christianis imputatur.

Aquarum inopia.

CAP.

(s) al. ovesque. (t) alii τὸ peregre omittunt. (u) al. cessarent. (x) al. ad.

CAP. XIV. Quæ tametsi mœstitiam sollicito incuterent Principi, residua tamen non contemnebat urgentia, dum pugnandi tempus ei veniret optatum. Inter præcipua tamen & seria illud agere superfluum videbatur, quod nulla probabili ratione suscepta, popularitatis amore vilitati studebat venalium rerum, quæ nonnumquam secus quam convenit ordinata, inopiam gignere solet & famem. Et Antiochensi ordine id tunc fieri, cum ille juberet, non posse, aperte monstrante, nusquam à proposito declinabat, Galli similis fratris, licet incruentus. Quocirca in eos deinceps sæviens ut obtrectatores & contumaces, volumen composuit invectivum, quod Antiochense vel Misopogonem appellavit, probra civitatis infensa mente dinumerans, addensque veritati complura: post quæ multa in se facete dicta comperiens, coactus dissimulare pro tempore, ira sufflabatur interna. Ridebatur enim ut Cercops, homo brevis, humeros extentans angustos, & barbam præ se ferens hircinam, grandiaque incedens tamquam Oti frater & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immensum tollit: itidemque victimarius pro sacricola dicebatur, ad crebritatem hostiarum alludentibus multis: & culpabatur hinc opportune, cum ostentationis gratia vehens licenter pro sacerdotibus sacra, stipatusque muliierculis lætabatur. Et quamquam his paribusque de causis indignaretur, tacens tamen motumque in animi retinens potestate, sollemnia celebrabat. Denique præstituto feriarum die Casium montem ascendit nemorosum, & tereti ambitu in sublime porrectum, unde secundis galliciniis videtur primo Solis exortus. Cumque Jovi faceret rem divinam, repente conspexit quemdam humi prostratum, supplici voce vitam precantem & veniam. Interrogantique ei qui esset, responsum est Præsidalem esse Theodotum Hierapolitanum: qui profectum à civitate sua Constantium inter Honoratos deducens, adulando deformiter tamquam futurum sine dubietate victorem, orabat lacrymas fingens & gemitum, ut Juliani ad eos mitteret caput perduellis ingrati, specie illa qua Magnentii circumlatum meminerat membrum. Quibus auditis, *Accepi olim*, inquit, *hoc dictum relatione multorum: sed abi securus ad lares, exutus omni metu clementia Principis, qui ut prudens definivit, inimicorum minuere numerum, augereque amicorum sponte sua contendit ac libens.* Exin sacrorum (*y*) perfecto ritu digresso, offeruntur rectoris Ægypti scripta, Apim bovem operosa quæsitum industria, tamen post tempus inveniri potuisse firmantis: quod ut earum regionum existimant incolæ, faustum & ubertatem frugum, diversaque indicat bona. Super qua re pauca conveniet expediri. Inter animalia antiquis observationibus consecrata, Mnevis & Apis sunt notiora: Mnevis Soli sacratur, super quo nihil dicitur memorabile: sequens Lunæ. Est enim Apis bos diversis genitalium notarum figuris expressus, maximeque omnium corniculantis Lunæ specie latere dextro insignis: qui cum post vivendi spatium præstitutum sacro fonte immersus è vita abierit, (nec enim ultra eum trahere licet ætatem, quam secreta librorum præscribit auctoritas mysticorum: nec nisi semel ei in anno bos femina inventa cum notis certis offertur) alter (*z*) cum publico quæritur luctu: & si omnibus signis consummatus reperiri potuerit, ducitur Memphim urbem frequentem, præsentiaque numinis Æsculapii claram. Cumque initiante antistitum numero centum, inductus in thalamum esse cœperit sacer, conjecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare: & adeuntes quosdam indiciis averti videtur obliquis; ut offerentem cibum aliquando Germanicum Cæsarem, sicut lectum est, aversatus, portenderat paullo post eventura.

Julianus vilitati rerum venalium studet. *Antiochensibus iratus Misopogonem conscribit.* *Dicta ridicula in Julianum.* *Julianus in monte Casio Jovi sacra facit.* *Et Theodoto condonat.* *Apis bovis in Ægypto inventio.*

CAP. XV. Strictim itaque, quoniam tempus videtur hoc flagitare, res Ægyptiacæ tangantur, quarum notitiam in actibus Hadriani & Severi Principum digessimus late, visa pleraque narrantes. Ægyptiam gentem omnium vetustissimam; nisi quod super antiquitate certat cum Scythis, à Meridiali latere Syrtes majores & Phycus promontorium, & Borium, & Garamantes, nationesque variæ claudunt: qua Orientem è regione prospicit, Elephantinam & Meroën urbes Æthiopum, & Catadupos Rubrumque pelagus & Scenitas prætenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus: Septemtrioni opposita terrarum situ cohæret immenso, unde exordium Asia Syriarumque provinciæ sumunt: à vespera Issiaco disjungitur mari, quod quidam nominavere Parthenium. Pauca itaque super benivolo omnium flumine Nilo, quem Ægyptum Homerus appellat, præstringi conveniet, mox ostendendis aliis, quæ sunt in his regionibus admiranda. Origines fontium Nili, ut mihi quidem videri solet, sicut adhuc factum est, posteræ quoque ignorabunt ætates. Verum quoniam fabulantes poëtæ, variantesque geographi in diversa latentem notitiam scindunt, opiniones eorum veritati confines (ut arbitror) expediam paucis. Affirmant aliqui Physicorum in subjectis Semptemtrioni spatiis, cum hiemes frigidæ cuncta constringunt, magnitudinem nivium congelascere: easque postea vi flagrantis sideris resolutas, fluxis humoribus nubes efficere gravidas, quæ in meridianam plagam Etesiis flantibus pulsæ, expressæque tepore nimio, incrementa ubertim suggerere Nilo creduntur. Ex Æthiopicis imbribus, qui abundantes in tractibus illis per æstus torridos cadere memorantur, exundationes ejus erigi anni temporibus asserunt alii præstitutis: quod utrumque dissonare videtur à veritate. Imbres enim apud Æthiopas aut numquam, aut per intervalla temporum longa cadere memorantur. Opinio est celebrior alia, quod spirantibus prodromis, perque dies quadraginta & quinque Etesiarum continuis flatibus repellentibus ejus meatum velocitate cohibita superfusis fluctibus intumescit: & reluctante spiritu controverso adolescens in majus, hinc vi reverberante ventorum, inde urgente cursu venarum perennium, progrediens in sublime tegit omnia, & humo suppressa, per supina camporum

Descriptio rerum Ægyptiacarum. *De Nilo fluvio.*

(*y*) al. vectorum. (*z*) al. offertur) quo perempto alter &c.

porum speciem exhibet maris. Rex autem Juba Punicorum confisus textu librorum, à monte quodam oriri eum exponit, qui situs in Mauritania despectat Oceanum: hisque indiciis hoc proditum ait, quod pisces, & herbæ, & belluæ similes per eas paludes gignuntur. Æthiopiæ autem partes prætermeans Nilus, nominum diversitate decursa, (*a*) quæ ei orbem peragranti nationes indidere complures, æstuans inundatione ditissima ad (*b*) cataractas, id est, præruptos scopulos venit, è quibus præcipitans ruit potius quam fluit: unde Atos (*c*) olim accolas usu aurium fragore adsiduo deminuto necessitas vertere solum ad quietiora (*d*) coëgit. Exinde lenius means per ostia septem, quorum singula perpetuorum amnium usum & faciem præbent, nullis per Ægyptum aquis externis adjutus ejectatur (*e*). Et præter amnes plurimos ex alveo derivatos auctore, cadentesque in suppares ejus, septem navigabiles sunt & undosi, quibus subjecta vocabula veteres indiderunt: Heracleoticus, Sebennyticus, Bolbiticus, Pharniticus (*f*), Mendesius, Taniticus, & Pelusiacus. Oriens autem inde, ut dictum est, (*g*) propellitur è paludibus adusque cataractas, insulasque efficit plures: quarum aliquæ ita porrectis aquis dicuntur extentæ, ut singulas ægre tertio die relinquat. Inter quas duæ sunt claræ, Meroë, & Delta, à triquetræ litteræ forma hoc vocabulo signatius appellata. Cum autem Sol per cancri sidus cœperit vehi, augescens adusque transitum ejus in libram, diebusque centum sublatius fluens, minuitur postea, & mitigatis ponderibus aquarum, navibus antea pervios equitabiles campos ostendit. Abunde itaque luxurians ita est noxius, ut infructuosus, si venerit parcior: gurgitum enim nimietate humectans diutius terras, culturas moratur agrorum: parvitate autem minatur steriles segetes. Eumque nemo aliquando extolli cubitis altius XVI. possessor optavit. Et si inciderit moderatius, aliquoties jactæ sementes in loco (*h*) pinguis cespitis cum augmento fere septuagesimo renascuntur: solusque fluminum auras nullas inspirat. Exuberat Ægyptus etiam pecudibus multis, inter quas terrestres sunt & aquatiles: aliæ quæ humi & in humoribus vivunt, unde ἀμφίβιοι (*i*) nominantur. Et in aridis quidem capreoli vescuntur, & bubali, & spinturnicia (*k*) omni deformitate ridicula, aliaque monstra quæ numerare non refert. Inter aquatiles autem bestias crocodilus ubique per eos tractus abundat, exitiale quadrupes malum, assuetum elementis ambobus lingua carens, maxillam superiorem commovens solam, ordine dentium pectinato, perniciosis morsibus quidquid contigerit (*l*) pertinaciter petens (*m*), per (*n*) ova edens fœtus anserinis similia. Utque armatus est unguibus, si haberet etiam pollices, ad evertendas quoque naves sufficeret viribus magnis: ad cubitorum enim longitudinem decem interdum extentus, noctibus quiecens per undas, diebus

De Ægypti animalibus terrestribus & aquatilibus.

De Crocodilo.

humi vescitur, confidentia cutis, quam ita validam gerit, ut ejus terga cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur. Et sævientes semper eædem feræ, quasi pacto fœdere quodam castrensi, per septem cærimoniosos dies mitescunt, ab omni sævitia desciscentes, quibus sacerdotes Memphi natales celebrant Apis. Præter eos autem qui fortuita pereunt morte, alii dirumpuntur suffossis alvis mollibus certis ferarum dorsualibus crustis, quas delphinis similes nutrit fluvius antedictus: alii exitio intereunt tali. Trochilos avicula brevis, dum escarum minutias captat, circa cubantem feram volitans blande, genasque (*o*) ejus irritatius titillando pervenit adusque ipsam viciniam gutturis. Quod factum contuens hydrus, ichneumonis genus, oris aditum penetrat alite prævia patefactum, & populato ventre vitalibus dilancinatis erumpit. Audax tamen crocodilus monstrum fugacibus; ubi audacem senserit, timidissimum, & in terra acutius cernens, per quatuor menses hibernos nullo vesci dicitur cibo. Hippopotami quoque generantur in illis partibus, ultra animalia cuncta ratione carentia sagacissimi ad speciem equorum, bifidas habentes ungulas, caudasque breves: quorum sollertiæ duo interim ostendere documenta sufficiet. Inter arundines celsas & squalentes nimia densitate hæc bellua cubilibus positis, otium pervigili studio circumspectat, laxataque copia ad segetes depascendas egreditur. Cumque jam cœperit redire distenta, aversis vestigiis distinguit tramites multos, ne unius plani itineris lineas insidiatores secuti, repertum sine difficultate confodiant. Item cum aviditate nimia extuberato ventre pigrescit, super calamos recens exsectos femora convolvit & crura, ut pedibus vulneratis cruor egestus sagina distentum faciat levem: & carnes saucias cœno oblinit, quamdiu in cicatrices conveniant plagæ. Has monstruosas antehac raritates in belluis, in ædilitate Scauri vidit Romanus Populus primitus, patris illius Scauri quem defendens Tullius imperat Sardis, ut de familia nobili ipsi quoque cum orbis terrarum auctoritate sentirent: & per ætates exinde plures sæpe huc ducti, nunc inveniri nusquam possunt, ut conjectantes regionum incolæ dicunt, insectantis multitudinis tædio ad Blemmyas migrasse compulsi. Inter Ægyptias alites, quarum varietas nullo comprehendi numero potest, Ibis sacra est & amabilis, & innocua, ideo quod nidulis suis ad cibum suggerens ova serpentum, efficit ut rarescant mortiferæ pestes absumptæ. Occurrunt eædem volucres pinnatis agminibus anguium, qui ex Arabicis emergunt paludibus venena malignantes: eosque antequam finibus suis excedant, præliis superatos aëriis vorant: quas aves per rostra edere fœtus accepimus. Serpentes quoque Ægyptus alit innumeras, ultra omnem perniciem sævientes: basiliscos, & amphisbænas, & scytalas, & acontias, & dipsadas, & viperas, aliasque complures, quas omnes

De Hippopotamis.

De Ibi.

De Serpentibus.

(*a*) al. decussa. (*b*) al. plures, exundatione ditissima ad &c. (*c*) alii τὸ Atos omittunt. (*d*) al. editiora. (*e*) al. dilatatur. (*f*) al. Phatniticus. (*g*) al. Oriens autem unde dictum est. (*h*) al. in liquore. (*i*) al. amphibia. (*k*) al. pisturnitia. (*l*) al. tetigerit. (*m*) al. tenens. (*n*) alii τὸ per omittunt. (*o*) al. gingivasque.

omnes magnitudine & decore aſpis facile ſupereminens, numquam ſponte ſua fluenta egreditur Nili. Multa in illis tractibus pretium eſt operæ maximum legere, è quibus pauca conveniet explicari. (*p*) Templa ubique molibus magnis exſtructa. Pyramides ad miracula ſeptem provectæ, quarum diuturnas ſurgendi difficultates ſcriptor Herodotus docet, ultra omnem omnino (*q*) altitudinem, quæ humanis confici poteſt, erectæ ſunt turres, ab imo latiſſimæ in ſummitates acutiſſimas deſinentes. Quæ figura apud Geometras ideo ſic appellatur, quod ad ignis ſpeciem, τȣ̃ πυρὸς, ut nos dicimus, extenuatur in conum. Quarum magnitudo quoniam in celſitudinem nimiam ſcandens gracileſcit paullatim, umbras quoque mechanica ratione conſumit. Sunt & ſyringes ſubterranei quidam & flexuoſi receſſus, quos (ut fertur) periti rituum vetuſtorum adventare diluvium præſcii, metuentesque ne cærimoniarum oblitteraretur memoria, penitus operoſis digeſtos fodinis per loca diverſa ſtruxerunt: & exciſis parietibus volucrum ferarumque genera multa ſculpſerunt, & animalium ſpecies innumeras, quas hierographicas (*r*) litteras appellarunt. Dein Syene, in qua ſolſtitii tempore, quo Sol æſtivum curſum extendit, recta omnia ambientes radii excedere ipſis corporibus umbras non ſinunt. Inde ſi ſtipidem quiſquam fixerit rectum, vel hominem aut arborem viderit ſtantem, circa lineamentorum ipſas extremitates contemplabitur umbras abſumi: ſicut apud Meroën Æthiopiæ partem æquinoctiali circulo proximam dicitur evenire, ubi per nonaginta dies umbræ noſtris in contrarium cadunt, unde Antiſcios ejus incolas vocant. Quæ quoniam miracula multa ſunt, opuſculi noſtri propoſitum excedentia, ad ingenia celſa rejiciamus, pauca ſuper provinciis narraturi.

De Pyramidibus. *De Syringibus ſubterraneis.* *Syene urbs Ægypti.*

CAP. XVI. Tres provincias Ægyptus fertur habuiſſe temporibus priſcis, Ægyptum ipſam, & Thebaidam, & Libyam: quibus duas adjecit poſteritas, ab Ægypto Auguſtamnicam, & Pentapolim à Libya ſicciore diſſociatam. Igitur Thebaïs multas inter urbes, clariores aliis Hermopolim habet, & Copton, & Antinoon, quam Hadrianus in honorem Antinoi condidit ſui: hecatompylos enim Thebas nemo non novit. In Auguſtamnica Peluſium eſt oppidum nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidiſſe, luſtrari Deorum monitu juſſus in lacu, qui ejusdem civitatis alluit mœnia, cum poſt interfectum fratrem nomine Phocum horrendis furiarum imaginibus raptaretur: & Caſſium, ubi Pompeji ſepulcrum eſt Magni, & Oſtracine, & Rhinocolura. In Pentapoli Libya Cyrene eſt poſita, urbs antiqua ſed deſerta, quam Spartanus condidit Battus, & Ptolemaïs, & Arſinoë eademque Teuchira, & Darnis, & Berenice, quas Heſperidas appellant. In ſicciore vero Libya Parætonion, & Chærecla, & Neapolis, inter municipia pauca & brevia. Ægyptus ipſa, quæ jam inde uti Romano Imperio juncta eſt, regitur à Præfectis, exceptis minoribus multis, Athribi, & Oxyryncho, & Thmui, & Memphi maximis urbibus nitet. Alexandria enim vertex omnium eſt civitatum, quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altiſſimi, & architecti ſollertia Dynocratis: qui (cum ampla mœnia fundaret & pulchra, penuria calcis ad momentum parum repertæ) omnes ambitus lineales farina reſperſit: quod civitatem poſthæc alimentorum uberi copia circumfluere fortuito monſtravit. Inibi (*s*) auræ ſalubriter ſpirantes, aër tranquillus & clemens: atque ut periculum docuit per varias collectum ætates, nullo pæne die incolentes hanc civitatem Solem ſerenum non vident. Hoc littus cum fallacibus & inſidioſis acceſſibus affligeret antehac navigantes diſcriminibus plurimis, excogitavit in portu Cleopatra turrim excelſam, quæ Pharos à loco ipſo cognominatur, prælucendi navibus nocturna ſuggerens miniſteria: cum quondam ex Parthenio pelago venientes aut Libyco, per pandas oras & patulas (*t*), montium nullas ſpeculas vel collium ſigna cernentes, harenarum inliſæ glutinoſæ mollitiæ frangerentur. Hæc eadem Regina heptaſtadium, ſicut vix credenda celeritate, ita magnitudine mira conſtruxit ob cauſam notam & neceſſariam. Inſula Pharos, ubi Protea cum phocarum gregibus diverſatum Homerus fabulatur inflatius, à civitatis littore mille paſſibus diſparata, Rhodiorum erat obnoxia vectigali. Quod cum in die quodam nimium quantum petituri veniſſent, femina callida ſemper in fraudes, ſollemnium ſpecie feriarum, iisdem publicanis ſecum ad ſuburbana perductis, opus juſſerat irrequietis laboribus conſummari: & ſeptem diebus totidem ſtadia molibus jactis in mare, ſolo propinquanti terræ ſunt vindicatæ: Quo cum vehiculo ingreſſa, errare ait Rhodios, inſularum non continentis portiorum flagitantes. His accedunt altis ſublata faſtigiis templa; inter quæ eminet Serapeum (*u*) quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis ampliſſimis, & ſpirantibus ſignorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum, ut poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitioſus cernat. In quo bibliothecæ fuerunt inæſtimabiles: & loquitur monumentorum veterum concinens fides, ſeptingenta voluminum millia, Ptolemæis Regibus vigiliis intentis compoſita, bello Alexandrino dum diripitur civitas ſub Dictatore Cæſare, conflagraſſe. Canopus inde duodecimo disjungitur lapide: quem ut priſcæ memoriæ tradunt, Menelai gubernator ſepultus ibi cognominavit. Hactenus impendio locus & diverſoriis lætis exſtructus, auris & ſalutari temperamento perflabilis: ita ut extra mundum noſtrum morari ſe quisquam arbitretur in illis tractibus agens, cum ſæpe aprico ſpiritu immurmurantes audierit ventos. Sed Alexandria ipſa non ſenſim, ut aliæ urbes, ſed inter initia prima aucta per ſpatioſos ambitus, internisque ſeditionibus diu aſpere fatigata, ad ultimum multis

De Ægypti Provinciis, deque claris earum urbibus. *Cleopatra Pharum in Ægypto ædificat.* *Templi Serapei ſplendor.* *Bibliothecarumque.*

(*p*) alii poſt τὸ explicari, ſequentia inſerunt: ſunt therma lutra, quæ Cythrus indigenæ vocant. (*q*) al. neminum. (*r*) al. hieroglyphicas. (*s*) al. Ibi. (*t*) al. vacuas. (*u*) al. Serapæum. al. Serapium.

multis post annis Aureliano Imperium agente, civilibus jurgiis ad certamina interneciva prolapsis, dirutisque mœnibus, amisit regionis maximam partem, quæ Bruchion appellabatur diuturnum præstantium hominum domicilium. Unde Aristarchus grammaticæ rei donis excellens, & Herodianus artium minutissimus sciscitator, & Saccas (*x*) Ammonius Plotini magister, aliique plurimi scriptores multorum in litteris nobilium studiorum: inter quos Chalcenterus eminuit (*y*) Didymus, multiplicis scientiæ scriptis memorabilis (*z*): qui in illis sex libris, ubi nonnumquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, judicio doctarum aurium incusatur, ut immania frementem leonem putredulis vocibus canus (*a*) catulus longius circumlatrans. Et quamquam veteres cum iis quorum memini, floruere complures, tamen ne nunc quidem in eadem urbe doctrinæ variæ silent: nam & disciplinarum magistri quodammodo spirant, & nudatur ibi geometrico radio quidquid reconditum latet, nondumque apud eos penitus exaruit musica, nec harmonia conticuit, & recalet apud quosdam adhuc licet raros, consideratio mundani motus & siderum, doctique sunt numeros haud pauci: super his scientiam callent, quæ fatorum vias ostendit. Medicinæ autem, cujus in hac vita nostra nec parca nec sobria desiderantur adminicula crebra, ita studia augentur in dies, ut licet opus ipsum redoleat pro omni tamen experimento sufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandriæ se dixerit eruditum: & hæc quidem hactenus. Sed si intelligendi divini aditionem (*b*) multiplicem, & persensionum originem mente vegeta quisquam voluerit replicare, per mundum omnem inveniet mathemata hujusmodi ab Ægypto circumlata. Hic primum homines longe ante alios ad varia religionum incunabula (ut dicitur) pervenerunt, & initia prima sacrorum caute tuentur, condita scriptis arcanis. Hac institutus prudentia Pythagoras colens secretius Deos, quidquid dixit aut voluit, auctoritatem esse instituit ratam, & femur suum aureum apud Olympiam sæpe monstrabat, & cum aquila colloquens subinde visebatur. Hinc Anaxagoras lapides è cœlo lapsuros, & putealem limum contrectans, tremores futuros prædixerat terræ. Et Solon sententiis adjutus Ægypti sacerdotum, latis justo moderamine legibus, Romano quoque juri maximum addidit firmamentum: ex his fontibus per sublimia gradiens sermonum amplitudine Jovis æmulus Platon visa (*c*) Ægypto, militavit sapientia gloriosa. Homines autem Ægyptii plerique subfusculi sunt, & atrati, magisque mœstiores, gracilenti & aridi, ad singulos motus excandescentes, controversi, & reposcones acerrimi. Erubescit apud eos, si quis non infitiando tributa, plurimas in corpore vibices ostendat. Et nulla tormentorum vis inveniri adhuc potuit, quæ obdurato illius tractus latroni invito elicere potuit, ut nomen proprium dicat. Id autem notum est, ut annales veteres monstrant, quod Ægyptus omnis sub amicis erat antea Regibus: sed superatis apud Actium bello navali Antonio & Cleopatra, provinciæ nomen accepit ab Octaviano Augusto possessa. Aridiorem (*d*) Libyam supremo Apionis Regis consecuti sumus arbitrio: Cyrenas cum residuis civitatibus Libyæ Pentapoleos, Ptolemæi liberalitate suscepimus. Evectus longius, ad ordinem remeabo cœptorum.

Alexandria hominum præstantium domicilium.

Similiter scientiarum.

Sacrorumque arcanorum.

Ægyptiorum natura & mores.

Ægyptus quomodo sub Romanorum venerit potestatem.

Explicit Liber XXII.

AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XXIII.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

HÆc eo anno, ut prætereamus negotiorum minutias, agebantur. Julianus vero jam ter Consul adscito in collegium trabeæ Sallustio præfecto per Gallias, quater ipse amplissimum inierat magistratum: & videbatur novum, adjunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum. Et licet accidentium varietatem sollicita mente præcipiens, multiplicatos expeditionis apparatus flagranti studio perurgeret: diligentiam tamen ubique dividens, imperiique sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa & interneciva certamina obsidente Vespasiano posteaque Tito ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro Præfectis. Cum

Julianus Augustus Hierosolymitanum templum frustra instaurare conatur. U. C. 1115. P. C. N. 363.

(*x*) al. Sacas. (*y*) al. emicuit. (*z*) al. cœpti memorabilis. (*a*) al. vanus. (*b*) al. editionem. (*c*) al. æmulus non visa. (*d*) al. Aridam.

Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum. Iisdem diebus legatos ad se missos ab Urbe æterna, clare natos meritisque probabilis vitæ compertos, Imperator honoribus diversis affecit: & Apronianum Romæ decrevit esse Præfectum, Octavianum Proconsulem Africæ, Venusto Vicariam commisit Hispaniæ; Rufinum Aradium Comitem Orientis in locum avunculi sui Juliani recens defuncti provexit. Quibus ut convenerat ordinatis, terrebatur omine quodam (ut docuit exitus) præsentissimo. Felice enim Largitionum Comite profluvio sanguinis repente exstincto, eumque Comite Juliano secuto, vulgus publicos contuens titulos, Felicem Julianum Augustumque pronuntiabat. Præcesserat aliud sævum. Namque Kalendis ipsis Januariis adscendente eo (*e*) gradile Genii templum, è sacerdotum consortio quidam ceteris diuturnior, nullo pulsante concidit, animamque insperato casu efflavit: quod adstantes interitum per imperitiam, an adulandi cupiditate, memorabant Consulum seniori portendi nimirum Sallustio: sed ut apparuit non ætati, sed potestati majori interitum propinquare monstrabatur. (*f*) Super his alia quoque minora signa subinde, quid accideret (*g*) ostendebant. Inter ipsa enim exordia procinctus Parthici disponendi, nuntiatum est Constantinopolim terræ pulsu vibratam: quod horum periti minus lætum esse pronuntiabant, aliena pervadere molienti rectori. Ideoque intempestivo conatu desistere suadebant: ita demum hæc & similia contemni oportere firmantes, cum irruentibus armis externis lex una sit & perpetua, salutem omni ratione defendere, nihil remittente (*h*) vi moris. Iisdem diebus nuntiatum est ei per litteras, Romæ super hoc bello libros Sibyllæ consultos, ut jusserat, Imperatorem eo anno discedere à limitibus suis aperto prohibuisse responso.

Varios honoribus afficit.

Julianus Felix vocatur.

Omina Juliano dira.

CAP. II. Inter hæc tamen legationes gentium plurimarum auxilia pollicentium, liberaliter susceptæ remittebantur, speciosa fiducia Principe respondente, nequaquam decere adventitiis adjumentis rem vindicari Romanam, cujus opibus foveri conveniret amicos & socios, si auxilium eos adegerit necessitas implorare. Solum Arsacem monuerat Armeniæ Regem, ut collectis copiis validis jubenda opperiretur, quo tendere, quid deberet urgere, propere cogniturus. Proinde cum primam consultæ rationes copiam præbuissent, rumore præcurso hostiles occupare properans terras, nondum adulto vere missa per militares numeros expeditionali tessera cunctos transire jussit Euphraten. Quo comperto, omnes evolant ex hibernis, transmissoque (ut textus docebat scriptorum) dispersi per stationes varias, adventum Principis exspectabant. Ipse autem Antiochiam egressurus, Heliopoliten quemdam Alexandrum Syriacæ jurisdictioni præfecit, turbulentum & sævum: dicebatque non illum meruisse; sed Antiochensibus avaris & contumeliosis hujusmodi judicem convenire. Cumque eum profecturum deduceret multitudo promiscua, itum felicem reditumque gloriosum exoptans, oransque ut deinde placabilis esset & lenior: nondum ira quam ex compellationibus & probris conceperat emollita, loquebatur asperius, se esse eos asserens postea non visurum. Disposuisse enim ajebat, hiemandi gratia per compendiariam viam, consummato procinctu, Tarsum Ciliciæ reversurum: scripsisseque ad Memorium Præsidem, ut in eadem urbe cuncta sibi congrua pararentur: & hoc haud diu postea contigit. Corpus namque ejus illuc relatum, exsequiarum humili pompa in suburbano sepultum est, ut ipse mandarat. Jamque apricante cœlo, tertio Nonas Martias (*i*) profectus, Hierapolim solitis itineribus venit: ubi cum introiret civitatis capacissimæ portas, sinistra porticus subito lapsa, subter tendentes quinquaginta milites, exceptis plurimis vulneratis, tignorum tegularumque pondere magno collisit. Unde contractis copiis omnibus, Mesopotamiam tam propere signa commovit, ut fama de se nulla præversa (id enim curatius (*k*) observarat) improvisus Assyrios occuparet. Denique cum exercitu & Scytharum auxiliis Euphrate navali ponte transmisso, venit ad Batnas municipium Osdroënæ, ibique illætabile portentum offendit. Cum enim calonum frequens multitudo ad suscipiendum consuete pabulum prope acervum palearum stetisset impendio celsum, (hoc enim modo per regiones illas tales species construuntur) rapientibus multis quassata congeries inclinata est, parique exitio quinquaginta obruit homines mole maxima ruinarum.

Julianus Arsacem Armeniæ Regem ad bellum Persicum parari jubet. U. C. 1115. P. C. N. 363.

Cum exercitu ac Scytharum auxiliis Euphratem transit.

Portentum.

CAP. III. Mœstus exinde digressus venit cursu propero Carras, antiquum oppidum, Crassorum & Romani exercitus ærumnis insigne: unde duæ ducentes Persidem viæ regiæ distinguuntur, læva per Adiabenam & Tigridem, dextera per Assyrios & Euphraten. Ibi moratus aliquot dies dum necessaria parat, & Lunæ quæ religiose per eos colitur tractus, ritu locorum fert sacra, dicitur ante aras, nullo arbitrorum admisso, occulte paludamentum purpureum propinquo suo tradidisse Procopio, mandasseque arripere fidentius principatum, si se interisse didicerit apud Parthos. Hic Juliani quiescentis animus agitatus insomniis, eventurum triste aliquid præsagiebat. Quocirca & ipse, & visorum interpretes præsentia contemplantes, diem secuturum, qui erat quartum decimum Kal. Apriles, observari debere pronuntiabant. Verum ut compertum est postea, hac eadem nocte Palatini Apollinis templum, Præfecturam regente Aproniano, in Urbe conflagravit æterna: ubi nii multiplex juvisset auxilium, etiam Cumana carmina consumpserat magnitudo flammarum. Post quæ ita digesta (*l*), agmina & commea-

Præsagium triste.

(*e*) alii τὸ eo omittunt. (*f*) al. monstrabantur. (*g*) al. quod acciderat. (*h*) al. renitente. (*i*) al. Majas. (*k*) al. accuratius. (*l*) al. postque ita digesta.

commeatus omnis generis disponenti (*m*), procursatorum adventu anhelantium etiamtum indicatur, equestres hostium turmas vicino limite quodam perrupto avertisse subito prædas. Cujus atrocitate mali perculsus, ilico ut ante cogitaverat, triginta millia lectorum militum eidem commisit Procopio, juncto ad parilem potestatem Sebastiano Comite ex-Duce Ægypti: iisdemque præcepit, ut intra Tigridem interim agerent, vigilanter omnia servaturi, ne quid inopinum ex incauto latere oriretur, qualia multa sæpe didicerat (*n*) evenisse: mandabatque eis, ut si fieri potius posset, Regi sociarentur (*o*) Arsaci: cumque eo per Corduenam & Moxoënam, Chiliocomo uberi Mediæ tractu, partibusque aliis præstricto cursu vastatis, apud Assyrios adhuc agenti sibi concurrerent (*p*), necessitatum articulis adfuturi. His ita ordinatis, ipse exitu simulato per Tigrim, quod iter etiam re cibaria de industria jusserat instrui, flexit dextrorsus: & quieta nocte emensa, mane jumentum quo veheretur ex usu poposcit: oblatusque ei equus Babylonius nomine, ictu torminis consternatus, dum dolorum impatiens volvitur, auro lapillisque ornamenta distincta conspersit. Quo ostento lætior exclamavit (*q*), plaudentibus proximis, *Babylona humi procidisse, ornamentis omnibus spoliatam.* Et paullisper detentus, ut omen per hostias litando firmaret, Davanam venit castra præsidiaria, unde ortus Belias fluvius funditur in Euphraten. Hic corporibus cibo curatis & quiete, postridie ventum est ad Callinicum (*r*), munimentum robustum, & commercandi opimitate gratissimum: ubi ante diem (*s*) sextum Kal. quo Romæ Matri Deorum pompæ celebrantur annales, & carpentum quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur, sacrorum sollemnitate prisco more completa, somno per otium capto, exsultans pernoctavit & lætus. Luce vero secuta profectus exinde per supercilia riparum fluvialium, aquis adulescentibus undique convenis, cum armigera gradiens manu, in statione quadam sub pellibus mansit: ubi Saracenorum Reguli gentium genibus supplices nixi, oblata ex auro corona (*t*) tamquam mundi nationumque suarum dominum adorarunt, suscepti gratanter, ut ad furta bellorum appositi. Dumque hos adloquitur, Xerxis illius potentissimi Regis instar classis advenit, Tribuno Constantino cum Comite Lucilliano ductante, quæ latissimum flumen Euphraten artabat: in qua mille erant onerariæ naves ex diversa trabe contextæ, commeatus abunde ferentes & tela & obsidionales machinas: quinquaginta aliæ bellatrices, totidemque ad compaginandos necessariæ pontes.

Saracenorum reguli Juliano coronam auream & auxilia offerunt. U. C. 1115. p. C. N. 363.

Classis Romana.

Descriptiones muralium machinarum.

CAP. IV. Re ipsa admoneor, breviter quantum mediocre potest ingenium, hæc instrumentorum genera ignorantibus circumscripte monstrare: & ballistæ figura docebitur prima. Ferrum inter axiculos duos firmum compaginatur & vastum, in modum regulæ majoris extentum: cujus ex volumine tereti, quod in medio ars polita componit, quadratus eminet stilus extentius, (*u*) recto canalis angusti meatu cavatus, & hac multiplici chorda nervorum tortilium illigatus: eique cochleæ duæ ligneæ conjunguntur aptissime, quarum prope unam adsistit artifex contemplabilis, & subtiliter adponit in temonis cavamine sagittam ligneam spiculo majore conglutinatam: hocque facto hinc inde validi juvenes versant agiliter rotabilem flexum. Cum ad extremitatem nervorum acumen venerit summum, percita interno pulsu à ballista ex oculis avolat, interdum nimio ardore scintillans: & evenit sæpius, ut antequam telum cernatur, dolor letale vulnus agnoscat. Scorpionis autem, quem appellant nunc onagrum, hujusmodi forma est. Dolantur axes duo quernei vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere videantur in gibbas, hique in modum serratoriæ machinæ connectuntur, ex utroque latere patentius perforati: quos inter per cavernas funes colligantur robusti, compagem ne dissiliat continentes. Ab hac medietate restium ligneus stilus exsurgens obliquus, & in modum jugalis temonis erectus, ita nervorum nodulis (*x*) implicatur, ut altius tolli possit & inclinari: summitatique ejus unci ferrei copulantur, è quibus pendet stuppea vel ferrea funda: cui ligno fulmentum (*y*) prosternitur ingens, cilicium paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum super congestos cespites vel latericios aggeres. Nam muro saxeo hujusmodi moles imposita, disjectat quidquid invenerit subter (*z*), concussione violenta, non pondere. Cum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ imposito, quaterni altrinsecus juvenes repagula quibus incorporati sunt funes explicantes, retrorsus stilum pæne supinum (*a*) inclinant: itaque demum sublimis adstans magister, claustrum quod totius operis continet vincula, reserat malleo forti percussum (*b*): unde absolutus ictu volucri stilus, & mollitudine offensus cilicii, saxum contorquet quidquid incurrerit collisurum. Et tormentum quidem appellatur ex eo, quod omnis (*c*) explicatio torquetur: scorpio autem, quoniam aculeum desuper habet erectum: cui etiam onagri vocabulum indidit ætas novella ea re, quod asini feri cum venatibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant. Hinc ad arietem veniemus. (*d*) Eligitur abies vel ornus excelsa, cujus summitas duro ferro concluditur & prolixo, arietis efficiens prominulam speciem, quæ forma huic machinamento vocabulum indidit: & sic suspensa utrimque transversis asseribus & ferratis, quasi ex lance, vinculis trabis alterius continetur: eam-

Ballistæ.

Scorpionis vel onagri.

Arietis.

(*m*) al. disponendi. (*n*) al. dixerat. (*o*) al. regis optarentur. (*p*) al. accurrerent. (*q*) al. clamavit. (*r*) al. Callinisum. (*s*) al. diem, (*t*) oblata auri corona. (*u*) al. extensius. (*x*) al. modulis. (*y*) al. fulcimentum. (*z*) al. super. (*a*) al. stilum penes uncinum. (*b*) al. perclusum. (*c*) al. appellatur, quod eo omnis &c. (*d*) al. verimus.

eamque quantum mensuræ ratio patitur multitudo (*e*) retro repellens, rursus ad obvia quæque rumpenda protrudit ictibus validissimis, instar adsurgentis & cædentis arietis. Qua crebritate velut reciproci fulminis impetu ædificiis scissis in rimas, concidunt structuræ laxatæ murorum. Hoc genere operis, si fuerit exerto vigore discussum, nudatis defensoribus, ideoque solutis obsidiis, civitates munitissimæ recluduntur. Pro his arietum meditamentis jam crebritate despectis, conditur machina scriptoribus historicis nota, quam helepolim Græci cognominamus: (*f*) cujus opera diuturna Demetrius Antigoni filius Regis, Rhodo aliisque urbibus oppugnatis Poliorcetes est appellatus. Ædificatur autem hoc modo. Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata: & contegitur coriis bubulis virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur ejus suprema, ut flammeos detrectet & missiles casus. Conseruntur autem ejus frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ, ponderibus ferreis graves, qualia nobis pictores ostendunt fulmina vel fictores, ut quidquid petierit aculeis exertis abrumpat. Hanc ita validam molem rotis (*g*) & funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admovet concitis: & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes. Malleoli autem, teli genus, figurantur hac specie: sagitta est cannea, inter spiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, quo neutur lintea stamina, concavatur ventre subtiliter & plurifariam patens, atque in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento. Et si emissa lentius arcu invalido (ictu enim rapidiore exstinguitur) hæserit usquam, tenaciter cremat, aquisque conspersa acriores excitat æstus incendiorum, nec remedio ullo quam superjacto pulvere consopitur. Hactenus de instrumentis muralibus, è quibus pauca sunt dicta: nunc ad rerum ordinem revertamur.

Helepoleos.

Malleoli.

CAP. V. Adscitis Saracenorum auxiliis, quæ animis obtulere promptissimis, tendens Imperator agili gradu, Cercusium principio mensis Aprilis ingressus est, munimentum tutissimum, & fabre politum: cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut spatium insulare fingentes. Quod Diocletianus exiguum antehac & suspectum, muris turribusque circumdedit celsis, cum in ipsis barbarorum confiniis interiores limites ordinaret, ne vagarentur per Syriam Persæ, ita ut paucis ante annis cum magnis provinciarum contigerat damnis. Namque cum Antiochiæ in alto silentio, scenicis ludis mimus cum uxore immissus, in medio sumpta quædam imitaretur, populo venustate attonito, *Conjunx, nisi somnus est*, inquit, *en Persæ*: & retortis plebs universa cervicibus, exacervantia in se tela declinans spargitur passim. Ita civitate incensa, & obtruncatis pluribus, qui pacis more palabantur effusius, incensisque locis finitimis & vastatis, onusti præda hostes ad sua remearunt innoxii: Mareade vivo exusto, qui eos ad suorum interitum civium duxerat inconsulte. Et hæc quidem Gallieni temporibus evenerunt. Julianus vero dum moratur apud Cercusium, ut per navalem Aboræ pontem exercitus & omnes sequelæ transirent: litteras tristes Sallustii Galliarum Præfecti suscepit, orantis suspendi expeditionem in Parthos, obtestantisque ne ita intempestive, nondum pace numinum exorata, irrevocabile subiret exitium. Posthabito tamen suasore cautissimo, fidentius ultra (*h*) tendebat: quoniam nulla vis humana vel virtus meruisse umquam potuit, ut quod præscripsit fatalis ordo, non fiat. Statimque transgressus, pontem avelli præcepit, ne cui militum ab agminibus propriis revertendi fiducia remaneret. Pari sorte hic quoque omen illætabile visum est, apparitoris cujusdam cadaver extentum carnificis manu deleti: quem Præfectus Sallustius Præsens ea re supplicio capitali damnarat, quod intra præstitutum diem alimentorum augmentum exhibere pollicitus, casu impediente frustratus est. Sed miserando homine trucidato, postridie advenit, ut ille promiserat, alia classis abunde vehens annonam. Profecti exinde Zaitham (*i*) venimus locum, qui olea arbor interpretatur. Hic Gordiani Imperatoris longe conspicuum vidimus tumulum, cujus actus à pueritia prima, exercituumque felicissimos ductus, & insidiosum interitum digessimus tempore competenti. Ubi cum pro ingenita pietate consecrato Principi parentasset, pergeretque ad Duram desertum oppidum, procul militarem cuneum conspicatus stetit immobilis: eique dubitanti quid ferrent, offertur ab eis immanissimi corporis leo, cum aciem peteret multiplici telorum jactu confossus. Quo omine velut certiore jam spectaculi prosperioris elatus, exsultantius incedebat: sed incerto fatu fortunæ aliorsum prorupit eventus. Obitus enim Regis portendebatur, sed cujus, erat incertum. Nam & oracula dubia legimus, quæ nonnisi casus discrevere postremi: ut fidem vaticinii Delphici, quæ post Halyn flumen transmissum, maximum Regnum dejecturum prædixerat Crœsum: & aliam quæ Atheniensibus ad certandum contra Medos oblique destinaverat mare: sortemque his posteriorem veram quidem, sed non minus ambiguam; *Aio te Æacida Romanos vincere posse.* Etrusci tamen Haruspices qui comitabantur, gnari prodigialium rerum, cum illis procinctum hunc sæpe arcentibus non crederetur, prolatis libris exercitualibus (*k*) ostendebant signum hoc esse prohibitorium, Principique aliena, licet juste, invadenti contrarium. Sed calcabantur Philosophis refragantibus, quorum reverenda tunc erat auctoritas, errantium subinde, & in parum cognitis perseverantium diu. Etenim ut probabile argumentum ad fidem implendam scientiæ suæ id prætendebant (*l*), quod & Maximiano antehac Cæsari cum Narseo Persarum Rege jam congressuro, itidem leo & aper ingens trucidati simul oblati sunt, & superata gente

Julianus Cercusium venit. U.C. 1115. p. C. N. 363.

Aboram fluvium cum omnibus copiis transit.

Leo confossus Juliano offertur.

Oracula dubia eventus certa facit.

(*e*) al. altitudo. (*f*) al. græce cognominant. (*g*) al. palis. (*h*) al. ultro. (*i*) al. Zaitam. (*k*) al. Ritualibus. (*l*) al. pertendebant.

gente discessit incolumis: illo minime contemplato (*m*), quod aliena petenti portendebatur exitium, & Narseus primus Armeniam Romano juri abnoxiam occuparat. Secuto itidem die, qui erat VII. Idus Aprilis, Sole vergente jam in occasum, ex parva nubecula subito aëre crassato usus adimitur lucis: & post minacem tonitruum crebritatem & fulgurum, Jovianus nomine miles de cœlo tactus cum duobus equis concidit, quos potu satiatos à flumine reducebat. Eoque viso harum rerum interpretes arcessiti (*n*) interrogatique, etiam id vetare procinctum fidentius adfirmabant, fulmen consiliarium esse monstrantes: (ita enim appellantur, quæ dissuadent aliquid fieri vel suadent.) Ideoque hoc nimis cavendum, quod militem celsi nominis cum bellatoriis jumentis exstinxit: & hoc modo contacta loca nec intueri, nec calcari debere fulgurales pronuntiant libri. Contra Philosophi, candorem ignis sacri repente conspecti nihil significare aiebant, sed esse acrioris spiritus cursum, ex æthere aliqua vi (*o*) ad inferiora detrusum: aut si exinde prænoscitur aliquid, incrementa claritudinis Imperatori portendi gloriosa cœptanti, cum constet flammas suapte natura nullo obstante ad sublimia convolare. Peracto igitur, ut ante dictum est, ponte, cunctisque transgressis, Imperator antiquissimum omnium ratus est, militem alloqui, sui rectorisque fiducia properantem intrepide. Signo itaque per lituos (*p*) dato, cum centuriæ omnes, & cohortes, & manipuli convenissent, ipse aggere glæbali adsistens, coronaque celsarum circumdatus potestatum, talia ore sereno disseruit, favorabilis studio concordi cunctorum.

Jovianus miles de cœlo tangitur.

Fulmina ac tonitrua quid portendant.

Julianus milites alloquitur.

Contemplans maximis viribus & alacritate vos vigere, fortissimi milites, concionari disposui, docturus ratione multiplici, non nunc primitus, ut maledici mussitant, Romanos penetrasse regna Persidis. Namque ut Lucullum transeam vel Pompeium, qui per Albanos, & Massagetas, quos Alanos nunc appellamus, hac quoque natione perrupta vidit Caspios lacus: Ventidium novimus Antonii legatum strages per hos tractus innumeras edidisse. Sed ut à vetustate discedam, hæc quæ tradidit recens memoria replicabo. Trajanus, & Verus, ac Severus (q) hinc sunt digressi victores & tropæati: redissetque pari splendore junior Gordianus, cujus monumentum nunc vidimus honorate (r), apud Resainam superato fugatoque Rege Persarum, ni factione Philippi Præfecti Prætorio, scelestе juvantibus paucis in hoc ubi sepultus est loco, vulnere impio cecidisset. Nec erravere diu manes ejus inulti, quod velut elaborante (s) justitia, omnes qui in eum conspiravere, cruciabilibus interiere suppliciis. Et illos quidem voluntas ad altiora propensior subire impulit facinora memoranda: nos vero miseranda recens captarum urbium, & inultæ cæsorum exercituum umbræ, & damnorum magnitudines, castrorumque amissiones ad hæc quæ proposuimus hortantur, votis omnium sociis, ut medeamur præteritis, & honorata hujus lateris securitate Reipublica quæ de nobis magnifice loquatur posteritas, relinquamus. Adero ubique vobis adjumento numinis sempiterni Imperator, & antesignanus, & conturmalis ominibus (t) secundis, ut reor. At si fortuna versabilis in pugna me usquam fuderit, mihi vero pro Romano orbe memet vovisse sufficiet, ut Curtii Muciique veteres (u), & clara prosapia Deciorum. Abolenda nobis natio molestissima, cujus in gladiis nondum nostræ propinquitatis exaruit cruor. Plures absumptæ sunt majoribus nostris ætates, ut interirent radicitus quæ vexabant. Devicta est perplexo & diuturno Marte Carthago: sed eam Dux inclitus timuit superesse victoriæ (x). Evertit funditus Numantiam Scipio post multiplices casus obsidionis emensos. Fidenas, ne Imperio subcrescerent æmulæ, Roma subvertit: & Faliscos ita oppressit, & Veios, ut suadere nobis laboret monumentorum veterum fides, ut has civitates aliquando valuisse credamus. Hæc ut antiquitatum peritus exposui: superest ut aviditate rapiendi posthabita, quæ insidiatrix sæpe Romani militis fuit, quisque agmini cohærens incedat; cum ad necessitatem congrediendi fuerit ventum, signa propria sequuturus; sciens quod si remanserit usquam, exsectis cruribus relinquetur. Nihil enim præter dolos & insidias hostium vereor nimium callidorum. Ad summam polliceor universis, rebus post hæc prospere mitigatis, absque omni prærogativa Principum, qui quod dixerint vel censuerint pro potestate auctoritatis justum esse existimant, rationem me recte consultorum vel secus, si quis exegerit, redditurum. Quocirca erigite jam nunc quæso, erigite animos vestros, multa præsumentes & bona, æquata (y) sorte nobiscum quidquid occurrerit difficile subituri, & conjectantes æquitate semper solere jungi victoriam. Conclusa oratione ad hunc gratissimum finem, ductoris gloria præliator miles exsultans, speque prosperorum (*z*) elatior, sublatis altius scutis nihil periculosum fore vel arduum clamitabat, sub Imperatore plus sibi laboris quam gregariis indicente. Maxime omnium id numeri Gallicani fremitu lætiore monstrabant: memores aliquoties eo ductante, perque ordines discurrente, cadentes vidisse gentes aliquas, alias supplicantes.

CAP. VI. Res adegit huc prolapsa, ut in excessu celeri situm monstrare Persidis descriptoribus gentium curiose digestum (*a*), è quibus ægre vera dixere paucissimi. Quod autem erit paullo prolixior textus, ad scientiam proficiet plenam. Quisquis enim adfectat nimiam brevitatem ubi narrantur incognita: non quid signatius explicet, sed quid debeat præteriri scrutatur. Hoc regnum quondam exiguum, multisque antea nominibus appellatum ob causas quas sæpe retulimus: cum apud Babylona Magnum fata rapuissent Alexandrum, in vocabulum Parthi concessit Arsacis obscure geniti, latronum inter adolescentiæ rudimenta ductoris, verum paullatim in melius mutato proposito, clarorum contextu factorum aucti sublimius. Qui post multa gloriose & fortiter gesta, superato Nicatore Seleuco ejusdem Alexandri

Regni Persarum majores Provinciæ describuntur.

(*m*) al. contemplante. (*n*) al. arcessit. (*o*) al. via. (*p*) al. reliquos. (*q*) al. *Trajanus & rursus Severus.* (*r*) al. *honorare.* (*s*) al. *elabente.* al. *clarente.* (*t*) al. *omnibus.* (*u*) al. *Muciique tres.* (*x*) al. *victor.* (*y*) al. *præsumentes bona & æquata.* (*z*) al. speque in prosperum. (*a*) al. digestis.

xandri successore, cui victoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum, præsidiisque Macedonum pulsis ipse tranquillius agens, temperator obedientium fuit & arbiter lenis. Denique post finitima cuncta, vi vel æquitatis considerationė vel metu subacta, civitatum & castrorum castellorumque munimentis oppleta Perside, adsuefactaque timori esse accolis omnibus, quos antea formidabat, medium ipse agens cursum ætatis, placida morte decessit. Certatimque Summatum & vulgi sententiis concinentibus, astris (ut ipsi existimant) ritus sui consecratione permistus est omnium primus.

Persarum Reges Solis & Lunæ fratres se appellant.

Unde ad id tempus Reges ejusdem gentis prætumidi, appellari se patiuntur Solis fratres & Lunæ: utque Imperatoribus nostris Augusta nuncupatio amabilis est & optata; ita Regibus Parthicis abjectis & ignobilibus antea, incrementa dignitatum felicibus Arsacis auspiciis accessere vel maxima. Quamobrem numinis eum vice venerantur & colunt, eousque propagatis honoribus, ut ad nostri memoriam non nisi

Arsacides vocantur.

Arsacides is sit, quisquam in suscipiendo Regno cunctis anteponatur: & in qualibet civili concertatione, quæ adsidue (*b*) apud eos eveniunt, velut sacrilegium quisque caveat, ne dextera sua Arsacidem arma gestantem feriat vel privatum. Satisque constat hanc gentem regna, populis vi superatis compluribus, dilatasse adusque Propontidem & Thracias: sed alte spirantium ducum superbia, licenter grassantium per longinqua, ærumnis maximis imminutam: primo per Cyrum, quem Bospori fretum cum multitudine fabulosa transgressum, ad internecionem delevit Tomyris (*c*) Regina Scytharum, ultrix acerrima filiorum. Deinde cum Dareus, posteaque Xerxes Græciam elementorum usu mutato aggressi, cunctis pæne copiis terra marique consumptis, vix ipsi tutum invenere discessum: ut bella prætereamus Alexandri, & testamento nationem omnem in successoris unius jura translatam. Quibus peractis transcursisque temporibus longis, sub Consulibus, & deinceps in potestatem Cæsarum redacta Republica, nobiscum eæ nationes subinde dimicarunt, paribusque momentis interdum, aliquoties superatæ nonnumquam abiere victrices. Nunc locorum situm quantum ratio sinit, carptim breviterque absolvam.

Persidis descriptio.

Hæ regiones in amplitudines diffusæ longas & latas, ex omni latere insulosum & celebre Persicum ambiunt mare: cujus ostia adeo esse perhibentur angusta, ut ex Harmozonta Carmaniæ promuntorio contra oppositum aliud promuntorium, quod appellant incolæ Maces, sine impedimento cernatur. Quibus angustiis permeatis, cum latitudo patuerit nimis extensa, navigatio adusque urbem Teredona porrigitur, ubi post jacturas multiplices pelago miscetur Euphrates: omnisque sinus dimensione littorea in numerum viginti millium stadiorum velut spatio detornato finitur: cujus per oras omnes oppidorum est densitas & vicorum, naviumque crebri discursus. Ergo permeatis angustiis antedictis, venitur ad Armeniæ sinum, orienti objectum intervallo. Cantichus nomine panditur sinus australis: haud procul inde alius quem vocant Chaliten, occiduo obnoxius sideri. Hinc præstrictis pluribus insulis, è quibus paucæ sunt notæ, Indorum mari junguntur Oceano, qui ferventem Solis exortum suscipit omnium primus, ipse quoque nimium calens. Utque geographici stili formarunt, hac specie distinguitur omnis circuitus ante dictus. Ab Arctoo cardine adusque Caspias portas Cadusiis conterminat, & Scytharum gentibus multis, & Arimaspis hominibus luscis & feris: ab occidua plaga contingit Armenios, & Niphaten, & in Asia sitos Albanos, mare Rubrum, & Scenitas Arabas quos Saracenos posteritas appellavit: Mesopotamiam sub axe meridiali (*d*) despectat: Orienti à fronte contrarius, ad Gangen extenditur flumen, quod Indorum intersecans terras, in pelagus ejectatur Australe.

Persidis regiones maximæ.

Sunt autem in omni Perside hæ regiones maximæ, quas Vitaxæ, id est, Magistri equitum curant, & Regis Satrapæ. (nam minores plurimas recensere difficile est & superfluum) Assyria, Susiana, Media, Persis, Parthia, Carmania major, Hyrcania, Margiana, Bactriani, Sogdiani, Sacæ, Scythia ultra Emodem montem, Serica, Aria, Paropanisadæ (*e*), Drangiana, Arachosia, & Gedrosia (*f*). Citra omnes propinqua est nobis Assyria, celebritate & magnitudine, & multiformi feracitate ditissima: quæ per populos pagosque amplos diffusa quondam & copiosa, ad unum concessit vocabulum, & nunc omnis appellatur Assyria: ubi inter bacarum vulgariumque abundantiam frugum bitumen nascitur prope lacum nomine Sosingiten, cujus alveo Tigris voratus fluensque subterraneus, percursis spatiis longis emergit.

Naphthæ natura & ubi gignatur.

Hic & naphtha gignitur picea specie glutinosa, similis ipsa quoque bitumini: cui etiamsi avicula insederit brevis, præpedito volatu subversa penitus evanescit. Et cum hoc liquoris ardere cœperit genus, nullum inveniet humana mens, præter pulverem exstinguendi commentum.

Hiatus pestifer eo in loco ubi Naphtha gignitur.

In his pagis (*g*) hiatus quoque conspicitur terræ, unde halitus letalis exsurgens, quodcumque animal proxime steterit, odore gravi consumit. Quæ lues oriens à profundo quodam puteo: cum os ejus excesserit latum, antequam sublimius vagaretur, terras circumsitas inhabitabiles acerbitate fecisset.

Alius similis apud Hieropolim.

Cujus simile foramen apud Hierapolim Phrygiæ antehac, ut adserunt aliqui, videbatur: unde emergens itidem noxius spiritus perseveranti odore quidquid prope venerat corrumpebat, absque spadonibus solis: quod qua causa eveniat, rationibus physicis permittatur.

Templum Jovis Asbamæi.

Apud Asbamæi quoque Jovis templum in Cappadocia, ubi amplissimus ille Philosophus Apollonius traditur natus prope oppidum Tyana, stagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus seseque resorbens, numquam extra margines intumescit.

Adiabena provincia Persidis.

Intra hunc circuitum Adiabena est, Assyria priscis temporibus vocitata, longaque assuetudine ad hoc translata vocabulum ea re, quod inter Onam & Tigridem sita navigeros fluvios, adiri vado numquam potuit: *transire* enim διαβαίνειν

(*b*) al. assidue. (*c*) al. Tamyris. (*d*) al. meridionali. (*e*) al. Paropamisadæ. (*f*) al. Cedrosia. (*g*) al. plagis.

νειν dicimus Græci: & veteres quidem hoc arbitrantur. Nos autem id dicimus, quod in his terris amnes sunt duo perpetui, quos & transivimus, Diabas & Adiabas (*b*) juncti navalibus pontibus: ideoque intelligi Adiabenam (*i*) cognominatam, ut à fluminibus maximis Ægyptus, Homero auctore, & India, & Euphratensis antehac Commagena: itidemque Hiberia ex Hibero, nunc Hispania, & à Bæti amne insigni provincia Bætica. In hac Adiabena Ninus est civitas, quæ olim Persidis Regna possederat, nomen Nini potentissimi quondam Regis Semiramidis mariti declarans, & Ecbatana, & Arbela, & Gaugamela, ubi Darium Alexander post discrimina varia præliorum incitato Marte prostravit. In omni autem Assyria multæ sunt urbes; inter quas Apamia eminet Mesene cognominata, & Teredon, & Apollonia, & Vologessia, hisque similes multæ. Splendidissimæ vero & pervulgatæ hæ solæ sunt tres: Babylon, cujus mœnia bitumine Semiramis struxit, (arcem enim antiquissimus Rex condidit Belus) & Ctesiphon, quam Vardanes priscis temporibus instituit, posteaque Rex Pacorus incolarum viribus amplificatam & mœnibus, Græco indito nomine Persidis effecit specimen summum: post hanc Seleucia, ambitiosum opus Nicatoris Seleuci. Qua per duces Veri Cæsaris (ut ante retulimus) expulsata, avulsum sedibus simulacrum Comei (*k*) Apollinis, perlatumque Romam, in æde Apollinis Palatini Deorum Antistites collocarunt. Fertur autem, quod post direptum hoc idem figmentum, incensa civitate, milites fanum scrutantes invenere foramen angustum: quo reserato ut pretiosum aliquid invenirent, ex adyto quodam concluso à Chaldæorum arcanis labes primordialis exsiluit, quæ insanabilium vi concepta morborum, ejusdem Veri Marcique Antonini temporibus, ab ipsis Persarum finibus, adusque Rhenum & Gallias cuncta contagiis polluebat & mortibus. Hic prope Chaldæorum est regio altrix Philosophiæ veteris, ut memorant ipsi, apud quos veridica vaticinandi fides eluxit. Perfluunt autem has easdem terras potiores ante alios amnes hi quos prædiximus, & Marses (*l*), & flumen Regium, & Euphrates cunctis excellens: qui tripartitus, navigabilis per omnes est rivos, insulasque circumfluens, & arva cultorum industria diligentius rigans; vomeri & gignendis arbustis habilia facit. His tractibus Susiani junguntur, apud quos non multa sunt oppida, inter alia tamen eminet Susa, sæpe domicilium Regum, & Arsiana, & Sele (*m*), & Aracha (*n*): cetera brevia sunt & obscura. Fluvii vero multi per hæc loca discurrunt, quibus præstant (*o*) Oroates (*p*), & Harax, & Meseus, per arenosas angustias quæ à Rubro prohibent Caspium mare, æquoream multitudinem inundantes. At in læva Media confinis Hyrcano panditur mari: quam ante regnum Cyri superioris, & incrementa Persidos, legimus Asiæ, reginam (*q*) totius Assyriis domitis, quorum plurimos pagos in Acropatenæ vocabulum permutatos belli jure possedit. * Pugnatrix natio, & formidanda post Parthos, quibus vincitur solis, regiones inhabitans ad speciem quadratæ figuræ formatas. Harum terrarum incolæ omnes ad latitudinem nimiam extenduntur, eisque maximæ celsitudines imminent montium, quos Zacram, & Orontem, & Jasonium vocant. Coroni quoque montis altissimi partem habitantes occiduam, frumentariis agris adfluunt & vinariis, pingui fecunditate lætissimi, & fluminibus fontiumque venis liquidis locupletes. Sunt apud eos prata virentia: fetus equarum nobilium, quibus (ut Scriptores antiqui docent, nos quoque vidimus) ineuntes prælia viri summa vi vehi exsultantes solent, quos Nesæos (*r*) appellant. Abundant æque civitatibus (*s*) quibus Media, & vicis in modum oppidorum exstructis, & multitudine incolarum. Utque absolute dicatur, uberrimum est habitaculum Regum. In his tractibus Magorum agri sunt fertiles: super quorum secta studiisque, quoniam huc incidimus, pauca conveniet expediri. Magiam opinionum insignium auctor amplissimus Plato, Machagistiam esse verbo mystico docet, divinorum incorruptissimum cultum, cujus scientiæ sæculis priscis multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastres: deinde Hystaspes Rex (*t*) prudentissimus Darii pater. Qui cum superioris Indiæ secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quamdam venerat solitudinem, cujus tranquillis silentiis præcelsa Brachmanorum ingenia potiuntur: eorumque monitu rationes mundani motus & siderum, purosque sacrorum ritus quantum colligere potuit eruditus, ex his quæ didicit, aliqua sensibus Magorum infudit: quæ illi cum disciplinis præsentiendi futura, per suam quisque progeniem, posteris ætatibus tradunt. Ex eo per sæcula multa ad præsens una eademque prosapia multitudo creata, Deorum cultibus dedicatur. Feruntque si justum est credi, etiam ignem cœlitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri, cujus portionem exiguam ut faustam præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt. Hujus originis apud veteres numerus erat exilis, ejusque ministeriis Persicæ potestates in faciendis rebus divinis sollemniter utebantur. Eratque piaculum aras adire, vel hostiam contrectare, antequam Magus conceptis precationibus libamenta diffunderet præcursoria. Verum aucti paullatim, in amplitudinem gentis solidæ concesserunt & nomen: villasque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas, & legibus suis uti permissi, religiones respectu sunt honorati. Ex hoc Magorum semine septem post mortem Cambysis Regnum inisse Persidos antiqui memorant libri, docentes eos Darei factione oppressos, imperitandi initium equino hinnitu sortiti. In hac regione oleum conficitur Medicum, quo illitum telum si emissum lentius laxiore arcu (nam ictu exstinguitur rapido) hæserit usquam, tenaciter cremat: & si aqua voluerit abluere quisquam, æstus excitat acriores incendiorum, nec remedio ullo quam

Ninus civitas.

Babylon civitas.

Ctesiphon.

Seleucia.

Apollo Comæus.

Susiani eorumque oppida.

Coronus mons.

Magia quid.

Magi Persidis regnum occupant.

(*b*) al. Diavas & Adiavas. (*i*) al. Adiavenam. (*k*) al. Chomæi. (*l*) Marsias. (*m*) Sela. (*n*) al. Arecha. (*o*) al. præstantior. (*p*) al. Oates. (*q*) al. regna. (*r*) al Nisæos. (*s*) al. Abundantiaque civitatibus. (*t*) alii τὸ Rex omittunt.

quam jactu pulveris consopitur. Paratur autem hoc modo. Oleum usus communis herba quadam infectum condiunt harum rerum periti, ad diuturnitatem servantes, & coalescens durant ex materia venæ naturalis, similis oleo crassiori: quæ species gignitur apud Persas, quam (ut diximus) naphtham vocabulo appellavere gentili. Per hæc loca civitates dispersæ sunt plures, queis omnibus præstant Zombis, & Patigran (*u*), & Gazaca: inter quas opibus & magnitudine mœnium conspicuæ sunt Heraclia, & Arsacia, & Europos (x), & Cyropolis, & Ecbatana, sub Jasonio monte in terris sitæ Syromedorum. Amnes has regiones prætereunt multi, quorum maximi sunt Choaspes, & Gyndes, & Amardus, & Charinda, & Cambyses, & Cyrus, cui magno & specioso Cyrus ille superior Rex amabilis, abolito vetere id vocabulum dedit, cum ereptum ire Regna Scythica destinaret: quod & fortis est, ut ipse etiam ferebatur, & vias sibi, ut ille, impetu ingenti molitus, in Caspium delabitur mare. Per tractus meridianos expansa, post hæc confinia, littoribus proxima Persis habitatur antiqua, minutis frugibus dives & palmite, aquarumque copia jucundissima. Amnes quippe multi per eam antedictum influunt sinum: quorum maximi sunt Vatrachites, Rogomanis (*y*), & Brisoana, atque Bagrada. Oppida vero mediterranea sunt ampliora: incertum enim qua ratione per oras maritimas nihil condiderunt insigne: inter quæ Persepolis est clara, & Ardea, & Obroatis (z), atque Tragonice. Insulæ vero visuntur ibi tres tantum, Tabiana (*a*), & Fara, & Alexandria. His propinquant Parthi siti sub Aquilone, colentes nivales terras & pruinosas: quorum regiones Choatres fluvius interscindit ceteris abundantior: & hæc potiora residuis sunt oppida, Genonia, Mœsia, Charax, Apamia, Artacana, & Hecatompylos, à cujus finibus per Caspia littora adusque portarum angustias stadia quadraginta numerantur & mille. Feri sunt illic habitatores pagorum omnium, atque pugnaces: eosque ita certamina juvant & bella, ut judicetur inter alios omnes beatus, qui in prælio profuderit (*b*) animam. Excedentes enim è vita morte fortuita, conviciis insectantur ut degeneres & ignavos. Quibus ab Orientali Australique plaga Arabes beati conterminant, ideo sic appellati, quod frugibus juxta, & fetibus, & palmite, odorumque suavitate multiplici sunt locupletes: magnæque eorum partes mare Rubrum à latere dextro contingunt: læva Persico mari collimitant, elementi utriusque potiri bonis omnibus adsueti. Ubi & stationes, & portus tranquilli sunt plures, & emporia densa, & diversoria Regum ambitiosa nimium & decora, aquarumque suapte natura calentium saluberrimi fontes, & rivorum fluminumque multitudo perspicua, sospitalisque temperies cœli, ut recte spectantibus nihil eis videatur ad felicitatem deesse supremam. Ac licet abundet urbibus mediterraneis atque maritimis, campisque copiosis & vallibus, has tamen civitates habet eximias Geapolim (*c*), & Nascon, & Baraba, itidemque Nagara, & Mephram, & Taphra (*d*), & Dioscuriada. (*e*) Insulas autem complures habet per utrumque proximas mare, quas dinumerare non refert. Insignior tamen aliis Turgana est, in qua Serapidis maximum esse dicitur templum. Post hujus terminos gentis, Carmania major verticibus celsis erigitur, adusque Indicum pertinens mare, fructuariis arboreisque fetibus culta, sed obscurior Arabum terris multo & minor: fluminibus tamen ipsa quoque non minus abundans, cespitisque ubere juxta fecunda. Amnes autem sunt hic ceteris notiores Sagareus, & Saganis, & Hydriacus. Sunt etiam civitates, licet numero paucæ, victu tamen & cultu perquam copiosæ: inter quas nitet Carmana omnium mater, & Portospana (*f*), & Alexandria, & Hermupolis. (*g*) Interius vero pergenti occurrunt Hyrcani, quos ejusdem nominis alluit mare. Apud quos glebæ macie internecante sementes (*h*), ruris colendi cura est levior: sed vescuntur venatibus, quorum varietate immane quantum exuberant. Ubi etiam tigridum millia multa cernuntur, feræque bestiæ plures: quæ cujusmodi solent capi commentis, dudum nos meminimus retulisse. Nec ideo tamen stivam ignorant, sed seminibus teguntur aliquæ partes (*i*), ubi solum est pinguius: nec arbusta desunt in locis habilibus ad plantandum, & marinis mercibus plerique sustentantur. Hic amnes duo pervulgati sunt nominis, Oxus & Maxera, quos urgente inedia superantes natatu aliquoties tigres, improvisæ finitima populantur. Habent etiam civitates inter minora municipia validas, duas quidem maritimas, Socunda & Saramanna: mediterraneas alias, Azmornam & Solen, & his nobiliorem Hyrcanam. Contra hanc gentem sub Aquilone dicuntur Abii versari, genus piissimum, calcare cuncta mortalia consuetum: quos (ut Homerus fabulosius canit) Jupiter ab Idæis montibus contuetur. Sedes vicinas post Hyrcanos sortiti sunt Margiani, omnes pæne collibus altis undique circumsepti, ideo à mari discreti. Et quamquam pleraque sunt ibi deserta aquarum penuria, quædam tamen habent oppida: sed Jasonion, & Antiochia, & Nisea, sunt aliis notiora. Proximos his limites possident Bactriani, natio antehac bellatrix & potentissima, Persisque semper infesta, antequam circumsitos populos omnes ad ditionem (*k*) gentiliatemque traherent nominis sui: quam rexere veteribus sæculis etiam Arsaci formidabiles Reges. Ejus pleræque partes, ita ut Margiana, procul à littoribus sunt disparatæ, sed humi gignentium fertiles: & pecus quod illic per campestria loca vescitur & montana, membris est magnis compactum & validis: ut indicio sunt cameli à Mithridate exinde perducti, & primitus in obsidione Cyzicena visi Romanis.

Marginalia: Oleum medicum. — Persepolis civitas. — Parthi sub Aquilone. — Caspiorum littorum habitatores feri. — Arabes. — Eorum civitates. — Carmania. — Ejus amnes. — Et civitates. — Hyrcani. — Eorum civitates. — Abiorum gens. — Bactriani.

(*u*) Patigra. (*x*) al. Europis. (*y*) al. Rogomanius. (*z*) al. Habraatis. (*a*) al. Cadiana. (*b*) al. fuderit. (*c*) al. Hierapolim. (*d*) al. Taphron. (*e*) al. Dioscurida. (*f*) al. Ortopana. (*g*) al. Hermopolis. (*h*) al. glebæ maximæ auro micantes. (*i*) al. talique parte. (*k*) al. deditionem.

Gentes iisdem Bactrianis obediunt plures, quas exsuperant Tochari: & ad Italiæ speciem crebris fluminibus inundantur: è quibus Artamis & Zariaspes ante sibi consociati, itidemque Ochus & Orgomanes (*l*) juncti convenis aquis augent immania Oxi fluenta. Sunt & hic civitates, quas amnes diversi perstringunt, his cedentes ut melioribus, Chatra, & Charte (*m*), & Alicodra, & Astacia, & Menapila, & Bactra ipsa, unde regnum & vocabulum nationis est institutum. Sub imis montium pedibus quos appellant Sogdios: inter quos amnes duo fluunt navium capacissimi, Araxates & Dymas, qui per juga vallesque præcipites in campestrem planitiem decurrentes, Oxiam nomine paludem efficiunt longe lateque diffusam. Hic inter alia oppida celebrantur Alexandria, & Cyreschata, & Drepsa (*n*) metropolis. His contigui sunt Sacæ, natio fera, squalentia incolens loca, sola pecori fructuosa, ideo nec civitatibus culta: cui Ascanimia mons imminet, & Comedus. Præter quorum radices, & vicum quem Lithinon pyrgon appellant, iter longissimum patet mercatoribus pervium, ad Seras subinde commeantibus. Circa defectus & crepidines montium, quos Jmavos & Tapurios vocant, Scythæ sunt intra Persicos fines, Asianis (*o*) contermini Sarmatis, Alanorumque latus tangentes extremum. Qui velut agentes quodam in secessu, coalitique solitudine, per intervalla dispersi sunt longa, adsueti victu vili & paupertino. Et gentes quidem variæ hos incolunt tractus, quas nunc recensere alio properans superfluum puto. Illud tamen sciendum est, inter has nationes pæne ob asperitatem nimiam inaccessas, homines esse quosdam mites & pios; ut Jaxartæ sunt & Galactophagi, quorum meminit vates Homerus in hoc versu:

Eorum civitates.

Sacæ, natio fera.

Scythæ.

Jaxartæ & Galactophagi.

Γλακτοφάγων ἀβίωντε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Inter flumina vero multa, quæ per has terras vel potioribus jungit natura, vel lapsu post trahit in mare, Rœmnus (*p*) celebris est, & Jaxartes, & Talicus. (*q*) Civitates autem non tres solas habere noscuntur, Aspabota, & Chauriana, & Saga. Ultra hæc utriusque Scythiæ loca, contra Orientalem plagam in orbis speciem consertæ celsorum aggerum summitates ambiunt Seras ubertate regionum & amplitudine circumspectos: ab Occidentali latere Scythis adnexos: à Septentrione & Orientali, nivosæ solitudini cohærentes: qua meridiem spectant, adusque Indiam porrectos & Gangem. Appellantur autem iidem montes, Anniva, & Nazavicium, & Asmira, & Emodon, & Opurocarra. Hanc itaque planitiem undique prona declivitate præruptam, terrasque lato situ distentas, duo famosi nominis flumina, OEchardes (*r*) & Bautis lentiore meatu percurrunt. Et dispar est tractuum diversorum ingenium: hic patulum, alibi molli devexitate subductum: ideoque satietate frugum, & pecoribus, & arbustis exuberat. Incolunt autem fecundissimam glebam variæ gentes, è quibus Alitrophagi (*s*), & Annibi, & Sizyges, & Chardi aquilonibus objecti sunt & pruinis. Exortum vero Solis suspiciunt Rabannæ, & Asmiræ, & Essedones omnium splendidissimi: quibus Athagoræ (*t*) ab Occidentali parte cohærent, & Aspacaræ. Betæ vero australi celsitudini montium inclinati, urbibus licet non multis, magnis tamen celebrantur & opulentis: inter quas maximæ Asmira, & Essedon, & Asparata, & Sera (*u*), nitidæ sunt & notissimæ. Agunt autem ipsi quietius Seres, armorum semper & præliorum expertes: utque hominibus sedatis & placidis otium est voluptabile, nulli finitimorum molesti. Cœli apud eos jucunda salubrisque temperies, aëris facies munda, leniumque ventorum commodissimus flatus: & abunde silvæ sublucidæ: à quibus arborum fetus aquarum asperginibus crebris, velut quædam vellera molientes, ex lanugine & liquore mistam subtilitatem tenerrimam pectunt: nentesque subtemina, conficiunt sericum, ad usus antehac Nobilium, nunc etiam infimorum sine ulla discretione proficiens. Ipsi præter alios frugalissimi, pacatioris vitæ cultores, vitantes reliquorum mortalium cœtus. Cumque ad coëmenda fila, vel quædam alia fluvium transierint advenæ, nulla sermonum vice, propositarum rerum pretia solis oculis æstimantur: & ita sunt abstinentes, ut apud se tradentes gignentia, nihil ipsi comparent adventicium. (*x*) Ariani (*y*) vivunt post Seras, boreæ obnoxii flatibus: quorum terras amnis vehendis sufficiens navibus, Arias perfluit nomine, faciens lacum ingentem eodem vocabulo dictatum. Abundat autem hæc eadem Aria oppidis: inter quæ sunt celebria, Bitaxa, Sarmatina (*z*), & Sotera, Nisibis, & Alexandria, unde naviganti ad Caspium mare quingenta stadia numerantur & mille. His locis Paropanisadæ sunt proximi, Indos ab Oriente, Caucasumque ab Occidentali latere prospectantes, ipsi quoque montium defectibus inclinati: quos residuis omnibus major Ortogordomaris interluit fluvius, à Bactrianis exsurgens. Habent autem etiam civitates aliquas, quibus clariores sunt Agazaca, & Naulibus, & Ortopana (*a*), unde littorea navigatio adusque Mediæ fines, portis proximos Caspiis, stadiorum sunt duo millia & ducenta. Antedictis continui sunt Drangiani collicus cohærentes, quos flumen alluit Arabium (*b*) nomine ideo appellatum, quod inde exoritur, interque alia duobus municipiis exsultantes Prophthasia (*c*) & Ariaspe, ut opulentis & claris. Post quos exadversum Arachosia visitur, dextrum vergens in latus Indis objecta, quam ab Indo fluviorum maximo, unde regiones cognominatæ sunt, amnis multo minor exoriens aquarum alluit amplitudine, efficitque paludem Arachotoscrenem appellatam. (*d*) Hic quoque civitates sunt inter alias utiles, Alexandria, & Arbaca, & Choaspa. At

Seres gens placida.

Ariani.

Paropanisadæ.

Drangiani.

(*l*) al. Orchomanes. (*m*) al. Carthe. (*n*) al. Crescata & Areta. (*o*) al. Asianæ. (*p*) al. Rhymnus. (*q*) al. Taicus vel Daicus. (*r*) al. Chartis. (*s*) al. Androphagi. (*t*) al. Atharæ. (*u*) al. Pheræ al. Fera. (*x*) al. advecticium. (*y*) al. Afriani. (*z*) al. Bitaxas Armatina. (*a*) al. Orthospana. (*b*) al. Arabum. (*c*) al. Prosphtasia. (*d*) al. appellant.

At in penitissima parte Persidos Gedrosia (*e*) est, dextra terminos contingens Indorum, inter minores alios Artabio (*f*) uberior flumine: ubi montes deficiunt Barbitani, quorum ex pedibus imis emergentes alii fluvii Indo miscentur, amittentes nomina magnitudine potioris. Civitates autem etiam hic sunt: inter civitates præter insulas Sedratyra (*g*), & Gynæcon limen meliores residuis æstimantur. Ne igitur oræ maritimæ spatia alluentia Persidis extremitates per minutias demonstrantes, à proposito longius aberremus, id sufficiet dici: quod mare prætentum à Caspiis montibus per boreum latus adusque memoratas angustias, novem millium stadiorum; Australe vero ab ostiis Nili fluminis adusque principia Carmanorum, quatuordecim millium stadiorum numero definitur. Per has nationes dissonas & multiplices, hominum quoque diversitates sunt ut locorum. Sed ut generaliter corpora describamus & mores, graciles pæne sunt omnes, subnigri vel livido colore pallentes, caprinis oculis torvi, & superciliis in semiorbium speciem curvatis junctisque, non indecoribus barbis, capillisque promissis (*h*) hirsuti: omnes tamen promiscue, vel inter epulas festosque dies, gladiis cincti cernuntur. Quem Græcorum veterum morem abjecisse primos Athenienses, Thucydides est auctor amplissimus. Effusius plerique soluti in venerem (*i*) ægreque contenti multitudine pellicum: puerilium stuprorum expertes, pro opibus quisque adsciscens matrimonia plura vel pauca. Unde apud eos per libidines varias caritas dispersa torpescit. Munditias convivorum & luxum, maximeque potandi aviditatem vitantes, ut luem. Nec apud eos extra regales mensas hora est præstituta prandendi, sed venter unicuique velut solarium est, eoque monente, quod inciderit editur: nec quisquam post satietatem superfluos sibi ingerit cibos. Immane quantum restricti & cauti, ut inter hostiles hortos gradientes nonnumquam & vineta, nec cupiant aliquid, nec contingant, venenorum & secretarum artium metu. Super his nec stando mingens, nec ad requisita naturæ secedens facile visitur Persa: ita observantius hæc aliaque pudenda declinant. Adeo autem dissoluti sunt, & artuum laxitate vagoque incessu se jactitantes, ut effeminatos existimes, cum sint acerrimi bellatores, sed magis artifices quam fortes, eminusque terribiles: abundantes inanibus verbis, insanumque loquentes & ferum: magnidici, & graves, ac tetri, minaces juxta in adversis rebus & prosperis, callidi, superbi, crudeles vitæ necisque potestatem in servos & plebejos vindicantes obscuros. Cutes vivis hominibus detrahunt particulatim vel solidas: nec ministranti apud eos famulo mensæque adstanti hiscere vel loqui licet, vel spuere: ita prostratis pellibus labra omnium vinciuntur. Leges apud eos impendio formidatæ: inter quas diritate exsuperant latæ contra ingratos, & desertores: & abominandæ aliæ per quas ob noxam unius omnis propinquitas perit. Ad judicandum autem usu rerum spectati destinantur & integri, parum alienis consiliis indigentes: unde nostram consuetudinem rident, quæ interdum facundos, jurisque publici peritissimos post indoctorum collocat terga. Nam quod supersidere corio damnati ob iniquitatem judicis judex alius cogebatur, aut finxit vetustas, aut olim recepta consuetudo cessavit. Militari cultu ac disciplina, proludiisque continuis rei castrensis & armaturæ, quam sæpe formavimus, metuendi vel exercitibus maximis: equitatus virtute confisi, ubi desudat nobilitas omnis & splendor. Pedites enim in speciem mirmillonum contecti, jussa faciunt ut calones. Sequiturque semper hæc turba tamquam addicta perenni servitio, nec stipendiis aliquando fulta nec donis. Et gentes plurimas præter eas quas abunde perdomuit, sub jugum hæc natio miserat, ita audax & ad pulveres Martios erudita; ni bellis (*k*) civilibus externisque adsidue vexarentur. Indumentis plerique eorum ita operiuntur lumine colorum fulgentibus vario, ut licet sinus lateraque dissuta relinquant flatibus agitari ventorum, inter calceos tamen & verticem nihil videatur intectum. Armillis uti monilibusque aureis, & gemmis, præcipue margaritis quibus abundant, adsuefacti post Lydiam (*l*) victam, & Crœsum. Restat, ut (*m*) super ortu lapidis hujus pauca succinctius explicentur. Apud Indos & Persas margaritæ reperiuntur in testis marinis robustis & candidis, permistione roris anni tempore præstituto conceptæ. Cupientes enim velut coitum quemdam, humores ex lunari aspergine capiunt densius oscitando. Exindeque gravidulæ edunt minutas binas, aut ternas, vel uniones ideo sic appellatas, quod eviscceratæ conchulæ singulas aliquoties pariunt, sed majores. Idque indicium est ætherea potius derivatione, quam saginis pelagi hos oriri fetus & vesci: quod guttæ matutini roris iisdem infusæ claros efficiunt lapillos & teretes: vespertini vero flexuosos contra, & rutilos, & maculosos interdum. Minima autem vel magna pro qualitate hauстuum figurantur casibus variatis. Concussæ vero sæpissime metu fulgurum inanescunt, aut debilia pariunt, aut certe vitiis diffluunt abortivis. Capturas autem difficiles & periculosas, & amplitudines pretiorum illa efficit ratio, quod frequentari sueta littora propter piscantium insidias declinantes, ut quidam conjiciunt, circa devios scopulos & marinorum canum receptacula delitescunt. Quod genus gemmæ etiam in Britannici secessibus maris gigni legique, licet dignitate dispari, non ignoramus.

Mare Caspium.

Corpora & mores nationum Persidem inhabitantium

Margaritæ ut nascantur.

Earum captura

(*e*) al. Gerosia. (*f*) al. Artabii. (*g*) Sedratira. (*h*) al. prolixis. (*i*) al. plerique soliti solvi in venerem. (*k*) al. ut in bellis civilibus externisque adsidue vexaretur. (*l*) al. Indiam. (*m*) al. Res statuit, ut; &c.

Explicit Liber XXIII.

AMMIA-

AMMIANI MARCELLINI RERUM GESTARUM LIBER XXIV.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

Post exploratam alacritatem exercitus, uno parique ardore impetrabilem (*n*) Principem superari non posse, Deum usitato clamore testati. Julianus summæ rei finem imponendum maturius credens, extracta quiete nocturna itinerarium sonare lituos jubet: præstructisque omnibus quæ difficultates arduæ belli poscebant, candente jam luce Assyrios fines ingressus, celso præter alios spiritu obequitans ordinibus, æmulatione sui cunctos ad officia fortitudinis incendebat. Utque ductor usu & docilitate firmatus, metuens ne per locorum insolentiam insidiis caperetur occultis, agminibus incedere quadratis exorsus est. Excursatores quidem quingentos & mille sensim præire disposuit, qui cautius gradientes ex utroque latere, itidemque à fronte, ne quis repentinus irrueret prospectabant. Ipse vero medios pedites regens, quod erat totius roboris firmamentum, dextra legiones aliquas cum Nevitta supercilia fluminis præstringere jussit Euphratis. Cornu vero lævum cum equitum copiis Arinthæo tradidit & Hormisdæ, ducendum confertius per plana camporum & mollia. Agmina vero postrema Dagalaïphus cogebat & Victor, ultimusque omnium Osdruenæ Dux Secundinus. Deinde ut hostibus si eripuissent usquam, vel conspicantibus procul timorem multitudinis majoris incuteret, laxatis cuneis jumenta dilatavit & homines, ut decimo pæne lapide postremi dispararentur à signiferis primis: quod arte mira sæpe fecisse Pyrrhus ille Rex dicitur Epirotes, oportunis in locis castrametandi, armorumque speciem diffundendi ex industria, vel attenuandi perquam scientissimus, ut ubi usu venisset plures æstimarentur, aut pauci. Sarcinas vero & calones & apparitionem imbellem, impedimentorumque genus omne inter utrumque latus instituit procedentium ordinatim, ne qua vi subita raperentur, ut sæpe contingit, improtecta. Classis autem licet per flumen ferebatur adsiduis flexibus tortuosum, nec residere, nec præcurrere sinebatur. Emenso itaque itinere bidui prope civitatem venimus Duram desertam, marginibus amnis impositam. In quo loco greges cervorum plures inventi sunt, quorum alii confixi missilibus, alii ponderibus elisi remorum, ad satietatem omnes paverunt: pars maxima natatu adsueta veloci alveo penetrato, incohibili cursu evasit ad solitudines notas. Exin dierum quatuor itinere levi peracto, vespera incedente cum expeditis mille impositis navibus, Lucillianus Comes imperitia præceps mittitur Anathan munimentum expugnaturus: quod ut pleraque alia circumluitur fluentis Euphratis. Et navibus ut præceptum est per opportuna dispersis, obsidebatur insula, nebulosa nocte obumbrante impetum clandestinum. Sed postquam advenit lux certa, aquatum quidam egressus, visis subito hostibus ululabili clamore sublato, excitos tumultuosis vocibus propugnatores armavit. Et mox specula quadam altissima explorato situ castrorum, qua mocissime cum duarum præsidio navium amnem supermeat Imperator, pone sequentibus navigiis multis, quæ obsidionales machinas advehebant. Jamque muris propinquans, cum non absque discriminibus multis consideraret esse certandum, sermone cum leni, tum aspero & minaci hortabatur ad deditionem defensores: qui ad colloquium petito Hormisda, promissis ejus & juramentis illecti, multa sibi de lenitudine Romana spondebant. Denique præ se bovem coronatum agentes, quod est apud eos susceptæ pacis indicium, descendere suppliciter: & statim munimento omni incenso, Pusæus ejus Præfectus, Dux Ægypti postea; honore Tribunatus adfectus est. Reliqui vero cum caritatibus suis & suppellectile, humaniore cultu ad Syriacam civitatem Chalcida transmissi sunt. Inter hos miles quidam, cum Maximianus perrupisset quondam Persicos fines, in his locis æger relictus, prima etiamtum lanugine juvenis, ut ajebat, uxores sortitus gentis ritu complures, cum numerosa subole tunc senex incurvus, exsultans proditionisque auctor ducebatur ad nostra, testibus affirmans, & præscisse se olim, & prædixisse, quod centenario jam contiguus sepelietur in solo Romano. Post quæ Saraceni procursatores quosdam partis hostium obtulere lætissimo Principi, & munerati ad agenda (*o*) similia sunt remissi. Acciderat aliud postridie dirum. Ventorum enim turbo exortus, pluresque vertigines concitans, ita confuderat omnia tecta, ut tabernacula multa conscinderentur (*p*), & supini plerique milites sternerentur vel proni, spiritu stabilitatem vestigii subvertente. Nec minus eodem die aliud periculosum evenit. Amne enim repente extra margines evagato, mersæ sunt quædam frumentariæ naves, cataractis avulsis,

Julianus cum exercitu Assyriam ingreditur. *U. C. 1115. P. C. N. 363.*

Dura civitas.

Anathan munimentum.

(*n*) al. impenetrabilem. (*o*) al. & iterum ad agenda &c. (*p*) al. conciderent.

avulsis, ad defundendas (q) reprimendasque aquas rigare suetas opere saxeo structis: quod utrum per insidias, an magnitudine acciderit fluentorum, sciri non potuit. Post perruptam incensamque urbem omnium primam, & captivos transmissos, certiore jam spe provectus exercitus ad fiduciam, elatis vocibus in favores Principis consurgebat, affore sibi etiam deinde cœlestem existimans curam. Et quia per regiones ignotas de obscuris erat suspectior cura, astus (r) gentis & ludificandi varietas timebatur. Ideoque Imperator nunc antesignanus, nunc agminibus cogendis insistens cum expeditis velitibus, ne quid lateret abstrusum, frutecta squalida vallesque scrutabatur: licentiores militum per longinqua discursus affabilitate nativa prohibendo vel minis. Hostiles tamen ægros omni frugum genere divites cum segetibus & tuguriis inflammari permisit ita demum, cum usui necessaria abunde sibi quisque collegisset: & hoc modo sauciabatur salus hostium nesciorum. Bellatores enim libenter quæsitis dextris propriis utebantur, alia virtutis suæ horrea reperisse existimantes, & læti quod vitæ quoque subsidiis affluentes, alimenta servabant quæ navigiis vehebantur. Hic vino gravis quidam temerarius miles, ad ulteriorem ripam nullo urgente transgressus, in conspectu nostro ab hostibus captus (s), occisus est.

Expugnat Julianus & incendit. U. C. 1115. p. C. N. 363.

CAP. II. Quibus tali casu patratis, ad castra pervenimus nomine Thilutha, in medio fluminis sita, locum immenso quodam vertice tumescentem, & potestate naturæ velut manu circumseptum humana: cujus ad deditionem incolæ tentati mollius, ut decebat, quoniam asperitas edita vim superabat armorum, intempestivam tunc defectionem esse firmabant. Sed hactenus responderunt, cum interiora occupaverint protinus gradientes Romani, se quoque, utpote regnorum sequelas, victoribus accessuros. Et post hæc prætermeantes ipsa mœnia naves nostras cum verecundia quiete spectabant immobiles. Quo transito, cum ad munimentum aliud Achaiachalam nomine venissemus, fluminis circumitione vallatum, arduumque transscensu, refutati (t) pari responso discessimus. Alia postridie castra ob muros invalidos derelicta, prætereuntur incensa. Postera igitur & insequenti die stadiis ducentis emensis, ventum est ad locum Baraxmalcha (u). Unde amne transito, milliario septimo disparata Diacira invaditur civitas, habitatoribus vacua, frumento & salibus nitidis plena, in qua templum alti culminis arci vidimus superpositum: qua incensa, cæsisque mulieribus paucis quæ repertæ sunt, trajecto fonte scatenti bitumine, Ozogardanam occupavimus oppidum, quod formidine advenientis exercitus itidem deseruere cultores: in quo Principis Trajani tribunal ostendebatur. Hac quoque exusta, biduo ad refectionem corporum dato, prope extremum noctis quæ secundrm diem secuta est, Surena post Regem apud Persas promeritæ dignitatis, & Malechus Podosaces nomine, Phylarchus Saracenorum Assanitarum, famosi nominis latro, omni sævitia per nostros limites diu grassatus, structis Hormisdæ insidiis, quem ad speculandum exiturum incertum unde præsenserant, ideo sunt tentamento frustrati, quod angusta fluminis interluvies & præalta transiri vado non potuit. Et primo lucis exordio, cum essent hostes jam in contuitu, visi tunc primitus corusci galeis, & horrentes indutibus rigidis: milites in procinctum impetu veloci tendentes, eos involavere fortissime. Et quamvis arcus validis viribus flecterentur, & splendor ferri intermicans Romanorum metum augeret: ira tamen acuente virtutem, clypeorum densitate contecti, ne possent emittere coëgerunt. Animatus his vincendi primitiis miles (x), ad vicum Macepracta pervenit, in quo semiruta murorum (y) vestigia videbantur: qui priscis temporibus in spatia longa protenti, tueri (z) ab externis incursibus Assyriam dicebantur. Hinc pars fluminis scinditur largis aquarum agminibus, ducens ad tractus Babylonios interiores, usui agris futura & civitatibus circumjectis: alia Nahamalcha (a) nomine, quod *fluvius Regum* interpretatur, Ctesiphonta prætermeat: cujus in exordio turris in modum phari celsior surgit: hanc peditatus omnis pontibus caute digestis transivit. Equites vero cum jumentis armati clementiores gurgites fluminis obliquati transnarunt: alii multitudine subita petiti telorum hostilium, quos egressi auxiliares ad cursuram levissimi, fugientiumque cervicibus insistentes, laniatu avium prostraverunt. Quo negotio itidem gloriose perfecto, ad civitatem Pirisaboram ventum est, amplam & populosam, ambitu insulari circumvallatam. Cujus obequitans mœnia Imperator & situm, obsidium omni cautela cœptabat, quasi sola formidine oppidanos a propugnandi studio submoturus. Quibus per colloquia sæpe tentatis, cum nec promissis quisquam flecteretur nec minis, suscipitur oppugnandi exordium: & armatorum triplici corona circumdatis muris, die primo adusque noctis initium missilibus certabatur. Tum defensores animo præstantes & viribus, per propugnacula ciliciis undique laxius pansis, quæ telorum impetus cohiberent, obtecti scutis vimine firmissimo textis, & crudorum tergorum densitate vestitis, validissime resistebant, ferrea nimirum facie omni: quia laminæ singulis membrorum lineamentis cohærenter aptatæ, fido operimento totam hominis speciem contegebant. Et aliquoties Hormisdæ & indigenæ & Regalis colloquia petentes obnixe, propinquantem probris atque conviciis ut male fidum incessebant & desertorem: hac (b) lenta cavillatione diei maxima parte exempta, tenebrarum silentio primo multiformes admotæ sunt machinæ, cœptaque altitudo complanari fossarum. Quæ vixdum ambigua luce defensores intentius (c) contemplati, eo accedente quod angularem turrim ictus foravit arietis violentior, relictis civitatis duplicibus muris, conti-

Julianus castellis & oppidis aliis intentatis, aliis quæ deserta incensis.

Pirisaboram oppugnat. U. C. 1115. p. C. N. 363.

(q) al. diffudendas. (r) al. actus. (s) al. hominibus. (t) al. confutati. (u) al. Braxamalcha. (x) al. Animatus hujuscemodi primitiis miles. (y) al. muri. (z) al. munire. (a) al. Naarmalcha. (b) al. ac. (c) al. intente.

continentem occupant arcem, asperi montis interrupta planitie superpositam: cujus medietas in sublime consurgens, tereti ambitu Argolici scuti speciem ostendebat, nisi quod à Septemtrione id quod rotunditati deerat, in Euphratis fluenta projectæ cautes eminentius tuebantur: in qua excellebant minæ murorum, bitumine & coctilibus laterculis fabricatæ, quo ædificii genere nihil esse tutius (*d*) constat. Jamque ferocior miles pervasa urbe, quam viderat vacuam, adversus oppidanos ab arce multimoda tela fundentes acri contentione pugnabat. Cum enim iidem prohibitores catapultis nostrorum urgerentur atque ballistis: ipsi quoque ex edito arcus erigebant fortiter tensos: quibus panda utrimque surgentia cornua ita lentius flectebantur, ut nervi digitorum acti pulsibus violentis arundines ferratas emitterent, quæ corporibus illisæ contrariis letaliter figebantur. Dimicabatur nihilominus utrobique saxorum manualium nimbis: & neutrobi inclinato momento, prælium atrox à lucis ortu ad initium noctis destinatione magna protractum, pari sorte diremptum est. Proinde die secuto cum certaretur asperrime, multique funderentur altrinsecus, & æquæ vires (*e*) gesta librarent: Imperator omnes aleæ casus inter mutuas clades experiri festinans, cuneatim stipatus, densatisque clypeis ab ictu sagittarum defensus, veloci saltu comitantibus promptis prope portam venit hostilem, crasso ferro crustatam. Et licet saxis & glande ceterisque telis cum periculo salutis premeretur, fodicare tàmen paratos valvarum latera ut aditum patefacerent, velocibus increpans crebris, non ante discessit, quam telorum congerie quæ superjaciebantur, se jam cerneret obruendum. Evasit cum omnibus tamen, paucis levius vulneratis, ipse innoxius, verecundo rubore suffusus. Legerat enim Æmilianum Scipionem, cum historiarum conditore Polybio Megalopolitano Arcade, & triginta militibus (*f*), portam Cathaginis impetu simili subfodisse. Sed fides recepta scriptorum veterum recens factum defendit. Æmilianus enim testudine lapidea tectam (*g*) successerat portam, sub qua tutus & latens, dum moles saxeas detegunt hostes, urbem nudatam irrupit: Julianus vero locum patentem aggressus (*h*), obumbrata cœli facie fragmentis montium & missilibus, ægre repulsus abscessit. His raptim ac tumultuarie agitatis, cum operositas vinearum & aggerum impeditissima à ceteris urgentibus cerneretur: machinam quæ cognominatur helepolis, jussit expeditius fabricari: qua ut supra docuimus Rex usus (*i*) Demetrius, superatis oppidis pluribus Poliorcetes appellatus est. Ad hanc molem ingentem, superaturam celsarum turrium minas, prohibitores oculorum aciem intentius conferentes, itidemque instantiam obsidentium perpensantes, subito vertuntur ad preces: circumfusique per turres ac mœnium minas, & fidem Romanam pansis manibus protestantes, vitam cum venia postulabant. Cumque cessasse opera, & munitores nihil tentare viderent ulterius, quod quietis erat indicium certum: copiam sibi dari conferendi sermonis cum Hormisda poscebant. Hocque impetrato, Mamersides præsidiorum Præfectus demissus per funem, ductusque (*k*) ad Imperatorem, ut obsecravit, vita cum impunitate sibi consortibusque suis firmiter pacta, redire permissus est. Gestisque nuntiatis, plebs omnis utriusque sexus ad sententiam suam cunctis acceptis, pace fœderata cum religionum consecrationibus fidis, patefactis egreditur portis, salutarem Genium affulsisse sibi clamitans Cæsarem magnum & lenem. Numerata sunt autem dediticiorum duo millia & quingenti: nam cetera multitudo obsidium ante suspectans, navigiis parvis permeato amne discessit. In hac arce armorum alimentorumque copia reperta est maxima: unde necessariis sumptis, reliqua cum loco ipso excussere victores.

In deditionem accipit.

Et succendit.

CAP. III. Postera die quam hæc acta erant, perfertur ad Imperatorem cibos per otium capientem nuntius gravis, Surenam Persicum ducem procursatorum partis nostræ tres turmas inopinum aggressum, paucissimos trucidasse: inter quos strato Tribuno unum rapuisse vexillum. Statimque concitus ira immani, cum armigera manu festinatione ipsa tutissimus pervolavit: & grassatoribus fœda consternatione depulsis, residuos duos Tribunos sacramento solvit ut desides & ignavos: decem vero milites ex his (*l*) qui fugerant, exauctoratos capitali addixit supplicio, secutus veteres leges. Incensa denique urbe, ut memoratum est, constructo Tribunali insistens, actis gratiis exercitui convocato, cunctos ad paria facienda deinceps hortabatur: & argenteos nummos centenos viritim pollicitus, cum eos parvitate (*m*) promissi percitos tumultuari sensisset, ad indignationem plenam gravitatis erectus, *En*, inquit, *Persæ circumfluentes rerum omnium copiis: ditare vos poterit opimitas gentis, si unum spirantibus animis fortiter fecerimus. Ex immensis opibus egentissima est tandem, credite, Romana Respublica per eos, qui ut augerent divitias, docuerunt Principes auro quiete à barbaris redempta* (*n*) *redire. Impetitum ærarium est, urbes exinanitæ, populatæ provinciæ: mihi nec facultates, nec propinquitas generis suppetit, quamvis ortu sim nobilis præter pectus omni liberum metu: nec pudebit Imperatorem cuncta bona in animi cultu ponentem, profiteri paupertatem honestam. Nam & Fabricii familiari re pauperes rexere bella gravissima, gloria locupletes. Hæc vobis cuncta poterunt abundare, si imperterriti Deo meque, quantum humana ratio patitur, caute ductante mitius egeritis: sin resistitis ad seditionum revoluti dedecora pristinarum, pergite. Ut Imperatorem decet, ego solus confecto tantorum munerum cursu moriar stando, contempturus animam, quam mihi febricula eripiet una. Aut certe discedam, nec enim ita vixi, ut non possim aliquando esse privatus. Præque me fero & lætor, ductores spectatissimos esse nobiscum, perfectos bellicarum omni genere doctrinarum.* Hac modesta Imperatoris oratio-

Surena Persicus dux fortiter agit.

Julianus ignavos milites punit.

Strenuis centenos denarios viritim promittit.

Dedignantes exiguum donativum modesta oratione ad sanitatem revocat.

(*d*) al. tutius esse. (*e*) al. æqui mores. (*f*) al. millibus. (*g*) al. tectus. (*h*) al. ingressus. (*i*) al. est usus. (*k*) al. deductusque. (*l*) al. iis. (*m*) al. parcitate. (*n*) al. *quietem à barbaris redemtam.*

oratione, inter secunda & aspera medii (o) miles pro tempore delenitus, assumpta cum meliorum exspectatione fiducia, regibilem [se fore pollicitus & morigerum, cunctorum adspirante consensu,] auctoritatem ejus sublimitatemque cordis extollebant in cœlum: quod cum vere atque ex animo dicitur, solet armorum crepitu (p) leni monstrari. Repetitis post hæc tentoriis, pro copia rei præsentis victu se recreavit & quiete nocturna. Animabat autem Julianus exercitum, cum non per caritates, sed per inchoatas negotiorum magnitudines (q) dejeraret adsidue: *Sic sub jugum mitteret Persas: ita quassatum recrearet orbem Romanum:* ut Trajanus fertur aliquoties jurando dicta consuesse (r) firmare: *Sic in provinciarum speciem reductam videam Daciam: Sic pontibus Histrum & Euphraten (s) superem*, & similia plurima. Post hæc decursis millibus passuum quatuordecim, ad locum quemdam est ventum, arva aquis abundantibus fecundantem: quo itinere nos ituros Persæ prædocti, sublatis cataractis undas evagari fusius permiserunt. Itaque humo late stagnante, altero die militi requie data, Imperator ipse prægressus, constratis ponticulis multis ex utribus, & coriaceis (t) navibus, itidemque confectis palmarum trabibus, exercitum non sine difficultate traduxit. In his regionibus agri sunt plures consiti vineis varioque pomorum genere: ubi oriri arbores assuetæ palmarum, per spatia ampla adusque Mesenem & mare pertinent magnum, instar ingentium nemorum. Et quaqua incesserit quisquam, termites & spadica cernit adsidua, quorum ex fructu mellis & vini conficitur abundantia: & maritari palmæ ipsæ dicuntur, facileque sexus posse discerni. Additur etiam, generare feminas feminibus illitas marium, feruntque eas amore mutuo delectari: hocque inde clarere, quod contra se vicissim nutantes, ne turgidis quidem flatibus avertuntur. Et si ex more femina maris non illita fuerit semine, abortus vitio fetus emittit intempestivos. Et si qua femina cujus arboris amore perculsa sit ignoretur, unguento ipsius inficitur truncus, & arbor alia naturaliter odoris dulcedinem concipit: hisque indiciis velut coëundi quædam proditur fides. Qua cibi copia satur exercitus, plures prætergressus est insulas: & ubi formidabatur inopia, ibi timor saginæ gravis incessit. Sagittariorum denique hostilium impetu latenti (u) tentatus, neque inultus, prope locum venit, ubi pars major Euphratis in rivos dividitur (x) multifidos.

Julianus per vota jurat.

Palmæ natura & ut maritari soleat.

CAP. IV. In hoc tractu civitas, ob muros humiles ab incolis Judæis deserta, iratorum manu militum conflagravit. Quibus actis pergebat ulterius Imperator, placida ope numinis ut arbitrabatur erectior. Cumque Maogamalcham (y) venisset, urbem magnam & validis circumdatam mœnibus, tentoriis fixis providit sollicite, ne castra repentino equitatus Persici turbarentur accursu: cujus fortitudo in locis patentibus immane quantum gentibus est formidata. Et hoc disposito, stipatus velitibus paucis, ipse quoque pedes civitatis situm diligenti inquisitione exploraturus, in perniciosas præcipitatus insidias, ex ipso vitæ discrimine tandem emersit. Namque per latentem oppidi portam Persæ decem armati degressi, imaque clivorum pervadentes poplitibus subsidendo, repentino impetu nostros aggressi sunt. E quibus duo conspectiorem habitu Principem gladiis petiere districtis: sed occurrit ictibus erectum altius scutum: quo contectus magna elataque fiducia unius lateri ferrum infixit: alterum stipatores multiplicatis ictibus occiderunt. Residuis, è quibus vulnerati sunt aliqui, disjectis in fugam, spoliatisque ambobus, reducens incolumes socios cum exsuviis remeavit ad castra, omnium lætitia magna susceptus. Sustulit in (z) hoste prostrato aureum colli monile Torquatus: fudit confidentissimum Gallum alitis propugnatione Valerius, postea cognomento Corvinus: hacque gloria posteritati sunt commendati: non invidemus: accedat hoc quoque monumentis veteribus facinus pulchrum. Constratis postridie pontibus, exercituque travecto (a), & metatis alibi salubrius castris vallo duplici circumductis, quoniam (ut diximus) timebantur solitudines planæ, oppidi suscepit obsidium, periculosum fore existimans, si gradiens prorsus, à tergo relinqueret quos timeret. Hæc dum magno molimine comparantur, Surena hostium dux jumenta adortus, quæ in lucis palmaribus vescebantur, à cohortibus nostris repulsoriis cum paucorum exitio habitus frustra discessit. Et duarum incolæ civitatum, quas amnes amplexi faciunt insulas, parva sui fiducia trepidi ad Ctesiphontis mœnia se contulerunt: pars per silvarum densa; alii per paludes vicinas alveis arborum cavatarum invecti, ad unicum auxilium & potissimum itineris longi quod supererat dilabuntur, ulteriora petituri terrarum. E quibus resistentes aliquos nostri milites trucidabant: ipsi quoque lintribus & cymbis per varia discurrentes, captivos alios subinde perducebant. Id enim erat librata ratione dispositum, ut dum copiæ pedestres muros oppugnant, equestres turmæ divisæ per globos abigendis insisterent prædis: hocque proviso, nullo provincialium damno miles visceribus hostium pascebatur. Jamque Imperator muris duplicibus oppidum, ordine circumdatum trino scutorum, spe patrandi incepti maximis viribus oppugnabat. Sed ut erat necessarius appetitus, ita effectu res difficillima: nam accessus undique rupibus anfractu celsiore discissis, flexuosisque excessibus, ob periculum anceps adeundi copiam denegabat: maxime cum turres celebritate (b) & altitudine formidandæ, montem saxeum arcis naturaliter editum æquabant, & proclivis planities flumini imminens propugnaculorum firmitate muniebatur. Accedebat his haud levius malum, quod lecta manus & copiosa quæ obsidebatur, nullis ad deditionem illecebris flectebatur, sed tam-

Julianus contra Persas insidiose illum invadentes fortiter se defendit.

Maogamalcham oppidum obsidet.

Oppugnat.

(o) al. meante. (p) al. solet amor ex crepitu. (q) al. inchoatam negotiorum magnitudinem. (r) al. consuevisse. (s) al. *Aufidum.* (t) al. ex utribus subliciisque &c (u) al. latenter. (x) al. diffinditur. (y) al. Majozamalcham. (z) al. ab. (a) al. transvecto. al. trajecto. (b) al. maxime quoniam turres crebritate.

tamquam ſuperatura vel devota cineribus patriæ, reſiſtebat adverſis. Jam ægre retentabatur inferens ſe protervius miles, & pugnam vel æquo campo juſtoque prælio poſcens: cumque receptui caneretur, adſidue animoſis hoſtem urgendi conatibus urebatur. Vicit tamen noſtrorum conſilium contentionem virium maximam: diviſiſque operibus, officia quiſque diſtributa capeſſit ociſſime. Hinc enim ardui ſuggeſtus erigebantur: inde foſſarum altitudines alii complanabant: terrarum latibula concava oblongis tramitibus alibi ſtruebantur: locabant etiam artifices tormenta muralia, in funeſtos ſonitus proruptura. Et cuniculos quidem cum vineis Nevitta & Dagalaïphus curabant: ineundis autem conflictibus, & defendendis ab incendio vel eruptionibus machinis præerat Imperator. Cumque apparatu omni exſcindendæ urbis labore multiplici conſummato, pugna flagitaretur: Victor nomine (*c*) dux reverſus eſt, aduſque Cteſiphonta itineribus exploratis, nulla obſtacula nuntians offendiſſe. Quo efferati gaudio milites omnes, elatique firmioribus animis ad certandum, ſignum opperiebantur armati. Jamque clangore Martio ſonantibus tubis ſtrepebant utrimque partes: & primi Romani hoſtem undique laminis ferreis in modum tenuis plumæ conſeptum (*d*), fidentemque quod tela rigentis ferri lapſibus impacta reſiliebant, crebris procurſationibus & minaci murmure laceſſebant: nonnumquam compage ſcutorum, qua velut teſtudine infigurabilium fornicum operiebantur aptiſſime, adſiduis motibus laxius dehiſcente. Contra Perſæ muris obſtinatius adhærentes quantum facere nitique poterant, eludere (*e*) & fruſtrari exitiales impetus conabantur. Verum ubi vimineas crates præ ſe ferentes oppugnatores jam mœnia perurgerent, cum ſagittariis funditores, alii quinetiam ſaxa volventes ingentia, cum facibus & malleolis eos longius propulſabant: tum aptatæ ligneis ſagittis balliſtæ flexu ſtridoreque torquebantur, creberrima ſpicula funditantes, & ſcorpiones, quocumque manus peritæ duxiſſent, rotundos lapides evibrabant. Iterum deinde ac ſæpe geminatis congreſſibus, æſtus in meridiem creſcens, effervescente vaporatius Sole, apparatu operum & ſtudio præliandi intentos cunctos, revocaverat fatigatos & ſudore perfuſos. Eodem mentis propoſito ſecuto quoque die per varia certaminum genera controverſæ partes dimicantes inſtanter, æquis manibus & pari fortuna diſcedunt. Verum in omne diſcrimen armatis proximus Princeps civitatis urgebat excidium, ne circa muros diu excubans, omitteret majora quæ tentabat. Sed in diſtrictis neceſſitatibus nihil tam leve eſt, quod non interdum etiam contra ſperata, rerum afferat momenta magnarum. Cum enim, ut ſæpe, diſceſſuræ partes levius concertarent, abuſive incuſſo ariete, qui paullo ante erat admotus, ſternitur reſiduis omnibus altior turris, latere coctili firmiſſime ſtructa: cujus ruina muri contiguum latus ſecum immani fragore protraxit. Ibi tum varietate caſuum obſidentium labor, obſeſſorumque induſtria viciſſim facinoribus ſpecioſis inclaruit. Nihil enim aſperum ira & dolore ſuccenſo militi videbatur: nihil munitoribus erat pro ſalute currentibus metuendum aut dirum. Nam cum anceps pugna diutius fervens, ſanguine utrimque multis cædibus fuſo, diei finiſſet occaſu, tandem fatigationi conſulitur. Dumque hæc luce agerentur ac palam, nuntiatur Imperatori pervigili cura diſtento, legionarios milites, quibus cuniculorum erant fodinæ mandatæ, cavatis tramitibus ſubterraneis ſublicibuſque (*f*) ſuſpenſis, ima penetraſſe fundamentorum, jam ſi ipſe diſpoſuerit evaſuros. Cum itaque noctis plerumque proceſſiſſet, æneatorum accentu ſigno dato progrediendi ad pugnam, ad arma concurſum eſt: & conſulto murorum invaduntur utrimque frontes, ut dum propulſaturi pericula defenſores ultro citroque diſcurrunt, nec proxima fodientis audiretur ferri tinnitus, nec quoquam intrinſecus obſiſtente, cuniculariorum ſubito manus emergat. Quibus ita ut convenerat ordinatis & occupatis prohibitoribus, patefactiſque latebris, evolat Exſuperius de Victorum numero miles, poſt quem Magnus Tribunus, & Jovianus Notarius: quos audax multitudo ſecuta, his prius confoſſis quos in æde per quam in lucem prodierant invenerunt, ſuſpenſis gradibus procedentes obtruncarunt vigiles omnes, ex uſu moris gentici juſtitiam felicitatemque Regis ſui canoris vocibus extollentes. Exiſtimabatur Mars ipſe, ſi miſceri hominibus numina majeſtatis jura permittunt, adſuiſſe caſtra Lacanorum invadenti Luſcino. Hocque ideo creditum eſt, quod in congreſſu flagranti ſcalas vehens viſus formidandæ vaſtitatis armatus, poſtridie cum recenſeretur exercitus, præcipuo ſtudio quæſitus, reperiri non potuit: cum ſe ultro offerret, ſi miles fuiſſet, memorabilis conſcius facti. Sed ut tunc qui eſſet pulchri facinoris auctor, penitus eſt ignoratum ita nunc enituerunt ii qui fecere fortiſſime, obſidionalibus coronis donati, & pro concione laudati veterum more. Tandem nudata reſeratis aditibus multis, lapſura invaditur civitas: & ſine ſexus diſcrimine vel ætatis, quidquid impetus reperit, poteſtas iratorum abſumpſit: alii exitii imminentis timore, cum hinc ignis, inde mucrones urgerent, ultimum flentes, è muris acti ſua ſponte præcipites, membriſque omnibus infirmati, vitam morte funeſtiorem paulliſper dum cæderentur egerunt. Extractus eſt autem vivus cum ſatellibus LXXX Nabdates præſidiorum Magiſter, quem oblatum ſibi cum aliis ſervari juſſit intactum ſerenus Imperator & clemens. Diviſa itaque perpenſis meritis & laboribus præda, ipſe ut erat parvo contentus, mutum puerum oblatum ſibi ſuſcepit geſticularium, multa quæ callebat nutibus venuſtiſſimis explicantem, & tribus aureis nummis partæ victoriæ præmium jucundum ut exiſtimabat & gratum. Ex virginibus autem quæ ſpecioſæ ſunt captæ ut in Perſide, ubi feminarum pulchritudo excellit, nec contrectare aliquam voluit, nec videre: Alexandrum imitatus & Africanum, qui hæc declinabant

Pugna.

Cui Mars ipſe interfuiſſe exiſtimatur.

Maogamalcha expugnatur.

Nabdates ſervatur.

Juliani caſtitas.

(*c*) al. τὸ nomine omittunt. (*d*) al. conceptum. al. contectum. (*e*) al. claudere. (*f*) al. ſublicifque.

nabant, ne frangerent cupiditate, qui se invictos à laboribus ubique præstiterunt. Inter hæc certamina nostræ partis architectus, cujus nomen non suppetit, post machinam scorpionis forte assistens, reverberato lapide quem artifex titubanter aptaverat fundæ, obliso pectore supinatus (*g*) profudit animam, disjecta compage membrorum, adeo ut ne signa quidem totius corporis noscerentur. Exin profecto Imperatori index nuntiaverat certus, circa muros subversi oppidi fallaces foveas & obscuras, quales in tractibus illis sunt plurimæ, subsedisse manum insidiatricem latenter, ut improviso inde exorta (*h*) agminis nostri terga feriret extrema. Confestimque ad extrahendam eam missi sunt compertæ fortitudinis pedites. Qui cum neque pervadere foraminum aditus, nec amandatos intus prolicere possent ad decernendum, collectam stipulam & sarmenta specuum faucibus aggesserunt. Unde fumus angustius penetrans, ideoque spissior, quosdam vitalibus obstructis necavit: alios ignium afflatus immissus prodire in perniciem coëgit abruptam: & ita omnibus ferro incendiove consumptis, ad signa repedavit ocius miles. Hoc modo civitas ampla & populosa virtute roboris excisa Romani, in pulverem concidit & ruinas. Post quæ tam gloriosa transitis pontibus, multorum amnium concursu continuatis, ad munimenta gemina venimus ædificiis cautis (*i*) exstructa: ubi Victorem Comitem exercitus prævium à transitu fluminis Regis filius, progressus à Ctesiphonte cum Optimatibus & multitudine armata, prohibere conatus, catervis sequentium militum visis abscessit.

Maogamalcha exciditur. U. C. 1115. p. C. N. 363.

CAP. V. Pergentes itaque protinus ad locos venimus, agrosque pube variorum seminum lætos: ubi reperta regia Romano more ædificata, quoniam id placuerat, mansit intacta. Erat etiam in hac eadem regione extentum spatium & rotundum, loricæ ambitu circumclausum, destinatas regiis voluptatibus continens feras, cervicibus jubatis leones, armisque hispidos apros, & ursos (ut sunt Persici) ultra omnem rabiem sævientes, & alia lecta immania corpora bestiarum: quas omnes diffractis portarum obicibus, equites nostri venatoriis lanceis & missilium multitudine confoderunt. Quæ loca pingui situ & cultu: quibus Coche quam Seleuciam nominant, haud longius disparatur: ubi vallatis opere tumultuario castris, & exercitu omni per aquarum & pabuli opportuna biduo recreato, antegressus cum procursatoribus Princeps, & civitatem desertam collustrans, à Vero Principe (*k*) quondam excisam, in qua perpetuus fons stagnum ingens ejectat, in Trigidem defluens: corpora vidit suffixa patibulis multa necessitudinum (*l*) ejus, quem prodidisse civitatem Pirisaboram retulimus supra. Hic & Nabdates vivus exustus est, quem extractum cum LXXX. latebris expugnatæ docui civitatis: eo quod inter exordia obsidii cœpti clam pollicitus prodere, dimicavit acerrime, adeptusque veniam insperatam, ad id proruperat insolentiæ, ut Hormisdam laceraret omnibus probris. Itaque aliquantum progressi, tristi percellimur facto: dum enim tres procursatorum cohortes expeditæ (*m*) cum cuneo Persico decertarent, quem patefactis subito portis profuderat civitas: proruptores alii ex contraria fluminis ripa jumenta nos sequentia cum pabulatoribus paucis licenter palantibus intercipiunt & obtruncant. Unde profectus Imperator iratus & frendens, jamque regionibus Ctesiphontis propinquans, celsum castellum offendit & munitissimum: ad quod explorandum ausus accedere, obscurior ut ipse rebatur, cum paucis obequitans muros, paulloque avidius intra jactum telorum repertus, latere non potuit, statimque diversorum missilium nube exagitatus oppetisset tormento murali, ni vulnerato Armigero, qui lateri ejus hærebat, ipse scutorum densitate contectus, evitato magno discrimine discessisset. Qua causa concitus immane munimentum disposuit obsidere, prohibitoribus acriter ad resistendum intentis quod loco fidebant propemodum inaccesso, quodque Rex cum ambitiosis copiis passibus citis incedens propediem affore credebatur. Jamque vineis & residuis omnibus quæ poscebat obsidium paratis, vigilia secunda præcipiti, cum nox casu tunc Lunari splendore nitens, his qui propugnaculis insistebant aperte cuncta monstraret: repente in unum pondus coacta multitudo patefactis subito portis erupit: cohortemque nec opinantem adorta, nostrorum cecidit complures: inter quos etiam Tribunus peremptus est, periculum propulsare conatus. Quæ cum ita aguntur, pari modo ut antea, Persæ ex adversa fluminis ripa partem adorti nostrorum, interfectis quibusdam vivos cepere nonnullos. Et timore, simul quia venisse in majorem numerum copiæ putabantur hostiles, egere nostri tunc segnius: sed ubi animis in audaciam restitutis, armisque raptis inter tumultum, exercitus cantu concitus buccinarum, cum minaci murmure festinaret, eruptores perterriti reverterunt intacti. Et Imperator ira gravi permotus, reliquos ex ea cohorte, qui abjecte sustinuerant impetum grassatorum, ad pedestrem compegit militiam, quæ onerosior est, dignitatibus imminutis. Flagrans post hæc ad eruendum castellum, ubi periclitatus est, operam convertit & curam, nunquam ab antesignanis ipse digrediens, ut inter primos dimicans militi ad fortiter faciendum esset exemplo spectator probatorque gestorum. Quo inter discriminum vertices diu multumque versato, varietate munitionum atque telorum, & conspiratione oppugnatorum, idem castellum incenditur captum. Post quæ consideratis asperitatibus ante gestarum rerum & impendentium, requievit exercitus labore nimio quassatus, multis victui congruis affatim distributis. Vallum tamen sudibus densis & fossarum altitudine cautius deinde struebatur, cum à vicina jam Ctesiphonte repentini excursus, & alia formidarentur occulta.

Nabdates vivus exustus.

Julianus munitissimum situ & opere castellum.

Expugnat & incendit. U. C. 1115. p. C. N. 363.

CAP. VI. Ventum est hinc ad fossile flumen Naarmalcha nomine, quod amnis Regum interpretatur, tunc aridum. Id antehac Trajanus

Naarmalcha fossile flumen.

(*g*) al. sauciatus. (*h*) al. adorta. (*i*) al. cavatis. (*k*) al. collustrans sacro Principe &c. (*l*) al. necessariorum. (*m*) al. expeditius.

janus, posteaque Severus, egesto solo fodiri in modum canalis amplissimi studio curaverat summo, ut aquis illuc ab Euphrate transfusis, naves ad Tigridem commigrarent. Tutissimumque ad omnia visum est eadem loca purgari, quæ quondam similia Persæ timentes mole saxorum obruere multorum. Hacque valle purgata, avulsis (*n*) cataractis undarum magnitudine classis secura stadiis XXX decursis (*o*), in alveum ejecta est Trigidis: & contextis illico pontibus transgressus (*p*) exercitus, iter Cochen versus promovit. Utque lassitudini succederet quies opportuna, in agro consedimus opulento, arbustis & vitibus & cupressorum viriditate lætissimo, cujus in medio diversorium opacum est & amœnum, gentiles picturas per omnes ædium partes ostendens, Regis bestias venatione multiplici trucidantis: nec enim apud eos pingitur vel fingitur aliud præter varias cædes & bella. Proinde cunctis ex sententia terminatis, Augustus altius jam contra difficultates omnes incedens, tantumque à fortuna sperans nondum afflicta, ut propius temeritatem multa crebro auderet: validiores naves, ex his quæ alimenta portabant & machinas, deoneratas octogenis implevit armatis: retentoque secum classis robore firmiore, quam in tres diviserat partes, unam cum Victore Comite quiete prima noctis emitti disposuit, ut flumine raptim transmisso ripæ occuparentur hostiles. Quod cum acri metu territi duces concordi precatu fieri prohibere tentarent, neque destinationem flecterent Principis, sublato vexillo, ut jussum est, evolant è conspectu quinque subito naves: & cum ripas jam adventarent, facibus & omni materia qua aliter ignis petitæ adsiduis jactibus, cum militibus jam conflagrassent, ni veloci vigore (*q*) pectoris excitus Imperator, signum sibi datum nostros, quod margines jam tenerent ut mandatum est, erexisse proclamans, classem omnem properare citis remigiis adegisset. Quo facto & naves incolumes sunt receptæ: & residuus miles, quamquam saxis & varietate telorum ex edito vexaretur, post concertationem acerrimam præaltas ripas & arduas supergressus, stabat immobilis. Et miratur historia Rhodanum arma & loricam retinente Sertorio transnatatum: cum eo momento turbati quidam milites, veritique ne remanerent post signum erectum, scutis quæ patula sunt & incurva, proni firmius adhærentes, eaque licet imperite regendo, per voraginosum amnem velocitatem comitati sint navium. Contra hæc Persæ objecerunt instructus cataphractorum equitum turmas sic confertas ut laminis coaptati corporum flexus splendore præstringerent occursantes obtutus, operimentis scorteis equorum multitudine omni defensa: quorum in subsidiis manipuli locati sunt peditum, contecti scutis oblongis & curvis, quæ texta vimine & coriis crudis gestantes, densius se commovebant. Post hos elephanti gradientium collium specie, motuque immanium corporum propinquantibus exitium intentabant, documentis præteritis formidati. Hinc Imperator catervis peditum infirmis (*r*) medium inter acies spatium, secundum Homericam dispositionem præstituit, ne locati priores, cedentesque deformiter cunctos averterent secum, aut postsignani pone omnes rejecti centurias, nullo retinente (*s*) licentius verterent terga: ipse cum levis armaturæ auxiliis per prima postremaque discurrens. Ergo ubi vicissim contiguæ se cernerent partes, cristatis galeis corusci Romani, vibrantesque clypeos, velut pedis anapæsti præcinentibus modulis lenius procedebant: & præpilatis missilibus per procursatores principiis pugnæ tentatis, excita undique humus rapido turbine portabatur. Et cum undique solito more conclamaretur, virorumque alacritatem sonantia classica jam juvarent, hastis & mucronibus strictis hinc inde comminus pugnabatur: sagittarum periculis miles erat immunis, quantum interiore festinatius occupabat. Inter quæ Julianus pulsos fulcire subsidiis, incitareque tardantes, quasi conturmalis strenuus properabat & rector. Laxata itaque acies prima Persarum, leni ante, dein concito (*t*) gradu calefactis armis retrorsus gradiens, propinquam urbem petebat: quam sequebatur miles itidem fessus, in campis torridis adusque diei finem à lucis ortu decernens: ejusque occipitiis pertinacius hærens, omnem cum Pigrane (*u*), & Surrena, & Narseo potissimis ducibus adusque Ctesiphontis muros egit præcipitem adversorum (*x*) feriens suras & terga. Perrupissetque civitatis aditus, lapsorum agminibus mistus, ni Dux Victor nomine manibus erectis prohibuisset & vocibus, ipse humerum & sagitta præstrictus: & timens ne intra mœnium ambitus rapidus miles inconsulte repertus, nullosque inveniens exitus, multitudinis pondere circumveniretur. Sonent Hectoreas poëtæ veteres pugnas: fortitudinem Thessali ducis extollant: logæ loquantur ætates Sophanem, & Aminiam, & Callimachum, & Cynægirum (*y*), Medicorum in Græcia fulmina (*z*) illa bellorum: non minus illo die quorumdam ex nostris inclaruisse virtutem, omnium confessione monstratur. Post timorem depositum calcatasque ruinas hostilium corporum, justo sanguine miles etiam tum cruentus, ad Imperatoris tentoria congregatus, laudes ei perhibebat & gratias, quod ignoratus ubique dux esset an miles magis, tum ita rem prospere gesseret, ut cæsis Persarum plus minusve duobus millibus & quingentis, LXX. caderent soli nostrorum. Qui appellans plerosque nominatim, quos stabili mente aliquid clarum fecisse ipse arbiter perspexit, navalibus donavit coronis, & civicis, & castrensibus. Abunde ratus post hæc prosperitates similes adventare, complures hostias Marti parabat Ultori: & ex tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis, nondum aris admoti voluntate sua novem procubuere tristissimi: decimus vero qui diffractis vinculis lapsus, ægre reductus est, mactatus ominosa signa monstravit. Quibus visis exclamavit indignatus acriter Julianus, Jovemque

[Margin notes: Julianus Tigridem transit. U. C. 1115. p. C. N. 363. — Persæ à Romanis funduntur. — Julianus multos pro concione coronis donat. — Sacrificante Juliano diramina apparuere.]

(*n*) al. depulsis. (*o*) al. stadiis XXX. repulsa. (*p*) al. congressus. (*q*) al. frigore. (*r*) al. firmis. (*s*) al. renitente. (*t*) leni & inconcito. (*u*) al. Tigrane. (*x*) al. aversorum. (*y*) al. Cupegirum. (*z*) al. culmina.

vemque testatus est, nulla Marti jam sacra facturum: nec resecravit, celeri morte præreptus.

Julianus à Ctesiphontis obsidione deterritur.

CAP. VII. Digesto itaque consilio cum Primatibus super Ctesiphontis obsidio, itum est in voluntatem quorumdam, facinus audax & importunum esse noscentium id aggredi: quod & civitas situ ipso inexpugnabilis (*a*) defendebatur, & cum metuenda multitudine protinus Rex affore credebatur. Vicit sententia melior: cujus utilitate Princeps sollertissimus approbata, Arinthæum cum manu peditum expedita ad populanda regiones circumsitas misit, armentis lætas & frugibus, hostes pari persecuturum industria, quos dispalatos nuper densi tramites & latebræ texere notissimæ: hinc opulenta. Sed ille avidæ semper ad ulteriora cupiditatis, parvi habitis vetantium dictis, & increpitis Optimatibus, quod ob inertiam [otiique desiderium amitti suaderent prope jam] parta Regna Persidis: flumine læva relicto, infaustis ductoribus præviis, mediterraneas vias arripere citato proposuit gradu. Et tamquam funesta face Bellonæ subjectis ignibus exuri cunctas jusserat naves, præter minores duodecim, quas profuturas pangendis pontibus disposuit vehi carpentis: idque putabat utiliter ordinasse, ne relicta classis usui hostibus foret, aut certe, ut ab expeditionis primordio factum est, armatorum fere viginti millia in trahendis occuparentur iisdem navibus & regendis. Dein cum metuens sibi quisque mussaret, monstraretque perspicua veritas, quod repulsus fortitan ariditate vel altitudine montium, ad aquas redire non poterit miles, tortique perfugæ aperte faterentur se fefellisse, concursu maximo exstingui jussæ sunt flammæ. Et quoniam ignis auctus immaniter plerasque consumpsit, XII. tantummodo naves potuerunt intactæ servari, quæ ut possint custodiri discretæ sunt. Hoc casu classe cum non oporteret abolita, Julianus consociato fretus exercitu, cum armatorum nulli per diversa distringerentur, numero potior ad interiora tendebat, alimenta affatim opulentis suggerentibus locis. Quo cognito, hostes ut inedia nos cruciarent, herbas cum adultis segetibus incenderunt: & conflagratione procedere vetiti, stativis castris dum flammæ senescerent tenebamur (*b*). Insultantesque nobis longius Persæ, nunc de industria se diffundebant, aliquoties confertius resistentes: ut procul conspicantibus viderentur advenisse jam Regis auxilia, ideoque eos æstimaremus erupisse ad audaces excursus & insolita tentamenta. Mœrebat tamen ob hæc Imperator & miles, quod nec contabulandi pontis erat facultas, amissis navibus temere, nec occurri poterat hostis adventicii motibus, quem adesse coruscus (*c*) nitor indicabat armorum, arte pro singulis membris inflexus. Hisque accedebat aliud haud exiguum malum: quod nec adminicula quæ præstolabamur cum Arsace & nostris ducibus, apparebant, ob causas impedita prædictas.

Cunctas naves suas exuri jubet.

CAP. VIII. Has ob res ut solaretur anxios milites Princeps, captivos graciles suapte natura, ut pæne sunt Persæ, & macie jam confectos jussit in medium duci: nostrosque respiciens, *En*, inquit, *quos Martia ista pectora viros existimant, deformes illuvie capellas & tetras, utque crebri docuerunt eventus, antequam manus conferant, abjectis armis vertentes semet in fugam.* Quibus dictis, remotisque captivis, super rerum summa consultabatur. Et multis ultro citroque dictitatis, cum reverti debere per loca qua venimus, plebs vociferaretur imprudens: resistebat intentius Princeps, multis cum eo nequaquam fieri posse monstrantibus per effusam planitiem pabulo absumpto & frugibus, vicorumque reliquiis exustorum inopia squalentibus ultima: quodque liquentibus jam brumæ pruinis omne immaduerat solum, & ruptis riparum terminis aucti inhorruere torrentes. Eo etiam (*d*) ad difficultatem accedente negotii, quod per eas terras vapore sideris calescentes, muscarum & culicum multitudine referta sunt omnia, earumque volatu dies & astrorum noctu micantium facies obumbratur. Et cum nihil humani proficerent sensus, diu fluctuantes & dubii, exstructis aris cæsisque hostiis consulta numinum scitabamur: utrum nos per Assyriam reverti censerent, an præter radices montium lenius gradientes, Chiliocomum prope Corduenam sitam ex improviso vastare: quorum neutrum extis inspectis confore dicebatur. Sedit tamen sententia, ut omni spe meliorum succisa Corduenam arriperemus: & XVI Kal. Julias promotis jam signis, progresso Imperatore cum lucis exordio, fumus vel vis quædam turbinata pulveris apparebat: ut opinari daretur asinorum esse greges agrestium, quorum multitudo in tractibus est illis innumera, ideo simul incedens, ut constipatione densa feroces leonum frustrentur assultus. Quidam arbitrabantur Sacenæ duces adventare jam nostros, rumoribus percitos (*e*), quod Imperator Ctesiphonta magnis viribus oppugnaret: nonnulli Persas nobis viantibus incubuisse firmabant. (*f*) Ideo inter hæc ita ambigua ne quid adversum accideret, revocantibus agmina classicis, in valle graminea prope rivum, multiplicato scutorum ordine in orbiculatam figuram metatis tutius quievimus castris. Nec enim adusque vesperam aëre concreto discerni potuit, quidnam esset quod diu squalidius (*g*) videbatur.

Julianus per Corduenam revertitur. U. C. 1115. p. C. N. 363.

(*a*) al. inexpugnabili. (*b*) al. nitebamur. al. utebamur. (*c*) al. coruscans. (*d*) al. Ergo. (*e*) al. adventare, jam nostris rumoribus percitos. (*f*) al. nonnulli Persas novis motibus incubuisse firmabant. (*g*) al. quod his squalidius.

Explicit Liber XXIV.

AM-

AMMIANI MARCELLINI RERUM GESTARUM LIBER XXV.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

Et hanc quidem noctem nullo siderum fulgore splendentem, ut solet in arduis rebus & dubiis, exegimus, nec sedere quoquam auso nec flectere in quietem lumina præ timore. Ubi vero primum dies inclaruit, radiantes loricæ limbis circumdatæ ferreis, & (*h*) corusci thoraces longe prospecti, adesse Regis copias indicabant. Hocque viso accensum, properantem (*i*) congredi militem dirimente fluvio brevi prohibuit Imperator: & non procul à vallo ipso inter excursatores nostros & Persicos prælio acri conserto, Machamæus cecidit ductor unius agminis nostri. Cui propugnaturus Maurus frater, Dux postea Phœnices, cum germani trucidasset interfectorem, obvium quemque perterrens, infirmatus & ipse humerum telo, pallescentem morte propinqua Machamæum extrahere pugna viribus valuit magnis. Et cum fatiscerent vix toleranda æstuum magnitudine crebrisque congressibus partes, ad ultimum hostiles turmæ gravi sunt repulsa discussæ. Hinc recedentibus nobis longius, Saraceni nostrorum metu peditum repedare compulsi, paullo postea innexi Persarum multitudine tutius irruebant, Romana impedimenta rapturi: verum viso Imperatore ad alas subsidiarias reverterunt. Qua ex regione profecti ad Hucumbra nomine villam pervenimus: ubi per biduum omnibus ad esum congruis, & satietate quæsita frumenti ultra spem recreati discessimus: & confestim, absque his quæ tempus vehi permisit, reliqua flammis exusta sunt. Postridie exercitu sedatius procedente, extremos qui eo die forte cogendorum agminum officia sustinebant, nec opinantes Persæ adorti, negotio levi interfecissent, ni proximus equitatus noster hoc ocius (*k*) intellecto, per patulas valles late diffusus tantam molem discriminis, vulneratis qui supervenerant, repulisset (*l*). Jn hac cecidit pugna Adaces nobilis Satrapa, legatus quondam ad Constantium Principem missus, ac benigne susceptus: cujus exuviis interfector Juliano oblatis, remuneratus est ut decebat. Eodem die Tertiacorum equestris numerus à legionibus incusatus est, quod cum ipsæ hostium adversas irrumperent acies, illi paullatim dilapsi, alacritatem pæne totius minuissent exercitus. Unde ad indignationem justam Imperator erectus, ademptis signis hastisque diffractis, omnes eos qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas & captivos agere iter imposuit, ductore eorum, qui solus fortiter decertarat, aliæ turmæ apposito, cujus Tribunus turpiter prælium deseruisse convincebatur. Abjecti sunt autem sacramento etiam alii quatuor ob flagitium simile vexillationum Tribuni: hoc enim correctionis moderamine leniori, impendentium consideratione difficultatum contentus est Imperator. Progressi itaque LXX. stadia attenuata rerum omnium copia, herbis frumentisque crematis, ex flammis ipsis raptas fruges & pabula, ut quisque vehere potuit conservavit. Hoc etiam loco relicto, cum ad tractum Maranga appellatum omnis venisset exercitus, prope lucis confinia immensa Persarum apparuit multitudo, cum Merene equestris Magistro militiæ, filiisque Regis duobus, & Optimatibus plurimis. Erant autem omnes catervæ ferratæ, ita per singula membra densis laminis tectæ, ut juncturæ rigentes compagibus artuum convenirent: humanorumque vultuum simulacra ita capitibus diligenter apta, ut imbracteatis corporibus solidis, ibi tantum incidentia tela possint hærere, qua per cavernas minutas & orbibus oculorum affixas parcius visitur, vel per supremitates narium angusti spiritus emittuntur. Quorum pars contis dimicatura stabat immobilis, ut retinaculis æreis fixam existimares: juxtaque sagittarii (cujus artis fiducia ab incunabilis ipsis gens prævaluit maxima) tendebant divaricatis brachiis flexiles arcus, ut nervi mammas præstringerent dexteras, spicula sinistris manibus cohærerent: summaque peritia digitorum pulsibus argutum sonantes arundines evolabant, vulnera perniciosa portantes. Post hos elephantorum fulgentium formidandam speciem, & truculentos hiatus vix mentes pavidæ perferebant: ad quorum stridorem odoremque & insuetum adspectum magis equi terrebantur. Quibus insidentes magistri, manubriatos cultros dexteris manibus illigatos gestabant, acceptæ apud Nisibin memores cladis: & si ferociens animal vires exsuperasset regentis, ne reversum per suos, ut tunc acciderat, collisam sterneret plebem, vertebram (*m*), quæ caput à cervice disterminat, ictu maximo terebrabant. Exploratum est enim aliquando ab Hasdrubale Hannibalis fratre,

Persæ Romanos iter facientes adoriuntur.

Adaces interfectus.

Milites ignavi puniuntur.

Persarum milites describuntur.

(*h*) al. radiantes loricæ niveis limbis circumdatæ, ferrei & corusci. &c. (*i*) al. proferentem. (*k*) al. acutius. (*l*) al. repulissent. (*m*) al. venam.

tre, ita citius vitam hujusmodi adimi belluarum. Quibus non sine magno horrore perspectis, stipatus armatarum cohortium globis cum Primatibus fidentissimus Imperator, ut flagitabat major vis & atrocior, lunari acie sinuatisque lateribus occursuros hosti manipulos instruebat. Et ne sagittariorum procursus nostrorum cuneos disjectaret, illatis concitatius signis spiculorum impetum fregit: datoque ad decernendum sollemniter signo, densati Romani pedites confertas hostium frontes nisu protruserunt acerrimo. Et fervente certaminum mole, clypeorum sonitus, & virorum armorumque lugubre sibilantium fragor, nihil perpetiens jam remissum, campos cruore & corporum strage contexit, effusius cadentibus Persis: quibus sæpe languidis in conflictu, artius pes pede conlatus graviter obsistebat, pugnare fortiter eminus consuetis, & si inclinatas suorum copias senserint, cedendo in modum imbrium pone versus directis sagittis hostes à persequendi fiducia deterrere. Pulsis igitur pondere magnarum virium Parthis, miles Solis cursu flammeo diu laxatus, signo in receptum dato, in tentoria repedat (*n*), ad audendum deinceps majora sublatus. In hoc prælio Persarum major ut dictum est apparuit strages; nostrorum admodum levis. Eminuit tamen inter varios certaminum casus Vetranionis mors viri pugnacis, qui legionem Ziannorum regebat.

Persæ à Romanis repri-muntur.

CAP. II. Post quæ triduo induciis destinato, dum suo quisque vulneri medetur vel proximi, commeatibus nos destitutos inedia cruciabat jam non ferenda: & quoniam frugibus exustis & pabulis, homines in discrimen ultimum venerant & jumenta, ex eo cibo quem animalia Tribunorum vehebant & Comitum, imæ quoque militum plebi penitus indigenti pars distributa est magna. Et Imperator, cui non cupediæ ciborum ex regio more, sed sub columellis tabernaculi parvis cœnaturo, pultis portio parabatur (*o*) exigua, etiam munifici fastidienda gregario, quidquid ad ministeria postulabatur, per contubernia paupertina sui securus egessit. Ipse autem ad sollicitam suspensamque quietem paullisper protractus, cum somno (ut solebat) depulso, ad æmulationem Cæsaris Julii quædam sub pellibus scribens (*p*), obscuro (*q*) noctis altitudine sensus (*r*) cujusdam Philosophi teneretur, vidit squalidius, ut confessus est proximis, speciem illam Genii publici, quam cum ad Augustum surgeret culmen conspexit in Galliis, velata cum capite Cornucopia (*s*) per aulæa tristius discedentem. Et quamquam ad momentum hæsit stupore defixus, omni tamen superior metu, ventura decretis cœlestibus commendabat: relictoque humi strato cubili, adulta jam excitus nocte, & numinibus per sacra depulsoria supplicans, flagrantissimam facem cadenti similem visam, aëris parte sulcata evanuisse existamavit: horroreque perfusus est, ne ita aperte minax Martis apparuerit sidus. Erat enim nitor igneus iste, quem διαΐσσοντα nos appellamus, nec cadens umquam nec terram contingens. Corpora enim qui credit cœlitus posse labi, profanus merito judicatur & demens. Fit autem hic habitus modis compluribus, è quibus sufficiet pauca monstrare. Scintillas quidam putant ab ætherio cadentes vigore, parumque porrectius tendere sufficientes exstingui: vel certe radiorum flammas injectas nubibus densis acri scintillare contactu: (*t*) aut cum lumen aliquod cohæserit nubi. Id enim in stellæ speciem figuratum, decurrit quidem dum viribus ignium sustentatur: amplitudine vero spatiorum exinanitum, in aërium (*u*) solvitur corpus, ad substantiam migrans, cujus attritu incaluit nimio. Confestim itaque ante lucis primitias Etrusci Haruspices accersiti, consultique quid astri species portenderet nova, vitandum esse cautissime responderunt, ne quid tunc tentaretur: ex Tarquitianis libris, in titulo *De rebus divinis* id relatum esse monstrantes: quod face in cœlo visa committi prælium, vel simile quidquam non oportebit. Quo etiam id inter alia multa spernente, orabant Haruspices saltem aliquot horis profectionem differri: & ne hoc quidem sunt adepti, Imperatore omni vaticinandi scientiæ reluctante: sed exorto jam die, promota sunt castra.

Inopia frumenti & pabuli premitur exercitus.

Julianus terretur ostentis.

Signa cœlestia ignea unde figurentur.

CAP. III. Hinc nos egressos, Persæ cum sæpe afflicti peditum stabiles pugnas (*x*) horrerent, structis insidiis occulte comitabantur, altrinsecus viantes catervas à celsis collibus explorando: ut id suspicans miles adusque perpetuum diem nec vallum erigeret, nec sudibus se communiret. Dumque teguntur firmiter latera, & exercitus pro locorum situ quadratis quidem sed laxis incedit agminibus, invasa subito terga poneversus arma cogentium Principi indicatur, etiamtum inermi ad speculanda anteriora progresso. Qua concitus clade, oblitus loricæ, scuto inter tumultum arrepto, properans ultimis ferre suppetias, revocatur alio metu, qui etiam antesignanos unde discesserat, paria perpeti nuntiabat. Quæ dum sine respectu periculi sui redintegrare festinat, ex alia parte cataphractorum Parthicus globus centurias adoritur medias: ac sinistro cornu inclinato acriter superfusus, fœtorem stridoremque elephantorum impatienter tolerantibus nostris, contis & multiplicatis missilibus decernebat. Verum Principe volitante inter prima discrimina præliorum, exsilivit nostra succinctior armatura aversorumque Persarum & belluarum suffragines concidebat & dorsa. Quos cum Julianus cavendi immemor diffluxisse trepidos, elatis vociferando manibus aperte demonstrans, irasque sequentium excitans, ardenter effunderet semet in pugnam, clamabant hinc inde Candidati, quos disjecerat terror, ut fugientium molem, tamquam ruinam male compositi culminis declinaret (*y*): & incertum subita equestris hasta cute brachii ejus præstricta, costis perfossis hæsit in ima jecoris fibra. Quam dum avellere dextera manu conatur, acuto utrimque ferro digitorum nervos sensit excisos: & provolutus jumento, præsentiumque veloci con-

Julianus omissa lorica.

Temere se præliis inserit.

Hasta vulneratur. U. C. 1115. p. C. N. 363.

(*n*) al. repetit. (*o*) al. postulabatur. (*p*) al. scribentis. (*q*) al. obscuræ. (*r*) al. sententiis. (*s*) al. velato capite cum Cornucopia. (*t*) al. contractu. (*u*) al. in æstum. (*x*) al. stabilem pugnam. (*y*) al. declararet.

In castra refertur. concursu relatus in castra, medicinæ ministeriis fovebatur. Moxque ubi lenito paullisper dolore timere desiit, magno spiritu contra exitium certans, arma poscebat & equum: ut reviso prælio suorum fiduciam repararet, ac videretur sui securus alienæ salutis sollicitudine vehementer adstringi: eo vigore, licet in negotio dispari, quo Epaminondas ille Dux inclytus, letaliter apud Mantineam saucius & revectus ex acie, conquirebat sollicite scutum. Quod cum vidisset propius, lætior vi vulneris interiit: & qui animam intrepidus amittebat, jacturam clypei formidavit. Sed cum vires parum sufficerent voluntati, sanguinisque profluvio vexaretur, mansit immobilis: ideo spe deinceps vivendi absumpta, quod percunctando Phrygiam appellari locum ubi ceciderat comperit. Hic enim obiturum se præscripta audierat sorte. *Quo facto prælio acrius insistunt Romani.* Reducto ad tentoria Principe, incredibile dictu est quanto ardore miles ad vindictam ira & dolore ferventior involabat, hastas ad scuta concrepans; etiam mori si tulisset fors obstinatus. Et quamvis offundebatur oculis altitudo pulveris, & æstus calescens officeret alacritati membrorum; tamen velut exauctoratus amisso ductore, sine parcimonia ruebat in ferrum. Contra animosius Persæ sagittarum volantium crebritate conspectum sui (*z*) rapiebant oppositis: quos elephanti tardius præcedentes, magnitndine corporum cristarumque horrore pavorem jumentis incutiebant & viris. Concursus itaque armatorum, & cadentium gemitus, equorum flatus, tinnitus ferri procul audiebatur, quamdiu satietate vulnerum partibus fessis, nox diremit certamina jam tenebrosa. Quinquaginta tum Persarum Optimates & Satrapæ cum plebe maxima ceciderunt, inter has turbas Merena & Nohodare (*a*) potissimis ducibus interfectis. Obstupescat magniloquentia vetustatis diversis in locis prælia xx. Marcelli: Sicinium (*b*) Dentatum adjiciat, ornatum militarium multitudine coronarum: miretur super his Sergium, qui vicies & ter vulneratus est in variis pugnis, ut fertur: cujus posteritatis ultimus Catilina claras gloriarum adoreas sempiternis maculis obumbravit. Deformabat tamen tristitia lætiores eventus. Dum hæc post discessum Ducis ubique aguntur, exercitus cornu dextro defatigato, & Anatolio interfecto, qui tunc erat officiorum Magister: Sallustius Præfectus actus in exitium præceps, & opera sui Apparitoris ereptus, Sophorio amisso Consiliario qui ei aderat, casu evasit & fuga: quidamque milites per multa discrimina occupato castelli vicini præsidio, post diem denique tertium jungi exercitui potuerunt. Quæ dum ita aguntur, Julianus in tabernaculo jacens circumstantes allocutus est demissos & tristes: *Moriens circumstantes alloquitur.* *Advenit ô socii nunc abeundi tempus è vita impendio tempestivum, quam reposcenti naturæ ut debitor bonæ fidei redditurus exsulto: non ut quidam opinantur adflictus & mærens: Philosophorum sententia generali perdoctus, quantum corpore sit beatior animus, & contemplans quoties conditio melior à deteriore secernitur, lætandum esse potius quam dolendum. Illud quoque advertens, quod etiam Dei cælestes quibusdam piissimis mortem tamquam summum præmium persolverunt. Munus autem id mihi delatum optime scio, ne difficultatibus succumberem arduis: neve me projiciam umquam aut prosternam: expertus quod dolores omnes ut insultant ignavis, ita persistentibus cedunt. Nec me gestorum pœnitet, aut gravis flagitii recordatio stringit, vel cum in umbram & angulos amandarer, vel post principatum susceptum: quem tamquam à cognatione Cælitum defluentem, immaculatum (ut existimo) conservavi, & civilia moderatius regens, & examinatis rationibus bella inferens & repellens: tametsi prosperitas simul utilitasque consultorum non ubique concordent, quoniam cæptorum eventus superæ sibi vindicant potestates. Reputans autem justi esse finem imperii, obedientium commodum & salutem, ad tranquilliora semper ut nostis propensior fui, licentiam omnem actibus meis exterminans, rerum corruptricem & morum: gaudensque, adeo sciens (c), quod (d) ubicumque me velut imperiosa parens consideratis periculis objecit Respublica, steti fundatus, turbines calcare fortuitorum assuefactus. Nec fateri pudebit, interiturum me ferro dudum didici fide fatidica præcinente. Ideoque sempiternum veneror numen, quod non clandestinis insidiis, nec longa morborum asperitate, vel damnatorum (e) fine decedo: sed in medio cursu florentium gloriarum hunc merui clarum è mundo (f) digressum. Æquo enim judicio juxta timidus est & ignavus, qui cum non oportet, mori desiderat: & qui refugiat, cum sit opportunum. Hactenus loqui vigore virium labente sufficiat. Super Imperatore vero creando caute reticeo, ne per imprudentiam (g) dignum prætеream: aut nominatum quem habilem reor, antepositо forsitan alio in discrimen ultimum trudam. Ut alumnus autem Reipublicæ frugi, opto bonum post me reperiri rectorem.* Post hæc placidè dicta, familiares opes junctioribus velut supremo distribuens stilo (*h*) Anatolium quæsivit officiorum Magistrum: quem cum beatum fuisse Sallustius respondisset Præfectus, intellexit occisum: acriterque amici casum ingemuit, qui elate ante contempserat suum. Et flentes inter hæc omnes qui aderant, auctoritate integra etiam tum increpabat: *humile esse, cælo sideribusque conciliatum lugeri Principem* dicens. *Cum Philosophis super animorum sublimitate disputans.* Quibus ideo jam silentibus, ipse cum Maximo & Prisco Philosophis super animorum sublimitate perplexius disputans, hiante latius suffossi lateris vulnere, & spiritum tumore cohibente venarum, epota gelida aqua quam petiit, medio noctis horrore vita facilius est absolutus, anno ætatis altero & tricesimo: *Moritur. U.C. 1115. p. C.N. 363.* natus apud Constantinopolim: à pueritia usque parentis obitu destitutus Constantii, quem post fratris Constantini excussum inter complures alios turba consumpsit Imperii successorum, & Basilina matre, jam inde à majoribus nobili.

CAP. IV. *Juliani virtutes.* Vir profecto heroïcis connumerandus ingeniis, claritudine rerum & coalita majestate conspicuus. Cum enim sint, ut sapientes definiunt, virtutes quatuor præcipuæ, Tem-

(*z*) al. solis. (*a*) al. Novodare. (*b*) al. Siccium. (*c*) al. *nedum sciens.* (*d*) alii τὸ *quod* omittunt. (*e*) al. *delicatorum.* (*f*) al. *è medio.* (*g*) al. *impudentiam.* (*h*) al. studio.

Temperantia, Prudentia, Justitia, Fortitudo, eisque accidentes extrinsecus aliæ, scientia rei militaris, auctoritas, felicitas atque liberalitas: intento studio coluit omnes ut singulas. Et primum ita inviolata castitate enituit, ut post amissam conjugem nihil umquam venerium agitaret, illud advertens quod apud Platonem legitur, Sophoclem tragœdiarum scriptorem ætate grandævum interrogatum, ecquid adhuc feminis misceretur, negantem id adjecisse, quod gauderet harum rerum amorem, ut rabiosum quemdam effugisse dominum & crudelem. Item ut hoc propositum validius confirmaret, recolebat sæpe dictum lyrici Bacchylidis, quem legebat jucunde, id asserentem, quod ut egregius pictor vultum speciosum effingit, ita pudicitia celsius consurgentem vitam exornat. Quam labem in adulto robore juventutis ita caute vitavit, ut ne suspicione quidem tenus libidinis ullius vel citerioris (*i*) vitæ ministris incusaretur, ut sæpe contingit. Hoc autem temperantiæ genus crescebat in majus, juvante parcimonia ciborum & somni, quibus domi forisque tenacius utebatur. Namque in pace victus ejus mensura atque tenuitas erat recte noscentibus admiranda, velut ad pallium mox reversuri: per varios autem procinctus, stans interdum more militiæ cibum brevem vilemque sumere visebatur. Ubi vero exigua dormiendi quiete recreasset corpus laboribus induratum, expergefactus explorabat per semetipsum vigiliarum vices & stationum, post hæc serias ad artes confugiens doctrinarum. Et si nocturna lumina inter quæ lucubrabat, potuissent voces ullæ (*k*) testari, profecto ostenderant, inter hunc & quosdam Principes multum interesse, quem norant voluptatibus ne ad necessitatem quidem indulsisse naturæ. Dein prudentiæ ejus indicia fuere vel plurima, è quibus explicari sufficiet pauca. Armatæ rei scientissimus, & togatæ: civilitati admodum studens, tantum sibi arrogans, quantum à contemptu & insolentia distare existimabat: virtute senior quam ætate: studiosus cognitionum omnium, & indeclinabilis aliquoties judex: censor (*l*) moribus regendis acerrimus, placidus, opum contemptor, mortalia cuncta despiciens: postremo id prædicabat, *turpe esse sapienti, cum habeat animum, captare laudes ex corpore.* Quibus autem justitiæ inclaruit bonis, multa significant: primo, quod erat pro rerum & hominum distinctione sine crudelitate terribilis: deinde, quod paucorum discrimine vitia cohibebat: tum autem, quod minabatur ferro potius quam utebatur. Postremo, ut multa prætercam, constat eum in apertos aliquos inimicos insidiatores suos ita consurrexisse mitissime, ut pœnarum asperitatem genuina lenitudine castigaret. (*m*) Fortitudinem certaminum crebritas, usus bellorum ostendit, & patientia frigorum immanium, & fervoris quoque. Corporis munus à milite, ab Imperatore vero animi poscitur. Ipse trucem hostem ictu confecit audacter congressus, ac nostros cedentes objecto pectore suo aliquoties cohibuit solus: regnaque furentium Germanorum excidens, & in pulvere vaporato Persidis, augebat fiduciam militis dimicans inter primos. Castrensium negotiorum scientiam plura declarant & nota: civitatum oppugnationes & castellorum inter ipsos discriminum vertices, acies figura multiformi compositæ, salubriter & caute castra metata, prætenturæ stationesque agrariæ tutis (*n*) rationibus ordinatæ. Auctoritas adeo valuit, ut dilectius artissime dum timetur, ac si periculorum socius & laborum, & inter concertationes acerrimas animadverti juberet in desides; & Cæsar adhuc, sine stipendio regeret militem feris appositum gentibus, ut dudum est dictum; allocutusque tumentes armatos, discessurum ad vitam minaretur privatam, ni tumultuari desisterent. Denique id pro multis nosse sufficiet: exhortatum eum simplici (*o*) concione militem Gallicanum, pruinis adsuetum & Rheno, peragratis spatiis regionum extentis, per tepentem Assyriam adusque confinia traxisse Medorum. Felicitas ita eminuit, ut ipsis quodammodo cervicibus Fortunæ aliquamdiu bonæ gubernatricis evectus, victoriosis cursibus difficultates superstaret (*p*) immensas. Et postquam ex occidua plaga digressus est: quoad fuit in terris, quievere nationes omnes (*q*) immobiles, acsi quodam caduceo leniente mundano. Liberalitatis ejus testimonia plurima sunt & verissima: inter quæ, indicta sunt tributorum admodum levia, coronarium indultum, remissa debita multa diuturnitate congesta, æquata fisci jurgia cum privatis, vectigalia civitatibus restituta cum fundis, absque his, quos velut jure vendidere præteritæ potestates: quodque numquam augendæ pecuniæ cupidus fuit, quam cautius apud dominos servari existimabat, id aliquoties prædicans, *Alexandrum Magnum, ubi haberet thesauros interrogatum, apud amicos benivole respondisse.* Digestis bonis quæ scire potuimus, nunc ad explicanda ejus vitia veniamus, licet dicta sint carptim. Levioris (*r*) ingenii: Verum hoc instituto rectissimo temperabat, emendari se, cum deviaret à fruge bona, permittens. Linguæ fusioris & admodum raro silentis: præsagiorum sciscitationi nimiæ deditus, ut æquiparare videretur in hac parte Principem Hadrianum: superstitiosus magis quam sacrorum legitimus observator, innumeras sine parcimonia pecudes mactans: ut æstimaretur, si revertisset de Parthis, boves jam defuturos: Marci illius similis Cæsaris, in quem id accepimus dictum: οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι. Ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα. Vulgi plausibus lætus, laudum etiam ex minimis rebus intemperans appetitor, popularitatis cupiditate cum indignis loqui sæpe adfectans. Verumtamen cum hæc essent, æstimari poterat, ut ipse ajebat, vetus illa Justitia, quam offensam vitiis hominum Aratus extollit in cœlum, eo imperante redisse rursus ad terras, ni quædam ad arbitrium agens, interdum ostenderet se dissimilem sui. Namque & jura condidit non molesta, absolute quædam jubentia fieri vel arcentia,

Castitas.

Parcimonia ciborum & somni.

Prudentia in re militari & civili.

Justitia.

Indulgentia.

Fortitudo.

Auctoritas.

Felicitas.

Liberalitas.

Juliani vitia.

(*i*) al. secretiores. (*k*) al. voce ulla. (*l*) al. censoriis. (*m*) al. vestigaret. (*n*) al. totis. (*o*) al. supplici. (*p*) al. superaret. (*q*) alii τὸ omnes omittunt. (*r*) al. Lentiores.

tia, præter pauca. Inter quæ erat illud (s) inclemens, quod docere vetuit Magiſtros Rhetoricos & Grammaticos Chriſtianos, ni tranſiſſent ad numinum cultum. Illud quoque itidem parum ferendum, quod municipalium ordinum cœtibus patiebatur injuſte quosdam adnecti, vel peregrinos, vel ab iis conſortiis privilegiis aut origine longe diſcretos. Figura talis utique membrorum.

Juliani ſtatura. & forma.

Mediocris erat ſtaturæ, capillis tamquam pexiſſet mollibus, hirſuta barba in acutum deſinente veſtitus, venuſtate oculorum micantium flagrans, qui mentis ejus anguſtias indicabant, ſuperciliis decoris, & naſo rectiſſimo, ore paullo majore, labro inferiore demiſſo, opima & incurva cervice, humeris vaſtis & latis, ab ipſo capite uſque unguium ſummitates liniamentorum recta compage, unde viribus valebat & curſu. Et quoniam eum obtrectatores novos bellorum tumultus ad perniciem rei communis inſimulant concitaſſe: ſciant docente veritate perſpicue, non Julianum, ſed Conſtantium ardores Parthicos ſuccendiſſe, cum Metrodori mendaciis avidius acquieſcit, ut dudum retulimus plene. Unde cæſi ad internecionem exercitus noſtri, capti militares aliquoties numeri, urbes exciſæ, rapta munimenta vel diruta, provinciæ gravibus impenſis exhauſtæ: & ad effectum tendentibus minis cuncta petebantur à Perſis aduſque Bithynios & littora Propontidis. At in Galliis bellorum tenore gliſcente, diffuſis per noſtra Germanis, jamque Alpibus ad vaſtandam Italiam perrumpendis, multa & nefanda perpeſſis hominibus, nihil præter (t) lacrimas ſupererat & terrores: ubi & præteritorum recordatio erat acerba, & exſpectatio triſtior impendentium. Quæ omnia juvenis iſte ad occiduam plagam ſpecie Cæſaris miſſus, Regesque pro mancipiis agitans ignobilibus, cuncta pæne mira dictu celeritate correxit. Utque Orientem pari ſtudio recrearat, adortus eſt Perſas, triumphum exinde relaturus & cognomentum, ſi conſiliis ejus & factis illuſtribus decreta cœleſtia congruiſſent. Et cum ſciamus experimento, adeo quosdam ruere improvidos, ut bella interdum victi, & naufragi repetant maria, & ad difficultates redeant quibus ſuccubuere ſæpiſſime, ſunt qui reprehendant paria repetiſſe Principem ubique victorem.

CAP. V. Nec fuit poſt hæc lamentis aut fletibus locus. Corpore enim curato pro copia rerum & temporis, ut ubi olim ipſe ſtatuerat conderetur: principio lucis ſecutæ, quæ erat quintum Kal. Julias, hoſtibus ex omni latere circumfuſis, collecti Duces exercitus, advocatisque legionum principiis & turmarum,

Conſultatio de novo eligendo Imperatore.

ſuper creando Principe conſultabant. Diſciſſique ſtudiis turbulentis, Arinthæus, & Victor, & è palatio Conſtantii reſidui, de parte ſua quemdam habilem ſcrutabantur: contra Nevitta, & Dagalaïphus, proceresque Gallorum, virum talem ex commilitio ſuo quæritabant. Quæ dum ambiguntur, nulla variante ſententia, itum eſt voluntate omnium in Salluſtium: eoque cauſante morbos & ſenectutem, honoratior aliquis miles advertens deſtinatius reluctantem: *Et quid ageretis*, ait, *ſi illud bellum vobis curandum* (u) *commiſiſſet abſens, ut ſæpe factum eſt, Imperator? nonne poſthabitis ceteris militem inſtantibus ærumnis eriperetis? Id nunc agite: & ſi Meſopotamiam videre licuerit, utriusque exercitus conſociata ſuffragia legitimum Principem declarabunt.* Inter has exiguas ad tantam rem moras, nondum penſatis ſententiis, tumultuantibus paucis, ut in rebus extremis ſæpe eſt factum, Jovianus eligitur Imperator,

Jovianus, Primicerius Domeſticorum Protectorum, tumultuarie eligitur Imperator. U. C. 1115. p. C. N. 363.

Domeſticorum ordinis primus, paternis meritis mediocriter commendabilis. Erat enim Varroniani notiſſimi Comitis filius, haud dudum poſt depoſitum militiæ munus ad tranquilliora vitæ digreſſi. Et confeſtim indumentis circumdatus principalibus, ſubitoque productus è tabernaculo, per agmina jam diſcurrebat proficiſci parantia. Et quoniam acies aduſque lapidem quartum porrigebatur, anteſignani quosdam clamore Jovianum audientes Auguſtum, eadem multo magis ſonabant: gentilitate enim prope perciti nominis, quod una littera diſcernebat, Julianum recreatum arbitrati ſunt deduci magnis favoribus, ut ſolebat.

Jovianus ſtatura incurvus.

Verum cum incurvus ille viſus & longior adventaret, ſuſpicari quod acciderat, in lacrimas effuſi ſunt omnes & luctum. Quod ſi gravis quidam æquitatis ſpectator in ultimo rerum ſpiritu factum criminatur improvide: nauticos idem juſtius incuſabit, amiſſo perito navigandi magiſtro, ſævientibus flabris & mari, quod clavos regendæ navis cuilibet periculi ſocio commiſerunt. His ita cœco quodam judicio fortunæ peractis, Jovianorum ſignifer, quos Varronianus rexerat dudum, cum novo diſſidens Principe, etiam tum privato, ut patris ejus obtrectator immoderatus, periculum ex inimico metuens jam communia ſupergreſſo, diſceſſit ad Perſas: ac data dicendi copia quæ ſciret, docet Saporem jam propinquantem, exſtincto, quem verebatur, turbine concitato calonum ad umbram Imperii Jovianum adhuc Protectorem adſcitum, inertem quemdam & mollem.

Jovianus Perſas adoritur.

Hoc ille audito, quod ſemper trepidis votis expetebat, & inopina proſperitate elatus, multitudine ex regio equitatu adjuncta iis qui dimicavere nobiſcum, celeri diſpoſuit gradu agminis noſtri invadi terga poſtremi.

CAP. VI. Quæ dum ultro citroque ordinantur, hoſtiis pro Joviano extisque inſpectis pronuntiatum eſt, eum omnia perditurum, ſi intra vallum remanſiſſet ut cogitabat: ſuperiorem vero fore, profectum. Proinde egredi jam cœptantes adoriuntur nos elephantis præviis Perſæ: ad quorum fremitum inceſſumque terribilem equis inter initia turbatis, & viris, Joviani & Herculiani (x) occiſis belluis paucis, cataphractis equitibus acriter reſtiterunt. Deinde legiones Joviorum atque Victorum laborantibus ſuis ferentes auxilium, elephantos duos ſtraverunt cum hoſtium plebe non parva: & in lævo prælio viri periere fortiſſimi, Julianus,

(s) alii τὸ illud mittunt. (t) al. nihil multa . . . præter &c. (u) alii τὸ curandum omittunt. (x) al. Herculani.

lianus, & Macrobius, & Maximus legionum Tribuni, quæ tunc primas exercitus obtinebant. Hisque sepultis ut rerum angustiæ permiserunt: prope confinia noctis cum ad castellum Sumere nomine citis passibus tenderemus, jacens Anatolii corpus est agnitum, quod tumultuaria opera terræ mandatum est. Hic & milites sexaginta cum Palatinis recepimus, quos in munimentum Vaccatum confugisse retulimus. Secuto deinde die pro captu locorum reperta in valle castra ponuntur, velut murali ambitu circumclausa, præter unum exitum eumdemque patentem, undique in modum mucronum præacutus sudibus fixis. Hocque viso, è saltibus nos hostes diversitate telorum, ac verbis turpibus incessebant, ut perfios & lectissimi Principis peremptores: audierant enim ipsi quoque referentibus transfugis, rumore jactato incerto, Julianum telo cecidisse Romano. Ausi denique inter hæc equitum cunei, porta perrupta Prætoria, prope ipsum tabernaculum Principis advenire, occisis multis suorum & vulneratis, vi repulsi sunt magna. Egressi exinde, proxima nocte Charcham occupavimus locum: ideo tuti, quod riparum aggeribus humana manu destructis, ne Saraceni deinceps Assyriam persultarent, nostrorum agmina nullus ut ante vexabat. Cumque his Kal. Juliis stadiis xxx. confectis, civitatem nomine Duram adventaremus, fatigatis jumentis, vectores eorum novissimi pedibus incedentes, à Saracena multitudine circumsepti protinus interissent, ni expeditiores turmæ nostrorum opem laborantibus attulissent. Hos autem Saracenos ideo patiebamur infestos, quod salaria muneraque plurima à Juliano ad similitudinem præteriti temporis accipere vetiti, questique apud eum, solum audierant, Imperatorem bellicosum & vigilantem ferrum habere, non aurum. In hoc loco Persarum obstinatione tritum est quatriduum. Nam progredientes nos sequebantur crebris lacessitionibus retrahentes: cum staremus ut pugnaturi, gradum sensim referentes, moris diuturnis excruciabant. Jamque (ut solent extrema metuentibus etiam ficta placere) fama circumlata: fines haud procul limitum esse nostrorum, exercitus vociferans immodeste, dari sibi copiam transeundi Tigridis flagitabat. Quibus oppositus cum rectoribus Imperator, tumentemque jam canis exortu sideris amnem ostendens, ne se periculosis committerent gurgitibus exorabat: nandi imperitos adserens esse complures, simulque adjiciens, hostiles manus hinc inde margines superfusi fluminis occupasse. Sed cum hæc sæpe congeminando refrageretur incassum, milesque conclamans magno contentionis fragore minaretur extrema, id imperatur ægerrime, ut misti cum Arctois Sarmatis Galli (y) amnem primi omnium penetrarent: ut his magnitudine fluentorum abreptis, residuorum pertinacia frangerentur; aut si perfecissent innocui, transitus fidentior tentaretur. Electique sunt ad id negotium habiles, qui maxima præ ceteris flumina transmeare in regionibus genuinis à prima pueritia sunt instituti: & cum latendi copiam nocturna quies daret: tamquam è transenna simul emissi, spe citius ripas occupavere contrarias: Persarumque conculcatis pluribus & truncatis, quos loca servare dispositos securitas placido vinxerat somno, efficacis audaciæ signum elatis manibus contortisque sagulis ostendebant. Hoc longe conspecto, ardens ad transitum miles ea mora tantummodo tenebatur, quod utribus è cæsorum animalium coriis coagmentare pontes architecti promittebant.

Rumor Julianum telo Romano cecidisse.

Saraceni & Persæ.

Romanos regredientes ex Perside crebris præliis lacessunt.

Milites Romani Tigridem transire desiderant.

CAP. VII. Quæ dum vanis conatibus agitantur, Rex Sapor & procul absens, & cum prope venisset, exploratorum perfugarumque veris vocibus docebatur fortia facta nostrorum, fœdas suorum strages, & elephantos, quot numquam Rex ante meminerat, interfectos: exercitumque Romanum continuis laboribus induratum, post casum gloriosi rectoris non saluti suæ, ut memorabat, consulere, sed vindictæ, difficultatemque rerum instantium aut victoria summa, aut morte memorabili finiturum. Ob quæ reputabat multa & formidanda: diffusum abunde militem per provincias, levi tessera colligi posse: expertus & sciens populum suum post amissam maximam plebem ultimis terroribus deformatum: simul comperiens in Mesopotamia relictum haud multo minorem exercitum. Quæ super omnia hebetarunt ejus anxiam mentem uno parique natatu quingenti viri transgressi tumidum flumen incolumes, custodibusque confossis, reliquos consortes suos ad similem fiduciam concitantes. Hæc inter cum neque pontes compaginari paterentur undæ torrentes, & absumptis omnibus quæ mandi poterant utilibus, exacto miserabiliter biduo: furebat inedia iraque percitus miles, ferro properans, quam fame, ignavissimo genere mortis, absumi. Erat tamen pro nobis æternum Dei cœlestis numen: & Persæ præter sperata priores, super fundanda pace oratores Surenam & Optimatem alium mittunt, animos ipsi quoque despondentes, quos omnibus pæne præliis pars Romana superior gravius quassabat in dies. Conditiones autem ferebant difficiles & perplexas, fingentes humanorum respectu reliquias exercitus redire sinere clementissimum Regem, quæ jubet si impleverit cum primatibus Cæsar. Contra hos cum Sallustio Præfecto mittitur Arinthæus: & dum deliberatur examinatius quid fieri deberet, dies quatuor sunt evoluti inedia cruciabiles, & omni supplicio tristiores. Quo temporis spatio antequam hi mitterentur si abusus Princeps paullatim terris hostilibus excessisset, profecto venisset ad præsidia Corduenæ, uberis regionis & nostræ, ex eo loco in quo hæc agebantur, centesimo lapide disparatæ. Petebat autem Rex obstinatius, ut ipse ajebat, sua dudum à Maximiano erepta: ut docebat autem negotium, pro redemptione nostra, quinque regiones Transtigritanas: Arzanenam (z), & Moxoënam, & Zabdicenam, itidemque Rehimenam, & Corduenam, cum castellis

Romani transeunt Tigridem.

Fame & inopia suorum adductus Jovianus.

(y) al. extrema, edicit Imperator ut sistatur agmen, & assueti nare Galli &c. (z) al. Asarzanænam.

castellis quindecim, & Nisibin, & Singaram, & castra Maurorum, munimentum perquam opportunum. Et cum pugnari decies expediret, ne horum quidquam dederetur: adulatorum globus instabat timido Principi, Procopii metuendum subserens nomen: eumque adfirmans, nisi rediret, cognito Juliani interitu, cum intacto milite quem regebat, novas res nullo renitente facile moliturum. Hac perniciosa verborum ille adsiduitate nimia succensus, sine cunctatione tradidit omnia quæ petebantur: difficile hoc adeptus ut Nisibis & Singara sine incolis transirent in jura Persarum, à munimentis vero alienandis reverti ad nostra præsidia Romani (*a*) permitterentur. Quibus exitiale aliud accessit & impium, ne posthæc ita composita, Arsaci poscenti contra Persas ferretur auxilium, amico nobis semper & fido. Quod ratione gemina cogitatum est, ut puniretur homo, qui Chiliocomum mandatu (*b*) vastaverat Principis, & remaneret occasio, per quem subinde licenter invaderetur Armenia. Unde postea contigit, ut vivus caperetur idem Arsaces, & Armeniæ maximum latus Medis conterminans, & Artaxata inter dissensiones & turbamenta raperent Parthi. Quo ignobili decreto firmato, ne quid committeretur per inducias contrarium pactis, obsidatus specie viri celebres altrinsecus dantur, Remora, (*c*) & Victor ex parte nostrorum, & Bellovædius (*d*), insignium numerorum Tribuni: ex parte vero diversa Bineses è numero Nobilium Optimatum, tresque alii Satrapæ non obscuri. Fœderata itaque pace annorum triginta, eaque jurisjurandi religionibus consecrata, reversi itineribus aliis, quoniam loca contigua flumini ut confragosa vitabantur & aspera, potus inopia premebamur & cibi.

Pacem cum Sapore turpissimam facit. U. C. 1115. p. C. N. 363.

CAP. VIII. Et pax specie humanitatis indulta, in perniciem est versa multorum: qui fame adusque spiritum lacerati postremum, ideoque latenter progressi; aut imperitia nandi gurgite fluminis adhauriebantur (*e*): aut si undarum vi superata venirent ad ripas, à Saracenis vel Persis (quos, ut diximus paullo ante, exturbavere Germani) cædebantur ut pecora, vel longius amandati sunt venumdandi. Ubi vero transeundi amnis aperte signum dedere buccinæ concrepantes, immane quo quantoque ardore temere rapiendo momenta periculorum, semet quisque reliquis omnibus anteponens vitare multa & terribilia festinabat: & pars cratibus temere textis jumenta retinentes hinc inde natantia; alii supersidentes utribus, quidam diversa in necessitatis abrupto versantes, undarum occursantium fluctus obliquis meatibus penetrabant. Imperator ipse brevibus lembis, quos post exustem classem docuimus remansisse, cum paucis transvectus, eadem navigia ultro citroque discurrere statuit, dum omnes conveheremur. Tandemque universi præter mersos ad ulteriores venimus margines, favore superi numinis discrimine per difficiles casus extracti. Dum nos pendentium ærumnarum opprimit timor, compertum est procursatorum indicio, Persas pontem jungere procul è nostro conspectu, ut post firmatam pacem & fœdera sopitis belli turbinibus, incuriosius gradientes ægros, & animalia peterent diu defatigata: verum cum se proditos advertissent, à conatu nefario destiterunt. Hac etiam suspitione jam liberi, properantesque itineribus magnis, prope Hatram venimus, vetus oppidum in media solitudine positum, olimque desertum: quod diruendum adorti temporibus variis Trajanus & Severus Principes bellicosi, cum exercitibus pæne deleti sunt, ut in eorum actibus has quoque digessimus partes. Unde cognito per porrectam planitiem adusque lapidem septuagesimum in regionibus aridis nec aquam invenire posse præter salsam & fœtidam, nec ad victum aliquid nisi abrotonum (*f*) & absinthium, & dracontium, aliaque herbarum genera tristissima: vasa quæ portabantur, aquis impleta sunt dulcibus: & mactatis camelis jumentisque aliis, alimenta quæsita sunt licet noxia. Et via sex dierum emensa, cum ne gramina quidem invenirentur, solatia necessitatis extremæ: Dux Mesopotamiæ Cassianus, & Tribunus Mauricius pridem ob hoc missus, ad Ur nomine Persicum venere castellum, cibos ferentes ex his, quos relictus cum Procopio & Sebastiano exercitus parcius victitans conservarat. Hinc Procopius alter Notarius, & Memoridus militaris Tribunus, ad tractus Illyricos mittuntur & Galliarum, nuntiaturi Juliani mortem, & Jovianum post ejus obitum ad culmen augustum evectum. Quibus mandaverat Princeps, ut Lucillianum socerum suum, post depositum militiæ munus digressum ad otium, morantemque eo tempore apud Sirmium, oblatis magisterii equitum & peditum codicillis, quos iisdem tradiderat, properare Mediolanum urgerent, res firmaturum ancipites: & quod magis metuebatur, si casus novi quidam exsurgerent, opponendum. Quibus secretiores addiderat litteras, Lucillianum itidem monens, ut quosdam lectos exploratæ industriæ fideique duceret secum: adminiculis eorum usurus pro incidentium captu negotiorum. Prudentique consilio Malarichum ex familiaribus negotiis agentem etiam tum in Italia, missis insignibus Jovino (*g*) jussit succedere armorum Magistro per Gallias, gemina utilitate præspeculata: ut & Dux meriti celsioris, ideoque suspectus abiret è medio; & homo inferioris spei ad sublimiora provectus, auctoris sui nutantem adhuc statum studio fundaret ingenti. Jussum est autem ad implenda hæc perrecturis, extollere seriem gestorum in melius, & rumores quaqua irent verbis diffundere (*h*), concinentibus (*i*) procinctum Parthicum exitu prospero terminatum: additisque festinando itineri noctibus, provinciarum militiæque rctoribus insinuare novi Principis scripta, omniumque sententiis occultius sciscitatis remeare velociter cum responsis, ut

Universus exercitus Romanorum Tigridem transit.

Jovianus res Illyrici atque Galliarum utcumque ordinat.

(*a*) al. Romana. (*b*) al. mandato. (*c*) al. Nevitta. (*d*) al. Mellobaudes. (*e*) al. absorbebantur. (*f*) al. abrotanum. (*g*) al. Joviano. (*h*) al. quaqua irent breves diffundere. (*i*) al. concinentes.

ut comperto quid in longinquis agatur, principatus corroborandi (*k*) matura consilia quærantur & cauta. Hos tabellarios fama prægrediens, index tristiorum casuum velocissima (*l*), per provincias volitabat & gentes; maximeque omnium Nisibenos acerbo dolore perculsit, cum urbem Sapori deditam comperissent: cujus iram metuebant & simultates, recolentes quæ adsidue pertulerit funera, eam sæpius oppugnare conatus. Constabat enim orbem Eoum in ditionem potuisse transire Persidis, nisi hæc civitas habili situ & mœnium magnitudine restitisset. Miseri tamen licet majore venturi pavore constringerentur, spe tamen sustentari potuerunt exigua: hac scilicet, velut suopte motu, vel exoratus eorum precibus Imperator, eodem statu retinebit urbem, Orientis firmissimum claustrum. Dum gestorum seriem ubique rumores diffunditant varii, in exercitu absumptis commeatibus paucis quos advectos prædiximus, in corpora sua necessitas erat humana vertenda, ni jumentorum caro cæsorum aliquatenus perdurasset: unde effectum est, ut & armorum pleraque projicerentur & sarcinarum. Adeo enim atroci tabuimus fame, ut si usquam modius unus farinæ fuisset repertus, (quod raro contigerat) aureis decem mutaretur ut minus. Profecti exinde Thilsaphata venimus, ubi Sebastianus atque Procopius cum Tribunis Principiisque militum sibi ad tuendam Mesopotamiam commissorum, ut poscebat sollemnitas, occurrerunt: & sequebantur benigne suscepti. Post quæ itinere festinato, Nisibi cupide visa, extra urbem stativa castra posuit Princeps: rogatusque enixe precante multiplici plebe, ut ingressus, Palatio more succederet Principum; pertinaciter reluctatus est, erubescens agente se intra muros, urbem inexpugnabilem iratis hostibus tradi. Ibi tunc vespera tenebrante, raptus à cœna Jovianus, primus, inter Notarios omnes, quem in obsidione civitatis Majozamalchæ per cuniculum docuimus evasisse cum aliis, ductusque ad devium locum, & præceps actus in puteum siccum obrutus est saxorum multitudine superjecta: hanc profecto ob causam, quod Juliano perempto, ipse quoque nominatus à paucis ut imperio dignus, nec post creatum Jovianum egit modeste: sed susurrans super negotio quædam audiebatur, invitabatque ad convivia subinde militares.

Nisibe claustrum Orientis.

Fame laborat Romanorum exercitus.

Jovianus notarius saxis obruitur.

CAP. IX. Postridie Bineses unus ex Persis, quem inter alios excellere diximus, mandata Regis complere festinans, promissa flagitabant instanter: & Principe permittente Romano civitatem ingressus, gentis suæ signum ab arce extulit, submigrationem (*m*) è patria civibus nuntians luctuosam. Et vertere solum ex templo omnes præcepti, manus tendentes orabant, ne imponeretur sibi necessitas abscedendi, ad defendendos penates se solos sufficere sine alimentis publicis adfirmantes & milite, satis confisi adfuturam justitiam pro genitali sede dimicaturis, ut experti sunt sæpe. Et hæc quidem suppliciter ordo & populus precabatur: sed ventis loquebantur incassum, Imperatore, ut fingebat alia metuens, perjurii piacula declinante. Tum Sabinus fortuna & genere inter municipes clarus, ore volubili replicabat, Constantium immani crudescente bellorum materia superatum à Persis interdum, deductumque postremo per fugam cum paucis ad Hibitam stationem intutam, panis frusto vixisse precario, ab anu quadam agresti porrecto, nihil tamen ad diem perdidisse supremum: & Jovianum inter exordia principatus provinciarum muro cessisse, cujus obice jam inde à vetustate innoxiæ permanserunt. Cumque nihil promoveretur, jurisjurandi religionem Principe destinatius prætendente: cum oblatam ei coronam aliquamdiu recusans, coactus denique suscepisset, Silvanus quidam causarum defensor confidentius exclamavit, (*n*) *Ita*, inquit, *Imperator à civitatibus residuis coroneris.* Quo verbo exasperatus, intra triduum omnes jussit excedere mœnibus, detestantes rerum præsentium statum. Appositis itaque compulsoribus mortem si qui distulerint egredi minitantibus, mœnia permista sunt lamentis & luctu: & per omnia civitatis membra una vox cunctorum erat gementium, cum laceraret crines matrona exsul fuganda laribus, in quibus nata erat & educata: orbataque mater liberis vel conjuge viduata, procul ab eorum Manibus pelleretur: & turba flebilis postes penatium amplexa vel limina lacrimabat. Exin variæ complentur viæ, qua quisque poterat dilabentium. Properando enim multi furabantur opes proprias, quas vehi posse credebant, contempta reliqua supellectili pretiosa & multa: hanc enim reliquerunt penuria jumentorum. Tu hoc loco Fortuna orbis Romani merito incusaris, quæ difflantibus procellis Rempublicam excussa regimenta perito rei gerendæ ductori, consummando juveni porrexisti: quem nullis anteactæ vitæ insignibus in hujusmodi negotiis cognitum, nec vituperari est æquum nec laudari. Illud tamen ad medullas usque bonorum pervenit: quod dum extimescit æmulum potestatis, dumque in animo per Gallias & Illyricum versat, quosdam sæpe sublimiora cœptasse, famam adventus sui prævenire festinans, indignum imperio facinus amictu perjurii fugiendi commisit, Nisibi prodita: quæ jam inde à Mithridatici regni temporibus, ne Oriens à Persis occuparetur, viribus restitit maximis. Numquam enim ab Urbis ortu inveniri potest annalibus replicatis, ut arbitror, terrarum pars ulla nostrarum ab Imperatore vel Consule hosti concessa: sed ne ob recepta quidem quæ direpta sunt, verum ob amplificata regna triumphalis gloria fuisse delata. Unde P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, Fulvio Capua post diuturna certamina superata, & Opimio post diversos exitus præliorum, Fregellanis tunc internecivis hostibus ad deditionem compulsis, triumphi sunt denegati. Id etiam memoriæ nos veteres docent, in extremis casibus icta cum dedecore fœdera, postquam partes verbis juravere conceptis, repetitione bellorum ilico dissoluta: ut temporibus priscis apud Furcas Cau-

Bineses Nobilis Persa Nisibin à Joviano nomine Saporis recipit.

Jovianus à Nisibenis coronatur. U. C. 1115. P. C. N. 363.

Oppidani inviti patria excedere compulsi.

(*k*) al. roborandi. (*l*) al. velocissime. (*m*) al. commigrationem. (*n*) al. exclamans.

Caudinas ſub jugum legionibus miſſis in Samnio, & per Albinum in Numidia ſceleſte pace cogitata, & auctore turpiter pactionis feſtinatæ Mancino dedito Numantinis. Proinde extractis civibus, & urbe tradita, miſſoque Tribuno Conſtantio, qui munimenta præſidiaria cum regionibus, Perſicis Optimatibus adſignaret: cum Juliani ſupremis Procopius mittitur, ea, ut ſuperſtes ille mandarat, humaturus in ſuburbano Tarſenſi. Qui ad exſequendum profectus, confeſtim corpore ſepulto diſceſſit, nec inveniri uſquam potuit ſtudio quæſitus ingenti, niſi quod multo poſtea apud Conſtantinopolim viſus eſt ſubito purpuratus.

Juliani ſuprema in ſuburbano Tarſenſi ſepeliuntur.

CAP. X. His hoc modo peractis, diſcurſiſque itineribus, Antiochiam venimus, ubi per continuos dies velut offenſo numine multa viſebantur & dira: quorum eventus fore luctificos, gnari rerum prodigialium præcinebant. Nam & Maximiani ſtatua Cæſaris quæ locata eſt in veſtibulo regiæ, amiſit repente ſphæram æream, formatam in ſpeciem poli, quam geſtabat: & cum horrendo ſtridore ſonuerunt in conſiſtorio trabes: & viſa ſunt interdiu ſidera cometarum, ſuper quorum natura ratiocinantes phyſici variant. Quidam enim eos hoc nomine ideo exiſtimant appellari, quod tortos ignes ſpargunt ut crines, in unum ſtellis multiplicibus congregatis. Alii eos arbitrantur ex halitu ſicciore terrarum igneſcere, paullatim in ſublimiora ſurgente. (o) Quidam currentes radios Solis, denſiore nube objecta digredi ad inferiora prohibitos, ſplendore infuſo corpori craſſo, lucem velut ſtellis diſtinctam mortali conſpectu monſtrare. Sedit quorundam opinioni, hanc ſpeciem tunc apparere, cum erecta (p) ſolito celſius nubes æternorum ignium vicinitate colluceat: vel certe ſtellas eſſe quaſdam ceteris ſimiles, quarum ortus obituſque quibus ſint temporibus præſtituti, humanis mentibus ignorari. Plura alia de cometis apud peritos mundanæ rationis ſunt lecta: quæ digerere nunc vetat alio rſum oratio properans. Moratum paulliſper Antiochiæ Principem, curarumque ponderibus diverſis adflictum, exeundi mira cupiditas agitabat: proinde nec jumento parcens nec militi: flagrante hieme inde profectus, ſignis ut dictum eſt vetantibus plurimis, Tarſum urbem Cilicum nobilem introiit, cujus originem docuimus ſupra. Exindeque egredi nimium properans, exornari ſepulcrum ſtatuit Juliani, in pomœrio ſitum itineris, quod ad Tauri montis anguſtias ducit: cujus ſuprema & cineres, ſi qui tunc juſte conſuleret, non Cydnus videre deberet, quamvis gratiſſimus amnis & liquidus: ſed ad perpetuandam gloriam recte factorum præterlambere (q) Tiberis interſecans Urbem æternam, Divorumque veterum monumenta præſtringens. Deinde Tarſo profectus, extentis itineribus venit oppidum Cappadociæ Tyana: ubi ei reverſi Procopius Notarius & Memoridus Tribunus occurrunt, geſtorumque aperiunt textum, hinc ut ordo poſcebat exorſi, quod Lucillianus Mediolanum ingreſſus cum Seniaucho & Valentiniano Tribunis quos duxerat ſecum, cognito quod Malarichus recuſavit ſuſcipere magiſterium, effuſo curſu petierat Remos. Et tamquam in alto gentis ſilentio, extra calcem ut dicitur procurrebat: & intempeſtive parum etiam tum firmatis omnibus ex-Actuario ratiociniis ſcrutandis incubuit: qui fraudum conſcius & noxarum, ad militaria ſigna confugit: finxitque Juliano ſuperſtite in res novas quemdam medium ſurrexiſſe: cujus fallaciis turbo militaris acerrime concitus Lucillianum & Seniauchum occidit. Valentinianum enim paullo poſtea Principem, trepidum & quo confugeret ambigentem, Primitivus hoſpes tutius amandarat. His ita triſtibus lætum aliud addebatur, miſſos à Jovino milites adventare, quos Capita ſcholarum ordo caſtrenſis appellat, nuntiantes æquo animo Joviani imperium amplecti exercitum Gallicanum. Quibus compertis, Valentiniano qui cum iiſdem redierat, regenda Scutariorum ſecunda committitur ſchola, & Vitalianus Domeſticorum conſortio jungitur, Herulorum è numero miles, qui multo poſtea auctus Comitis didignitate male rem per Illyricum geſſit: confeſtimque mittitur in Gallias Arinthæus, ferens litteras ad Jovinum, ut conſtanter ageret ſuum obtinens locum: eique mandatum eſt, ut animadverteretur in concitorem tumultus, auctoreſque ſeditionis ad comitatum vincti tranſmitterentur. Poſt quæ ut videbantur expedire diſpoſita, apud Aſpuna Galatiæ municipium breve Gallicani milites viſi Principi, ingreſſique Conſiſtorium, poſt audita gratanter quæ pertulerant, munerati redire jubentur ad ſigna. Et cum introiſſet Ancyram Imperator, paratis ad pompam pro tempore neceſſariis, Conſulatum iniit adhibito in ſocietatem trabeæ Varroniano filio ſuo admodum parvulo: cujus vagitus, pertinaciter reluctantis (r) ne in curuli ſella veheretur ex more, id quod mox accidit portendebat. Hinc quoque Jovianum celeri gradu præſcriptus vitæ finiendæ dies exegit. Cum enim veniſſet Dadaſtanam, qui locus Bithyniam diſtinguit & Galatas, exanimatus inventus eſt nocte: ſuper cujus obitu dubietates (s) emerſere complures. Fertur enim recenti calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequiviſſe, vel extuberato capite periſſe ſuccenſione prunarum immenſa, aut certe ex colluvione ciborum avida cruditate diſtentus. Deceſſit autem anno triceſimo ætatis & tertio. Cumque huic & Æmiliano Scipioni vitæ exitus ſimilis eveniſſe, ſuper neutrius morte quæſtionem comperimus agitatam. Incedebat autem motu corporis gravi, vultu lætiſſimo, oculis cæſiis, vaſta proceritate & ardua, adeo ut diu nullum indumentum regium ad menſuram ejus aptum inveniretur. Et æmulari malebat Conſtantium, agens ſeria quædam aliquoties poſt meridiem: jocarique palam cum proximis adſuetus. Chriſtianæ legis idem ſtudioſus, & nonnumquam honorificus, mediocriter eruditus, magiſque benivolus, & perpenſius, ut appa-

Omina dira varia.

De Cometis Phyſicorum opiniones.

Jovianus Tarſum venit.

Hinc Tyanam.

Gallicanus exercitus Jovianum Imperatorem agnoſcit.

Jovianus Ancyræ cum Varroniano filio ſuo Conſulatum init.

Jovianus Dadaſtanæ repentina morte fungitur. U.C. 1115. p. C. N. 363.

Joviani forma & mores.

Virtutes ejus.

(o) al. ſurgentes. (p) al. tracta. (q) al. præterlamberetur. (r) al. reluctans. (s) al. dubitationes.

Et vitia.

Varroniani somnium de Joviano filio.

apparebat ex paucis quos promoverat, judices electurus: edax tamen, & vino venerique indulgens: quæ vitia imperiali verecundia forsitan correxisset. Dicebatur autem Varronianus pater ejus monitu cujusdam somnii dudum præscisse quod evenit, idque duobus amicis commisisse fidissimis, illo adjecto, quod ipsi quoque deferretur trabea Consularis. Sed impetrato uno, adipisci non potuit aliud. Audita enim filii celsiore fortuna, antequam eum videret, fatali præventus est morte. Et quia huic nomini amplissimum magistratum portendi, per quietem prædictum est seni: Varronianus nepos ejus infans etiam tum, cum Joviano patre declaratus est, ut supra retulimus, Consul.

Explicit Liber XXV.



Zzz AMMIA-



M. Rößler sc. Nbg.

AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XXVI.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

DICTIS impensiore cura rerum ordinibus adusque memoriæ confinia propioris, convenerat jam referre à notioribus pedem, ut & pericula declinentur veritati sæpe contigua, & examinatores contexendi operis deinde non perferamus intempestivos, strepentes ut læsos, si præteritum sit quod locutus est Imperator in cœna, vel omissum quam ob causam gregarii milites coërciti sunt apud signa, & quod non decuerat in descriptione multiplici regionum, super exiguis silere castellis: quodque cunctorum nomina, qui ad Urbani Prætoris officium convenere, non sunt expressa: & similia plurima præceptis historiæ dissonantia, discurrere per negotiorum celsitudines adsuetæ, non humilium minutias indagare causarum: quas si scitari voluerit quispiam, individua illa corpuscula volitantia per inane, atomos ut nos appellamus, numerari posse sperabit. Hæc quidam veterum formidantes, cognitiones actuum variorum stilis uberibus explicatas non edidere superstites, ut in quadam ad Cornelium Nepotem epistola Tullius quoque testis reverendus adfirmat. Proinde inscitia vulgari contempta, ad residua narranda pergamus. Hac volubilium casuum diritate exitu luctuoso finita, obituque intervallato brevi tempore Principum, corpore curato defuncti, missoque Constantinopolim ut inter Augustorum reliquias conderetur, progresso Nicæam versus exercitu, quæ in Bithynia mater est urbium, potestatum civilium militiæque rectores magnitudine curarum adstricti communium, interque eos quidam spe vana sufflati, moderatorem quæritabant diu exploratum & gravem. Et rumore tenus obscuris paucorum susurris nomen præstringebatur Equitii, scholæ primæ Scutariorum etiamtum Tribuni: qum cum potiorum auctoritate displicuisset, ut asper & subagrestis; translata est suffragatio levis in Januarium Joviani adfinem, curantem summitatem necessitatum castrensium per Illyricum. Quo itidem spreto, quia procul jacebat: ut aptus ad id quod quærebatur atque conveniens, Valentinianus nulla discordante sententia, numinis adspiratione cœlestis electus est: agens scholam Scutariorum secundam, relictusque apud Ancyram, postea secuturus, ut ordinatum est. Et quia nullo renitente hoc è Republica videbatur, missis qui eum venire ocius admonerent, diebus decem nullus Imperii tenuit gubernacula: quod tunc evenisse, extis Romæ inspectis haruspex edixerat Marcus. Inter hæc tamen ne quid novaretur contrarium placitis, neve armatorum mobilitas sæpe versabilis in præsentium quemdam inclinaret arbitrium, attente providebat Equitius, & cum eo Leo, adhuc sub Dagalaipho Magistro equitum rationes numerorum militarium tractans, exitialis postea Magister Officiorum, exer-

Historia non per minutias est extendenda.

Joviani reliquiæ Constantinopoli conduntur.

Deliberatio de novo eligendo Imperatore.

Valentinianus Nicææ absens Imperator creatur. U. C. 1116, p. C. N. 364.

Equitius ne seditiones oriantur cavet.

exercitus universi judicium, quantum facere nitique poterant, ut Pannonii fautoresque Principis designati firmantes. Qui cum venisset accitus, implendique negotii præsagiis, ut opinari dabatur, vel somniorum adsiduitate, nec videri die secundo, nec prodire in medium voluit, bissextum vitans Februarii mensis tunc illucescens, quod aliquoties rei Romanæ fuisse dignorat (*t*) infaustum: cujus notitiam certam designabo.

Bissexti Populo Romano infausti ratio.

Spatium anni vertentis id esse periti mundani motus & siderum definiunt veteres, inter quos Menon (*u*), & Euctemon, & Hipparchus, & Archimedes excellunt, cum Sol perenni rerum sublimium lege polo percurso signifero, quem Zodiacum sermo Græcus appellat, trecentis & sexaginta quinque diebus emensis & noctibus, ad eumdem redierit cardinem: ut verbo tenus, si à secunda particula (*x*) elatus arietis, ad eam dimensione redierit terminata. Sed anni intervallum verissimum memoratis diebus & horis sex adusque meridiem concluditur plenam (*y*): annique sequentis erit post horam sextam initium porrectum ad vesperam. Tertius à prima vigilia sumens exordium, ad horam noctis extenditur sextam. Quartus à medio noctis adusque claram trahitur lucem. Ne igitur hæc computatio variantibus annorum principiis, & quodam post horam sextam diei, alio post sextam excursa nocturnam, scientiam omnem squalida diversitate confundat, & autumnalis mensis inveniatur quandoque vernalis: placuit senas illas horas, quæ quadriennio viginti colliguntur atque quatuor, in unius diei noctisque adjectæ transire mensuram. Hocque alte considerato, eruditis concinentibus multis effectum est, ut ad unum distinctumque exitum circumversio cursus annui (*z*) revoluta, nec vaga sit nec incerta, nulloque errore deinceps obumbrata ratio cœlestis appareat, & menses tempora retineant præstituta. Hæc nondum extentis fusius regnis, diu ignoravere Romani, perque sæcula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant, cum in Sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi: qui licenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum subtrahebant tempora vel augebant. Hocque ex cœpto emerserunt alia plurima quæ fallebant, quorum meminisse nunc supervacuum puto. Quibus abolitis, Octavianus Augustus Græcos secutus, hanc inconstantiam correcta turbatione composuit, spatiis duodecim mensium & sex horarum magna deliberatione collectis: per quæ duodecim siderum domicilia Sol discurrens motibus sempiternis, anni totius intervalla concludit. Quam rationem bissexti probatam, etiam victura cum sæculis Roma adjumento numinis divini fundavit. Proinde pergamus ad reliqua.

CAP. II. Elapso die parum apto ad inchoandas rerum magnitudines, ut quidam existimant, propinquante jam vespera monitu Præfecti Sallustii sub exitii denunciatione statutum est prompta consensione cunctorum, ne potioris quisquam auctoritatis, vel suspectus altiora conari, procederet postridie mane. Cumque multorum tædio, quos votorum inanitas cruciabat, tandem finita nocte lux advenisset: in unum quæsito milite omni, progressus Valentinianus in campum, permissusque tribunal ascendere celsius structum, comitiorum specie, voluntate præsentium secundissima, ut vir serius, rector pronuntiatur Imperii.

Valentinianus cum Nicæam venisset, iterum eligitur Imperator.

Mox principali habitu circumdatus & corona, Augustusque nuncupatus cum laudibus amplis, quos novitatis potuit excitare dulcedo, præmeditata dicere jam parabat.

Purpura & diademate ornatur.

Et Augustus nuncupatur.

Eoque ut expeditius loqueretur brachium exertante, obmurmuratio gravis exoritur, concrepantibus centuriis & manipulis, cohortiumque omnium plebe urgentium destinate, confestim Imperatorem alterum declarari. Quod licet nonnulli existimarunt paucis corruptis ad gratiam fieri despectorum: ex eo tamen id frustra creditum videbatur, quod non emercati sed consoni totius multitudinis paria volentis clamores audiebantur, documento recenti fragilitatem pertimescentis sublimium fortunarum. Dein ex susurris immaniter strepentis exercitus cieri tumultus violentior apparebat, & confidentia militis erumpentis interdum ad perniciosa facinora timebatur. Quod Valentinianus magis præ cunctis ne fieret extimescens, elata prospere dextera vi Principis fiducia pleni (*a*), ausus increpare quosdam ut seditiosos & pertinaces, cogitata nullis interpellantibus absolvebat. *Exsulto, provinciarum fortissimi defensores, & præ me fero, semperque laturus sum, nec speranti, nec appetenti moderamina orbis Romani mihi, ut potissimo omnium, vestras detulisse virtutes. Quod erat igitur in manu positum vestra, nondum electo Imperii formatore, utiliter & gloriose complestis, adscito in honorum verticem eo, quem ab ineunte adolescentia ad hanc usque ætatis maturitatem splendide integreque vixisse experiundo cognoscitis. Proinde pacatis auribus accipite quæso simplicioribus verbis, quod conducere arbitror in commune. Adhiberi oportere in omnes casus socia potestate collegam, contemplatione poscente multiplici nec ambigo, nec repugno, curarum acervos & mutationes varias accidentium ipse quoque ut homo formidans: sed studendum est concordiæ viribus totis, per quam res quoque minimæ convalescunt: quod impetrabitur facile, si patientia vestra cum æquitate consentiens, id mihi quod mearum est partium concesserit libens. Dabit enim (ut spero) fortuna consiliorum adjutrix bonorum, quantum efficere & consequi possum diligenter scrutantibus temperatum.* (*b*) *Ut enim sapientes definiunt, non modo in imperio, ubi pericula maxima sunt & creberrima, verum etiam in privatis quotidianisque rationibus, alienum ad amicitiam, cum judicaverit quisquam prudens, adjungere sibi debebit, non cum adjunxerit, judicare. Hæc cum spe lætiorum polliceor: vos firmitatem factorum retinentes & fidem, dum hiberna patitur quies, animorum reparate vigorem atque membrorum,* ob

Milites alloquitur.

(*t*) al. cognorat. (*u*) al. Memon. al. Meton. (*x*) alii τὸ particula omittunt. (*y*) al. plenum. (*z*) al. anni. (*a*) al. dextera, ut Princeps fiducia plenus. (*b*) al. *diligenter scrutanti temperamentum.*

ob nuncupationem Augustam debita protinus accepturi. Finita oratione, quam auctoritas erexerat inopina, flexit Imperator in suam sententiam universos: consiliique ejus viam secuti qui paullo ante flagrantissimis vocibus aliud postulabant, circumseptum aquilis & vexillis, agminibusque diversorum ordinum ambitiose stipatum, jamque terribilem duxerunt in regiam.

Valentinianus consortem Imperii eligere parat. U.C. 1116. p. C. N. 364.

CAP. III. Dum hæc in Oriente volubiles fatorum explicant sortes, Apronianus regens Urbem æternam, judex integer & severus, inter curarum præcipua, quibus hæc Præfectura sæpe sollicitatur, id primum opera curabat enixa, ut veneficos qui tunc rarescebant, captos, postque agitatas quæstiones nocuisse quibusdam apertissime confutatos, indicatis conscciis morte multaret, atque ita paucorum discrimine reliquos si qui laterent formidine parium exturbaret. Hæc egisse ideo efficaciter fertur, quod Juliani promotus arbitrio agentis etiam tum per Syrias, in itinere unum amiserat oculum: suspicatusque artibus se nefariis appetitum, justo qnidem sed inusitato dolore hæc & alia magna quæritabat industria. Unde quibusdam atrox visus est, in amphitheatrali curriculo (*c*) undatim coëunte aliquot es plebe, causas dispiciens criminum maximorum. Denique post hujusmodi vindicata complura, Hilarinum (*d*) aurigam convictum atque confessum, vixdum pubescentem filium suum venefico tradidisse, docendum secretiora quædam legibus interdicta, ut nullo conscio adminiculis juvaretur internis, capitali animadversione damnavit: qui laxius retinente carnifice, subito lapsus confugit ad ritus Christiani sacrarium, abstractusque exinde illico abscissa cervice consumptus est. Verum hæc similiaque tum etiam ut coërcenda mox cavebantur, & nulli vel admodum pauci, in his versati flagitiis, vigori publico insultarunt: sed tempore secuto, longæva impunitas nutrivit immania, usque eo grassante licentia, ut imitatus Hilarinum (*e*) quidam Senator, servumque suum modo non per syngrapham arcanis piacularibus inducendum commisisse doctori malarum artium confutatus, supplicium redimeret opima mercede, ut crebrior fama vulgarat. Isque ipse hoc genere quo jactum est absolutus, cum vitæ pudere deberet & culpæ, non abolendæ incubuit maculæ: sed tamquam inter multos probrosos solus vacuus ab omni delicto, equo phalerato insidens discurrensque per silices, multa post se nunc (*f*) usque trahit agmina servulorum, per novum quoddam insigne curiosius spectari adfectans: ut Duillium accepimus veterem, post gloriosa illa navalis rei certamina id sibi sumpsisse, ut tibicine lenius præcinente rediret ad sua post cœnam. Sub hoc tamen Aproniano ita jugiter copia necessariorum exuberavit, ut nulla saltem levia murmura super inopia victui congruentium orirentur: quod assidue Romæ contingit.

Apronianus rector Urbis Romæ.

In veneficos inquirit.

CAP. IV. At in Bithynia Valentinianus Princeps (ut prædiximus) declaratus, dato in perendinum diem signo proficiscendi, convocatis Primoribus, quasi tota consilia quam (*g*) sibi placentia secuturus, percunctabatur quemnam ad Imperii consortium oporteret adsumi: silentibusque cunctis, Dagalaïphus tunc equestris militiæ rector respondit fidentius: *Si tuos*, inquit, *amas*, *Imperator optime*, *habes fratrem; si Rempublicam*, *quære quem vestias.* (*h*) Quo dicto asperatus ille, sed tacitus & occultans quæ cogitabat, Nicomediam itineribns citus ingressus Kal. Martiis, Valentem fratrem stabulo suo cum Tribunatus dignitate præfecit. Indeque cum venisset Constinopolim, multa secum ipse divolvens, & magnitudine urgentium (*i*) negotiorum jam se superari (*k*) considerans: nihil morandum ratus, quintum (*l*) Kal. Aprilis productum eumdem Valentem in suburbanum, universorum sententiis concinentibus (nec enim audebat quisquam refragari) Augustum pronunciavit: decoreque Imperatorii cultus ornatum, & tempora diademate redimitum in eodem vehiculo secum reduxit: participem quidem legitimum potestatis, sed in modum Apparitoris morigerum, ut progrediens aperiet textus. Quibus ita nullo interturbante perfectis, constricti rapidis febribus Imperatores ambo diu, spe vivendi firmata, ut erant in inquirendis gnaviores quàm in componendis, suspectas morborum causas investigandas acerrimè Ursacio Officiorum Magistro Delmatæ crudo, & Juventio Sisciano Quæstori tunc commiserunt: ut loquebatur pertinax rumor, invidiam cientes Juliani memoriæ Principis, amicisque ejus, tamquam clandestinis præstigiis læsi. Sed hoc evanuit facile, ne verbo quidem tenus insidiarum indicio ullo reperto. Hoc tempore velut per universum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes sævissimæ limites sibi proximos persultabant. Gallias Rhætiasque simul Alemanni populabantur; Sarmatæ Pannonias & Quadi; Picti, Saxonesque & Scotti, & Atacotti (*m*) Britannos ærumnis vexavere continuis; Austoriani Mauricæque aliæ gentes Africam solito acrius incursabant; Thracias & diripiebant prædatorii globi Gothorum. Persarum Rex manus Armeniis injectabat, eos ad suam ditionem ex integro vocare vi nimia properans, sed injuste, causando quod post Joviani excessum cum quo fœdera firmarat & pacem, nihil obstare debebit (*n*) quo minus ea recuperaret, quæ antea ad majores suos pertinuisse monstrabat.

Dagalaïphi ad Valentinianum liberius dictum.

Valentinianus Valentem fratrem suum Tribunum stabuli.

Mox consentiente exercitu consortem Imperii constituit.

Ambo Imperatores in febrem incidunt.

Gentes variæ tumultuantur.

CAP. V. Acta igitur tranquillius hieme, concordissimi Principes, unus nuncupatione prælatus, alter honore specie tenus adjunctus, percursis Thraciis Næssum advenerunt: ubi in suburbano (*o*), quod appellatum Mediana à civitate tertio lapide disparatur, quasi mox separandi, partiti sunt Comites. Et Valentiniano quidem, cujus arbitrio res gerebatur, Jovinus evenit, dudum promotus à Julianó per Gallias Magister armorum, & Dagalaïphus, quem militiæ rectorem provexerat Jovianus: in

Imperatores ambo Comites & militares numeros inter se partiuntur.

(*c*) al. circulo. (*d*) al. Hilarium. (*e*) al. Hilarium. (*f*) al. unicus. (*g*) al. tamquam. (*h*) al. *vestigas.* (*i*) al. urgenti. (*k*) al. parare. (*l*) alii τὸ quintum omittunt. (*m*) al. Attacitti. (*n*) al. debeat. (*o*) al. suburbio.

in Orientem vero secuturus Valentem ordinatus est Victor, ipse quoque judicio Principis antedicti provectus, cui junctus est Arinthæus. Lupicinus enim pridem (*p*) à Joviano pari modo promotus Magister equitum, partes tuebatur Eoas. Tunc & Æquitius Illyriciano præponitur exercitui, nondum Magister, sed Comes: & Serenianus olim sacramento digressus, recinctus est ut Pannonius, sociatusque Valenti Domesticorum præfuit scholæ. Quibus ita digestis, & militares partiti numeri. Et post hæc cum ambo fratres Sirmium introissent, diviso palatio, ut potiori decuerat, Valentinianus Mediolanum, Constantinopolim Valens discessit. Et Orientem quidem regebat potestate Præfecti Sallustius; Italiam vero cum Africa & Illyrico Mamertinus, & Gallias provincias Germanianus. (*q*) Agentes igitur in memoratis urbibus Principes, sumpserunt primitus trabeas Consulares: omnisque hic annus dispendiis gravibus rem Romanam afflixit. Alemanni enim perrupere Germaniæ limites, hac ex causa solito infestius moti. Cum legatis eorum missis ad comitatum certa & præstituta ex more munera præberi deberent, minora & vilia (*r*) sunt attributa: quæ illi suscepta, furenter agentes, ut indignissima projecere. Tractatique asperiùs ab Ursacio tunc Magistro Officiorum, iracundo quodam & sævo, regressi factumque exaggerantes, ut contumeliose despectas gentes immanissimas concitarunt. Et circa id tempus, aut non multo posterius, in Oriente Procopius in res surrexerat novas: quæ prope Kal. Novembris venturo Valentiniano Parisios, eodemque nuntiata sunt die. Et Alemannis quidem occursurum Dagalaïphum pergere mature præcepit: qui vastitatis propinquioribus locis longius discesserant incruenti. Super appetitu vero Procopii antequam adolesceret reprimendo, curis diducebatur (*s*) ambiguis, ea potissimum ratione sollicitus, quod ignorabat, utrum Valente superstite an exstincto memoratus (*t*) Imperium adfectarat. Æquitius enim relatione Antonii Tribuni accepta, agentis (*u*) in Dacia mediterranea militem, qui nihil præter negotium ipsum auditum obscure significabat: ipse quoque nondum liquida fide comperta, simplicibus verbis Principem gestorum conscium fecit. His cognitis Valentinianus eodem Æquitio aucto Magisterii dignitate, repedare ad Illyricum destinabat, ne persultatis Thraciis perduellis jam formidatus invaderet hostili excursu Pannonias. Documento enim recenti impendio terrebatur, reputans paullo ante Julianum, contempto Imperatore bellorum civilium ubique victore, nec speratum ante nec exspectatum, ab urbe in urbem credibili velocitate transisse. Verum ardens ad redeundum ejus impetus molliebatur consiliis proximorum, suadentium (*x*) & orantium, ne interneciva minantibus barbaris exponeret Gallias, neve hac causatione provincias desereret egentes adminiculis magnis: (*y*) iisque legationes urbium accessere nobilium, precantes ne in rebus duris & dubiis impropugnatas eas relinqueret, quas præsens eripere poterit discriminibus maximis, metu ambitiosi nominis sui Germanis incusso. Tandem denique utilitate rei perpensius excogitata, in multorum sententias flexus, replicabat aliquoties, hostem suum fratrisque solius esse Procopium; Alemannos vero totius orbis Romani: statuitque nusquam interim extra confinia moveri Gallorum. Et adusque Remos progressus, sollicitusque super Africa ne repente perrumperetur, Neotherium (*z*) postea Consulem tunc Notarium, ad eamdem tuendam ire disposuit, & Masaucionem Domesticum Protectorem ea consideratione, quod diu sub patre Cretione quondam Comite educatus, suspecta noverat loca; hisque & Scutarium adjunxit Gaudentium, olim sibi cognitum & fidelem. Quia igitur uno eodemque tempore utrobique turbines exarsere mœstissimi, competenti loco singula digeremus, nunc partem in Oriente gestorum, deinde bella barbarica narraturi: quoniam pleraque & in Occidentali & in Eoo orbe iisdem mensibus sunt excitata: ne dum ex loco subinde saltuatim redire festinamus in locum, omnia confundentes, squaliditate maxima rerum ordines implicemus.

Post Valentinianus Mediolani, Valens Constantinopoli Consulatum ineunt. U.C. 1117. P.C.N. 365.

Alemannorum motuum causa.

Procopius in Oriente res novas molitur.

Æquitius Illyriciano exercitui præponitur.

Procopius hostis Imperatorum, Alemanni totius orbis Romani.

CAP. VI. Insigni genere Procopius in Cilicia natus & educatus, ea consideratione qua propinquitate Julianum postea Principem contingebat, à primo gradu eluxit: & ut vita moribusque castigatior, licet occultus erat & taciturnus, Notarius diu perspicaciter militans & Tribunus, jamque Summatibus proximus: post Constantii obitum in rerum conversione velut Imperatoris cognatus altius anhelabat, adjunctus (*a*) consortio Comitum: & apparebat eum, si umquam potuisset, fore quietis publicæ turbatorem. Hunc Julianus Persidem ingrediens, consociato pari potestatis jure Sebastiano, in Mesopotamia cum manu militum reliquerat valida: mandaratque, ut susurravit obscurior fama, (nemo enim dicti auctor extitit verus) pro cognitorum ageret textu, & si subsidia rei Romanæ languisse sensisset, Imperatorem ipse se provideret ocius nuncupari. Qui injuncta civiliter agens & caute, Juliani letaliter vulnerati funus, & ad regenda communia comperit Jovianum evectum: falsoque rumore disperso, inter abeuntis anhelitus animæ eumdem Julianum vero (*b*) mandasse, placere sibi, Procopio clavos summæ rei gerendæ committi: veritus ne hac ex causa indemnatus occideretur, è medio se conspectu discrevit, maxime post Joviani territus necem Notariorum omnium primi, quem Juliano perempto veluti dignum Imperio paucis militibus nominatum, novaque exinde cœptare suspectum, cruciabiliter didicerat interfectum. Et quia se quæri industria didicerat magna, vitans gravioris invidiæ pondus, ad abdita longiusque remota discessit. Cumque à Joviano exploratius indagari latibula sua sentiret, & ferinæ vitæ jam fuisset pertæsum: (quippe à cel-

Procopii patria & genus.

Mores.

Dignitates.

(*p*) al. pridie. (*q*) al. Germanus. (*r*) al. viliora. (*s*) al. diducebantur. (*t*) al. memoratum. (*u*) al. regentis. (*x*) al. valentium. (*y*) al. adminiculis ejus. (*z*) al. Vulterium. (*a*) al. admixtus. (*b*) alii τὸ vero omittunt.

celſiore ſtatu dejectus ad inferiora, etiam edendi penuria in locis ſqualentibus ſtringebatur, hominumque egebat colloquiis) poſtremæ neceſſitatis impulſu deviis itineribus ad Chalcedonos (*c*) agrum pervenit. Ubi, quoniam & (*d*) illud firmius viſum eſt receptaculum, apud fidiſſimum amicorum deliteſcebat

Strategius Procopium occultat.

Strategium quemdam ex Palatino milite Senatorem, Conſtantinopolim quantum fieri poterat clanculo ſæpe intermeans: ut indicio ejuſdem Strategii patuit, poſtquam ſæpius in factionis conſcios eſt inquiſitum. Ritu itaque ſollertiſſimi cujuſdam ſpeculatoris, ignotus ob ſqualorem vultus (*e*) & maciem rumuſculos colligebat tunc crebreſcentes, ut ſunt acerba ſemper inſtantia, incuſantium multorum Valentem, quaſi cupiditate aliena rapiendi ſuccenſum. Cujus diritati adjectum erat incentivum exitiale ſocer Petronius, ex Præpoſito

Petronii Patricii vitia.

Martenſium militum promotus repentino ſaltu Patricius, animo deformis & habitu: qui ad nudandos ſine diſcretione cunctos immaniter flagrans, nocentes pariter & inſontes (*f*) poſt exquiſita tormenta quadrupli (*g*) nexibus vinciebat, debita jam inde à temporibus Principis Aureliani perſcrutans, & impendio mœrens, ſi quemquam abſolviſſet indemnem. Cujus morum intolerantiæ hæc quoque pernicies accedebat, quod cum ditaretur luctibus alienis erat inexorabilis & crudelis, & in rabido corde duriſſimus, nec reddendæ nec accipiendæ rationis umquam capax: inviſior Cleandro, quem agentem ſub Imperatore Commodo Præfecturam, ſublata vecordia diverſas legimus vexaſſe fortunas: & oneroſior Plautiano, qui Præfectus itidem ſub Severo, ultra mortale tumens cuncta confuderat, ni gladio periſſet ultore. Hæc lacrimoſa, quæ incitante Petronio ſub Valente clauſere multas paupertinas & nobiles domos, impendentiumque ſpes atrocior, provincialium & militum paria gementium ſenſibus imis hærebant: & votis licet obſcuris & tacitis permutatio ſtatus præſentis ope numinis ſummi, concordi gemitu poſcebatur. Quæ Procopius latenter accipiens, arbitratuſque ubi felicius acciderit fatum, negotio levi ad apicem ſummæ poteſtatis aſſumi, ſubſidebat ut prædatrix beſtia, viſo quod capi poterat protinus eruptura. Cui hæc quæ maturabat ardenti, fors hanc materiam dedit impendio tempeſtivam. Conſumpta hieme

Valens in Syriam tendit.

feſtinans ad Syriam Valens, jamque fines (*h*) Bithynorum ingreſſus, docetur relationibus ducum, gentem Gothorum ea tempeſtate intactam ideoque (*i*) ſæviſſimam, conſpirantem in unum ad pervadendenda parari collimitia Thraciarum: hocque cognito, ut impræpedito ipſe pergeret quo tendebat, ſufficiens equitum adjumentum & peditum mitti juſſit ad loca, in quibus barbarici timebantur excurſus. Dimoto itaque longius Principe, Procopius ærumnis diuturnis attritus, & vel atrocem mortem clementiorem ratus malis quibus afflictabatur, aleam periculorum omnium jecit abrupte: extremaque jam perpeti nequaquam timens, præeunte perdita ratione facinus adoritur audaciſſimum, Devitenſes Tungritanoſque juniores ad procinctum urgentem per Thracias inter alios celerare diſpoſitos & Conſtantinopoli moraturos ſollemniter biduum, per quoſdam ex iiſdem numeris notos ſollicitare properans: quia cum omnibus loqui periculoſum erat & arduum, fidem paucorum elegit. Qui pellecti ſpe præmiorum ingentium, ſub conſecratione jurisjurandi promiſere ſe quæ vellet cuncta facturos: favorem quoque polliciti conturmalium, inter quos ipſi potiorem locum obtinebant in ſuadendo, ſtipendiis excellentes & meritis. Utque condictum eſt, ubi excanduit radiis dies, idem Procopius diductus in cogitationes varias, Anaſtaſianas balneas petit, à ſorore Conſtantini cognominatas, ubi locata noverat ſigna: doctuſque per arcanorum conſcios omnes in ejus ſtudium conſenſiſſe ſocietate coïta nocturna, fide ſalutis data libenter

Procopius qua ratione Conſtantinopoli Imperator fit appellatus. U.C. 1117, p. C.N. 365.

admiſſus, conſtipatione vendibilium militum cum honore quidem ſed in modum tenebatur obſeſſi: qui ut Prætoriani quondam poſt Pertinacis necem licitantem Imperii præmia Julianum ſuſceperant, ipſi quoque Procopium infauſti dominatus exordia molientem, attenti ad omne compendium defenderunt. Stetit itaque ſubtabidus, (excitum putares ab inferis) nuſquam reperto paludamento, tunica auro diſtincta ut regius miniſter indutus, à calce in pubem in pædagogiani pueri ſpeciem, purpureis opertus tegminibus pedum: haſtatuſque purpureum itidem pannulum læva manu geſtabat, ut in theatrali ſcena ſimulacrum quoddam inſigne per aulæum vel mimicam cavillationem ſubito putares emerſum. Ad hoc igitur dehoneſtamentum honorum omnium ludibrioſe ſublatus, & ancillari adulatione beneficii allocutus auctores, opeſque pollicitus amplas & dignitates ob principatus primitias, proceſſit in publicum multitudine ſtipatus armorum: ſigniſque ſublatis erectius ire pergebat, circumclauſus horrendo fragore ſcutorum lugubre concrepantium, quæ metuentes ne à celſioribus tectis ſaxis vel tegularum fragmentis conflictarentur, denſius ipſis galearum criſtis aptabant. Huic intimidius (*k*) incedenti nec reſiſtebat populus, nec favebat: accendebatur tamen inſita pleriſque vulgarium novitatis repentina jucunditate, ea re potius incitante, quod Petronium ut prædiximus divitias violenter augentem, omnes eadem mente deteſtabantur, qui ſepulta jamdudum negotia, & redivivas tabulas (*l*) debitorum in diverſos ordines excitabat. Cum itaque Tribunal idem adſcendiſſet Procopius, & cunctis ſtupore defixis timeretur ſilentium triſte: procliviorem viam ad mortem (ut ſperabat) exiſtimans adveniſſe, per artus tremore diffuſo implicatior ad loquendum, diu tacitus ſtetit: pauca tamen interrupta & moribunda voce dicere jam exorſus, quibus ſtirpis propinquitatem imperatoriæ prætendebat, leni paucorum ſuſurro pretio illectorum, deinde tumultuariis ſucclamationibus plebis Imperator appellatus inconditè, petit

(*c*) al. Chalcedonium. (*d*) alii τὸ & omittunt. (*e*) al. ignotus vultu ob ſqualorem &c. (*f*) al. ſontes. (*g*) al. quadruplicibus. (*h*) al. jam fines. (*i*) al. eamdemque. (*k*) al. timidius. (*l*) al. nebulas.

petit Curiam raptim. Ubi nullo Clarissimorum, sed ignobili paucitate inventa, Palatium pessimo pede festinatis passibus introiit. Mirantur quidam profecto irrisione digna principia, incaute cœpta & temere, ad ingemiscendas erupisse Reipublicæ clades, ignari forsan exemplorum, hæc accidisse primitus arbitrantes. Sic Adramyttenus Andriscus degener quidam infimæ sortis, adusque Pseudophilippi nomen evectus (*m*), bellis Macedonicis tertium addidit grave. Sic Antiochiæ Macrino Imperatore agente, ab Emesa Heliogabalus exivit Antoninus. Ita inopino impetu Maximini Alexander cum Mamæa matre confossus est. In Africa superior Gordianus in imperium raptus, adventantium periculorum angoribus implicatus, vitam laqueo spiritu intercluso profudit.

Pseudophilippus.

Heliogabalus.

CAP. VII. Igitur cupediarum vilium mercatores, & qui intra regiam apparebant, aut parere desierant, quique cœtu militarium nexi ad pacatiora jam vitæ discesserunt, in insoliti casus ambigua partim inviti, alii volentes adsciscebantur: nonnulli omnia tutiora præsentibus rati, è civitate occulte dilapsi, Imperatoris castra petivere itineribus festinatis. Hos omnes Sophronius vivacissimo cursu prægressus, tunc Notarius, Præfectus postea Constantinopoleos, Valentem à Cæsarea Cappadocum jam profecturum, ut vaporatis æstibus Ciliciæ jam lenitis ad Antiochiæ percurreret sedes: textu narrato gestorum, spe dubia in talibus percitum & stupentem, avertit Galatiam, res adhuc trepidas arrepturum. Qui dum itineribus properat magnis, attentissima cura Procopius in dies agitabat & noctes, subditivos quosdam ostentans, qui astutia confidenti partim ab Oriente, alii è Galliis se venisse, & Valentinianum obiisse fingentes, cuncta patere novo & favorabili Principi memorabant. Et quia res novæ petulanter arreptæ celeritate muniri solent interdum, ne quid formidandum omitteretur, cum festinatione. (*n*) Nebridius in locum Sallustii Præfectus Prætorio factione Petronii recens promotus, & Cæsarius Constantinopolitanæ urbis Præfectus in vincula compinguntur: & jubetur civitatem curare solita potestate Phronemius, esseque Magister Officiorum Euphrasius, ambo Galli institutis bonarum artium spectatissimi: & administratio negotiorum castrensium Gomoario & Agiloni revocatis in sacramentum committitur inconsulte, ut docuit rerum exitus proditor. Quia igitur Julius Comes per Thracias copiis militaribus præsidens, oppressurus rebelles si comperisset conata, ex propinquis stationibus timebatur, commentum excogitatum est validum: & quasi jussu Valentis seria super barbaricis motibus tractaturus, Nebridii litteris adhuc clausi violenter expressis accitus Constantinopolim, strictius tenebatur. Hacque callida fraude bellatrices Thraciæ gentes sine cruore acquisitæ, adminicula ausis tumultuariis maxima compararunt. Post quæ ita eventu latiore completa, Araxius exambita regia Prætorio Præfectus accessit, velut Agilone genero suffragante: aliique plures ad aulæ varios actus & administrandas provincias sunt admissi, quidam inviti, alii ultro semet offerentes cum præmiis. Utque in certaminibus intestinis usu venire contingit, emergebant ex vulgari fæce nonnulli, desperatione consiliisque ductantibus cœcis: contraque quidam orti splendide, à culminibus summis adusque mortes & exsilia corruebant. Ubi per hæc & similia factio firmiter videbatur esse composita, restabat ut abundans cogeretur militum manus: & impetratum est facile, id quod in publicis turbamentis aliquoties ausa ingentia, vel justis exorsa primordiis impedivit. Transeuntes ad expeditionem per Thracias concitatæ equitum peditumque turmæ, blandeque acceptæ & liberaliter cum essent, omnesque in unum sitæ, jamque exercitus species appareret: promissis uberrimis inhiantes, sub exsecrationibus diris in verba juravere Procopii: hanc polliciti pertinaciam, quod eum suis armis defensabunt. Inventa est enim occasio ad alliciendos eos perquam opportuna: quod Constantii filiam parvulam, cujus recordatio colebatur, sinu ipse circumferens, necessitudinem prætendebat & Juliani. Adeptusque est aliud tempori congruum: quod Faustina matre puellæ casu præsente, quædam acceperat habitus insignia principalis. Adjungit his aliud veloci diligentia maturandum: & electi quidam stoliditate præcipites ad capessendum Illyricum missi sunt, nullo præter petulantiam adjumento confisi, aureos scilicet nummos effigiatos in vultum novi Principis, aliaque ad illecebras aptantes: quos correptos Æquitius per eas regiones militum rector exstinxit genere diverso pœnarum. Pariaque deinde metuens, obstruxit tres aditus angustissimos, per quos provinciæ tentantur Arctoæ, unum per ripensem Daciam, alterum per Succos notissimum, tertium per Macedonas, quem appellant Acontisma. Hacque cautela, vana persuasione rapiendi Illyrici destitutus usurpator indebitæ potestatis, magna perdidit instrumenta bellorum. Dum hæc ita aguntur, atrocitate nuntii Valens perculsus, jamque revertens per Gallo-Græciam, auditis apud Constantinopolim gestis, diffidenter incedebat & trepide: ac repentino pavore vias providendi turbante, eousque desponderat animum, ut augustos amictus abjicere tamquam gravem sarcinam cogitaret: fecissetque profecto, ni vetantibus proximis detractus à deformi proposito, firmatusque meliorum sententiis, agmina duo præire (*o*) jussisset, quibus nomina sunt Jovii atque Victores, castra perduellium irrupturos. His jam propinquantibus, ipse Procopius à Nicæa regressus quo nuper advenerat, cum Divitensibus desertorumque plebe promiscua, quam dierum brevi spatio (*p*) congregarat, Mygdum acceleravit: qui locus Sangario adluitur flumine. Ubi cum legiones jam pugnaturæ congrederentur, inter reciprocantes missilia quasi procursatione hostem lacessens, solus prorupit in medium. Et secundioris ductu fortunæ ex contraria

Sophronius Notarius Valentem de rebus Constantinopoli gestis certiorem reddit.

Procopius Valentiniani mortem falso dissеminat.

Procopius Thracias sine sanguine in suam potestatem redigit.

Equites peditesque per Thraciam iter facientes, promissis in verba sua adigit.

Valentis motus.

Procopius Jovios & Victores, à Valente adversus se missos, sibi oratione jungit.

(*m*) al. erectus. (*n*) al. confestim. (*o*) al. præcedere. (*p*) al. quam dierum fere sex spatio.

contraria acie velut agnitum quemdam Vitalianum, quem ſi norat ambigitur, Latine ſalute data plande produxit: eumque porrecta dextera ſuaviatus, omnibus hincinde attonitis, *En*, inquit, *cana Romanorum exercituum fides, & religionibus* (*q*) *firmis juramenta conſtricta! Placet, fortiſſimi viri, pro ignotis tot ſuorum conſurrexiſſe mucrones: utque Pannonius degener labefactans cuncta & proterens, Imperio quod ne votis quidem concipere auſus eſt umquam, potiatur, ingemiſcere nos veſtris noſtriſque vulneribus. Quin potius ſequimini culminis ſummi proſapiam, non (ut rapiat aliena, ſed in integrum majeſtatis avitæ) reſtituatur, arma juſtiſſima commoventem.* Hac ſermonis placiditate molliti omnes, qui acriter venerant pugnaturi, ſignorum apicibus aquiliſque ſummiſſis deſcivere libentes ad eum: & pro terrifico fremitu quem barbari dicunt barritum, nuncupatum Imperatorem ſtipatumque de more, conſentientes in unum reduxerunt ad caſtra, teſtati more militiæ Jovem, invictum Procopium fore.

A quibus Imperator nuncupatur.

CAP. VIII. Huic perduellium proſperitati lætior acceſſit. Rumitalca enim Tribunus in ſocietatem Procopianorum adſcitus, & ſuſcepta cura Palatii, digeſto mature conſilio permiſtoque cum militibus, mari ad Drepanum antea, nunc Helenopolim venit, exindeque Nicæam ſpe celerius occupavit. Ad quam obſidendam cum hujusmodi pugnarum peritis Vadomario miſſo ex Duce & Rege Alemannorum, Valens Nicomediam pergit. Exindeque (*r*) profectus, oppugnationi Calcedonis magnis viribus inſiſtebat: cujus è muris probra in eum jaciebantur, & injurioſe compellabatur ut Sabajarius. Eſt autem Sabaja ex ordeo vel frumento in liquorem converſis paupertinus in Illyrico potus. Feſſus denique inopia commeatuum, & obſtinatione nimia defenſorum, diſcedere jam parabat: cum inter hæc clauſi apud Nicæam, patefactis ſubito portis egreſſi, munitorum magna parte proſtrata, ductore fidentiſſimo Rumitalca properabant ardenter, circumventuri Valentem à tergo, nondum à Chalcedonos ſuburbano digreſſum: & patraſſent conata, ni rumore quodam præverſo imminens exitium ille perdoctus, inſtantem veſtigiis hoſtem per Sunonenſem lacum & fluminis Galli ſinuoſos amfractus propere diſcedendo fruſtra ſequentem luſiſſet. Et hoc caſu Bithynia quoque in Procopii ditionem redacta eſt. Unde cum Ancyram Valens citis itineribus revertiſſet, comperiſſetque Lupicinum ab Oriente cum catervis adventare non contemnendis: ſpe proſperorum erectior, Arinthæum lectiſſimum Ducem occurſurum hoſtibus miſit. Qui ubi Dadaſtanam tetigit, in qua ſtatione periſſe diximus Jovianum, Hyperechium ſibi oppoſitum repente vidit cum copiis, antehac Caſtrenſis (*s*) Apparitorem, cui ut amico Procopius auxilia ductanda commiſit. Et dedignatus hominem ſuperare certamine deſpicabilem, auctoritatis & celſi fiducia corporis, ipſis hoſtibus juſſit ſuum vincire rectorem: atque ita turmarum anteſignanus umbratilis comprenſus (*t*) ſuorum manibus. Quæ dum hoc modo procedunt, Venuſtus quidam Largitionum Apparitor ſub Valente, multo ante Nicomediam miſſus, ut aurum ſuſceptum ſtipendii nomine militibus per Orientem diffuſis viritim tribueret, hac triſtitia cognita alienum pervidens tempus, Cyzicum cum iis quæ ſuſceperat ſe citius contulit. Ubi forte Serenianus repertus Domeſticorum tunc Comes, miſſus ad theſauros tuendos, urbem inexſuperabili mœnium ambitu monumentis quoque veteribus cognitam, fretus tumultuario præſidio cuſtodiebat: ad quam expugnandam Procopius ut poſſeſſa Bithynia ſibi etiam Helleſpontum jungeret, validam deſtinaverat manum. Morabantur autem effectum ſagittis & glandibus ceteriſque jaculis obſidentium ſæpe globi confixi: & propugnatorum ſollertia clauſtrum per catenam ferream valde robuſtam ori portus inſertum, quæ ne roſtratæ irruerent naves hoſtiles, erat altrinſecus colligata. Hanc poſt varios militum labores & ducum, fatigatorum acerrimis præliis, Aliſo quidam Tribunus abſcidit, exſertus bellator & prudens, hoc modo. Conjunctis tribus navigiis, teſtudinem hac ſpecie ſuperſtruxit. Denſatis cohærentes ſupra capita ſcutis, primi tranſtris inſtabant armati, alii poſt hos ſemet curvantes humilius, tertiis gradatim inclinatis ſubmiſſe, ita ut noviſſimi ſuffraginibus inſidentes formam ædificii fornicati monſtrarent. Quod machinæ genus contra murales pugnas ideo figuratur hac ſpecie, ut miſſilium ictus atque ſaxorum per decurſus cadentium labiles, inſtar imbrium evaneſcant. Itaque conjectu telorum Aliſo paulliſper defenſus ingenti corporis robore, ſuppoſito ſtipite eamdem catenam fortius bipenni concidens ita confregit, ut disjecta patefaceret aditum latum: hocque exitu civitas hoſtili impetu patuit improtecta. Qua cauſa exſtincto poſtea proterviæ totius auctore, cum in factionis participes ſæviretur: hic idem Tribunus contemplatione facinoris clari vitam cum militia retinens, diu poſt in Iſauria oppetiit vaſtatoria manu confoſſus. Hoc marte Cyzico reſerata, Procopius ad eam propere feſtinavit: veniaque univerſis qui repugnavere donatis, Serenianum ſolum injectis vinculis juſſit duci Nicæam ſervandum artiſſime. Statimque Hormiſdæ maturo juveni, Hormiſdæ Regalis illius filio poteſtatem Proconſulis detulit, & civilia more veterum & bella recturo. Qui agens pro moribus lenius, à militibus quos per devia Phrygiæ miſerat Valens, ſubito corripiendus incurſu, tanto vigore evaſit, ut adſcenſa navi quam ad caſus pararat ancipites, ſequentem ac pæne captam uxorem ſagittarum nube diffuſa defenſam averteret ſecum: matronam opulentam & nobilem, cujus verecundia & deſtinatio glorioſa abruptis poſtea diſcriminibus maritum exemit. Ea victoria ultra homines Procopius ſeſe efferens, & ignorans quod quivis beatus verſa rota fortunæ ante veſperum poteſt eſſe miſerrimus: Arbetionis domum, cui antea tamquam eadem ſibi ſentientis parcebat ut propriæ, juſſit exinaniri, mobilis cenſus inæſtimabilis plenam: ideo

Rumitalca ſocius factionis Procopianæ.

Valens Sabajarius per convitium appellatur.

Nicæa & Chalcedone obſidione liberatis

Bithynia in ditionem Procopii redigitur.

Aliſonis inſignis ſtrenuum facinus.

Cyzico expugnato Helleſpontus in Procopii poteſtatem cedit.

Hormiſdæ filio proconſularis dignitas à Procopio offertur.

Procopius elatior factus.

Arbetionis domum ſpoliat.

(*q*) al. regionibus. (*r*) al. Exinde. (*s*) al. ante hac recte gaſtrenſis. (*t*) al. compreſſus.

ideo indignatus, quod venire ad eum accitus aliquoties distulit, causatus incommoda senectutis & morbos. Et licet hac ex causa praesumptor momentum pertimesceret grave, tamen cum obsistente nullo se in Orientales provincias effundere libenti cunctorum assensione jam licentius posset, avidas novitatem quamdam visere taedio asperioris imperii quo tunc tenebantur: erga alliciendas quasdam civitates Asiae, legendosque eruendi peritos auri, ut sibi profuturos praeliis quae magna exspectabat & crebra, segnius commoratus; in modum acuti mucronis obtusus est. Ut quondam Pescennius Niger ad subveniendum spei rerum extremae à Populo Romano saepe accitus, dum diu cunctatur in Syria, à Severo superatus in sinu Issico (qui est in Cilicia, ubi Dareum (*u*) Alexander fudit) fugatusque, in suburbano quodam Antiochiae gregarii manu militis interiit.

CAP. IX. Haec adulta hieme Valentiniano & Valente Coss. agebantur, Translato vero in Gratianum adhuc privatum & Dagalaïphum amplissimo magistratu, aperto jam vere suscitatis viribus, Valens juncto sibi Lupicino cum robustis auxiliis Pessinunta signa propere tulit, Phrygiae quondam, nunc Galatiae oppidum. Quo praesidiis ocius communito, ne quid inopinum per eos emergeret tractus, praeter radices Olympi montis excelsi tramitesque fragosos ire tendebat ad Lyciam, oscitantem ibi Gomoarium (*x*) adgressurus. Cui pertinaci conspiratione multorum hac maxima consideratione resistebatur, quod hostis ejus ut ante relatum est Constantii filiam parvulam cum matre Faustina & in agminibus, & cum prope in acie starent, lectica circumferens secum, ut pro imperiali germine cui se quoque junctum addebat, pugnarent audentius, iras militum accendebat. Sicut aliquando dimicaturi Macedones cum Illyriis, Regem adhuc infantem in cunis locavere post aciem, cujus metu ne traheretur captivus, adversos fortius oppresserunt. Contra has calliditatis argutias sagaci opitulatione nutanti negotio consuluit Imperator: & Arbetionem ex Consule agentem jam dudum in otio, ad se venire hortatus est, ut Constantiniani ducis verecundia truces animi lenirentur: neque secus evenit. Nam cum omnibus provectior natu & dignitate sublimior canitiem reverendam ostenderet multis ad perfidiam inclinatis, publicum grassatorem Procopium; milites vero secutos ejus errorem, filios & laborum participes pristinorum appellans orabat, ut se ac si parentem magis sequerentur felicissimis ductibus cognitum, quam profligato morem gererent nebuloni destituendo jam & casuro. Quibus cognitis Gomoarius, cum elusis hostibus unde venerat redire posset innoxius, ad castra Imperatoris opportunitate intervalli proximi, captivi colore transivit, velut accursu multitudinis visae subito circumseptus. Qua successus alacritate Valens castra promovit ad Phrygiam: & prope Nacoliam collatis manibus, partium dux in ancipiti Agilo rem excursu prodidit repentino: eumque secuti complures jam pila quatientes & gladios, ad Imperatorem transeunt cum vexillis scuta perversa gestantes, quod defectionis signum est apertissimum. Hoc praeter spem omnium viso, Procopius salutis intercluso suffragio versus in pedes, circumjectorum nemorum secreta & montium petebat: Florentio sequente & Barchalba Tribuno, quem per saevissima bella jam inde à Constantii temporibus notum, necessitas in crimen traxerat, non voluntas. Majore itaque noctis parte consumpta, cum à vespertino ortu Luna praelucens in diem metum augeret, undique facultate evadendi exempta consiliorum inops Procopius, ut in arduis necessitatibus solet, cum fortuna expostulabat luctuosa & gravi, mersusque multiformibus curis, subito à comitibus suis artius vinctus, relato jam die ductus ad castra, Imperatori offertur reticens atque defixus: statimque abscissa cervice, discordiarum civilium gliscentes turbines sepelivit & bella, ad veteris Perpennae exemplum: qui post Sertorium inter epulas obtruncatum dominatione paullisper potitus, à fructectis ubi latebat extractus, oblatusque Pompejo, ejus jussu est interfectus. Parique indignationis impetu Florentius & Barchalba qui eum duxerunt, confestim non pensata ratione sunt interfecti. Nam si Principem legitimum prodidissent, vel ipsa justitia jure caesos pronuntiaret: si rebellem & oppugnatorem internae quietis ut ferabatur; amplas eis memorabilis facti oportuerat deferri mercedes. Excessit autem vita Procopius anno quadragesimo, amplius mensibus decem: corpore non indecoro, nec mediocris staturae, subcurvus, humumque intuendo semper incedens, perque morum tristium latebras illius similis Crassi, quem in vita semel risisse Lucilius affirmat & Tullius: & quod est mirandum, quoad vixerat incruentus.

CAP. X. Iisdem fere diebus Protector Marcellus, ejusdem cognatus, agens apud Nicaeam praesidium, proditione militum & interitu Procopii cognito, Serenianum intra palatium clausum medio noctis horrore incautum adortus occidit: cujus mors saluti plurimis fuit. Nam si victoriae superfuisset incultis moribus homo & nocendi acerbitate conflagrans, Valentique ob similitudinem morum & genitalis patriae vicinitatem acceptus, occultas voluntates Principis introspiciens ad crudelitatem propensioris, multas innocentium ediderat (*y*) strages. Quo interfecto, idem Marcellus occupata celeri cursu Chalcedone, concrepantibus paucis quos vilitas & desperatio trudebat in scelus, umbram principatus funesti capessit gemina ratione fallente: quod & Gothorum tria millia regibus jam lenitis ad auxilium erant missa Procopio, Constantianam praetendenti necessitudinem, quae ad societatem suam parva mercede traduci posse existimabat: quodque gesta in Illyrico etiam tum latebant. Inter quae tum trepida, speculationibus fidis Aequitius doctus conversam molem belli totius in Asiam, digressus per fuccos Philippopolim clausam praesidiis hostium, Eumolpiadam veterem

Valens Procopium adoritur.

Qui à suis defertus. U.C. 1118. p. C. N. 366.

Vivus Valenti traditur

Et capite truncatur

Exemplo Perpennae.

Procopii forma & mores.

Marcellus Protector, cognatus Procopii.

Serenianum interficit.

Aaaa

(*u*) al. Darium. (*x*) al. Obigomarium. (*y*) al. edidisset.

terem referare magna vi conabatur, urbem admodum opportunam, & impedituram ejus adventus, si pone relicta, adjumenta Valenti laturus (nondum enim apud Nacoliam gesta comperarat) festinare ad Æmimontum cogeretur. Verum paullo postea cognita levi praesumptione Marcelli, milites missi sunt audaces & prompti, qui eum raptum ut deditum noxae mancipium, in custodiam compegerunt. Unde post dies productus, lateribus sulcatis acerrime, pariaque perpessis consortibus interiit, hoc favorabilis solo (z), quod abstulit Serenianum è medio, crudelem ut Phalarim, *illi & illi (a) fidum ad doctrinarum diritatem, quam causis inanibus praetexebat. Exstirpatis occasu ducis funeribus belli, saevitum est in multos acrius quam errata flagitaverant vel delicta: maximeque in Philippopoleos defensores, qui urbem seque ipsos nonnisi capite viso Procopii quod ad Gallias portabatur, aegerrime (b) dediderunt. Ad gratiam tamen precantium coërciti sunt aliqui lenius: inter quos eminebat Araxius, in ipso rerum exustarum ardore adeptus ambitu Praefecturam: & Agilone intercedente genere supplicio insulari multatus, breve post tempus evasit. Euphrasius vero itemque Phronemius missi ad occiduas partes, arbitrio objecti sunt Valentiniani: & absoluto Euphrasio Phronemius Cherronesum deportatur, inclementius in eodem punitus negotio, ea re quod divo Juliano fuit acceptus: cujus memorandis virtutibus ambo fratres Principes obtrectabant, nec similes ejus nec suppares. His accedebant alia graviora, & multo magis quam in praeliis formidanda. Carnifex enim & unci & cruentae quaestiones, sine discrimine ullo aetatum & dignitatum per fortunas omnes & ordines grassabantur, & pacis obtentu judicium detestandum agitabatur, infaustam victoriam exsecrantibus universis, internecivo bello quovis graviorem. Nam inter arma & lituos conditionis aequatio leviora facit pericula: & Martiae virtutis potestas aut id quod ausum occupat; aut inopinata mors si acciderit nullum ignominiae continet sensum, finemque secum vivendi simul & dolendi perducit: ubi vero consiliis impiis jura quidem praetenduntur & leges, & Catonianae vel Cassianae sententiae fuco perliti resident judices, agitur autem quod agitur ad voluntatem praetumidae potestatis, & ex ejus libidine incidentium vitae necisque momenta pensantur, ibi capitalis vertitur pernicies & abrupta. Nam ut quisque ea tempestate ob quamlibet voluerat causam, regiae propere accedens, & aliena rapiendi aviditate exustus, licet aperte insontem arcessens, ut familiaris suscipiebatur & fidus, ditandus casibus alienis. Imperator enim promptior ad nocendum, criminantibus patens, & funereas delationes adsciscens, per suppliciorum diversitates effrenatius exsultavit: sententiae illius Tullianae ignarus docentis, infelices esse eos qui omnia sibi licere existimarunt. Haec implacabilitas causae quidem piissimae, sed victoriae foedioris, innocentes tortoribus exposuit multos, vel sub eculeo caput incurvos, aut icti carnificis torvi substravit: quibus si pateretur natura, vel denas animas profundere praestabat in pugna, quam lateribus fodicatis omni culpa immunes, fortunis gementibus universis, quasi laesae majestatis luere poenas, dilaniatis ante corporibus, quod omni est tristius morte. Exin cum superata luctibus ferocia deflagrasset, proscriptiones, & exsilia, & quae leviora quibusdam videntur, quamquam sint aspera, viri pertulere summates: & ut ditaretur alius, genere nobilis & forte meritis locupletior, actus patrimonio praeceps, trusus que in exsilium consumebatur angore, aut stipe precaria victitabat: nec modus ullus exitialibus malis impositus, quamdiu Principem & proximos opum satietas cepit & caedis. Hoc novatore adhuc superstite, cujus actus multiplices docuimus & interitum, diem duodecimum Kal. Augustas, Consule Valentiniano primum cum fratre, horrendi terrores per omnem orbis ambitum grassati sunt subito, quales nec fabulae nec veridicae nobis antiquitates exponunt. Paullo enim post lucis exortum, densitate praevia fulgurum acrius vibratorum tremefacta concutitur omnis terreni stabilitas ponderis, mareque dispulsum retro fluctibus evolutis abscessit, ut retecta voragine profundorum, species natantium multiformes limo cernerentur haerentes: valliumque vastitates & montium tunc, ut opinari dabatur, susciperent radios Solis, quos primigenia rerum sub immensis gurgitibus amandavit. Multis igitur navibus velut arida humo connexis, & licenter per exiguas undarum reliquias palantibus plurimis, ut pisces manibus colligerent & similia: marini fremitus velut gravati repulsam, versa vice consurgunt, perque vada ferventia insulis & continentis terrae porrectis spatiis violenter illisi, innumera quaedam in civitatibus, & ubi reperta sunt aedificia complanarunt: proinde ut elementorum furente discordia, involata facies mundi miraculorum species ostendebat. Relapsa enim aequorum magnitudo cum minime speraretur, millia multa necavit hominum & submersit: recurrentiumque aestuum incitata vertigine, quaedam naves, postquam humentis substantiae consenuit tumor, pessumdatae visae sunt: exanimataque naufragiis corpora supina jacebant aut prona. Ingentes aliae naves extrusae rabidis flatibus, culminibus insedere tectorum, ut Alexandriae contigit: & ad secundum lapidem fere procul à littore contortae sunt aliquae, ut Laconicam prope Mothonem (c) oppidum nos transeundo conspeximus diuturna carie fatiscentem.

[Margin: Sed & ipse interficitur. U. C. 1118. p. C. N. 366.]

[Margin: Ut multi alii Procopianarum partium.]

[Margin: Nimia Severitas Valentis.]

[Margin: Portenta horrenda.]

(z) al. solum. (a) al. ille & ille. (b) al. acerrime. (c) al. Methonem.

Explicit Liber XXVI.

AM-

AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XXVII.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

DUm per Eoum orbem hæc quæ narravimus diversi rerum expediunt casus, Alemanni post ærumnosas jacturas & vulnera, quæ congressi sæpe Juliano Cæsari pertulerunt viribus tandem resumptis licet imparibus pristinis, ob causam expositam supra, Gallicanos limites formidati jam persultabant. Statimque post Kal. Januarias, cum per glaciales tractus hiemis rigidum inhorrescerет sidus, cuneatim egressa multitudo licentius vagabatur. Horum portioni primæ Charietto, tunc per utramque Germaniam Comes, occursurus cum milite egreditur ad bella ineunda promptissimo, adscito in societatem laboris Severiano itidem Comite, invalido & longævo, qui apud Cabilona *(d)* Divitensibus præsidebat & Tungricanis. Proinde confertius agmine in unum coacto, ponteque brevioris aquæ firma celeritate transmisso, visos eminus barbaros Romani sagittis aliisque levibus jaculis incessebant, quæ illi reciprocis jactibus valide contorquebant. Ubi vero turmæ congressæ strictis couflixere mucronibus nostrorum acies impetu hostium *(e)* acriore concussa, nec resistendi nec faciendi fortiter copiam reperit, cunctis metu compulsis in fugam, cum Severianum vidissent equo deturbatum, missilique telo perossensum. *(f)* Ipse denique Charietto, dum cedentes objectu corporis & vocis jurgatorio sonu audentius pertinet, pudendumque diluere dedecus fiducia diu standi conatur, oppetiit telo letali confixus. Post cujus interitum, Erulorum Batavorumque vexillum direptum, quod insultando tripudiantes barbari crebro sublatum altius ostendebant, post certamina receptum est magna.

Alemanni Gallicanos limites pervadunt.

Charietto Comes Alemannos aggreditur

Sed cum Severiano vincitur & occiditur.

CAP. II. Qua clade cum ultimo mœrore comperta, correcturus secius gesta *(g)* Dagalaïphus à Parisiis mittitur. Eoque diu cunctante, causanteque diffusos per varia barbaros semet adoriri non posse, accitoque paullo post ut cum Gratiano etiam tum privato susciperet insignia Consualtus; Jovinus equitum Magister accingitur: & instructus paratusque, cautissime observans utrumque sui agminis latus, venit prope locum Scarponna: ubi inopinus majorem barbarorum plebem antequam armaretur, temporis brevi puncto præventam ad internecionem exstinxit. Exsultantes innoxii prælii gloria milites ad alterius globi perniciem ducens, sensimque incedens rector eximius speculatione didicit fida, direptis propius villis vastatoriam manum quiescere prope flumen: jamque adventans, abditusque in valle densitate arbustorum obscura, videbat lavantes alios, quosdam comas rutilantes ex more, potantesque nonnullos. Et nactus horam impendio tempestivam, signo repente per lituos dato latrocinalia castra perrupit: contraque Germani nihil præter inefficaces minas jactanter sonantes & fremitum, nec expedire arma dispersa, nec componere aciem, nec resurgere in vires permittebantur, urgente instanter *(h)* victore. Quocirca forati pilis & gladiis cecidere complures; absque iis quos versos in pedes texere flexuosi tramites & angusti. Hoc prospero rerum effectu, quem virtus peregerat & fortuna, aucta fiducia Jovinus militem ducens, diligenti speculatione præmissa, in tertium cuneum qui restabat, propere castra commovit: & maturato itinere omnem prope Catelaunos invenit ad congrediendum promptissimum. Et vallo opportune metato, suisque pro temporis copia cibo recreatis & somno, primo auroræ exortu in aperta planitie composuit aciem dilatatam arte sollerti, aut spatiis amplioribus occupatis æquiparare Romani hostium multitudinem apparerent, inferiores numero, licet viribus pares. Signo itaque *(i)* per bucinas dato, cum pede collocato res agi cœpisset, stetere *(k)* vexillorum splendentium facie territi stetere Germani. Quibus hebetatis parumper, reparatisque confestim, adusque diei extimum concertatione protenta, validius imminens miles fructum rei bene gestæ sine dispendio quæsisset, ni Balchobaudes Armaturarum Tribunus magniloquentia socordi coalitus, propinquante jam vespera cessisset incondite. Quem si secutæ residuæ cohortes abiissent, ad tristes exitus eousque negotium venerat, ut nec acta nuntiaturus quisquam posset superesse nostrorum. Sed resistens animorum acri robore miles ita lacertis eminuit, ut hostium quatuor millibus sauciis, sex alia interficeret millia: ipse vero non amplius mille ducentis amitteret, ducentis tantummodo vulneratis. Noctis itaque adventu prælio jam dirempto, refectisque viribus fessis, prope confinia lucis ductor egregius in agminis quadrati figuram producto exercitu, cum comperisset occultantibus tenebris barbaros lapsos: securus insidiarum per aperta camporum sequebatur & mollia, calcando

Dagalaïphus contra Alemannos mittitur.

Similiter Jovinus. U. C. 1118. p. C. N. 366.

Qui eos cædit.

Balchobaudes Tribunus à Germanis in fugam vertitur

Clades Germanorum & Romanorum.

(d) al. Calidona. *(e)* al. alii τὸ hostium omittunt. *(f)* al. telo per os fixum. *(g)* al. correcturus hujusmodi gesta. *(h)* alii τὸ instanter omittunt. *(i)* al. igitur. *(k)* al. insueta.

cando femineces & constrictos, quos vulneribus frigorum asperitate contractis dolorum absumpserat magnitudo. Exin progressus ulterius, revertens, ubi nullum repererat, didicit Regem hostilium agminum cum paucis captum ab Ascariis (*l*), quos ipse per iter aliud ad diripienda tentoria miserat Alemannica, suffixum patibulo. Ideoque iratus in Tribunum animadvertere statuit, ausum hoc inconsulta potestate superiore fecisse: eumque damnasset, ni militari impetu commissum facinus atrox, documentis evidentibus constitisset. Et post hæc redeunti Parisios post claritudinem recte gestorum Imperator lætus occurrit: eumque postea Consulem designavit: illo videlicet ad gaudii cumulum accedente, quod iisdem diebus Procopii susceperat caput à Valente transmissum. Præter hæc, alia multa narratu minus digna conserta sunt prælia per tractus varios Galliarum, quæ superfluum est explicare, quoniam neque operæ pretium aliquod eorum habuere proventus, nec historiam producere per minutias ignobiles decet.

Jovinus Consul designatur. U. C. 1119. p. C. N. 367.

CAP. III. Hoc tempore vel paullo ante, nova portenti species per Annonariam apparuit Tusciam: idque quorsum evaderet prodigialium rerum periti penitus ignorarunt. In oppido enim Pistoriensi prope horam diei tertiam spectantibus multis asinus Tribunali adscenso audiebatur destinatius rugiens: & stupefactis omnibus qui aderant, quique didicerant referentibus aliis: nulloque conjectante ventura, postea quod portendebatur evenit. Terentius enim humili genere in Urbe natus & pistor, ad vicem præmii, quia peculatus reum detulerat Orfitum ex Præfecto (*m*), hanc eamdem provinciam Correctoris administraverat potestate. Eaque confidentia deinceps inquietius agitans multa, in naviculariorum negotio falsum admisisse convictus, ut ferebatur, periit carnificis manu regente Claudio Romam. Multo tamen antequam hoc contingeret, Symmachus Aproniano successit, inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiæ, quo instante Urbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebatur: [& ambitioso ponte exsultat atque firmissimo, quem] condidit ipse, & magna civium lætitia dedicavit ingratorum, ut res docuit apertissima. Qui consumptis aliquot annis domum ejus in Transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt, ea re perciti, quod vilis quidam plebeius infixerat illum dixisse sine indice ullo vel teste, libenter (*n*) se vino proprio calcarias exstincturum, quam id venditurum pretiis quibus sperabatur. Advenit post hunc Urbis moderator Lampadius ex Præfecto Prætorio, homo indignanter admodum sustinens, si etiam cum spueret non laudaretur, ut id quoque prudenter præter alios faciens: sed nonnumquam severus & frugi. Hic cum magnificos Prætor ederet ludos, & uberrime largiretur, plebis nequiens tolerare tumultum, indignis multa donari sæpe urgentis; ut liberalem se & multitudinis ostenderet contemptorem, accitos à Vaticano quosdam egentes opibus ditaverat magnis. Vanitatis autem ejus exemplum, ne latius evagemur, hoc unum sufficiet poni: leve quidem sed cavendum judicibus. Per omnia enim civitatis membra, quæ diversorum Principum exornarunt impensæ, nomen proprium inscribebat: non ut veterum instaurator, sed conditor. Quo vitio laborasse Trajanus dicitur Princeps: unde eum herbam parietinam jocando cognominarunt. Hic Præfectus exagitatus est motibus crebris: uno omnium maximo, cum collecta plebs infima, domum ejus prope Constantinianum lavacrum injectis facibus incenderat & malleolis, ni vicinorum & familiarium veloci concursu à summis tectorum culminibus petita saxis & tegulis abscessisset. Eaque vi territus ipse primitus crebrescentis (*o*) seditionis in majus, secessit ad Mulvium pontem, (quem struxisse superior dicitur Scaurus) adlenimenta ibidem tumultus operiens, quem causa concitaverat gravis. Ædificia erigere exoriens nova, vel vetusta quædam instaurans, non ex titulis solitis parari jubebat impensas: sed si ferrum quærebatur, aut plumbum, aut æs, aut quidquam simile; Apparitores immittebantur, qui velut ementes diversa, raperent species nulla pretia persolvendo: unde accensorum iracundiam pauperum damna (*p*) deflentium crebra ægre potuit celeri vitare digressu. Advenit successor ejus ex-Quæsitore Palatii Juventius (*q*), integer & prudens, Pannonius: cujus administratio quieta fuit & placida, copia rerum omnium fluens. Et hunc quoque discordantis populi seditiones terruere cruentæ, quæ tale negotium excitavere. Damasus & Ursinus supra humanum modum ad rapiendam Episcopatus sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur, adusque mortis vulnerumque discrimina adjumentis utriusque progressis: quæ nec corrigere sufficiens Juventius nec mollire, coactus vi magna secessit in suburbanum. Et in concertatione superaverat Damasus, parte quæ ei favebat instante. Constatque in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum: efferatamque diu plebem ægre postea delenitam. Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans Urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti, futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas. Qui esse poterant beati revera, si magnitudine Urbis despecta quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorumdam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo numini verisque ejus cultoribus ut puros commendant & verecundos. Hactenus deviasse sufficiet, nunc ad rerum ordines revertamur.

Asinus tribunal ascendens rugire auditus est.

Terentius pistor Corrector Tusciæ ordinatur.

Symmachus Præfectus Urbis laudatur.

Lampadius Præfectus Urbis.

Ejus vanitas.

Similis Trajani.

Juventius Præfectus Urbis.

Damasi & Ursicini de Episcopatu Romano contentiones. U. C. 1119. p. C. N. 367.

CAP. IV. Dum aguntur antedicta per Gallias & Italiam, novi per Thracias exciti sunt pro-

(*l*) al. Hastariis. (*m*) al. detulerat officium ex-Præfecto. (*n*) al. libentius. (*o*) al. territus ipse, fremituque crebrescentis. (*p*) alii τὸ damna omittunt. (*q*) al. Viventius.

procinctus. Valens enim ut conſulto placuerat fratri, cujus regebatur arbitrio, arma concuſſit in Gothos, ratione juſta permotus: quod auxilia miſere Procopio civilia bella cœptanti. Ergo convenit pauca ſuper harum origine regionum & ſitu tranſcurrere per brevem exceſſum.

Thraciarum provinciæ deſcribuntur.

Erat Thraciarum deſcriptio facilis, ſi veteres concinerent ſtili: quorum obſcura varietas quoniam opus veritatem profeſſum non juvat, ſufficiet ea quæ vidiſſe meminimus expedire. Has terras immenſa quondam camporum placiditate aggerumque altitudine fuiſſe porrectas, Homeri perennis auctoritas docet, Aquilonem & Zephyrum ventos exinde flare fingentis: quod aut fabuloſum eſt, aut tractus antehac diffuſi latiſſime, deſtinatique nationibus feris, cuncti Thraciarum vocabulo cenſebantur.

Scordiſcorum mores ſævi.

Et partem earum habitavere Scordiſci, longe nunc ab iiſdem provinciis diſparati, ſævi quondam & truces, ut antiquitas docet, hoſtiis captivorum Bellonæ litantes & Marti, humanumque ſanguinem in oſſibus capitum cavis (*r*) bibentes avidius: quorum aſperitate poſt multiplices pugnarum ærumnas ſæpe res Romana vexata, poſtremo omnem amiſit exercitum cum rectore. Sed ut nunc cernimus, eadem loca formata in cornuti ſideris modum, effingunt theatri faciem ſpecioſam. Cujus in ſummitate Occidentali montibus præruptis denſitate Succorum pateſcunt anguſtiæ, Thracias dirimentes & Daciam. Partem vero ſiniſtram arctois obnoxiam ſtellis Æmimontanæ (*s*) celſitudines claudunt, ut & Hiſter qua Romanum ceſpitem lambit, urbibus multis & caſtris contiguus & caſtellis. Per dextrum quod auſtrale eſt latus, ſcopuli tenduntur Rhodopes: unde Eoum jubar (*t*) exſurgit, finitur in fretum: cui undoſius ab Euxino Ponto labenti, pergentique fluctibus reciprocis ad Ægæum, diſcidium panditur terrarum anguſtum. Ex angulo tamen Orientali Macedonicis jungitur conſimitiis per artas præcipiteſque vias, quæ cognominantur Acontiſma: cui proxima Arethuſa convallis & ſtatio, in qua viſitur Euripidis ſepulcrum tragœdiarum ſublimitate conſpicui, & Stagira, ubi Ariſtotelem, ut Tullius ait, fundentem aureum flumen, accepimus natum. Hæc quoque priſcis temporibus loca barbari tenuere, morum ſermonumque varietate diſſimiles.

Odryſarum feritas.

E quibus præter alios ut immaniter efferati timebantur Odryſæ, ita humanum fundere ſanguinem aſſueti, ut cum hoſtium copia non daretur, ipſi inter epulas poſt cibi ſatietatem & potus, ſuis velut alienis corporibus imprimerent ferrum. Verum aucta Republica, dum Conſulare vigeret imperium, has gentes antehac ſemper indomitas, vagan teſque ſine cultu vel legibus, Marcus Didius ingenti deſtinatione preſſit; Druſus intra fines continuit proprios; Minucius prope amnem Hebrum, à celſis Odryſarum montibus fluentem, ſuperatos prælio ſtravit: poſt quos reſidui ab Appio Claudio Proconſule ſunt infeſta concertatione deleti. Oppida enim in Boſporo ſita & Propontide claſſes obtinuere Romanæ. Advenit poſt hos Imperator Lucullus, qui cum duriſſima (*u*) gente Beſſorum conflixit omnium primus: eodemque impetu Æmimontanos (*x*) acriter reſiſtentes oppreſſit. Quo imminente, Thraciæ omnes in ditionem veterum tranſiere noſtrorum:

Thraciæ omnes in Romanorum tranſeunt ditionem.

hocque modo poſt procinctus ancipites, Reipublicæ ſex provinciæ ſunt quæſitæ.

Thraciarum ſex provinciæ, earumque urbes claræ.

Inter quas prima ex fronte quæ (*y*) Illyriis eſt confinis, Thracia ſpeciali nomine appellatur: quam Philippopolis Eumolpias vetus, & Berœa amplæ civitates exornant. Poſt hanc Æmimontus (*z*) Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Uſcudama, & Anchialon, civitates magnas. Dein Myſia, ubi Marcianopolis eſt, à ſorore Trajani Principis ita cognominata, & Doroſtorus, & Nicopolis, & Odyſſus: juxtaque Scythia, in qua celebriora ſunt aliis oppida Dionyſopolis, & Tomi, & Calatis (*a*). Europa omnium ultima, præter municipia urbibus nitet duabus, Apris & Perintho, quam Heracleam poſteritas dixit. Rhodopa huic adnexa Maximianopolim habet, & Maroneam, & Ænum, qua condita & relicta (*b*) Æneas Italiam auſpiciorum proſperitate perpetua poſt diuturnos occupavit errores.

Incolæ Thraciarum deſcribuntur.

Conſtat autem, ut vulgavere rumores adſidui, omnes pæne agreſtes, qui per regiones prædictas montium circumcolunt altitudines, ſalubritate virium & prærogativa quadam vitæ longius propagandæ nos anteire: idque inde contingere arbitrantur, quod colluvione ciborum abſtinent calidis, & perenni viriditate roris aſperginibus gelidis corpora conſtringente, auræ purioris dulcedine potiuntur, radioſque Solis ſuapte natura vitales primi omnium ſentiunt, nullis adhuc maculis rerum humanarum infectos (*c*). His ita digeſtis pedem referamus ad cœptum.

CAP. V. Procopio ſuperato in Phrygia, internarumque diſſenſionum materia conſopita, Victor Magiſter equitum ad Gothos eſt miſſus, cogniturus aperte quam ob cauſam gens amica Romanis, fœderibuſque ingenuæ pacis obſtricta, armorum dederat adminicula bellum Principibus legitimis inferenti.

Valens contra Gothos arma movet. U. C. 1119. P. C. N. 367.

Qui ut factum firma (*d*) defenſione purgarent, litteras ejuſdem obtulere Procopii: ut generis Conſtantiniani propinquo imperium ſibi debitum ſumpſiſſe commemorantis, veniaque dignum aſſerentes errorem. Quibus eodem referente Victore compertis, Valens parvi ducens excuſationem vaniſſimam, in eos ſigna commovit, motus adventantis jam præſcios: & pubeſcente vere quæſito in unum exercitu, prope Daphnem nomine munimentum eſt caſtra metatus: ponteque contabulato ſupra navium foros flumen tranſgreſſus eſt Hiſtrum, reſiſtentibus nullis. Jamque ſublatus fiducia, cum ultro citroque diſcurrens nullum inveniret quem ſuperare poſſet vel terrere: omnes enim formidine perciti militis cum apparatu ambitioſo propinquantis, montes petivere Serrorum arduos, & inacceſſos niſi perquam gnaris. Ne igitur æſtate omni conſumpta ſine ullo remearet effectu, Arinthæo Magiſtro peditum miſſo cum prædatoriis

(*r*) al. humanis. (*s*) al. Hœmimontanæ. (*t*) al. unde eorum jubar. (*u*) al. audaciſſima. (*x*) al. Hæmimontanos. (*y*) al. quæ ex fronte. (*z*) al. Hæmimontus. (*a*) al. Galati. al. Colatis. (*b*) al. poſt quam conditam & relictam. (*c*) al. infeſtos. (*d*) al. prima.

toriis globis, familiarum rapuit partem, quæ antequam ad dirupta venirent & flexuosa capi potuerunt, per plana camporum errantes. Hocque tantum quod fors dederat impetrato, rediit cum suis innoxius, nec illato gravi vulnere nec accepto. Anno secuto ingredi terras hostiles pari alacritate conatus; fusius Danubii gurgitibus vagatis impeditus, mansit immobilis, prope Carporum vicum stativis castris adusque autumnum locatis emensum. Unde, quia nihil agi potuit dirimente magnitudine fluentorum, Marcianopolim ad hiberna discessit. Simili pertinacia tertio quoque anno per Novidunum navibus ad transmittendum amnem connexis perrupto barbarico, continuatis itineribus longius agentes Greuthungos (e) bellicosam gentem adgressus est: postque leviora certamina Athanaricum ea tempestate judicem potentissimum, ausum resistere cum manu quam sibi crediderit (f) abundare, extremorum metu coëgit in fugam: ipseque cum omnibus suis Marcianopolim redivit, ad hiemem agendam ut in illis tractibus habilem. Aderant post diversos triennii casus finiendi belli materiæ tempestivæ. Prima, quod ex Principis diuturna permansione metus augebatur hostilis: dein quod commerciis vetitis, ultima necessariorum inopia barbari stringebantur: adeo ut legatos supplices sæpe mittentes venialem poscerent pacem. Quibus Imperator rudis quidem, verum spectator adhuc æquissimus rerum, antequam adulationum perniciosis illecebris captus Rempublicam funeribus perpetuo deflendis affligeret, in commune consultans pacem dare oportere decrevit. Missique (g) vicissim Victor & Arinthæus, qui tunc equestrem ac pedestrem militiam agebant: qui cum propositis conditionibus assentiri Gothos docuissent litteris veris, præstituitur componendæ paci conveniens locus. Et quoniam asserebat Athanaricus sub timenda exsecratione jurisjurandi se esse obstrictum, mandatisque prohibitum patris, ne solum calcaret aliquando Romanorum, & adigi non poterat, indecorumque erat & vile ad eum Imperatorem transire: recte noscentibus placuit, navibus remigio directis in medium flumen, quæ vehebant cum armigeris Principem, gentisque judicem inde cum suis, fœderari ut statutum est pacem. Hocque composito & acceptis obsidibus, Valens Constantinopolim rediit: ubi postea Athanaricus proximorum factione genitalibus terris expulsus, fatali sorte decessit, & ambitiosis exsequiis ritu sepultus est nostro.

Quos vincit.

Et post triennium cum eis pacem facit. U. C. 1121 p. C. N. 369.

Athanaricus Rex Gothorum moritur Romæ.

CAP. VI. Inter hæc Valentiniano magnitudine quassato morborum, agitanteque extrema, convivio occultiore Gallorum qui aderant in commilitio Principis, ad imperium Rusticus Julianus tunc Magister memoriæ poscebatur, quasi afflactu quodam furoris bestiarum more humani sanguinis avidus, ut ostenderat cum Proconsulari potestate regeret Africam. In præfectura enim Urbana, quam adhuc administrans exstinctus est, tempus anceps metuens tyrannidis, cujus arbitrio tamquam inter dignorum inopiam ad id escenderat (h) culmen, lenis videri cogebatur & mollior. Contra hos nitebantur aliqui studiis altioribus in favorem Severi Magistri tunc peditum, ut apti ad hoc impetrandum: qui licet asper esset & formidatus, tolerabilior tamen fuit, & præferendus modis omnibus antedicto. Sed dum hæc cogitantur incassum, Imperator remediis multiplicibus recreatus, vixque se mortis periculo contemplans extractum: Gratianum filium suum adulto jam proximum, insignibus principatus ornare meditabatur. Et paratis omnibus, militeque firmato ut animis id acciperet promptis, cum Gratianus venisset, progressus in campum tribunal ascendit: splendoreque nobilium circumdatus potestatum, dextera puerum apprehensum productumque in medium, oratione concionaria destinatum Imperatorem exercitui commendavit. *Faustum (i) erga me vestri favoris indicium, hunc loci principalis circumferens habitum, quo potior aliis judicatus sum multis & claris: consiliorum sociis votorumque auspicibus vobis, pietatis officium adgrediar tempestivum, prospera Deo spondente: cujus sempiternis auxiliis stabit Romana res inconcussa. Accipite igitur, quæso, placidis mentibus, viri fortissimi, desiderium nostrum, id reputantes, quod hæc quæ fieri caritatis sanciunt jura, non tantum transire voluimus per conscientiam vestram, verum etiam probata firmari, ut congrua nobis & profutura. Gratianum hunc meum adultum, quem diu versatum inter liberos vestros commune diligitis pignus, undique muniendæ tranquillitatis publicæ causa in Augustum sumere commilitium paro, si propitia cælestis numinis vestræque majestatis voluntas parentis amorem juverit præeuntem: non rigido cultu ab incunabulis ipsis ut nos educatum, nec tolerantia rerum coalitum asperarum, nec capacem adhuc Martii pulveris, ut videtis: sed familiæ suæ laudibus majorumque factis præstantibus concinentem, potioribus (k) (invidiæ metu dicitur) protinus succreturum (l). Ut enim mihi videri solet, mores ejus & appetitus, licet nondum maturos sæpe pensanti: ineunte adolescentia, quoniam humanitate & studiis disciplinarum sollertium est politus, librabit suffragiis puris merita recte secusve factorum: faciet ut sciant se boni intelligi: in pulchra facinora procursabit, signis militaribus & aquilis adhæsurus: Solem nivesque & pruinas & sitim perferet & vigilias: castris si necessitas adegerit, aliquotiens propugnabit: salutem pro periculorum sociis objectabit: & quod pietatis summum primumque munus est, Rempublicam, ut domum paternam diligere poterit & avitam.* Nondum finita oratione dictis cum assensu læto auditis, pro suo quisque loco & animo milites (m) alius alium anteire festinans, tamquam utilitatis & gaudiorum participes Gratianum declararunt Augustum, classicorum amplissimo sonu blandum fragorem miscentes armorum. Quo viso majore fiducia Valentinianus exsultans, corona indumentisque supremæ fortunæ ornatum filium osculatus, jamque fulgore conspicuum, alloquitur adverten-tem quæ dicebantur. (n) *En*, inquit, *habes mi Gra-*

Rusticus Julianus factione militum ad imperium vocatur.

Cui opponitur Severus.

Valentinianus Gratianum filium exercitui commendat.

A quo Augustus declaratur. U.C. 1119. p. C. N. 367.

Et quem ad-

(e) al. Grutungos. (f) al. crediderat. (g) al. Emisitque vicissim Victorem & Arinthæum. (h) al. ascenderat. (i) al. *Auctum.* (k) al. *paucioribus.* (l) al. *surrecturum.* (m) al. pro suo quisque loco animo læto milites &c. (n) al. dicebat.

Fortiter faciendum pater hortatur.

Gratiane amictus, ut speravimus omnes, Augustos, meo commilitonumque nostrorum arbitrio delatos ominibus faustis. Accingere igitur pro rerum urgentium pondere, ut patris patruique collega: & assuesce impavidus penetrare cum agminibus peditum gelu pervios Histrum & Rhenum: armatis tuis proximus stare: sanguinem spiritumque considerate pro his impendere, quos regis: nihil alienum putare quod ad Romani Imperii pertinet latus. Hæc pro tempore præcepisse sufficiet, cetera monere non desinam. Nunc reliqui vos estis rerum maximi defensores: quos rogo & obtestor, ut adcrescentem Imperatorem fidei vestræ commissum servetis affectione fundata. His dictis sollemnitate omni firmatis, Eupraxius Cæsariensis Maurus, Magister ea tempestate memoriæ, primus omnium exclamavit, *Familia Gratiani hoc meretur:* statimque promotus Quæstor, multa & prudentibus æmulanda bonæ fiduciæ reliquit exempla, nusquam à statu naturæ discedens intrepidæ sed constans semper legumque similis, quas omnibus una eademque voce loqui in multiplicibus advertimus causis: qui tunc magis in suscepta parte justitiæ permanebat, cum eum recta monentem exagitaret minax Imperator & nimius. Consurrectum est post hæc in laudes majoris Principis & novelli: maximeque pueri, quem oculorum flagrantior lux commendabat, vultusque & reliqui corporis jucundissimus nitor, & egregia pectoris indoles: quæ Imperatorem implesset cum veterum lectissimis comparandum, si per fata proximosque licuisset, qui virtutem ejus etiam tum instabilem obnubilarunt (*o*) actibus pravis. In hoc tamen negotio Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares sed Augustos germanum nuncupavit & filium, benivole satis. Nec enim quisquam antehac adscivit sibi pari potestate collegam, præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua auctoritatis Imperatoriæ socium fecit.

Eupraxius Magister Memoriæ.

CAP. VII. His ex sententia Rectoris & militum ordinatis, vix dies intercessere pauci, cum Mamertinum Præfectum Prætorio ab Urbe regressum, quo quædam perrexerat correcturus, Avitianus ex Vicario peculatus detulerat reum. Cui ideo Vulcatius successit Rufinus omni ex parte perfectus, & velut apicem senectutis honoratæ prætendens, sed lucrandi opportunas occasiones occultationis spe numquam prætermittens. Qui nactus copiam Principis, Orfitum ex Præfecto Urbis solutum exsilio, patrimonii redintegrata jactura, remitti fecit in lares. Et quamquam Valentinianus homo propalam ferus, inter imperitandi exordia ut asperitatis opinionem molliret, impetus truces retinere nonnumquam in potestate animi nitebatur: serpens tamen vitium & dilatum aliquamdiu (*p*), licentius erupit ad perniciem plurimorum: quod auxit ira acerbius effervescens. Hanc enim ulcus esse animi diuturnum, interdumque perpetuum prudentes definiunt, nasci ex mentis mollitia (*q*) consuetum: id asserentes argumento probabili, quod iracundiores sunt incolumibus languidi, & feminæ maribus, & juvenibus senes, & felicibus ærumnosi. Eminuit tamen per id tempus inter alias humilium neces, mors Dioclis ex Comite Largitionum Illyrici, quem ob delicta levia flammis jussit exuri: & Diodori ex Agente in rebus, triumque Apparitorum potestatis Vicariæ per Italiam, ob id necatorum atrociter, quod apud eum questus est Comes, Diodorum quidem adversus se civiliter implorasse juris auxilium, Officiales vero jussu judicis ausos monere proficiscentem, ut responderet ex lege. Quorum memoriam apud Mediolanum colentes nunc usque Christiani, locum ubi sepulti sunt, *Ad innocentes* appellant. Dein cum in negotio Maxentii cujusdam Pannonii, ob exsecutionem à judice recte maturari præcepta, trium oppidorum ordines mactari jussisset, interpellavit Eupraxius tunc Quæstor: & *Parcius*, inquit, *agito, piissime Principum: hos enim quos interfici tamquam noxios jubes, ut martyras, id est divinitati acceptos, colit religio Christiana.* Cujus salutarem fiduciam Præfectus imitatus Florentius, cum in re quadam venia digna audisset eum percitum ira jussisse itidem ternos per ordines urbium interfici plurimarum, *Et quid agetur*, ait, *si oppidum aliquod Curiales non habeat tantos? Inter reliqua id quoque suspendi debet, ut cum habuerit* (*r*) *occidantur.* Ad hanc inclementiam illud quoque accedebat dictu dirum & factu: quod si quis eum adisset judicium potentis inimici declinans, aliumque sibi postulans dari: hoc non impetrato, ad eumdem quem metuebat, licet multa prætenderet justa, remittebatur. Itemque aliud audiebatur horrendum, quod ubi debitorum aliquem egestate obstrictum nihil reddere posse dicebatur, interfici debere pronuntiabat. Hæc autem & similia licenter ideo altiore fastu quidam Principes agunt, quod amicis emendandi secus cogitata vel gesta copiam negant: inimicos loqui terrent amplitudine potestatis. Nulla vacat quæstio pravitatum apud eos, qui quod volunt ipsi, maximas putant esse virtutes.

Mamertinus peculatus reus ab Avitiano defertur.

Valentiniani iracundia.

Iracundia unde nascatur.

Diocles vivus comburitur.

Eupraxius Valentinianum ob sævitiam reprehendit.

CAP. VIII. Profectus itaque ab Ambianis, Treverosque festinans, nuntio percellitur gravi, qui Britannias indicabat barbarica conspiratione ad ultimam vexatas inopiam: Nectaridumque (*s*) Comitem maritimi tractus occisum, & Fullofaudem (*t*) Ducem hostium insidiis circumventum. Quibus magno cum horrore compertis, Severum etiam tum Domesticorum Comitem misit, si fors casum dedisset optatum, correcturum sequius gesta: quo paullo postea revocato, Jovinus eadem loca profectus, Provertuidem (*u*) celeri gradu præmisit, adminicula petiturus exercitus validi. Id enim instantes necessitates flagitare firmabant. Postremo ob multa & metuenda, quæ super eadem insula rumores adsidui perferebant, electus Theodosius illuc properare disponitur, officiis Martiis felicissime cognitus: adscitaque animosa legionum & cohortium pube, ire tendebat præeunte fiducia speciosa. Et quoniam cum Constantis Principis actus

Motus in Britannia. U. C. 1120. p. C. N. 368.

(*o*) al. adnubilabant. (*p*) alii τὸ aliquamdiu omittunt. (*q*) al. mollitie. (*r*) al. *habuerint.* (*s*) al. Nectaridiumque. (*t*) al. Bulchobaudem. (*u*) al. Proventusidem.

actus componerem, motus adolescentis & senescentis Oceani, situmque Britanniæ pro captu virium explanavi, ad ea quæ digesta sunt semel, revolvi superfluum duxi: ut Ulyxes (*x*) Homericus apud Phæacas ob difficultatem nimiam replicare formidat. Illud tamen sufficiet dici, quod eo tempore Picti in duas gentes divisi, Dicalidonas & Vecturiones, itidemque Attacotti bellicosa hominum natio, & Scotti, per diversa vagantes multa populabantur: Gallicanos vero tractus Franci & Saxones iisdem confines, quo quisque erumpere potuit terra vel mari, prædis acerbis incendiisque, & captivorum funeribus hominum violabant. Ad hæc prohibenda si copiam dedisset fortuna prosperior, orbis extrema Dux efficacissimus petens, cum venisset ad Bononiæ littus, quod à spatio controverso terrarum angustiis reciproci distinguitur maris, attolli horrendis æstibus adsueti, rursusque sine ulla navigantium noxa in speciem complanari camporum: exinde transmeato lentius freto defertur Rutupias, stationem ex adverso tranquillam. Unde cum consecuti Batavi venissent & Eruli, Joviique & Victores, fidentes viribus numeri: egressus tendensque ad Lundinium vetus oppidum, quod Augustam posteritas appellavit, divisis plurifariam globis, adortus est vagantes hostium vastatorias manus, graves onere sarcinarum: & propere fusis qui vinctos homines agebant & pecora, prædam excussit, quam tributarii perdidere miserrimi. His denique restituta omni, præter partem exiguam impensam militibus fessis, mersam difficultatibus suis antehac civitatem, sed subito quam salus sperari potuit recreatam, in ovantis speciem lætissimus introiit. Ubi ad audenda majora prospero successu elatus, tutaque scutando consilia, futuri morabatur ambiguus, diffusam variarum gentium plebem & ferocientem immaniter, non nisi per dolos occultiores & improvisos excursus superari posse, captivorum confessionibus & transfugarum indiciis doctus. Denique edictis propositis impunitateque promissa, desertores ad procinctum vocabat, & multos alios per diversa libero commeatu dispersos. Quo monitu ut rediere plerique, incentivo percitus, retentusque anxiis curis, Civilem nomine recturum Britannias pro Præfectis ad se poposcerat mitti, virum acrioris ingenii, sed justi tenacem & recti: itidemque Dulcitium, Ducem scientia rei militaris insignem.

A Pictis, Attacottis & Scottis suscitati.

à Theodosio componuntur.

CAP. IX. Hæc in Britanniis agebantur. Africam vero jam inde ab exordio Valentiniani imperii exurebat barbarica rabies, per procursus audentiores & crebris cædibus & rapinis intenta. Quam rem militaris augebat socordia, & aliena invadendi cupiditas, maximeque Romani nomine Comitis. Qui venturi providus, transferendæque in alios invidiæ artifex, sævitia morum multis erat exosus, hac præcipue causa quod superare hostes in vastandis provinciis festinabat, affinitate Remigii tunc Magistri Officiorum confisus: quo prava & contraria referente, Princeps (ut præ se ferebat ipse) cautissimus lacrimosa dispendia diutius ignoravit Afrorum. Gestorum autem per eas regiones seriem plenam, & Ruricii Persidis legatorumque mortem, & cetera luctuosa, cum adegerit ratio, diligentius explicabo. Et quoniam adest liber locus dicendi: quæ sentimus, aperte loquamur: hunc Imperatorem omnium primum in majus militares fastus ad damna rerum auxisse communium, dignitates opesque eorum sublimius erigentem: & quod erat publice privatimque dolendum, indeflexa sævitia punientem gregariorum errata, parcentem potioribus, qui tamquam peccatis indulta licentia, ad labem delictorum immanium consurgebant: qui ex eo anhelantes, ex nutu suo indistanter putant omnium pendere fortunas. Horum flatus & pondera inventores juris antiqui mollientes, (*y*) etiam insontes quosdam aliquotiens suppliciis aboleri censuere letabilis. Quod sæpe contingit, cum ob multitudinis crimina, nonnulli sortis iniquitate plectuntur innoxii: id enim nonnumquam ad privatorum pertinuit causas. At in Isauria globatim per vicina digressi prædones, oppida villasque uberes libera populatione vexantes, magnitudine jacturarum Pamphyliam affligtabant & Cilicas. Quos cum nullis arcentibus internecive cuncta disperdere Asiæ Vicarius ea tempestate Musonius advertisset, Athenis Atticis antehac magister Rhetoricus: deploratis novissime rebus, luxuque adjumento militari marcente, adhibitis semiermibus paucis, quos Diogmitas (*z*) appellant, unum grassatorum cuneum, si patuisset facultas, adoriri conatus, per angustum quemdam transiens devexitatis amfractum, ad inevitabiles venit insidias: & ibi cum his confossus est quos ducebat. Tali successu latrones prætumidos, palantesque per varia confidentius, interfectis aliquibus, ad latebrosa montium saxa quæ incolunt excitæ tandem copiæ contruserunt: ubi cum eis nec quiescendi nec inveniendi ad victum utilia copia laxaretur, per inducias pacem sibi tribui poposcerunt, Germanicopolitanis auctoribus, quorum apud eos ut signiferæ manus semper valuere sententiæ: obsidibusque datis ut imperatum est, immobiles diu mansere, nihil audentes hostile. Hæc inter Prætextatus Præfecturam Urbis sublimius curans, per integritatis multiplices actus & probitatis, quibus ab adulescentiæ rudimentis inclaruit, adeptus est id quod raro contingit, ut cum timeretur, amorem non perderet civium, minus (*a*) firmari solitum erga judices formidatos. Cujus auctoritate justisque veritatis suffragiis tumultu lenito, quem Christianorum jurgia concitarunt, pulsoque Ursino, (*b*) alta quies parta, proposito (*c*) civium Romanorum aptissima: & adolescebat gloria præclari (*d*) rectoris plura & utilia disponentis. Namque & mæniana (*e*) sustulit omnia, fabricari Romæ priscis quoque vetita legibus: & discrevit ab ædibus sacris privatorum parietes, iisdem inverecunde connexos: ponderaque per regiones instituit universas, cum aviditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri nequiret. In exami-

Barbaricæ gentes Africam populantur. U.C. 1120. p. C. N. 368.

Isaurorum latrocinia Valens compescit. U.C. 1120. p. C. N. 368.

Prætextatus Præfectus Urbi.

timetur & amatur.

(*x*) al. Ulysses. (*y*) al. molientes. (*z*) al. Diocmitas. (*a*) al. minis. (*b*) al. Ursicino. (*c*) al. alta quies pari jam proposito. (*d*) al. clari. (*e*) al. Nam & mœniana.

examinandis vero litibus ante alios id impetravit, quod laudando Brutum Tullius refert, ut cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur esse quæ factitabat. (f)

CAP. X. Sub idem fere tempus Valentiniano ad expeditionem caute ut rebatur profecto, Alemannus Regalis Rando nomine, diu præstruens quod cogitabat, Mogontiacum præsidiis vacuum cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepsit. Et quoniam casu Christiani ritus invenit celebrari sollemnitatem, impræpedite cujusquemodi fortunæ virile & muliebre secus (g) cum supellectili non parva indefensum abduxit. Parvo inde post intervallo inopina rei Romanæ spes lætiorum affulsit. Cum enim Vithicabius Rex Vadomarii filius, specie quidem molliculus & morbosus, sed audax & fortis, ardores in nos semper succenderet bellicos, opera navabatur impensior, ut qualibet occumberet (h) strage. Et quia tentatus aliquotiens nullo genere potuit superari vel prodi, fraude citerioris vitæ ministri, studio sollicitante nostrorum occubuit: cujus post necem aliquatenus hostiles torpuere discursus. Interfector tamen præ metu pœnarum, quas verebatur si patuisset negotium, ad Romanum solum se celeri transtulit gradu. Parabatur post hæc lentioribus curis & per copias multiformes in Alemannos expeditio solitis gravior, destinatius id publica tutela poscente, quoniam reparabilis gentis motus timebantur infidi: milite nihilominus accenso, cui ob suspectos eorum mores, nunc infimorum & supplicum, paullo post ultima minitantium, nullæ quiescendi dabantur induciæ. Contracta igitur undique mole maxima catervarum, armis & subsidiis rei cibariæ diligenter instructa, accitoque Sebastiano Comite cum Illyriis & Italicis numeris quos regebat, anni tempore jam tepente (i) Valentinianus cum Gratiano Rhenum transgressus resistente nemine; divisis agminibus quadratis ipse medius incedebat, Jovino & Severo Magistris rei castrensis altrinsecus ordinum latera servantibus, ne repentino invaderentur assultu. Protinusque inde ductantibus itinerum callidis, exploratis accessibus, per regiones longo itu porrectas sensim gradiens miles irritatior ad pugnandum, velut repertis Barbaris minaciter infrendebat. Et quoniam aliquot diebus emensis nullus potuit qui resisteret inveniri, cuncta satorum & tectorum quæ visebantur intacta, cohortium manu vorax flamma vastabat, præter alimenta, quæ colligi dubius rerum eventus adigebat & custodiri. Post hæc leniore gressu Princeps ulterius tendens, cum prope locum venisset, cui Solicinio nomen est, velut quadam obice stetit, doctus procursantium relatione verissima Barbaros longe conspectos. Qui nullam ad tuendam salutem viam superesse cernentes, nisi se celeri defendissent occursu, locorum gnaritate confisi, unum spirantibus animis montem occupavere præcelsum, per confragosos colles undique præruptum & invium, absque Septemtrionali latere, unde facilem habet devexitatem & mollem.

Rando Regalis Mogontiacum occupat. U.C. 1120. p. C.N. 368.

Vithicabius Rex Alemannorum per insidias confoditur.

Valentinianus in Alemannos expeditionem parat.

Et cum Gratiano Rhenum transit.

Alemanni in celsissimos montes fugiunt.

Signis illico fixis ex more cum undique ad arma conclamaretur, imperio Principis & ductorum stetit regibilis miles, vexillum opperiens extollendum: quod erat opportune subeundæ indicium pugnæ. Ergo quia spatium deliberandi aut exiguum dabatur aut nullum, hinc impatientia militis perterrente, inde horrenda circumsonantibus Alemannis, id consilium ratio celeritatis admisit: ut arctoam montium partem, quam clementer diximus esse proclivem, Sebastianus cum suis occuparet, fugientes Germanos si fors ita tulisset levi negotio confossurus: quo ut placuit maturato (k), Gratianoque apud signa Jovianorum retro detento, cujus ætas erat etiam tum præliorum impatiens & laborum, Valentinianus ut dux cunctator & tutus, centurias & manipulos capite intecto conlustrans, nullo potentium in conscientiam arcani adhibito, remota multitudine stipatorum, speculatum radices aggerum avolavit cum paucis, quorum industriam norat & fidem: prædicans, ut erat sui arrogans æstimator, inveniri posse, aliam viam ducentem ad arduos clivos, præter eam quam inspexere proculcatores. (l) Per ignota itaque & palustres uligines devius tendens, insidiatricis manus locatæ per obliqua (m) subito oppetiisset adcursu, ni necessitatis adjumento postremo, per labilem limum incitato jumento digressus, legionum se gremiis immersisset post abruptum periculum: cui adeo proximus fuit, ut galeam ejus cubicularius ferens auro lapillisque distinctam, cum ipso tegmine penitus interiret, nec postea vivus reperiretur aut interfectus. Proinde quiete reficiendis corporibus data, signoque erecto, quod solet ad pugnam hortari, tubarum minacium accendente clangore, fidentissimo impetu acies motas prompte ante alios præiere duo juvenes lecti in principiis adeundi discriminis, Salvius & Lupicinus, Scutarius unus, alter è schola Gentilium, fragore terribili concitantes: hastasque crispando cum ad rupium objecta venissent, trudentibusque Alemannis evadere ad celsiora conarentur, advenit omne (n) pondus armorum, iisdemque antesignanis per hirta dumis & aspera magno virium nisu in editas sublimitates erepsit. Acri igitur partium spiritu conflictus cuspidibus tentatur infestis: & hinc arte belli doctior miles, inde licet feroces, sed incauti barbari dexteris coïere collatis: quos latius sese pandens exercitus infusis utrimque cornibus adflictabat, per fremitus territos & equorum hinnitus & tubas. Nihilominùs tamen ipsi assumpta fiducia restiterunt: æquataque parumper præliorum sorte, haud parva mole certatum est, dum turmarum funeribus mutuis res gerebatur. Disjecti denique Romanorum ardore, metuque turbati, miscentur ultimis primi: dumque in pedes versi discedunt, verutis hostilibus forabantur & pilis. Postremo dum anheli currunt & fessi, pandebant sequentibus poplites & suras & dorsa. Stratis denique multis, lapsorum partem Sebastianus, cum subsidiali manu locatus post montium terga, trucidavit ex incauto latere

Valentinianus periclitatur.

Alemannos non incruento utrimque certamine fundit fugatque.

(f) al. faciebat. (g) al. virilem & muliebrem sexum. (h) al. concideret. (i) al. recente. (k) al. quod haud placuit maturato. (l) al. procursatores. (m) al. abrupta. (n) al. advenit huc omne.

latere circumventam: dispersi ceteri silvarum se latebris amandarunt. In hac dimicatione nostri quoque oppetiere non contemnendi: inter quos Valerianus fuit Domesticorum omnium primus, & Natuspardo quidam Scutarius, exsertus ita bellator, ut Sicinio veteri comparetur & Sergio. Hisque tali casuum diversitate perfectis, milites ad hiberna, Imperatores Treveros reverterunt.

CAP. XI. Per hæc tempora Vulcatio Rufino absoluto vita dum administrarat; ad regendam Præfecturam Prætorianam ab Urbe Probus accitus, claritudine generis & potentia & opum amplitudine cognitus orbis Romano, per quem universum pæne patrimonia sparsa possedit, juste an secus non judicioli est nostri. Hunc quasi genuina (o) quædam, ut fingunt Poëtæ, fortuna vehens præpetibus pinnis, nunc beneficium ostendebat & amicos sublimius (p) erigentem, aliquotiens insidiatorem dirum, & per cruentas noxium simultates. Et licet potuit quoad vixit ingentia largiendo, & intervallando (q) potestates adsiduas: erat tamen interdum timidus ad audaces, contra timidos celsior: ut videretur cum sibi fideret, de cothurno strepere tragico, & ubi paveret, omni humilior socco. Atque ut natantium genus elemento suo expulsum, haud tam diu spirat in terris; ita ille marcebat absque præfecturis: quas jurgiis familiarum ingentium capessere cogebatur, numquam innocentium per cupiditates immensas: utque multa perpetrarent impune, dominum suum mergentium in Rempublicam. Namque fatendum est, numquam illa magnanimitate coalitus, clienti vel servo agere quidquam jussit illicitum: sed si eorum quemquam crimen ullum compererat admisisse, vel ipsa repugnante justitia, non explorato negotio, sine respectu boni honestique defendebat. Quod vitium reprehendens ita pronuntiat Cicero: *Quid enim interest inter suasorem facti & probatorem? Aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum?* Suspiciosus tamen, & munitus (r) suopte ingenio fuit, & subamarum arridens, plandiensque interdum ut noceat. Id autem perspicuum est in ejusmodi moribus malum, tum maxime cum celari posse existimatur: ita implacabilis & directus (s), ut si lædere quemquam instituisset, nec exorari posset, nec ad ignoscendum erroribus inclinari: ideoque aures ejus non cera, sed plumbis videbantur obstructæ. In summis divitiarum & dignitatum culminibus anxius & sollicitus, ideoque semper levibus morbis afflictus. Hæ per Occidentales plagas series rerum fuere gestarum.

Probus Præfectus Prætorio.

Ejus vitia.

CAP. XII. Rex vero Persidis longævus ille Sapor, & ab ipsis imperitandi exordiis dulcedini rapinarum addictus, post Imperatoris Juliani excessum & pudendæ pacis icta fœdera, cum suis paullisper nobis visus amicus, calcata fide sub Joviano pactorum, injectabat Armeniæ manum, ut eam, velut placitorum abolita firmitate, ditioni jungeret suæ. Et primo per artes fallendo diversas, nationem omnem (t) renitentem dispendiis levibus afflictabat, sollicitans quosdam Optimatum & Satrapas, alios excursibus occupans improvisis. Dein per exquisitas perjuriisque mistas illecebras captum Regem ipsum Arsacem, adhibitumque in convivium jussit ad latentem trahi posticam: eumque effossis oculis, vinctum catenis argenteis, quod apud eos honoratis vanum suppliciorum æstimatur esse solatium, exterminavit ad castellum Agabana nomine, ubi discruciatus cecidit ferro pœnali. Deinde ne quid intemeratum perfidia præteriret, Sauromace pulso, quem auctoritas Romana præfecit Hiberiæ, Aspacuræ cuidam potestatem ejusdem detulit gentis diademate addito, ut arbitrio se monstraret insultare nostrorum. Quibus ita studio nefando perfectis, Cylaci spadoni & Artabanni, quos olim susceperat perfugas, commisit Armeniam, (horum alter ante gentis Præfectus, alter Magister fuisse dicebatur armorum) iisdemque mandarat, ut Artogerassam intentiore cura exscinderent, oppidum muris & viribus validum, quod thesauros & uxorem cum filio Arsacis tuebatur. Iniere ut statutum est obsidium duces. Et quoniam munimentum positum in asperitate montana, rigente tunc cœlo nivibus & pruinis, adiri non poterat, eunuchus Cylaces aptusque ad muliebria palpamenta, Artabanne adscito, prope mœnia ipsa, fide non amittendæ salutis accepta, propere venit: & cum socio ad interiora susceptus ut postulavit, suadebat minaciter (u) defensoribus & Reginæ, motum Saporis inclementissimi omnium lenire deditione veloci. Multis post hæc ultro citroque dictitatis, ejulanteque muliere truces mariti fortunas, proditionis acerrimi compulsores in misericordiam flexi mutavere consilium: & spe potiorum erecti, secretis colloquiis ordinarunt, hora præstituta nocturna reclusis subito portis validam manum erumpere, vallumque hostile cædibus aggredi repentinis, ut lateant id tentantes, polliciti se prodituros. Quibus religione firmatis egressi, biduumque ad deliberandum quid capessere debeant sibi concedi clausos petisse asseverantes, in desidiam obsessores traduxerunt: & vigiliis quibus ob securitatem altiore stertitur somno, civitatis aditu reserato juventus exsiluit velox: passibusque insonis expeditis mucronibus repens (x), cum castra nihil metuentium invasissent, jacentes multos nullis resistentibus trucidarunt. Hæc inopina defectio necesque insperatæ Persarum, inter nos & Saporem discordiarum excitavere causas immanes: illo etiam accedente, quod Arsacis filium Param, suadente matre cum paucis è munimento digressum, susceptumque Imperator Valens apud Neocæsaream morari præcepit, urbem Polemoniaci ponti notissimam, liberali victu curandum & cultu. Qua humanitate Cylaces & Artabannes inlecti, missis oratoribus ad Valentem, auxilium eumdemque Param sibi Regem tribui poposcerunt. Sed pro tempore adjumentis negatis, per Terentium Ducem Para reducitur in Armeniam, recturus interim

Sapor Rex Persidis Armeniam invadit. U.C. 1120. p. C. N. 368.

Arsaces Rex Armeniæ per fraudes interficitur.

Artogerassa à Sapore obsidetur.

Para filius Arsacis à Valente suscipitur.

In Armeniam reducitur.

(o) al. gemina. (p) al. altius, (q) al. interpellando. (r) al. minutus. (s) al. diruptus. (t) al. nationem hominum. (u) al. minacem. (x) al. repentes.

interim ſine ullis inſignibus gentem: quod ratione juſta eſt obſervatum, ne fracti fœderis nos argueremur & pacis. Hoc comperto textu geſtorum Sapor ultra hominem efferatus, concitis majoribus copiis Armenias aperta prædatione vaſtabat. Cujus adventu territus Para, itidemque Cylaces & Artabannes, nulla circumſpectantes auxilia, celſorum montium petivere receſſus (*y*), limites noſtros diſterminantes & Lazicam: ubi per ſilvarum profunda & flexuoſos colles menſibus quinque deliteſcentes, Regis multiformes luſere conatus. Qui operam teri fruſtra contemplans ſidere flagrante brumali, pomiferis exuſtis arboribus, caſtelliſque munitis & caſtris quæ ceperat ſuperata vel prodita, cum omni pondere multitudinis Artogeraſſam circumſeptam & poſt varios certaminum caſus laſſatis (*z*) defenſoribus patefactam incendit: Arſacis uxorem erutam inde cum theſauris abduxit. Quas ob cauſas ad eas regiones Arinthæus cum exercitu mittitur Comes, ſuppetias laturus Armeniis, ſi eos exagitare procinctu gemino tentaverint Perſæ. Inter quæ Sapor immenſum quantum aſtutus, & cum ſibi conduceret humilis aut elatus, ſocietatis futuræ ſpecie Param ut incurioſum ſui per latentes nuntios increpabat, quod majeſtatis regiæ velamento Cylaci ſerviret & Artabanni: quos ille præceps blanditiarum illecebris interfecit, capitaque cæſorum ad Saporem ut ei morigerus miſit. Hac clade late diffuſa, Armenia omnis periſſet impropugnata, ni Arinthæi adventu (*a*) territi Perſæ eam incurſare denuo diſtuliſſent: hoc ſolo contenti, quod ad Imperatorem miſere legatos, petentes nationem eamdem, ut ſibi & Joviano placuerat, non defendi. Quibus repudiatis, Sauromaces pulſus ut ante diximus Hiberiæ regno, cum duodecim legionibus & Terentio remittitur: & eum amni Cyro jam proximum Aſpacures oravit, ut ſocia poteſtate conſobrini regnarent: cauſatus ideo ſe nec cedere, nec ad partes poſſe tranſire Romanas, quod Ultra (*b*) ejus filius obſidis lege tenebatur adhuc apud Perſas. Quæ Imperator doctus, ut concitandas ex hoc quoque negotio turbas conſilio prudentiaque molliret, diviſioni adquievit Hiberiæ: ut eam medius dirimeret Cyrus, & Sauromaces Armeniis finitima retineret & Lazis, Aſpacures Albaniæ Perſiſque contigua. His percitus Sapor, pati ſe exclamans indigna, quod contra fœderum textum juvarentur Armeniæ, & evanuit (*c*) legatio quam ſuper hoc miſerat corrigendo, quodque ſe non aſſentiente nec conſcio dividi placuit Hiberiæ regnum: velut obſeratis amicitiæ foribus vicinarum gentium auxilia conquirebat, ſuumque parabat exercitum, ut ſe renata cœli temperie ſubverteret omnia, quæ ex re ſua ſtruxere Romani.

Sapor Artogeraſſam incendit.

Arinthæus Armeniis auxilio mittitur.

Sauromaces præfectus Hiberiæ à Sapore pellitur. U. C. 1120. p. C. N. 368.

Explicit Liber XXVII.

AMMIANI MARCELLINI RERUM GESTARUM LIBER XXVIII.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

DUm apud Perſas, ut ſupra narravimus, perfidia Regis motus agitat inſperatos, & in Eois tractibus bella rediviva conſurgunt: anno ſexto decimo & eo diutius poſt Nepotiani exitium, ſæviens per Urbem æternam urebat cuncta Bellona, ex primordiis minimis ad clades excita luctuoſas: quas obliteraſſet utinam juge ſilentium! ne forte paria quandoque tententur, plus exemplis generalibus nocitura quam delictis. Ac licet ab textu cruento geſtorum exquiſite narrando, juſtus me retraheret metus multa reputantem & varia; tamen præſentis temporis modeſtia fretus, carptim ut quæque memoria digna ſunt explanabo: nec pigebit quid ex his, quæ apud veteres acciderint, timuerim, docere ſuccincte. (*d*) Bello Medico primo cum diripuiſſent Aſiam Perſæ, obſidentes Miletum molibus magnis, minanteſque defenſoribus cruciabiles neces, injecere clauſis neceſſitatem, omnes magnitudine malorum adflicti, peremptis caritatibus propriis, projectoque in ignem mobili cenſu, arſuros ſe certatim congererent in communem pereuntis patriæ rogum. Hoc argumentum paullo poſtea digeſtum tumore tragico Phrynichus in theatrum induxerat Athenarum: paulliſperque jucunde auditus, cum cothurnatius (*e*) ſtilus procederet lacrymoſus, indignatione damnatus eſt populi, arbitrati non conſolandi gratia, ſed probroſe monendi quæ pertulerat amabilis civitas, nullis auctorum adminiculis fulta, hos quoque dolores ſcenicis adnumeraſſe fabulis inſolenter: Miletumque relegatus eſt. Erat enim Athenienſium colonia

Mileti obſidium in tragœdia à Phrynicho repræſentatum.

Miletus Athenienſium colonia.

(*y*) al. ſeceſſus. (*z*) al. laxatis. (*a*) al. periſſet, ni propugnatoris Arinthæi adventu &c. (*b*) al. Ultus. (*c*) al. evanuerit. (*d*) al. acciderint, interim docere ſuccincte. (*e*) al. cothurnarius.

lonia Miletus, deducta inter Jonas alios per Nileum filium Codri, qui fertur pro patria bello se Dorico devovisse. Sed ad proposita veniamus. Maximinus regens quondam Romæ Vicariam Præfecturam, apud Sopianas Valeriæ oppidum obscurissime natus est, patre Tabulario Præsidialis officii, orto à posteritate Carporum quos antiquis excitos sedibus Diocletianus transtulit in Pannoniam. Is post mediocre studium liberalium doctrinarum (*f*), defensionemque causarum ignobilem, & administratas Corsicam itidemque Sardiniam, rexit deinde Tusciam. Unde morato in itinere diutius successore, progressus ad curandam Urbis annonam, etiam provinciæ moderamina retinebat: egitque consideratione triplici inter exordia cautius. Primo quod recalebant in auribus ejus parentis effata, quid augurales alites vel cantus monerent oscinum apprime callentis, adusque sublimia regimenta, sed periturum ferro pœnali: dein quod nactus hominem Sardum, quem ipse postea per dolosas fallacias interemit ut circumtulit rumor, eliciendi animulas noxias & præsagia sollicitare larvarum perquam gnarum: dum superesset ille, timens ne proderetur, tractabilis erat & mollior: postremo quod tamquam subterraneus serpens per humiliora reptando, nondum majores funerum excitare poterat causas. Principium autem unde latius se funditabat, emersit ex negotio tali. Chilo ex-Vicario & conjunx ejus Maxima nomine, questi apud Olybrium ea tempestate Urbi Præfectum, vitamque suam venenis petitam asseverantes impetrarunt, ut hi quos suspectati sunt, illico rapti compingerentur in vincula: organarius Sericus, & Asbolius palæstrita, & Haruspex Campensis. Verum negotio tepescente ob (*g*) diuturnam morborum asperitatem qua tenebatur Olybrius: morarum (*h*) impatientes hi qui rem detulerunt, libello petiverunt oblato, ut examinandum jurgium Præfecto mandaretur annonæ: idque studio celeritatis concessum est. Accepta igitur nocendi materia Maximinus effudit genuinam ferociam, pectori crudo adfixam: ut sæpe faciunt amphitheatrales feræ, diffractis tandem solutæ posticis. Cumque multiformiter quasi in proludiis negotium spectaretur, & quidam sulcatis lateribus nominassent, nobiles aliquos, tamquam usos artificibus lædendi per clientes, aliosque humiles, notos reos & indices: supra plantam (ut dicitur) evagatus tartareus cognitor, relatione maligna docuit Principem, nonnisi suppliciis acrioribus perniciosa facinora scrutari posse vel vindicari quæ Romæ perpetravere complures. His ille cognitis efferatus, ut erat vitiorum inimicus acer magis quam severus, uno proloquio in hujusmodi causas, quas arroganter (*i*) proposito Majestatis imminutæ miscebat, omnes quos juris prisci justitia divorumque arbitria quæstionibus exemere cruentis, si postulasset negotium, statuit tormentis affligi. Utque congeminata potestas erectaque sublatius altiores consarcinaret ærumnas, Maximino Romæ agere disposito pro Præfectis, sociavit ad hæc cognoscenda quæ in multorum pericula struebantur, Leonem Notarium, postea Officiorum Magistrum, bustuarium quemdam latronem Pannonium, efflantem ferino rictu crudelitatem, etiam ipsum nihilominus humani sanguinis avidissimum. Auxit obstinatum Maximini ingenium ad lædendum adventus collegæ similis, & litterarum cum ampla dignitate dulcedo. Ideoque pedes huc & illuc exsultando contorquens, saltare non incedere videbatur, dum studebat inter altaria celsius gradientes, ut quidam memorant, imitari Brachmanas. Jamque lituis cladium concrepantibus internarum, rerum atrocitate torpentibus cunctis, præter multa cruda & immitia, quorum nec diversitas comprehendi nec numerus potest, mors Marini causarum defensoris eminuit: quem ut ausum Hispanillæ cujusdam artibus pravis adfectasse conjugium, transeunter indiciorum fide discussa, supplicio letali damnavit. Et quoniam existimo forsitan aliquos hæc lecturos, exquisite scrutando notare, strepentes id actum esse prius, non illud, aut ea quæ viderint prætermissa: hactenus faciendum est satis, quod non omnia narratu sunt digna, quæ per squalidas transiere personas: nec si fieri fuisset necesse, instructiones vel ex ipsis tabulariis suppeterent publicis, tot calentibus malis, & novo furore sine retinaculis imis summa miscente: cum justitium esse quod timebatur, non judicium aperte constaret. Tunc Cethegus Senator adulterii reus delatus, cervice periit abscissa, & Alypius nobilis adulescens, ob levem relegatus errorem, aliique humiles publica morte oppetiverunt: in quorum miseriis velut sui quisque discriminis cernens imaginem, tortorem & vincula somniabat & diversoria tenebrarum. Eodem tempore etiam Hymetii præclaræ indolis viri negotium est actitatum: cujus hunc fuisse novimus textum. Cum Africam Proconsule regeret, Carthaginensibus victus inopia jam lassatis, ex horreis Romano Populo destinatis frumentum dedit: paulloque postea cum provenisset segetum copia, integre sine ulla restituit mora. Verum quoniam denis modiis singulis solidis indigentibus venumdatis, emerat ipse tricenos, interpretii (*k*) compendium ad Principis ærarium misit. Ideoque Valentinianus per nundinationem suspicatus parum quam oportuerat missum, eum bonorum parte mulctavit. Ad cujus cladem exaggerandam id quoque iisdem diebus acciderat non minus exitiale. Amantius Haruspex ea tempestate præ cæteris notus, occultiore (*l*) indicio proditus, quod ob prava quædam implenda, ad sacrificandum ab eodem esset adscitus Hymetio, inductusque in judicium, quamquam incurvus sub eculeo staret, pertinaci negabat instantia. Quo infitiante, secretioribus chartis ab ejus domo prolatis, commonitorium repertum est manu scriptum (*m*) Hymetii, petentis ut obsecrata ritu sacrorum sollemnium numina erga se Imperatores delenirent (*n*): cujus extima parte quædam invectiva legebantur (*o*) in Principem, ut & ava-

Marginal notes: Maximinus Vicarius Urbis Romæ quid egerit. — Quomodo veneficia Romæ innotuerint. U.C. 1120. p. C. N. 368. — Marini causarum patroni mors. — Cethegus adulterii reus capite punitur; Alypius relegatur. — Hymetius bonis mulctatur. — Amantius Haruspex.

(*f*) al. disciplinarum. (*g*) al. propter. (*h*) al. moræ. (*i*) al. arroganti. (*k*) al. integrum. (*l*) al. occultiores. (*m*) al. inscriptum. (*n*) al. declineret. (*o*) al. legebatur.

& avarum & truculentum. Hæc Valentinianus relatione judicum doctus, asperius interpretantium facta, figor nimio in negotium jussit inquiri. Et quia Frontinus Consiliarius antedicti, minister fuisse conceptæ precationis arguebatur, concisus virgis atque confessus, ablegatus est in exsilium ad Britannos: Amantius vero damnatus postea rerum capitalium interiit. Post hanc gestorum seriem Hymetius ad oppidum ductus Ocriculum, audiendus ab Ampelio Urbi Præfecto de Maximino Vicario, confestimque perdendus ut apparebat, data sibi copia rectius Imperatoris præsidium appellavit, nominisque ejus perfugio tectus, servabatur incolumis. Super hoc Princeps consultus, Senatui negotium dedit. Qui cum rem librata justitia comperisset, eumque ad Boas Dalmatiæ locum exterminasset, ægre Imperatoris iracundiam tulit perciti vehementer, quod hominem addictum ut ipse proposuerat morti, clementiori sententia didicerat plexum. Ob hæc & hujusmodi multa, quæ cernebantur in paucis, omnibus timeri sunt cœpta. Et ne tot malis dissimulatis paullatimque serpentibus, acervi crescerent ærumnarum, Nobilitatis decreto legati mittuntur: Prætextatus ex Urbi Præfecto, & ex-Vicario Venustus, & ex-Consulari Minervius, oraturi ne delictis supplicia sint grandiora, neve Senator quisquam inusitato & illicito more tormentis exponeretur. Qui cum intromissi in Consistorium hæc referrent, negantem Valentinianum se id statuisse, & calumnias perpeti clamitantem, moderate redarguit Quæstor Eupraxius: hacque libertate emendatum est crudele præceptum, supergressum omnia diritatis exempla. Circa hos dies Lollianus primæ lanuginis adulescens, Lampadii filius ex-Præfecto, exploratius causam Maximino spectante, convictus codicem noxiarum artium nondum per ætatem firmato consilio descripsisse, exsulque mittendus ut sperabatur, patris impulsu provocavit ad Principem: & jussus ad ejus Comitatum duci, de fumo (ut ajunt) in flammam; traditus Phalangio Bæticæ Consulari, cecidit funesti (*p*) carnificis manu. Super his etiam Tarracius Bassus postea Urbi Præfectus, & frater ejus Camenius, & Marcianus quidam, & Eusaphius, omnes Clarissimi, arcessiti in crimen, quod ejusdem conscii veneficii aurigam fovere dicebantur Auchenium: documentis etiam tum ambiguis, suffragante absoluti sunt Victorino, ut dispersus prodidit rumor, qui erat amicus Maximino junctissimus. Nec minus feminæ quoque calamitatum participes fuere similium. Nam ex hoc quoque sexu peremptæ sunt originis altæ complures, adulteriorum flagitiis obnoxiæ vel stuprorum. Inter quas notiores fuere Claritas & Flaviana: quarum altera cum duceretur ad mortem, indumento quo vestita erat abrepto, ne velamen quidem secreto membrorum sufficiens retinere permissa est. Ideoque carnifex nefas admisisse convictus immane, vivus exustus est. Paphius quinetiam & Cornelius Senatores, ambo venenorum artibus pravis se polluisse confessi (*q*), eodem pronuntiante Maximino sunt interfecti. Pari sorte etiam Procurator monetæ exstinctus est. Sericum enim & Asbolium supradictos, quoniam cum hortaretur passim nominare quos vellent, adjecta religione firmarat, nullum igni vel ferro se puniri jussurum, plumbi validis ictibus interemit. Et post hæc flammis Campensem haruspicem dedit, in negotio ejus nullo sacramento constrictus. Opportunum est, ut arbitror, explanare nunc causam, quæ ad exitium præcipitem Aginatium impulit, jam inde à priscis majoribus nobilem, ut locuta est pertinacior fama: nec enim super hoc ulla documentorum rata est fides. Anhelans flatu superbo Maximinus etiam tum Præfectus annonæ, nactusque audaciæ incitamenta non levia, tendebat adusque Probi contemptum, viri Summatum omnium maximi, jureque Præfecturæ Prætorianæ regentis Provincias. Quod Aginatius indignissime ferens, dolensque in examinandis causis Maximinum ab Olybrio sibi prælatum, cum esset ipse Vicarius Romæ: familiari sermone docuit Probum occulte, facile vanum hominem recalcitrantem sublimibus meritis posse opprimi, si ille id fieri censuisset. Has litteras, ut quidam asseverabant, Probus ad Maximinum, eruditiorem jam in sceleribus commendatumque Principi pertimescens, nullo conscio præter bajulum misit. Hisque recitatis ita homo ferus exarsit, ut machinas omnes in Aginatium deinde commoveret: velut serpens vulnere noti cujusdam adtritus. Accessit his alia potior insidiarum materia, quæ eumdem Aginatium obruit. Victorinum enim defunctum insimulabat, ut Maximini actus, dum superarat, venditantem: cujus ex testamento legata ipse sumpserat non aspernanda: parique petulantia Anepsiæ quoque ejus uxori lites minabatur & jurgia. Quæ hæc metuens, ut Maximini etiam muniretur auxilio, finxit maritum in voluntate quam condiderat nuper, argenti tria millia pondo eidem reliquisse. Qui aviditate nimia flagrans, (nec enim hoc quoque vitio caruit), petit hereditatis medietatem. Verum etiam hoc ut parum sufficienti nequaquam contentus, aliud commentus est ut arbitrabatur honestum & tutum: & ne amitteret ansam sibi oblatam lucrandi uberis patrimonii, Victorini privignam Anepsiæ filiam petit filio conjugem: idque assentiente muliere prompte firmatum est. Per hæc & alia simili mœrore deflenda, quæ decolorabant speciem Urbis æternæ, grassabatur per strages multiplices fortunarum homo cum gemitu nominandus, ultra forenses terminos semet extentans. Namque & resticulam de fenestra Prætorii (*r*) quadam remota dicitur semper habuisse suspensam, cujus summitas quædam velut clausa colligaret, nullis (*s*) quidem indiciis fulta, sed nocitura insontibus multis: & Mucianum Barbarumque Apparitores aliquotiens discretim trudi jubebat, ad fallendum aptissimos. Hi tamquam ejulando casus quibus se simulabant oppressos, judicis exaggerando crudelitatem

Frontinus Consiliarius Amantii in exsilium mittitur.

Amantius vero capitali supplicio interit.

Euptaxius Valentiniani crudelitatem reprehendit.

Lollianus ob descriptum librum artium vetitarum accusatur.

Alii veneficiorum accusantur.

Feminæ quoque stuprorum & adulteriorum accusantur.

Aginatius Maximino inimicus.

Aginatii ruina.

Mucianus & Barbarus Apparitores.

(*p*) al. funesta. (*q*) al. convicti. (*r*) al. Prætoris. (*s*) al. cujus summitas quandam velut tamusam colligaret, nullis &c.

tatem, remedium nullum aliud reis ad obtinendam vitam supereſſe eadem replicando ſæpe adſeverabant, ni criminibus magnis petiſſent nobiles viros: quibus ad ſui ſocietatem adnexis, facile eos abſolvi poſſe firmabant. Ob quæ implacabilitate ultra (*t*) appoſita jam pergente, manus vinclis ſunt artatæ complurium: ortuque nobiles inculti videbantur & anxii. Nec eorum culpari quisquam debuit, cum ſalutantes humum pæne curvatis, contingentibus membris, perſæpe clamantem audirent ſpiritus ferini latronem, nullum ſe invito reperiri poſſe inſontem. Quæ verba effectui propere juncta terruiſſent profecto Numæ Pompilii ſimiles & Catonum. (*u*) Prorſus enim ſic agebatur, ut nec in alienis malis quorumdam exareſcerent lacrimæ: quod in variis & confragoſis actibus vitæ plerumque contingit. A jure tamen juſtitiaque crebro diſcedens ferreus cognitor, erat uno quaſi præcipuo tolerabilis. Interdum enim exoratus parcebat aliquibus, quod prope vitium eſſe in hoc loco legitur apud Tullium: *Nam ſi implacabiles iracundiæ ſunt, ſumma eſt acerbitas: ſin autem exorabiles, ſumma levitas: quæ tamen, ut in malis, acerbitati anteponenda eſt.* Poſt hæc prægreſſo Leone, acceptoque ſucceſſore, ad Principis Comitatum Maximinus accitus, auctusque Præfectura Prætoriana, nihilo lenior fuit, & jam longius nocens, ut baſiliſci ſerpentes. In id tempus aut non multo prius, ſcopæ florere ſunt viſæ, quibus Nobilitatis Curia mundabatur: idque portendebat extollendos quosdam deſpicatiſſimæ ſortis ad gradus poteſtatum excelſos. Et quamlibet tempeſtivum eſt ad ordinem redire cœptorum, tamen nihil impedituri temporum curſus immorabimur paucis, quæ per iniquitatem curantium Vicarium Præfecturam in Urbe contra quam oportuerat geſta ſunt, quia ad nutum Maximini & voluntatem, iisdem miniſtris velut Apparitoribus gerebantur. Poſt hunc venit Urſicinus ad mitiora propenſior: qui quoniam cautus eſſe voluit & civilis, retulerat Eſaiam cum aliis, ob commiſſum adulterium in Rufinam detentis, Marcellum maritum ejus ex-Agente in rebus, reum imminutæ majeſtatis deferre conatis: ideoque ut cunctator contemptus, & ad hæc fortiter exſequenda parum conveniens, è Vicaria poteſtate diſceſſit. Huic ſucceſſit Emonenſis Simplicius, Maximini Conſiliarius ex Grammatico, poſt adminiſtratam nec erectus nec tumidus, ſed obliquo adſpectu terribilis, qui compoſitis ad modeſtiam verbis acerba meditabatur in multos. Et primo Rufinam cum univerſis auctoribus adulterii commiſſi vel conſciis interfecit, ſuper quibus Urſicinum retuliſſe prædiximus: alios deinde complures nullo noxiorum diſcrimine vel inſontium. In cruento enim certamine cum Maximino velut antepilano ſuo contendens, ſuperare eum in ſuccidendis familiarum nobilium nervis ſtudebat: Buſirim veterem & Antæum imitatus, & Phalarim, ut taurus ei ſolus deeſſe videretur Agrigentinus. His in hunc modum ac talibus actitatis, Heſychia quædam matrona obintentatum crimen, in domo Apparitoris cui cuſtodienda eſt tradita, multa pertimeſcens & ſæva, fulcro plumeo vultu contracto incubuit, & animam occluſo narium ſpiramento effudit. Adjunctum eſt his aliud haud mitius malum. Eumenius enim & Abienus ambo ex cœtu ampliſſimo, infamati ſub Maximino in Fauſianam feminam non obſcuram, poſt Victorini obitum quo juvante vixere ſecurius, Simplicii adventu perterrefacti, non ſecus volentis magna cum minis, ad ſecreta receptacula ſe contulerunt. Sed Fauſiana damnata inter reos recepti vocatique edictis, ſemet abſtruſius amandarunt: quorum Abienus apud Anepſiam diu deliteſcebat. Sed ut ſolent inſperati caſus adgravare miſerabiles clades, Apaudulus nomine ſervus Anepſiæ, verberatæ conjugis dolore perculſus, negotium ad Simplicium detulit nocte progreſſus: miſſique Apparitores indicatos è latebris abſtraxerunt. Et Abienus quidem exaggerato crimine ſtupri, quod intuliſſe dicebatur Anepſiæ, morte multatus eſt. Mulier vero ut continendæ vitæ ſpe firmam dilato poſſet habere ſupplicio, appetitam ſe nefariis artibus, vim in domo Aginatii perpeſſam aſſeveravit. Hæc ut geſta ſunt mugitus ad Principem Simplicius retulit: agensque ibi Maximinus, infeſtus ob cauſam quam ſupra docuimus Aginatio, ſimultate una cum poteſtate in majus accenſa, (oravit) impenſe ut reſcriberetur eum occidi: & impetravit facile male ſanus incitator & potens. Metuensque gravioris invidiæ pondus, ne pronuntiante Simplicio & conſiliario ſuo & amico, periret homo patriciæ ſtirpis; tenuit apud ſe paulliſper Imperiale præceptum, hærens & ambigens quemnam potiſſimum exſecutorem atrocis rei fidum inveniret & efficacem. Tandemque ut ſolent pares facile congregari cum paribus, Doryphorianus quidam repertus eſt Gallus, audax adusque inſaniam: cui hanc operam implere brevi pollicito deferri providit Vicariam, & commonitorium cum Auguſti litteris tradidit: inſtruens hominem ſævum quidem ſed rudem, qua celeritate Aginatium ſine ullo deleret obſtaculo, dilatione qualibet inventa forſitan evaſurum. Feſtinavit ut mandatum eſt Doryphorianus magnis itineribus Romam: & inter adminiſtrandi initia magna quæritabat induſtria, qua vi Senatorem perſpicui generis interficeret juvantibus nullis. (*x*) Cognitoque eum jam pridem repertum in villa propria cuſtodiri, ipſe tamquam (*y*) caput ſontium, pariterque Anepſiam, horrore medio tenebrarum audire diſpoſuit, quo tempore hebetari ſolent obſtrictæ terroribus mentes: ut inter innumera multa Ajax quoque Homericus docet, optans perire potius luce, quam pati formidinis augmenta nocturnæ. Et quoniam judex, quin immo prædo nefandus ad id ſolum quod promiſit intentus, cuncta extollebat in majus, juſſo Aginatio ſtatui, agmina fecit introire carnificum: cateniſque ſonantibus triſte, mancipia ſqualore diuturno marcentia in domini caput

Maximini Præfecti Prætorio crudelitas.

Urſicinus Maximino ſuccedit.

Huic Emonenſis Simplicius.

Qui Rufinam adulterii damnat.

Heſychia nobilis femina fulcro plumeo ſe extinguit.

Fauſiana nobilis femina adulterii rea delata.

Abienus adulterii reus morte multatur.

Doryphorianus homo audax.

(*t*) al. Ob quæ impia, vilitate ultra &c. (*u*) al. Catonem. (*x*) al. nonnullis. (*y*) al. propria, vultu diro ipſe tamquam &c.

put adusque ultimum lacerabat exitium: quod in stupri quæstione fieri vetuere clementissimæ leges. Denique cum jam contigua morti tormenta ancillæ voces expressissent obliquas, indicii fide parum plene discussa, Aginatius ad supplicium duci pronuntiatus abrupte, nec auditus cum magnis clamoribus appellaret nomina Principum, sublimis raptus occiditur, pari sententia Anepsia interfecta. Hæc agitante Maximino cum adesset, perque emissarios cum procul ageret, funera Urbs deploravit æterna. Sed accelerarunt ultimæ diræ cæsorum. Namque ut postea tempestive dicetur, & idem Maximinus sub Gratiano intoleranter se efferens, damnatorio jugulatus est ferro, & Simplicius in Illyrico truncatus: & Doryphorianum pronuntiatum capitis reum, trusumque carcere Tulliano, matris consilio Princeps exinde rapuit, reversumque ad lares per cruciatus oppressit immensos. Unde huc fleximus revertamur: is urbanarum rerum status ut ita dixerim fuit.

Aginatius & Anèpsia ad supplicium rapiuntur.

Maximinus & Simplicius capitali supplicio pereunt.

CAP. II. At Valentinianus magna animo concipiens & utilia, Rhenum omnem à Rhætiarum exordio adusque fretalem Oceanum magnis molibus communiebat, castra extollens altius & castella, turresque assiduas per habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo: nonnumquam etiam ultra flumen ædificiis positis subradens barbaros fines. Denique cum reputaret munimentum celsum & tutum, quod ipse à primis fundarat auspiciis, præterlabente Nicro nomine fluvio, paullatim subverti posse undarum pulsu immani, meatum ipsum aliorsum vertere cogitavit, & quæsitis artificibus peritis aquariæ rei, copiosaque militis manu arduum est opus adgressus. Per multos enim dies compaginatæ formæ è roboribus, conjectæque in alveum, fixis refixisque aliquotiens prope ingentibus stilis, fluctibus erectis confundebantur, avulsæque vi gurgitis interrumpebantur. Vicit tamen Imperatoris vehementior cura, & morigeri militis labor, mento tenus dum operaretur sæpe demersi: tandemque non sine quorumdam discrimine castra præsidiaria inquietudine urgentis (z) amnis exempta, nunc valida sunt. Ac talibus lætus exsultansque, pro anni & temporis statu dilapsos conducens, Reipublicæ curam habuit, ut officio Principis congruebat. Ratusque aptissimum ad id quod deliberabat implendum, trans Rhenum in monte Piri, qui barbaricus locus est, munimentum exstruere disposuit raptim. Utque celeritas effectum negotii faceret tutum, per Syagrium tunc Notarium, postea Præfectum & Consulem, Aratorem monuit Ducem, ut dum undique altum, (a) esset silentium, id arripere conaretur. Transiit cum Notario Dux ut jussum est statim, fodereque per militem quem duxit fundamenta exorsus, Hermogenem susceperat successorem: eodemque puncto quidam Optimates Alemanni venere obsidum patres, quos (b) lege fœderis mansuræque diutius pacis haud aspernanda pignora tenebamus. Qui flexis poplitibus supplicabant, ne Romani securitatis improvidi, quorum fortunam sempiterna fides cœlo contiguam fecit, pravo deciperentur (c) errore, pactisque calcatis rem adorirentur indignam. Verum hæc & similia loquentes incassum, cum nec audirentur, nec quietum aliquid vel mite referri sentirent, filiorum flentes exitium discesserunt: iisdemque digressis, ex abdito collis propinqui barbaricus prosiluit globus, Optimatibus tum danda responsa, ut intelligi dabatur, opperiens: adortusque (d) milites seminudos humum etiam tum gestantes, expeditis agiliter gladiis obtruncabant: inter quos etiam Duces ambo sunt cæsi. Nec indicaturus gesta superfuit quisquam præter Syagrium: qui deletis omnibus ad Comitatum reversus, irati sententia Principis sacramento exutus, abiit ad lares, id commeruisse sævo judicatus arbitrio, quod evaserit solus. Hæc inter per Galliam latrociniorum rabies sæva scatebat in perniciem multorum, observans celebres vias, fundensque indubitanter quidquid inciderat fructuosum. Denique præter complures alios, quos absumpserunt insidiæ tales, Constantianus Tribunus stabuli, impetu est clandestino exceptus, moxque interfectus, Valentiniani adfinis, Cerealis & Justinæ germanus. At procul tamquam horum similia cientibus furiis (e) per omne latus, Maratocupreni grassatores acerrimi vagabantur, vici hujus nominis incolæ in Syria prope Apamiam positi, nimium quantum numero & exquisitis fallaciis abundantes: ideoque formidati, quod mercatorum militumque honoratorum specie sine strepitu ullo diffusi, opimas domos (f) villas & oppida (g) pervadebant. Nec quisquam adventum eorum cavere poterat inopinum, non destinata sed varia petentium & longinqua, & quoquo ventus duxerat irrumpentium: quam ob causam præ ceteris hostibus Saxones timentur ut repentini. Et quamlibet conjurati multorum opes attriverint (h), œstroque concepti (i) furoris exagitati strages edidere luctificas, sanguinis nihilo minus avidi quam prædarum. Sed ne per minutias gesta narrando operis impediam cursum, id unum sufficiet eorum exitiale poni commentum. Quæsitus in unum impiorum hominum globus, imitatus Rationalis officium ipsumque judicem, vespertinis tenebris lugubre clamante præcone civitatem ingressi, ambitiosam domum cujusdam Primatis, ut proscripti jussique interfici, cum gladiis obsederunt: raptaque supellectili pretiosa, quia subito perculsi familiares hebetatis sensibus non defenderant dominum, cæsis pluribus, ante revolutam lucem gressu discessere veloci. Verum cum exuviis referti (k) multorum, rapiendi dulcedine nil prætermitterent, intercepti imperiali motu, oppressi interiere omnes ad unum: eorumque soboles parva etiam tum, ne ad parentum exempla subcresceret, pari sorte deleta est, & lares versi, quos ambitiose luctuosis

Valentinianus totam Rheni ripam castris, castellis & turribus munit. U. C. 1121. p. C. N. 369.

Alemanni Romanos trans Rhenum munimentum exstruentes interficiunt.

Maratocupreni grassatores in Syria.

Jussu Valentis cum liberis & vico suo deleti.

(z) al. errantis. (a) al. actum. (b) al. venere obsides Imperatoris, quos &c. (c) al. deficerentur. (d) al. aggressique. (e) al. tamquam horum similes, agitantibus furiis &c. (f) al. sine ullo discrimine domos &c. (g) al. opes. (h) al. quamlibet conjuratis multorum opes attribuerentur. (i) al. œstro tamen concepti &c. (k) al. repleti.

luctuosis aliorum dispendiis construxerunt (*l*). Et hæc quidem textu processere narrato.

Theodosius urbes in Britannia à Barbaris vastatas restituit, & castella reparat. U. C. 1121. p. C. N. 369.

CAP. III. Theodosius vero dux nominis inclyti animo (*m*) vigore collecto ab Augusta profectus, quam veteres appellavere Lundinium, cum milite industria comparato sollerti, versis turbatisque Britannorum fortunis opem maximam tulit: opportuna ubique ad insidiandum barbaris prævenieus loca, nihil gregariis imperans, cujus non ipse primitias alacri capesseret mente. Hocque genere cum strenui militis munia & præclari ducis curas expleret, fusis variis gentibus & fugatis, quas insolentia nutriente securitate aggredi Romanas res inflammabat, in integrum restituit civitates & castra multiplicibus quidem damnis adflicta, sed ad quietem temporis (*n*) longi fundata. Evenerat autem eodem hæc agente facinus dirum, erupturum in periculum grave, ni inter ipsa conatus principia fuisset exstinctum. Valentinus quidam in Valeria Pannoniæ superbi spiritus homo, Maximini illius exitialis Vicarii, postea Præfecti conjugis frater, ob grave crimen actus in Britannias exsul, quietis impatiens malefica bestia ad res perniciosas consurgebat & novas, in Theodosium tumore quodam, quem solum resistere posse nefandis cogitationibus advertebat. Multa tamen clam palamque circumspiciens, crescente flatu cupiditatis immensæ exsules sollicitabat & milites, pro temporis captu ausorum illecebrosas pollicendo mercedes. Jamque propinquante tentatorum effectu, doctus hæc unde convenerat Dux alacrior ad audendum, & corde celso ad vindictam compertorum erectus, Valentinum quidem cum paucis arta sibi societate junctissimis letali pœna plectendos Dulcitio dediderat Duci: militari scientia vero, qua superabat præsentes, futura conjiciens, de conjuratis quæstiones agitari prohibuit, ne formidine sparsa per multos, reviviscerent provinciarum turbines compositi. Hinc ad corrigenda plura conversus & necessaria, periculo penitus dempto, cum aperte constaret nulla ejus cœpta propitiam deseruisse fortunam, instaurabat urbes & præsidiaria, ut diximus, castra, limitesque vigiliis tuebatur & prætenturis,: recuperatamque provinciam, quæ in ditionem concesserat hostium, ita reddiderat statui pristino; ut eodem referente & rectorem haberet legitimum, & Valentia deinde vocaretur arbitrio Principis velut ovantis. Areanos genus hominum à veteribus institutum, super quibus aliqua in actibus Constantis retulimus, paullatim prolapsos in vitia à stationibus suis removit: aperte convictos, acceptarum promissarumque magnitudine prædarum allectos, quæ apud nos agebantur aliquotiens barbaris prodidisse. Id enim illis erat officium, ut ultro citroque per longa spatia discurrentes, vicinarum gentium strepitus nostris ducibus intimarent. Ita spectatissime antedictis rebus aliisque administratis similibus, ad comitatum accitus, tripudiantesque relinquens provincias, ut Furius Camillus vel Cursor Papirius, victoriis crebris & salutaribus erat insignis. Et favore omnium adusque fretum deductus, leni vento transgressus, venit ad commilitium Principis: cumque gaudio susceptus & laudibus, in locum Valentis Jovini successit, qui equorum copias tuebatur.

Valentinus Pannonius in Britannis exsul res novas molitur.

Britannia Valentia vocatur.

Arcani speculatores ob proditionem læsæ Majestatis rei.

Theodosius laudatur.

CAP. IV. Diu multumque à negotiis discursus (*o*) urbanis, adigente cumulo foris gestorum, ad ea strictim exsequenda regrediar, exorsus ab Olybrii Præfectura tranquilla nimis & leni: qui numquam ab humanitatis statu dejectus, sollicitus erat & anxius, ne quod usquam factum ejus asperum inveniretur aut dictum: calumniarum acerrimus insectator, fisci lucra unde poterat circumcidens, justorumque distinctor & arbiter plenus, in subjectis admodum temperatus. Sed obnubilabat hæc omnia vitium parum quidem nocens rei communi, sed in alto judice maculosum, quod citeriorem vitam pæne omnem vergentem in luxum per argumenta scenica amoresque peregerat nec vetitos, nec incestos. Post hunc urbem rexit Ampelius, cupidus ipse quoque voluptatum, Antiochiæ genitus; ex Magistro Officiorum ad Proconsulatum geminum, indeque multo postea ad Præfecturæ culmen evectus, lectus alia (*p*), & ad populi favorem adipiscendum aptissimus, nonnumquam tamen rigidus, atque utinam in proposito perseverans. Correxisset enim ex parte licet exigua irritamenta gulæ & ganeas tetras, ni flexus in molliora emisisset gloriam diu victuram. Namque statuerat, ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neve aquam vulgarium calefaceret quisquam, vel ad usque præstitutum diei spatium lixæ coctam proponerent carnem: vel honestus quidam mandens videretur in publico. Quæ probra aliaque his majora dissimulatione jugi neglecta ita effrenatius exarserunt, ut nec Epimenides ille Cretensis, si fabularum ritu ab inferis excitatus rediisset ad nostra, solus purgare sufficeret Romam: tanta plerosque labes insanabilium flagitiorum oppressit. Et primo Nobilitatis, ut aliquoties pro locorum copia fecimus, dein plebis digeremus errata, incidentia veloci constringentes excessu. Prænominum claritudine conspicui quidam ut putant, in immensum semet extollunt, cum Reburri, & Fabunii, & Pagonii Gerionesque appellentur, ac Dalii cum Tarraciis & perrasiis, aliisque ita decens sonantibus originum insignibus multis. Nonnullos fulgentes sericis indumentis, ut ducendos ad mortem, vel ut sine diritate ominis loquamur, prægresso exercitu arma cogentes, manipulatim concitato fragore sequitur multitudo servorum. Tales, ubi comitantibus singulos quinquaginta ministris tholos introierint balnearum, ubi sunt nostrum (*q*), minaciter clamant (*r*): si apparuisse subito ignota compererint mancipia, aut oppidanæ quondam prostibulum plebis, vel meritorii corporis veterem lupam: certatim concurrunt, palpantesque advenam deformitate magna blanditiarum ita extollunt, ut Semiramim Parthi, vel Cleopatras Ægyptus, aut Artemisiam Cares, vel

Olybrius Præfectus Urbi.

Ampelius Præfectus Urbi.

Nobilitatis Romanæ vitia.

(*l*) al. exstruxerant. (*m*) al. animi. (*n*) al. adflicta, quiete temporis &c. (*o*) al. digressus. (*p*) al. lætus alias. (*q*) al. nostrorum. (*r*) al. ubi ubi sunt minaciter clamantes.

vel Zenobiam Palmyreni. Et hæc admittunt hi, quorum apud majores cenſoria nota Senator adflictus eſt, auſus dum adhuc non deceret, præſente communi filia conjugem oſculari. Ex his quidam cum ſalutari pectoribus oppoſitis cœperunt, oſculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua ſuavianda vel manus, id illis ſufficere ad beate vivendum exiſtimantes: & abundare omni cultu humanitatis peregrinum putantes, cujus (*s*) forte etiam gratia ſunt obligati, interrogatum quibus thermis utatur aut aquis, aut ad quam ſucceſſerit domum. Et cum ita graves ſint & cultores virtutum ut putant, ſi venturos undelibet equos aut aurigas quemdam didicerint nuntiaſſe: ita velociter imminent, vident & percunctantur, ut Tyndaridas fratres eorum ſuſpexere majores, cum priſcis illis victoriis indicatis gaudio cuncta compleſſent. Horum domus otioſi quidam garruli frequentant, variis adſentandi figmentis ad ſingula altioris fortunæ verba plaudentes, paraſitorum in comœdiis .... ætas affectando. Ut enim illi ſufflant milites glorioſos, obſidiones urbium & pugnas & millia hoſtium iiſdem ut heroïcis æmulis aſſignantes: ita hi quoque columnarum conſtructiones alta fronte ſuſpenſas mirando, atque parietes lapidum circumſpectis coloribus nitidos, ultra mortalitatem nobiles viros extollunt. Poſcuntur etiam in conviviis aliquoties trutinæ, ut appoſiti piſces & volucres ponderentur & glires: quorum magnitudo ſæpius replicata (*t*) non ſine tædio præſentium, ut antehac inuſitata, laudatur adſidue: maxime cum hæc eadem numerantes Notarii triginta prope adſiſtant cum thecis & pugillaribus tabulis, ut deeſſe ſolus Magiſter ludi litterarii videretur. Quidam deteſtantes ut venena doctrinas, Juvenalem & Marium Maximum curatiore ſtudio legunt, nulla volumina præter hæc in profundo otio contrectantes: quam ob cauſam, non judicioli eſt noſtri. Cum multa & varia pro amplitudine gloriarum & generum lectitare deberent, audientes deſtinatum pœnæ Socratem, conjectumque in carcerem, perrogaſſe quemdam ſcite lyrici carmen Steſichori modulantem, ut doceretur id agere dum liceret: interroganteque muſico, *quid ei poterit hoc prodeſſe morituro poſtridie*, reſpondiſſe, *ut aliquid ſciens amplius è vita diſcedam.* Ita autem pauci ſunt inter eos ſeveri vindices delictorum, ut ſi aquam calidam tardius attulerit ſervus, trecentis adfligi verberibus jubeatur: ſi hominem ſponte occiderit propria, inſtantibus plurimis ut damnetur reus, dominus (*u*) hactenus exclamat. Quid faciat malus, famoſus, & nequam? & ſi quis aliud ejuſmodi deinceps auſus fuerit, corrigetur. Civilitatis autem hoc apud eos eſt nunc, quod expedit peregrino fratrem interficere cujuslibet, quam rogatus (*x*) ad convivium excuſare: defectum enim patrimonii ſe oppido perpeti Senator exiſtimat, ſi is defuerit, quem aliquoties libratis ſententiis invitaverit ſemel.

Pars eorum ſi agros viſuri proceſſerunt longius, aut alienis laboribus venaturi, Alexandri Magni itinera ſe putant æquiperaſſe vel Cæſaris: aut ſi à lacu Averni lembis invecti ſunt pictis Puteolos vel Cajetam, maxime cum id vaporato audeant tempore. Ubi ſi inter aurata flabella laciniis ſericis inſederint muſcæ, vel per foramen umbraculi penſilis radiolus irruperit Solis, queruntur quod non ſunt apud Cimmerios nati. Dein cum à Silvani lavacro vel Mammææ aquis ventitant ſoſpitalibus, ut quiſquam eorum egreſſus tenuiſſimis ſe terſerit linteis, ſolitis (*y*) preſſoriis veſtes luce nitentes arbitra diligenter explorat, quæ una portantur ſufficientes ad induendos (*z*) homines undecim: tandemque electis aliquot involutus, receptis anulis, quos ne violentur humoribus, famulo tradiderat, digitis ut metatis abit. Enimvero ſi quis è militia Principis recens digreſſus abierit in larem, aut provectibus, tali præſente..... irio ..... lenu præſul exiſtimatur: ceteri taciturni audiunt dicta..... ſolus paterfamilias tectus narrans aliena & placentia referens & utile pleraque fallendo. Quidam ex iis licet rari aleatorum vocabulum declinantes, ideoque ſe cupientes appellari teſſerarios: inter quos tantum differt, quantum inter fures & latrones. Hoc tamen fatendum eſt, quod cum omnes amicitiæ Romæ tepeſcant, aleariæ ſolæ, quaſi glorioſis quæſitæ ſudoribus, ſociales ſunt, & adfectu nimio firmitate plena connexæ: unde quidam ex his gregibus inveniuntur ita concordes, ut Quintilios eſſe exiſtimes fratres. Ideoque videre licet ignobilem, artis teſſerariæ callentem arcana, ut Catonem Porcium ob repulſam Præturæ nec ſuſpectam antea nec ſperatam, incedere gravitate compoſita mœſtiorem, quod ei in majore convivio vel conſeſſu Proconſularis quidam eſt antelatus. Subſident aliqui copioſos homines, ſenes aut juvenes, orbos vel cælibes, aſt etiam uxores habentes & liberos, (nec enim in hoc titulo diſcrimen aliquod obſervatur) ad voluntates condendas allicientes eos præſtigiis (*a*) miris: qui cum ſupremis judiciis ordinatis, quæ habebant reliquerint iis, quibus morem gerendo teſtati ſunt, ilico pereunt, ut id impleri ſorte fatorum opperiente, nec puteos, nec facili poteſt ægritudo teſtament.... comitatu eſt his quiſquam. Alius cum dignitate licet mediocri, cervice tumida gradiens, notos antea obliquato (*b*) contuetur adſpectu, ut poſt captas Syracuſas exiſtimes reverti M. Marcellum. Multi apud eos negantes eſſe ſuperas poteſtates in cœlo, nec in publico prodeunt, nec prandent, nec lavari arbitrantur ſe cautius poſſe, antequam ephemeride ſcrupuloſe ſciſcitata didicerint, ubi ſit verbi gratia ſignum Mercurii, vel quotam cancri ſideris partem polum diſcurrens obtineat Luna. Alius ſi creditorem ſuum flagitare moleſtius adverterit debitum, ad aurigam confugit audentem omnia prælicenter, eumque ut veneficum curat urgeri: unde non niſi reddita cautione, diſpendioque adflictus gravi diſcedit. Et additur huic, de-

(*s*) al. & abundare omni humanitatis cultu peregrinum, cujus &c. (*t*) al. delicata. (*u*) al. ut damnetur, unus dominus &c. (*x*) al. quamquam rogatis &c. (*y*) al. ſolutis. (*z*) al. juvandos. (*a*) al. technis. (*b*) al. aliquanto.

bitorem voluntarium includit ut proprium, nec ante ejus profectionem absolvit. Parte alia uxor, ut proverbium loquitur vetus, eamdem incudem diu noctuque tundendo, maritum testari compellit, hocque idem ut faciat uxor, urget maritus instanter: & periti juris altrinsecus adsciscuntur, unus in cubiculo, alter ejus æmulus in triclinio, repugnantia tractaturi: iisdemque subseruntur genitalium extorum interpretes controversi, hinc Præfecturas profusius largientes & sepulturas divitum matronarum; inde ad exsequias virorum jamjam adventantes (*c*) necessaria parari oportere innuentes: & testatura ...... ancillas suapte natura pallidi aspirati pridie consumpta defuncta...... um Romaque: ut Tullius ait: *Nec in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit: & amicos tamquam pecudes eos potissimum diligunt, ex quibus se sperant maximum fructum esse capturos.* Cumque mutuum illi quid petunt, soccos & Miconas (*d*) videbis & Lachetas: cum adiguntur ut reddant, ita cothurnatos & turgidos, ut Heraclidas illos Cresphontem & Temenum putes. Hactenus de Senatu. Nunc ad otiosam plebem veniamus & desidem: in qua nitent ut nominibus cultis & quidam calceorum expertes, Cimessores, Statarii, Semicupæ, & Serapini, & Cicimbricus cum Gluturino, & cum Trulla, & Lucanicus cum Pordaca & Salsula, similesque innumeri. Hi omne (*e*) quod vivunt vino & tesseris impendunt, & lustris, & voluptatibus, & spectaculis: eisque templum, & habitaculum, & concio, & cupitorum spes omnis Circus est maximus: & videre licet per fora, & compita, & plateas: & conventicula circulos multos collectos in se controversis jurgiis ferri, aliis aliud ut fit defendentibus. Inter quos hi qui ad satietatem vixerunt, potiores auctoritate longæva, per canos & rugas (*f*) clamitant sæpe, Rempublicam stare non posse, si futura concertatione quem quisque vindicat, carceribus non exsiluerit princeps, & funalibus equis parum cohærenter circumflexerit metam. Et ubi negligentiæ tanta est caries, exoptato die equestrium ludorum inlucescente, nondum Solis puro jubare, effusius omnes festinant præcipites, ut velocitate currus ipsos anteeant certaturos: super quorum eventu discissi votorum studiis, anxii plurimi agunt pervigiles noctes. Unde si ad theatralem ventum fuerit vilitatem, artifices scenarii per sibilos exploduntur, si quis sibi ære humiliorem non conciliaverit plebem. Qui si defuerit strepitus, ad imitationem Tauricæ gentis peregrinos vociferantur pelli debere (quorum subsidiis semper nisi sunt ac steterunt) & tetris vocibus & absurdis: quæ longe abhorrent à studiis & voluntate veteris illius plebis, cujus multa facete dicta memoria loquitur & venusta. Id enim nunc repertum est pro sonitu laudum impensiore per applicatos homines ad loquendum, ut in omni spectaculo, exodiario, venatori, aurigæ, & histrionum generi omni, & judicibus celsis itidemque minoribus, necnon etiam matronis clametur adsidue, *Per te ille discat:* quid autem debeat disci, nemo sufficit explanare. In his plerique distentioribus saginis addicti, præeunte nidoris indagine acutisque vocibus feminarum, à galliciniis ipsis, in modum pavonum inanitate clangentium, humum summis pedum unguibus contingentes aulis adsistunt, digitos prærodentes dum patinæ defervescunt: alii nauseam horridæ carnis dum excoquitur intentius despectantes, ut discissarum pecudum exta rimari cum anatomicis Democritum putes, docentem quibus modis posteritas mederi doloribus possit internis. Sit satis interim hæc digessisse super rebus Urbanis: nunc redeamus ad cetera, quæ per provincias agitavere multiplices casus.

Vitia Populi Romani.

CAP. V. Erupit Augustis ter Coss. Saxonum multitudo: & Oceani difficultatibus permeatis, Romanum limitem gradu petebat intento, sæpe nostrorum funeribus pasta: cujus eruptionis primæ procellam Nannenus sustinuit Comes, regionibus iisdem appositus, dux diuturno bellorum labore compertus. Sed tunc ad mortem destinatæ plebi congressus, cum milites quosdam ruisse, & se vulneratum imparem fore certaminibus adverteret crebris, docto Imperatore quid agi deberet, id est adeptus, ut peditum Magister Severus opitulatum rebus dubiis adveniret. Qui ducens militem rei sufficientem cum venisset ad loca, discriminatis ordinibus barbaros ante conluctationem adeo terruit & turbavit, ut nec controversas opponerent manus, sed signorum aquilarumque fulgore præstricti venialem poscerent pacem. Diuque variatis consiliis, cum id Reipublicæ conducere videretur, pactis induitis, & datis ex conditione proposita juvenibus multis habilibus ad militiam, discedere permissi sunt Saxones, sine impedimento unde venerant reversuri. Quibus omni jam formidine vacuis reditumque parantibus, occulte pedites missi insidias in abdita quadam valle struxerunt, unde prætereuntes adgredi negotio poterant levi: sed longe secus accidit quam sperabatur. Sonitu enim adventantium perciti exsiluere quidam intempestive, visique subito dum se firmare festinant, ululantibus lugubre barbaris vertuntur in pedes. Stetere tamen mox conglobati, extremaque sorte vires licet non integras suggerente confligere cogebantur: multaque cæde perculsi concidissent nullo relicto, ni cataphractorum equitum cuneus, ad inferendum periculum transeuntibus barbaris ex alio latere prope divortium itineris pari modo locatus, clamore percitus tristi agiliter subvenisset. Exin concursum infestius, firmatisque pectoribus hincinde incumbentes Romani clausos hostes eductis gladiis obtruncabant: nec quisquam eorum genitales revisere potuit lares, ne uno quidem cædibus concorporalium superesse permisso. Ac licet justus quidam arbiter rerum factum incusabit perfidum & deforme: pensato tamen negotio non feret indigne, manum latronum exitialem tandem copia data captam. Post hæc ita prospere consummata, Valentinianus versando sententias multiformes, anxia sollicitudine stringebatur: repu-

Nannenus Comes Saxonum impetus sustinet. U. C. 1122. p. C. N. 370.

Cui Severus succurrit.

Saxones post factas induitias, à Romanis insidiis circumventi.

(*c*) al. virorum feminas invitantes. (*d*) al. Miciones. (*e*) al. omnes. (*f*) al. per Janos & fora.

reputans multa & circumspiciens, quibus commentis Alemannorum & Macriani Regis frangeret fastus, sine fine vel modo rem Romanam irrequietis motibus confundentes. Immanis enim natio, jam inde ab incunabilis primis varietate casuum imminuta, ita sæpius adolescit, ut fuisse longis sæculis æstimetur intacta. Seditque consilia alia post alia Imperatori probanti, Burgundios in eorum excitari perniciem, bellicosos & pubis immensæ viribus affluentes, ideoque metuendos finitimis universis. Scribebatque frequenter ad eorum Reges per taciturnos quosdam & fidos, ut iisdem tempore præstituto supervenirent, pollicitus ipse quoque transito cum Romanis agminibus Rheno occurrere pavidis, pondus armorum vitantibus insperatum. Grataner ratione gemina Principis acceptæ sunt litteræ: prima, quod jam inde temporibus priscis, subolem se esse Romanam Burgundii sciunt: dein quod salinarum finiumque causa Alemannis sæpe jurgabant. Et catervas misere lectissimas: quæ antequam milites congregarentur (g) in unum, adusque ripas Rheni progressæ, Imperatore ad struenda munimenta districto, terrori nostris fuere vel maximo. Igitur paullisper morati, cum neque Valentinianus ut spoponderat, die prædicto venisset; nec promissorum aliquid adverterent factum, ad Comitatum misere legatos, poscentes adminicula sibi dari redituris ad sua, ne nuda hostibus exponerent terga. Quod ubi negari per ambages sentirent & moras, mœsti exinde discesserunt & indignati. Hocque comperto Reges ut ludibrio habiti sævientes, captivis omnibus interfectis, genitales repetunt terras. Apud hos generali nomine Rex appellatur Hendinos, & ritu veteri potestate deposita removetur, si sub eo fortuna titubaverit belli, vel segetum copiam negaverit terra: ut solent Ægyptii casus ejusmodi suis adsignare rectoribus. Nam Sacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Sinistus: & est perpetuus, obnoxius discriminibus nullis ut Reges. Per hanc occasionem impendio tempestivam, Alemannos gentis antedictæ metu dispersos aggressus per Rhætias Theodosius, ea tempestate Magister equitum, pluribus cæsis, quoscumque cepit, ad Italiam iussu Principis misit, ubi fertilibus pagis (h) acceptis jam tributarii circumcolunt Padum.

Valentinianus Burgundiones in Alemannorum perniciem excitat.

Qui decepti ac illusi, captivis omnibus occisis, domum redierunt.

Hendinos apud Burgundiones rex vocatur.

Sinistus apud Burgundiones Sacerdos vocatur.

Theodosius Alemannos cædit.

CAP. VI. Hinc tamquam in orbem migrantes alium, ad Tripoleos Africanæ provinciæ veniamus ærumnas, quas ut arbitror Justitia quoque ipsa deflevit: quæ unde instar exarsere flammarum, textus aperiet absolutus. Austuriani his contermini, partibus barbari, in discursus semper expediti, veloces, vivereque adsueti rapinis & cædibus, paullisper pacati: in genuinos turbines revoluti sunt, hanc causam prætendentes ut feriam. Stachao quidam nomine popularis eorum ut in otio nostra peragrando licentius, agebat quædam vetita legibus: inter quæ illud potius eminebat, quod provinciam omni fallaciarum via prodere conabatur, ut indicia docuere verissima: quocirca supplicio flammarum absumptus est. Hujus necem ulcisci, ut propinqui damnatique injuste causantes, ferarum similes rabie concitarum exsiluere sedibus suis, Joviano etiam tum imperante: veritique prope Leptim accedere, civitatem muris & populo validam, suburbano ejus uberrimo insedere per triduum: mactatisque agrestibus, quos inopinus hebetaverat pavor, vel confugere coëgerat ad speluncas, incensa supellectili multa quæ vehi non poterat, referti rapinis reverterunt ingentibus, trahentes captivum Silvam quoque casu cum caritatis in agro inventum, Ordinis sui Primatem. Hac subita clade Leptitani perterriti, ante incrementa malorum quæ intentabat barbaricus tumor, præsidium imploravere Romani Comitis per Africam recens provecti. Qui cum venisset militares copias ducens, ferreque opem rebus rogaretur adflictis, nonnisi abundanti commeatu aggesto, & camelorum quatuor millibus apparatis, castra firmabat esse moturum. Hocque responso miserandis civibus stupefactis, atque negantibus sufficere se posse post vastationes & incendia, ita enormibus instrumentis remedia quærere damnorum immanium, dissimulanter diebus ibi quadraginta consumptis, nullo tentato inde discessērat Comes. Qua spe Tripolitani frustati, formidantesque extrema, adlapso legitimo die Concilii quod apud eos est annuum, Severum & Flaccianum creavere legatos, Victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob imperii primitias oblaturos: utque lacrimosas provinciæ ruinas docerent intrepide. Quibus compertis Romanus, misso equite velocissimo Magistrum Officiorum petit Remigium, affinem suum rapinarum participem, ut provideret Imperatoris arbitrio cognitionem hujus negotii Vicario sibique deferri. Venerunt in Comitatum legati: aditoque Principe, verbis quæ perpessi sunt ostenderunt: obtulerunt decreta, textum continentia rei totius. Quibus lectis, cum neque relationi Officiorum Magistri faventis Romani flagitiis, nec contraria referentibus crederetur: promissa disceptatio plena dilata est eo more, quo solent inter potiorum occupationes ludi potestates excelsæ. Dum remedia quædam à commilitio Principis exspectantur, suspensis Tripolitanis diuque anxiis, rursus globi supervenere barbarici, fiducia sublati præteritorum: Leptitanoque agro & Oeensi interneciva populatione transcursis, expleti prædarum acervis ingentibus abscesserunt, occisis Decurionibus multis: inter quos Rusticianus Sacerdotalis & Nicasius enitebat Ædilis. Hæc autem eruptio ideo arceri non potuit, quod ad legatorum preces negotiorum quoque militarium cura Præsidi delata Ruricio, mox translata est ad Romanum. Et jam recens inflictæ cladis nuntius missus ad Gallias, excitavit acrius Principem. Ideoque Tribunus & Notarius Palladius mittitur, ut & militi disperso per Africam præberet stipendium debitum, & gesta per Tripolim fide congrua scrutaretur. Inter tales tamen consulendi moras exspectandique responsa, Austuriani successu gemino insolentes, ut rapaces alites advolarunt irritamento sanguinis atrocius efferatæ: cunctisque, nisi quos fuga discriminibus eximeret,

Austuriani latrones graviter incursant Africam. U. C. 1122. p. C. N. 370.

Stachao proditor flammis absumitur.

Austuriani Leptim obsident.

Silva Leptitanus ab Austurianis capitur.

Tripolitani à Valentiniano contra Austurianos auxilium per legatos petunt.

Quod impedit Romanus Comes.

Inde ab Austurianis iterum spoliantur.

(g) al. miles congregaretur. (h) al. agris.

meret, interemptis, prædas quas antehac reliquerant avexerunt, arboribus exsectis & vitibus. Tunc Mychon quidam nobilis oppidanus & potens, captus in suburbano, lapsusque antequam vinciretur, quia pedibus æger evadere penitus vetabatur, in puteum aquis vacuum sese conjecit: unde costa diffracta levatus à barbaris, ductusque prope portas, conjugis miseratione redemptus est, & ad pinnas muri fune sublatus, post biduum interiit. Unde elati in pertinaciam sævissimi grassatores ipsa pulsavere mœnia Leptitana, funestis plangoribus resonantia feminarum, quas numquam antea hostiliter clausas pavor exanimabat insolitus: abscessaque urbe per octo continuos dies, cum quidam oppugnatores sine ullo vulnerarentur effectu, redierunt ad propria tristiores. Ob quæ super salute dubii cives, ultimaque tentantes, profectis ante legatis nondum reversis, Jovinum mittunt atque Pancratium, quæ viderint; quæ ipsi perpessi sint, Imperatorem fida relatione docturos: qui Severum apud Carthaginem inventum & Flaccianum superiores illos legatos, percontando quid egerint, cognoverunt eos audiri à Vicario jussos & Comite. E quibus Severus ilico periit vexatus acerbitate morborum: nihilominus tamen properarunt ad Comitatum magnis itineribus antedicti. Ingresso post hæc Palladio Africam, Romanus quas ob res venerat ante præstructus, ut securitatem suam in tuto locaret, numerorum principiis per quosdam secretorum mandaverat conscios, ut ei tamquam potenti & Palatii Summatibus proximo, stipendii quod pertulerat præstarent maximam partem: & ita est factum. Confestimque ille ditatus perrexit ad Leptim: utque ad veritatis perveniret indaginem, Erechthium & Aristomenem facundos municipes & insignes, libere suas civiumque & finitimorum retexentes ærumnas, ad loca vastata secum eduxit. Quibus aperte cuncta monstrantibus, luctuosis provinciæ cineribus visis revertit: Romanumque ut desidem increpans, relaturum se cuncta verissime quæ viderat minabatur ad Principem. Atque ille ira percitus & dolore, se quoque mox referre firmavit, quod missus ut Notarius incorruptus, donativum militis omne in quæstus averterit proprios. Qua gratia flagitiorum arbitra conscientia, cum Romano deinde Palladius concordabat: reversusque ad Comitatum, arte mendaciorum impia Valentinianum fefellerat, Tripolitanos frustra queri commemorans. Ideoque rursus ad Africam cum Jovino postremo omnium legatorum remittitur, (Pancratius enim decesserat apud Treveros) ut cum Vicario ipse merita legationis quoque secundæ spectaret: præter hæc linguas Erechthii & Aristomenis præcidi jusserat Imperator, quos invidiosa quædam locutos idem Palladius intimarat. Secutus ut statutum est Vicarium Notarius venit ad Tripolim. Hocque comperto Romanus Domesticum suum illuc volucriter misit, & Cæcilium Consiliarium in ea provincia genitum: per quos, incertum pretiis an fallaciis, circumventi municipes omnes gravabant Jovinum, destinatius asserentes nihil eorum mandasse quæ docuerat Principem: eousque iniquitate grassante, ut ipse quoque Jovinus ad salutis suæ discrimen confiteretur, se Imperatori mentitum. Quibus per Palladium regressum cognitis, Valentinianus ad acerbitatem proclivior Jovinum quidem ut auctorem; Cælestinum vero Concordiumque & Lucium, ut falsi conscios & participes, puniri supplicio capitali præcepit: Ruricium autem Præsidem ut mendacem morte multari: hoc quoque accedente, quod in relatione ejus verba quædam (ut visum est) immodica legebantur. Ac Ruricius quidem apud Sitifim cæsus: reliqui apud Uticam sententia Vicarii Crescentis addicti. Flaccianus tamen ante legatorum interitum, cum à Vicario audiretur & Comite, constanter saluti suæ propugnans, acclamationibus iratorum militum impetuque cum conviciis pæne confossus est: objicientium ideo Tripolitanos non potuisse defendi, quod ipsi ad expeditionales usus præbere necessaria detrectarunt. Et ob hæc trusus in carcerem, dum consultus super eo quid conveniret agi decerneret Imperator, sollicitatis ut dabatur opinari custodibus, in urbem Romam abierat profugus: ibique delitescens, fatali legi decessit. Hoc memorando fine externis domesticisque cladibus vexata conticuit Tripolis non indefensa: quia vigilavit Justitiæ oculus sempiternus, ultimæque legatorum (*i*) & Præsidis diræ. Diu enim postea hujusmodi casus emersit. Solutus sacramento Palladius, destitutusque fastu quo tumebat, discessit ad otium. Et cum Theodosius ductor exercituum ille magnificus, oppressurus Firmum perniciosa cœptantem, venisset in Africam, & præscripti Romani rem mobilem ut jussum est scrutaretur: inter chartas ejus inventa est Meterii cujusdam epistola, id continens: *Domino patrono Romano Meterius*; & in fine post multa nihil ad rem pertinentia: *Salutat te Palladius projecticius: qui non aliam ob causam dicit se esse projectum, nisi quod in causa Tripolitanorum apud aures sacras mentitus est.* His litteris ad Comitatum missis & lectis, Valentiniani jussu Meterius raptus suam esse confitetur epistolam: ideoque Palladius exhiberi præceptus, cogitans quas criminum coxerit moles, in statione primis tenebris observata custodum absentia, qui festo die Christiani ritus in Ecclesia pernoctabant, innodato gutture laquei nexibus interiit. Hoc fortunæ secundioris judicio plene comperto, deletoque tristium concitore turbarum, exsiluerunt Erechthius & Aristomenes è latebris, qui cum sibi jussas abscidi linguas didicissent ut prodigas, ad longe remota declinarunt & abdita: doctoque super nefanda fraude Gratiano Imperatore fidentius, (Valentinianus enim obierat) ad Hesperium Proconsulem & Flavianum Vicarium audiendi sunt missi: quorum æquitas auctoritate nixa justissima, torto Cæcilio, aperta confessione cognovit, ipsum suasisse civibus, gravarent mentiendo legatos. Hæc acta secuta est relatio, gestorum pandens plenissimam fidem; ad quam nihil responsum est. Et ne quid cothurni terribilis fabulæ relinque-

Mychon quidam ab Austurianis capitur.

Palladius Tripolitanis subsidio venit.

Valentinianum mendacio fallit.

Similiter Jovinus.

Sed cum aliis capitali supplicio punitur.

Theodosius in Africam mittitur. U.C. 1122. p. C. N. 370.

Palladius se ipsum metu pœnæ strangulat.

(*i*) al. ultricesque legatorum &c.

linquerent intentatum, hoc quoque post depositum accessit aulæum. Romanus ad Comitatum profectus secum Cæcilium duxit, cognitores accusaturum ut inclinatos in provinciæ partem: isque Merobaudis favore susceptus, necessarios sibi plures petierat exhiberi. Qui cum Mediolanum venissent, frustraque se tractos obsimulatis documentis probabilibus ostendissent, absoluti redierunt ad lares. Valentiniano tamen superstite, post superiora quæ narravimus, Remigius quoque digressus ad otium, laqueo vitam elisit, ut congruo docebimus loco.

Explicit Liber XXVIII.

AMMIANI MARCELLINI RERUM GESTARUM LIBER XXIX.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

Sapor cataphractos milites contra Romanos mittit.

EXACTA hieme Rex Persarum gentis Sapor pugnarum fiducia pristinarum immaniter arrogans, suppleto numero suorum abundeque firmato, erupturos in nostra cataphractos & sagittarios & conductam misit plebem. Contra has copias Trajanus Comes & Vadomarius ex Rege Alemannorum cum agminibus perrexere pervalidis, hoc observare Principis jussu appositi, ut arcerent potius quam lacesserent Persas. Qui cum venissent Vagabanta legionibus habilem locum, rapidos turmarum procursus hostilium in se ruentium acriter exceperunt inviti: operaque consulta retrocedentes, ne ferro violarent adversorum quemquam primi, & judicarentur discissi fœderis rei, ultima trudente necessitate congressi sunt: confossisque multis discessere victores. Inter moras tamen utrimque secus tentatis aliquotiens levibus præliis, varioque finitis eventu, pactis indutiis ex consensu æstateque consumpta, partium discessere ductores etiam tum discordes. Et Rex quidem Parthus hiemem Ctesiphonte acturus, rediit ad sedes: & Antiochiam Imperator Romanus ingressus. Qui dum ibi moratur securus interim hostium externorum, intestinis pæne perierat fraudibus, ut aperiet series delata (*k*) gestorum. Procopius quidam, inquies homo, turbarum cupiditati semper addictus, Anatolium detulerat & Spudasium Palatinos, exigi quæ de ærario interceperant jussos, insidiari Comiti Fortunatiano, molesto illi flagitatori. Qui animi asperitate (*l*) confestim ad insanum percitus modum, pro potestatis auctoritate quam regebat, Palladium quemdam obscurissime natum, ut veneficum à memoratis conductum, & Heliodorum fatorum per genituras interpretem, adigendos prodere quæ scirent, Prætorianæ judicio tradidit Præfecturæ. Cumque ad facti vel tentati quæstionem acrius veniretur, exclamabat Palladius confidenter levia esse hæc de quibus agitur & prætereunda: alia se, si licuerit dicere, monstraturum metuenda & potiora, quæ ingenti molimine jam præstructa, nisi prospectum fuerit, universa confundent. Jussusque docere fidenter quæ norat, rudentem explicuit immensum: adfirmans Fidustium Præsidialem, & cum Irenæo Pergamium nomen imperaturi post Valentem detestandis præsagiis didicisse secretim. Et correptus Fidustius ilico, (namque aderat forte) occulteque inductus, viso indice, nulla infitiatione obumbrare jam publicata conatus, rei totius calamitosum aperit textum: absolute confessus se cum Hilario & Patricio vaticinandi peritis, quorum Hilarius militaverat in palatio, de imperio consuluisse futuro: motasque secretis artibus sortes & nuncupationem Principis optimi, & ipsis consultoribus luctuosos exitus prædixisse. Atque cunctantibus quisnam ea tempestate omnibus vigore animi antistaret, visus est aliis excellere Theodorus, secundum inter Notarios adeptus jam gradum. Et erat revera ita ut opinati sunt. Namque antiquitus claro genere in Galliis natus, & liberaliter educatus à primis pueritiæ rudimentis, modestia, prudentia, humanitate, gratia, litteris ornatissimus, semper officio locoque quem retinebat superior videbatur, altis humilibusque juxta acceptus. Solusque pæne omnium erat, cujus linguam non infrenem sed dispicientem quæ loqueretur, nullius claudebat periculi metus. His addebat idem Fidustius, excarnificatus jam ad interitum, omnia quæ prædixit, se indicante Theodorum per Eucærium (*m*) didicisse, virum præstabili scientia litterarum, abundeque honoratum: Asiam quippe paullo ante rexerat pro Præfectis. Quo in custodia condito, gestorumque volumine Imperatori recitato de more, prodigiosa feritas in modum ardentissimæ facis fusius vagabatur, elata turpi adulatione multorum, maximeque Præfecti Prætorio tunc Modesti. Qui dum formidine successoris agitaretur in dies, obumbratis blanditiarum concinnitatibus (*n*) cavillando Valentem subrusticum hominem sibi varie commulcebat, horridula

Sed vincuntur.

Induciæ inter Romanos & Persas. &. C. 1123. p. C. N. 371.

Procopius inquies homo.

Palladius delator.

Heliodorus geniturarum interpretator.

Fidustius & Irenæus accusati, quod in fata Imperatoris inquisierint. Hilarius & Patricius vaticinandi periti.

Theodorus post Valentinianum Imp. dignus imperio prædicitur.

Eucærius præstabili scientia honoratus.

Modestus summus adulator.

(*k*) al. dilata. (*l*) al. Qui à nimia asperitate. (*m*) al. Euserium. (*n*) al. concinnantibus.

ridula ejus verba & rudia flosculos Tullianos appellans, & ad extollendam ejus vanitiem sidera quoque, si jussisset, exhiberi posse promittens. Igitur & Theodorus à Constantinopoli, quam ex negotio familiari petierat, rapi celeri jubetur effectu: & dum ille reducitur, ex præjudiciis variis quæ diebus exercebantur & noctibus, plures à disjunctissimis regionibus trahebantur, dignitatibus & nobilitate conspicui. Cumque nec carceres publici jam distenti inclusorum jam catervas, nec privata domicilia sustinerent constipatione vaporata confertas: quoniam vinculis maxima pars eorum atinebatur, & suam & proximi cujusque vicem omnes horrebant. Advenit aliquando tamen ipse quoque Theodorus, præmortuus & atratus: quo in devia territorii parte abscondito, paratis omnibus quæ indagines futuræ poscebant, internarum cladium litui jam sonabant. Et quia fallere non minus videtur qui gesta præterit sciens, quam ille qui numquam facta fingit: non abnuimus, (neque enim ambigitur) salutem Valentis & antea sæpius per occultas coitiones, & tunc in extrema demersam: ferrumque ad jugulum ejus prope adactum a militaribus, fato reflectente depulsum, quem lacrimosis in Thracia discriminibus destinarat. Namque & in nemoroso quodam inter Antiochiam & Seleuciam loco leni quiete post meridiem consopitus, à Sallustio tunc Scutario, & sæpe alias appetitus insidiantibus multis, vitæ terminis à primigenio ortu adscriptis ausa immania frenantibus evadebat. Ut sub Principibus Commodo & Severo nonnumquam accidebat. Quorum summa vi salus crebro oppugnabatur: adeo ut post intestina pericula multa & varia, alter in amphitheatrali cavea, cum adfuturus spectaculis introïret, à Quintiano Senatore illicitæ cupidinis homine ad debilitatem pæne pugione vulneraretur: alter inopinabili impetu, tempore ætatis extremo, à Saturnino Centurione consilio Plautiani Præfecti in cubiculo jacens confoderetur, ni tulisset suppetias filius adolescens. Quocirca etiam Valens erat venia dignus, vitam quam ereptum ire perfidi properabant, omni cautela defendens. Sed inexpiabile illud erat, quod regaliter turgidus, pari eodemque jure, nihil inter se distantibus meritis, nocentes innocentesque maligna insectatione volucriter perurgebat: ut dum adhuc dubitaretur de crimine, Imperatore non dubitante de pœna, damnatos se quidam prius discerent quam suspectos. Adolescebat autem obstinatum ejus propositum admovente stimulos avaritia, & sua & eorum qui tunc in regia versabantur: novos hiatus aperientium, & si qua humanitatis fuisset mentio rara, hanc appellantium tarditatem: qui cruentis adulationibus institutum hominis, mortem in acie linguæ portantis, ad partem pessimam depravantes, omnia turbine intempestivo perflabant, eversum ire funditus domus opulentissimas festinantes. Erat enim expositus accessu insidiantium & reclusus, vitio gemino perniciose implicitus: quod intoleranter irascebatur tunc magis cum eum puderet irasci: & quæ facilitate privati opertis susurris audierat, an vera essent excutere tumore Principis superfidens, pro veris accipiebat & certis. Inde factum est ut clementiæ specie penatibus multi protruderentur insontes, præceps in exsilium acti: quorum in ærario bona coacta & ipse ad quæstus proprios redigebat, ut damnati cibo precario victitarent, angustiis formidandæ paupertatis adtriti: cujus metu vel in mare nos ire præcipites, suadet Theognis Poëta vetus & prudens. Quæ etiamsi recta fuisse concesserit quisquam, erat tamen ipsa nimietas odiosa. Unde animadversum est recte hoc definitum: nullam esse crudeliorem sententiam ea, quæ est cum parcere videtur asperior. Igitur cum Præfecto Prætorio Summatibus quæsitis in unum, quibus cognitiones commissæ sunt, intenduntur eculei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis & verberibus: resultabant omnia truculentæ vocis horroribus, inter catenarum sonitus, Tene, Claude, Comprime, Abde, ministris officiorum tristium clamitantibus. Et quoniam addici post cruciabiles pœnas vidimus multos, ut in tenebrosis rebus confusione cuncta miscente: summatim quia nos penitissima gestorum memoria fugit, quæ recolere possumus expeditius absolvemus. Primo introvocatu post interrogatiunculas leves Pergamius, à Palladio ut dictum est proditus, quædam imprecationibus præscisse nefariis: sicut erat impendio eloquentior, & in verba periculosa projectus, inter ambigentes judices quid prius quæri debeat quidve posterius, dicere audacter exorsus, multa hominum millia quasi consciorum sine fine strependo fundebat, modo non ab extremo Atlante magnorum criminum arguendos poscens aliquos exhiberi. Quo ut consarcinante nimis ardua, morte multato, aliisque gregatim post illum occisis, ad ipsius Theodori causam quasi ad Olympici certaminis pulverem pervenitur. Eodem die inter complura alia hoc quoque evenerat triste: quod Salia thesaurorum paullo ante per Thracias Comes, cum de vinculis educitur audiendus, & calceo inserit pedem, quasi ruina incidentis immensi terroris repente perculsus, animam inter retinentium manus efflavit. Constituto itaque judicio, & cognitoribus præscripta ostentantibus legum, sed ex voluntate dominantis moderantibus momenta causarum, horror pervaserat universos. Totus enim devius ab æquitate dilapsus, jamque eruditior ad lædendum, in modum arenariæ feræ, si admotus quisquam fabricæ diffugisset, ad ultimam rabiem sæviebat. Inducti itaque Patricius & Hilarius, ordinemque replicare jussi gestorum, cum inter exordia variarent, fodicatis lateribus, inlato tripode quo utebantur, adacti ad summas angustias, aperiunt negotii fidem ab ipsis exordiis replicatam. Et prior Hilarius, *Construximus*, inquit, *magnifici judices, ad cortinæ similitudinem Delphicæ diris auspiciis de laureis virgulis infaustam hanc mensulam quam videtis: & imprecationibus carminum secretorum, choragiisque multis ac diuturnis ritualiter consecratam movimus tandem: movendi autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis. Collocabatur in medio domus emaculatæ odoribus Arabicis undique, lance rotunda pure superposita, ex diversis metallicis materiis*

Theodorus rapitur.

Et læsæ Majestatis accusatur.

Sallustius Scutarius Valenti insidiatur.

Commodus & Severus insidiis sæpe petiti.

Valens in condemnando celer.

In inquirendo crudelis.

Pergamius læsæ Majestatis accusatur.

Et morte mulctatur.

Salia thesaurorum comes subitâ morte corruit.

Inquisitio in Theodori causam.

Quam aperit Hilarius.

teriis fabrefacta: cujus in ambitu rotunditatis extremo elementorum viginti quatuor ſcriptiles formæ inciſæ perite, dijungebantur ſpatiis examinate dimenſis. Hac linteis quidam indumentis amictus, calciatusque itidem linteis ſoccis, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris geſtans, litato conceptis carminibus numine præſcitionum auctore, cærimoniali ſcientia ſuperſiſtit: cortinulis (o) penſilem anulum librans ſartum (p) ex Carpathio filo perquam levi, myſticis diſciplinis initiatum: qui per intervalla diſtincta retinentibus ſingulis litteris incidens ſaltuatim, heroos efficit verſus interrogationibus conſonos, ad numeros & modos plene concluſos: quales leguntur Pythici, vel ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quærentibus nobis, qui præſenti ſuccedet imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur, & adſiliens anulus duas perſtrinxerat ſyllabas ΘΕΟ cum adjectione litteræ poſtrema, exclamavit præſentium quidam, Theodorum præſcribente fatali neceſſitate portendi. Nec ultra ſuper negotio eſt exploratum: ſatis enim apud nos conſtabat, hunc eſſe qui poſcebatur. Cumque totius rei notitiam ita ſignate ſub oculis judicum ſubjeciſſet, adjecit benivole, id Theodorum penitus ignorare. Poſt hæc interrogati, an ex fide ſortium quas agitabant, ea præſcierint quæ ſuſtinerent: verſus illos notiſſimos edidere, clare pronuntiantes capitalem eis hanc operam ſcrutandi ſublimiora cito futuram: nihilominus tamen ipſis quoque cum cognitoribus Principi cædes incendiaque flagitantes furias imminere: quorum tres ponere ſufficiet ultimos:

Ο'υ μὴν ἀτίμκτόν γε (q) σὸν ἔσσεται ἅιμα, καὶ αὐτοῖς
Τισιφόνη βαρύμηνις ἐφοτάσσει κακὸν οἶτον
Ε'ν πεδίοισι Μίμαντος ἄιλα καιομένοις κάρ.

Quibus lectis, unguibus male mulcati ſeparantur exanimes. Poſtea ut cogitati ſceleris officina pateret aperte, Honoratorum inducitur globus, vertices ipſos continens rerum. Cumque nihil præter ſe quisque cernens, ruinam ſuam impelleret ſuper alium, permiſſu quæſitorum cœptans dicere Theodorus, primo in precam venialem proſtratus, dein artius reſpondere compulſus, oſtendit ſe cognita per Euſerium, ne ad Imperatorem referret ut conatus eſt aliquoties, ab eo prohibitum, aſſerente non appetitu regni occupandi illicito, ſed ratione quadam indeclinabilis fati id quod ſperabatur ultro venturum. Deinde hæc eadem Euſerio ſub cruenta quæſtione confeſſo; confutabant Theodorum litteræ ſuæ, per ambages obliquas ad Hilarium ſcriptæ: quibus ſpe jam firma concepta ex vatibus, de re non cunctabatur, ſed tempus patrandæ cupidinis quæritabat. Quibus poſt hæc cognita ſequeſtratis, Eutropius Aſiam Proconſulari tunc obtinens poteſtate, ut factionis conſcius arceſſitus in crimen, abſceſſit innocuus, Paſiphilo eximente philoſopho, qui ut eum mendacio injuſto perverteret crudeliter tortus, de ſtatu robuſtæ mentis non potuit deturbari. His acceſſit philoſophus Simonides, adoleſcens ille quidem, verum noſtra memoria ſeveriſſimus. Qui cum audiiſſe negotium per Fiduſtium deferretur, & cauſam non ex veritate, ſed ex unius nutu penſari vidiſſet, didiciſſe ſe dixit prædicta, & commiſſa pro firmitate animi tacuiſſe. Queis omnibus perſpicaciter inquiſitis, Imperator cognitorum conſultationi reſpondens, ſub uno proloquio cunctos jubet occidi: & vix ſine animorum horrore funeſtum ſpectaculum multitudine innumera contuente (r), & onerante queſtibus cœlum, (namque ſingulorum mala omnium eſſe communia credebantur) ducti univerſi flebiliter jugulantur præter Simonidem: quem ſolum ſævus ille ſententiæ lator, efferatus ob conſtantiam gravem, juſſerat flammis exuri. Qui vitam ut dominam fugitans rabidam, ridens ſubitas momentorum ruinas, immobilis conflagravit: Peregrinum illum imitatus Protea cognomine, philoſophum clarum: qui cum mundo digredi ſtatuiſſet, Olympiæ quinquennali certamine ſub Græciæ conſpectu totius, adſcenſo rogo quem ipſe conſtruxit, flammis abſumptus eſt. Et poſt hunc diebus ſecutis omnium fere ordinum multitudo, quam nominatim recenſere eſt arduum, in plagas calumniarum conjecta, percuſſorum dexteras fatigavit, tormentis & plumbo & verberibus ante debilitata: ſumptumque eſt de quibusdam ſine ſpiramento vel mora ſupplicium, dum quæritur an ſumi deberet: & ut pecudum ubique trucidatio cernebatur. Deinde congeſti innumeri codices, & acervi voluminum multi ſub conſpectu judicum concremati ſunt, ex domibus eruti variis ut illiciti, ad leniendam cæſorum invidiam: cum eſſent plerique liberalium diſciplinarum indices variarum & juris. Neque ita multo poſt Maximus ille philoſophus, vir ingenti nomine doctrinarum: cujus ex uberrimis ſermonibus ad ſcientiam copioſus Julianus exſtitit Imperator, oraculi ſupra dicti verſus audiſſe inſimulatus: ſeque compeperiſſe adſenſus, ſed reticenda profeſſionis conſideratione non effudiſſe, verum ultro prædixiſſe, conſultores ipſos ſuppliciis pœnabilibus perituros: Epheſum ad genuinam patriam ductus ibique capite truncatus, ſenſit docente periculo poſtremo, quæſitoris iniquitatem omnibus eſſe criminibus graviorem. Conſtrictus etiam Diogenes laqueis impiæ falſitatis, vir nobili proſapia editus, ingenio, facundia forenſi, ſuavitateque præſtans, dudum Bithyniæ rector, ut optimum patrimonium ejus diriperetur, capitali eſt pœna adfectus. Ecce autem Alypius quoque ex Vicario Britanniarum, placiditatis homo jucundæ, poſt otioſam & repoſitam vitam (quoniam hucuſque injuſtitia tetenderat manus) in ſqualore maximo volutus, ut veneficii reus citatus eſt cum Hierocle filio, adoleſcente indolis bonæ, urgente Diogene quodam & vili & ſolo, omnique laniena excruciato, ut verba placentia Principi, vel potius arceſſitori loqueretur: quo cum pœnis non ſufficerent membra vivo exuſto, ipſe quoque Alypius poſt multationem bonorum exſulare præceptus, filium miſerabiliter ductum ad mortem

Theodorus convincitur criminis læſæ Majeſtatis.

Eutropius.

Paſiphilus.

Simonides omnes accuſantur.

Et omnes morte mulctantur.

Ubi multi alii.

Libri artium noxiarum vetiti comburuntur.

Maximus Philoſophus.

Capite truncatur.

Diogenes vir nobilis capite plectitur.

Alypius cum Hierocle filio veneficii accuſatur.

Et uterque condemnatur.

(o) al. *ſuperſiſtit cortinulas.* (p) al. *arctum.* (q) al. *Ο'υ μαν νηποινίγε.* (r) al. continente.

tem, casu quodam prospero revocatum excepit. (s)

Palladius multos veneficiorum & aliorum criminum delatos damnat.

CAP. II. Per id omne tempus Palladius ille, coagulum omnium ærumnarum, quem captum à Fortunatiano docuimus primum, ipsa sortis infimitate ad omnia præceps, clades alias super alias cumulando, lacrimis universa perfuderat luctuosis. Nactus enim copiam nominandi sine fortunarum distantia quos voluisset, ut artibus interdictis imbutos: ita ut ferrarum occulta vestigia doctus observare venator, multos intra casses lugubres includebat, quosdam veneficiorum notitia pollutos, alios ut appetitoribus imminuendæ conscios majestatis. Et ne vel conjugibus maritorum vacaret miserias flere, immittebantur confestim qui signatis domibus inter scrutinia supellectilis, pœnis addicti, incantamenta quædam anilia, vel ludibriosa (t) subderent amatoria, ad insontium perniciem concinnata: quibus in judicio recitatis, ubi non lex, non religio, non æquitas veritatem à mendaciis dirimebat, indefensi bonis ablatis, nullo contacti delicto, promiscue juvenes aliique membris omnibus capti, ad supplicia sellis gestatoriis ducebantur. Inde factum est per Orientales provincias, ut omnes metu similium exurerent libraria omnia: tantus universos invaserat terror. Namque ut pressius (u) loquar, omnes ea tempestate velut in Cimmeriis tenebris reptabamus, paria convivis Siculi Dionysii pavitantes: qui cum epulis omni tristioribus fame saginarentur, ex summis domorum laqueariis in quibus discumbebant, setis nexos equinis & occipitiis incumbentes gladios perhorrebant. Tunc & Bassianus procerum genere natus, Notarius militans inter primos, quasi prænoscere altiora conatus, licet ipse de qualitate partus uxoris consuluisse firmaret, ambitioso necessitudinum studio quibus tegebatur, morte ereptus, patrimonio opimo exutus est. Inter fragores tot ruinarum Heliodorus tartareus ille malorum omnium cum Palladio fabricator, mathematicus ut memorat vulgus, colloquiis ex aula regia præpigneratus abstrusis, jam funebres aculeos exertabat, omni humanitatis invitamento ad prodenda quæ sciret vel fingeret lacessitus. Nam & sollicitius cibo mundissimo fovebatur, & ad largiendum pellicibus merebat æs collaticium grave, & incedebat passim ac late os circumferens vultuosum, omnibusque formidatus: ea fiducia sublatior, quod ad lupanar, quo sicut ipse voluit liberius servabatur, Cubiculariis officiis præpositus, assidue propalam ventitabat, elogia parentis publici præferens futura pluribus luctuosa. Perque eum ut forensium causarum patronum, quid in primis orationis partibus collocaret, ut proficere possit facilius Valens, quibusve figurarum commentis splendida loca adtentare debeat, præmonebatur. Et quoniam longum est quæ cruciatus ille conflavit; hoc unum edisseram, quam præcipiti confidentia Patriciatus columina ipsa pulsavit. Qui ex clandestinis, ut dictum est, Regiorum confabulationibus immaniter arrogans, & ipsa vilitate ad facinus omne venalis, egregium illud par consulum Eusebium & Hypatium germanos fratres, Constantii Principis quondam adfines ad cupidinem altioris fortunæ erectos, & consuluisse & agitasse quædam super Imperio detulit: addens itineri ad mendacium ficte constructo quod Eusebio etiam principalia indumenta parata sint. Quibus haustis aventer, fremebundus & minax cui nihil licere debuerat, quia omnia sibi licere etiam injusta existimabat, inremisse ab extremis regionum intervallis exhibitis omnibus, quos solutis legibus accusator perduci debere profunda securitate mandarat, suscipi quæstionem criminose præcepit. Cumque nodosis coartationibus æquitate diu jactata, & nexibili adseveratione perditi nebulonis durante, nullam confessionem exprimere tormenta gravia potuissent, ablegatosque ab omni hujusmodi conscientia res ipsa viros ostenderet claros: calumniator quidem ita ut antea honorabiliter colebatur: illi vero exsilio & pecuniariis adflicti dispendiis, paullo postea reddita sibi multa sunt revocati, dignitatibus integris & splendore. Nec tamen post hæc tam pœnitenda repressius actum est vel pudenter: non reputante alta nimium potestate, quod recte institutis ne cum inimicorum quidem incommodis in delicta convenit ruere voluntaria: nihilque sit tam deforme, quam ad ardua Imperii supercilia etiam acerbitatem naturæ adjungi. Sed Heliodoro incertum morbo an quadam excogitata vi mortuo, (nolim dicere, utinam nec ipsa res loqueretur!) funus ejus per vespillones elatum pullati præcedere Honorati complures, inter quos & fratres jussi sunt Consulares. Ibi tunc rectoris Imperii caries tota stoliditatis apertius est profanata: qui cum abstinere inconsolabili malo rogaretur, obnixe inflexibilis mansit: ut videretur aures occlusisse ceris, quasi scopulos Sirenios transgressurus. Superatus tamen precibus destinatis tandem, nudatis capitibus infaustum bustuarii libitinam adusque sepulcrum incedentes & pedibus, quosdam etiam complicatis articulis, præire mandavit. Horret nunc reminisci, (x) quo justitio humilitati tot rerum apices visebantur, & præcipue Consulares, post scipiones & trabeas & fastorum monumenta mundana. Inter quos omnes adolescentia & virtutum pulcritudine commendabilis noster Hypatius præminebat, vir quieti placidique consilii, honestatem lenium morum velut ad perpendiculum librans: qui & majorum claritudini gloriæ fuit, & ipse posteritatem mirandis actibus Præfecturæ geminæ decoravit. Accesserat hoc quoque eodem tempore ad Valentis ceteras laudes, quod cum in aliis ita sæviret infeste, ut pœnarum atrocitatem ægre ferret finiri cum morte: Pollentianum Tribunum malitia quemdam exsuperantem, iisdem diebus convictum confessumque quod exsecto vivæ mulieris ventre, atque intempestivo partu extracto, infernis manibus excitis de permutatione Imperii consulere ausus est: familiaritatis contuitu, Ordine omni mussante, ebire jussit inlæsum, salutem & invidendas opes & militiæ statum integrum

Bassianus Notarius patrimonio exuitur.

Heliodorus malorum fabricator.

Eusebium & Hypatium falso Majestatis arcessit.

Qui quamvis insontes puniuntur.

Heliodorus inopinata morte perit.

Hypatii laus.

Pollentianus exsecto vivæ mulieris ventre de futuro Imperii statu consuluit.

(s) al. recepit. (t) al. velut ebriosa. (u) al. expressius. (x) al. Horret animus reminisci.

grum retenturum. O præclara informatio doctrinarum, munere cœlesti indulta felicibus, quæ vel vitiosas naturas sæpe excoluisti! quanta in illa caligine temporum correxisses, si Valenti scire per te licuisset, nihil aliud esse Imperium, ut sapientes definiunt, nisi curam salutis alienæ: bonique esse moderatoris, restringere potestatem, resistere cupiditati omnium rerum, & implacabilibus iracundiis: nosseque, ut Cæsar Dictator aiebat, *miserum esse instrumentum senectuti recordationem crudelitatis:* ideoque de vita & spiritu hominis, qui pars mundi est & animantium numerum complet, laturum sententiam diu multumque cunctari oportere, nec præcipiti studio ubi inrevocabile factum est agitari: ut exemplum est illud antiquitati admodum notum. Apud Proconsulem Asiæ Dolobellam [Smyrnæa materfamilias filium] proprium & maritum venenis necasse confessa, quod filium [ex priore viro ab eis occisum comperisset] & comperendinata, cum consilium, ad quod res ex more delata est, anceps quid inter ultionem & scelus statui debeat hæsitaret, ad Areopagitas missa est, Athenienses judices tristiores: quorum æquitas Deorum quoque jurgia dicitur distinxisse. Hi causa cognita, centesimo post anno cum accusatore mulierem adesse jusserunt: ne aut absolverent veneficam, aut ultrix necessitudinum puniretur. Ita numquam tardum existimatur, quod est omnium ultimum. Post commissa iniquitatibus variis antedicta, & impressas fœde corporibus liberis quæ supervixerant notas, inconnivens Justitiæ oculus, arbiter & vindex perpetuus rerum, vigilavit attente. Namque cæsorum ultimæ (*y*) diræ, perpetuum numen ratione querelarum justissima commoventes (*z*), Bellonæ accenderant faces: ut fides oraculi firmaretur, quod nihil impune prædixerat perpetrari. Dum hæc quæ supra digesta sunt, Antiochiæ Parthico fragore cessante per intestinas dilatantur ærumnas: cœtus furiarum horrificus post inconvolutos multiplices casus ab eadem urbe digressus, cervicibus Asiæ totius insedit hoc modo. Festus (*a*) quidam Tridentinus ultimi sanguinis & ignoti, in nexum germanitatis à Maximino dilectus ut sodalis & contogatus, decernentibus fatis ad Orientem transgressus est: ibique administrata Syria, Magisterioque memoriæ peracto, bona lenitudinis & reverentia reliquit exempla: unde regere Asiam Proconsulari potestate exorsus, velificatione tranquilla (ut aiunt) ferebatur ad gloriam. Audiens autem Maximinum optimo cuique exitialem, obtrectabat subinde actibus ejus ut perniciosis & fœdis. Sed cum impie peremptorum exsequiis suffragantibus ad Præfecturam venisse hominem comperisset immeritum, exarsit ad agenda sperandaque similia; & histrionis ritu mutata repente persona, studio nocendi concepto, incedebat oculis intentis ac rigidis, Præfecturam autumans adfore propediem, si ipse quoque se contaminasset insontium pœnis. Et quamquam sint multa & varia, quæ ut levius interpretemur egit asperrime: pauca tamen dici sufficiet, quæ sunt nota ac pervulgata, ad æmulationem eorum commissa quæ facta sunt Romæ. Ratio enim eadem est ubique recte secusve gestorum, etiamsi magnitudo desit dissimilis rerum. Philosophum quemdam Cœranium, haud exilis meriti virum, ea causa tormentorum immanitate inultum occidit, quod ad conjugem suam familiariter scribens, id sermone addiderat Græco: *σὺ δὲ νόει, καὶ στέφε τὲν τύλλω*: quod dici proverbialiter solet, ut audiens altius aliquid agendum agnoscat. Anum quamdam simplicem, intervallatis febribus mederi leni carmine consuetam, occidit ut noxiam, postquam filiam suam ipso conscio curavit accita. In chartis cujusdam municipis clari scrutari ex negotio jussis, genitura Valentis cujusdam inventa est: repellensque calumnias is cujus intererat, cum objectaretur ei quamobrem constellationem Principis collegisset, fratrem suum fuisse Valentem, dudumque obisse documentorum plena fide monstrare pollicitus, inexspectato veritatis indicio laniatus, lacer trucidatus est. Visus adulescens in balneis admovere marmori manus utriusque digitos alternatim & pectori, septemque vocales litteras numerasse, ad stomachi remedium prodesse id arbitratus: in judicium tractus, percussus (*b*) est gladio post tormenta.

Imperii vera definitio.
Smyrnæa materfamilias proprium filium & maritum interficit.
Areopagitæ Judices Athenienses.
Justitiæ vigor.
Festus Tridentinus.
Ejus crudelitas.
Cœranius Philosophus occiditur.

CAP. III. His & mihi vertenti stilum in Gallias confunditur ordo seriesque gestorum, inter multa & sæva Maximinum reperiens jam Præfectum: qui potestate late diffusa scævum (*c*) Imperatori accesserat incentivum, majestati fortunæ miscenti licentiam gravem. Quisquis igitur dicta considerat, perpendat etiam cetera quæ tacentur: veniam daturus ut prudens, si non cuncta complectimur, quæ consiliorum pravitas crimina in majus exaggerando commisit. Adulescente enim acerbitate, rationum inimica rectarum, trux suopte ingenio Valentinianus, post ejusdem Maximini adventum, nec meliora monente ullo nec retentante, per asperos actus velut æstu quodam fluctuum ferebatur & procellarum: adeo ut irascentis sæpe vox & vultus & incessus mutaretur & color. Quam rem indicia varia testantur & certa, è quibus pauca sufficiet poni. Adultus quidam ex his quos Pædagogianos appellant, ad observandam venaticiam prædam Spartanum canem retinere dispositus, ante prædictum tempus absolvit, adsultu ejus evadere conantis appetitus & morsu: ideoque necatus ad exitium fustibus, eadem humatus est die. Præpositum Fabricæ oblato thorace polito faberrime, præmiumque ideo exspectantem, ea re præcepit occidi, quod pondus paullo minus habuit species ferrea, quam ille formarat. Epirotem aliquem ritus Christiani Presbyterum...... tam Octavianum ex Proconsule................ offensarum auctore licet tardius ad sua redire permisso. Constantianus Strator paucos militares equos ex his ausus mutare, ad quos probandos missus est (*d*) in Sardiniam, eodem jubente lapidum

Maximinus Præfectus Prætorio Valentinianum ad crudelitatem impellit.
Valentiniani crudelitatis exempla varia.

(*y*) al. ultrices. (*z*) al. perpetium numeratione querelarum justissima commovente. (*a*) al Festinus. (*b*) al. perculsus. (*c*) al. sævum. (*d*) al. erat.

Athanasius auriga vivus exuritur.

pidum ictibus oppetit crebris. Athanasius favorabilis tunc auriga, suspectus ei vulgari levitate, ut vivus incendi juberetur, si quid tentasset hujusmodi: (quem) (e) non multo postea veneficiis (f) usum ferebatur, nulla delata voluptatum artifici venia, ignibus aboleri præceptus est.

Africanus causarum patronus capite punitur.

Africanus causarum in Urbe defensor assiduus, post administratam provinciam ad regendam aliam adspiravit: cujus suffragatori Magistro equitum Theodosio id petenti, subagresti verbo responderat: *Abi*, inquit *Comes: & muta ei caput, qui sibi mutari provinciam cupit*, & hoc elogio periit homo disertus, ad potiora festinans ut multi.

Sallustius Procopio quædam locutus arguitur.

Claudium & Sallustium ex Jovianorum numero, adusque Tribunatus dignitates progressos, accusabat quidam vilitate ipsa despectus, quod cum imperium Procopius affectasset, aliqua pro eo locuti sunt bona. Cumque nihil quæstiones reperirent assiduæ; mandare Magistris equitum auditoribus Princeps, ut agerent Claudium in exsilium, & Sallustium pronuntiarent capitis reum, pollicitus quod eum revocabit ad supplicium raptum: hocque ita ut statutum est observato, nec Sallustius morte exemptus est, nec Claudius nisi post ejusdem Valentiniani obitum deportationis mœstitia liberatus. * * * longe..... cusaverit, cum illi sæpissime torquerentur. Replicatis igitur quæstionibus dense, & quibusdam vi nimia tormentorum absumptis, ne vestigia quidem ulla delatorum reperta sunt criminum. In hoc negotio Protectores ad exhibendas missi personas, fustibus præter solitum cæsi. (g). Horrescit animus omnia recensere, simulque reformidat, ne ex professo quæsisse videamur in vitia Principis, alias commodissimi. Illud tamen nec præteriri est æquum nec sileri: quod cum duas haberet ursas sævas hominum ambestrices, Micam auream & Innocentiam: cultu (h) ita curabat enixo, ut earum caveas prope cubiculum suum locaret, custodesque adderet fidos, visuros sollicite ne quo casu ferarum deleretur (i) luctificus calor. Innocentiam denique, post multas quas ejus laniatu cadaverum viderat sepulturas, ut benemeritam in silvas abire dimisit innoxiam. Exop..... simile sedit..... * *

CAP. IV. Et hæc quidem morum ejus & propositi cruenti sunt documenta verissima: sollertiæ vero circa Rempublicam nusquam digredientis, neque eum vel obtrectator pervicax incusabit: illud contemplans quod majus pretium operæ forsitan regendis verius milite barbaris quam pellendis. Et cum dedisset * * * * è speculis, si quis hostium se commovisset, desuper visus obruebatur. Agitabatur autem inter multiplices curas id omnium primum & potissimum, ut Macrianum Regem auctum inter mutationes crebras sententiarum (k), jamque in nostros adultis viribus exsurgentem vi superstitem raperet vel insidiis, ut multo ante Vadomarium Julianus: & provisis quæ negotium (l) poscebat & tempus, cognitoque transfugarum indiciis, ubi comprehendi nihil opperiens poterit antedictus, tacite quantum concessit facultas, ne qui conferendo officeret ponti, junxit navibus Rhenum.

Valentinianus Rhenum navali ponte transgreditur. U. C. 1123, p. C. N. 371.

Et antegressus contra Mattiacas aquas primus Severus, qui pedestrem curabat exercitum, perpensa militum paucitate territus stetit, timens ne resistere nequiens, irruentium opprimeretur hostilium agminum mole. Et quia suspicabatur venalia ducentes mancipia scurras, casu illic repertos, id quod viderant excursu celeri nuntiare, cunctos mercibus direptis occidit. Adventu itaque plurium copiarum animati judices; castrisque ad tempus brevissimum fixis, quia nec sarcinale jumentum quisquam nec tabernaculum habuit præter Principem, cui tapetes suffecerant pro tentorio: parumper ob tenebras morati nocturnas, exsiliente procinctu pergebant ulterius, itinerum gnaris ducentibus, equitatu cum Theodosio rectore præire disposito equirat erat..... * * tempore jaceat, extento strepitu suorum est impeditus: quibus assidue mandans, ut incendiis & rapinis abstinerent, impetrare non potuit. Ignium enim crepitu dissonisque clamoribus satellites exciti, idque quod acciderat suspecti (m), carpento veloci impositum Regem angusto aditu circumfractis collibus abdiderunt.

Culpa militis Macrianum Alemannorum regem incautum capere non potuit.

Hac Valentinianus gloria defraudatus, nec sua culpa, nec Ducum, sed intemperantia militis, quæ dispendiis gravibus sæpe rem Romanam afflixit, adusque quinquagentesimum (n) lapidem terris hostilibus inflammatis, rediit Treveros mœstus. Ubi tamquam leo ob cervum amissum vel capream morsus vacuos concrepans, dum hostium disjecta frangeret timor, in Macriani locum Bucinobantibus, quæ contra Mogontiacum gens est Alemanna, Regem Fraomarium ordinavit:

Fraomarius Rex Bucinobantum.

quem paullo postea, quoniam recens excursus eumdem penitus vastaverat pagum, in Britannos translatum potestate Tribuni Alemannorum præfecerat numero, multitudine viribusque ea tempestate florenti: Bitheridum vero & Hortarium nationis ejusdem Primates item regere milites jussit: è quibus Hortarius, proditus relatione Florentii Germaniæ Ducis, contra Rempublicam quædam ad Macrianum scripsisse barbarosque Optimates, veritate tormentis expressa, conflagravit flamma pœnali.

Hortarius Alemannus vivus exuritur.

CAP. V. Abhinc inter * * * * * proxima, hæc narratione disseri continua placuit, ne, dum negotiis longe discretis & locis alia subseruntur, cognitio multiplex necessario confundatur. Nubel velut Regulus per nationes Mauricas potentissimus vita digrediens, & legitimos & natos è concubinis reliquit filios: è quibus Zamma Comiti nomine Romano acceptus, latenter à fratre Firmo peremptus, discordias excitavit & bella.

Firmus Mauros fratrem Zamam interficit.

Ejus enim necem ulcisci impensiore studio properans Comes, ad insidiaroris perniciem multa ciebat & formidanda. Utque rumores distulerunt assidui, navabatur opera diligens in palatio, Romani qui-

(e) al. cujus. (f) al. beneficiis. (g) al. usi. (h) al. cura. (i) al. rumperetur (k) al. successionum. (l) al. & prævisum negotium &c. (m) al. suspicati. (n) al. quingentesimum.

quidem relationes, multa & aspera congerentes in Firmum, libenter suscipi recitarique Principi, in earum favorem concinentibus multis: ea vero quæ contra Firmus salutis tuendæ gratia docebat crebro per suos, accepta diutius occultari: Remigio tunc Officiorum Magistro, adfine amicoque Romani, inter potiores Imperatoris necessitates hæc velut minima & superflua nonnisi opportune legi posse adseverante. Quæ cum ad obruendam defensionem suam agitari animadverteret (o) Maurus, ultimorum metu jam trepidans, ne amandatis quæ prætendebat, ut perniciosus & contumeliosus (p) condemnatus occideretur, ab imperii ditione descivit, & adjumenta * * tium ad vastandum, (Quare ne) hostis implacabilis incrementis virium adolesceret, ad abolendum cum comitatensis auxilio militis pauci Theodosius Magister equitum mittitur, cujus virtutes ut impetrabiles ea tempestate præ ceteris nitebant: Domitii Corbulonis & Lusii (q) veterum simillimi: quorum prior sub Nerone, alter Trajano rem regente Romanam, pluribus inclaruere fortibus factis. Proinde ab Arelate secundis egressus auspiciis, emeatoque mari cum classe quam ductabat, nullo de se rumore prægresso, defertur ad Sitifensis Mauritaniæ littus, quod appellant accolæ Igilgitanum. Ibique inventum casu Romanum leniter adlocutus, misit ad vigilias ordinandas & prætenturas, parum super his quæ verebatur increpitum. Quo ad Cæsariensem digresso, Gildonem Firmi fratrem & Maximum misit correpturos Vincentium: qui curans Romani vicem, incivilitatis ejus erat particeps & furtorum. Recepto itaque tardius milite, quem amplitudo morabatur maris, Sitifim properans, Romanum cum domesticis custodiendum Protectoribus committi mandavit: agensque in oppido sollicitudine diducebatur ancipiti, multa cum animo versans, qua via quibusve commentis per exustas caloribus terras pruinis adsuetum duceret militem: vel hostem caperet discursatorem & repentinum, insidiisque potius clandestinis, quam præliorum stabilitate confisum. Quod ubi Firmo levi rumore, dein apertis est indiciis cognitum, spectatissimi Ducis adventu præstrictus, veniam confessionis præteritorum missis oratoribus poscebat & scriptis, docentibus eum non sponte sua ad id erupisse quod norat scelestum, sed iniquitate grassante licentius, ut monstrare pollicebatur. Quibus lectis paceque obsidibus acceptis promissa, Dux ad recensendas legiones quæ Africam tuebantur, ire pergebat ad Pancharianam stationem, quo convenire præceptæ sunt. Ibi magnificis verbis atque prudentibus spe cunctorum erecta, reversus Sitifim, concitato indigena milite cum eo quem ipse perduxerat, ægre perpetiens moras ad procinctus ire ocius festinabat. Inter residua autem multa & clara, id amorem ejus auxerat in immensum, quod à provincialibus commeatum exercitui prohibuit dari, messes & condita hostium virtutis nostrorum horrea esse, fiducia memorans speciosa. His ita cum

A Romanis descivit. U. C. 1123. p. C. N. 371.

Contra quem Theodosius mittitur.

Firmus à Theodosio pacem petit.

Quæ ei promittitur.

lætitia possessorum dispositis, Tubusuptum (r) progressus oppidum Ferrato contiguum monti, legationem secundam Firmi repudiavit, quæ obsides, ut ante statutum est, non duxerat secum. Unde omnibus pro loco & tempore cautius exploratis concito gradu Tyndensium gentem & Massissensium petit, levibus armis instructas, quas Mascizel, & Dius fratres Firmi ductabant. Cum essent hostes jam in contuitu membris omnibus celeres, post missilia hinc inde crebrius jacta, committitur certamen asperrimum: interque gemitus mortis & vulnerum audiebantur barbarorum ululabiles fletus captorum & cæsorum: pugnaque dirempta plures agri populati sunt & incensi. Inter quos clades eminuere fundi Petrensis, excisi radicitus: quem Salmaces dominus, Firmi frater in modum urbis exstruxit. Hoc successu victor elatus, mira velocitate Lamfoctense oppidum occupavit, inter gentes positum antedictas, ubi abunde rei cibariæ copiam condi effecit: ut si pergens interius alimentorum offendisset penuriam, juberet è propinquo convectari. Quæ dum ita procedunt, Mascizel reparatis viribus nationum confinium adminicula ductans, conserta manu cum nostris, fusis è parte suorum pluribus, ipse equi pernicitate ægre discrimine mortis exemptus est. Fessus ærumnis gemini prælii Firmus, imoque æstuans corde, ne quid ultimæ rationis omitteret, Christiani ritus Antistites oraturos pacem cum obsidibus misit. Qui quoniam suscepti lenius, pollicitique victui congrua militibus, ut præceptum est, læta retulere responsa: præmissis muneribus Maurus ipse fidentius ad Romanum perrexerat Ducem, equo insidens apto ad ancipites casus: cumque prope venisset, fulgore signorum & terribili vultu Theodosii præstrictus, jumento desiluit: curvataque cervice humi pæne adfixus, temeritatem suam flebiliter incusabat, pacem obsecrando cum venia. Susceptusque cum osculo, quoniam id Reipublicæ conducebat, bonæ spei jam plenus, sufficientia præbuit alimenta: & quibusdam propinquis suis ad obsidum vicem relictis abscessit, captivos ut sposponderat redditurus, quos primis turbarum exordiis rapuit: biduoque post Icosium oppidum, cujus supra docuimus conditores, militaria signa & coronam Sacerdotalem cum ceteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit ut præceptum est. Exinde cum discursis itineribus magnis Tiposam (s) noster Dux introiret, legatis Mazicum qui se consociaverant Firmo, suppliciter obsecrantibus veniam, animo elato respondit, se in eos ut perfidos arma protinus commoturum. Quibus imminentis periculi metu defixis, revertique jussis ad sua, Cæsaream ire tendebat, urbem opulentam quondam & nobilem, cujus itidem originem in Africæ situ digessimus plene: eamque ingressus, cum omnem pæne incendiis late dispersis vidisset exustam, horridasque canitie silices, Primam & Secundam legionem ad tempus ibi locari disposuit, ut favillarum egerentes acervos, agitarent ibi præsidium

Sed non conceditur.

Mascizel & Dius fratres Firmi funduntur à Theodosio.

Firmus iterum pacem petit.

Quam & impetrat.

Cæsareæ ruina.

(o) al. adverteret. (p) al. & contumax. (q) al. Dusii. (r) Tubusoptum. (s) al. Tipasam.

ſidium, ne repetito barbarorum impetu vaſtaretur. Quæ cum rumores veri diſtuliſſent, provinciæ rectores Tribunuſque Vincentius è latibulis quibus ſeſe commiſerant egreſſi, tandem intrepidi ad Ducem ocius pervenerunt. Quibus ille gratanter viſis atque ſuſceptis, agens etiam apud Cæſaream, fide rerum diligentius explorata, comperit Firmum per ſpeciem faventis & ſupplicis tectiore conſilio id moliri, ut nihil hoſtile metuentem exercitum in modum tempeſtatis ſubitæ conturbaret. Quamobrem converſus hinc venit ad municipium Sugabarritanum Tranſcellenſi monti adcline: ubi inventos equites quartæ Sagittariorum cohortis, quæ ad rebellem defecerat, ut contentum ſe ſupplicio leniori monſtraret, omnes contruſit ad infimum militiæ gradum: eoſque & Conſtantianorum peditum partem Tigavias venire juſſerat cum Tribunis: è quibus unus torquem pro diademate capiti impoſuit Firmi. Dumque hæc aguntur, reverterunt Gildo & Maximus, Bellenen è Principibus Mazicum & Fericium gentis Præfectum ducentes, qui factionem juverant quietis publicæ turbatoris * * * * producerent vinctos. Quo ita ut ſtatutum eſt facto, lucis primo exortu ipſe egreſſus, cum inveniſſet eos in exercitu circumſeptos: *Quid de iſtis nefariis*, inquit, *proditoribus fieri oportere contubernales devoti cenſetis*? Secutuſque adclamationem rogantium ſanguine vindicari, eos qui inter Conſtantianos merebant, priſco more militibus dedit occidendos: Sagittariorum vero primoribus manus incidit; reſiduos ſupplicio capitali multavit: ad æmulationem Curionis acerrimi illius ducis, qui Dardanorum ferociam in modum Lernææ ſerpentis aliquotiens renaſcentem hoc genere pœnarum exſtinxit. Sed obtrectatores malivoli vetus factum laudantes, hoc ut dirum vituperant & aſperrimum: Dardanos hoſtes memorantes internecivos, & juſte quæ ſuſtinuere perpeſſos: hos vero ſubſignanos milites debuiſſe lenius corrigi, ad unum prolapſos errorem. Quos ſcientes forſitan admonemus, hanc cohortem & facto & exemplo adverſam. Antedictos Bellenen & Fericium, quos duxerat Gildo, Tribunumque Sagittariorum Curandium ea re juſſit occidi, quod nec ipſe umquam cum hoſtibus congredi voluit, nec ſuos ut pugnarent hortari. Agebat autem hæc Tullianum illud advertens, quod *ſalutaris vigor vincit inanem ſpeciem clementiæ*. Exin profectus, fundum nomine Gallonatis (*t*) muro circumdatum valido, receptaculum Maurorum tutiſſimum arietibus admotis evertit: & cæſis omnibus incolis mœnibuſque complanatis, ad Tingitanum caſtellum progreſſus, per Ancorarium montem, Mazicas in unum collectos invaſit, jam tela reciprocantes volitantia grandinis ritu. Et cum eſſet utrimque diſcurſum, agmina viris armiſque incitata noſtrorum non perferentes Mazices, licet bellicoſum genus & durum, diverſis ſtragibus implicati fœdo diffluxere terrore: ruenteſque in fugam cæſi ſunt, abſque iis qui reperta copia diſcedendi, ſupplici prece veniam quam dari tempus flagitaverat, impetrarunt. Suggena eorum ductorem * * * Romano ſucceſſerat, in Sitifenſem Mauritaniam ire diſpoſito ad agitanda præſidia, ne provincia pervaderetur, ipſe præteritis elatior caſibus gentem petit Muſonem: quam conſcientia rapinarum & cædium actibus congregaverat Firmi, ut ſperabatur majora mox adepturi. Progreſſuſque aliquantum juxta Addenſe municipium comperit, diſſonas cultu & ſermonum varietate nationes plurimas unum ſpirantibus animis, immanium exordia concitare bellorum, adigente hortanteque maxima ſpe præmiorum ſorore Firmi nomine Cyria: quæ abundans divitiis & deſtinatione feminea, niſibus magnis inſtituit juvare germanum. Quocirca Theodoſius veritus ne Marti ſeſe committeret impari, congreſſuſque multitudini immenſæ cum paucis (tria enim armatorum millia ductabat atque quingentos) amitteret univerſos, inter pudorem cedendi pugnandique ardorem gradiens retro paullatim, trudente pondere plebis abſceſſit. Hocque eventu barbari nimium quantum (elati) ſequenteſque pertinaciter * * * certare neceſſitate compulſus, ſemetipſum & ad internecionem perdiderat cunctos, ni gentium turbulenta concuſſio, procul Mazicum viſis auxiliis, quos anteibant quidam Romani, arbitrata in ſe impetum agminum ferri complurium, verſa in pedes aperuiſſet noſtris exitus antehac interſeptos. Exinde cum militem ducens incolumem Theodoſius ad fundum veniſſet nomine Mazucanum, exuſtis deſertoribus paucis, aliiſque ad Sagittariorum exemplum quibus manus ademptæ ſunt, contruncatis, Tipatam menſe Februario venit. Ubi diutius agens, ut antiquus ille Cunctator pro negotio conſultabat, commentis potius & prudentia, quam periculoſis congreſſibus, hoſtem pugnacem & impetrabilem (*u*) jactu telorum, ſi fors copiam dederit, oppreſſurus. Mittebat tamen aſſidue ſuadendi quoſdam peritos ad gentes circumſitas, Bajuras, Cantaurianos, Avaſtomates, Caſaves, Davareſque, & finitimos alios, nunc timore, nunc nummis eos ad ſocietatem alliciens veniamque petulantiæ interdum promittendo, cum * * ulterius per ambages & moras hoſtem frangentem ſuos impetus oppreſſurus, ut quondam Pompeius Mithridatem. Qua cauſa declinans perniciem proximam Firmus, licet præſidiorum magnitudine communitus, relicta plebe quam coegerat magna mercede, quoniam latendi copiam nocturna quies dedit, Caprarienſes montes longe remotos penetravit, & diruptis rupibus inacceſſos. Cujus abitu clandeſtino multitudo diſperſa, ſine rectore particulatim diffluens, invadendi ejus caſtra noſtris copiam dedit. Hiſque direptis, & interfectis qui reſiſtebant vel in deditionem acceptis, regionum maxima parte vaſtata, gentibus per quas tranſibat Dux conſultiſſimus adpoſuit fidei compertæ Præfectos. Hac inopina ſequendi confidentia territus perduellis, ſervis comitantibus paucis, digreſſu celeri conſulturus ſaluti, ne quo præpediretur obſtaculo, abjecit pretioſarum ſarcinas ſpecierum quas avexerat (*x*) ſo-

Firmus torquem pro diademate ſibi imponi patitur.

Dardani quomodo à Curione puniti & domiti.

Mazicum pugna cum Romanis.

Cyria Firmi ſoror turbas in Romanos concitat.

Theodoſius Cunctator & prudens.

Firmus fugit.

(*t*) al. Gajonatis. (*u*) al. impenetrabilem. (*x*) al. auxerat.

secum. Uxorem namque fessam labore continuo & perancipitis * * * Theodosius, nullique adeuntium parcens mundiore victu stipendioque milite recreato, Caprariensibus Abannisque eorum vicinis prælio levi sublatis, ad municipium properavit....... ense: verisque nuntiis doctus barbaros occupasse jam tumulos, per amfracta undique spatia in sublime porrectos, nullique pervios nisi indigenis locorum perquam gnaris, repedando dedit hostibus facultatem per indutias licet breves Æthiopum juxta agentium adminiculis augeri vel maximis. Qui concatervatis copiis fremituque minaci sine sui respectu ruentes in pugnam, averterunt eum inæstimabilium turmarum specie dira perterrefactum: statimque redintegratis animis commeatus vehens abunde revertit, & conglobatis suis scutaque in formidabilem moventibus gestum, controversas iisdem opposuit manus. Quamquam igitur immite quiddam barbaricis concrepantibus armis manipuli furentium imminebant, ipsi quoque parmas genibus illidentes: tamen ut pugnator ille cautus & prudens, militis paucitate diffisus, audacter agmine quadrato incedens, ad civitatem nomine Contensem flexit iter intrepidus, (ubi captivos) nostros Firmus ut in munimento abstruso locarat & celso: cunctisque receptis, in proditores satellitesque memorati animadvertit acriter, ut solebat. Hoc ei magni numinis adjumento gerenti prosperrime, verus indicat explorator, confugisse ad Isaflensium populum Firmum: ad quem reposcendum una cum fratre Mazuca ceterisque necessitudinibus illuc ingressus, cum adipisci non posset, genti bellum indixit. Et prælio atroci commisso, ferocientibus barbaris ultra modum aciem in rotundo habitu figuratam opponit; adeoque Isaflenses pondere catervarum urgentium inclinati sunt, ut plurimi caderent, & ipse Firmus ferox, & sæpe in suam perniciem præceps, equo auferretur in fugam, per saxa & rupes discurrere citius adsueto: Mazuca vero frater ejus caperetur letaliter saucius. Qui Cæsaream mitti dispositus, ubi sæva inusserat monumenta facinorum pessimorum, dilatato vulneris hiatu discessit. Caput tamen ejus avulsum residuo corpore, cum magno visentium gaudio urbi illatum est antedictæ. Post hæc Isaflensium gentem, quæ obstitit, superatam Dux nobilis incommodis multis, ut æquitas poscebat, adflixit. Ibi Evasium potentem municipem, Florumque ejus filium, & quosdam alios, per secretiora consilia temeratorem quietis juvisse confutatos aperte, flammis absumpsit. Exindeque pergens interius, nationem Jubalenam spiritu adgressus ingenti, ubi natum Nubelem patrem didicerat Firmi, repulsus altitudine montium & flexuosis angustiis stetit. Et quamlibet facto in hostem impetu, pluribusque peremptis aperuerit viam: formidans tamen sublimia collium ad insidiandum aptissima, ducens suos incolumes revertit ad Audiense castellum: ubi Jesalensium gens fera semet dedit, voluntaria auxilia præstare spondens & commeatus. His & ejusmodi gloriosis actibus exsultans amplissimus ductor, ipsum otii turbatorem petebat valido virium nisu: ideoque prope munimentum nomine Medianum diu consistens, per multas prudentesque sententiarum vias eumdem sibi prodi posse sperabat. Hæcque cogitationibus anxiis altioreque prospiciens cura, rursus ad Isaflenses hostem comperit revertisse: quos nihil moratus, ut antea, agminibus adoritur incitatis. Cui Rex Imazen (*y*) nomine, spectatus per eos tractus opibusque insignis, progressus obviam confidenter: *Cujus loci es tu?* (inquit) *vel quid acturus huc venisti? responde.* Quem Theodosius fundata mente intuens torvum: *Comes*, ait, *Valentiniani sum, orbis terrarum domini, ad opprimendum latronem funereum missus: quem nisi statim reddideris, ut invictus statuit Imperator, peribis funditus cum gente quam regis.* Quo audito Igmazen, post convicia multa quæ congessit in Ducem, ira doloreque perculsus abscessit. Et secutæ principio lucis, utrimque occursuræ sibi ad confligendum processerunt acies minacissimæ: & barbarorum viginti pæne millia in ipsis locata sunt frontibus, occultatis pone terga subsidialibus globis, ut adsurgentes paullatim nostros multitudine clauderent insperata: hisque Jesaleni auxiliares accessere quamplures, quos adjumenta & commeatus nostris docuimus promisisse. Contra Romani quamvis admodum pauci, tamen fortibus animis victoriisque antegressis elati, densatis lateribus, scutisque in testudinis formam cohærenter aptatis restiterunt gradibus fixis: & à Sole ortu usque ad diei extimum pugna protenta paullo ante vesperam visus est Firmus equo celsiori insidens, sago puniceo porrectius panso milites clamoribus magnis hortari, ut dedant Theodosium opportune, truculentum eum appellans & dirum, & suppliciorum sævium repertorem, si discriminibus eximi vellent quæ perferebant. Hæ insperatæ voces ad dimicandum quosdam acrius incitarunt; alios deserere prælium illexerunt. Proinde ubi noctis advenit quies prima, partibus tenebrarum obvolutis horrere, Dux reversus ad Duodiense castellum, militesque recognoscens, eos quos à pugnandi proposito pavor & verba detorserant Firmi, diverso genere pœnarum exstinxit: alios ademptis dexteris, quosdam vivos combustos. Excubiasque agens cura pervigili, barbarorum aliquos ausos cum apparere non possent, post occasum Lunæ castra sua tentare, fudit, vel irruentes audentius cepit. Digressus exinde passibus citis, Jesalenses ut ambiguæ fidei per tramites adortus obliquos, unde parum sperari potuit, ad penuriam vastavit extremam: perque Cæsariensis Mauritaniæ oppida reversus Sitifim, Castorem & Martinianum rapinarum flagitiorumque Romani participes, ad interitum tortos incendit. Redintegratur post post hæc cum Isaflensibus bellum: primoque conflictu barbarorum pluribus pulsis & interfectis, Rex eorum Igmazen vincere antehac assuetus, terrore fluctuans mali præsentis, nihilque commerciis vetitis ad vitam spei sibi restare si obstinatius egerit arbitratus,

Theodosius Firmum ab Isaflensi populo reposcit.

Qui populus vincitur,

Theodosius

Firmum persequitur.

Imazen Rex Isaflensium Theodosium alloquitur.

Firmus Theodosium sibi dedi postulat.

(*y*) al. Igmazen.

Imazen Theodoſium ſupplex accedit.

bitratus, quantum caute fieri potuit & occulte, prorupit ex acie ſolus: viſumque Theodoſium ſuppliciter petiit, ut Maſillam Mazicum Optimatem ad ſe venire juberet. Per quem ut rogaverat miſſum, clandeſtinis colloquiis monuit Ducem ſuopte ingenio pertinacem, ut ad præbendam ſibi copiam agendi quæ vellet, popularibus ſuis acriter immineret, eoſque aſſiduitate pugnandi mutaret in metum, promptos quidem ad perduellis favorem, ſed jacturis multiplicibus feſſos. Paruit Theodoſius dictis: & crebritate certaminum Iſaflenſes ita protrivit, ut iisdem labentibus more pecudum, Firmus latenter evaderet, & aviis & diuturnis latebris amandandus, inibi dum de fuga conſultat, tentus ab Igmazene cuſtodiretur. Et quoniam obſcurius geſta didicerat per Maſillam, in extremis rebus unum remedium ſupereſſe contemplans, calcare vivendi cupiditatem voluntaria ſtatuit morte: vinoque conſulto diſtentus, & crapulentus, ſilenti nocte oppreſſis altiore ſomno cuſtodibus, pervigil ipſe impendentis ærumnæ terrore, inſonis greſſibus relicto cubili, manibus repens & pedibus longius ſeſe diſcrevit: repertumque funiculum quem finiendæ vitæ paravere caſus, de clavo parieti adfixo ſuſpendit: ubi collo inſerto animam abſque moris crucialibus exhalavit. (z) Quod dolenter ferens Igmazen, ereptamque ſibi gloriam gemens, quia non contigerat ad caſtra Romana vivum (a) ducere perduellem, interpoſita fide publica per Maſillam, ipſe camelo necati cadaver impoſitum ferens, cum tentoria exercitus adventaret ad Subicarenſe caſtellum locata, in jumentum tranſtulit ſarcinale, & Theodoſio obtulit exſultanti. Qui convocatis armatis ſimul atque plebeiis, interrogatiſque an agnoſcerent (b) vultum, cum ejuſdem eſſe ſine ulla didiciſſet ambage, ibi pauliſper moratus Sitifim triumphanti ſimilis rediit ætatum ordinumque omnium celebrabili favore ſuſceptus.

Firmus ſeipſum ſtrangulat.

Quem ſtrangulatum Imazen Theodoſio tradit.

Quadi rebellant. U. C. 1123. p. C. N. 371.

CAP. VI. Dum hoc pulvere per Mauritaniam Dux antedictus anhelat & Africam, Quadorum natio motu eſt excita repentino (c), parum nunc formidanda, ſed immenſum quantum antehac bellatrix & potens, ut indicant perpetrata, quoniam raptim proclivia, obſeſſaque ab (d) iisdem ac Marcomannis Aquileja, Opitergiumque exciſum, & cruenta complura perceleri acta procinctu (e): vix reſiſtente perruptis Alpibus Juliis Principe ſerio (f), quem ante docuimus, Marco. Et erat ut barbaris ratio juſta querelarum. Valentinianus enim ſtudio muniendorum limitum glorioſo quidem ſed nimio ab ipſo Principatus initio flagrans, trans flumen Hiſtrum in ipſis Quadorum terris, quaſi Romano juri jam vindicatis, ædificari præſidiaria caſtra mandavit: quod accolæ ferentes indigne, ſuique cautiores, legatione tenus interim & ſuſurris arcebant. Sed Maximinus in omne avidus nefas, & genuinos mitigare nequiens flatus, quibus Præfecturæ acceſſerat tumor, increpabat Æquitium per Illyricum eo tempore Magiſtrum armorum ut pervicacem & deſidem, necdum opere quod maturari diſpoſitum eſt conſummato: addebatque ut conſulens in commune, quod ſi parvo ſuo Marcelliano deferretur poteſtas per Valeriam Ducis, munimentum abſque ulla cauſatione conſurgeret. Utrumque mox eſt impetratum. Qui promotus profectuſque cum veniſſet ad loca, intempeſtive turgens ut filius, nullis adfatibus delenitis iis, quos numquam tentatæ cupiditatis figmenta regionum ſuarum faciebant extorres, opus paullo ante inchoatum adgreditur, admiſſa copia rogandi ſuſpenſum. Denique Gabinium Regem ne quid novaretur modeſte poſcentem, ut adſenſurus, humanitate ſimulata cum aliis ad convivium conrogavit: quem digredientem poſt epulas, hoſpitalis officii ſanctitate nefarie violata, trucidari ſecurum efficit. Cujus rei tam atrocis diſſeminatus rumor ilico per diverſa, & Quados & gentes circumſitas efferavit: Regiſque flentes interitum, in unum coactæ miſere vaſtatorias manus: quæ Danubium tranſgreſſæ cum nihil exſpectaretur hoſtile, occupatam circa meſſem agreſtem adortæ ſunt plebem: majoreque parte truncata, quidquid ſuperfuit, domum cum multitudine varii pecoris abduxerunt. Eveniſſet profecto tunc inexpiabile ſcelus, numerandum inter probroſas rei Romanæ jacturas, (paullo enim abfuit quin filia caperetur Conſtantii, cibum ſumens in publica villa quam appellant Piſtrenſem, cum duceretur Gratiano nuptura) ni favore propitii numinis præſens Meſſalla provinciæ rector, eam judiciali carpento impoſitam ad Sirmium viceſimo ſexto lapide diſparatum curſu reduxiſſet effuſo. Hoc caſu proſpero regia virgine periculo miſerandæ ſervitutis exempta, cujus niſi potuiſſet impetrari redemptio captæ, magnas inuſiſſet Reipublicæ clades. Latius ſe cum Sarmatis Quadi pandentes, ad raptus & latrocinia gentes aptiſſimæ, prædas hominum virile & muliebre ſecus agebant & pecorum, villarum cineribus exuſtarum cæſorumque incolentium exſultantes ærumnis, quos nec opinantes ſine ulla parcimonia deleverunt. Per omnia itaque propinqua malorum ſimilium diſperſa formidine, Præfectus Prætorio agens tunc apud Sirmium Probus, nullis bellorum terroribus aſſuetus, rerum novarum lugubri viſu præſtrictus, oculoſque vix attollens, hærebat diu quid capeſſeret ambigens: & cum paratis velocibus equis noctem proximam deſtinaſſet in fugam, monitus tutiore conſilio manſit immobilis. Didicerat enim omnes ſecuturos confeſtim qui mœnibus claudebantur, tegendos latebris opportunis: quod ſi contigiſſet, impropugnata civitas veniſſet in manus hoſtiles. Proinde parumper lenito pavore, ad arripienda quæ urgebant acri animo adſurgens, reterſit obrutas ruderibus foſſas, murorumque maximam partem pacis diuturnitate contemptam, & ſubverſam

Cauſa.

Quod Gabinius Rex eorum per inſidias in convivio à Romanis occiſus.

Probus Præfectus Prætorio terrore percuſſus.

Sirmium munit.

(z) al. animam non abſque miris cruciabilibus exhalavit. (a) al. vinctum. (b) al. cognoſcerent. (c) al. natio mota eſt inſultu repentino. (d) al. quoniam raptim obſeſſa ab &c. (e) al. & cruenta complura per celeres acta procinctus. (f) al. Alpibus Juliis Primicerio.

ſam (g) aduſque celſarum turrium minas expediit, ſtudio ædificandi coalitus: hac ratione opere velociter abſoluto, quod impenſas ædificandi cauſa theatri dudum congeſtas, ſufficientes ad id quod efficere maturabat, invenit. Atque huic ſpectato conſilio ſalutare addidit aliud: & Sagittariorum cohortem è ſtatione proxima, adfuturam obſidio ſi veniſſet, accivit. His velut obicibus barbari ab oppugnanda urbe depulſi, parum ad has calliditates dimicandi ſollertes, ſarcinisque impediti prædarum, ad Æquitii vertuntur indaginem. Et cum ad Valeriæ ſpatia longe remota ſeceſſiſſe captorum didiciſſent indiciis, illuc properato petierant gradu frendentes, hacque ex cauſa jugulo ejus intenti, quod per ipſum circumventum Regem exiſtimabant inſontem. Quibus concito curſu ruentibus infeſtius, obviam legiones motæ ſunt duæ, Pannonica & Mœſiaca, valida præliis manus: quæ ſi conſpiraſſet, abierat proculdubio victrix. Sed dum diſcretim graſſatores adoriri feſtinant, ortis inter ſe diſcordiis impediti de honore certabant & dignitate. Quo intellecto Sarmatæ ſagaciſſimi, non exſpectato certandi ſigno ſollemni, Mœſiacam primam inceſſunt: dumque milites arma tardius per tumultum expediunt, interfectis plurimis aucti fiducia aciem perrupere Pannonicam: disjectaque agminis mole, geminatis ictibus omnem pæne deleſſent, ni periculo mortis aliquos citum extraxiſſet effugium. Inter hæc fortunæ diſpendia triſtioris Dux Mœſiæ Theodoſius junior prima etiam tum lanugine juvenis, Princeps poſtea perſpectiſſimus, Sarmatas Liberos ad diſcretionem ſervorum rebellium appellatos, conlimitia noſtra ex alio latere invadentes, aliquotiens expulit & adflixit, congreſſibus denſis adtritos, adeoque obſiſtentes fortiſſime turbas confluentes oppreſſit, ut cæſorum plurium alites juſte ſanguine ſatiaret & feras. Unde reſidui tumore jam deflagrante metuentes, ne idem Dux virtutis ut apparuit expeditæ, in primo finium aditu incurſantes cuneos ſterneret aut fugaret, vel inſidias per ſilvarum locaret occulta, poſt multos perrumpendi conatus ſubinde tentatos incaſſum, abjecta pugnandi fiducia conceſſionem petivere præteritorum & veniam: victique ad tempus indultæ fœderibus pacis nihil egere contrarium, eo maxime timore perculſi, quod ad tutelam Illyrici Gallicam militis validum acceſſerat robur. Dum hæc tot ac talia per turbines agitantur aſſiduos, Claudio regente Urbem æternam, Tiberis qui media interſecans mœnia, cloacis & fluviis abundantibus multis Tyrrheno mari miſcetur, effuſione imbrium exuberans nimia, & ſupra amnis ſpeciem panſus, omnia pæne contexit. Et ſtagnantibus civitatis reſiduis membris quæ tenduntur in planitiem molliorem, montes ſoli & quidquid inſularum celſius eminebat, à præſenti metu defendebatur: & ne multi inedia contabeſcerent, undarum magnitudine nuſquam progredi permittente, lembis & ſcaphis copia ſuggerebatur abunde ciborum. At vero ubi tempeſtas mollivit, & flumen reticulis ruptis rediit ad ſolitum curſum, abſterſo metu nihil poſtea moleſtum exſpectabatur. Hic ipſe Præfectus egit admodum quiete, nullam ſeditionem ſuper querela juſta perpeſſus: & inſtauravit vetera plurima. Inter quæ porticum excitavit ingentem, lavacro Agrippæ contiguam, (23.) Eventus Boni cognominatam, ea re quod hujus nominis prope viſitur templum.

Quadi Æquitium perſequuntur.

Et duas legiones pæne totas delent.

Quibus reſiſtit Theodoſius junior.

A quo pacem petunt & impetrant.

Inundatio Tiberis ſub Claudio Præfecto Urbis. U. C. 1123. p. C. N. 371.

Explicit Liber XXIX.

AMMIANI MARCELLINI
RERUM GESTARUM
LIBER XXX.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

INTER has turbarum difficultates, quas perfidia Ducis Rege Quadorum excitavit occiſo per ſcelus, dirum in Oriente committitur facinus, Para Armeniorum Rege clandeſtinis inſidiis obtruncato: cujus materiæ impio conceptæ conſilio hanc primordialem fuiſſe novimus cauſam. Conſarcinabant in hunc etiam tum adultum crimina quædam apud Valentem exaggerantes male ſollertes homines, diſpendiis ſæpe communibus paſti. Inter quos erat Terentius Dux demiſſe ambulans, ſemperque ſubmœſtus, ſed quoad

Terentii vitia

(g) al. ſubverſas.

(23.) Eventus boni cognominatam) Sub duplici forma Bonus Eventus, qui à Romanis ut Deus colebatur, in numis repræſentatus eſt, & quidem Tab. LXVI. num. 6. ut Juvenis nudus, ſtans ante aram accenſam, cum patera in dextra, & ſpica ac papavere in ſiniſtra manu; deinde eadem Tab. LXVI. num. 7. ut matrona, cum patera frugibus plena in dextra, & ſpicis in ſiniſtra manu Conf. OISEL. Theſ. Numiſm. antiqu. Tab. XLI. num. 6. & 7. pag. 205. His addimus imaginem Boni Eventus Scriboniæ gentis ex PATIN. Fam. Rom. p. 249. Tab. itidem LXVI. num. 8.

quoad vixerat, acer diſſenſionum inſtinctor. Qui adſcitis in ſocietatem gentilibus paucis, ob flagitia ſua ſuſpenſis in metum, ſcribendo ad Comitatum aſſidue Cylacis necem replicabat & Artabannis: addens eumdem juvenem ad ſuperbos actus elatum, nimis eſſe in ſubjectos immanem. Unde quaſi futurus particeps ſuſcipiendi tunc pro inſtantium rerum ratione tractatus, idem Para regaliter vocatus, & apud Tarſum Ciliciæ obſequiorum ſpecie cuſtoditus, cum neque ad Imperatoris caſtra accipi, nec urgentis adventus (*b*) cauſam ſcire cunctis reticentibus poſſet: tandem ſecretiore indicio comperit, per litteras Romano rectori ſuadere Terentium, mittere propediem alterum Armeniæ Regem: ne odio Paræ ſpeque quod revertetur, natio nobis opportuna deficeret ad jura Perſarum, eam rapere vi vel metu vel adulatione flagrantium. Quæ reputans ille, impendere ſibi præſagiebat exitium grave. Et doli jam prudens, neque aliam niſi cito diſceſſu ſalutis reperiens viam, ſuadentibus his quibus fidebat, conglobatis trecentis comitibus ſecutis eum è patria, cum equis velociſſimis, ut in magnis ſolet dubiiſque terroribus audacter magis quam conſiderate, pleraque diei parte emenſa egreſſus cuneatim properabat intrepidus. Cumque eum provinciæ moderator, Apparitoris (*i*) qui portam tuebatur imperatus (*k*), feſtinato ſtudio reperiſſet in ſuburbanis, ut remaneret enixius obſecrabat: & parum hoc impetrato, mortis averſus eſt metu. Nec minus paullo poſtea legionem ſecutam jamqne adventantem, ipſe cum promptiſſimis retrorſus excurrens, fundenſque in modum ſcintillarum ſagittas, ſed voluntate errans, ita in fugam compulit, ut cum Tribuno milites univerſi perterrefacti, vividius quam venerant remearent ad muros. Exin ſolutus omni formidine, biduo & binoctio exanclatis itinerum laboribus magnis, cum ad flumen veniſſet Euphraten, & inopia navium voraginoſum amnem vado tranſire non poſſet, nandi imprudentia paventibus multis, ipſe omnium maxime cunctabatur: & remanſiſſet, ni cunctis verſantibus varia id reperire potuiſſet effugium in neceſſitatis abrupto tutiſſimum. Lectulos in villis repertos binis utribus ſuffulſerunt, quorum erat abundans prope in agris vinariis copia: quibus ſingulis Proceres inſidentes & Regulus ipſe, jumenta trahentes, præruptos undarum occurſantium fluctus obliquatis meatibus declinabant: hocque commento tandem ad ulteriorem ripam poſt extrema diſcrimina pervenerunt. Reſidui omnes equis invecti natantibus, & circumluente flumine ſæpe demerſi jactatique, infirmati periculoſo madore expelluntur ad contrarias margines: ubi paulliſper refecti, expeditius quam diebus præteritis incedebant. Hoc nuntiato Princeps antedicti fuga perculſus, quem elaqueatum fidem rupturum exiſtimabat, cum ſagittariis mille ſuccinctis & levibus Danielum mittit & Barzimerem revocaturos eum, Comitem unum, alterum Scutariorum Tribunum. Hi locorum gnaritate confiſi, quod ille properans, ut peregrinus & inſuetus mæandros faciebat & gyros, compendioſis vallibus ejus itinera prævenerunt: & diviſis inter ſe copiis, clauſere vias proximas duas trium millium intervallo diſtinctas, ut tranſiturus per utramvis caperetur improvidus: ſed evanuit cogitatum hoc caſu. Viator quidam ad citeriora feſtinans, cum bivium armato milite vidiſſet oppletum, per poſterulam tramitem medium ſqualentem frutectis & ſentibus vitabundus excedens, in Armenios incidit feſſos: & ductus ad Regem, arcano ſermone ſolum quæ viderat docet, ac retinetur intactus. Moxque metu diſſimulato eques mittitur clandeſtinus ad dextrum itineris latus, diverſoria paraturus & cibum: quo paullum progreſſo, in lævum tractum item alius talia facturus ire jubetur ociſſime, alterum aliorſum neſciens miſſum. Quibus ita utiliter ordinatis, Rex ipſe cum ſuis dumeta per quæ viator venerat relegens, eo rurſus monſtrante, per hiſpidam & jumento onuſto exiguam callem poſt terga relictis militibus evolavit, qui captis ejus miniſtris, miſſis ad mentes obſervantium præſtringendas, quaſi venaticiam prædam modo non porrectis bracchiis (*l*) exſpectabant. Dumque hi venturum opperiuntur, ille regno incolumis reſtitutus, & cum gaudio popularium ſummo ſuſceptus, in fide manſit immobilis (*m*), injuriis quas pertulerat omnibus demuſſatis. Danielus poſt hæc & Barzimeres cum luſi jamjam revertiſſent; probroſis lacerati conviciis, acſi inertes & deſides, ut hebetatæ primo appetitu venenatæ ſerpentes, ora exacuere letalia, cum primum potuiſſent, elapſo pro virium copia nocituri. Et leniendi cauſa flagitii ſui, vel fraudis quam meliore conſilio pertulerunt, apud Imperatoris aures rumorum omnium tenaciſſimas inceſſebant falſis criminibus Param, incentiones Circeas in vertendis debilitandiſque corporibus miris modis eum callere fingentes: addenteſque quod hujuſmodi artibus offuſa ſibi caligine mutatus, vaſorumque forma tranſgreſſus, triſtes ſollicitudines, ſi huic irriſioni ſuperfuerit, excitabit. Hinc in illum inexplicabile auctum Principis odium, & doli ſtruebantur in dies, ut per vim ei vel clam vita adimeretur: agentique tunc in Armenia Trajano, & rem militarem curanti, id ſecretis committitur ſcriptis. Qui inlecebroſis Regem inſidiis ambiens, & modo ſerenæ mentis Valentis indices litteras tradens, modo ipſe ſeſe ejus conviviis ingerens, ad ultimum compoſita fraude ad prandium verecundius invitavit: qui nihil adverſum metuens venit, conceſſoque honoratiore diſcubuit loco. Cumque apponerentur exquiſitæ cuppediæ, & ædes amplæ nervorum & articulato flatilique ſonitu reſultarent, jam vino incaleſcente, ipſo convivii domino per ſimulationem naturalis cujuſdam urgentis egreſſo, gladium deſtrictum intentans, torvo lumine ferociens, quidam immittitur barbarus aſper ex his quos Supras appellant, confoſſurus juvenem, ne exſilire poſſet etiam tum præpeditum. Quo viſo Regulus forte prominens ultra torum, expedito dolone adſurgens, ut vitam

Para Armeniæ Rex inſidiis clandeſtinis circumventus evadit.
U. C. 1126. p. C. N. 374.

Viarum obſervatores fruſtratus.

Regnum ſuum repetit.

Para incentiones Circeas in vertendis corporibus callere accuſatur.

Trajanus comes mandatum de Para capiendo accipit.

(*b*) al. acceſſus. (*i*) al. provinciæ moderatis apparitor. (*k*) al. percitus. (*l*) al. manibus. (*m*) al. in eadem fidei firmitudine manſit immobilis.

vitam omni ratione defenderet, perforato pectore deformis procubuit victima, ictibus multiplicatis fœde concisa. Hocque figmento nefarie decepta credulitate, inter epulas quæ reverendæ sunt vel in Euxino Ponto, hospitali numine contuente, peregrinus cruor in ambitiosa lintea conspersus spumante sanie satietati (*n*) superfuit convivarum, horrore maximo dispersorum. Ingemiscat, si quis vita digressis est dolor, hujus adrogantiam facti Fabricius ille Luscinus: sciens qua animi magnitudine Democharen, vel ut quidam scribunt Niciam, ministrum repulerit regium, colloquio occultiore pollicitum, quod Pyrrhum Italiam tunc bellis sævissimis exurentem, veneno poculis necabit infectis: scripseritque ad Regem, ut ab interiore caveret obsequio. Tantum reverentiæ locum apud priscam illam Justitiam, vel hostilis mensæ genialitas obtinebat. Verum excusabatur recens inusitatum facinus & pudendum necis exemplo Sertorianæ: adulatoribus forsitan ignorantibus, quod ut Demosthenes perpetuum Græciæ decus adfirmat, numquam similitudine aut impunitate alterius criminis diluitur id, quod contra ac liceat arguitur factum.

Quem etiam in convivio occidit.

Fabricius Pyrrhum monuit, ut ab insidiis domesticis sibi caveret.

CAP. II. Hæc per Armeniam notabiliter gesta sunt. Sapor vero post suorum pristinam cladem comperto interitu Paræ, quem sociare sibi impendio conabatur, mœrore gravi perculsus, augenteque nostri exercitus alacritate formidinem, majora sibi præseminans, Arrace (*o*) legato ad Principem misso, perpetuam ærumnarum causam deleri penitus suadet Armeniam: si id displicuisset, aliud poscens, ut Hiberiæ divisione cessante, remotisque inde partis Romanæ præsidiis, Aspacures solus regnare permitteretur, quem ipse præfecerat genti. Ad quæ Valens in hanc respondit sententiam, nihil derogare se posse placitis ex consensu firmatis, sed ea studio curatiore defendere. Glorioso proposito contrariæ Regis litteræ hieme jam extrema perlatæ sunt, vana causantis & tumida. Adseverabat enim non posse semina radicitus amputari discordiarum, nisi intervenissent conscii pacis fœderatæ cum Joviano, quorum aliquos vita dicerat abscessisse. Ingravescente post hæc altius cura, Imperator eligere consilia quam invenire sufficiens, id conducere rebus existimans, Victorem Magistrum equitum & Urbicium Mesopotamiæ Ducem ire propere jussit in Persas, responsum absolutum & uniusmodi perferentes: quod Rex justus & suo contentus, ut jactitabat, scelestе concupiscat Armeniam, ad arbitrium suum vivere cultoribus ejus permissis: sed ni Sauromaci præsidia militum impertita principio sequentis anni ut dispositum est inpræpedita reverterint, invitus ea complebit, quæ sponte sua facere supersedit. Quæ legatio recta quidem & libera, ni deviasset in eo, quod absque mandatis oblatas sibi regiones in eadem Armenia suscepit exiguas. Qua regressa, advenit Surena potestatis secundæ post Regem, has easdem Imperatori offerens partes, quas audacter nostri sumpsere legati. Quo suscepto liberaliter & magnifice, sed parum impetrato quod poscebat remisso, parabantur magna instrumenta bellorum, ut mollita hieme Imperatore trinis agminibus perrupturo Persidem, ideoque Scytharum auxilia festina celeritate mercante. Proinde parum adeptus ea quæ spe vana conceperat Sapor, ultraque solitum asperatus, quod ad expeditionem accingi rectorem compererat (*p*) nostrum: iram ejus conculcans (*q*) Surenæ dedit negotium, ut ea quæ Victor Comes susceperat & Urbicius, armis repeteret si quisquam repugnaret, & milites Sauromacis præsidio destinati malis affligerentur extremis. Hæcque ut statuerat maturata confestim; nec emendari potuerunt nec vindicari, quia rem Romanam alius circumsteterat metus totius Gothiæ, Thracias licentius perrumpentis: quæ funera tunc explicari poterunt carptim, si ad ea quoque venerimus. Hæc per Eoos agitata sunt tractus. Quorum inter seriem Africanas clades, & legatorum Tripoleos manes inultos etiam tum & errantes sempiternus vindicavit Justitiæ vigor, aliquoties serus, sed scrupulosus quæsitor gestorum recte vel secius, hoc modo. Remigius, quem populanti provincias retulimus Comiti favisse Romano, postquam Leo in ejus locum Magister esse cœpit Officiorum, à muneribus Reipublicæ jam quiescens, negotiis se ruralibus dedit prope Mogontiacum in genitalibus locis. Quem ibi morantem securius, Præfectus Prætorio Maximinus reversum ad otium spernens, ut solebat diræ luis ritu grassari per omnia, lædere modis quibus poterat affectabat: utque rimaretur plura quæ latebant, Cæsarium antehac ejus Domesticum, postea Notarium Principis, raptim quæ Remigius egerit, vel quantum acceperit ut Romani juvaret actus infandos, per quæstionem cruentam interrogabat. Quibus ille cognitis, cum esset ut dictum est in secessu, conscientia malorum urgente, vel rationem formidine superante calumniarum, innodato gutture laquei nexibus interiit.

Saporis Persarum Regis & Valentis Imperatoris de Armeniæ & Hiberiæ Regnis contendentium legati. U.C. 1126. p. C. N. 374.

Remigius sestrangulat.

CAP. III. Secuto post hæc anno, Gratiano adscito in trabeæ societatem Æquitio Consule, Valentiniano post vastatos aliquos Alemanniæ pagos munimentum ædificanti prope Basiliam (*r*), quod appellant accolæ Robur, offertur Præfecti relatio Probi, docentis Illyrici clades. Quibus ille, ut cunctatorem decuerat Ducem, examinatius lectis, attonitus cogitationibus anxiis, Paterniano Notario misso negotium scrupulosa quæsivit indagine: moxque veris per eum nuntiis gestorum acceptis, evolare protinus festinabat, ausos temerare limitem barbaros primo fragore ut mente conceperat oppressurus armorum. Quia igitur abeunte autumno multa impediebant & aspera, adnitebantur omnes per regiam Optimates, ut adusque principium veris oratum eum pertinerent & exoratum (*s*): primum durata pruinis itinera, ubi nec adultæ in pastum herbæ reperirentur, nec cetera usui congrua, penetrari non posse firmantes: dein vicinorum Galliis Regum immanitatem, maximeque omnium Macriani ut formidati nunc prætendentes,

Valentinianus post vastatos aliquos Alemanniæ pagos.

(*n*) al. in ambitiosa toralia sparsus & spumans satietati &c. (*o*) al. Arsace. (*p*) al. conceperat. (*q*) al. occultans. (*r*) al. Basileam. (*s*) al. veris eum pertinerent exoratum.

dentes, quem constabat impacatum relictum, etiam ipsa urbium mœnia tentaturum. Hæc memorantes addentesque utilia, reduxere eum in meliorem sententiam: statimque ut conducebat rei communi, prope Mogontiacum blandius Rex antedictus accitur, proclivis ipse quoque ad excipiendum fœdus, ut apparebat. Et venit immane quo quantoque flatu distentus, ut futurus arbiter superior pacis: dieque prædicto colloquii ad ipsam marginem Rheni caput altius erigens stetit, hincinde sonitu scutorum intonante gentilium. Contra Augustus adscensis amnicis lembis, septus ipse quoque multitudine castrensium ordinum, tutius prope ripas accessit, signorum fulgentium nitore conspicuus: & immodestis gestibus murmureque barbarico tandem sedato, post dicta & audita ultro citroque versus, amicitia media sacramenti fide firmatur. Hisque perfectis discessit turbarum Rex artifex delenitus, futurus nobis deinceps socius: & dedit postea adusque vitæ tempus extremum, constantis in concordiam animi facinorum documentum pulchrorum. Periit autem in Francia postea: quam dum internecive vastando perrumpit avidius, oppetiit Mellobaudis bellicosi Regis insidiis circumventus. Post fœdus tamen sollemni ritu impletum, Treveros Valentinianus ad hiberna discessit.

Cum Macriano Alemannorum Rege colloquitur.

Et pacem facit. U.C. 1126. p. C.N. 374.

Macrianus perit in Francia.

CAP. IV. Hæc per Gallias & latus agebantur Arctoum. At in Eois partibus alto externorum silentio intestina pernicies augebatur per Valentis amicos & proximos, apud quos honestate utilitas erat antiquior. Navabatur enim opera diligens, ut homo rigidus audire cupiens lites, à studio judicandi revocaretur, metu ne ita ut Juliani temporibus defensione innocentia respirante, frangeretur potentium tumor adsumpta licentia latius solitus evagari. Ob hæc & similia concordi consensu dehortantibus multis, maximeque Modesto Præfecto Prætorio regiorum arbitrio spadonum exposito, & subagreste ingenium nullis (*n*) vetustatis lectionibus expolitum coacto vultu fallente, & adserente quod infra imperiale columen causarum essent minutiæ privatarum: ille ad humiliandam celsitudinem potestatis negotiorum examina spectanda instituta esse arbitratus, ut monebat, abstinuit penitus, laxavitque rapinarum fores: quæ roborantur in dies judicum advocatorumque pravitate sentientium paria: qui tenuiorum negotia militaris rei rectoribus, vel intra palatium validis venditantes, aut opes, aut honores quæsivere præclaros. Hanc professionem Oratorum forensium, jure πολιτικῆς μορίȣ εἴδωλον, id est civilitatis particulæ umbram, vel adulationis partem quartam esse definit amplitudo Platonis: Epicurus autem κακοτεχνίαν nominans, inter artes numerat malas. Tisias suasionis opificem esse memorat, adsentiente Leontino Gorgia. Quam à veteribus ita determinatam, Orientalium quorumdam versutia adusque bonorum extulit odium: unde etiam retinaculis temporis præstituti frenatur. Ergo absolutis super ejus indignitate paucis, quam in illis partibus agens expertus sum, ad cœptorum cursum regrediar institutum. Florebant elegantiæ priscæ patrociniis Tribunalia: cum oratores concitæ facundiæ, attenti studiis doctrinarum, ingenio, fide, copiis ornamentisque dicendi pluribus eminebant: ut Demosthenes, quo dicturo concursus audiendi causa ex tota Græcia fieri solitos, monumentis Atticis continetur: & Callistratus, quem nobilem illam super Oropo causam (qui locus in Eubœa est) perorantem, idem Demosthenes Academia cum Platone relicta sectatus est: ut Hyperides, & Æschines, & Andocides, & Dinarchus, & Antiphon ille Rhamnusius, quem ob defensum negotium omnium primum antiquitas prodidit accepisse mercedem. Nec minus apud Romanos Rutilii, & Galbæ, & Scauri, vita, moribus, frugalitateque spectati, & postea per varias ævi sequentis ætates Censorii, & Consulares multi, & triumphales, Crassi & Antonii, & cum Philippis Scævolæ aliique numerosi, post exercitus prosperrime ductos, post victorias & tropæa, civilibus stipendiorum officiis floruerunt: laureasque fori speciosis certaminibus occupantes, summis gloriæ honoribus fruebantur. Post quos excellentissimus omnium Cicero, orationis imperiosæ fluminibus sæpe depressos aliquos judiciorum eripiens flammis: *Non defendi homines sine vituperatione fortasse posse, negligenter defendi sine scelere non posse* firmabat. At nunc videre est per Eoos omnes (*o*) tractus violenta & rapacissima genera hominum per fora omnia volitantium, & subsidentium divites domus, ut Spartanos canes aut Cretas, vestigia sagacius colligendo, ad ipsa cubilia pervenire causarum. In his primus est cœtus eorum, qui seminando diversa jurgia per vadimonia mille jactantur, viduarum postes & orborem limina deterentes, & aut inter (*p*) discordantes amicos aut propinquantes vel affines, si simultatum levia senserint receptacula, (*q*) odia struentes infesta: in quibus ætatis progressu non ut aliorum vitia intepescunt, sed magis magisque roborantur: inter rapinas insatiabiles inopes, ad capiendam versutis orationibus judicum fidem, quorum nomen ex Justitia natum est, sicam ingenii destringentes. Horum obstinatione libertatem temeritas, constantiam audacia præceps, eloquentiam inanis quædam imitatur fluentia loquendi: quarum artium scævitate (*r*), ut Tullius adseverat, nefas est religionem decipi judicantis. Ait enim: *Cumque nihil tam incorruptum esse debeat in Republica quam suffragium, quam sententia; non intelligo cur qui ea pecunia corruperit, pœna dignus sit: qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quam qui pretio judicem corrumpit: quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest; dicendo potest.* Secundum est genus eorum, qui juris professi scientiam, quam repugnantium sibi legum abolevere discidia, velut vinculis ori impositis reticentes, jugi silentio umbrarum sunt similes propriarum. Hi velut fata natalicia præmonstrantes, aut Sibyllæ oraculorum interpretes, vultus

Modestus Valentem Imp. à causarum cognitionibus deducit.

Professio Oratorum forensium quid?

Varii Oratores præclari.

Inter quos excellentissimus Cicero.

De variis Advocatorum generibus.

(*n*) al. nullius. (*o*) al. per eos omnes &c. (*p*) al. & avidi inter &c. (*q*) al. ob levia scrinii receptacula. (*r*) al. sævitate.

vultus gravitate ad habitum composita tristiorem, ipsum quoque venditant quod oscitantur. Hi ut altius videantur jura callere, Trebatium loquuntur, & Cascellium (*s*), & Alfenum, & Auruncorum Sicanorumque jamdiu leges ignotas, cum Evandri matre abhinc sæculis obrutas multis. Et si voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragari absolutionem lectiones reconditas pollicentur, si te senserint esse (*t*) nummatum. Tertius eorum est ordo, qui ut in professione turbulenta clarescant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria procudentes, per prostitutas frontes vilesque latratus quo velint aditus sibi patefaciunt crebros: qui inter sollicitudines judicum per multa distentas inresolubili nexu vincientes negotia, laborant ut omnis quies litibus implicetur, & nodosis quæstionibus de industria judicia circumscribunt: quæ cum recte procedunt, delubra sunt æquitatis: cum depravantur, foveæ fallaces & cœcæ: in quas si captus ceciderit quisquam, non nisi per multa exsiliet lustra, adusque ipsas medullas exsuctus. Quartum atque postremum est genus impudens, pervicax, & indoctum, eorum qui cum immature è litterariis eruperint ludis, per angulos civitatum discurrunt, mimiambos non causarum remediis congrua commentantes, fores divitum deterendo, cœnarum ciborumque aucupantes delicias exquisitas. Qui cum semel umbraticis lucris, & inhiandæ undique pecuniæ sese dediderint, litigare frustra quoslibet innocentes hortantur: & ad defendendam causam admissi, quod raro contingit, suscepti nomen & vim negotii sub ore disceptatoris inter ipsos conflictuum articulos instruuntur, circumlocutionibus indigestis ita scatentes, ut conluvionis teterrimæ audire existimes ululabili clamore Thersiten. Cum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrenatam deflectunt conviciandi licentiam: quo nomine, ob assidua in personas honorabiles probra, diebus dictis aliquoties sunt damnati: è quibus ita sunt rudes nonnulli, ut numquam se codices habuisse meminerint. Et si in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrantur: si vero advena quisquam inusitatum sibi antea Marcianum verbo tenus quæsierit oratorem, omnes confestim Marcianos appellari se fingunt. Nec jam fas ullum præ oculis habent: sed tamquam avaritiæ venumdati & usucapti, nihil præter interminatam petendi licentiam norunt. Et si quem semel intra retia ceperint, cassibus mille impedicant, per morborum simulationem vicissim consulto cessantes: utque pervulgati juris proferatur lectio vana, septem vendibiles introitus præparant, dilationum examina longissima contexentes. Et cum nudatis litigatoribus dies cesserint, & menses, & anni, tandem obtrita vetustate controversia intromissa, ipsa capita splendoris ingressa alia secum Advocatorum simulacra inducunt. Cumque intra cancellorum venerint septa, & agi cœperint alicujus fortunæ vel salus, atque laborari debeat ut ab insonte gladius, vel calamitosa detrimenta pellantur, corrugatis hinc inde frontibus, brachiisque histrionico gestu formatis, ut concionaria Gracchi fistula post occipitium desit, consistitur altrinsecus diu: tandemque ex præmeditato conludio, per eum qui est in verba fidentior, suave quoddam principium dicendi exeritur, Cluentianæ vel pro Ctesiphonte orationum æmula ornamenta promittens: & in eam conclusionem cunctis finem cupientibus desinit, ut nondum se patroni post speciem litis triennium editam causentur instructos: spatioque prorogati temporis impetrato, quasi cum Antæo vetere colluctati, perseveranter flagitant pulveris periculosi mercedes. Verum tamen hæc cum ita sint, non desunt advocatis incommoda plurima, parum sustinenda recte victuro. Namque sellulariis quæstibus inescati, inter se hostiliter dissident, & rupta maledicendi ferocia, ut dictum est, multos offendunt: quam tunc effutiunt, cum commissarum sibi causarum infirmitatem rationibus validis convallare (*u*) non possunt. Et judices patiuntur interdum doctos ex Philistionis aut Æsopi cavillationibus, quam ex Aristidis illius justi vel Catonis disciplina productos: qui ære gravi mercati publicas potestates, ut creditores molesti opes cujusquemodi fortunæ rimantes, alienis gremiis excutiunt prædas. Ad ultimum id habet causidicina cum ceteris metuendum & grave, quod hoc ingenitum est pæne litigantibus cunctis, ut cum jurgia mille casibus cadant, accidentia secus in potestate esse existiment patronorum: & omnem certaminum exitum iisdem soleant adsignare, & non vitiis rerum, aut iniquitati aliquoties disceptantium, sed solis defensantibus irascantur. Verum unde huc declinavimus revertamur.

CAP. V. Pubescente jam vere Valentinianus à Treveris motus, per nota itinera gradu celeri contendebat: eique regiones adventanti quas petebat, legatio Sarmatarum offertur: pedibusque ejus prostrata, orabat pacifica prece, ut propitius veniret & lenis, nullius diri facinoris participes populares suos inventurus aut conscios. Quibus sæpe eadem iterantibus, hactenus perpensa deliberatione respondit, hæc in locis ubi dicuntur admissa, quærenda verissimis documentis & vindicanda. Cumque exinde Carnuntum Illyriorum oppidum introisset, desertum quidem nunc & squalens, sed ductori exercitus perquam opportunum, ubi fors copiam dedisset aut ratio, è statione proxima reprimebat barbaricos adpetitus. Et quamquam terrori cunctis erat, dum sperabat ut acer & vehemens mox Judices damnari jussurus, quorum perfidia vel secessione Pannoniarum nudatum est latus: cum illuc venisset, ita intepuit, ut neque in Gabinii Regis inquireret necem, neque insta Reipublicæ vulnera quo sinente vel agente segnius evenissent, accuratius (*x*) vestigaret: eo videlicet more, quo erat severus in gregariis corrigendis, remissior erga majores fortunas vel verbis asperioribus incessendas. Solum tamen incitato petebat odio Probum, numquam ex quo eum

Legatio Sarmatarum ad Valentinianum. U.C. 1127. p. C.N. 375.

(*s*) al. Cæsellium. (*t*) alii τὸ esse omittunt. (*u*) al. convelare. (*x*) al. curatius.

eum viderat, minari desinens vel mitescens: cujus rei causæ nec obscuræ fuerunt, nec leves. Hic Præfecturam Prætorio tunc primitus nactus, eamque multis atque utinam probabilibus modis in longum proferre gestiens, non ut prosapiæ suæ claritudo monebat, plus adulationi quam verecundiæ dedit. Contemplatus enim propositum Principis, quærendæ undique pecuniæ vias absque justorum injustorumque discretione scrutantis, errantem non reducebat ad æquitatis tramitem, ut sæpe moderatores fecere tranquilli: sed ipse quoque flexibilem sequebatur atque transversum. Unde graves obedientium casus, exitialia provisorum nomina titulorum, juxta opulentas & tenues enervatas succidere fortunas, argumentis aliis post validioribus aliis, usu lædendi reperiente longævo. Denique tributorum onera vectigaliumque augmenta multiplicata, Optimatum quosdam ultimorum metu exagitatos mutare compulerunt sedes: & flagitantium (y) ministrorum amaritudine quidam expressi, cum non suppeteret quod daretur, erant perpetui carcerum inquilini: à quibus aliquos cum vitæ jam tæderet & lucis, suspendiorum exoptata remedia consumpserunt. Hæc ita illecebrosius atque inhumanius agi loquebatur quidem pertinax rumor: Valentinianus vero tamquam auribus cera illitis ignorabat, indifferenter quidem lucrandi vel ex rebus minimis avidus, idque tantum cogitans quod offerebatur; parsurus tamen fortasse Pannoniis, si hæc ante ingemiscenda compendia comperisset, quæ nimium sero tali didicit casu. Ad provincialium residuorum exemplum etiam Epirotæ acturos sibi gratias à Præfecto mittere compulsi legatos, Iphiclem quemdam Philosophum, spectatum robore pectoris hominem, adegere non sponte propria pergere ad id munus implendum. Qui cum Imperatorem vidisset, agnitus adventusque sui causam interrogatus, Græce respondit: atque ut philosophus veritatis professor, quærente curatius Principe, si hi qui misere, ex animo bene sentiunt de Præfecto; *gementes*, inquit, *& inviti*. Quo ille verbo tamquam telo perculsus, actus ejus ut sagax bestia rimabatur, genuino percunctando sermone quos noscitabat (z): ubinam ille esset verbi gratia honore ante suos (a) excellens & nomine, vel ille dives, aut alius ordinis primus. Cumque disceret perisse aliquem laqueo, abisse alium trans mare, conscivisse sibi alium mortem, aut plumbo vita erepta exstinctum: in immensum excanduit, urente irarum nutrimenta tunc Officiorum Magistro Leone, pro nefas! ipso quoque Præfecturam, ut è celsiore scopulo (b) caderet, adfectante: quam si adeptus rexisset, præ his quæ erant ausurus, administratio Probi ferebatur in cœlum. Agens itaque apud Carnuntum Imperator, per continuos tres menses æstivos arma parabat & alimenta, si qua fors secundasset, pervasurus opportune Quados, tumultus atrocis auctores: in quo oppido Faustinus, filius sororis Juventii Præfecti Prætorio, Notarius militans, Probo spectante negotium, carnificis manu peremptus est post tormenta: vocatus in crimen, quod asinum occidisse dicebatur ad usum artium secretarum, ut adserebant quidam urgentes: ut [autem aiebat ille, ad imbecillitatem firmandam fluentium] capillorum. Alio quoque in eum perniciose composito, quod petente per jocum quodam Nigrino ut eum Notarium faceret, exclamavit ille hominem ridens, *Fac me Imperatorem, si id volueris impetrare*. Hocque ludibrio inique interpretato, & Faustinus ipse, & Nigrinus, & alii sunt interfecti. Præmisso igitur Merobaude cum militari peditum manu quam regebat, ad vastandos cremandosque barbaricos pagos, Comite adjuncto Sebastiano, Valentinianus Acincum propere castra commovit: navigiisque ad repentinum casum conjunctis, & contabulato celeri studio ponte, per partem aliam transiit in Quados, speculantes quidem ex diruptis montibus ejus adventum, quo plerique ancipites incertique accidentium cum suis caritatibus secesserunt: sed stupore defixos, cum in regionibus suis, contra quam opinabantur, augusta cernerent signa. Progressus ergo coacto gradu in quantum res tulit, jugulataque ætate promiscua, quam etiam tum palantem subitus occupavit excursus, & tectis combustis, rediit cum incolumibus cunctis quos duxerat secum: itidemque aqud Acincum moratus autumno præcipiti, per tractus conglaciari frigoribus adsuetos commoda quærebat hiberna: nullaque sedes idonea reperiri præter Sabariam poterat, quamvis eo invalidam tempore assiduisque malis adflictam. Unde hoc etiamsi magni intererat paullisper sequestrato, impigre motus, peragrata fluminis ripa, castrisque præsidio competenti munitis atque castellis, Bregitionem pervenit: ibique diu compositum ad quietem Principis fatum sortem denuntiabat ei supremam prodigiis ingerentibus multis. Namque diebus ante paucissimis ruinas fortunarum indicantia celsarum, arsere crinita sidera cometarum, quorum originem supra docuimus. Ante apud Sirmium repentino fragore nubium fulmen excussum, palatii & curiæ partem incendit & fori: & apud Sabariam eodem adhuc constituto, bubo culminibus regii lavacri insidens, occentansque funebria, nulla jacientium sagittas & lapides contemplabili dextera cadere potuit, certatim licet ardenti studio petebatur. Item cum ab urbe prædicta tenderet ad procinctum, per portam voluit unde introivit exire, ut omen colligeret quod cito remeabit ad Gallias. Cumque locus adgestis ruderibus neglectus purgatur, lapsam forem ferratam quæ exitum obseravit, multitudo removere non potuit viribus magnis enisa: & dum frustra tereret diem, coactus per aliam egressus est portam. Nocteque quam lux erepturа eum vita secuta est, ut per quietem solet, videbat conjugem suam absentem sedere, passis capillis, amictu squalenti contectam: quam æstimari dabatur Fortunam ejus esse, cum tetro habitu jam discessuram. Progressus deinde matutinus contractiore vultu subtristis, cum eum oblatus non susciperet equus,

Probi Præfecti Prætorio varii modi exigendi tributa & vectigalia.

Iphicles Philosophus legatus Epirotarum ad Valentinianum.

Valentinianus in Quados expeditionem parat.

Faustinus veneficii accusatur.

Cum Nigrino interficitur.

Valentinianus Danubium transit.

Et Quados jugulat, eorumque pagos vastat.

Valentiniani omina mortis.

(y) al. efflagitantium. (z) al. sermone quod non scitabat. (a) al. inter suos. (b) al. Si celsior è scopulo.

quus, anteriores pedes præter Stratorem erigens in ſublime: innata feritate concitus, ut erat immanis, dexteram Stratoris militis juſſit abſcidi, quæ eum inſilientem jumento pulſerat conſueto: periſſetque cruciabiliter innocens juvenis, in Tribunus ſtabuli Cerealis dirum nefas cum ſui periculo diſtuliſſet.

Quadorum legati pacem petunt.

CAP. VI. Poſt hæc Quadorum venere legati, pacem cum præteritorum obliteratione ſuppliciter obſecrantes: quam ut adipiſci ſine obſtaculo poſſent, & tirocinium & quædam utilia rei Romanæ pollicebantur. Quos quoniam ſuſcipi placuit, & redire induciis quæ poſcebantur indultis, (quippe eos vexari diutius nec ciborum inopia, nec alienum tempus anni patiebantur) in Conſiſtorium Æquitio vadente (*c*) ſunt intromiſſi. Cumque membris incurvatis ſtarent metu debiles & præſtricti, docere juſſi quæ ferebant, uſitatas illas cauſationum ſpecies jurandi fidem addendo firmabant: nihil ex communi mente Procerum gentis delictum adſeverantes in noſtros, ſed per extimos quoſdam latrones amnique confines eveniſſe quæ inciviliter geſta ſunt: etiam id quoque addendo ut ſufficiens ad facta purganda firmantes, quod munimentum exſtrui cœptum nec juſte nec opportune, ad ferociam animos agreſtes accendit. Ad hæc Imperator ira vehementi perculſus, & inter exordia reſpondendi tumidior, increpabat objurgatorio ſonu nationem omnem, ut beneficiorum immemorem & ingratam. Paullatimque lenitus [& ad molliora] propenſior, tamquam ictus è cœlo, vitalique via voceque ſimul obſtricta, ſuffectus igneo lumine cernebatur: erumpente ſubito ſanguine (*d*), letali ſudore perfuſus, ne laberetur ſpectantibus & vilibus, (*e*) concurſu miniſtrorum vitæ ſecretioris ad conclave ductus eſt intimum. Ubi locatus in lecto, exiguas ſpiritus reliquias trahens, nondum intelligendi minuto vigore, cunctos agnoſcebat adſtantes, quos Cubicularii, ne quis eum necatum ſuſpicaretur, celeritate maxima conrogarant. Et quoniam viſcerum flagrante compage laxanda erat neceſſario vena, nullus inveniri potuit medicus hanc ob cauſam, quod eos per varia ſparſerat, curaturos militem peſtilentiæ morbo tentatum. Unus tamen repertus, venam ejus iterum ſæpiuſque pungendo, ne guttam quidem cruoris elicere potuit, internis nimietate calorum ambuſtis: vel ut quidam exiſtimabant, arefactis ideo membris, quod meatus aliqui, quos hæmor rhoïdas nunc appellamus, obſerati ſunt gelidis frigoribus concruſtati. Senſit immenſa vi quadam urgente morborum, ultimæ neceſſitatis adeſſe præſcripta: dicereque conatus aliqua vel mandare, ut ſingultus ilia crebrius pulſans, ſtridorque dentium & brachiorum motus velut cæſtibus dimicantium indicabat, jam ſuperatus liventibuſque maculis interfuſus, animam diu colluctatam efflavit, ætatis quinquageſimo anno & quinto; imperii, minus centum dies, ſecundo & decimo.

Quibus Valentinianus iratus reſpondens.

Ictu ſanguinis extinguitur. A.C. 1127. p.C.N. 375.

CAP. VII. Replicare nunc eſt opportunum, ut aliquoties fecimus, & ab ortu primigenio patris hujuſce Principis aduſque ipſius obitum actus ejus diſcurrere per epilogos breves, nec vitiorum prætermiſſo diſcrimine vel bonorum, quæ poteſtatis amplitudo monſtravit, nudare ſolita ſemper animorum interna. Natus apud Cibalas Pannoniæ oppidum Gratianus major ignobili ſtirpe, cognominatus eſt à pueritia prima Funarius, ea re quod nondum adultus venalem circumferens funem, quinque militibus eum rapere ſtudio magno conatis nequaquam ceſſit: æmulatus Crotoniatem Milonem, cui mala ſæpe cohærenter læva manu retinenti vel dextra, nulla umquam virium fortitudo abſtraxit. Ob ergo validi corporis robur, & peritiam militum more luctandi notior multis, poſt dignitatem Protectoris atque Tribuni, Comes præfuit rei caſtrenſi per Africam: unde furtorum ſuſpicione contactus, digreſſuſque, multo poſtea pari poteſtate Britannum rexit exercitum, tandemque honeſte ſacramento ſolutus, revertit ad larem: & agens procul à ſtrepitu, multatione bonorum adflictus eſt à Conſtantio hoc nomine, quod civili flagrante diſcordia, hoſpitio dicebatur ſuſcepiſſe Magnentium, per agrum ſuum ad propoſita feſtinantem. Cujus meritis Valentinianus ab ineunte adoleſcentia commendabilis, contextu ſuarum quoque ſuffragante virtutum, indutibus Imperatoriæ majeſtatis apud Nicæam ornatus, in Auguſtum collegium fratrem Valentem adſcivit, ut germanitate ita concordia ſibi junctiſſimum (*f*), inter probra medium & præcipua, quæ loco docebimus competenti. Igitur Valentinianus poſt periculorum moleſtias plures dum eſſet privatus emenſas, imperitare exorſus, arces prope flumina ſitas & urbes, & Gallias petiit Alemannicis patentes excurſibus, reviviſcentibus erectius cognito Principis Juliani interitu, quem poſt Conſtantem ſolum omnium formidabant. Ideo autem etiam Valentinianus merito timebatur, quod auxit & exercitus valido ſupplemento, & utrobique Rhenum celſioribus caſtris munivit atque caſtellis, ne latere uſquam hoſtis ad noſtra ſe proripiens poſſit. Utque multa prætereamus quæ egit moderatoris auctoritate fundati, quæque per ſe vel Duces correxit induſtrios: poſt Gratianum filium in ſocietatem ſuæ poteſtatis adſumptum, Vithigabium Regem Alemannorum Vadomario genitum, adoleſcentem in flore primo genarum nationes ad tumultus cientem & bella, clam, quia non potuit aperte, confodit: & Alemannis congreſſus prope Solicinium locum, ubi inſidiis pæne perierat circumventus, ad exitium ultimum delere potuit univerſos, ni paucos velox effugium tenebris amandaſſet. Inter hæc tamen caute geſta, jam converſos ad metuendam rabiem Saxonas, ſemper quolibet inexplorato ruentes, delatoſque tunc ad terreſtres tractus, quorum ſpoliis pæne redierant locupletes, malefido quidem ſed utili commento peremit, præda raptoribus vi fractis excuſſa. Itidemque Britannos, catervas ſuperfuſorum hoſtium non ferentes, ſpe meliorum adſumpta, in libertatem & quietem reſtituit placidam, nullo pæne redire permiſſo graſſatorum ad

Valentiniani origo.

Ejus robur. Officia.

Fit cum Valente fratre Imperator.

Ejus res geſtæ.

Cum Alemannis.

Saxonibus.

Britannis.

(*c*) al. introducente. (*d*) al. & repente cohibito ſanguine. (*e*) al. ſpectantibus exulibus. (*f*) al. adſcivit, germanitate concordi ſibi junctiſſimum.

ad sua. Efficacia pari Valentinum quoque Pannonium exsulem, per has provincias molientem otium turbare commune, antequam negotium effervesceret, oppressit. Africam deinde malo repentino perturbatam discriminibus magnis exemit: cum voraces militarium fastus ferre nequiens Firmus, ad omnes dissensionum motus perflabiles gentes Mauricas concitasset. Similique fortitudine clades ingemiscendas Illyrici vindicasset, ni morte praeventus reliquisset rem seriam imperfectam. Ac licet opera praestabilium Ducum haec quae retulimus consummata sunt: tamen ipsum quoque satis constat, ut erat expeditae mentis usuque castrensis negotii diuturno firmatus, egisse complura: inter quae illud elucere clarius potuit, si Macrianum Regem ea tempestate terribilem, vivum capere potuisset, ut industria magna tentarat, postquam eum evasisse Burgundios, quos ipse admoverat Alemannis, moerens didicisset & tristis.

Et Mauris.

CAP. VIII. Haec super actibus Principis brevi sunt textu percursa: nunc confisi, quod nec metu nec adulandi foeditate constricta posteritas, incorrupta praeteritorum solet esse spectatrix, summatim ejus numerabimus vitia, post & praecipua narraturi. (*g*) Adsimulavit nonnumquam clementiae speciem, cum esset in acerbitatem naturae calore propensior: oblitus profecto quod regenti imperium omnia nimia velut proceri scopuli sunt devitanda. Nec enim usquam reperitur miti coërcitione contentus, sed aliquoties quaestiones multiplicari jussisse cruentas, post interrogationes funestas nonnullis adusque discrimina vitae vexatis, & ita erat effusior ad nocendum, ut nullum aliquando damnatorum capitis eriperet morte subscriptionis elogio leni, cum id etiam Principes interdum fecere saevissimi. Atqui potuit exempla multa contueri majorum, & imitari peregrina atque interna humanitatis & pietatis, quas sapientes consanguineas virtutum esse definiunt bonas: è quibus (*h*) haec sufficiet poni. Artaxerxes Persarum ille Rex potentissimus, quem Macrochira membri unius longitudo commemoravit, suppliciorum varietates quas natio semper exercuit cruda, lenitate genuina castigans, tiaras ad vicem capitum quibusdam noxiis amputabat: & ne secaret aures more regio pro delictis, ex galeris fila pendentia praecidebat: quae temperantia morum ita tolerabilem eum fecit & verecundum, ut adnitentibus cunctis multos & mirabiles actus impleret Graecis scriptoribus celebratos. Praenestino Praetore, qui bello quodam Samnitico properare jussus ad praesidium venerat segnius, ad crimen diluendum exhibito, Papirius Cursor ea tempestate Dictator securem per lictorem expediri, homineque abjecta purgandi se fiducia stupefacto, visum prope fruticem jussit abscidi: hocque joci genere castigatum eum absolvit, non ideo contemptus, ut qui bella diuturna prae se superavit & gravia, solus ad resistendum aptus Alexandro Magno, si calcasset Italiam, aestimatus. Haec forsitan Valentinianus ignorans, minimeque reputans adflicti solatia status semper esse lenitudinem Principum, poenas per ignes augebat & gladios: quod ultimum in adversis rebus remedium pietas reperit majorum, ut Isocratis memorat pulchritudo: cujus vox est perpetua docentis, ignosci debere interdum armis superato rectori, quam justum quid sit ignoranti. Unde motum existimo Tullium praeclare pronuntiasse, cum defenderet Oppium: *Etenim multum posse ad salutem alterius, honori* (*i*) *multis; parum potuisse ad exitium, probro nemini umquam fuit.* Aviditas plus habendi sine honesti pravique differentia, & indagandi quaestus varios per alienae vitae naufragia, exundavit in hoc Principe, flagrantius adulescens. Quam quidam praetendentes Imperatorem Aurelianum, purgare tentabant, id adfirmando, quod ut ille post Gallienum & lamentabiles Reipublicae casus exinanito aerario, torrentis ritu ferebatur in divites: ita hic quoque post procinctus Parthici clades magnitudine indigens impensarum, ut militi supplementa suppeterent & impendium, crudelitati cupiditatem opes nimias congerendi miscebat: dissimulans scire, quod sunt aliqua quae fieri non oportet, etiamsi licet; Themistoclis illius veteris dissimilis: qui cum post pugnam agminaque deleta Persarum licenter obambulans, armillas aureas vidisset humi projectas & torquem: *Tolle*, inquit, *haec*, ad comitum quemdam prope adstantem, *vere quia Themistocles non es*: quodlibet spernens in duce magnanimo lucrum. Hujus exempla continentiae similia plurima in Romanis exuberant ducibus: quibus omissis, quoniam non sunt perfectae virtutis indicia, (nec enim aliena non rapere laudis est) unum ex multis constans innocentiae vulgi veteris specimen ponam. Cum proscriptorum locupletes domus diripiendas Romanae plebi Marius dedisset & Cinna, vulgi rudes animi, sed humana soliti respectare, alienis laboribus pepercerunt: ut nullus egens reperiretur aut infimus, qui de civili luctu fructum contrectare pateretur sibi concessum. Invidia praeter haec antedictus medullitus urebatur: & sciens pleraque vitiorum imitari solere virtutes; memorabat assidue, severitatem rectae potestatis (*k*) esse individam sociam. Utque sunt dignitatum apices maximi licere sibi cuncta existimantes, & ad supplicandum (*l*) contrarios exturbandosque meliores pronius inclinati, bene vestitos oderat, & eruditos, & opulentos, & nobiles: & fortibus detrahebat ut solus videretur bonis artibus eminere: quo vitio exarsisse Principem legimus Hadrianum. Arguebat hic idem Princeps timidos saepius, maculosos tales appellans & sordidos, & intra sortem humilem amandandos: ad pavores irritos aliquoties abjectius pallens, & quod nusquam erat ima mente formidans. (*m*) Quo intellecto Magister Officiorum Remigius, cum eum ex incidentibus ira fervere sentiret, fieri motus quosdam barbaricos inter alia subserebat: hocque ille audito, quia timore mox frangebatur, ut Antoninus Pius erat serenus & clemens

Valentiniani vitia.

Ejus saevitia.

Artaxerxes Macrochir suppliciorum crudelitates lenivit.

Papirii Cursoris clementia.

Valentiniani avaritia.

Themistoclis continentia.

Valentiniani invidia.

Valentiniani timor.

(*g*) al. post & bene merita narraturi. (*h*) al. virtutes esse definiunt: è quibus &c. (*i*) al. *honore.* (*k*) al. adsidue, livorem virtutum, rectae potestatis &c. (*l*) al. sugillandum. (*m*) al. nusquam erat inattente formidans.

mens. Judices numquam consulto malignos elegit: sed si semel promotos agere didicit immaniter, Lycurgos invenisse se prædicabat & Cassios, columina Justitiæ prisca: scribensque hortabatur assidue, ut noxas vel leves acerbius vindicarent. Nec afflictis, si fors ingruisset inferior, erat ullum in Principis benignitate perfugium: quod semper ut agitato mari jactatis, portus patuit exoptatus. Finis enim justi imperii, ut sapientes docent, utilitas obedientium æstimatur & salus.

Ejus virtutes. CAP. IX. Consentaneum est venire post hæc ad ejus actus sequendos recte sentientibus & probandos: cum quibus si reliqua temperasset, vixerat ut Trajanus & Marcus. Indulgentia. In provinciales admodum parcus, tributorum ubique molliens sarcinas: oppidorum & limitum conditor tempestivus: militaris disciplinæ censor eximius, in hoc tantum deerrans, quod cum gregariorum etiam levia puniret errata, potiorum ducum flagitia progredi sinebat in majus, ad querelas in eos motas aliquoties obsurdescens: unde Britannici strepitus, & Africanæ clades, & vastitas emersit Illyrici. Pudicitia. Omni pudicitiæ cultu domi castus & foris, nullo contagio conscientiæ violatus obscenæ, nihil incestum: hancque ob causam tamquam retinaculis petulantiam frenarat aulæ regalis: quod custodire facile potuit, necessitudinibus suis nihil indulgens, quas aut in otio reprimebat, aut mediocriter honoravit, absque fratre: quem temporis compulsus angustiis, in amplitudinis suæ societatem adsumpsit. Scrupulosus in deferendis potestatibus celsis: nec imperante eo provinciam nummularius rexit, aut administratio venumdata, nisi inter (initia) ut solent occupationis spe vel impune quædam scelesta committi. Ad inferenda propulsandaque bella sollertissimus, cautus; æstu Martii pulveris induratus; boni pravique suasor & dissuasor admodum prudens, militaris rei ordinum scrutantissimus: scribens decore venusteque pingens & fingens, & novorum inventor armorum: memoria sermoneque incitato quidem, sed raro, facundiæ proximo vigens; amator munditiarum, lætusque non profusis epulis sed exsultis. Inter religionum diversitates medius. Postremo hoc moderamine Principatus inclaruit, quod inter religionum diversitates medius stetit, nec quemquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit aut illud: nec interdictis minacibus subjectorum cervicem ad id quod ipse coluit inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes, ut reperit. Valentiniani forma. Corpus ejus lacertosum & validum, capilli fulgor colorisque nitor, cum oculis cæsiis semper obliquum intuentis & torvum, atque pulchritudo staturæ, lineamentorumque recta compago, majestatis regiæ decus implebat.

Valentinianus Constantinopoli sepelitur. CAP. X. Post conclamata Imperatoris suprema, corpusque curatum ad sepulturam, ut missum Constantinopolim inter divorum reliquias humaretur: suspenso instante procinctu, anceps rei timebatur eventus cohortibus Gallicanis, quæ non semper dicatæ legitimorum Principum fidei, velut imperiorum arbitræ, ausuræ novum quiddam in tempore sperabantur: hoc tentandæ novitati res adjuvante (*n*), quod gestorum ignarus etiam tum Gratianus agebat tum apud Treveros, ubi profecturus eum morari disposuerat pater. Cum negotium in his esset angustiis, & tamquam in eadem navi futuri periculorum si accidissent participes, omnes eadem formidarent: sedit Summatum cosilio, avulso ponte, quem compaginarat, ante necessitas invadens terras hostiles, ut superstitis Valentiniani mandato Merobaudes protinus acciretur. Hocque ille, ut erat sollertis ingenii, quod evenerat ratus, aut forte doctus ab eo per quem vocabatur, rupturum concordiæ jura Gallicanum militem suspicatus, missam ad se tesseram finxit redeundi cum eo ad observandas Rheni ripas, quasi furore barbarico crudescente: utque erat secrete mandatum, Sebastianum Principis adhuc ignorantem excessum, longius amandavit, quietum quidem virum & placidum, sed militari favore sublatum, ideo maxime tunc cavendum. Reverso itaque Merobaude, altiore cura prospectum, expedito consilio Valentinianus puer defuncti filius tum quadrimus, vocaretur in Imperium cooptandus, centesimo lapide disparatus, degensque cum Justina matre in villa quam Murocinctam appellant. Valentinianus Junior in castris Augustus vocatur. U. C. 1127. p. C. N. 375. Hocque concinenti omnium sententia confirmato, Cerealis avunculus ejus ocius missus, eumdem puerum lectica impositum duxit in castra: sextoque die post parentis obitum Imperator legitime declaratus, Augustus nuncupatur more sollemni. Et licet cum hæc agerentur, Gratianum indigne laturum existimantes, absque sui permissu Principem alium institutum: postea metus (*o*) sollicitudine discussa vixere securius, quod ille, ut erat benivolus & peritus, consanguineum pietate nimia dilexit & educavit.

(*n*) al. hoc tentatores novitatis adjuvante. (*o*) al. metu.

Explicit Liber XXX.

AM-

AMMIANI MARCELLINI RERUM GESTARUM LIBER XXXI.

Incipit feliciter.

CAPUT I.

INTEREA & Fortunæ volucris rota, adversa prosperis semper alternans, Bellonam furiis in societatem (*p*) adscitis armabat, mœstosque transtulit ad Orientem eventus, quos adventare præsagiorum fides clara monebat & portentorum. Post multa enim quæ vates augureſque prædixere veridice, resultabant canes ululantibus lupis, & querulum quiddam nocturnæ volucres tinniebant & flebile, & squalidi Solis exortus hebetabant matutinos diei candores: & Antiochiæ per rixas tumultusque vulgares id in consuetudinem venerat, ut quisque vim se pati existimaret, *Vivus ardeat Valens*, licentius clamitaret: voceſque præconum audiebantur assidue, mandantium congeri ligna ad Valentini lavacri succensionem, studio ipsius Principis conditi. Quæ hunc illi impendere exitum vitæ modo non aperte loquendo monstrabant. Super his larvale simulacrum Armeniæ Regis, & miserabiles umbræ paullo ante in negotio Theodori cæsorum, per quietem stridendo carmina quædam nimium (*q*) horrenda, multos diris terroribus agitabant. Vagula gurgulione confecto (*r*) exanimis visa est jacens: cujus mors publicorum funerum ærumnas indicabat amplas & pervulgatas. Denique cum Chalcedonos subverterentur veteres muri, ut apud Constantinopolim ædificaretur lavacrum, ordine resoluto saxorum, in quadrato lapide qui structura latebat in media, hi Græci versus incisi reperti sunt, futura plene pandentes:

Prodigia de cæde Valentis & clade à Gothis inferenda.

(24) Ἀλλ᾽ ὁπόταν νύμφαι δροσερῇ κατὰ ἄςυ χορείῃ (*s*)
Τερπόμεναι, ςρέψωνται (*t*) εὐςεφέας κατ᾽ ἀγυιάς,
Καὶ τεῖχος λετροῖο πολύςονον ἔσσεται ἀλκαρ.
Δὴ τότε μυρία φῦλα πολυσπερέων ἀνθρώπων (*u*)
Ἴςρου καλλιρόοιο (*x*) πόρον περάοντα σὺν αἰχμῇ,
Καὶ σκυθικὴν ὀλέσει χώρην (*y*) καὶ μυσίδα γαῖαν,
Παιονίης δ᾽ ἐπιβάντα σὺν ἐλπίσι μαινομένησιν (*z*)
Αὐτοῦ (*a*) καὶ βιότοιο τέλος καὶ δῆεις (*b*) ἐφέξει.

CAP. II. Totius autem sementem exitii & cladum originem diversarum, quas Martius furor incendio solito miscendo cuncta concivit, hanc comperimus causam. Hunnorum gens, monumentis veteribus leviter nota, ultra paludes Mæoticas glacialem Oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit. Ubi quoniam ab ipsis nascendi primitis infantum ferro sulcantur altius genæ, ut pilorum vigor tempestivus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur, senescunt imberbes absque ulla venustate, spadonibus similes: compactis omnes firmisque membris, & opimis cervicibus: prodigiosæ (*c*) formæ & pandi, ut bipedes existimes bestias, vel quales in commarginandis pontibus effigiati stipites dolantur incompte. In hominum autem figura licet insuavi ita visi sunt asperi (*d*), ut neque igni, neque saporatis indigeant cibis, sed radicibus herbarum agrestium & semicruda cujusvis pecoris carne vescantur, quam inter femora sua & equorum terga subsertam, fotu calefaciunt brevi. Ædificiis nullis unquam tecti: sed hæc velut ab usu communi discreta sepulcra declinant. Nec enim apud eos vel arundine fastigatum reperiri tugurium potest. Sed vagi montes peragrantes & silvas, pruinas, famem, sitimque perferre ab incunabulis assuescunt. Peregre tecta nisi adigente maxima necessitate non subeunt: nec enim apud eos securos existimant esse sub tectis. Indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus silvestrium murium consarcinatis: nec alia illis domestica vestis est, alia forensis. Sed semel obsoleti coloris tunica collo inserta non ante deponitur aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluxerit defrustata. Galeris incurvis capita tegunt; hirsuta crura coriis munientes hœdinis: eorumque calcei formulis nullis aptati, vetant incedere gressibus liberis. Qua causa ad pedestres

Hunnorum descriptio.

Ipsorum forma.

Cibi.

Habitatio.

Vestes.

(*p*) al. ætatem. (*q*) al. nimirum. (*r*) al. Tragula gurgulione confecto &c. (*s*) al. δροσεραὶ κατὰ ἄςυ χορείαις. (*t*) al. ςροφοῶντες. (*u*) al. Δὴ τότε Οὔνια φῦλα πολυσπέρμων ἀπορούσι. (*x*) al. καμψιρόοιο. (*y*) al. χώραν. (*z*) al. Παίοναθ᾽ ἱπποβάτην σὺν κέλταις μαινομένοισιν. (*a*) al. ταυτὸ. (*b*) al. δήρις. (*c*) al. prodigiose. (*d*) al. effigiati stipites dolantur incompte in hominum figuras. Sic & invita sua visi sunt asperi.

(24) Ἀλλ᾽ ὁπόταν &c.) Hos versus græcos post Langium & Christophorum latine sic vertit GRONOVIUS in notis ad hunc locum:

Tempore quo liquidas agitabunt urbe choreas,
Lætaque subsilient hilares per compita Nymphæ,
Ac funesta dabit murus munimina thermis:
Tunc fortes populi variis è gentibus orti
Trajicient armis Histri speciosa fluenta,
Vastabuntque agros Mœsos atque arva Scytharum.
Ast ubi Pannoniam attigerint, majora parantes,
Hos illic fatum & Martis violentia sistet.

ſtres parum accommodati ſunt pugnas; verum equis prope affixi duris quidem, ſed deformibus, & muliebriter iiſdem nonnumquam inſidentes, funguntur muneribus conſuetis. Ex ipſis quivis in hac natione pernox & perdius emit & vendit, cibumque ſumit & potum, & inclinatus cervici anguſtæ jumenti, in altum ſoporem aduſque varietatem effunditur ſomniorum. Et deliberatione ſuper rebus propoſita ſeriis, hoc habitu omnes in commune conſultant.

Eorum regimen.

Aguntur autem nulla ſeveritate regali, ſed tumultuario Optimatum ductu contenti, perrumpunt quidquid inciderit. Et pugnant nonnumquam laceſſiti, ſed ineuntes prælia cuneatim

Modus pugnandi.

variis vocibus ſonantibus torvum. Utque ad pernicitatem ſunt leves & repentini; ita ſubito de induſtria diſperſi vigeſcunt (e), & incompoſita (f) acie cum cæde vaſta diſcurrunt, nec invadentes vallum, nec caſtra inimica pilantes præ nimia rapiditate cernuntur (g). Eoque omnium acerrimos facile dixeris bellatores, quod procul miſſilibus telis, acutis oſſibus pro ſpiculorum acumine arte mira coagmentatis, ſed diſtinctis * comminus ferro ſine ſui (h) reſpectu confligunt, hoſteſque dum mucronum noxias obſervant, contortis laciniis illigant, ut laqueatis reſiſtentium membris equitandi vel gravandi adimant facultatem. Nemo apud eos arat,

Sedem fixam non habent.

nec ſtivam aliquando contingit. Omnes enim ſine ſedibus fixis, abſque lare vel lege aut ritu ſtabili diſpalantur, ſemper fugientium ſimiles, cum carpentis in quibus habitant: ubi conjuges tetra illis (i) veſtimenta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt, & aduſque pubertatem nutriunt pueros. Nulluſque apud eos interrogatus, reſpondere unde oritur poteſt, alibi conceptus, natuſque procul, & longius educatus. Per inducias infidi, inconſtantes, ad omnem auram incidentis (k) ſpei novæ perquam mobiles, totum furori incitatiſſimo tribuentes. Inconſultorum animalium ritu, quid honeſtum inhoneſtumve ſit penitus igno-

Sine ulla religione.

rantes: flexiloqui & obſcuri, nullius religionis vel ſuperſtitionis reverentia aliquando diſtricti: auri cupidine immenſa flagrantes: adeo permutabiles, & iraſci faciles, ut eodem aliquoties die à ſociis nullo irritante ſæpe deſciſcant, itidemque propitientur nemine leniente. Hoc expeditum indomitumque hominum genus,

Præda rapinisque vivunt.

externa prædandi aviditate flagrans immani, per rapinas finitimorum graſſatum & cædes, aduſque Alanos (l) pervenit, veteres Maſſagetas: qui (m) unde ſint, vel quas incolant terras; (quoniam huc res prolapſa eſt) conſentaneum eſt demonſtrare, geographica perplexitate monſtrata, quæ diu multa luda . . . . & varia, tandem reperit veritatis interna . . : * . . * . . .ad . . . Hiſter advenarum magnitudine fluenti Sauromatas prætermeat aduſque amnem Tanaim pertinentes, qui Aſiam terminat ab Europa. Hoc tranſito, in immenſum extentas Scy-

Alanorum ſedes.

thiæ ſolitudines Alani inhabitant, ex montium appellatione cognominati, paullatimque nationes conterminas crebritate victoriarum attritas ad gentilitatem ſui vocabuli traxerunt ut Perſæ.

Neurorum

Inter hos Neuri mediterranea incolunt loca, vicini verticibus celſis, quos præruptos geluque torquentes aquilones adſtringunt.

Budinorum Gelonorum.

Poſt quos Budini (n) ſunt, & Geloni perquam feri, qui detractis peremptorum hoſtium cutibus indumenta ſibi, equiſque tegmina conficiunt, bellatrix gens.

Agathyrſorum

Gelonis Agathyrſi conlimitant, interſtincti colore cœruleo corpora ſimul & crines: & humiles quidem minutis atque raris, nobiles vero latis, fucatis & denſioribus notis.

Melanchlænarum Anthropophagorumque.

Poſt hos Melanchlænas & Anthropophagos palari accepimus per diverſa, humanis corporibus victitantes: quibus ob hæc alimenta nefanda deſertis, finitimi omnes longa petiere terrarum. Ideoque plaga omnis Orienti æſtivo objecta, uſquedum venitur ad Seras, inhabitabilis manſit. Parte alia prope Amazonum ſedes Alani ſunt Orienti adclines, diffuſi per populoſas gentes & amplas, Aſiaticos vergentes in tractus, quas dilatari aduſque Gangen accepi fluvium, interſecantem terras Indorum, mareque inundantem auſtrale. Ibi partiti per utramque mundi plagam Alani (quorum gentes varias nunc recenſere non refert) licet dirempti ſpatiis longis, per pagos, ut Nomades, vagantur immenſos: ævi tamen progreſſu ad unum conceſſere vocabulum, & ſummatim omnes Alani cognominantur * mores & media & efferatam vivendi, ſed jam immaturam. *

Alanorum mores.

Nec enim ulla ſunt illis tuguria, aut verſandi vomeris cura: ſed carne & copia victitant lactis, plauſtris ſuperſidentes, quæ operimentis curvatis corticum per ſolitudines conferunt ſine fine diſtantes. Cumque ad graminea venerint, in orbiculatam figuris locatis ſarracis ferino ritu veſcuntur: abſumptiſque pabulis, velut carpentis civitates impoſitas vehunt, mareſque ſupra cum feminis coëunt, & naſcuntur in his & educantur (o) infantes: & habitacula ſunt hæc illis perpetua; & quocumque ierint, illic genuinum exiſtimant larem. Armenta præ ſe agentes cum gregibus paſcunt: maximeque equini pecoris eſt eis ſollicitior cura. Ibi campi ſemper herbeſcunt, interſitis pomiferis locis: atque ideo tranſeuntes quolibet, nec alimentis nec pabulis indigent: quod efficit humectum ſolum & crebri fluminum prætermeantium curſus. Omnis igitur ætas & ſexus imbellis circa vehicula ipſa verſatur, muniiſque diſtringitur mollibus: juventus vero equitandi uſu à prima pueritia coaleſcens, incedere pedibus exiſtimat vile: & omnes multiplici diſciplina (p) prudentes ſunt bellatores. Unde etiam Perſæ, qui ſunt originitus Scythæ, pugnandi ſunt peritiſſimi.

Et forma.

Proceri autem Alani pæne ſunt omnes & pulchri, crinibus mediocriter flavis, oculorum temperata torvitate terribiles, & armorum levitate veloces, Hunniſque per omnia ſuppares, verum victu minores & cultu: latrocinando (q) & venando aduſque Mæotica ſtagna & Cimmerium Boſporon,

(e) al. lugeſcunt. (f) al. impoſita. (g) al. præ nimia parte decernuntur. (h) al. ſed ſine vi &c. (i) al. villis. (k) al. incidentes. (l) al. Achaiam. al. Adalam. (m) al. pervenit. Reſtant Maſſagetæ, qui &c. (n) al. Vidini. (o) al. educuntur. (p) al. militari diſciplina. (q) al. la . . . . inando &c.

ron, itidemque Armenios, discurrentes & Mediam. Utque hominibus quietis & placidis otium est voluptabile; ita illos pericula juvant & bella. Judicatur ibi beatus, qui in prælio profuderit animam: senescentes enim & fortuitis mortibus mundo digressos, ut degeneres & ignavos conviciis atrocibus insectantur: nec quidquam est quod elatius jactent, quam homine quolibet occiso: proque exuviis gloriosis, interfectorum avulsis capitibus detractas pelles pro phaleris jumentis accommodant bellatoriis. Nec templum apud eos visitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum cerni usquam potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque ut Martem, regionum quas circumcircant (r) præsulem, verecundius colunt. Futura miro præsagiunt modo: nam rectiores virgas vimineas colligentes, easque cum incantamentis quibusdam secretis præstituto tempore discernentes, aperte quid portendatur norunt. Servitus quid sit ignorabant, omnes generoso semine procreati: Judicesque etiam nunc eligunt, diuturno bellandi usu spectatos. Sed ad reliqua textus propositi revertamur.

Gens bellicosa

Ipsorum religio.

CAP. III. Igitur Hunni pervasis Alanorum regionibus, quos Greuthungis confines Tanaïtas consuetudo nominavit, interfectisque multis & spoliatis, reliquos sibi concordandi fide pacta junxerunt: eisque adjunctis, confidentius Ermenrichi late patentes & uberes pagos repentino impetu perruperunt, bellicosissimi Regis; & per multa variaque fortiter facta vicinis nationibus formidati. Qui vi subitæ procellæ perculsus, quamvis manere fundatus & stabilis (s) diu conatus est, impendentium tamen diritatem augente vulgatius fama, magnorum discriminum metum voluntaria morte sedavit. Cujus post obitum Rex Vithimiris creatus restituit aliquantisper Alanis, Hunnis aliis fretus, quos mercede sociaverat partibus suis. Verum post multas quas pertulit clades, animam effudit in prælio vi superatus armorum. Cujus parvi filii Viderichi nomine curam susceptam Alatheus tuebatur & Saphrax, duces exerciti & firmitate pectorum noti: qui cum tempore arto præventi abjecissent fiduciam repugnandi, cautius discedentes ad amnem Danastum pervenerunt, inter Histrum & Borysthenem per camporum ampla spatia diffluentem. Hæc ita præter spem accidisse doctus Athanaricus Thervingorum Judex, (in quem, ut ante relatum est, ob auxilia missa Procopio dudum Valens commoverat signa) stare gradu fixo tentabat, surrecturus in vires, si ipse quoque lacesseretur ut ceteri. Castris denique prope Danasti margines ac Greuthungorum vallem (t) longius opportune metatis, Munderichum Ducem postea limitis per Arabiam, cum Lagarimano & Optimatibus aliis adusque vicesimum lapidem misit, hostium speculaturos adventum, ipse aciem nullo turbante interim struens. Verum longe aliter quam rebatur evenit. Hunni enim (ut sunt in conjectura sagaces) multitudinem esse longius aliquam suspicati, prætermissis quos viderant, in quietem tamquam nullo obstante compositis, rumpente noctis tenebras (u) Luna vado fluminis penetrato, id quod erat potissimum elegerunt: & veriti, ne præcursorius index procul agentes absterreat, Athanaricum ipsum ictu petivere veloci. Eumque stupentem ad impetum primum, amissis quibusdam suorum coëgerunt ad effugia properare montium præruptorum. Qua rei novitate majoreque venturi pavore constrictus, à superciliis Gerasi (x) fluminis adusque Danubium Taifalorum terras præstringens, muros altius erigebat: hac lorica diligentia celeri consummata; in toto locandam securitatem suam existimans & salutem. Dumque efficax opera suscitatur, Hunni passibus eum citis urgebant: & jam oppresserant adventantes, ni gravati prædarum onere destitissent. Fama tamen late serpente per Gothorum reliquas gentes, quod inusitatum antehac hominum genus modo ruens ut turbo montibus celsis, ex abdito sinu coortum apposita (y) quæque convellit & corrumpit: populi pars major, quæ Athanaricum attenuata necessariorum penuria deseruerat, quæritabat domicilium remotum ab omni notitia Barbarorum: diuque deliberans quas eligeret sedes, cogitavit Thraciæ receptaculum gemina ratione sibi convenientius, quod & cespitis est feracissimi, & amplitudine fluentorum Histri distinguitur à Barbaris, patentibus (z) jam peregrini fulminibus Martis: hoc quoque idem residui velut mente cogitavere communi.

Hunni Alanos sibi adjungunt U. C. 1127. p. C. N. 375.

Et Ermenrichum Gothorum regem aggrediuntur.

Quibus Rex Vithimeris resistit.

Et Athanaricus

Sed infelici successu.

Gothi alias sedes quærunt.

CAP. IV. Itaque duce Alavivo ripas occupavere Danubii: missisque oratoribus ad Valentem, suscipi se humili prece poscebant, & quiete victuros se pollicentes, & daturos si res flagitasset auxilia. Dum aguntur hæc in externis, novos majoresque solitis casus versare gentes Arctoas, rumores terribiles diffuderunt: per omne quidquid ad Pontum à Marcomannis prætenditur & Quadis, multitudinem barbaram abditarum nationum vi subita sedibus pulsam, circa flumen Histrum vagari cum caritatibus suis disseminantes. Quæ res aspernanter à nostris inter initia ipsa accepta est, hanc ob causam quod illis tractibus non nisi peracta aut sopita audiri procul agentibus consueverant bella. Verum pubescente jam fide gestorum, cui robur (a) adventus gentilium addiderat legatorum, precibus & obtestatione petentium citra flumen suscipi plebem extorrem: negotium lætitiæ fuit potius quam timori, eruditis adulatoribus in majus fortunam Principis extollentibus: quod ex ultimis terris tot tirocinia trahens ei nec opinanti offerret (b), ut collatis in unum suis & alienigenis viribus invictum haberet exercitum, & pro militari supplemento quod provinciatim annuum pendebatur, thesauris accederet auri cumulus magnus. Hacque spe (c) mittuntur diversi, qui cum vehiculis

(r) al. circumeunt. (s) al. habilis. (t) al. margines aggere ut Ungorii vallem &c. (u) al. tenebris. (x) al. Gerazi. (y) al. opposita. (z) al. distinguitur ab arvis patentibus &c. (a) al. rumor. (b) al. tot tirocinia Thracenses nec opinanti offerrent. (c) al. Hacque persuasione.

culis plebem transferant truculentam. Et navabatur opera diligens, ne qui Romanam rem everſurus derelinqueretur, vel quaſſatus morbo letali. Proinde permiſſu Imperatoris tranſeundi Danubium copiam colendique adepti Thraciæ partes, transfretabantur in dies & noctes, navibus ratibusque & cavatis arborum alveis agminatim impoſiti: atque per amnem longe omnium difficillimum, imbriumque crebritate tunc auctum, ob denſitatem nimiam contra ictus aquarum nitentes quidam & natare conati, hauſti ſunt plures. Ita turbido inſtantium ſtudio orbis Romani pernicies ducebatur. Illud ſane neque obſcurum eſt neque incertum, infauſtos tranſvehendi barbaram plebem miniſtros, numerum ejus comprehendere calculo ſæpe tentantes, conquieviſſe fruſtratos: quem qui ſcire velit (ut eminentiſſimus memorat vates) Libyci velit æquoris idem diſcere, quam multæ zephyro truduntur (*d*) harenæ. Reviviſcant (*e*) tandem memoriæ veteres, Medicas acies ductantes ad Græciam: quæ dudum Helleſponti occupantes, & diſcidio quodam fabrili, mare ſub imo Athonis pede quæſitum exponunt, & turmatim apud Doriſcum exercitus recenſitos (*f*), concordante omni poſteritate, ut fabuloſæ ſunt lectæ. Nam poſtquam innumeræ gentium multitudines per provincias circumfuſæ, pandentesque ſe in ſpatia ampla camporum, regiones omnes & cuncta opplevere montium juga, fides quoque vetuſtatis recenti documento firmata eſt. Et primus cum Alavivo ſuſcipitur Fritigernus, quibus & alimenta pro tempore & ſubigendos agros tribui ſtatuerat Imperator. Per id tempus noſtri limitis reſeratis obicibus, atque ut Ætnæas favillas armatorum agmina diffundente barbaria; cum difficiles neceſſitatum articuli (*g*) correctores rei militaris poſcerent aliquos claritudine geſtarum rerum notiſſimos: quaſi lævo quodam numine deligente, in unum quæſiti poteſtatibus præfuere caſtrenſibus homines maculoſi: quibus Lupicinus antiſtabat & Maximus, alter per Thracias Comes, Dux alter exitioſus, ambo æmulæ temeritatis. Quorum inſidiatrix aviditas materia malorum omnium fuit. Nam (ut alia omittamus, quæ memorati, vel certe ſinentibus iisdem alii, perditis rationibus in commeantes peregrinos adhuc innoxios deliquerunt) illud dicitur (quod nec apud ſui periculi judices abſolvere ulla poterat venia) triſte & inauditum. Cum traducti Barbari victus inopia vexarentur, turpe commercium Duces inviſiſſimi cogitarunt: & quantos undique inſatiabilitas colligere potuit canes, pro ſingulis dederunt mancipiis, inter quæ (& filii) ducti ſunt Optimatum. Per hos dies interea etiam Vithericus Greuthungorum Rex cum Alatheo & Saphrace, quorum arbitrio regebatur, itemque Farnobio (*h*), propinquans Hiſtri marginibus, ut ſimili ſuſciperetur humanitate obſecravit Imperatorem legatis propere miſſis. Quibus ut communi rei conducere videbatur repudiatis, & quid capeſſerent anxiis, Atharicus paria pertimeſcens abſceſſit, memor Valentem dudum cum fœderaretur concordia deſpexiſſe, affirmantem ſe religione devinctum, ne calcaret ſolum aliquando Romanum, hacque cauſatione (*i*) Principem firmare pacem in medio flumine coëgiſſe: quam ſimultatem veritus ut adhuc durantem, ad Caucalandenſem locum altitudine ſilvarum inacceſſum & montium, cum ſuis omnibus declinavit, Sarmatis inde extruſis.

Pars Gothorum permiſſu Valentis in Thraciam transportatur. U.C. 1128. p. C. N. 376.

Vithericus Greuthungorum Rex ſimiliter vult ſuſcipi à Valente. U.C. 1128. p. C. N. 376.

CAP. V. At vero Thervingi jam dudum tranſire permiſſi, prope ripas etiam tum vagabantur, duplici impedimento adſtricti, quod Ducum diſſimulatione pernicioſa nec victui congruis ſunt adjuti, & tenebantur conſulto, nefandis nudandi commerciis. Quo intellecto, ad perfidiam inſtantium malorum ſubſidium vertendi muſſabant (*k*), & Lupicinus ne jam deficerent pertimeſcens, eos admotis militibus adigebat ocius proficiſci. Id tempus opportunum nacti Greuthungi, cum alibi militibus occupatis, naviga ultro citroque diſcurrere ſolita transgreſſum eorum prohibentia quieſcere proſpexiſſent, ratibus tranſiere male contextis, caſtraque à Fritigerno locavere longiſſime. At ille genuina prævidendi ſollertia venturos muniens caſus, ut & imperiis obediret & Regibus validis jungeretur, incedens ſegnius, Marcianopolim tarde pervenit itineribus lentis. Ubi aliud arceſſit atrocius, quod arſuras in commune exitium faces furiales accendit. Alavivo & Fritigerno ad convivium corrogatis, Lupicinus ab oppidi mœnibus barbaram plebem oppoſito milite procul arcebat, introire ad comparanda victui neceſſaria, ut ditioni noſtræ obnoxiam & concordem, per preces aſſidue poſtulantem: ortisque majoribus jurgiis inter habitatores & vetitos, aduſque neceſſitatem pugnandi eſt ventum. Efferatique acrius barbari, cum neceſſitudines hoſtiliter rapi ſentirent, ſpoliarunt interfectam militum manum. Quod accidens idem (*l*) Lupicinus latenti nuntio doctus, dum in nepotali menſa ludicris concrepantibus diu diſcumbens vino marcebat & ſomno: futuri conjiciens exitum, ſatellites omnes qui pro Prætorio honoris & tutelæ cauſa Duces præſtolabantur, occidit. Hocque populus qui muros obſidebat dolenter accepto, ad vindictam detentorum Regum ut opinabatur paullatim augeſcens, multa minabatur & ſæva. Utque erat Fritigernus expediti conſilii, veritus ne teneretur obſidis vice cum ceteris, exclamavit graviore pugnandum exitio, ni ipſe ad leniendum vulgus ſineretur exire cum ſociis: quod arbitratum humanitatis ſpecie ductores ſuos occiſos, in tumultum exarſit. Hocque impetrato egreſſi omnes, exceptique cum plauſu & gaudiis, aſcenſis equis evolarunt, moturi incitamenta diverſa bellorum. Hæc ubi fama rumorum nutrix maligna diſperſit, urebatur dimicandi ſtudio Thervingorum natio omnis: & inter metuenda multa periculorumque prævia maximorum, vexillis de more ſublatis, auditisque triſte ſonantibus claſſicis,

Thervingi fame & inopia preſſi & peſſime habiti.

Alavivo & Fritigerno Ducibus à Romanis deficiunt. U.C. 1128. p. C. N. 376.

Ffff 2 jam

(*d*) al. turbentur. al. trudentur. (*e*) al. Reſipiſcant. (*f*) al. recenſetur. (*g*) al. difficilibus neceſſitatum articulis. (*h*) al. Farnabio. al. Farnubio. (*i*) al. occaſione. (*k*) al. vertere diſſimulabant. (*l*) al. Quæ accidiſſe idem &c.

jam turmæ prædatoriæ concursabant, pilando villas & incendendo, vastisque cladibus quidquid inveniri poterat permiscentes.

Ac Lupicinum cum suis fundunt.

Adversus quos Lupicinus, properatione tumultuaria coactis militibus, temere magis quam consulte progressus, in nono ab urbe milliario stetit paratus ad decernendum. Barbarique hoc contemplato, globos irrupere nostrorum incautos, & parmas suppositis corporibus illidendo, obvios hastis perforabant & gladiis: furoreque urgente cruento, & Tribuni & pleraque pars armatorum perire signis ereptis: præter Ducem infaustum, qui ad id solum inventus, ut confligentibus aliis proriperet ipse semet in fugam, urbem cursu concito petiit. Post quæ hostes armis induti Romanis, nullo vetante per varia grassabantur. Et quoniam ad has partes post multiplices ventum est actus, id lecturos (si qui erunt umquam) obtestamur, ne quis à nobis scrupulose gesta vel numerum exigat peremptorum, qui comprehendi nullo genere potuit. Sufficiet enim, veritate nullo velata mendacio, ipsas rerum digerere summitates: cum explicandæ rerum memoriæ ubique debeatur integritas fida. Negant antiquitatum ignari tantis malorum tenebris offusam aliquando fuisse Rempublicam, sed falluntur malorum recentium stupore confixi. Namque si superiores vel recens præteritæ evolvantur ætates, tales tamquam tristes rerum motus sæpe contigisse monstrabunt.

Marco Imp. regnante Teutones & Cimbri Romanum Imperium inundarunt.

Inundarunt Italiam ex abditis Oceani partibus Teutones repente cum Cimbris: sed post inflictas rei Romanæ clades immensas, ultimis præliis per duces amplissimos superati, quid potestas Marcia de habitu prudentiæ valeat, radicitus exstirpati discriminibus didicere supremis. Marco itidem moderante Imperium, unum spirando vesania gentium dissonarum, post bellorum fragores immensos, post * eri urbium captarum & direptarum & pessum * concitas proratoris * interitus, partes eorum exiguas reliquisset intactas. Verum mox post calamitosa dispendia res in integrum sunt restitutæ: hac gratia, quod nondum solutioris vitæ mollitie (m) sobria vetustas infecta, nec ambitiosis mensis, nec flagitiosis quæstibus inhiabat: sed unanimanti ardore summi & infimi inter se congruentes, ad speciosam pro Republica mortem, tamquam ad portum aliquem tranquillum properabant & placidum. Duobus navium millibus perrupto Bosporo & littoribus Propontidis Scythicarum gentium catervæ transgressæ, ediderunt quidem acerbas terra marique strages: sed amissa suorum parte maxima reverterunt. Ceciderunt dimicando cum Barbaris Imperatores Decii, pater & filius. Obsessæ Pamphyliæ civitates; insulæ populatæ complures: inflammata Macedonia: omnis diu multitudo Thessalonicam circumsedit, itidemque Cyzicum. Anchialos capta, & tempore eodem Nicopolis, quam indicium victoriæ contra Dacos Trajanus condidit Imperator. Post clades acceptas illatasque multas & sævas, excisa est Philippopolis, centum hominum millibus (nisi fingunt annales) intra mœnia jugulatis. Vagati per Epirum Thessaliamque & omnem Græciam licentius hostes externi: sed assumpto in imperium Claudio glorioso ductore, & eodem honesta morte prærepto, per Aurelianum acrem virum & severissimum noxarum ultorem pulsi, per longa sæcula siluerunt immobiles: nisi quod postea latrocinales globi vicina cum sui exitio rarius incursabant. Verum ea persequar unde diverti.

Sueridus & Colias Gothorum Optimates à Valente recepti. U. C. 1128. p. C. N. 376.

CAP. VI. Hoc gestorum textu circumlato nuntiis densis, Sueridus & Colias, Gothorum Optimates, cum populis suis longe ante suscepti, & curare apud Hadrianopolim hiberna dispositi, salutem suam ducentes antiquissimam omnium, otiosis animis accidentia cuncta contuebantur. Verum Imperatoris literis repente perlatis, quibus transire jussi sunt in Hellespontum, viaticum, cibum, biduique dilationem tribui sibi sine tumore poscebant. Quod civitatis Magistratus ferens indigne, (succensebat enim iisdem ob rem suam in suburbanis vastatam) imam plebem omnem cum Fabricensibus, quorum illic ampla est multitudo, productam in eorum armavit exitium: jussique bellicum canere buccinis, ni abirent ocius ut statutum est, pericula omnibus minabatur extrema.

Rebellant adversus eum.

Quo malo præter spem Gothi perculsi, & concito quam considerato civium assultu præterriti, steterunt immobiles: lacerati que ad ultimum detestatione atque conviciis, & tentati missilium jactibus raris, ad defectionem erupere confessam: & cæsis plurimis quos impetus deceperat petulantior, aversisque (n) residuis & telorum varietate confixis, habitu jam Romano cadaveribus spoliatis armati, viso propius Fritigerno junxerunt semet, ut morigeri socii, urbemque clausam obsidionalibus ærumnis urgebant.

Et Fritigerno se jungunt.

In qua difficultate diutius positi, passim & promiscue ruebant: eminensque aliquorum audacia peribat inulta, multique sagittis & rotatis per fundas lapidibus interibant. Tunc Fritigernus frustra cum tot cladibus conluctari homines ignaros obsidendi contemplans, relicta ibi manu sufficiente, abire negotio imperfecto suasit, *Pacem sibi esse cum parietibus* memorans, suadensque ut populandas opimas regiones & uberes absque discrimine ullo, vacuas præsidiis etiam tum adorirentur.

Cum quo ad diripiendas Thracias se convertunt.

Laudato Regis consilio, quem cogitatorum norant fore socium efficacem, per Thraciarum latus omne dispersi caute gradiebantur, dedititiis vel captivis vicos uberes ostendentibus, eos præcipue ubi alimentorum reperiri satias dicebatur: eo maxime adjumento præter genuinam erecti fiduciam, quod confluebat ad eos in dies ex eadem gente multitudo, dudum à mercatoribus venumdati, adjectis plurimis quos primo transgressu necati inedia, vino exili vel panis frustis mutavere vilissimis. Quibus accessere sequendarum auri venarum periti non pauci, vectigalium perferre posse non sufficientes sarcinas graves: susceptique libenti consensione cunctorum, magno usui iisdem fuere ignota peragrantibus loca, conditoria frugum occulta & latebras hominum & receptacula secretiora monstrando. Nec

(m) al. quod nondum solutiore mollitie &c.

(n) al. adversisque.

Nec quidquam nisi inacceſſum & devium, præeuntibus iisdem manſit intactum. Sine diſtantia enim ætatis vel ſexus, cædibus incendiorumque magnitudine cuncta flagrabant: abſtractiſque ab ipſo uberum ſuctu parvulis & necatis, raptæ ſunt matres, & viduatæ maritis conjuges ante oculos cæſis, & puberes adultique pueri per parentum cadavera tracti ſunt. Senes denique multi, ad ſatietatem vixiſſe clamantes, poſt amiſſas opes cum ſpecioſis feminis, manibus poſt terga contortis, defletiſque gentilium favillis ædium, ducebantur extorres.

CAP. VII. Hæc ex Thraciis magno mœrore accepta Valentem Principem in ſollicitudines varias diſtraxerunt. Et confeſtim Victore Magiſtro equitum miſſo ad Perſas, ut ſuper Armeniæ ſtatu pro captu rerum componeret impendentium: ipſe Antiochia protinus egreſſurus, ut Conſtantinopolim interim peteret, Profuturum præmiſit & Trajanum, ambo Rectores, anhelantes quidem altius. ſed imbelles. Qui cum ad loca veniſſent, ubi particulatim perque furta magis & latrocinia multitudo minui deberet hoſtilis, ad id quod erat pernicioſum intempeſtive converſi, legiones ab Armenia ductas oppoſuere veſanum adhuc ſpirantibus Barbaris, opere quidem Martio ſæpe recte compertas, ſed impares plebi immenſæ, quæ celſorum juga montium occuparat & campos. Hi numeri nondum experti, quid cum deſperatione rabies valeret indomita, truſo hoſte ultra Æmi montis abſciſos ſcopulos faucibus inſedere præruptis, uti Barbaros locis incluſos, nuſquam (*o*) reperientes exitum diuturna conſumeret fames, & opperirentur ipſi Frigeridum Ducem, cum Pannonicis & Tranſalpinis auxiliis adventantem, quem petitu Valentis Gratianus ire diſpoſuit in procinctum, laturum ſuppetias iis qui ad ultimum vexabantur exitium. Poſt quem Richomeres Domeſticorum tunc Comes, imperatu ejuſdem Gratiani motus è Galliis, properavit ad Thracias ductans cohortes aliquas nomine tenus: quarum pars pleraque deſeruerat (ut jactavere quidam) Merobaudis ſuaſu, veriti ne deſtitutæ adminiculis Galliæ vaſtarentur licenter Rheno perrupto. Verum articulorum dolore Frigerido præpedito, vel certe ut obtrectatores finxere malivoli, morbum cauſante ne ferventibus præliis intereſſet; univerſos regens ex communi ſententia Richomeres Profuturo ſociatur & Trajano, tendentibus prope oppidum Salices: unde haud longo ſpatio ſeparatum vulgus inæſtimabile Barbarorum, ad orbis rotundi figuram multitudine digeſta plauſtrorum, tamquam intramuranis cohibitum (*p*) ſpatiis, otio fruebatur & ubertate prædarum. Prævia igitur ſpe meliorum Romani Duces, ſi fors copiam attuliſſet auſuri aliquid glorioſum, Gothos quidquid molirentur ſagaciter obſervabant: id ſcilicet præſtruentes, ut ſi alîorſum caſtra moviſſent, quod fecere creberrime, terga ultimorum adorti plures perfoderent confiſi, magnamque ſpoliorum averterent partem. Hoc intellecto hoſtes, vel transfugarum indiciis docti, per quos nihil latebat incognitum, in eodem loco diu manſerunt: ſed oppoſiti exercitus metu præſtricti, aliorumque militum quos affluere jam ſperabant: teſſera data gentili, per diverſa prope diffuſas accivere vaſtatorias manus, quæ [juſſis] Optimatum acceptis (*q*), ſtatim ut incenſi malleoli, (*r*) ad carraginem (quam ita ipſi appellant) aliti velocitate regreſſæ, incentivum audendi majora popularibus addiderunt. Nihil poſt hæc inter partes præter indutias laxatum eſt breves. Reverſis enim his quos neceſſitas evocarat, plebs omnis intra ſeptorum ambitum etiam tum contruſa, immaniter fremens, animiſque concita truculentis, experiri poſtrema diſcrimina, nec principibus gentis qui aderant renuentibus, cruditate feſtinabat. Et quoniam hæc Sole agebantur extremo, noxque adventans ad quietem invitos (*s*) retinebat & mœſtos, capto per otium cibo ſomni manſerunt expertes. Contra Romani his cognitis, ipſi quoque exſomnes verebantur hoſtes, & male ſanos eorum ductores ut rabidas feras: eventum licet ancipitem, ut numero ſatis inferiores, proſperum tamen ob juſtiorem ſui cauſam mentibus exſpectantes impavidis. Candente (*t*) itaque protinus die, ſigno ad arma capienda ex utraque parte per lituos dato, Barbari poſtquam inter eos ex more juratum eſt, tumuloſos locos appetere tentaverunt: quo exinde per proclive rotarum modo obvios impetu convolverent acriore. Hocque viſo ad ſuos quiſque manipulos properans miles, ſtabili gradu conſiſtens nec vagabatur, nec relictis ordinibus procurſabat. Ergo ubi utrimque acies cautius incedentes greſſu ſteterunt immobili, torvitate mutua bellatores luminibus ſe contuebantur obliquis. Et Romani quidem voce undique Martia concinentes, à minore ſolita ad majorem protolli, quam gentilitate appellant barritum, vires validas erigebant. Barbari vero majorum laudes clamoribus ſtridebant inconditis: interque varios ſermonis diſſoni ſtrepitus leviora prælia tentabantur. Jamque verutis & ſimilibus aliis utrimque ſemet eminus laceſſentes, ad conferendas coïere minaciter manus: & ſcutis in teſtudinum formam coagmentatis, pes cum pede collatus eſt. Barbarique ut reparabiles ſemper & celeres, ingentes clavas in noſtros conjicientes ambuſtas, mucroneſque acrius reſiſtentium pectoribus illidentes, ſiniſtrum cornu perrumpunt: quod inclinatum ſubſidialis robuſtiſſimus globus, è propinquo latere fortiter excitus, hærente jam morte (*u*) cervicibus ſuſtentavit. Fervente igitur denſis cædibus prælio, in confertos quiſque promptior ruens, ritu grandinis undique volitantibus telis oppetebat & gladiis: & ſequebantur equites hinc inde fugientibus occipitia lacertis ingentibus præcidentes & terga: itidemque altrinſecus pedites lapſorum, timore impeditorum, ſecando (*x*) ſuffragines. Et cum omnia cæſorum corporibus opplerentur, jacebant inter eos quidam ſemia-

Profuturus & Trajanus contra Gothos mittuntur. U.C. 1129. p. C.N. 377.

Similiter Frigeridus dux.

Et Richomeres Comes.

Cum quibus æquo Marte pugnant.

(*o*) al. numquam. (*p*) al. cohibita. (*q*) al. cuique Optimarum acceptas. (*r*) al. ſtatimque accenſis malleolis. (*s*) al. inviſos. (*t*) al. Cadente. (*u*) al. cohorte. (*x*) al. ſecantes.

ſemiamines, ſpem vitæ inaniter uſurpando, alii glande fundis excuſſa, vel harundinibus armatis ferro confixi: quorumdam capita per medium frontis & verticis mucrone diſtincta, in utrumque humerum magno cum horrore pendebant. Et pertinaci concertatione nondum laſſatæ, æquo Marte partes ſemet altrinſecus afflictabant: nec de rigore genuino quiſquam remittebat, dum vires animorum alacritas excitaret. Diremit tamen interneciva certamina cedens veſpero dies: & cunctis qua quiſque potuit incompoſite diſcedentibus, reſidui omnes repetunt tentoria triſtiores. Humatis denique pro locorum & temporis ratione Honoratis quibuſdam inter defunctos, reliqua peremptorum corpora diræ volucres conſumpſerunt, aſſuetæ illo tempore cadaveribus paſci, ut indicant nunc uſque albentes oſſibus campi. Conſtat tamen in numero longe minore Romanos, cum ea copioſa multitudine colluctatos, funerea multa perpeſſos: non tamen ſine deflendis ærumnis exagitaſſe barbaram plebem.

CAP. VIII. His caſibus præliorum ita luctuoſe finitis, noſtri proximos Marcianopoleos petivere ſeceſſus. Gothi intra vehiculorum anfractus ſponte ſua contruſi, numquam exinde per dies ſeptem egredi vel videri ſunt auſi: ideoque opportunitatem milites nacti, immenſas alias Barbarorum catervas inter Æmimontanas anguſtias clauſerunt aggerum objectu celſorum: hac ſpe nimirum: ut inter Hiſtrum & ſolitudines pernicioſa hoſtium multitudo compacta, nulloſque reperiens exitus periret inedia, cunctis utilibus ad vivendum in civitates validas comportatis: quarum nullam etiam tum circumſedere conati ſunt, hæc & ſimilia machinari penitus ignorantes. Poſt quæ repetivit Gallias Richomeres, ob majorem præliorum fremitum qui exſpectabatur (y), inde adminicula perducturus. Hæc Gratiano quater & Merobaude Conſulibus agebantur, anno in autumnum vergente. Inter quæ Valens audito lugubri bellorum direptionumque eventu, Saturninum, equeſtris exercitus ad tempus cura commiſſa ſuppetias Trajano ferentem miſit & Profuturo. Forteque iiſdem diebus per Scythiæ regiones & Mœſiæ omnibus quæ poterant mandi conſumptis, feritate urgente pariter & inopia, Barbari [erumpere] molibus (z) magnis ardebant. Hocque ſæpe tentato cum obruerentur vigore noſtrorum per aſperitates ſcrupoſas valide reſiſtentium: adacti neceſſitate poſtrema, Chunorum & Alanorum aliquos ad ſocietatem ſpe prædarum ingentium adſciverunt. Quo cognito Saturninus (jam enim aderat & prætenturas ſtationeſque diſponebat agrarias) paullatim colligens ſuos, digredi parabat conſilio non abſurdo: ne ſubita multitudo, uti amnis impulſu undarum (a) obicibus ruptis emiſſus, convelleret levi negotio cunctos: ſuſpecta loca diutius obſervantes. Deinde poſt reſeratas anguſtias abitumque militis tempeſtivum, incompoſite qua quiſque clauſorum potuit, nullo vetante turbandis incubuit rebus: & vaſtabundi omnes per latitudines Thraciæ pandebantur impune, ab ipſis tractibus quos prætermeat Hiſter exorſi, aduſque Rhodopen & fretum quod (b) immenſa diſterminat maria rapinis & cædibus, ſanguineque & incendiis, & liberorum corporum corruptelis omnia fœdiſſime permiſcentes. Tunc erat ſpectare cum gemitu facta dictu viſuque prædira, attonitas metu feminas flagris concrepantibus agitari, fœtibus gravidas adhuc immaturis, antequam prodirent in lucem impia tolerantibus multa: implicatos alios matribus parvulos, & puberum audire lamenta puellarumque nobilium, quarum ſtringebat fera captivitas manus. Poſt quæ adulta virginitas, caſtitaſque nuptarum ore adſecto (c) flens ultima ducebatur, mox profanandum pudorem optans morte licet cruciabili prævenire. Inter quæ cum belluæ ritu traheretur ingenuus paullo ante dives [& liber,] de Fortuna ut inclementi querebatur & cœca, quæ eum puncto temporis brevi opibus exutum & dulcedine (d) caritatum domoque extorrem, quam concidiſſe vidit in cinerem & ruinas, aut lacerandum membratim, aut ſerviturum ſub verberibus & tormentis duro devoviſti victori. Barbari tamen, velut diffractis caveis beſtiæ, per ſpatiorum amplitudines fuſius incitati, oppidum petivere nomine Dibaltum, ubi Tribunum Scutariorum Barzimerem inventum cum ſuis, Cornutiſque & aliis peditum numeris, caſtra ponentem adſiliunt, eruditum pulvere militari rectorem. Qui confeſtim (ut adigebat neceſſitas inſtantis exitii) juſſa canere bellicum tuba, lateribus firmatis, prærupit cum promptis adcinctis ad prælium: fortiterque reſiſtendo pari pugnandi ſorte diſceſſiſſet, ni eum equitum adcurſus complurium anhelum circumveniſſet & feſſum. Et ita cecidit interfectis barbarorum non paucis, quorum clades copiarum magnitudo celabat.

CAP. IX. Re in hunc modum peracta, Gothi quid poſtea molirentur incerti, quæritabant Frigeridum, tamquam obicem validum ubi reperirent exciſuri: & cultiore victu ſomnoque parumper aſſumpto, eum ſequebantur ut feræ: docti quod Gratiani monitu reverſus in Thracias, & prope Berœam vallo metato, eventus rerum ſpeculabatur ancipites. Et hi quidem ad patrandum propoſitum diſcurſione rapida maturabant. Ille vero regendi conſervandique militis non ignarus, id quod cogitatum eſt ſuſpicatus, vel exploratorum relatione quos miſerat aperte inſtructus, per montium celſa ſilvarumque denſitates ad Illyricum redit, erectus proſperitate nimia, quam ei fors obtulit inſperata. Repedando enim, congregatoſque in cuneos ſenſim progrediens, Gothorum Optimatem Farnobium cum vaſtatoriis globis vagantem licentius occupavit, ducentemque Taifalos nuper in ſocietatem adhibitos: qui ſi dignum eſt dici, noſtris ignorabitos: qui ſi dignum eſt dici, noſtris ignorarum gentium terrore diſperſis, tranſiere flumen direpturi vacua defenſoribus loca. Eorum

Gothi intra Æmimontanas clauduntur. U.C. 1129. p. C. N. 377.

Saturninus contra Gothos mittitur.

Gothi ex anguſtiis à Romanis emiſſi.

Thraciam rapinis, cædibus, ſtupris, incendiiſque fœdant.

Et Barzimerem Scutariorum tribunum interficiunt.

Gothi Frigeridum perſequuntur.

Qui vero Farnobium Optimatem cum multis Gothis & Taifalis cædit.

(y) al. ſperabatur. (z) al. Barbarique molibus &c. (a) al. ut immanis pulſus undarum. (b) al. & tractum qui. (c) al. ore affecto. (d) al. quæ eum puncto temporis brevioris extortum & dulcedine &c.

rum catervis subito visis, certare comminus Dux cautissimus parans, adortusque nationis utriusque grassatores (*e*) minantes etiam tum acerba; trucidasset omnes ad unum, ut ne nuntius quidem cladis post appareret, ni cum aliis multis perempto Farnobio, metuendo antehac incensore turbarum, obtestatus prece impensa superstitibus pepercisset: vivosque omnes circa Mutinam, Regiumque & Parmam Italica oppida, rura culturos exterminavit. Hanc Taifalorum gentem turpem ac obscenæ vitæ flagitiis ita accepimus mersam, ut apud eos nefandi concubitus fœdere copulentur maribus puberes; ætatis viriditatem in eorum pollutis usibus consumpturi. Porro si qui jam adultus aprum exceperit solus, vel interemerit ursum immanem, colluvione liberatur incesti.

Reliquis vitam & agros circa Padum dedit.

Taifalorum nefarius incestus.

CAP. X. Hæc autumno vergente in hiemem funesti per Thracias turbines converrebant: quæ temporum rabies, velut cuncta cientibus Furiis, ad regiones quoque longinquas progrediens late serpebat. Et jam Lentiensis Alemannicus populus, tractibus Rhætiarum confinis, per fallaces discursus violato fœdere dudum concepto, collimitia nostra tentabat, quæ clades hinc exitiale primordium sumpsit. Ex hac natione quidam inter Principis Armigeros militans, poscente negotio reversus in larem, ut erat in loquendo effusior, interrogantes multos quid ageretur in palatio, docet arcessitu Valentis patrui Gratianum Orientem versus mox signa moturum: ut duplicatis viribus repellantur plagarum terminalium accolæ, ad Romanorum verum excidium conjurati. Quibus avide Lentienses acceptis, ipsi quoque hæc quasi vicini cernentes, ut sunt veloces & rapidi, conferti in prædatorios globos, Rhenum gelu pervium pruinis Februario mense..... tendentes prope cum Petulantibus Celtæ, non sine sui jactura afflictos, graviter adultis viribus averterunt. Verum retrocedere coacti Germani, atque noscentes exercitus pleramque partem in Illyricum ut Imperatore mox affuturo prægressam, exarsere flagrantius: majoraque conceptantes, pagorum omnium incolis in unum collectis, cum quadraginta armatorum millibus, vel septuaginta, ut quidam laudes extollendo Principis jactitarunt, sublati in superbiam nostra confidentius irruperunt. Quibus Gratianus cum formidine magna compertis, revocatis cohortibus quas præmiserat in Pannonias, convocatisque aliis quas in Galliis retinuerat dispositio prudens, Nannieno negotium dedit virtutis sobriæ Duci: eique Mallobaudem junxit pari potestate collegam, Domesticorum Comitem, Regemque Francorum, virum bellicosum & fortem. Nannieno igitur pensante fortunarum versabiles casus, ideoque cunctandum esse censente; Mallobaudes alta pugnandi cupiditate raptatus, ut consueverat, ire in hostem differendi impatiens angebatur. Proinde horrifico adversum fragore terrente, primum apud Argentariam signo per cornicines dato concurri est cœptum: sagittarum verutorumque missilium pulsibus crebriores hincinde sternebantur. Sed in ipso præliorum ardore infinita hostium multitudine milites visa, vitantesque aperta discrimina, per calles consitas arboribus & angustas, ut quisque potuit dispersi, paullo postea stetere fidentius: & splendore consimili, proculque nitore fulgentes armorum, Imperatorii adventus injecere Barbaris metum. Qui repente versi in terga, resistentesque interdum, ne quid ultimæ rationis omitterent: ita sunt cæsi, ut ex prædicto numero non plus quam quinque millia ut æstimabatur evaderent densitate nemorum tecta, inter complures alios audaces & fortes Rege quoque Priario interfecto, exitialium concitore pugnarum. Hac læti successus fiducia Gratianus erectus, jamque ad partes tendens Eoas, lævorsus flexo itinere latenter Rheno transito, spe incitatior bona, universam (si id tentanti fors affuisset) delere statuit malefidam & turbarum avidam gentem. Hocque urgentibus aliis super alios nuntiis cognito, Lentienses ærumnis populi sui ad internecionem pæne deleti, & repentino Principis adventu defixi, quid capesserent ambigentes, cum neque repugnandi neque agendi aliquid aut moliendi laxamentum possent invenire vel breve, impetu celeri obsessos petiverunt inviis cautibus colles: abruptisque per ambitum rupibus insistentes, rebus caritatibusque suis quas secum duxerant, omni virium robore propugnabant. Qua difficultate perpensa, velut murorum obicibus opponendi per legiones singulas quingenteni leguntur armati, usu prudenter bellandi comperti. Qui ea re animorum aucta fiducia, quod versari inter antesignanos visebatur acriter Princeps, montes scandere nitebantur, tamquam venaticias prædas, si calcassent editiora, confestim sine certamine ullo rapturi: exorsumque prælium vergente in meridiem die, tenebræ quoque occupavere nocturnæ. Quippe magno utriusque partis pugnabatur exitio: cædebant cadebantque nostrorum non pauci: simul arma Imperatorii comitatus auro colorumque micantia claritudine, jaculatione ponderum densa confringebantur. Etenim diu reputante Gratiano cum Optimatibus, perniciosum apparebat & irritum contra asperitates aggerum prominentium intempestiva contendere pertinacia: multis (ut in tali negotio) variatis sententiis, otioso milite circumvallari placuit Barbaros inedia fatigatos, quia locorum iniquitate defendebantur. Verum cum obstinatione simili renitentes Germani peritique regionum petissent alios montes, his quos ante insederant altiores: conversus illuc cum exercitu Imperator, eadem qua antea fortitudine semitas ducentes ad ardua quæritabat. Quem Lentienses intentum jugulis suis omni perseverandi studio contemplantes, post deditionem, quam impetravere supplici prece, oblata (ut præceptum est) juventute valida nostris tirociniis permiscenda, ad genitales terras innoxii ire permissi sunt. Hanc victoriam opportunam & fructuosam, quæ gentes hebetavit Occiduas, sempiterni numinis nutu Gratianus, incredibile dictu est quanto cum vigore exerta celeritate aliorsum properans expedivit: præclaræ

Lentienses Alemanni Romanos limites infestant.

Nannienus & Mallobaudes contra Alemannos mittuntur.

Alemanni à Romanis superantur.

Rex quoque eorum Priarius interficitur.

Lentienses Romani rursus aggrediuntur.

Qui pacem petunt.

Gratiani Augusti indoles.

(*e*) al. adortusque nationes, oppressit grassatores &c.

claræ indolis adulescens, facundus, & moderatus, & bellicosus, & clemens: ad æmulationem lectorum progrediens Principum, dum etiam tum lanugo genis inserperet speciosa, ni vergens in ludibriosos actus natura, laxantibus proximis semet ad vana studia Cæsaris Commodi convertisset, licet hic incruentus. Ut enim ille quia perimere jaculis plurimas feras spectante consueverat populo, & centum leones in amphitheatrali circulo simul emissos telorum vario genere, nullo geminato vulnere contruncavit, ultra hominem exsultavit: ita hic quoque intra septa quæ appellant vivaria, sagittarum pulsibus crebris dentatas conficiens bestias, incidentia multa parvi ducebat & seria: eo tempore quo etiamsi Imperium Marcus regeret Antoninus, ægre sine collegis similibus & magna sobrietate consiliorum lenire luctuosos Reipublicæ poterat casus. Dispositis igitur quæ pro temporum captu per Gallias res rationesque poscebant, & punito Scutario proditore, qui festinare Principem ad Illyricum Barbaris indicarat: Gratianus exinde digressus per castra, quibus Felicis-Arboris nomen est, per Lauriacum ad opitulandum oppressæ parti porrectis itineribus ire tendebat. Iisdemque diebus Frigerido multa atque utilia pro securitate communi sollertissime cogitanti, munireque properanti Succorum angustias, ne discursatores hostes & leves, tamquam exæstuantes vi torrentes per Septemtrionales provincias fusius vagarentur; successor Maurus nomine mittitur Comes, venalis ferociæ specie, & ad cuncta mobilis & incertus: idem quem præteritorum textu retulimus, ambigenti super corona capiti imponenda Juliano Cæsari, dum inter ejus Armigeros militaret ac regiam custodiret, torquem obtulisse collo abstractam. Remotusque in ipsa vertigine pereuntium rerum Dux cautus & diligens: cum etiamsi dudum discessisset in otium, ad procinctum reduci negotiorum magnitudine poscente deberet.

Maurus Frigerido successor datus à Gratiano.

CAP. XI. His forte diebus Valens tandem excitus Antiochia, longitudine viarum emensa venit Constantinopolim: ubi moratus paucissimos dies seditioneque popularium levi pulsatus, Sebastiano paullo ante ab Italia ut petierat misso, vigilantiæ notæ ductori pedestris exercitus cura commissa, quem regebat antea Trajanus: ipse ad Melanthiada villam Cæsarianam profectus, militem stipendio fovebat, & alimentis, & blanda crebritate sermonum. Unde cum itinere edicto per tesseram Nicen (*f*) venisset, quæ statio ita cognominatur, relatione speculatorum didicit, refertos opima Barbaros præda à Rhodopeis tractibus prope Hadrianopolim revertisse: qui motu Imperatoris cum abundanti milite cognito, popularibus jungere festinant, circa Berœam & Nicopolim ingentibus (*g*) præsidiis fixis: atque ilico ut oblatæ occasionis maturitas postulabat, cum trecentenis militibus per singulos numeros lectis, Sebastianus properare dispositus est, conducens rebus publicis aliquid (ut promittebat) acturus. Qui itineribus celeratis conspectus prope Hadrianopolim, obseratis vi portis juxta adire prohibebatur: veritis defensoribus, ne captus ab hoste veniret & subornatus, atque contingeret aliquid in civitatis perniciem, quale per Actum (*h*) acciderat Comitem: quo per fraudem Magnentiacis militibus capto, claustra patefacta sunt Alpium Juliarum. Agnitus tamen licet sero Sebastianus, & urbem introire permissus, cibo & quiete curatis pro copia quos ductabat, secuta luce impetu clandestino erupit: vesperaque intendente, Gothorum vastatorios cuneos prope flumen Hebrum subito visos, paullisper opertus aggeribus & frutectis, obscura nocte suspensis passibus incompositos aggressus est: adeoque prostravit, ut (*i*) præter paucos quos morte velocitas exemerat pedum, interirent reliqui omnes: prædamque retraxit innumeram, quam nec civitas cepit, nec planities lata camporum. Qua causa percitus Fritigernus, & extimescens ne Dux, ut sæpe audierat, impetrabilis dispersos licenter suorum globos raptuique intentos consumeret, improvisos adoriens: revocatis omnibus prope Cabylen oppidum cito discessit, ut agentes in regionibus patulis nec inedia, nec occultis vexarentur insidiis. Dum hæc aguntur in Thraciis, Gratianus docto litteris patruo, qua industria superaverit Alemannos, pedestri itinere præmissis impedimentis & sarcinis, ipse cum expeditiore militum manu permeato Danubio, delatus Bononiam, Sirmium introiit: & quatriduum ibi moratus, per idem flumen ad Martis Castra descendit, febribus interfallatis afflictus; in quo tractu Alanorum impetu repentino tentatus, amisit sequentium paucos.

Valens Constantinopolim venit. U. C. 1130. p. C. N. 378.

Sebastianus comes Gothos spoliis onustos. Inopinantes prostravit.

Gratianus ad patruum Valentem properat.

CAP. XII. Iisdemque diebus exagitatus ratione gemina Valens, quod Lentienses compererat superatos, quodque Sebastianus subinde scribens facta dictis exaggerabat: è Melanthiade signa commovit, æquiparare facinore quodam egregio adulescentem properans filium fratris, cujus virtutibus urebatur: ducebatque multiplices copias nec contemnendas, nec segnes: quippe etiam veteranos iisdem junxerat plurimos: inter quos & honoratiores alii, & Trajanus procinctus (*k*) est, paullo ante Magister armorum. Et quoniam exploratione sollicita cognitum est, cogitare hostes fortibus præsidiis itinera claudere, per quæ commeatus necessarii portabantur: occursum est huic conatui competenter, ad retinendas opportunitates angustiarum quæ prope erant, peditibus sagittariis & equitum turma citius missa. Triduoque proximo cum Barbari gradu incederent leni, & metuentes eruptionem per devia, quindecim millibus passuum à civitate discreti stationem peterent Nicen: incertum quo errore procursatoribus omnem illam multitudinis partem quam viderant, in numero decem millium esse firmantibus: Imperator procaci quodam calore perculsus iisdem occurrere festinabat. Proinde agmine quadrato incedens, prope suburbanum Hadrianopoleos venit: ubi vallo sudibus fossaque firmato, Gratianum

Valens ante adventum Gratiani cum Gothis pugnare constituit.

(*f*) al. Niceam. (*g*) al. gentibus. (*h*) al. per alium. (*i*) al. id quoque præstans, ut &c.
(*k*) al. præcinctus.

tianum impatienter opperiens, Richomerem Comitem Domesticorum suscepit ab eodem Imperatore præmissum cum litteris, ipsum quoque venturum mox indicantibus. Quarum textu oratus ut præstolaretur paullisper periculorum participem, neve abruptis discriminibus temere semet committeret solum: adhibitis in consilium potestatibus variis, quid facto opus esset, deliberabat. Et cum Sebastiano auctore quidam protinus eundum ad certamen urgerent: Victor nomine Magister equitum, Sarmata, sed (*l*) cunctator & cautus, eadem sentientibus multis, imperii socium exspectari censebat: ut incrementis exercitus Gallicani adscitis, opprimeretur levius tumor barbaricus flammans. Vicit tamen funesta Principis destinatio, & adulabilis quorumdam sententia regiorum: qui ne pæne jam partæ victoriæ (ut opinabantur) consors fieret Gratianus, properari cursu celeri suadebant. Et dum necessaria parabantur ad decernendum, Christiani ritus Presbyter (ut ipsi appellant) missus à Fritigerno legatus cum aliis humilibus venit ad Principis castra: susceptusque leniter, ejusdemque ductoris obtulit scripta, petentis propalam ut sibi suisque, quos extorres patriis laribus rapidi ferarum gentium exegere discursus, habitanda Thracia sola cum pecore omni concederetur & frugibus: hoc impetrato, spondentis perpetuam pacem. Præter hæc idem Christianus ut conscius arcanorum & fidus, secretas alias ejusdem Regis obtulit litteras, qui astu & ludificandi varietate nimium sollers, docebat Valentem quasi mox amicus futurus & socius, aliter se popularium sævitiam mollire non posse, vel ad conditiones rei Romanæ profuturas allicere, nisi subinde armatum iisdem juxta monstraret exercitum, & timore Imperatorii nominis intentato, eos à pernicioso pugnandi revocaret ardore. Et legati quidem ut ambigui frustra habiti discesserunt. Exoriente vero aurora diei, quem quintum Iduum Augustarum numerus ostendit annalis, signa præpropere commoventur, impedimentis & sarcinis prope Hadrianopoleos muros cum legionum tutela congrua conlocatis. Thesauri enim & Principalis fortunæ insignia cetera, cum Præfecto & Consistorianis ambitu mœnium tenebantur. Decursis itaque viarum spatiis confragosis, cum in medium torridus procederet dies, octavo tandem hostium carpenta cernuntur, quæ ad speciem rotunditatis detornata digestaque exploratorum relatione affirmabantur. Atque ut mos est ululante barbara plebe ferum & triste, Romani Duces aciem struxere: & antepositio dextro cornu equitum primo, peditatus pars maxima subsidebat. Cornu autem equitum lævum disjectis adhuc per itinera plurimis, summa difficultate conductum properabat passibus citis. Dumque idem cornu nullo etiam tum interturbante extenditur, horrendo fragore sibilantibus armis, pulsuque minaci scutorum territi Barbari, quoniam pars eorum cum Alatheo & Safrace procul agens, & accita nondum venerat, oraturos pacem (*m*) misere legatos. Eorum dum vilitatem despicit Imperator, ut firma fierent paciscenda, Optimates poscens idoneos mitti: illi de industria cunctabantur, ut inter fallaces indutias equites sui redirent, quos adfore jam sperabant & miles fervore calefactus æstivo, siccis faucibus commarceret relucente amplitudine camporum incendiis, quos lignis nutrimentisque aridis subditis ut hoc fieret, iidem hostes urebant. Cui malo aliud quoque accedebat exitiale, quod homines & jumenta cruciabat inedia gravis. Inter quæ Fritigernus callidus futuri conjector, Martemque pertimescens ancipitem, velut caduceatorem unum è plebe suo misit arbitrio, impetens nobiles quosdam & electos ad se propediem obsides mitti, impavidus ipse vim militarem laturus & necessaria. Laudato probatoque formidati Ducis proposito, Tribunus Æquitius cui tunc erat cura Palatii credita, Valentis propinquus, assentientibus cunctis ire pignoris loco mature disponitur. Quo renitente, quia semel captus ab hostibus, lapsusque à Dibalto, verebatur eorum irrationabiles motus, Richomeres se sponte obtulit propria: ireque promiserat libens, pulchrum hoc quoque facinus & viro convenire existimans forti: jamque pergebat indicia dignitatis & natalium [daturus.] Eo ad vallum hostile tendente, Sagittarii & Scutarii, quos Bacurius Hiberus quidam tunc regebat & Cassio, avidius impetu calenti progressi, jamque adversis connexi, ut immature proruperant, ita inerti discessu primordia belli fœdarunt. Hocque impedimento conatus intempestivi & Richomeris alacritas fracta est nusquam ire permissi, & equitatus Gothorum cum Alatheo reversus & Safrace, Alanorum manu permista, ut fulmen prope montes celsos excussus, quoscumque accursu veloci invenire comminus potuit, incitata cæde turbavit.

Valens prælium ne committat monetur.

Nihilominus tamen acies instruitur.

CAP. XIII. Cumque arma ex latere omni concuterentur & tela, lituosque Bellona luctuosos inflaret, in clades Romanas solito immanius furens: cedentes nostri multis interclamantibus restiterunt: & prælium flammarum ritu crescens, terrebat militum animos, (*n*) confixis quibusdam rotatis ictibus jaculorum & sagittarum. Deinde collisæ in modum rostrorum navium acies, trudentesque se vicissim, undarum specie motibus sunt reciprocis jactitatæ. (*o*) Et quia sinistrum cornu adusque plaustra ipsa accessit, ultra (si qui tulissent suppetias) processurum: à reliquo equitatu desertum, multitudine hostili urgente, sicut ruina aggeris magni oppressum atque dejectum est, steterunt improtecti pedites, ita concatervatis manipulis, ut vix mucronem exserere (*p*), aut manus reducere quisquam posset. Nec jam objectu pulveris cœlum patere potuit ad prospectum, clamoribus resultans horrificis. Qua causa tela undique mortem vibrantia, destinata

Et prælium committitur. U. C. 1130. P. C. N. 378.

(*l*) al. Victor nomine Magister equitum armatus, sed &c. (*m*) al. & accita nondum fœderaturos pacem &. (*n*) al. & prælium, flammarum ritu, acres absterrebat militum animos. (*o*) al. agitatæ. (*p*) al. ut fixi nec mucronem exserere.

ſtinata cadebant & noxia, quod nec prævideri poterant nec caveri. Verum ubi effuſi immenſis agminibus barbari jumenta conterebant & viros, & neque ad receptum confertis ordinibus laxari uſquam poterat locus, & evadendi copiam conſtipatio denſior adimebat: noſtri quoque ultimo cadendi contemptu occurſantes receptis gladiis obtruncabant, & mutuis ſecurium ictibus galeæ perfringebantur atque loricæ. Videreque licebat, celſum ferocia Barbarum, genis ſtridore conſtrictis, ſucciſo poplite aut abſciſa ferro dextera, vel confoſſo latere, inter ipſa quoque mortis confinia minaciter circumferentem oculos truces: ruinaque confligentium mutua ac humo (*q*) corporibus ſtratis, campi peremptis impleti ſunt: & morientium gemitus profundiſque vulneribus transfixorum cum timore audiebantur ingenti. In hoc tanto tamque confuſæ rei tumultu exhauſti labore & periculis pedites, cum deinceps neque vires illis, neque mentes ſuppeterent ad conſilium, diffractis haſtarum pleriſque colliſione aſſidua, gladiis contenti deſtrictis in confertas hoſtium turmas mergebant ſe, ſalutis immemores, circumſpectantes ademptum eſſe omne evadendi ſuffragium. Et quia humus rivis operta ſanguineis greſſus labiles evertebat, conabantur modis omnibus vitam impendere non inultam: adeo magno animorum robore oppoſiti incumbentibus, ut etiam telis quidam propriis interirent. Atra denique cruoris facie omnia conturbante, & quocumque ſe inflexerant oculi acervis cæſorum aggeſtis, exanimata cadavera ſine parcimonia calcabantur. Solque ſublimior decurſo Leone ad domicilium cœleſtis Virginis tranſiens, Romanos magis attenuatos inedia ſitique confectos, etiam armorum gravantibus ſarcinis exurebat. Ad ultimum incumbente Barbarorum pondere acies inclinatæ noſtrorum, quod ſolum poſtremis malis habuere ſubſidium, incondite (qua quiſque poterat) vertuntur in pedes. Dumque omnes diſperſi per ignotos tramites cedunt, Imperator diris pavoribus circumſeptus, paullatimque inſiliens funerum moles, ad Lancearios confugit & Mattiarios: qui dum multitudo tolerabatur hoſtilis, fixis corporibus ſteterant inconcuſſi. Eoque viſo Trajanus exclamat, ſpem omnem abſumptam, ni deſertus ab Armigeris Princeps ſaltem adventicio tegeretur auxilio. Hocque audito Victor nomine Comes Batavos in ſubſidiis locatos haud procul ad Imperatoris præſidium raptim cogere properans, cum invenire neminem poſſet, gradiens retro diſceſſit: parique modo Richomeres periculo ſemet exemit, & Saturninus. Sequebantur itaque furore ex oculis lucente Barbari noſtros, jam linquente venarum calore torpentes: quorum aliqui percuſſoribus cadebant incertis, nonnulli ponderibus ſolis urgentium obruti, ictuque ſuorum aliqui trucidati: nec enim ſæpe renitentibus cedebatur, aut parcebat cedentibus (*r*) quiſquam. Super his obſtruebant itinera jacentes multi ſemineces, cruciatus vulnerum non ferentes: cum quibus aggeres quoque equorum conſtrati cadaveribus campos implerunt. Diremit hæc numquam penſabilia damna (quæ magno rebus ſtetere Romanis) nullo ſplendore Lunari nox fulgens. Primaque caligine tenebrarum inter gregarios Imperator, ut opinari dabatur, (neque enim vidiſſe ſe quiſquam vel præſto fuiſſe adſeveravit) ſagitta pernicioſe ſaucius ruit: ſpirituque mox conſumpto deceſſit, nec poſtea repertus eſt uſquam. Hoſtium enim paucis, ſpoliandi gratia mortuos per ea loca diu verſatis, nullus fugatorum vel accolarum illuc adire eſt auſus. Simili clade Cæſarem accepimus Decium, dimicantem cum Barbaris acriter, equi lapſu proſtratum, quem ferventem retinere non valuit, abjectumque in paludem, nec emergere potuiſſe nec inveniri. Alii dicunt Valentem animam non exhalaſſe confeſtim, ſed cum Candidatis & ſpadonibus paucis prope ad agreſtem caſam relatum, ſecunda contignatione fabre munitam, dum fovetur manibus imperitis, circumſeſſum ab hoſtibus qui eſſet ignorantibus, dedecore captivitatis exemptum. Cum enim oppeſſulatas januas perrumpere conati, qui ſecuti ſunt, à parte penſili domus (*s*) ſagittis inceſſerentur, ne per moras inexpedibiles populandi amitterent copiam, congeſtis ſtipulæ faſcibus & lignorum, flammaque ſuppoſita, ædificium cum hominibus torruerunt. Unde quidam de Candidatis per feneſtram lapſus, captuſque à Barbaris prodidit factum, & eos mœrore afflixit, magna gloria defraudatos, quod Romanæ rei rectorem non cepere ſuperſtitem. Is ipſe juvenis occulte poſtea reverſus ad noſtros, hæc ita accidiſſe narravit. Pari clade recuperatis Hiſpaniis, Scipionum alterum cremata turri in quam confugerat, abſumptum incendio hoſtili comperimus. Illud tamen certum eſt, nec Scipioni, nec Valenti ſepulturam, qui ſupremitatis honor eſt, contigiſſe. In hac multiplici virorum illuſtrium clade Trajani mors eminuit, & Sebaſtiani: cum quibus XXXV. oppetivere Tribuni Vacantes, & numerorum Rectores, & Valerianus, atque Equitius: quorum alter Stabulum, alter curabat Palatium. Inter hos etiam Promotorum Tribunus Potentius cecidit in primævo ætatis flore, bono cuique ſpectatus, meritis Urſicini patris Magiſtri quondam armorum ſuiſque commendabilis. Conſtatque vix tertiam evaſiſſe exercitus partem. Nec ulla annalibus præter Cannenſem pugnam, ita ad internecionem res legitur geſta, quamquam Romani aliquoties reflante Fortuna fallaciis luſi bellorum iniquitate ceſſerunt ad tempus: & certamina multa fabuloſæ neniæ flevere Græcorum commendabiles, conſtatque . . . .

Romani in fugam conjiciuntur.

Valens Imperator vulneratus moritur, & nuſquam reperitur. U. C. 1130. P. C. N. 378.

Alii dicunt in agreſti tugurio à Gothis combuſtum eſſe.

Clades Romanorum.

CAP. XIV. Periit autem hoc exitu Valens, quinquageſimo anno contiguus, cum per annos quatuor imperaſſet & decem parvo minus. Cujus bona multis cognita dicemus, & vitia. Amicus fidelis & firmus, ultor acer ambitionum, ſeverus militaris & civilis diſciplinæ corrector, pervigil ſemper & anxius, ne propinquitatem ejus prætendens altius ſemet ferret: erga deferendas poteſtates vel adimendas nimium tardus: provinciarum æquiſſimus tutor; qua-

Valentis Imperatoris virtutes.

(*q*) al. ad humum. (*r*) al. cædentibus. (*s*) al. aperte penſilis domus &c.

quarum ſingulas ut domum propriam cuſtodiebat indemnes: tributorum onera ſtudio quodam molliens ſingulari, nulla vectigalium admittens augmenta, in adærandis (*t*) reliquorum debitis non moleſtus; furibus & in peculatu deprehenſis judicibus inimicus aſper & vehemens. Nec ſub alio Principe in hujusmodi negotiis melius ſecum actum eſſe meminit Oriens. Super his omnibus liberalis erat cum moderatione: cujus rei licet abundent exempla, unum tamen ſufficiet poni. Ut ſunt in palatiis nonnulli alienarum rerum avidi, ſi qui caducum vel aliud petiſſet ex uſu, cum magna juſtorum injuſtorumque diſtinctione contradictori copia ſervata (*u*), donabat ei qui petierat, tres vel quatuor, alios abſentes aliquoties impetratorum participes jungens, ut caſtigatius agerent inquieti, lucra quibus inhiabant, hoc minui commento cernentes. Super ædificiis autem, quæ per diverſas urbes & oppida vel inſtauravit, vel à primis inſtruxit auſpiciis, (ne ſim longior) taceo, rebus ipſis id apertius monſtrare concedens. Hæc bonis omnibus æmulanda ſunt, ut exiſtimo: nunc ejus vitia percurramus. Magnarum opum intemperans appetitor, laborum impatiens, duritiamque magis affectans immanem, in crudelitatem proclivior, ſubagreſtis ingenii, nec bellicis, nec liberalibus ſtudiis eruditus: alienis gemitibus libenter emolumenta fructusque conquirens, tuncque magis intolerabilis, cum incidentia crimina ad contemptam vel læſam Principis amplitudinem trahens, in ſanguinem ſæviebat & diſpendia locupletum. Illud quoque ferri non poterat, quod cum legibus lites omnes quæſtionesque committere videri ſe vellet (*x*), deſtinatisque velut lectis judicibus negotia ſpectanda mandabat, nihil agi contra libidinem ſuam patiebatur: injurioſus alias & iracundus, & criminantibus ſine differentia veri vel falſi facillime patens: quæ vitiorum labes etiam in his privatis quotidianisque rationibus impendio eſt formidanda. Ceſſator & piger: nigri coloris, pupula oculi unius obſtructa, ſed ita ut non eminus appareret: figura bene compacta membrorum, ſtaturæ nec proceræ, nec humilis, incurvis cruribus, exſtanteque mediocriter ventre. Hæc ſuper Valente dixiſſe ſufficiet, quæ vera eſſe æqualis nobis memoria plene teſtatur. Illud autem præteriri non convenit, quod cum oraculo tripodis, quem moviſſe Patricium docuimus & Hilarium, tres verſus illos fatidicos comperiſſet, quorum ultimus eſt, Ἐν πεδίοισι Μίμαντος ἀίλα καιομένοις κάρ; hoc, ut erat inconſummatus & rudis, inter initia contemnebat: proceſſu vero luctuum maximorum abjecte etiam timidus, ejusdem ſortis recordatione Aſiæ nomen horrebat: ubi Erythræo oppido ſuperpoſitum (*y*) montem Mimanta, & Homerum ſcripſiſſe & Tullium doctis referentibus audiebat. Denique poſt interitum ejus diſceſſumque hoſtilem, prope locum in quo cecidiſſe exiſtimatus eſt, inventus dicitur ſaxeus monumenti ſuggeſtus, cui lapis affixus inciſis litteris Græcis, ſepultum ibi nobilem quemdam Mimanta veterem indicabat.

Valentis liberalitas.

Valentis vitia.

Ejusque forma.

CAP. XV. Poſt exitialem pugnam, cum jam tenebris nox terras impleſſet, hi qui ſuperfuere, dextra pars, alii læva vel quo metus traxerat ferebantur, quisque proximos quærens: cum præter ſe nihil ſinguli cernere (*z*) poterant, occipitiis propriis ferrum arbitrantes hærere. Audiebantur tamen licet longius ejulatus miſerabiles relictorum, ſingultusque morientium, & vulneratorum cruciabiles fletus. Luce vero cœptante victores, ut beſtiæ ſanguinis irritamento atrocius efferatæ, ſpei inanis illecebris agitati, Hadrianopolim agminibus petivere denſatis, eam vel cum diſcriminibus exciſuri poſtremis: docti per proditores & transfugas poteſtatum culmina maximarum, & fortunæ principalis inſignia theſaurosque Valentis, illic ut arduo in munimento conditos. Et ne intervallatis ardor intepeſceret moris, hora diei quarta ambitu cincto murorum, infeſtiſſime certabatur: oppugnatoribus genuina ferocia ad præceps exitium feſtinantibus, contraque defenſorum vigore validis viribus incitato. Et quia militum calonumque numerus magnus civitatem cum jumentis introire prohibitus, affixus parietibus mœnium ædibusque continuis, pro loci humilitate fortiter decernebat, ſuperaratque rabies imminentium adusque horam diei nonam: ſubito pedites noſtri trecenti, ex his qui prope ipſas ſtetere loricas, conferti in cuneum deſciverunt ad Barbaros: eosque illi avide raptos, confeſtim (incertum quo conſilio) trucidarunt: & ex eo deinceps obſervatum eſt, neminem hujusmodi aliquid vel in deſperatione rerum ultima cogitaſſe. Fervente itaque tot malorum congerie, repente cum fragore cœleſti imbres nubibus atris effuſi diſperſere circumfrementium globos: reverſique ad vallum dimenſum tereti figura plauſtrorum, immanes ſpiritus latius porrigentes, jubebant noſtris per minaces litteras, & legatum * ætatem, fide retinendæ ſalutis accepta. Verum introire non auſo qui miſſus eſt, per Chriſtianum quemdam portatis ſcriptis & recitatis, utque decebat contemplatis, parandis operibus (reliquum) diei & nox omnis abſumpta. Nam intrinſecus ſilicibus magnis obſtruſæ ſunt portæ, & mœnium tuta firmata: & ad emittenda undique tela vel ſaxa, tormenta per locos aptata ſunt habiles, aggeſtaque prope ſufficiens aqua. Pridie enim dimicantium quidam ſiti adusque ipſa vitæ detrimenta (*a*) vexati ſunt. Contra Gothi reputantes difficiles Martis eventus, anxiique cum ſterni & ſauciari cernerent fortiores, & particulatim vires ſuas convelli, aſtutum iniere conſilium, quod ipſa indicante Juſtitia publicatum eſt. Partis enim noſtræ Candidatos aliquos, qui die præterito ad eos defecerant, pellexere ut ſimulata fuga velut ad propria remeantes, intra muros ſuſcipi ſe curarent, ingreſſique latenter quamdam incenderent partem: ut tamquam ſigno erecto occultius, dum circa exſtinguendum

Gothi victores Hadrianopolim oppugnant.

(*t*) al. requirendis. (*u*) al. cum magna juſtorum diſtinctione contradictoris copia ſervata. (*x*) al. committere veteres vellet. (*y*) al. ſuppoſitum. (*z*) al. licere. (*a*) al. diſcrimina.

guendum incendium distringitur multitudo clausorum, civitas perrumperetur impropugnata. Perrexere ut statutum est Candidati: cumque prope fossas venissent, manus tendentes orantesque, ut Romanos semet admitti poscebant. Et recepti, (quia nulla erat suspicio quæ vetaret) interrogatique super consiliis hostium variarunt: unde factum est, ut cruenta quæstione vexati, cervicibus perirent abscisis, quid acturi venerant aperte confessi. Omni itaque bellandi apparatu præstructo, adventante vigilia tertia, Barbari abolito præteritorum vulnerum metu, in urbis obseratos aditus multiplicatis ordinibus inundarunt, & obstinatione Magnatium majore. At cum armatis provinciales & Palatini ad obruendos eos excitatius exsurgebant: & cujusque modi (*b*) tela, in multitudine tanta vel temere missa, cadere sine noxa non poterant. Animadversum est à nostris, iisdem telis Barbaros uti quibus petebantur. Ideoque mandatum est, ut nervis ferrum lignumque connectentibus ante jactum incisis, emitterentur arcu sagittæ: quæ volitantes vires integras inservabant: infixæ vero corporibus, nihil vigoris perdebant, aut certe si cecidissent in vanum ilico frangebantur. Dedit autem rebus ita flagrantibus grave momentum casus admodum inopinus. Scorpio genus tormenti, quem Onagrum sermo vulgaris appellat, è regione contra hostium aciem densam locatus, lapidem contorsit ingentem: qui licet humo frustra illisus est, visus tamen ita eos metu exanimavit, ut stupore spectaculi novi cedentes è medio, abire tentarent. Sed buccinis Optimatum monitu occinentibus, instauratum est prælium: & pari modo res Romana superior stetit, nullo ferme alio telo vel funditoris (*c*) amento incassum excusso. Agmina enim præeuntium Ductorum, quos rapiendi Valentis malis lucubrationibus quæsiti cupiditas incendebat, secuti ceteri præ se ferebant æquiperasse discrimina potiorum: namque femineces aliqui, aut magnis obtriti ponderibus, vel confixi jaculis pectora volvebantur: nonnulli scalas vehendo, adscensumque in muros (*d*) ex latere omni parantes, sub oneribus ipsis obruebantur, contrusis per pronum saxis, & columnarum fragmentis, & cylindris. Nec quemquam furentium cruoris horrenda species ad ferum usque diem ab alacritate faciendi fortiter avertebat: hoc incitante, quod etiam defensorum plurimos cadere diversis ictibus videntes eminus lætabantur. Ita sine requie ulla vel modo pro mœnibus & contra mœnia ingentibus animis pugnabatur. Et quia nullo ordine jam, sed per procursus pugnabatur & globos, quod desperationis erat signum extremæ, flexo in vesperam die digressi omnes rediere ad tentoria tristes, inconsideratæ dementiæ alter alterum arguentes, quod non ut suaserat antea Fritigernus, obsidionales ærumnas ubique declinarunt.

Sed omnia frustra experti recedunt.

CAP. XVI. Conversi post hæc per omne tempus noctis (ut æstivæ non longum) ad vulnerum curas artesque medendi gentiles, reddita luce in varias consiliorum vias diducebantur, quorsum tenderent ambigentes: multisque dictatis & controversis, occupare statuunt Perinthum; exinde quæque divitiarum referta: docentibus omnia perfugis, etiam domorum nedum urbium interna noscentes. Hanc secuti sententiam quam utilem existimarunt, itineribus lentis, miscentes cuncta populationibus & incendiis, nullo renitente pergebant. Obsessi vero apud Hadrianopolim, post eorum abitum, cum vacare hoste loca proxima compertæ fidei nuntiassent exploratores: egressi media nocte, vitatis aggeribus publicis, per nemorosa & devia pars Philippopolim, exindeque Serdicam, alii ad Macedoniam, cum (*e*) intemeratis opibus quas habebant, omni studio ad properandum excogitato currebant, velut in regionibus illis reperiendo Valente: quem inter medios certaminum turbines oppetiisse, vel certe ad tugurium confugisse (ubi existimatus est vi periisse flammarum) penitus ignorabant. At Gothi Hunnis Alanisque permisti nimium bellicosis & fortibus, rerumque asperarum difficultatibus induratis, quos miris præmiorum illecebris sibi sociarat sollertia Fritigerni: fixis juxta Perinthum castris, ipsam quidem urbem cladium memores pristinarum nec adire, nec tentare sunt ausi: agros vero fertiles late distentos & longe, ad extremam vastavere penuriam (*f*), cultoribus cæsis aut captis. Unde Constantinopolim, copiarum cumulis inhiantes amplissimis, formas quadratorum agminum insidiarum metu servantes, ire ocius festinabant, multa in exitium urbis inclitæ molituri.

Gothi frustra Constantinopolim tentant.

Quos inferentes sese immodice, obicesque portarum pæne pulsantes, hoc casu cœleste repulit numen. Saracenorum cuneus (super quorum origine moribusque diversis in locis retulimus plura) ad sortem magis expeditionalium rerum, quam ad concursatorias habilis pugnas, recens illuc accersitus, congressurus Barbarorum globo repente conspecto, à civitate fidenter erupit: diuque extento certamine pertinaci, æquis partes discessere momentis. Sed Orientalis turma novo neque ante viso superavit eventu. Ex ea enim crinitus quidam, nudus omnia præter pubem, subraucum & lugubre strepens, educto pugione agmini se medio Gothorum inseruit, & interfecti hostis jugulo labra admovit, effusumque cruorem exsuxit. Quo monstroso miraculo Barbari territi, postea non ferocientes ex more, cum agendum appeterent aliquid, sed ambiguis gressibus incedebant. Processu dein audacia fracta, cum murorum ambitum insularumque spatiis immensis oblongum, & inaccessas pulcritudines urbis, & incolentium plebem considerarent immensam, juxtaque fretum quod Pontum disterminat & Ægæum: disjectis bellorum officinis quas parabant, post accepta majora funera quam illata, exinde digressi sunt effusorie per Arctoas provincias: quas peragravere licenter adusque radices Alpium Juliarum, quas Venetas appellabat antiquitas. His diebus efficacia Julii Magistri militiæ trans Taurum

(*b*) al. hujuscemodi. (*c*) al. fundæ. (*d*) al. ascensusque innumeros. (*e*) al. exindeque Serdicam aliam Macedoniæ urbem, cum &c. (*f*) al. extremum vastavere penuriæ.

Qua arte Julius Orientales Provincias Gothis exoneraverit.

rum enituit falutaris & velox. Comperta enim fatorum forte per Thracias, Gothos antea fufceptos, difperfosque per varias civitates & caftra, datis tectioribus litteris ad eorum Rectores Romanos omnes, quod his temporibus raro contingit, univerfos tamquam vexillo erecto uno eodemque die mandavit occidi, exfpectatione promiffi ftipendii fecuros ad fuburbana productos. Quo confilio prudenti fine ftrepitu vel mora completo, Orientales provinciæ difcriminibus ereptæ funt magnis.

Conclufio operis.

Hæc ut miles quondam & græcus, à principatu Cæfaris Nervæ exorfus adufque Valentis interitum pro virium explicavi menfura: opus veritatem profeffum numquam (ut arbitror) fciens filentio aufus corrumpere vel mendacio. Scribant reliqua potiores, ætate doctrinisque florentes. Quos id (fi libuerit) aggreffuros, procudere linguas ad majores moneo ftilos.

AMMIANI MARCELLINI RERUM GESTARUM LIBER XXXI.

Explicit feliciter.



JUSTINI
HISTORIARUM PHILIPPICARUM ET TOTIUS MUNDI ORIGINUM ET TERRÆ SITUS
EX
TROGO POMPEJO
LIBRI XLIV.



JUSTINI HISTORIARUM PHILIPPICARUM ET TOTIUS MUNDI ORIGINUM ET TERRÆ SITUS EX TROGO POMPEJO LIBRI XLIV.

PRÆFATIO. JUSTINI.

Quum multi ex Romanis, etiam Consularis dignitatis viri, res Romanas Græco peregrinoque sermone in historiam contulissent: sive æmulatione gloriæ, sive varietate & novitate operis delectatus vir priscæ eloquentiæ Trogus Pompejus, Græcas & totius orbis historias Latino sermone composuit; ut cum nostra Græce, Græca quoque nostra lingua legi possent; prorsus rem magni & animi, & corporis (a) *adgressus. Nam cum plerisque auctoribus, singulorum regum vel populorum res gestas scribentibus opus suum ardui laboris videatur: nonne nobis* (b) *Pompejus Herculea audacia orbem terrarum adgressus videri debet; cujus libris omnium seculorum, regum, nationum, populorumque res gestæ continentur? Et quæ historici Græcorum, prout commodum cuique fuit, inter sese gregatim* (c) *occupaverunt* (d); *omissis quæ sine fructu erant, ea omnia Pompejo divisa temporibus, & serie rerum digesta composuit. Horum igitur quatuor & quadraginta voluminum (nam totidem edidit) per otium, quo in Urbe versabamur, cognitione quæque dignissima excerpsi; & omissis his quæ* (e) *nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci; ut haberent & qui Græca didicissent, quo admonerentur; & qui non didicissent, quo instruerentur. Quod ad te* (f), *non tam cognoscendi, quam emendandi caussa transmisi: simul ut & otii mei, cujus & Cato reddendam operam* (g) *putat, apud te ratio constaret. Sufficit enim mihi in hoc* (h) *tempore judicium tuum, apud posteros, cum obtrectationis invidia decesserit, industriæ testimonium habituro.*

Trogus Pompejus exemplo aliorum historias scribit.

Quas in Epitome redigit Justinus.

Et Imperatori Antonino dedicat.

(a) al. *operis.* (b) al. *non minus nobis.* (c) al. *certatim.* (d) al. *occupaverant.* (e) alii τὸ *his omittunt.* (f) al. *Quod ad te, Imperator Antonine &c.* (g) al. *rationem.* (h) alii τὸ *hoc omittunt.*

LIBER I.

CAPUT I.

[Imperium gentium principio rerum.]

PRINCIPIO rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat: quos ad faſtigium hujus majeſtatis (*i*) non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat. Populus nullis legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant. Fines imperii tueri magis, quam proferre, mos erat: intra ſuam cuique patriam regna finiebantur.

[Ninus rex primus Aſſyriorum. O. C. 2737. a. C. N. 1263. a. U. C. 511.]

Primus omnium Ninus, rex Aſſyriorum, veterem, & quaſi avitum (*k*) gentibus morem nova imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, terminos uſque Libyæ perdomuit.

[Antiquiores Ægypti & Scythiæ reges.]

Fuere quidem temporibus antiquiores (*l*), Seſoſtris (*m*) Ægypti, & Scythiæ rex Tanaus; quorum alter in Pontum, alter uſque Ægyptum exceſſit. Sed longinqua, non finitima bella gerebant: nec imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quærebant; contentique victoria, imperio abſtinebant: Ninus magnitudinem quæſitæ dominationis continua poſſeſſione firmavit. Domitis igitur proximis, cum acceſſione virium fortior ad alios tranſiret, &

[Ninus totum Orientem vincit.]

PROXIMA quæque victoria inſtrumentum ſequentis eſſet, totius Orientis populos ſubegit.

[Et Zoroaſtres aſtronomum occidit.]

Poſtremum illi bellum cum Zoroaſtre rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes magicas inveniſſe, & mundi principia, ſiderumque motus diligentiſſime ſpectaſſe.

[Ninus moritur O. C. 2789. a. C. N. 1211. a. U. C. 459.]

Hoc occiſo, & ipſe deceſſit, relicto impubere adhuc filio Ninya, & uxore Semiramide.

[Semiramis res magnas gerit.]

CAP. II. Hæc nec immaturo auſa tradere imperium, nec ipſa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter (*n*) uni viro, nedum feminæ, pariturus, ſimulat ſe, pro uxore Nini, filium: pro femina, puerum. Nam & ſtatura utrique mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum, qualitas matri ac filio ſimilis. Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit: & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri jubet: quem morem veſtis exinde gens univerſa tenet. Sic primis initiis ſexum mentita, puer eſſe credita eſt. Magnas deinde res geſſit; quarum amplitudine ubi invidiam ſuperatam putat, quæ ſit, fatetur, quemve ſimulaſſet. Nec hoc illi dignitatem regni ademit, ſed admirationem auxit; quod mulier non feminas modo virtute, ſed etiam viros anteiret.

[Babyloniam condit.]

Hæc Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, arenæ vice, bitumine interſtrato: quæ materia in illis locis paſſim è terra exæſtuat. Multa & alia præclara hujus reginæ fuere. Siquidem non contenta acquiſitos viro regni terminos tueri, Æthiopiam quoque imperio adjecit.

[Indiæ bellum infert.]

Sed & Indiæ bellum intulit; quo præter illam & Alexandrum Magnum nemo intravit.

[A filio interficitur.]

Ad poſtremum cum concubitum filii petiſſet, ab eodem interfecta eſt, duos & quadraginta (*o*) annos poſt Ninum regno potita.

[Ninyas rex Aſſyriorum effeminatus & ignavus. O. C. 2831. a. C. N. 1169. a. U. C. 408. Ut & ejus poſteri.]

Filius ejus Ninya, contentus elaborato à parentibus imperio, belli ſtudia depoſuit, & veluti ſexum cum matre mutaſſet, raro à viris viſus, in feminarum turba conſenuit. Poſteri quoque ejus, id exemplum ſequuti, reſponſa gentibus per internuntios dabant. Imperium Aſſyrii, qui poſtea Syri dicti ſunt, mille trecentis annis tenuere.

[Sardanapalus Rex ultimus Aſſyriorum.]

CAP. III. Poſtremus apud eos regnavit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permiſſum fuerat) præfectus ipſius, Medis præpoſitus, nomine Arbactus (*p*), cum admitti magna ambitione ægre obtinuiſſet; invenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem & muliebri habitu, cum mollitia corporis, & oculorum laſcivia omnes feminas anteiret, penſa inter virgines partientem. Quibus viſis, indignatus tali feminæ tantum virorum ſubjectum, tractantique lanam, ferrum & arma portantes (*q*) parere; progreſſus ad ſocios, quid viderit refert: Negat *ſe ei parere poſſe, qui ſe feminam malit eſſe, quam virum.* Fit igitur conjuratio, bellum Sardanapalo infertur. Quo ille audito, non ut vir regnum defenſurus, ſed ut metu mortis mulieres ſolent, primo latebras circumſpicit: mox deinde cum paucis & incompoſitis in bellum progreditur.

[Ab Arbace victus ſe comburit.]

Victus in regiam ſe recipit; & extructa (*r*) incenſaque pyra, & ſe & divitias ſuas in incendium mittit, hoc ſolo imitatus virum.

[Arbaces primus Rex Medorum. O. C. 3257. a. C. N. 743. U. C. 10. Ol. 9.]

Poſt hunc rex conſtituitur interfector ejus Arbactus, qui præfectus Medorum fuerat. Is imperium ab Aſſyriis ad Medos transfert.

[Aſtyagis ſomnium.]

CAP. IV. Poſt multos deinde reges, per ordinem ſucceſſionis, regnum ad Aſtyagen deſcendit. Hic per ſomnum vidit ex naturalibus filiæ, quam unicam habebat, vitam enatam, cujus palmite omnis Aſia obumbraretur. Conſulti harioli ex eadem filia nepotem ei futurum, cujus magnitudo prænuntietur, regnique ei amiſſionem portendi, reſponderunt. Hoc reſponſo exterritus, neque claro viro, neque civi filiam, ne paterna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret, ſed ex gente, obſcura tunc temporis, Perſarum, Cambyſi mediocri viro in matrimonium tradit (*s*). Ac ne ſic quidem ſomni metu depoſito, gravidam ad ſe filiam arceſſit, ut ſub avi potiſſimum oculis partus necaretur.

[Ejus crudelitas in nepotem.]

Natus infans datur occidendus Harpago, regis amico & arcanorum participi. Is veritus, ſi ad filiam, mortuo rege, veniſſet imperium, quia nullum Aſtyages virilis

(*i*) al. tantæ majeſtatis. (*k*) al. habitum. (*l*) al. antiquis. (*m*) al. Vexoris. (*n*) al. vix parentibus. (*o*) al. triginta. (*p*) al. Arbacus. al. Arbaces. (*q*) al. habentes. al. tractantes. (*r*) al. ubi extructa. (*s*) al. tradidit.

virilis ſexus genuerat, ne illa necati infantis ultionem, quam à patre non potuiſſet, à miniſtro exigeret; paſtori regii pecoris puerum exponendum tradit. Forte eodem tempore & ipſi paſtori filius natus erat. Ejus igitur uxor, audita regii infantis expoſitione, ſummis precibus rogat, ſibi afferri oſtendique puerum. Cujus precibus fatigatus paſtor, reverſus in ſilvam, invenit juxta infantem canem feminam parvulo ubera præbentem, & à feris alitibusque defendentem. Motus & ipſe miſericordia, qua motam etiam canem viderat, puerum defert ad ſtabula, eadem cane anxie proſequente. Quem ubi in manum mulier accepit, veluti ad notam puer alluſit (*t*): tantusque in illo vigor, & dulcis quidam blandientis infantis riſus apparuit, ut paſtorem uxor ultro rogaret (*u*) [quo ſuum partum pro illo exponeret] permitteret [que] ſibi, ſive fortunæ ipſius, ſive ſpei ſuæ puerum nutrire. Atque ita permutata ſorte parvulorum, hic pro filio paſtoris educatur: ille pro nepote regis exponitur. Nutrici Spaco (*x*) poſtea nomen fuit, quia canem Perſæ ſic vocant.

Qui portento ſe conſervavit.

CAP. V. Puer deinde, cum inter paſtores eſſet (*y*), Cyri nomen accepit. Mox rex inter ludentes ſorte delectus, cum per laſciviam contumaces flagellis cecidiſſet, à parentibus puerorum querela eſt regi delata, indignantibus, a ſervo regio ingenuos homines ſervilibus verberibus affectos. Ille arceſſito puero & interrogato, cum, nihil mutato vultu, *feciſſe ſe ut regem*, reſpondiſſet; admiratus conſtantiam, in memoriam ſomnii reſponſique revocatur. Atque ita cum & vultus ſimilitudo, & expoſitionis tempora, & paſtoris confeſſio convenirent, nepotem agnovit. Et quoniam defunctus ſibi ſomnio videretur, agitato inter paſtores regno; animum minacem duntaxat in illo fregit. Ceterum Harpago amico ſuo infeſtus, in ultionem ſervati nepotis, filium ejus interfecit, epulandumque patri tradidit. Sed Harpagus ad præſens tempus diſſimulato dolore, odium regis in vindictæ occaſionem diſtulit. Interjecto deinde tempore, cum adoleviſſet Cyrus, dolore orbitatis admonitus, ſcribit ei, *ut ablegatus* (*z*) *in Perſas ab avo fuerit: ut occidi eum parvulum avus juſſerit: ut beneficio ſuo ſervatus ſit: ut regem offenderit*, *ut filium amiſerit.* Hortatur, *exercitum paret*, & *pronam ad regnum viam ingrediatur*, Medorum tranſitionem pollicitus. Epiſtola, quia palam ferri nequibat, regis cuſtodibus omnes aditus obſidentibus, exinterato (*a*) lepori inſeritur, lepusque in Perſas Cyro ferendus fido ſervo traditur; addita retia, ut ſub ſpecie venationis (*b*) dolus lateret.

Cyri educatio & indoles.

Aſtyagis crudelitas in Harpagum.

Harpagi ad Cyrum admonitio.

CAP. VI. Lectis ille epiſtolis, eadem ſomnio aggredi juſſus eſt; ſed (*c*) præmonitus, ut quem primum poſtera die obvium habuiſſet, ſocium cœptis aſſumeret. Igitur ante lucano tempore ruri iter ingreſſus, obvium habuit ſervum de ergaſtulo cujusdam Medi, nomine Sybarem (*d*). Hujus requiſita origine, ut in Perſis genitum audivit, demptis compedibus, aſſumptoque comite, Perſepolim regreditur. Ibi convocato populo, jubet omnes præſto cum ſecuribus eſſe (*e*) & ſilvam viæ circumdatam excidere. Quod cum ſtrenue feciſſent, eosdem poſtera die apparatis epulis (*f*) invitat; deinde, cum alacriores ipſo convivio factos videret, rogat, *Si conditio proponatur, utrius vitæ ſortem legant, heſterni laboris, an præſentium epularum? præſentium*, ut acclamavere omnes, ait: *Heſterno ſimilem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareant: ſe ſecutos, hodiernis epulis* Lætis omnibus, Medis bellum infert. Aſtyages meriti ſui in Harpagum oblitus, ſummam belli eidem committit: qui exercitum acceptum ſtatim Cyro per deditionem (*g*) tradidit, regisque crudelitatem perfidia defectionis ulciſcitur. Quod ubi Aſtyages audivit, contractis undique auxiliis, ipſe in Perſas proficiſcitur: & repetito alacri certamine, pugnantibus ſuis, partem exercitus à tergo ponit, & tergiverſantes ferro agi in hoſtes jubet; ac denunciat ſuis, *ni vincerent*, *non minus fortes etiam poſt terga inventuros, quam à frontibus viros: proinde videant, fugientibus hæc, an illa pugnantibus acies rumpenda ſit.* Ingens, poſt neceſſitatem pugnandi, animus exercitui ejus acceſſit. Pulſa itaque cum Perſarum acies paulatim cederet; matres & uxores eorum obviam occurrunt: orant in prælium revertantur: cunctantibus, ſublata veſte, obſcœna corporis oſtendunt, rogantes *num in uteros matrum vel uxorum velint refugere?* Hac repreſſi caſtigatione, in prælium redeunt: & facta impreſſione, quos fugiebant, fugere compellunt. In eo prælio Aſtyages capitur; cui Cyrus nihil aliud quam regnum abſtulit; nepotemque in illo magis, quam victorem egit (*h*); eumque maximæ genti Hircanorum præpoſuit. Nam in Medos reverti ipſe noluit. Hic finis Medorum imperii fuit. Regnaverunt annos CCCL.

Cyrus Sybarem belli comitem aſſumit.

Cyrus bellum Aſtyagi infert.

Mulierum Perſarum facinus.

Aſtyages captus à Cyro regno exuitur. O.C. 3468. a. C. N. 532. U. C. 221. Ol. 62.

CAP. VII. Initio regni, Cyrus Sybarem cœptorum ſocium, quem juxta nocturnum viſum ergaſtulo liberaverat, comitemque in omnibus rebus habuerat, Perſis præpoſuit, ſororemque ſuam ei in matrimonium dedit. Sed civitates, quæ Medorum tributariæ fuerant, mutato imperio, etiam conditionem ſuam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt: quæ res multorum bellorum Cyro cauſa & origo fuit. Domitis demum plerisque, cum adverſus Babylonios bellum gereret, Babyloniis rex Lydorum Crœſus, cujus opes & divitiæ inſignes ea tempeſtate erant, in auxilinm venit; victusque jam ac deſolatus, (*i*) in regnum refugit. Cyrus quoque poſt victoriam, compoſitis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam. Ibi fotruna prioris prælii perculſum (*k*) jam Crœſi exercitum, nullo negotio funMdit:

Cyrus Sybarem Perſis præponit.

Babylonios vincit.

Et Lydorum regem Crœſum. O.C. 3452. a C. N. 548. U. C. 205, Ol, 58.

(*t*) al. velut ad notam alluſit. (*u*) al. uxor multum rogaret. (*x*) al. Spacos. (*y*) al. cum inter paſtores eſſet imperioſus. (*z*) al. *relegatus.* (*a*) al. exenterato. (*b*) al. venatoris. (*c*) al. et. (*d*) al. Sebarem. al. Sœbarem. al. Oebarem. (*e*) al. adeſſe. (*f*) al. ad paratas epulas invitat. (*g*) al. per proditionem. (*h*) victorem ſe geſſit. (*i*) al. victusque jam de ſe ſollicitus. (*k*) al. percuſſum.

dit: Crœsus ipse capitur. Sed quanto bellum minoris periculi, tanto & mitior victoria fuit. Crœso & vita, & patrimonii partes, & urbs Barce concessa sunt: in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen majestati regiæ degeret. Hæc clementia non minus victori quam victo utilis fuit. Quippe ex universa Græcia, cognito quod illatum Crœso bellum esset, auxilia velut ad commune extinguendum incendium confluebant. Tantus Crœsi amor apud omnes urbes erat: passurusque Cyrus grave bellum Græciæ fuit (*l*), si quid in Crœsum crudelius consuluisset. Interjecto deinde tempore, occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellavere: quibus iterum victis arma & equi adempti, jussique cauponias (*m*), & ludicras artes, & lenocinia exercere. Et sic gens industria quondam potens & manu strenua, effeminata mollitie luxuriaque, virtutem pristinam perdidit; & quos ante Cyrum invictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit. Fuere Lydis multi ante Crœsum reges, variis casibus memorabiles; nullus tamen fortuna (*n*) Candauli comparandus. Hic uxorem, quam propter formæ pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret; prorsus quasi silentium damnum pulchritudinis esset. Ad postremum ut affirmationi suæ fidem faceret, nudam sodali suo Gygi ostendit. Quo facto, & amicum in adulterium uxoris solicitatum (*o*), hostem sibi fecit; & uxorem, veluti tradito alii amore, a se alienavit. Namque brevi post tempore cædes Candauli nuptiarum præmium (*p*) fuit; & uxor mariti sanguine dotata, regnum viri & se pariter adultero tradidit.

Lydos denuo victos astute subjugo retinet.

Candaulis regis Lydorum tragœdia cum uxore & Gyge.

CAP. VIII. Cyrus, subacta Asia, & universo Oriente in potestatem redacto, Scythis bellum infert. Erat eo tempore Scytharum regina Tomyris, quæ non muliebriter adventu hostium territa, cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, & sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata, & hostibus objectu fluminis fugam difficiliorem. Itaque Cyrus trajectis copiis, cum aliquantisper in Scythiam processisset, castra metatus est. Dein postera die, cum simulato metu, quasi refugiens castra deseruisset, vini affatim, & ea quæ epulis erant necessaria, reliquit. Quod cum nuntiatum reginæ esset, adolescentulum filium, ad insequendum eum cum tertia parte copiarum mittit. Cum ventum ad Cyri castra esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad prælium venisset, omissis hostibus, insuetos barbaros vino se onerare patitur; priusque Scythæ ebrietate, quam bello vincuntur. Nam cognitis his, Cyrus reversus per noctem, saucios opprimit, omnesque Scythas cum reginæ filio interficit. Amisso tanto exercitu, & quod gravius dolet (*q*), unico filio, Tomyris orbitatis dolorem non in lacrymas effudit, sed in ultionis solatia intendit; hostesque recenti victoria exultantes, pari insidiarum fraude circumvenit. Quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum, refugiens, Cyrum ad angustias usque produxit. (*r*) Ibi compositis in montibus insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidavit. In qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantæ cladis superfuit. Caput Cyri amputatum, in utrem humano sanguine repletum conjici regina jubet, cum hac exprobratione crudelitatis: *Satia te*, inquit, *sanguine, quem sitisti, cujusque insatiabilis semper fuisti.* Cyrus regnavit annos XXX. non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu, admirabiliter insignis.

Cyrus Scythis bellum infert.

Quos initio astu vincit.

Sed à Tomyri iterum per insidias vincitur & occiditur. O.C. 3475. a. C.N. 525. U.C. 228. Ol. 63.

CAP. IX. Huic successit filius Cambyses, qui imperio patris Ægyptum adjecit; sed offensus superstitionibus Ægyptiorum, Apis ceterorumque deorum ædes dirui jubet. Ad Ammonis quoque nobilissimum templum expugnandum, exercitum mittit; qui tempestatibus & arenarum molibus oppressus, interiit. Post hæc per quietem vidit fratrem suum Smerdim (*s*) regnaturum. Quo somnio exterritus, non dubitavit post sacrilegia etiam parricidium facere. Erat enim difficile, ut parceret suis, qui, cum contemtu religionis, grassatus etiam adversus deos fuerat. Ad hoc tam crudele ministerium, magum quendam ex amicis delegit, nomine Cometem. (*t*) Interim ipse gladio sua sponte evaginato, in femore graviter vulneratus, occubuit; pœnasque luit, seu imperati parricidii, seu sacrilegii perpetrati. Quo nuntio accepto, Magus ante famam amissi regis occupat facinus; prostratoque Smerde, cui regnum debebatur, fratrem suum subjecit Oropasten. Erat enim & oris & corporis (*u*) lineamentis persimilis; ac nemine subesse dolum arbitrante, pro Smerde rex Oropasta constituitur. Quæ res eo occultior fuit, quod apud Persas persona regis sub specie majestatis occulitur. Igitur magi ad favorem populi conciliandum, tributa & militiæ vacationem in triennium remittunt (*x*); ut regnum, quod fraude quæsierant, indulgentia & largitionibus confirmarent. Quæ res suspecta primo Ostani viro nobili, & in conjecturis sagacissimo fuit. Itaque per internuntios quærit de filia, quæ inter regias pellices erat, an Cyri regis filius rex esset. Illa, *nec se ipsam scire*, ait, *nec de alia posse cognoscere: quia singulæ separatim recludantur.* Tum pertrectare dormienti caput jubet. Nam Mago Cambyses aures utrasque præciderat. Factus deinde per filiam certior, sine auribus esse regem, optimatibus Persarum rem indicat, & in cædem falsi regis impulsos, sacramenti religione obstringit. Septem tantum conscii fuere hujus conjurationis; qui ex continenti, ne, dato in pœnitentiam spatio, res per quemquam narraretur, occultato sub veste ferro, ad regiam pergunt. Ibi obviis interfectis, ad Magos perveniunt; quibus ne ipsis quidem animus in auxilium sui defuit:

Cambyses succedit Cyro.

Ejus facilegia.

Suomet gladio conficitur.

Smerde sublato Magi in Perside rerum potiuntur. O.C. 3483. a. C.N. 517. U.C. 236. Ol. 65.

Quos Ostanes aliorum principum opera adjutus è medio tollit.

(*l*) al. ut passurus Cyrus grave bellum Græciæ fuerit. (*m*) al. cauponas. (*n*) al. fortunæ. (*o*) al. illectum. (*p*) al. pretium. (*q*) al. & quod gravius dolendum. (*r*) al. perduxit. (*s*) al. Merdim. (*t*) al. Præaspem. (*u*) al. Erat enim decorus & corporis &c. (*x*) al. permittunt.

fuit; siquidem stricto ferro duos de conjuratis interficiunt. Ipsi tamen corripiuntur à pluribus: quorum alterum Gobryas medium amplexus, cunctantibus sociis, ne ipsum pro mago transfoderent, quia res obscuro loco gerebatur, vel per suum corpus adigi mago ferrum jussit: fortuna tamen ita regente (y) illo incolumi Magus interficitur.

CAP. X. Occisis Magis, magna quidem gloria recepti regni principum (z) fuit: sed multo major in eo, quod cum de regno ambigerent concordare potuerunt. Erant enim virtute & nobilitate ita pares, ut difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret. Ipsi igitur viam invenerunt, qua de se judicium religioni & fortunæ committerent. Pactique inter se sunt, ut die statuta omnes equos ante regiam primo mane perducerent: & cujus equus inter solis ortum (a) hinnitum primus edidisset, is rex esset. Nam & Solem Persæ unum Deum esse credunt: & equos eidem Deo sacrato ferunt. Erat inter conjuratos Darius Hystaspis filius, cui de regno solicito equi custos ait, *si ea res victoriam moraretur, nihil negotii superesse*: per noctem deinde equum pridie constitutam diem ad eundem locum ducit, ibique equæ admittit, ratus ex voluptate Veneris futurum quod evenit. Postera die itaque, cum ad statutam horam omnes convenissent, Darii equus, cognito loco, ex desiderio feminæ hinnitum statim edidit, & segnibus aliis, felix auspicium domino primus emisit. Tanta moderatio ceteris fuit, audito auspicio, ut confestim equis desilierint, & Darium regem salutaverint. Populus quoque universus secutus judicium principum, eundem regem constituit. Sic regnum Persarum, septem nobilissimorum virorum virtute quæsitum, tam levi momento in unum collatum est. Incredibile prorsus tanta patientia (b) cessisse eo (c), quod ut eriperent Magis, mori non recusaverint. Quanquam præter formam, virtutemque hoc imperio dignam, etiam cognatio Dario juncta cum pristinis regibus fuit. Principio igitur regni, Cyri regis filiam in matrimonium recepit, regalibus nuptiis regnum firmaturus: ut non tam in extraneum translatum, quam in familiam Cyri reversum videretur. Interjecto deinde tempore, cum Assyrii descivissent, & Babyloniam occupassent; difficilisque urbis expugnatio esset; æstuante rege, unus de interfectoribus Magorum Zopyrus domi se verberibus lacerari toto corpore jubet; nasum, aures, & labia sibi præcidi: atque ita regi inopinanti se offert. Attonitum, & quærentem Darium causas, auctoremque tam fœdæ lacerationis, tacitus, quo proposito fecerit, edocet; formatoque in futura consilio, transfugæ titulo Babyloniam proficiscur. Ibi ostendit populo laniatum corpus: queritur crudelitatem regis, à quo in regni petitione (d), non virtute, sed auspicio, non judicio hominum, sed hinnitu equi superatus sit: jubet illos ex amicis exemplum capere, quid hostibus cavendum sit: hortatur, non mœnibus magis quam armis confidant, patianturque se commune bellum recentiore ira gerere. Nota nobilitas viri pariter & virtus omnibus erat: nec de fide timebant, cujus veluti pignora, vulnera corporis & injuriæ notas habebant. Constituitur ergo dux omnium suffragio; & accepta parva manu, semel atque iterum cedentibus consulto Persis, secunda prælia facit. Ad postremum (e) universum sibi creditum exercitum Dario prodit, urbemque ipsam in potestatem ejus redigit. Post hæc Darius bellum Scythis infert, quod sequenti volumine referetur.

Deliberatio de novo Rege eligendo.

Darius equi hinnitu fit Persarum Rex. O.C. 3484. a. C. N. 516. U. C. 237. Ol. 66.

Darius Cyri filiam uxorem ducit.

Babylonios Zopyri immortali facinore vincit. O. C. 3490. a. C. N. 510. U. C. 243. Ol. 67.

LIBER II.

CAPUT I.

In relatione rerum ab Scythis gestarum, quæ satis amplæ magnificæque fuerunt, principium ab origine repetendum est. Non enim minus illustria initia, quam imperium habuere: nec virorum imperio magis, quam feminarum virtutibus claruere. Quippe cum ipsi Parthos Bactrianosque, feminæ autem eorum Amazonum regna condiderint: prorsus ut res gestas virorum mulierumque considerantibus incertum sit, uter apud eos sexus illustrior fuerit. Scytharum gens antiquissima semper habita: quanquam inter Scythas & Ægyptios diu contentio de generis vetustate fuerit (f): Ægyptiis prædicantibus, *Initio rerum, cum aliæ terræ nimio fervore solis arderent, aliæ rigerent frigoris immanitate, ita ut non modo primæ generare homines, sed ne advenas quidem recipere ac tueri possent: priusquam adversus calorem vel frigus velamenta corporis invenirentur, vel locorum vitia quæsitis arte remediis mollirentur: Ægyptum ita temperatam semper fuisse, ut neque hiberna frigora, nec æstivi solis ardores incolas ejus premerent, solum ita fœcundum, ut alimentorum in usum hominum nulla terra feracior fuerit. Jure igitur ibi primum homines natos videri debere ubi educari facillime (g) possent.* Contra, Scythæ cœli temperamentum nullum esse vetustatis argumentum putabant: *quippe naturam, cum primum incrementa caloris ac frigoris regionibus distinxit, statim ad locorum patientiam, animalia quoque generasse; sed & arborum atque frugum pro regionum conditione apte genera variata. Et quanto Scythis sit cœlum asperius quam Ægyptiis, tanto & corpora & ingenia esse duriora. Ceterum si mundi, quæ nunc partes sunt, aliquando unitas fuit; sive illuvies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit; sive ignis, qui & mundum genuit, cuncta possedit; utriusque primordii Scythas origine præstare. Nam si ignis prima possessio rerum fuit, qui paulatim extinctus, sedem terris dedit; nullam prius quam Septentrionalem*

Scytharum origo & antiquitas.

De qua cum Ægyptiis contendunt.

Ægyptiorum fundamenta.

Scytharum fundamenta.

(y) al. fortuna tamen ictum regente. (z) al. principium. (a) al. ante solis ortum. (b) al. tanta pietate. (c) al. cessisse eos. (d) al. sortitione. al. partitione. (e) al. Ac postremo. al. At postremo. (f) al. fuit. (g) alii τὸ *facillime* omittunt.

nalem partem, hiemis rigore ab igne secretam; adeo ut nunc quoque nulla magis rigeat frigoribus. Ægyptum vero & totum Orientem tardissime temperatum: quippe qui etiam nunc torrenti calore solis exæstuet. Quod si omnes quondam terræ submersæ profundo fuerunt; profecto editissimam quamque partem decurrentibus aquis primum detectam; humillimo autem solo eandem aquam diutissime immoratam, & quanto prior quæque pars terrarum siccata sit, tanto prius animalia generare cœpisse. Porro Scythiam adeo editiorem omnibus terris esse, ut cuncta flumina ibi nata in Mæotim, tum deinde in Ponticum & Ægyptium mare decurrant. Ægyptum autem, quæ tot regum, tot seculorum cura impensaque munita sit, & adversum vim incurrentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis concisa (h), ut cum his arceantur, illis recipiantur aquæ nihilominus coli, nisi excluso Nilo, non potuerit, non posse videri hominum vetustate ultimam quæ sive exaggerationibus regum (i) sive Nili trahentis limum, terrarum recentissima videatur. His igitur argumentis superatis Ægyptiis, antiquiores semper Scythæ visi.

Descriptio Scythiæ.

CAP. II. Scythia autem in Orientem porrecta includitur ab uno latere Ponto, & ab altero montibus Riphæis; (k) a tergo Asia & Phasi (l) flumine. Multum in longitudinem & latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines; neque enim agrum exercent; nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis imbrium hiemisque causa tectis, pro domibus utuntur. Justitia gentis ingeniis culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto gravius; quippe sine tecto munimentoque pecora & armenta inter silvas habentibus (m), quid salvum esset, si furari liceret? Aurum & argentum perinde aspernantur, ac reliqui mortales appetunt. (n) Lacte & melle vescuntur. Lanæ iis usus ac vestium ignotus, quamquam (o) continuis frigoribus urantur; pellibus tamen ferinis (p) aut murinis utuntur. Hæc continentia illis morum quoque justitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe ibidem divitiarum cupido est, ubi & usus. Atque utinam reliquis mortalibus similis moderatio, & abstinentia alieni foret! profecto non tantum bellorum per omnia secula terris omnibus continuaretur; neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio raperet. Prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longa sapientium doctrina, præceptisque philosophorum consequi nequeunt; cultosque mores incultæ barbariæ (q) collatione superari. Tanto plus in illis proficit (r) vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis.

Et morum gentis.

Ejus continentia & justitia.

Scytharum fortitudo bellica.

CAP. III. Imperium Asiæ ter quæsivere, ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut invicti mansere. Darium regem Persarum, turpi ab Scythia summoverunt fuga: Cyrum cum omni exercitu trucidaverunt: Alexandri Magni ducem Zopyriona (s) pari ratione cum copiis universis deleverunt: Romanorum audivere, non sensere arma. Parthicum & Bactrianum Imperium ipsi condiderunt. Gens & laboribus & bellis (t) aspera; vires corporum immensæ: NIHIL parare (u), quod amittere timeant: nihil victores præter gloriam concupiscunt. Primus Scythis bellum indixit (x) Vexoris (y) rex Ægyptius, missis primo lenonibus (z), qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Scythæ jam ante de adventu regis à finitimis certiores facti, legatis responderunt: *tam opulenti populi ducem stolide adversus inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum. Quod belli (a) certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifesta sint. Igitur non expectaturos Scythas, dum ad se veniatur, cum tanto sibi plura in hoste concupiscenda sint; ultroque prædæ ituros obviam.* Nec dicta, res morata: quos cum tanta celeritate venire rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituque cum omni apparatu belli relicto, in regnum trepidus se recepit. Scythas ab Ægypto paludes prohibuere: inde reversi, Asiam perdomitam vectigalem fecere, modico tributo, magis in titulum imperii, quam in victoriæ præmium imposito. Quindecim annis pacandæ Asiæ immorati, uxorum flagitatione revocantur, per legatos denuntiantibus (b) *ni redeant, sobolem se ex finitimis quæsituras, nec passuras, ut in posteritatem Scytharum genus per feminas intercidat.* His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus Rex Assyriorum imposuit.

Scythæ Ægyptios fugant. Circa annum O.C. 3214. a. C.N. 786. a. U.C. 34.

Et Asiam reddunt tributariam.

Ab uxoribus domum revocantur.

CAP. IV. Sed apud Scythas medio tempore duo regii juvenes, Ylinos & Scolopitus, per factionem optimatum domo pulsi, ingentem juventutem secum traxere; & in Cappadociæ ora, juxta amnem Thermodonta consederunt, subjectosque Themiscyrios campos occupavere. Ibi permultos annos spoliare finitimos assueti, conspiratione populorum per insidias trucidantur. Horum uxores, cum viderent exsilio additam orbitatem, arma sumunt; finesque suos, summoventes primo, mox etiam inferentes bella, defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omisere; servitutem, non matrimonium appellantes. Singulare omnium seculorum exemplum ausæ, auxere rempublicam sine viris; jam etiam cum contemptu virorum se tuentur. Et ne feliciores aliæ aliis viderentur; viros, qui domi remanserant, interficiunt. Ultionem quoque cæsorum conjugum, excidio finitimorum consequuntur. Tum pace armis quæsita, ne genus (c) interiret, concubitum (d) finitimorum ineunt. Si qui mares nascerentur, interficiebant.

Amazonum à Scythis origo.

(h) al. *consciffa.* (i) al. *quæ exaggerationibus regum.* al. *quæ exaggeratio.* (k) al. Ripæis. (l) al. Ithasi. (m) al. sine tecti munimento pecora & armenta habentibus. (n) al. aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. (o) al. & quamquam. (p) al. felinis. (q) al. barbariei. (r) al. profecit. (s) al. Sopyriona. (t) al. gens laboribus & bellis &c. (u) al. paravere. (x) al. intulit. (y) al. Vixoris. al. Besoxis. al. Sesostres. (z) al. legatis. (a) al. *bello.* (b) al. denuntiantium. (c) al. gens. (d) al. concubitus.

bant. Virgines in eundem ipsis morem (*e*), non otio, neque lanificio; sed armis, equis, venationibus exercebant, inustis infantum dexterioribus mammis, ne sagittarum jactus impediretur: unde Amazones dictæ sunt.

Harum reginæ.

Duæ his reginæ fuere (*f*), Marpesia & Lampedo (*g*), quæ in duas partes agmine diviso, inclytæ jam opibus, vicibus gerebant bella, solæ (*h*) terminos alternis defendentes; & ne successibus deesset auctoritas, genitas se Marte prædicabant.

Et res gestæ.

Itaque majore parte Europæ subacta, Asiæ quoque nonnullas civitates occupavere. Ibi Epheso, multisque aliis urbibus conditis, partem exercitus cum ingenti præda domum dimittunt. Reliquæ, quæ ad tuendum Asiæ imperium remanserant, concursu barbarorum cum Marpesia regina interficiuntur. In hujus locum filia ejus Orithya (*i*) regno succedit; cui præter singularem belli scientiam, eximia servatæ in omne ævum virginitatis admiratio fuit. Hujus virtute tantum additum gloriæ & famæ Amazonum est, ut Herculi rex, cui XII stipendia debebat, quasi impossibile, imperaverit, ut arma reginæ Amazonum sibi afferret. Eo igitur profectus longis novem navibus, comitante principum Græciæ juventute, inopinantes aggreditur. Duæ tum sorores (*k*) Amazonum regna tractabant, Antiope & Orithya; sed Orithya foris bellum gerebat. Igitur cum Hercules ad littus Amazonum applicuit, infrequens multitudo cum Antiopa regina, nihil hostile metuente, erat. Qua re effectum est, ut paucæ repentino tumultu excitæ, arma sumerent, facilemque victoriam hostibus darent. Multæ itaque cæsæ captæque. In his duæ Antiopæ sorores, Menalippe ab Hercule, Hippolyte à Theseo. Sed Theseus obtenta in præmium captiva, eandem in matrimonium assumpsit, & ex ea genuit Hippolytum. Hercules, post victoriam, Menalippen captivam sorori reddidit, & pretium arma reginæ accepit. Atque ita functus imperio, ad regem revertitur. Sed Orithya, ubi comperit bellum sororibus illatum, & raptorem esse Atheniensium principem; hortatur comites (*l*), *frustraque & Ponti sinum & Asiam edomitam esse* dicit; *si Græcorum non tam bellis, quam rapinis pateant.* Auxilium deinde a Sagillo rege Scythiæ petit: *Genus se Scytharum esse: cladem virorum, necessitatem armorum, belli causas ostendit; assecutasque virtutem* (*m*), *ne segniores viris feminas habere Scythæ viderentur.* Motus ille domestica gloria, mittit cum ingenti equitatu filium Panasagorum in auxilium. Sed ante prælium dissensione orta, ab auxiliis desertæ, bello ab Atheniensibus vincuntur; receptaculum tamen habuere castra sociorum, quorum auxilio intactæ ab aliis gentibus, in regnum revertuntur. Post Orithyam, Penthesilea regno potita est, cujus Trojano bello inter fortissimos viros, cum auxilium adversus Græcos ferret, magna virtutis documenta extitere.

Amazonum interitus.

Interfecta demum Penthesilea, exercituque ejus absumpto, paucæ, quæ in regno remanserant, ægre se adversus finitimos defendentes, utque tempora (*n*) Alexandri Magni duraverunt. Harum Minithya, sive Thalestris regina, concubitu Alexandri per dies XIII ad sobolem ex eo generandam obtento, reversa in regnum, brevi tempore cum omni Amazonum nomine intercidit.

CAP. V. Scythæ autem tertia expeditione Asiana, cum annis octo à conjugibus & liberis abfuissent, servili bello domi excipiuntur.

Bellum Scytharum adversus servos.

Quippe conjuges eorum longa exspectatione virorum fessæ, nec jam teneri bello, sed deletos ratæ, servis ad custodiam pecorum relictis nubunt: qui reversos cum victoria dominos, velut advenas, armati finibus prohibent. Quibus cum varia victoria fuisset, admonentur Scythæ mutare genus pugnæ, memores non cum hostibus, sed cum servis præliandum, nec armorum, sed dominorum jure vincendos; verbera in aciem, non tela (*o*) adferenda; omissoque ferro, virgas ac flagella, ceteraque servilis metus paranda instrumenta.

Quos lepido stratagemate reprimunt.

Probato omnes consilio, instructi sicut præceptum erat, postquam ad hostem accessere, inopinantibus verbera intentant; adeoque illos perculerunt, ut quos ferro non poterant, metu verberum vincerent; fugamque non ut hostes victi, sed ut fugitivi servi capesserent. Quicunque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. Mulieres quoque male sibi consciæ, partim ferro, partim suspendio, vitam finierunt. Post hæc pax apud Scythas fuit, usque tempora Jancyri (*p*) regis.

Darius Scythis.

Huic Darius rex Persarum, sicut supra dictum est, cum filiæ ejus nuptias non obtinuisset, bellum intulit; & armatis septingentis millibus hominum Scythiam ingressus, non facientibus hostibus pugnæ potestatem, metuens, ne interrupto ponte Istri, reditus sibi intercluderetur, amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit: quæ jactura abundante multitudine, inter damna numerata non est. Inde Asiam & Macedoniam domuit: Jonas quoque navali prælio superat.

Deinde Joniibus & Atheniensibus bellum infert.

Deinde cognito quod Athenienses Joniis auxilium contra se tulissent, omnem impetum belli in eos convertit.

CAP. VI. Nunc, quoniam ad bella Atheniensium ventum est; quæ non modo ultra spem gerendi, verum etiam ultra gesti fidem petrata sunt (*q*), operaque Atheniensium effectu majora quam voto fuere; paucis urbis origo repetenda est; quia non, ut ceteræ gentes, à sordidis initiis ad summa crevere.

Atheniensium origo.

Soli enim, præterquam incremento, etiam origine gloriantur. Quippe non advenæ, neque passim collecta populi colluvies originem urbi dedit; sed eodem innati solo, quod incolunt; & quæ illius sedes, eadem origo est.

Artes.

Primi lanificii, & olei, & vini usum docuere. Arare quoque & serere frumenta, glandem (*r*) vescentibus monstrarunt. Litteræ certe ac facundia & hic civilis ordo disciplinæ veluti templum

(*e*) al. in eundem ipsum morem. (*f*) al. duces iis fuere. (*g*) al. Marthesia & Lampeto. (*h*) al. soli. (*i*) al. Olreria. (*k*) al Duæ ex quatuor tum sorores. (*l*) al. Hortatur comites in ultionem. (*m*) al. *per virtutem.* (*n*) al. usque ad tempora. (*o*) al. non arma. (*p*) al. Idantyri. (*q*) al. peracta sunt. (*r*) al. glande.

Reges. Cecrops.

plum Athenas habent. Ante Deucalionis tempora regem habuere Cecropem: quem ut omnis antiquitas fabulosa est, biformem tradidere, quia primus marem feminæ matrimonio junxit.

Cranaus.

Huic successit Cranaus, cujus filia Athis (*s*) regioni nomen dedit. Post hunc

Amphictyon.

Amphictyon regnavit, qui primus Minervæ urbem sacravit, & nomen civitati Athenas dedit. Hujus temporibus, aquarum illuvies majorem partem populorum Græciæ absumpsit. Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad regem Thessaliæ Deucalionem ratibus evecti sunt, à quo propterea genus hominum conditum dicitur. Per ordinem deinde successionis regnum ad Erechtheum descendit, sub quo frumenti satio apud Eleusin à Triptolemo reperta, in cujus muneris honorem noctes initiorum sacratæ. Tenuit & Ægeus, Thesei pater, Athenis regnum; à quo per divortium decedens Medea, propter adultam privigni ætatem, Colchos cum Medio (*t*) filio, ex Ægeo suscepto, concessit. Post Ægeum Theseus, ac deinceps Thesei filius Demophoon, qui auxilium Græcis adversus Trojanos tulit, regnum possedit. Erant inter Athenienses & Dorienses (1) simultatum veteres offensæ, quas vindicaturi bello Dorienses, de eventu prælii oracula consuluerunt. Responsum, *superiores fore, ni regem Atheniensium occidissent.* Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia custodia regis præcipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat; qui & responso Dei, & præceptis hostium cognitis, permutato regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur: ibi in turba obsistentium, à milite, quem falce astu (*u*) convulneraverat, interficitur. Cognito (*x*) regis corpore, Dorienses sine prælio discedunt. Atque ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriæ morti se offerentis, bello liberantur.

(Erechtheus. Ægeus. Theseus. Demophoon. Codrus. Morte sua Dorienses vincit.)

CAP. VII. Post Codrum nemo Athenis regnavit; quod memoriæ nominis ejus tributum est. Administratio reipublicæ annuis (*y*) magistratibus permissa. Sed civitati nullæ tunc leges erant; quia libido regum pro legibus habebatur. Legitur itaque Solon vir justitiæ insignis, qui velut novam civitatem legibus conderet; qui tanto temperamento inter plebem senatumque egit, (cum, si quid pro altero ordine tulisset, alteri displiciturum videretur) ut ab utrisque parem gratiam traheret. Hujus viri inter multa egregia, illud memorabile fuit: Inter Athenienses & Megarenses de proprietate Salaminæ insulæ prope usque interitum armis dimicatum fuerat. Post clades multas capitale esse apud Athenienses cœpit, si quis legem de vindicanda insula tulisset. Solicitus igitur Solon, ne aut tacendo, parum reipublicæ consuleret, aut censendo sibi subitam dementiam simulat, cujus venia non dicturus modo prohibita, sed & facturus erat. Deformis habitu, more vecordium in publicum evolat; factoque concursu hominum, quo magis consilium dissimularet, insolitis sibi versibus suadere populo cœpit, quod vetabatur; omniumque animos ita cepit ut extemplo bellum adversus Megarenses decerneretur, insulaque, devictis hostibus Atheniensium fieret.

(Atheniensis respublica. Solonis legibus firmata. O.C. 3406. a. C. N. 594. U. C. 159. Ol. 46. Stratagemate Athenienses ad bellum contra Megarenses concitat.)

CAP. VIII. Interea Megarenses, memores illati Atheniensibus belli, & veriti (*z*) ne frustra arma movisse viderentur, matronas Atheniensium in Eleusinis sacris noctu oppressuri naves conscendunt. Qua re cognita, dux Atheniensium Pisistratus juventutem in insidiis locat, jussis matronis solito clamore ac strepitu, etiam in accessu (*a*) hostium, ne intellectos se sentiant, sacra celebrare: egressosque navibus Megarenses inopinantes aggressus, delevit; ac protinus classe captiva intermixtis mulieribus, ut speciem captarum matronarum præberent, Megara (*b*) contendit. Illi cum & navium formam & petitam prædam cognoscerent, obvii ad portum procedunt; quibus cæsis, Pisistratus paulum à capienda urbe abfuit. Ita Megarenses suis dolis hosti victoriam dedere. Sed Pisistratus, quasi sibi non patriæ vicisset, tyrannidem per dolum occupat: quippe voluntariis verberibus domi affectus lacerato (*c*) corpore in publicum progreditur; advocata concione vulnera populo ostendit; de crudelitate principum, à quibus hæc se passum simulabat, queritur, adduntur vocibus lacrymæ, & invidiosa oratione multitudo credula accenditur; amore plebis invisum se senatui affirmat: obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxilium; per quos occupata tyrannide per annos XXXIII. regnavit.

(Megarenses ab Atheniensibus per Pisistratum victi. Qui tyrannidem per XXXIII. annos occupat. O.C. 3439. a. C. N. 561. U. C. 192. Ol. 54.)

CAP. IX. Post ejus mortem Diocles, alter ex filiis, per vim stuprata virgine, à fratre puellæ interficitur. Alter, Hippias nomine, cum imperium paternum teneret, interfectorem fratris comprehendi jubet: qui cum per tormente conscios cædis nominare cogeretur, omnes amicos tyranni nominavit. Quibus interfectis, quærenti tyranno, *an adhuc aliqui conscii essent; neminem* ait *superesse, quem amplius mori gestiat* (*d*), *quam ipsum tyrannum.* Qua voce ejusdem, se tyranni victorem post vindictam pudicitiæ (*e*) sororis ostendit. Hujus virtute cum admonita civitas libertatis esset, tandem Hippias regno pulsus, in exilium agitur: qui profectus in Persas, ducem se Dario, inferenti Atheniensibus bellum, sicuti supra significatum est, adversus patriam suam offert. Igitur Athenienses, audito Darii adventu, auxilium à Lacedæmoniis, sociatum civitate, petiverunt. (*f*) Quos ubi viderunt quatridui teneri religione, non exspectato auxilio, instructis decem millibus civium, & Pla-

(Cujus filius Diocles occiditur. Hippias vero in exilium agitur. Persarum exercitum contra Athenienses in Græciam ducit.)

(*s*) al. Attis. (*t*) al. Medo. (*u*) alii τὸ astu omittunt. (*x*) al. Agnito. (*y*) al. annua. (*z*) al. deserti. (*a*) al. in excessu. (*b*) al. Megaram. (*c*) al. laceratoque. (*d*) al. *Nemo*, ait, *superest*, *quem amplius mori gestiam.* (*e*) al. post vindicatam pudicitiam. (*f*) al. perduraverunt.

(1) Ratum pariter ac elegans Doriensium numisma Tab. XLVII. num. 1. apponere voluimus.

Platæensibus auxiliaribus mille, adversus sexcenta millia hostium, in campos Marathonios in prælium egrediuntur. Miltiades & dux belli erat & auctor non expectandi auxilii; quem tanta fiducia ceperat, ut plus præsidii in celeritate, quam in sociis duceret. Magna igitur in pugnam euntibus alacritas animorum fuit, adeo ut, cum mille passus inter duas acies essent, citato cursu ante jactum sagittarum ad hostem venerit. Nec audaciæ ejus (*g*) eventus defuit. Pugnatum est enim tanta virtute, ut hinc viros, inde pecudes putares. Victi Persæ in naves confugerunt; ex quibus multæ suppressæ (*h*), multæ captæ sunt. In eo prælio tanta virtus singulorum fuit, ut, cujus laus prima esset, difficile judicium videretur. Inter ceteros tamen Themistoclis adolescentis gloria emicuit; in quo jam tunc indoles futuræ imperatoriæ dignitatis (*i*) apparuit. Cynægiri quoque militis Atheniensis gloria magnis scriptorum laudibus celebrata est; qui post prælii innumeras cædes, cum fugientes hostes ad naves egisset, onustam navem dextra manu tenuit, nec prius dimisit, quam (manum) amitteret: tum quoque amputata dextra; navem sinistra comprehendit; quam & ipsam cum amisisset, ad postremum morsu navem detinuit. Tantam in eo virtutem fuisse, ut non tot cædibus fatigatus, non duabus manibus amissis victus, truncus ad postremum, veluti & rabida fera, dentibus dimicaverit. Ducenta millia Persæ eo prælio, sive (*k*) naufragio, amisere. Cecidit & Hippias tyrannus Atheniensis: auctor & concitor ejus belli, diis patriæ ultoribus pœnas repetentibus.

In campis Marathoniis Persæ ab Atheniensibus per Miltiadem vincuntur.

Themistoclis & Cynægiri gloria.

Persarum clades. O. C. 3510. a. C. N. 490. U. C. 263. Ol. 72.

CAP. X. Interea & Darius, cum bellum instauraret, in ipso apparatu decedit, relictis multis filiis, & in regno, & ante regnum susceptis. Ex his Artemenes maximus natu, ætatis privilegio regnum sibi vindicabat; quod jus & ordo nascendi & natura ipsa gentibus dedit. Porro Xerxes controversiam non de ordine, sed de nascendi felicitate referebat. *Namque Artemenem primum quidem Dario, sed privato provenisse, se regi primum natum. Fratres itaque suos, qui ante geniti essent, privatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuisset, non regnum sibi vindicare posse; se esse, quem primum in regno* (*l*) *jam rex pater sustulerit. Huc accedere, quod Artemenes non patre tantum, sed & matre privatæ adhuc fortunæ, avo quoque materno privato, procreatus sit; se vero & matre regina natum, & patrem non nisi regem vidisse; avum quoque maternum Cyrum se regem habuisse, non heredem, sed conditorem tanti regni; &* (*m*) *si in æquo jure utrumque fratrem pater reliquisset, materno tamen se jure & avito vincere.* Hoc certamen concordi animo ad patruum suum Artaphernem, veluti ad domesticum judicem, deferunt; qui domi cognita causa, Xerxem præposuit; adeoque fraterna contentio fuit, ut nec victor insultaverit, nec victus doluerit; ipsoque litis tempore invicem munera miserint, & jucunda quoque inter se, non solum credula convivia habuerint; judicium quoque ipsum sine arbitris, sine convitio fuerit. Tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima dividebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur. Igitur Xerxes bellum à patre cœptum adversus Græciam quinquennium (*n*) instruxit. Quod ubi primum didicit Demaratus, rex Lacedæmoniorum, qui apud Xerxem exulabat, amicior patriæ post fugam, quam regi post beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratibus (*o*) perscribit, easdemque cera superinducta delet; ne aut scriptura sine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet; fido deinde servo perferendas tradit, jusso, magistratibus Spartanorum tradere. Quibus perlatis, Lacedæmone quæstioni res diu fuit, quod neque scriptum aliquid viderent, nec frustra missas suspicarentur, tantoque rem majorem, quanto sit occultior, putabant. Hærentibus in conjectura viris, soror regis Leonidæ consilium scribentis invenit. Erasa igitur cera, belli consilia deteguntur. Jam Xerxes septingenta millia de regno armaverat, & trecenta millia de auxiliis; ut non immerito proditum sit, flumina ab exercitu ejus siccata, Græciamque omnem vix capere exercitum ejus potuisse. Naves quoque mille ducentas numero (*p*) habuisse dicitur. Huic tanto agmini dux defuit. Ceterum, si regem spectes, divitias, non ducem laudas; quarum tanta copia in regno ejus fuit: ut, cum flumina multitudine consumerentur, opes tamen regiæ superessent. Ipse autem primus in fuga, postremus in prælio semper visus est; in periculis timidus; sicubi metus abesset, inflatus; denique ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturæ ipsius dominus, & montes in planum ducebat, & convexa vallium æquabat, & quædam maria pontibus sternebat, quædam ad navigationis commodum per compendium ducebat.

Dissidium fratrum de regno inter Darii filios.

Quod ab Artapherne patruo componitur.

Xerxes bellum adversus Græcos instaurat.

Quod Demaratus Lacedæmoniis detegit.

Validissimus Xerxis exercitus.

Xerxis in bello timiditas.

Ante bellum gloriatio.

CAP. XI. Cujus introitus in Græciam quam terribilis, tam turpis ac fœdus discessus fuit. Nam cum Leonida rex Spartanorum cum quatuor millibus militum angustias Thermopylarum occupasset, Xerxes contemptu paucitatis eos pugnam capessere jubet, quorum cognati Marathonia pugna interfecti fuerant; qui dum ulcisci suos quærunt, principium cladis fuere; succedente deinde inutili turba, major cædes editur. Triduo ibi cum dolore & indignatione Persarum dimicatum; quarta die, quum nuntiatum esset Leonidæ, à xx millibus hostium summum cacumen teneri; tunc hortatur socios: *recedant, & se ad meliora patriæ tempora reservent: sibi cum Spartanis fortunam experiendam; plura se patriæ quam vitæ debere; ceteros ad præsidia Græciæ servandos.* Audito regis imperio discessere ceteri, soli Lacedæmonii remanserunt. Initio hujus belli sciscitantibus Delphis oracula responsum fuerat, aut regi Spartanorum, aut urbi cadendum. Et idcirco rex Leonida, cum in bellum proficisceretur, ita suos firmaverat, ut ire se parato ad moriendum

Leonidas rex Spartanorum.

(*g*) alii τὸ ejus omittunt. (*h*) al. submersæ. (*i*) al. virtutis. (*k*) al. sine. (*l*) al. *in regnum.* (*m*) al. *Itaque si.* al. *sed si.* (*n*) al. per quinquennium. (*o*) al. magistratus. (*p*) al. Naves decies centum millia numero.

animo scirent. Angustias propterea occupaverat, ut cum paucis aut majore gloria vinceret, aut minore damno reipublicæ caderet. Dimissis igitur sociis, hortatur Spartanos: *Meminerint, qualitercumque præliantibus (q) cadendum esse; caverent, ne fortius mansisse, quam dimicasse videantur; nec exspectandum, ut ab hoste circumvenirentur, sed dum nox occasionem daret, securis & lætis superveniendum; nusquam victores honestius, quam in castris hostium perituros.* Nihil erat difficile persuadere persuasis mori; statim (r) arma capiunt; & sexcenti viri castra quingentorum millium irrumpunt, statimque regis prætorium petunt, aut cum illo, aut si ipsi oppressi essent, in ipsius potissimum sede morituri. Tumultus totis castris oritur. Spartani, postea quam, regem non inveniunt, per omnia castra victores vagantur; cædunt, sternuntque omnia; ut qui sciant se pugnare non spe victoriæ, sed in mortis ultionem. Prælium à principio noctis in majorem partem diei tractum. Ad postremum non victi, sed vincendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium catervas occiderunt. Xerxes duobus vulneribus terrestri prælio acceptis, experiri maris fortunam statuit.

Hortatur Spartanos.

Qui Persas ad Thermopylas maxima clade afficiunt.

In qua Xerxes vulneratur.

CAP. XII. Sed Atheniensium dux Themistocles, cum animadvertisset Jonas, propter quos bellum Persarum susceperant, in auxilium Regis classe venisse; solicitare eos in partes suas statuit. Et cum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbolos proponi, & saxis (s) proscribi curat: *Quæ vos, Jones, dementia tenet? quod facinus agitatis? bellum inferre olim conditoribus vestris, nuper etiam vindicibus, cogitatis? An ideo mœnia vestra condidimus, ut essent qui nostra delerent? quid si non hæc & Dario prius, & nunc Xerxi, belli causa nobiscum foret, quod vos rebellantes non destituimus? Quin vos in hæc nostra castra ex ista obsidione transitis? Aut si hoc parum tutum extat vos commisso prælio ite cessim, inhibete remis, (t) & à bello discedite.* Ante navalis prælii congressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum; prorsus, quasi non cum Græcis tantum, sed & cum diis immortalibus bellum gereret; quæ manus tota imbribus & fulminibus deleta est, ut intelligeret, quam nullæ essent hominum adversus deos vires. Post hæc Thespias & Platæas, & Athenas vacuas hominibus incendit; & quoniam ferro in homines non poterat, in ædificia igne grassatur. Namque Athenienses post pugnam Marathoniam, præmonente Themistocle, victoriam illam de Persis, non finem, sed causam majoris belli fore, cc. naves fabricaverant. Adventante igitur Xerxe, consulentibus Delphis oraculum, responsum fuerat; *Salutem muris ligneis tuerentur.* Themistocles navium præsidium demonstratum ratus, persuadet omnibus, *Patriam municipes (u) esse, non mœnia; civitatemque non in ædificiis, sed in civibus positam. Melius itaque salutem navibus, quam urbi, commissuros: Hujus sententiæ etiam Deum auctorem esse.* Probato consilio, conjuges liberosque, cum pretiosissimis rebus, abditis insulis, relicta urbe, demandant: ipsi naves armati conscendunt. Exemplum Atheniensium & aliæ urbes imitatæ. Itaque cum adunata omnis sociorum classis & intenta in bellum navale esset; angustiasque Salaminii freti, ne circumveniri à multitudine posset, occupassent; dissensio inter civitatum principes oritur. Qui cum deserto bello ad sua tuenda delabi vellent, timens Themistocles, ne discessu sociorum vires minuerentur, per servum fidum Xerxi nuntiat, *uno in loco eum contractum Græciam capere facillime posse. Quod si civitates, quæ jam abire vellent, dissipentur; majore labore ei singulas consectandas.* Hoc dolo impellit regem signum pugnæ dare. Græci quoque adventu hostium occupati prælium collatis viribus capessunt. Interea rex, velut spectator pugnæ, cum parte navium in littore remanet. Artemisia autem regina Halicarnassi, quæ in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces (x) bellum acerrime ciebat: Quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres. Cum anceps prælium esset, Jones juxta præceptum Themistoclis, pugnæ se paulatim subtrahere cœperunt; quorum defectio animos ceterorum (y) fregit. Itaque circumspicientes fugam pelluntur Persæ, & mox prælio victi, in fugam vertuntur. In qua trepidatione multæ captæ naves, multæ mersæ (z); plures tamen non minus sævitiam regis, quam hostem timentes, domum dilabuntur.

Themistocles dux Atheniensium.

Jonas increpat.

Xerxes ad diripiendum Delphicum mittit.

Athenas incendit.

Athenienses classem instruunt.

Ut & aliæ Græciæ civitates.

Themistocles Xerxem specie benevolentiæ decipit.

Et ad Salaminium fretum navali prælio vincit. O. C. 3520, a. C. N. 480. U. C. 273. Ol. 75.

CAP. XIII. Hac clade perculsum, & dubium consilii Xerxem Mardonius aggreditur. Hortatur, *in regnum abeat, ne quid seditionis moveat fama adversi belli, in majus (a); sicuti mos est, omnia extollens; sibi CCC millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat. Qua manu aut cum gloria ejus perdomiturum se Græciam; aut, si aliter eventus ferat (b), sine ejusdem infamia hostibus cessurum.* Probato consilio, Mardonio exercitus traditur; reliquas copias rex ipse reducere in regnum parat. Sed Græci audita regis fuga, consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo veluti victor maris fecerat; ut intercluso reditu, aut cum exercitu deleretur: aut, desperatione rerum, pacem victus petere cogeretur. Sed Themistocles, timens, ne interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, & iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent; *satis multos hostes in Græcia remanere*, dictitans, *nec augeri numerum retinendo oportere*; cum vincere consilio ceteros non posset, eundem servum ad Xerxem mittit, certioremque consilii facit & occupare transitum maturata fuga jubet, ille perculsus nuntio, tradit ducibus milites perducendos; ipse cum paucis Abydon contendit. Ubi cum solutum pontem hibernis tempestatibus offendisset, piscatoris scapha trepidus trajecit. Erat res spectaculo digna, & æstimatione sortis humanæ, rerum varietate miranda, in

Mardonio exercitum terrestrem committit Xerxes.

Et ægre evadit piscatoria scapha.

(q) al. *qualitercunque præliarentur.* (r) al. raptim. (s) al. & in saxis perscribi. (t) al. *remos.* (u) al. *municipia.* (x) al. inter primores duces. (y) al. ceteros. (z) al. submersæ. (a) al. & *in majus.* (b) al. *fuerit.*

in exiguo latentem videre navigio, quem paulo ante vix æquor omne capiebat; carentem etiam omni servorum ministerio, cujus exercitus propter multitudinem terris graves erant.

Ejusdem pedestris exercitus fame & peste obruitur.

Nec pedestribus copiis, quas ducibus assignaverat, felicius iter fuit: siquidem quotidiano labore (neque enim ulla est metuentibus quies) etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat & pestem; tantaque fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur, alitesque & bestiæ illecebris solicitatæ exercitum sequerentur.

CAP. XIV. Interim Mardonius in Græcia Olynthum expugnat. Athenienses quoque in spem pacis, amicitiamque regis sollicitat, spondens incensæ eorum urbis etiam in majus restitutionem. Posteaquam nullo pretio libertatem videt his venalem, incensis quæ ædificare cœperant, copias in Bœotiam transfert. Eo & Græcorum exercitus, qui centum millium fuit, sequutus est; ibique prælium commissum. Sed Fortuna regis cum duce mutata non est.

Mardonius in Bœotia ad Plateas à Græcis victus.

Nam victus Mardonius, veluti ex naufragio, cum paucis profugit. Castra referta regalis opulentiæ capta. Unde primum Græcos, diviso inter se auro Persico, divitiarum luxuria cepit.

Eodem die in Asia adversus Persas navali prælio feliciter dimicatum est. O. C. 3521. a. C. N. 479. U. C. 274. Ol. 75.

Eodem forte die, quo Mardonii copiæ deletæ sunt, etiam navali prælio in Asia sub monte Mycale, adversus Persas dimicatum est. Ibi ante congressionem, cum classes ex adverso starent, fama ad utrumque exercitum venit, vicisse Græcos & Mardonii copias occidione occidisse (*c*). Tantam famæ velocitatem fuisse, ut, cum matutino tempore prælium in Bœotia commissum sit, meridianis horis in Asiam, per tot maria, & tantum spatii, tam brevi horarum momento, de victoria nuntiatum sit!

Atheniensium virtus ceteris præfertur.

Confecto bello, cum de præmiis civitatum ageretur, omnium judicio, Atheniensium virtus ceteris prælata. Inter duces quoque Themistocles, princeps, civitatum testimonio judicatus gloriam patriæ suæ auxit.

Athenienses.

CAP. XV. Igitur Athenienses aucti & præmiis belli & gloria urbem ex integro condere moliuntur. Cum mœnia majora complexi fuissent, suspecti esse Lacædemoniis cœpere, recte reputantibus (*d*), quibus ruina urbis tantum incrementi dedisset, quantum sit datura munita civitas. Mittunt ergo legatos, qui moneren, *ne munimenta hostibus & receptacula futuri belli exstruant.* Themistocles, ut vidit spei urbis invideri, non existimans abrupte agendum, respondit legatis, *ituros Lacedæmonem, qui de ea re pariter cum illis consulant.*

Spartanis delusis.

Sic dimissis Spartanis, hortatur suos, *opus maturent.* Dein ipse interiecto tempore in legationem (*e*) proficiscitur, & nunc in itinere infirmitate simulata, nunc tarditatem collegarum accusans, sine quibus agi jure nihil possit, diem de die proferendo, spatium consummando operi quærebat.

Urbem ex integro restaurant.

Cum interim nuntiatur Spartanis, opus Athenis maturari; propter quod denuo legatos mittunt ad inspiciendam rem. Tum Themistocles per servum magistratibus scribit Atheniensium, *legatos vinciant, pignusque teneant, ne in se gravius consulatur.* Adiit deinde concionem Lacedæmoniorum; indicat, *permunitas Athenas esse, & posse jam illatum bellum non armis tantum, sed etiam muris sustinere. Si quid ob eam rem de se crudelius statuerent, legatos eorum in hoc pignus Athenis retentos.* Graviter deinde castigat eos, *quod non virtute, sed imbecillitate sociorum, potentiam quærerent.* Sic dimissus, veluti triumphatis Spartanis, à civibus excipitur.

Spartani Persarum fines depopulantur.

Post hæc Spartani, ne vires otio corrumperent, & ut bis illatum a Persis Græciæ bellum ulciscerentur, ultro fines eorum depopulantur.

Pausanias defectionis reus damnatur.

Ducem suo sociorumque exercitui deligunt Pausaniam; qui pro ducatu, regnum, Græciæ affectans, proditionis præmium cum Xerxe nuptias filiæ ejus paciscitur, redditis captivis, ut fides Regis aliquo beneficio obstringeretur. Scribit præterea Xerxi, *quoscumque ad se nuntios misisset, interficeret; ne res loquacitate hominum proderetur.*

Aristides illius consilia discutit.

Sed dux Atheniensium Aristides, belli socius (*f*), collegæ conatibus obviam eundo, simul & in rem sapienter consulendo, proditionis consilia discussit. Nec multo post accusatus Pausanias damnatur.

Xerxes iterum arma contra Græcos movet.

Igitur Xerxes, cum proditionis dolum publicatum videret, ex integro bellum instituit. Græci quoque ducem constituunt Cimonem Atheniensem, filium Miltiadis, quo duce apud Marathonem pugnatum est, juvenem, cujus magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. Quippe patrem ob crimen peculatus in carcerem conjectum, ibique defunctum, translatis in se vinculis ad sepulturam redemit. Nec in bello judicium deligentium fefellit; siquidem non inferior virtutibus patris, Xerxem terrestri navalique bello superatum, trepidum recipere se in regnum coëgit.

Sed à Cimone terra marique vincitur O. C. 3530. a. C. N. 470. U. C. 283. Ol. 77.

LIBER III.

CAPUT I.

Xerxis & Artabani præfecti perfidi tragicus exitus. O. C. 3535. a. C. N. 465. U. C. 288. Ol. 78.

XErxes rex Persarum, terror ante gentium, bello in Græciam (*g*) infeliciter gesto, etiam suis contemptui esse cœpit. Quippe Artabanus Præfectus ejus, deficiente quotidie regis majestate, in spem regni adductus, cum septem robustissimis filiis regiam vesperi ingreditur; (nam amicitiæ jure semper illi patebat,) trucidatoque rege, voto suo obsistentes filios ejus dolo aggreditur. Securior de Artaxerxe, puero admodum, fingit regem à Dario, qui erat adolescens, quo maturius regno potiretur, occisum; impellit Artaxerxem parricidium parricidio vindicare. Cum ventum ad domum Darii esset, dormiens inventus, quasi somnum fingeret, interficitur. Dein cum unum ex re-

gis

(*c*) al. cecidisse. (*d*) al. recte putantibus. (*g*) al. in Græcia. (*e*) al. in legatione. (*f*) al. belli socius electus

gis filiis sceleri suo superesse Artabanus videret, metueretque de regno certamina principum, assumit in societatem consilii Baccabasum; qui præsenti statu contentus, rem prodit Artaxerxi, *ut pater ejus occisus*; *ut frater falsa parricidii suspicione oppressus*; *ut denique ipsi pararentur insidiæ*. His cognitis Artaxerxes, verens Artabani numerum filiorum, in posterum diem paratum esse armatum exercitum jubet (*h*), recogniturus & numerum militum, & in armis industriam singulorum. Itaque cum inter ceteros & ipse Artabanus armatus assisteret, rex simulat, se breviorem loricam habere: jubet Artabanum secum commutare: exuentem se, ac nudatum, gladio trajicit: Tum & filios ejus corripi jubet. Atque ita egregius adolescens, & cedem patris, (*i*) & se ab insidiis Artabani vindicavit.

Origo bellorum inter Lacædemonios & Athenienses.

CAP. II. Dum hæc in Persis geruntur, interea Græcia omnis, ducibus Lacedæmoniis & Atheniensibus, in duas divisa partes, ab externis bellis velut in viscera sua arma convertit. Fiunt igitur de uno populo duo corpora; & eorundem castrorum homines, in duos hostiles exercitus dividuntur. Hinc Lacedæmonii communia quondam civitatum auxilia ad vires suas trahebant: inde Athenienses, & vetustate gentis, & gestis rebus illustres, propriis viribus (*k*) confidebant. Atque ita duo potentissimi Græciæ populi, institutis Solonis & Lycurgi legibus pares, ex æmulatione virium in bellum ruebant. Namque Lycurgus cum fratri suo Polydectæ (*l*) Spartanorum regi successisset, regnumque sibi vendicare potuisset, Charilao, (*m*) filio ejus, qui natus postumus fuerat, cum ad ætatem adultam pervenisset, regnum summa fide restituit: ut intelligerent omnes (*n*), quanto plus apud bonos pietatis jura, quam omnes opes valerent. Medio igitur tempore dum infans convalescit, tutelamque ejus administrat, non habentibus Spartanis leges instituit, non inventione earum magis, quam exemplo clarior. Siquidem nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta (*o*) daret. Populum in obsequia principum, principes ad justitiam imperiorum formavit (*p*). Parcimoniam omnibus suasit, existimans (*q*), laborem militiæ assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium jussit. Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam sustulit.

Lycurgus Spartanorum legislator. O. C. 3102. a. C. N. 898. a. U. C. 146.

Leges à Lycurgo latæ. O. C. 3116. a. C. N. 884. a. U. C. 132.

CAP. III. Administrationem reipublicæ per ordines divisit: Regibus potestatem bellorum, magistratibus (*r*) judicia per annuas successiones (*s*), Senatui custodiam legum, populo sublegendi Senatum, vel creandi quos vellet magistratus, potestatem permisit. Fundos omnium æqualiter inter omnes divisit, ut æquata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. Convivari omnes publice jussit, ne cujus divitiæ vel luxuria in occulto essent. Juvenibus non amplius una veste uti toto anno permisit, nec quemquam cultius quam alterum progredi, nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur (*t*). Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci præcepit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere (*u*) & laboribus agerent. Nihil eos somni causa substernere, & vitam sine pulmento degere, neque prius in urbem redire, quam viri facti essent, statuit. Virgines sine dote nubere jussit, ut uxores eligerentur, non pecuniæ; severiusque matrimonia sua viri coërcerent, cum nullis dotis frænis tenerentur. Maximum honorem non divitum & potentium, sed pro gradu ætatis senum esse voluit, nec sane usquam terrarum locum honoratiorem senectus habet. Hæc quoniam primo, solutis antea moribus, dura videbat esse, auctorem eorum Apollinem Delphicum fingit, & inde se ea ex præcepto numinis detulisse, ut consuescendi tædium metus religionis vincat. Dein ut æternitatem legibus suis daret, jurejurando obligat civitatem, nihil eos de ejus legibus mutaturos priusquam reverteretur; & simulat, sed ad oraculum Delphicum proficisci consulturum, quid addendum mutandumque legibus videretur. Proficiscitur autem Cretam, ibique perpetuum exilium egit, abjicique in mare ossa sua moriens jussit, ne relatis Lacedæmonem, solutos se Spartani religione jurisjurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur.

Et voluntario exilio firmata.

Bellum Messeniis à Spartanis illatum ob stupratas virgines. O. C. 3257. a. C. N. 743. U. C. 10.

CAP. IV. His igitur moribus ita brevi civitas convaluit, ut, cum Messeniis propter stupratas virgines suas, in solenni Messeniorum sacrificio, bellum intulissent, gravissima se execratione obstrinxerint, non prius quam Messenam (*x*) expugnassent, reversuros; tantum sibi vel de viribus suis, vel de fortuna spondentes. Quæ res initium dissensionis Græciæ, & intestini belli causa & origo fuit. Itaque cum contra præsumptionem suam annis decem in obsidione urbis tenerentur, & querelis uxorum post tam longam viduitatem revocarentur: veriti, ne hac perseverantia belli gravius sibi quam Messeniis nocerent; quippe illis quantum juventutis bello intercidat, mulierum fœcunditate suppleri; sibi & belli (*y*) damna assidua & fœcunditatem uxorum, absentibus viris, nullam esse: itaque legunt juvenes, ex eo genere militum, qui post jusjurandum in supplementum venerant; quibus Spartam remissis promiscuos omnium feminarum concubitus permisere; maturiorem futuram conceptionem rati, si eam singulæ per plures viros experirentur. Ex his nati, ob notam materni pudoris, Partheniæ (*z*) vocati. Qui cum ad annos XXX pervenissent, metu inopiæ (nulli enim pater existebat, cujus in patrimonium successio speraretur) ducem Phalantum (*a*) assumunt, filium Arati (*b*), qui auctor Spartanis fuerat juventutis

Spartani juvenes ad procreandam sobolem domum remittunt.

Spuriorum Spartanorum in Italiam migratio.

(*h*) al. paratum esse exercitum armatumque jubet. (*i*) al. & necem fratris. al. cædem patris & necem fratris, & se &c. (*k*) al. urbibus. (*l*) al. Polybitæ. (*m*) al. Charillo. (*n*) al. ut intelligerent homines. (*o*) al. documentum. (*p*) al. firmavit. (*q*) al. Parcimoniam omnibus item existimans. al. Parcimoniam omnibus suasit. (*r*) al. Magistratui. (*s*) al. & annuos successores. (*t*) al. verteret. (*u*) al. sed inopia. (*x*) al. Messeniam. (*y*) al. bellis. (*z*) al. Parthenii. (*a*) al. Palantum. (*b*) al. Arti.

ventutis ad generandam sobolem domum remittendæ: ut sicuti dudum patrem ejus nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suæ haberent. Itaque nec salutatis matribus, è quarum adulterio infamiam collegisse videbantur, ad sedes inquirendas proficiscuntur; diuque & per varios casus jactati, tandem in Italiam deferuntur; & occupata arce Tarentinorum expugnatis veteribus incolis, sedes ibi (c) constituunt. Sed post annos plurimos dux eorum Phalantus per seditionem in exilium proturbatus (d), Brundusium se contulit, quo expulsi sedibus suis veteres Tarentini concesserant. Hic moriens persuadet, *ut ossa sua, postremasque reliquias conterant, & tacite spargi in foro Tarentinorum curent. Hoc enim modo recuperare illos patriam suam posse, Apollinem Delphis cecinisse.* Illi arbitrantes eum in ultionem sui, civium fata prodidisse, præceptis paruere; sed oraculi diversa sententia fuerat. Perpetuitatem enim urbis, non amissionem hoc facto promiserat (e). Ita ducis exulis consilio, & hostium ministerio, possessio Tarentina Partheniis in æternum fundata. Ob cujus beneficii memoriam Phalanto divinos honores decrevere.

Tarentinorum expugnatio.

Tarentini ab Araco decipiuntur.

CAP. V. Interea Messenii, cum virtute non possent, per insidias expugnantur. Dein cum per annos LXXX. gravia servitutis verbera plerumque & vincula, ceteraque captivitatis mala perpessi essent, post longam pœnarum patientiam, bellum restaurant. Lacedæmonii quoque eo conspiratius (f) ad arma concurrunt, quo adversus servos dimicaturi videbantur. Itaque cum hinc injuria, inde indignitas animos acueret; Lacedæmonii de belli eventu oraculo Delphis consulto, jubentur ducem belli ab Atheniensibus petere. Porro Athenienses, cum responsum cognovissent, in contemptum Spartanorum, Tyrtæum poëtam claudum (g) pede misere; qui tribus præliis fusus eo usque desperationis Spartanos adduxit, ut ad supplementum exercitus, servos suos manumitterent, hisque interfectorum matrimonia pollicerentur; ut non numero tantum amissorum civium, sed & dignitati succederent. Sed reges Lacedæmoniorum, ne contra fortunam pugnando, majora detrimenta civitati infligerent (h), reducere exercitum voluerunt; ni intervenisset Tyrtæus, qui composita carmina exercitui pro concione recitavit; in quibus hortamenta virtutis, damnorum solatia, belli consilia conscripserat. Itaque tantum ardorem militibus injecit, ut non de salute, sed de sepultura solliciti, tesseras, insculptis suis & patrum nominibus, dextro brachio deligarent; ut si omnes adversum prælium consumpsisset, & temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi sepulturæ possent. Cum sic animatum reges exercitum viderent, curant rem hostibus nuntiari. Messeniis autem non timorem res, sed æmulationem mutuam dedit. Itaque tantis animis concursum est, ut raro unquam cruentius prælium fuerit. Ad postremum tamen victoria Lacedæmoniorum fuit.

Messenii bellum contra Lacedæmonios instaurant O. C. 3315. a. C. N. 685. U. C. 68. Ol. 23.

Sed opera Tyrtæi vincuntur.

CAP. VI. Interjectio tempore tertium quoque bellum Messenii reparavere: in cujus auxilium Lacedæmonii inter reliquos socios etiam Athenienses adhibuere, quorum fidem cum suspectam haberent, supervacaneos simulantes, à bello eosdem (i) dimiserunt. Hanc rem Athenienses graviter ferentes, pecuniam, quæ erat in stipendium Persici belli ab universa Græcia collata, à Delo Athenas transferunt, ne deficientibus à fide societatis Lacedæmoniis, prædæ ac rapinæ esset. Sed nec Lacedæmonii quievere: qui cum Messeniorum bello occupati essent, Peloponnenses immisere, qui bellum Atheniensibus facerent. Parvæ tunc temporis classe in Ægyptum missa vires Atheniensibus erant (k): Itaque navali prælio dimicantes, facile superantur. Interjecto deinde tempore post reditum suorum, aucti & classis (l) & militum robore prælium reparavere. Tum & Lacedæmonii, omissis Messeniis, adversus Athenienses arma verterant. Diu varia victoria fuit; ad postremum æquo Marte utrimque discessum. Inde revocati Lacedæmonii ad Messeniorum bellum, ne medium tempus otiosum Atheniensibus relinquerent, cum Thebanis paciscuntur, ut Bœotiorum imperium his restituerent, quod temporibus Persici belli amiserant, ut illi Atheniensium bella susciperent. Tantus furor Spartanorum erat, ut duobus bellis impliciti, suscipere tertium non recusarent, dummodo inimicis suis hostes acquirerent. Igitur Athenienses, adversus tantam tempestatem belli duos duces deligunt, Periclem spectatæ virtutis virum, & Sophoclem scriptorem tragœdiarum; qui, diviso exercitu, & Spartanorum agros vastaverunt, & multas Achaiæ civitates Atheniensium imperio adjecerunt.

Tertium bellum Messenium.

Bellum Lacedæmonios inter & Athenienses, vulgo Peloponiacum dictum. O. C. 3569. a. C. N. 431. U. C. 322. Ol. 87.

Pericles & Sophocles Atheniensium belli duces.

CAP. VII. His malis fracti Lacedæmonii, in annos XXX. pepigerunt pacem; sed tam longum otium inimicitiæ non tulerunt. Itaque quintodecimo anno (m), rupto fœdere, cum contemptu deorum hominumque fines Atticos populantur; Et ne prædam potius, quam pugnam expetiisse viderentur, hostes ad prælium provocant. Sed Athenienses consilo Periclis (n) ducis (o) populationis injuriam differunt in tempus ultionis, supervacuam pugnam existimantes (p), cum ulcisci hostem sine periculo possent. Deinde interjectis diebus, naves conscendunt, & nihil sentientibus Lacedæmoniis, totam Spartam deprædantur, multoque plura auferunt, quam amiserant. Prorsus ut in comparatione damnorum longe pluris fuerit ultio, quam injuria. Clara quidem hæc Periclis expeditio habita; sed multo clarior privati patrimonii contemptus fuit. Hujus agros in populatione ceterorum intactos hostes reliquerant, sperantes acquirere se illi posse, aut periculum ex invidia, aut ex suspicione proditionis infamiam. Quod ante prospiciens Pericles,

Lacedæmonii rumpunt fœdus.

Sed ab Atheniensibus Periclis virtute premuntur.

Periclis egregia in Rempublicam merita.

(c) al. sibi. (d) al. perturbatus. (e) al. hoc facto promiserat Deus. (f) al. concitatius. al. confirmatius. (g) al. claudo. (h) al. infunderent. (i) al. bello eodem. (k) al. addiderant. (l) al. classe. (m) al. Itaque intra XV. annos. (n) al. Pericli. (o) al. ducti. (p) al. æstimantes.

cles, & futurum populo prædixerat, & ad invidiæ impetum declinandum, agros ipsos dono reipublicæ dederat; atque ita, unde periculum quæsitum fuerat, ibi maximam gloriam invenit. Post hæc, interjectis diebus, navali prælio dimicatum est: victi Lacedemonii fugerant. Nec cessatum deinceps est, quin aut terra, aut mari, varia præliorum fortuna, invicem se trucidarent. Denique fessi tot malis, pacem in annos quinquaginta fecere, quam non nisi sex annis servaverunt. Nam inducias, quas proprio nomine condixerant, ex sociorum persona rumpebant: quippe quasi minus perjurii contraherent, si ferentes sociis auxilia, potius quam si ipsi (*q*) aperto prælio dimicassent. Hinc bellum in Siciliam translatum, quod priusquam expono, de Siciliæ situ pauca dicenda sunt.

Iterum Lace-dæmonii pacem sanciunt & violant.

Unde bellum Siculum.

LIBER IV.

CAPUT I.

Siciliæ insulæ situs.

Siciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiæ adhæsisse: direptamque (*r*) velut à corpore, majore impetu superi maris, quod toto undarum onere illuc vehitur. Est autem ipsa terra tenuis ac fragilis; & cavernis quibusdam fistulisque ita penetrabilis, ut ventorum tota ferme flatibus pateat; nec non & ignibus generandis nutriendisque soli ipsius naturalis materia (*s*); quippe intrinsecus stratum sulphure & bitumine traditur; quæ res facit, ut spiritu cum igne inter interiora (*t*) luctante, frequenter & (*u*) compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Inde denique Ætnæ montis per tot secula durat incendium. Et ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. Proximum Italiæ promontorium Rhegium dicitur, ideo, quia Græce abrupta hoc nomine pronuntiantur. Nec mirum, si fabulosa est loci hujus antiquitas, in quem res tot coïere miræ. Primum quod nusquam alias tam torrens fretum nec solum citato impetu, verum etiam sæuo (*x*); neque experientibus modo terribile, verum etiam procul videntibus (*y*). Undarum porro in se (*z*) concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti terga dantes in imum desidere (*a*), alias quasi victrices in sublime ferri videas; nunc hic fremitum ferventis æstus, nunc illic gemitum in voraginem desidentis exaudias. Accedunt vicini & perpetui Ætnæ montis ignes & insularum Æolidum, veluti ipsis undis alatur incendium. Neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot seculis tantus ignis potuisset, nisi humoris (*b*) nutrimentis aleretur. (2.) Hinc igitur fabulæ Scyllam & Charybdin pepere: hinc latratus auditi (*c*); hinc monstri credita simulacra, dum navigantes magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti, latrare putant undas, quas sorbentis æstus vorago conlidit. Eadem causa etiam Ætnæ montis perpetuos ignes facit. Nam aquarum ille concursus raptum secum spiritum in imum fundum trahit, atque ibi suffocatum tamdiu tenet, donec per spiramenta (terræ diffusus, nutrimenta) ignis incendat. Jam ipsa Italiæ Siciliæque vicinitas, (jam) promontorium altitudo ipsa ita similis est, ut, quantum nunc admirationis, tantum antiquis terroris dederit; credentibus, coëuntibus in se promontoriis, ac rursum discedentibus, solida intercipi absumique navigia. Neque hoc ab antiquis in dulcedinem fabulæ compositum, sed metu & admiratione transeuntium. Ea est enim procul inspicientibus natura locis, ut sinum maris, non transitum putes; quo cum accesseris, discedere ac sejungi promontoria, quæ antea juncta fuerant, arbitrare.

Soli Siculi natura.

Rhegium unde sic dictum.

Ætnæ montis miraculum.

Similiter & Scyllæ & Charybdis.

CAP. II. Siciliæ primo (3.) Trinacriæ nomen fuit, postea Sicania denominata est. Hæc à principio patria Cyclopum fuit; quibus extinctis, Cocalus regnum insulæ occupavit, post quem singulæ civitates in tyrannorum imperium concesserunt, quorum nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilaus justitia cum ceterorum crudelitate certabat. Cujus moderationis haud mediocrem fructum tulit; Quippe decedens cum filios parvulos reliquisset, tutelamque eorum Micytho, spectatæ fidei servo, commisisset; tantus amor memoriæ ejus apud omnes fuit, ut parere servo, quam deserere regis filios mallent; principesque civitatis obliti dignitatis suæ, regni majestatem administrari per servum paterentur. Imperium Siciliæ etiam Carthaginenses tentavere, diuque varia victoria cum tyrannis dimicatum. Ad postremum, amisso Hamilcare imperatore cum exercitu, aliquantisper quievere victi.

Siciliæ nomina Incolæ veteres.

Tyranni Siciliæ.

Carthaginenses inhiant Siciliæ.

CAP. III. Medio tempore cum Rhegini discordia laborarent, civitasque per dissensionem divisa in duas partes esset; veterani ab altera parte ab Himera in auxilium vocati, pulsis civitate, contra quos implorati fuerant; & mox cæsis, quibus tulerant auxilium, urbem cum conjugibus & liberis sociorum occupavere; ausi facinus nulli tyranno comparandum: quippe, ut Rheginis melius fuerit vinci, quam vicisse. Nam sive victoribus captivitatis jure servissent, sive amissa patria exulare necesse habuissent; non tamen inter aras & patrios lares

Rhegini ab Himeranis oppressi.

(*q*) alii τὸ ipsi omittunt. (*r*) al. diremptamque. (*s*) al. vis. (*t*) al. inter interita. (*u*) al. ex. (*x*) al. nec solum citatum impetu, verum etiam vorax. (*y*) al. visentibus. (*z*) al. inter se. (*a*) al. pugna est, ut Virgilius scribit, in imum desidere. (*b*) al. nisi & humoris. (*c*) al. auditus.

(2.) Hinc igitur fabulæ Scyllam & Charybdin . . . . latratus auditi) Hunc locum egregie illustrat numus Sexti Pompeji Tab. LXVII. num. 2. Conf. BEGER. T. II. p. 574.

(3.) Trinacriæ nomen) Quod nomen numus Panormitarum Tab. LXVII. num. 3. per tria crura confirmat, quibus tria promontoria Siciliæ, Pachynum, Pelorum, & Lilybæum adumbrantur. Spicæ Siciliæ fertilitatem indicant. Conf. BEGER. Th. Br. T. I. p. 369.

res trucidati, crudelissimis tyrannis patriam cum conjugibus ac liberis prædam reliquissent.

Athenienses à Catiniensibus in auxilium vocati, Siciliæ imperium ambiunt.

Catinienses (*d*) quoque cum Syracusanos graves paterentur, diffisi viribus suis, auxilium ab Atheniensibus petivere; qui seu studio majoris imperii, quo Asiam Græciamque penitus occuparent, seu metu factæ pridem à Syracusanis classis, ne Lacedæmoniis illæ vires accederent; Lamponium ducem cum classe in Siciliam misere, ut sub specie ferendi Catiniensibus auxilii tentarent Siciliæ imperium.

Et initio prospere agunt.

Et quoniam prima initia, frequenter cæsis hostibus, prospera fuerant; majore denuo classe & robustiore exercitu, Lachete & Chariade (*e*) ducibus, Siciliam petivere: sed Catiniensis, sive metu Atheniensium, sive tædio belli, pacem cum Syracusanis, remissis Atheniensium auxiliis, fecerunt.

Athenienses à Catiniensibus denuo in auxilium vocantur.

CAP IV. Interjecto deinde tempore, cum fides pacis à Syracusanis non servaretur, denuo legatos Athenas mittunt qui sordida veste, capillo barbaque promissis, & omni squaloris habitu ad misericordiam commovendam acquisito, concionem deformes adeunt; adduntur precibus lacrymæ, & ita misericordem populum supplices movent, ut damnarentur duces, qui ab his auxilia deduxerant.

Quod sub Nicia, Alcibiade & Lamacho mittitur.

Igitur classis ingens decernitur; creantur duces Nicias & Alcibiades & Lamachus; tantisque viribus Sicilia repetitur, ut ipsis terrori essent, in quorum auxilia mittebantur. Brevi post tempore, revocato ad reatum Alcibiade, duo prælia pedestria secunda Nicias & Lamachus faciunt; munitionibus deinde circumdatis hostes etiam marinis commeatibus in urbe clausos intercludunt.

Syracusani à Lacedæmoniis auxilium petunt.

Quibus rebus fracti Syracusani auxilium à Lacedæmoniis petiverunt ab his mittitur Gylippus solus, sed in quo (*f*) instar omnium auxiliorum erat. Is audito in itinere belli (*g*) jam inclinato statu, auxiliis partim in Græcia (*h*), partim in Sicilia (*i*) contractis, opportuna belo loca occupat.

A quibus Athenienses terra vincuntur.

Duobus deinde præliis victus, congressus tertio, occiso Lamacho, & hostes in fugam compulit, & socios obsidione liberavit. Sed cum Athenienses à bello terrestri in navale se transtulissent, Gylippus classem Lacedæmone (*k*) cum auxiliis arcessit.

Demosthenes & Eurymedon in Siciliam mittuntur.

Quo cognito & ipsi Athenienses in locum amissi ducis Demosthenem & Eurymedonta cum supplemento copiarum mittunt: Peloponesii quoque communi civitatum decreto ingentia Syracusanis auxilia misere; & quasi Græciæ bellum in Siciliam translatum esset, ita ex utraque parte summis viribus dimicabatur.

Athenienses à Lacedæmoniis mari & terra franguntur. O. C. 3519. a. C. N. 481. U. C. 272. Ol. 74.

CAP. V. Prima igitur congressione navalis certaminis, Athenienses vincuntur. Castra quoque cum omni publica ac privata pecunia amittunt. Super hæc mala, cum etiam terrestri prælio victi essent, tunc Demosthenes censere (*l*) cœpit, *ut abirent Sicilia, dum res, quamvis afflictæ, nondum tamen perditæ forent: neque in bello male auspicato amplius perseverandum, esse domi graviora & forsitan infeliciora bella; in quæ servare hos urbis apparatus oporteat.* Nicias, seu pudore male actæ rei, seu metu destitutæ spei civium, seu impellente fato, manere contendit. Reparatur igitur navale bellum, & animi à prioris fortunæ procella ad spem certaminis revocantur: sed inscita ducum, qui inter angustias maris tuentes se Syracusanos agressi fuerant, facile vincuntur. Eurymedon (*m*) dux in prima acie fortissime dimicans, primus cadit; triginta naves, quibus præfuerat, incenduntur. Demosthenes & Nicias & ipsi victi exercitum in terram deponunt, tutiorem fugam rati itinere terrestri. Ab his relictas centum triginta naves Gylippus invasit; ipsos deinde insequitur fugientes partim capit, partim cædit.

Demosthene & Nicia indecoro fato sublatis.

Demosthenes, amisso exercitu, à captivitate, gladio & voluntaria morte se vindicat: Nicias autem ne Demosthenis quidem exemplo, ut sibi consuleret, admonitus, cladem suorum auxit dedecore captivitatis.

LIBER V.

CAPUT I.

Dum Athenienses in Sicilia bellum per biennium cupidius quam felicius gerunt, interim concitor & dux ejus Alcibiades absens Athenis insimulatur, mysteria Cereris initiorum sacra, nullo magis quam silentio solennia, enuntiavisse,

Alcibiades Siculi belli concitor.

Revocatusque à bello ad judicium, sive conscientiam sive indignitatem rei non ferens, tacitus in exilium Elidem profectus est. Inde ubi non damnatum se tantum, verum etiam diris per omnium sacerdotum religiones devotum cognovit, Lacedæmona se contulit;

In exilium conjectus.

ibique regem Lacedæmoniorum impellit, turbatis Atheniensibus adverso Siciliæ prælio ultro bellum inferre (*n*).

Lacedæmonios ad bellum Atheniensibus inferendum impellit.

Quo facto, omnia Græciæ regna velut ad extinguendum commune incendium, concurrunt (*o*). Tantum odii (*p*) Athenienses immoderati imperii crudelitate (*q*) contraxerant.

In hoc bello Darius, Rex Persarum ut socius, accedit Lacedæmoniis

Darius quoque rex Persarum, memor paterni avitique in hanc urbem odii, facta cum Lacedæmoniis per Tissafernem, præfectum Lydiæ, societate, omnem sumptum belli pollicetur. Et erat hic quidem titulus cum Græcis coëundi: re autem vera timebat, ne victis Atheniensibus, ad se Lacedæmonii arma transferrent. Quis igitur miretur, tam florentes Atheniensium opes ruisse, cum ad opprimendam unam urbem, totius Orientis vires concurrent? Non tamen inerti neque incruento cecidere bello; sed præliati ad ultimum, victores etiam interdum, consumpti magis fortunæ varietate, quam vi (*r*) victi sunt. Principio

(*d*) al. Catinenses. al. Cathenienses. (*e*) al. Cariade. (*f*) al. sed quo. (*g*) al. Is audito genere belli &c. (*h*) al. Græciam. (*i*) al. Siciliam. (*k*) al. à Lacedæmone. (*l*) al. consulere. (*m*) al. Eurylocus. (*n*) al. bellum inferre parant Lacedæmonii. (*o*) al. omnis Græcia.... concurrit. (*p*) al. Tantum odium. (*q*) al. cupiditate. (*r*) alii τὸ vi omittunt.

cipio belli omnes ab his etiam socii desciverant, ut fit: Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat.

Alcibiadis res gestæ adversus patriam.

CAP. II. Alcibiades quoque motum adversus patriam bellum, non gregarii militis opera, sed imperatoriis (*s*) virtutibus adjuvat. Quippe acceptis quinque navibus in Asiam contendit, & tributarias Atheniensium civitates auctoritate nominis sui ad defectionem compellit. Sciebant enim domi clarum, nec exilio videbant factum minorem; nec tam ablatum Atheniensibus ducem, quam Lacedæmoniis traditum: partaque cum amissis imperia pensabant (*t*). Sed apud Lacedæmonios virtus Alcibiadis plus invidiæ quam gratiæ contraxit.

Alcibiades Lacedæmoniis suspectus.

Itaque cum principes velut æmulum gloriæ suæ interficiendum insidiis mandassent, cognita re, Alcibiades per uxorem Agidis regis, quam adulterio cognoverat, ad Tissafernem præfectum Darii regis profugit; cui se celeriter officii comitate, & obsequendi gratia insinuavit. Erat enim & ætatis flore, & formæ veneratione, nec minus eloquentia, etiam inter Athenienses, insignis; sed in conciliandis amicitiarum studiis, quam in retinendis, vir melior, quia morum vitia sub umbra eloquentiæ primo latebant.

Negotium illis facessit apud Tissafernem.

Igitur persuadet Tissaferni, *ne tanta stipendia classi Lacedæmoniorum præberet. Vocandos enim in portionem muneris* (*u*) *Jonios, quorum pro libertate, cum tributa Atheniensibus penderent, bellum susceptum sit. Sed nec auxiliis nimis enixe Lacedæmonios juvandos: quippe memorem esse debere, alienam se victoriam, non suam instruere: & eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur. Nam regem Persarum, dissidentibus* (*x*) *Græcis, arbitrum pacis ac belli fore: & quos suis non possit, ipsorum armis victurum; perfecto autem bello, statim ei cum victoribus dimicandum. Domesticis itaque bellis Græciam atterendam* (*y*), *ne externis vacet; exæquandasque vires partium, & inferiores auxilio levandos. Non enim quieturos post hanc victoriam Spartanos, qui vindices se libertatis Græciæ professi sint.* Grata oratio Tissaferni fuit. Itaque commeatus maligne præbere; classem regiam non totam mittere; ne aut victoriam totam daret, aut necessitatem deponendi belli imponeret.

Alcibiades in patriam revocatur.

CAP. III. Interea Alcibiades hanc operam civibus venditabat, ad quem cum legati Atheniensium venissent, pollicetur his amicitiam regis, si Respublica à populo translata ad senatum foret; sperans, ut aut concordante civitate, dux belli ab omnibus legeretur, aut discordia inter ordines facta; ab altera parte in auxilium vocaretur. Sed Atheniensibus, imminente periculo belli, major salutis quam dignitatis cura fuit. Itaque permittente populo imperium ad senatum transfertur. Qui cum, insita genti superbia, crudeliter in plebem consuleret, singulis tyrannidis sibi impotentiam vindicantibus, ab exercitu Alcibiades exul revocatur, duxque classi constituitur.

Qui statum Reipublicæ mutat.

Statim igitur Athenas mittit (*z*), *ex continenti se cum exercitu venturum, recepturumque à quadringentis jura populi, ni ipsi redderent.* Hac denuntiatione optimates territi, primo urbem prodere Lacedæmoniis tentavere; dein, cum id nequissent, in exilium profecti sunt. Igitur Alcibiades, intestino malo patria liberata, summa cura classem instruit, atque ita in bellum adversus Lacedæmonios pergit.

Et classe instructa, adversus Lacedæmonios pergit.

Quos pugna navali vincit.

CAP. IV. Jam Sesto (*a*) Mindarus & Pharnabazus, Lacedæmoniorum duces instructis navibus expectabant. Prælio commisso, victoria penes Athenienses fuit. In eo bello major pars exercitus, & omnes ferme hostium duces cæsi; naves LXXX. captæ. Interjectis quoque diebus, cum bellum Lacedæmonii à mari in terram transtulissent, iterato vincuntur. His malis fracti, pacem petiere; quam ne acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res quæstum præstabat. Interea & Syracusanorum auxilia, illatum à Carthaginensibus Siciliæ bellum, domum revocavit: quibus rebus destitutis Lacedæmoniis, Alcibiades cum classe victrici Asiam vastat; multis locis prælia facit: ubique victor recipit civitates quæ defecerant; nonnullas capit, & imperio Atheniensium adjicit (*b*): atque ita prisca navali gloria vindicata, adjecta etiam laude terrestris belli, desideratus civibus suis Athenas revertitur. His omnibus præliis ducentæ naves hostium, & præda ingens capta.

Alcibiades Athenas reversus summa cum lætitia excipitur.

Ad hunc redeuntis exercitus triumphum, effusa omnis multitudo obviam procedit; & universos quidem milites, præcipue tamen Alcibiadem mirantur (*c*); in hunc oculos civitas universa, in hunc suspensa ora convertit; hunc quasi de cœlo missum, & ut ipsam Victoriam contuentur; laudant quæ pro patria, nec minus admirantur quæ exul contra gesserit, excusantes ipsi, iratum provocatumque fecisse. Enimvero tantum in uno viro fuisse momenti, ut maximi imperii subversi, & rursum recepti auctor esset: & unde stetisset, eo se victoria transferret; fieretque cum eo mira quædam fortunæ inclinatio. Igitur omnibus non humanis tantum, verum & divinis eum honoribus onerant; certant secum ipsi, utrum contumeliosius eum expulerint, an revocaverint honoratius. Ipsos illi deos gratulantes tulere obviam, quorum exsecrationibus erat devotus. Et cui paulo ante omnem humanam opem interdixerant, eum, si queant, in cœlo posuisse cupiunt. Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, exsecrationes precibus. Non Siciliæ illis adversa pugna in ore est, sed Græciæ victoria; non classes per illum amissæ, sed acquisitæ; nec Syracusarum, sed Joniæ, Hellespontique meminerunt. Sic Alcibiades nunquam mediocribus, nec in offensa, nec in favore, studiis suorum exceptus est.

Lacedæmonii Alcibiadem vincunt.

CAP. V. Dum hæc aguntur à Lacedæmoniis, Lysander classi belloque præficitur, & in locum Tissafernis, Darius, rex Persarum, filium suum Cyrum Joniæ Lydiæque præposuit; qui Lacedæmonios auxiliis opibusque ad spem fortunæ prioris erexit. Aucti igitur viribus, Alcibiadem cum centum navibus in Asiam profectum, dum agros longa pace divites securius populatur, & prædæ dulcedine sine insidiarum metu

(*s*) al. Imperatoris. (*t*) al. pensantem. (*u*) al. *oneris.* (*x*) al. *dissentientibus.* (*y*) al. *obterendam.* (*z*) al. scribit. (*a*) alii τὸ Sesto omittunt. al. Zestromindarus. (*b*) al. addicit. (*c*) al. miratur.

metu sparsos milites habet, repentino adventu oppressere: tantaque cædes palantium fuit, ut plus vulneris eo prælio Athenienses acciperent, quam superioribus dederant: & tanta desperatio apud Athenienses erat, ut ex continenti Alcibiadem ducem Conone mutarent; arbitrantes victos se non fortuna belli; sed fraude imperatoris; apud quem plus prior offensa valuisset, quam recentia beneficia. Vicisse autem eum priore bello ideo tantum, ut ostenderet hostibus, quem ducem sprevissent, & ut carius eis ipsam victoriam venderet. Omnia enim credibilia in Alcibiade, vigor ingenii, & morum luxuria faciebat. Veritus itaque multitudinis impetum, denuo in voluntarium exilium proficiscitur.

Cui Cononem substituunt.

CAP. VI. Itaque Conon Alcibiadi suffectus, habens ante oculos cui duci successisset, classem maxima industria exornat (*d*); sed navibus exercitus deerat, fortissimis quibusque in Asiæ populatione amissis. Armantur tamen senes, aut impuberes pueri & numerus militum sine exercitus robore expletur. Sed non magnam bello moram ætas fecit imbellis; cæduntur passim, aut fugientes capiuntur; tantaque strages, aut occisorum, aut captivorum fuit, ut Atheniensium deletum non imperium tantum, verum etiam nomen videretur. Quo prælio perditis & desperatis rebus, ad tantam inopiam rediguntur, ut consumpta militari ætate, peregrinis civitatem, servis libertatem, damnatis impunitatem darent. Et qua (*e*) colluvione hominum conscripto exercitu, domini antea Græciæ, vix libertatem tuebantur. Iterum tamen fortunam maris experiendam decernunt. Tanta virtus animorum erat, ut, cum paulo ante salutem desperaverint, nunc non desperent victoriam. Sed neque is miles erat, qui nomen Atheniensium tueretur; neque eæ vires, quibus vincere consueverant; neque ea scientiæ militaris in his, quos vincula, non castra continuerant. Itaque omnes aut capti, aut occisi. Cum dux Conon eo prælio superfuisset solus, crudelitatem civium metuens, cum octo navibus ad regem Cyprium concedit Evagoram.

Qui rem infeliciter gerit.

Et navali prælio superatus ad Evagoram concedit.

CAP. VII. At dux Lacedæmoniorum rebus feliciter gestis, fortunæ hostium insultat; captivas naves cum præda bellica, in triumphi modum ornatas; mittit Lacedæmona; ac tributarias Atheniensium civitates, quas metus dubiæ belli fortunæ in fide tenuerat, voluntarias recepit, nec aliud ditionis Atheniensium præter urbem ipsam reliquit. Quæ cuncta cum Athenis nuntiata essent, omnes relictis domibus, per urbem discurrere pavidi; alius alium sciscitari; auctorem nuntii requirere; non pueros imprudentia, non senes debilitas, non mulieres sexus imbecillitas, domi tenet; adeo ad omnem ætatem tanti mali sensus penetraverat. In foro deinde coëunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam questibus iterant. Alii fratres, aut filios, aut parentes deflent, cognatos alii, alii amicos cognatis cariores, & cum privatis casibus querelam publicam miscent: *Jam se ipsos, jam ipsam patriam perituram, miseriorumque incolumium, quam amissorum fortunam judicantes* (*f*); *sibi quisque ante oculos obsidionem, famem, & superbum victoremque hostem proponentes; jam ruinam urbis & incendia, jam omnium captivitatem & miserrimam servitutem recordantes; feliciores prorsus priores urbis ruinas ducentes*, (*g*) *quæ incolumibus filiis parentibusque, tectorum tantum ruina taxata sint. Nunc autem non classem in quam, sicuti pridem, confugiant, superesse; non exercitum, cujus virtute servati pulchriora possent mœnia extruere.*

Lacedæmonii victores insultant Atheniensibus.

Qui tot cladibus fracti vigorem animi amittunt.

CAP. VIII. Sic defletæ ac prope perditæ urbi hostes superveniunt, & obsidione circumdata obsessos fame urgent (*h*). Sciebant enim, neque ex advectis copiis (*i*) multum superesse, & ne novæ (*k*) advehi possent providerant; quibus malis (*l*) Athenienses fracti, post longam famem, & assidua suorum funera, pacem petivere: quæ an dari deberet, diu inter Spartanos sociosque deliberatum. Cum multi delendum Atheniensium nomen, urbemque incendio consumendam censerent; negarunt se Spartam ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos; pacem polliciti, si demissa Pyræeum (*m*) versus muri brachia dejicerent, navesque, quæ reliquæ forent, traderent; resque publica ex semet ipsis XXX. rectores acciperet. In has leges, traditam sibi urbem, Lacedæmonii formandam Lysandro tradiderunt. Insignis hic annus & expugnatione Athenarum, & morte Darii regis Persarum, & exilio Dionysi Siciliæ tyranni fuit. Mutato statu Athenarum, etiam civium conditio mutatur. Triginta rectores Reipublicæ constituuntur, qui fiunt tyranni: quippe à principio tria millia sibi satellitum statuunt, quantum ex tot cladibus prope nec civium superfuerat; & quasi parvus hic ad continendam civitatem exercitus esset, septingentos milites à victoribus accipiunt. Cædes deinde civium ab Alcibiade auspicantur, ne iterum Rempublicam sub obtentu liberationis invaderet. Quem cum profectum ad Artaxerxem Persarum regem comperissent, citato itinere miserunt, qui eum interciperent: à quibus occupatus, cum occidi aperte non posset, vivus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus est.

Lacedæmonii victores urbe Athenarum deditione potiuntur. O. C. 3595. a. C. N. 405. U. C. 348. Ol. 93.

Lysander statum Reipublicæ mutat Inde triginta tyranni.

Et cædes Alcibiadis.

CAP. IX. Liberati hoc ultoris metu (*n*) tyranni, miseras urbis reliquias cædibus & rapinis exhauriunt. Quod cum displicere uni ex numero suo Therameni didicissent, ipsum quoque ad terrorem omnium (*o*) interficiunt. Fit igitur ex urbe passim omnium fuga; repleturque Græcia Atheniensium exulibus; quod etiam ipsum auxilium cum miseris eriperetur (nam Lacedæmoniorum edicto, civitates exules recipere prohibebantur,) omnes se Argos & Thebas contulere; ibi non solum tutum exilium egerunt, verum etiam spem recuperandæ patriæ receperunt. Erat inter exules Thrasybulus, vir strenuus, & domi nobilis; qui audendum

Theramenes trucidatur.

Thrasybulus Rempublicam collapsam restituit.

(*d*) al. adornat. (*e*) al. Eaque. (*f*) al. *judicant.* (*g*) al. *dicentes.* (*h*) al. obsidione circumdatos & obsessos fame urgent. (*i*) alii τὸ copiis omittunt. (*k*) al. nova. (*l*) al. quibus malis rebus. (*m*) al. Pyræum. (*n*) al. ultoris hujus metu. (*o*) al. ipsum quoque ad documentum ceterorum, & terrorem omnium.

dendum aliquid pro patria & pro salute communi, etiam cum periculo, ratus; adunatis exulibus, castellum Phylen Atticorum finium occupat: nec deerat quarundam civitatium tam crudeles (*p*) casus miserantium favor. Itaque Ismenias, Thebanorum princeps etsi publicis non poterat, privatis tamen viribus adjuvabat: & Lysias Syracusanus orator, exul tunc (*q*) quingentos milites stipendio suo instructos, in auxilium patriæ communis eloquentiæ misit. Fit itaque asperum prælium: sed cum hinc pro patria summis viribus, inde pro aliena dominatione securius (*r*) pugnaretur, tyranni vincuntur; victi in urbem refugiunt (*s*), quam exhaustam cædibus suis etiam armis spoliant. Deinde cum omnes Athenienses proditionis suspectos haberent, demigrare eos ex orbe jubent, & in brachiis muri, quæ diruta fuerant, habitare extraneis militibus imperium tuentes. Post hæc Thrasybulum corrumpere, imperii societatem pollicentes, conantur; quod cum non contigisset auxilia à Lacedæmoniis petivere; quibus accitis (*t*), iterato præliantur. In eo bello Critias & Hippolochus, omnium tyrannorum sævissimi, cadunt.

Tyrannos vincit.

CAP. X. Ceteris victis, cum exercitus eorum, ex quibus major pars Atheniensium erat, fugeret, magna voce Thrasybulus exclamat: *Cur se victorem fugiant potius, quam ut vindicem communis libertatis adjuvent? Civium illam meminerint aciem, non hostium esse; nec si ideo arma cepisse, ut aliqua victis adimat, sed ut adempta restituat: XXX. se dominis, non civitati bellum inferre.* Admonet (*u*) deinde cognationis, legum, sacrorum communium, tum vetusti per tot bella commilitii; orat, *misereantur exulum civium, si tam patienter ipsi serviant; reddant sibi patriam, accipiant libertatem.* His vocibus tantum promotum est, ut reversus in urbem exercitus, XXX. tyrannos emigrare Eleusina juberet, substitutis decem, qui Rempublicam regerent (*x*); qui, nihil exemplo prioris dominationis territi, eandem viam crudelitatis aggressi sunt. Cum hæc aguntur, nuntiatur Lacedæmone, bellum Athenis (*y*) exarsisse; ad quod comprimendum Pausanias rex mittitur; qui misericordia exulis populi permotus, patriam miseris civibus restituit, & decem tyrannos ex urbe Eleusina migrare ad ceteros jubet. Quibus rebus cum pax statuta esset, interjectis diebus, repente tyranni non minus restitutos exules, quam se in exilium actos indignantes, quasi vero aliorum libertas sua servitus esset, bellum Atheniensibus inferunt: sed ad colloquium, veluti dominationem recepturi, progressi, per insidias comprensi, ut pacis victimæ trucidantur: populus, quem emigrare jusserant, in urbem revocatur. Atque ita per multa membra civitas dissipata, in unum tantum corpus redigitur; &, ne qua dissensio ex ante actis nasceretur, omnes jurejurando obstringuntur, discordiarum oblivionem fore. Interea Thebani Corinthiique legatos ad Lacedomonios mittunt, qui ex manubiis portionem prædæ communis belli periculique peterent. Quibus negatis, non quidem aperte bellum adversus Lacedæmonios decernunt; sed tacitis animis tantam iram concipiunt, ut subesse bellum intelligi posset.

Fugientes populares placide revocat.

Tyrannos urbe pellit. O. C. 3599. a. C. N. 401. U. C. 352. Ol. 94.

Eosque bellum reparantes trucidat.

Amnestiam sancit inter cives.

CAP. XI. Eodem fere tempore Darius, rex Persarum, moritur, Artaxerxe & Cyro filiis relictis. Regnum Artaxerxi, Cyro civitates quarum præfectus erat, testamento legavit. Sed Cyro judicium patris injuria videbatur. Itaque occulte adversus fratrem bellum parabat. Quod cum nuntiatum Artaxerxi esset, arcersitum ad se fratrem, & innocentiam dissimulatione belli simulantem, compedibus aureis vinxit, interfecissetque, ni mater prohibuisset. Dimissus igitur Cyrus, jam non occulte bellum, sed palam; nec per dissimulationem, sed aperta professione parare cœpit; auxilia undique contrahit. Lacedæmonii memores, Atheniensi bello enixe se ejus opera adjutos, velut ignorantes contra quem bellum pararetur, decernunt auxilia Cyro mittenda, ubi res ejus exegisset: quærentes apud Cyrum gratiam; & apud Artaxerxem, si vicisset, veniæ patrocinia, cum nihil adversus eum aperte decrevissent. Sed cum in bello fors prælii utrumque fratrem pugnæ obtulisset, prior Artaxerxes à fratre vulneratur; quem cum equi fuga periculo subtraxisset, Cyrus à cohorte regia oppressus, interficitur. Sic victor Artaxerxes, & præda fraterni belli, & exercitu potitur. In eo prælio decem millia Græcorum in (*z*) auxilio Cyri fuere. Quæ & in cornu, in quo steterant, vicerunt; & post mortem Cyri, neque armis à tanto exercitu vinci, neque dolo capi potuerunt; revertentesque inter tot indomitas nationes, & barbaras gentes, per tanta itineris spatia, virtute se usque terminos patriæ defenderunt.

Darii Regis Persarum mors

Bellum occultum.

Deinde apertum interfilios ejus,

In quo Cyro occiso, Artaxerxes regno potitur. O. C. 3595. a. C. N. 405. U. C. 348. Ol. 93.

LIBER VI.

CAPUT I.

Lacedæmonii Asiæ imperium affectantes bellum movent. O. C. 3600. a. C. N. 400. U. C. 353. Ol. 95.

LAcedæmonii, more ingenii humani, quo plura habent, eo ampliora cupientes, non contenti, accessione Atheniensium opum vires sibi duplicatas, totius Asiæ imperium affectare cœperunt; sed major pars sub regno Persarum erat. Itaque Hercyllides dux in hanc militiam electus, cum videret sibi adversus duos præfectos Artaxerxis regis, Pharnabazum & Tissafernem, maximarum gentium viribus succinctos, dimicandum, pacificari cum altero statuit. Aptior visus Tissafernes, vir & industria potior, &

(*p*) al. crudelis. (*q*) al. exultans. (*r*) al. incurius. (*s*) al. refugerunt. (*t*) al. acceptis. (*u*) al. admonens. (*x*) al. qui rem gererent. (*y*) al. Athenienses. (*z*) alii τὸ in omittunt.

or, & militibus Cyri quondam regis instructior, in colloquium vocatur, & statutis conditionibus, ab armis dimittitur. Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur: *Ut Lacedæmonios Asiam ingressos non repulerit armis, sed impensis regis aluerit (a); merceturque ab his, ut quæ differant bella, quæ gerant, tanquam non ad unius summam imperii, detrimentum omne perveniat. Indignum*, ait, *bella non perfici, sed redimi; hostem pretio non armis summoveri.* His vocibus regem Tissaferne alienatum (*b*) hortatur, ut in locum ejus navalis belli ducem eligat Conona Atheniensem: qui amissa bello patria Cypri exulabat: *quippe Atheniensibus, etsi fractæ sint opes (c), manere tamen navalem usum, nec, si eligendus sit ex universis, meliorem alium esse.* Acceptis igitur quingentis talentis, jussus est Conona classi præficere.

Rex Persarum Atheniensibus per Cononem auxilium concedit.

CAPUT II. His cognitis, Lacedæmonii & ipsi à rege Ægypti Hercynione auxilia navalis belli per legatos petunt; à quo centum triremes, & sexcenta millia modiorum frumenti missa; à ceteris quoque sociis ingentia auxilia contracta sunt. Sed tanto exercitui, & contra tantum ducem, deerat dignus imperator. Itaque postulantibus sociis Agesilaum ducem (*d*), regem tunc Lacedæmoniorum, propter responsum oraculi Delphici diu Lacedæmonii, an eum summæ rei proponerent, deliberaverunt; quibus futurus imperii finis denuntiabatur, cum regium (*e*) claudicasset imperium; erat enim pede claudus. Ad postremum statuerunt, melius esse incessu regem, quam imperio regnum claudicare. Posteaquam Agesilaum cum ingentibus copiis in Asiam misere, non facile dixerim, quod aliud par ducum tam bene comparatum fuerit: quippe ætas, virtus, consilium, sapientia utrique prope una, gloria quoque rerum gestarum eadem: quibus cum paria omnia fortuna dederit; invictum tamen ab altero utrumque servavit. Magnus igitur amborum apparatus belli, magnæ res gestæ fuerunt. Sed Cononem seditio militum invadit, quos præfecti regis fraudare stipendio soliti erant, eo instantius debita poscentibus, quo graviorem sub magno duce militiam præsumebant. Itaque Conon, diu rege per epistolas frustra fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit; à cujus aspectu & colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum adorare nollet; agit tamen cum eo per internuntios, & queritur, *Opulentissimi regis bella inopia dilabi (f), & qui exercitum parem hostibus habeat, pecunia vinci, qua præstet; inferioremque eum ea parte virium inveniri, qua longe superior sit.* Postulat dari sibi ministrum impensæ, quia pluribus id mandare perniciosum sit. Dato stipendio, ad classem remittitur: nec moram agendis rebus facit; multa fortiter, multa feliciter agit; agros hostiles vastat; urbes expugnat, & quasi tempestas quædam, cuncta prosternit. Quibus rebus territi Lacedæmonii, ad patriæ subsidium revocandum ab Asia Agesilaum decernunt.

Lacedæmonii à Rege Ægypti auxilium accipiunt.

Exercitui Agesilaum ducem præficiunt. O.C. 3604. a. C. N. 396. U. C. 357. Ol. 96.

Cononis prudenter & fortiter gesta.

CAP. III. Interim Pisandrus (*g*) ab Agesilao proficiscente dux patriæ relictus, ingentem classem summis viribus instruit, fortunam belli tentaturus. Nec non & Conon, tunc primum cum hostium exercitu concursurus, magna (*h*) cura ordinat suos. Summa igitur non tam ducum in eo prælio, quam militum (*i*) æmulatio fuit. Nam & ipse dux Conon non tam Persis, quam patriæ studebat; & sicut afflictis Atheniensium rebus, auctor amissæ dominationis fuerat; sic volebat idem haberi redditæ patriamque vincendo recipere, quam victus amiserat: eo speciosius, quod ne ipsorum quidem Atheniensium, sed alieni imperii viribus dimicet, pugnaturus periculo regis, victurus præmio patriæ; gloriamque diversis artibus, quam priores civitatis suæ duces consecuturus; quippe illos, vincendo Persas, patriam defendisse: se, Persas victores faciendo, restituturum patriam esse. Porro Pisandrus pro conjunctione Agesilai etiam virtutum æmulator erat, contendebatque, ne à rebus gestis ejus & gloriæ splendore decederet: neve tot bellis ac seculis quæsitum imperium brevis momenti culpa subverteret. Eadem militum & omnium regum cura erat, quos major solicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quæsitas opes amitterent, quam ne pristinas Athenienses reciperent. Sed quanto majus prælium fuit, tanto & clarior victoria Cononis. Victi Lacedæmonii fugam capessunt; præsidia hostium Athenis deducuntur; populo restituta dignitate conditio servilis eripitur; multæ quoque civitates recipiuntur.

Pisandri & Cononis pugna.

In qua Lacedæmonii victi. O.C. 3606. a. C.N. 394. U. C. 359. Ol. 96.

CAP. IV. Hoc initium Atheniensibus resumendæ potentiæ, & Lacedæmoniis habendæ finis fuit. Namque velut cum imperio etiam virtutem perdidissent, contemni à finitimis cœpere. Primi igitur Thebani, auxiliantibus Atheniensibus, bellum his intulere: quæ civitas ex infimis (*k*) incrementis, virtute Epaminondæ ducis, ad spem imperii Græciæ erecta est. Fit itaque terrestre prælium, eadem Lacedæmoniorum fortuna, qua pugnatum adversus Conona navali prælio fuerat. In eo bello (*l*) Lysander, quo duce Athenienses victi à Lacedæmoniis fuerant, interficitur. Pausanias quoque, alter dux Lacedæmoniorum, proditionis accusatus, in exilium abiit. Igitur Thebani potiti victoriam (*m*), universum exercitum ad urbem Lacedæmoniorum ducunt, facilem expugnationem rati, quoniam deserti à sociis omnibus erant; quod metuentes Lacedæmonii, regem suum Agesilaum ex Asia, qui ibi (*n*) magnas res gerebat, ad defensionem patriæ arcessunt. Occiso enim Lysandro nullius alterius fiduciam ducis habebant. Cujus quoniam serus adventus erat, conscripto exercitu, obviam hosti procedunt. Sed victis, adversus

Thebani auxilio veniunt Atheniensibus.

Et Lacedæmonios vincunt.

Kkkk 2 paulo

(*a*) al. *adjuverit.* (*b*) al. Tissaferni alienatum. (*c*) al. *etsi fractæ sint res & opes.* (*d*) alii τὸ ducem omittunt. (*e*) al. cum rege. al. cum in rege. (*f*) al. *delabi.* (*g*) al. Lysander. (*h*) al. ex magna. (*i*) al. non ducum tantum in eo prælio, quam militum. (*k*) al. ex infinitis. al. ex finitimis. (*l*) alii τὸ bello omittunt. (*m*) al. potiti victoria. (*n*) al. ubi.

paulo ante victores, nec animus, neque vires pares fuere. Prima igitur congressione funduntur. Deletis jam suorum copiis supervenit rex Agesilaus, qui restituto prælio, non difficulter, recenti & multis expeditionibus indurato milite, hostibus victoriam eripuit; ipse tamen graviter sauciatur.

Agesilaus inclinantem fortunam Lacedæmoniorum sustentat.

CAP. V. Quibus rebus cognitis, Athenienses verentes, ne, iterum Lacedæmoniis victoribus, in pristinam sortem servitutis redigerentur, exercitum contrahunt, eumque in auxilium Bœotiorum per Iphicratem, viginti quidem annos natum, sed magnæ indolis juvenem, duci jubent. Hujus adolescentis supra ætatem virtus admirabilis fuit; nec unquam ante eum Athenienses, inter tot tantosque duces, aut spei majoris, aut indolis maturioris, imperatorem habuerunt; in quo non imperatoriæ tantum, verum & oratoriæ artes fuere. (*o*) Conon quoque, audito reditu Agesilai, & ipse ex Asia ad depopulandos Lacedæmoniorum agros revertitur; atque ita, undique belli formidine circumstrepente, clausi Spartani ad summam desperationem rediguntur. Sed Conon vastatis hostium terris, Athenas pergit; ubi magno civium gaudio exceptus, plus tamen tristitiæ ipse ex incensa & diruta à Lacedæmoniis patria, quam lætitiæ ex recuperata post tantum temporis, cepit. Itaque, quæ incensa fuerant, prædarum sumptu exercitu Persarum restituit; quæ diruta, reficit. Fatum illud Athenarum fuit, ante à Persis crematæ, manibus (*p*) eorum; & nunc à Lacedæmoniis dirutæ, ex spoliis Lacedæmoniorum restituerentur; versa quoque vice, nunc haberent socios, quos tunc hostes habuerant; & hostes nunc paterentur, cum quibus juncti tunc arctissimis societatis vinculis fuerant.

Athenienses Iphicratem & Cononem. Lacedæmoniis opponunt.

Conon Athenas venit.

Illasque spoliis Lacedæmoniorum instaurat. O. C. 3607. a. C. N. 393. U. C. 360. Ol. 96.

CAP. VI. Dum hæc geruntur, Artaxerxes rex Persarum, legatos in Græciam mittit, per quos jubet *omnes ab armis discedere; qui aliter fecisset, eum se pro hoste habiturum:* civitatibus libertatem suaque omnia restituit. Quod non Græciæ laboribus, assiduisque bellorum internecivis odiis consulens fecit; sed ne occupato sibi Ægyptio bello, quod propter auxilia, adversus præfectos suos Lacedæmoniis missa, susceperat, exercitus sui in Græcia detinerentur. (*q*) Fessi igitur tot bellis Græci, cupide paruere. Hic annus, non eo tantum insignis fuit, quod repente pax tota Græcia facta est; sed etiam eo, quod eodem tempore urbs Romana à Gallis capta est. Sed Lacedæmonii securis (*r*) insidiantes, absentiam Arcadum speculati, castellum eorum expugnant, occupatoque præsidium imponunt. Itaque armato instructoque exercitu Arcades, adhibitis in auxilium Thebanis, amissa bello (*s*) repetunt. In eo prælio Archidamus, dux Lacedæmoniorum vulneratur; qui, cum cædi suos jam (*t*) victos videret, per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. Hoc est enim signum apud Græcos victoriæ traditæ. Qua confessione contenti Thebani, signum parcendi dedere.

Græciæ pax à Rege Persarum indicta.

Quam Lacedæmonii magno suo damno turbant. O. C. 3607. a. C. N. 392. U. C. 361. Ol. 97.

CAP. VII. Paucis deinde post diebus, neutris quicquam hostile facientibus, cum quasi tacito consensu induciæ essent, Lacedæmoniis alia bella adversus finitimos gerentibus, Thebani Epaminonda duce, occupandæ urbis eorum spem ceperunt. Igitur principio noctis, taciti Lacedæmona proficiscuntur, non tamen aggredi incautos potuerunt. Quippe senes, & cetera imbellis ætas, cum adventum hostium præsensissent, in ipsis portarum angustiis armati occurrunt; & adversus quindecim millia militum, non amplius centum jam effœtæ ætatis viri, pugnæ se offerunt. Tantum animorum viriumque, patriæ & penatium conspectus subministrat; tantoque præsentia, quam recordatione sui: majores spiritus largiuntur. Nam, ut videre, inter quæ, & pro quibus starent, aut vincendum sibi, aut moriendum censuerunt. Pauci igitur sustinuere senes aciem, cui par ante diem universa juventus esse non potuit. In eo prælio duo duces hostium cecidere. Cum interim, Agesilai adventu nuntiato, Thebani recessere; nec bellum diu dilatum: siquidem Spartanorum juventus, senum virtute & gloria incensa, teneri non potuit, quin ex continenti acie decerneret. Cum victoria Thebanorum esset, Epaminondas, dum non ducis tantum, verum etiam fortissimi militis officio fungitur, graviter vulneratur. Quo audito, his ex dolore metus, illis (*u*) ex gaudio stupor injicitur; atque ita veluti ex placito (*x*) consensu à prælio disceditur.

Thebani Lacedæmonios lacessunt.

Sed à senibus repelluntur.

Dubia pugna.

CAP. VIII. Post paucos deinde dies Epaminondas decedit; cum quo vires quoque reipublicæ ceciderunt. Nam sicuti telo si primam aciem præfregeris, (*y*) reliquo ferro (*z*) vim nocendi sustuleris; sic illo, velut mucrone teli, ablato duce Thebanorum, rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt: ut non tam illam amisisse, quam cum illo interiisse omnes viderentur. Nam neque hunc ante ducem ullum memorabile bellum gessere, nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere; ut manifestum sit, patriæ gloriam & natam & extinctam cum eo fuisse. Fuit autem incertum, vir melior, an dux esset. Nam & imperium non sibi, sed patriæ semper (*a*) quæsivit; & pecuniæ adeo parcus fuit, ut sumptus funeri defuerit. Gloriæ quoque uon cupidior, quam pecuniæ; quippe recusanti omnia imperia ingesta sunt; honoresque ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi (*b*) dignitati videretur. Jam literarum studium, jam philosophiæ doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiæ scientia homini inter literas nato. Neque ab hoc vitæ proposito moris ratio dissensit. Nam ut relatus in castra semianimis, vocem spiritumque collegit, id unum à circumstantibus requisivit: *Num cadenti sibi scutum ademisset hostis?* Quod ut servatum audivit, allatum (*c*) velut laborum gloriæque

Epaminondæ, fortissimi Thebanorum ducis, interitus & elogium. O.C. 3637. a. C. N. 363. U. C. 390. Ol. 104.

(*o*) al. artes magnæ fuere. (*p*) al. manubiis. (*q*) al. distinerentur. (*r*) al. securi. (*s*) al. amisso bello. (*t*) al. &. (*u*) al & illis. (*x*) al. tacito. (*y*) al. perfregeris. (*z*) al. ferrum. (*a*) al. non sibi semper, sed patriæ. (*b*) al. ipsis dignitatem. (*c*) al. allatumque.

riæque socium osculatus est. Iterum quæsivit; *utri vicissent?* Ut audivit Thebanos, *Bene habere se rem*, dixit: atque ita velut gratulabundus patriæ, exspiravit.

Totius Græciæ labes post Epaminondæ excessum.

CAP. IX. Hujus morte etiam Atheniensium virtus intercidit. Siquidem amisso cui æmulari consueverant, in segnitiam torporemque resoluti, non ut olim in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum, reditus publicos effundunt: & cum actoribus nobilissimis poëtisque theatra celebrant, frequentius scenam quam castra visentes; versificatoresque meliores, quam duces laudantes. Tunc vectigal publicum, quo milites (*d*) & remiges alebantur, cum urbano populo dividi cœptum. (*e*) Quibus rebus effectum est, ut inter otia Græcorum, sordidum & obscurum antea Macedonum nomen emergeret: & Philippus obses triennio Thebis habitus, Epaminondæ & Pelopidæ virtutibus eruditus, regnum Macedoniæ, Græciæ & Asiæ cervicibus, velut jugum servitutis, imponeret.

LIBER VII.

CAPUT I.

Macedoniæ vetus nomen.

MAcedonia ante à nomine (*f*) Emathionis regis, cujus prima virtutis experimenta in illis locis extant, Emathia cognominata est. Hujus sicuti incrementa modica, ita termini perangusti fuere. Populus Pelasgi, regio Pœonia (*g*) dicebatur. Sed postea virtute regum, & gentis industria, subactis primo finitimis, mox populis nationibusque, imperium usque extremos Orientis terminos prolatum. In regione Pæonia, quæ nunc portio est Macedoniæ, regnasse fertur Pelegonus (*h*) pater Asteropœi, cujus Trojano bello inter clarissimos vindices urbis, nomen accepimus. Ex alio latere in Europa regnum Europus nomine tenuit. Sed & Caranus cum magna multitudine Græcorum, sedes in Macedonia responso oraculi jussus quærere, cum in Emathiam venisset, urbem Edessam, non sentientibus oppidanis, propter imbrium & nebulæ magnitudinem, gregem caprarum, imbrem fugientium, secutus, occupavit; revocatusque in memoriam oraculi, quo jussus erat, *ducibus capris imperium quærere*, regni sedem statuit; religioseque postea observavit, quocumque agmen moveret, ante signa easdem capras habere, cœptorum duces habiturus, quas regni habuerat auctores. Urbem Edessam ob memoriam muneris, Ægeas, populum Ægeadas (*i*) vocavit. Pulso deinde (*k*) Mida (nam is quoque portionem Macedoniæ tenuit,) aliisque regibus pulsis, in locum omnium solus successit, primusque adunatis gentibus variorum populorum, veluti unum corpus Macedoniæ fecit, crescentique regno, valida incrementorum fundamenta constituit.

Populus.

Primi Reges.

Pelegonus.

Europus.

Caranus, primus Macedoniæ Rex. O. C. 3193. a. C. N. 807. U. C. 145.

Mida pulso.

Perdicca Rex Macedoniæ. O. C. 3271. a. C. N. 729. U. C. 24. Ol. 12.

CAP. II. Post hunc Perdicca regnavit, cujus & vita illustris, & mortis postrema, veluti ex oraculo præcepta, memorabilia fuere: siquidem senes moriens, Argæo filio monstravit locum, quo condi vellet, ibique non sua tantum sed & succedentium sibi regum ossa poni jussit; præfatus, quoad ibi conditæ posterorum reliquiæ forent, regnum in familia mansurum (*l*): creduntque hac superstitione (*m*) extinctam in Alexandro stirpem (*n*), qui locum sepulturæ mutaverit. Argæus moderate, & cum amore popularium administrato regno, successorem filium Philippum reliquit; qui immatura morte raptus, Æropum parvulum admodum instituit heredem. Sed Macedonibus assidua certamina cum Thracibus & Illyriis fuere, quorum armis veluti quotidiano exercitio indurati, gloria bellicæ laudis finitimos terrebant. Igitur Illyrii, infantiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediuntur: qui prælio pulsi, rege suo in cunis prolato, & pone aciem posito, acrius certamen repetivere: tanquam ideo victi fuissent antea, quod bellantibus sibi regis sui auspicia defuissent; futuri vel propterea victores, quod ex superstitione animum vincendi ceperant: simul & miseratio eos infantis tenebat, quem, si victi forent, captivum de rege facturi videbantur. Conserto itaque prælio, magna cæde Illyrios fudere; ostenderuntque hostibus suis, priore bello regem Macedonibus, non virtutem defuisse. Huic Amyntas succedit, & propria virtute, & Alexandri filii egregia indole insigniter clarus: cui Alexandro tanto omnium virtutum natura ornamenta extitere, ut etiam Olympio certamine, vario ludicrorum genere, contenderit

Cui succedit Argæus filius. O. C. 3322. a. C. N. 678. U. C. 76. Ol. 25.

Huic Æropus. O. C. 3398. a. C. N. 602. U. C. 151. Ol. 44.

Æropi nobile fatum.

Amyntas Rex Macedoniæ. O. C. 3453. a. C. N. 547. U. C. 206. Ol. 58.

CAP III. Cum Interim Darius rex Persarum turpi Scythia fuga summotus, ne ubique deformis militiæ damnis haberetur, mittit cum parte copiarum Megabyzum ad subigendam Thraciam, ceteraque ejus tractus regna, quibus pro ignobili momento erat accessura Macedonia. Qui brevi tempore exsecuto regis imperio, legatis ad Amyntam regem Macedoniæ missis, obsides in pignus futuræ pacis dari sibi postulabat. Sed legati benigne excepti inter epulas ebrietate crescente, rogant Amyntam, *ut apparatui epularum adjiciat jus familiaritatis, adhibitis in convivium suis ac filii uxoribus: id apud Persas haberi pignus ac fœdus hospitii.* Quæ ut venerunt, petulantius Persis eas contrectantibus, filius Amyntæ Alexander rogat patrem, respectu ætatis ac gravitatis suæ, abiret convivio, pollicitus, se hospitium temperaturum jocos. Quo digresso, mulieres quoque paululum è convivio evocat, cultius exornaturus, gratioresque reducturus. (*o*) In quarum locum matronali habitu exornatos juvenes supponit; eosque petulantiam legatorum ferro,

Legati Persarum apud Macedonios petulantiæ suæ pœnas dant.

(*d*) al. quo antea milites. (*e*) al. dividi cœptum est. (*f*) al. antea nomine. (*g*) al. Bœotia. (*h*) al. Pelegon. (*i*) al. Ægeatas. (*k*) al. pulsis deinde. (*l*) al. regnum familiæ mansurum. (*m*) al. ob hanc superstitionem. (*n*) al. in Alexandri stirpe. (*o*) al. cultius exornatas gratioresque redituras.

ferro, quod ſub veſte gerebant, compeſcere jubet. Atque ita interfectis omnibus, ignarus rei Megabyzus, cum legati non redirent, mittit eo cum exercitus parte Bubarem, ut in bellum facile & mediocre; dedignatus ipſe ire, ne dehoneſtaretur prælio tam fœdæ gentis(*p*). Sed Bubares ante bellum amore filiæ Amyntæ captus, omiſſo bello nuptias facit, depoſitisque hoſtilibus animis, in affinitatis jura ſuccedit.

Bubares Perſa Amyntæ Regis filiam ducit.

Bubaris opera Macedoniæ pax conciliatur.

CAP. IV. Poſt diſceſſum à Macedonia Bubaris, Amyntas rex decedit; cujus filio & ſucceſſori Alexandro, cognatio Bubaris non Darii tantum temporibus pacem præſtitit; verum etiam Xerxem adeo conciliavit, ut, cum Græciam, veluti tempeſtas quædam occupaſſet, inter Olympum Hæmumque montes totius regionis eum imperium donaverit. Sed nec virtute minus, quam Perſarum liberalitate, regnum ampliavit. Per ordinem deinde ſucceſſionis, regnum Macedoniæ ad (4) Amyntam, fratris ejus Menelai filium, pervenit. Hic quoque inſignis induſtria, & omnibus imperatoriis virtutibus inſtructus fuit; qui ex Eurydice tres filios ſuſtulit, Alexandrum, Perdiccam, & (5) Philippum, Alexandri Magni Macedonis patrem, & filiam Euryonem: Ex Gygæa (*q*) autem Archelaum, Archideum (*r*), Menelaum. Cum Illyriis deinde & cum Olynthiis gravia bella geſſit. Inſidiis autem Eurydices uxoris, quæ nuptias generi pacta, occidendum virum, regnumque adultero tradendum ſuſceperat, occupatus fuiſſet; ni filia pellicatum matris, & ſceleris conſilia prodidiſſet. Functus itaque tot periculis, ſenex deceſſit, regno maximo ex filiis Alexandro tradito.

Amyntas Menelai filius Rex Macedoniæ. *Ejus liberi.* *Tragœdiæ in familia Amyntæ.*

CAP. V. Igitur Alexander inter prima initia regni, bellum ab Illyriis pacta mercede, & Philippo fratre dato obſide, redemit. Interjecto quoque tempore per eundem obſidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat: quæ res Philippo maxima incrementa egregiæ indolis dedit. Siquidem Thebis triennio obſes habitus, prima pueritiæ rudimenta, in urbe ſeveritatis antiquæ, & in domo Epaminondæ, ſummi & philoſophi & imperatoris, depoſuit. Nec multo poſt Alexander inſidiis Eurydices matris appetitus occumbit; cui Amyntas, in ſcelere deprehenſæ, propter communes liberos, ignarus eiſdem quandoque exitioſam fore pepercerat. Frater quoque ejus Perdicca pari inſidiarum fraude decipitur. Indignum prorſus, libidinis cauſa liberos à matre vita privatos, quam ſcelerum (*s*) ſuorum ſuppliciis liberorum contemplatio vindicaverat. Perdiccæ hoc indignior cædes videbatur, quod ei apud matrem miſericordiam nec parvulus quidem filius conciliaverat. Itaque Philippus diu non regem (*t*), ſed tutorem pupilli egit. At ubi graviora bella imminebant, ſerumque auxilium in expectatione infantis erat, compulſus à populo regnum ſuſcepit.

Philippi Macedonis varia fata. *Alexander dolo materno ſublatus.* *Perdicca ſimiliter.* *Philippus à populo compulſus regnum ſuſcepit.*

CAP. VI. Ut eſt ingreſſus imperium, magna de illo ſpes omnibus fuit; & propter ipſius ingenium, quod magnum ſpondebat virum; & propter vetera Macedoniæ fata, quæ cecinerant, uno ex Amyntæ filiis regnante, florentiſſimum fore Macedoniæ ſtatum; cui ſpei ſcelus matris hunc reſiduum fecerat. Principio regni (*u*) cum hinc cædes fratrum indigne peremptorum, inde hoſtium multitudo; hinc inſidiarum metus, inde inopia continuis bellis exhauſti regni immaturam ætatem tironis urgerent: bella, quæ, velut conſpiratione quadam, ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diverſis locis uno tempore confluebant, quoniam omnibus par eſſe non poterat, diſpenſanda ratus; alia interpoſita pactione componit, alia redimit, facillimis quibusque aggreſſis, quorum, victoria & militum trepidos animos firmaret, & contemptum ſibi (*x*) hoſtium demeret. Primum illi cum Athenienſibus certamen fuit; quibus per inſidias victis, metu belli gravioris, cum interficere omnes poſſet, incolumes ſine pretio dimiſit. Poſt hæc, bello in Illyrios tranſlato, multa millia hoſtium cædit. Urbem nobiliſſimam Lariſſam (*y*) capit. Hinc Theſſaliam, non prædæ cupiditate, ſed quod exercitui ſuo robur Theſſalorum equitum adjungere geſtiebat, nihil minus quam bellum metuentem, improviſus expugnat, unumque corpus equitum pedeſtriumque copiarum invicti exercitus facit. (*z*) Quibus rebus feliciter provenientibus, Olympiadem, Neoptolemi regis Moloſſorum filiam uxorem ducit; conciliante nuptias fratre patruele altore (*a*) virginis, Arruba, rege Moloſſorum, qui ſororem Olympiadis Troada in matrimonium (*b*) habebat: quæ cauſa illi exitii, malorumque omnium initium fuit. Nam, dum regni incrementa affinitate Philippi acquiſiturum ſe ſperat (*c*) proprio regno ab eodem privatus, in exilio conſenuit. His ita geſtis, Philippus, jam non contentus ſummovere bella, ultro etiam quietos laceſſit. Cum Methonam (*d*) urbem oppugnaret, in prætereuntem de muris ſagitta jacta, dextrum oculum regis effodit. Quo vulnere nec ſegnior in bellum, nec iracundior adverſus hoſtes factus eſt; adeo ut interjectis diebus pacem deprecantibus dederit; nec moderatus tantum, verum etiam mitis adverſus victos fuerit.

O. C. 3640. a. C. N. 360. U. C. 393. Ol. 96. Initia regni Philippici laude & obſervatione digniſſima. *Philippi bella.* *Ejus conjugium cum Olympiade.* *Vitia.* *Et virtutes.*


LIBER

(*p*) al. tam ſordidæ gentis. (*q*) al. Cygnæa. (*r*) al. Aridæum. (*s*) al. quam à ſcelerum. (*t*) al. non ſe regem. (*u*) al. Principio rerum. (*x*) al. ſui. (*y*) al. Lariſeam. (*z*) al. fecit. (*a*) al. tutore. (*b*) al. in matrimonio. (*c*) acquiſiturum ſperat. (*d*) al. Mothonam.

(4) Amyntam) Hujus effigiem ex numo Tab. LXVII. num. 4. exhibemus. Conf. BEGER. Th. Br. T. I. p. 231.

(5) Philippum Alexandri Magni Macedonis patrem) Utriusque effigiem conſpice in ipſorum numis Tab. LXVII. num. 5. & LXVIII. num. 1. Conf. BEGER. l. c. p. 238. & 239.

Tab. LXVII
ad pag. 616. 622. 630.



Tab LXVIII.
ad pag. 630 631



LIBER VIII.

CAPUT I.

Philippus Macedo Græcarum civitatum libertati insidiatur.

GRæciæ civitates, dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, omnibus perire quod singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt. Siquidem Philippus, rex Macedoniæ, velut è specula quadam, libertati omnium insidiatus, dum contentiones civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque subire regiam servitutem coëgit. Causa & origo hujus mali Thebani fuere: qui, cum rerum potirentur, secundam fortunam imbecillo animo ferentes, victos armis Lacedæmonios & Phocenses, quasi parva supplicia cædibus & rapinis luissent, apud commune Græciæ concilium superbe accusaverunt. Lacedæmoniis crimini datum, quod arcem Thebanam induciarum tempore occupassent; Phocensibus, quod Bœotiam depopulati essent. Prorsus quasi post arma & bellum locum legibus reliquissent. Cum judicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur, quanta exsolvi non posset. Igitur Phocenses, cum agris, liberis, conjugibusque privarentur, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, velut deo irascentes, templum ipsum Apollinis Delphis occupavere. Inde auro & pecunia divites, conducto mercenario milite bellum Thebanis intulerunt. Factum Phocensium, tametsi omnes execrarentur propter sacrilegium, plus tamen invidiæ Thebanis, à quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quam ipsis intulit. Itaque auxilia his & ab Atheniensibus & à Lacedæmoniis missa. Prima igitur congressione Philomelus Thebanos castris exuit. Sequenti prælio primus inter confertissimos dimicans cecidit, & sacrilegii pœnas impio sanguine luit. In hujus locum dux Onomarchus creatur.

Thebani & Phocenses civilis belli faces. O. C. 3645. a. C. N. 355. U. C. 398. Ol. 106.

Philomelus dux Phocensium.

Cui succedit Onomarchus.

Thebani Philippum arcessunt.

CAP. II. Adversus quem Thebani Thessalique non ex civibus suis, ne victores potentiam ferre non possent, sed (6) Philippum, Macedoniæ regem, ducem eligunt; & externæ dominationi: quam in suis timuerunt (*e*), sponte succedunt. Igitur Philippus, quasi sacrilegii, non Thebanorum ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere jubet, atque ita, veluti deo duce, in prælium pergit Phocenses, insignibus dei conspectis, conscientia delictorum territi, abjectis armis fugam capessunt, pœnasque violatæ religionis sanguine & cædibus suis pendunt. Incredibile quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriæ dedit. *Illum vindicem sacrilegii, illum ultorem religionum: quod orbis viribus expiari debuit, solum qui piacula exigeret extitisse.* Dignum itaque, qui diis proximus habe: etur, per quem deorum majestas vindicata sit. Sed Athenienses, audito belli eventu, ne in Græciam Philippus transiret, angustias Thermopylarum, pari ratione sicut antea advenientibus Persis, occupavere; sed nequaquam simili aut virtute, aut causa: siquidem tunc pro libertate Græciæ, nunc pro sacrilegio publico; tunc à rapina hostium templa vindicaturi, nunc adversus vindices templorum raptores defensuri: aguntque propugnatores sceleris, cujus turpe erat alios vindices fuisse; immemores prorsus, quod in dubiis rebus suis, illo deo etiam consiliorum auctore usi fuerant; quod illo duce tot bella victores inierant; tot urbes auspicato condiderant; tantum imperium terra marique quæsierant; quod nihil sine majestate numinis ejus aut privatæ unquam aut publicæ rei gesserant. Tantum facinus admisisse ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus institutisque formata, ut, quid posthac succensere jure Barbaris possent, non haberent.

Qui Phocenses opprimit.

Athenienses saluti publicæ pro virili consulunt.

CAP. III. Sed nec Philippus melioris fidei adversus socios fuit; quippe veluti timens, ne ab hostibus sacrilegii scelere vinceretur, civitates, quarum paulo ante dux fuerat, quæ sub auspiciis ejus militaverant, quæ gratulatæ illi sibique victoriam fuerant, hostiliter occupatas diripuit, conjuges liberosque omnium sub corona vendidit; non deorum immortalium templis, non ædibus sacris, non diis penatibus publicis privatisque, ad quos paulo ante ingressus hospitaliter fuerat, pepercit: prorsus ut non tam sacrilegii ultor extitisse, quam sacrilegiorum licentiam quæsisse videretur. Inde veluti rebus egregie gestis, in Cappadociam trajicit: ubi bello pari perfidia gesto, captisque per dolum & occisis finitimis regibus, universam provinciam imperio Macedoniæ adjungit. Deinde ad abolendam perfidiæ famem, qua insignis præter ceteros tunc temporis habebatur, per regna mittit, & opulentissimas civitates, qui opinionem fererent, regem Philippum magna pecunia locare & muros per civitates & fana, (*f*) & templa facienda; & ut per præcones susceptores sollicitarent. Qui cum in Macedoniam venissent, variis dilationibus frustrati, vim regiæ majestatis timentes, taciti proficiscebantur (*g*). Post hæc Olynthios aggreditur; receperant enim per misericordiam, post cædem unius, duos fratres ejus, quos Philippus ex noverca genitos, veluti participes regni interficere gestiebat. Ob hanc igitur causam urbem antiquam & nobilem exscindit, & fratres olim destinato supplicio tradit, prædaque ingenti pariter & parricidii voto fruitur. Inde, quasi omnia, quæ agitasset animo, ei licerent, auraria in Thessalia (*h*), argenti metalla in Thracia, occupat. Et, ne quod jus vel fas inviolatum præ-

Contra Philippus Græciam lacerat.

Cappadociam Macedoniæ adjungit.

Olynthios delet. O. C. 3652. a. C. N. 348. U. C. 405. Ol. 108.

Latrocinia exercet variis modis.

(*e*) al. timuerant. (*f*) al. & fora. (*g*) al. profugiebant. (*h*) al. auri in Thessalia.

(6) Philippum, Macedoniæ regem, ducem eligunt) Eo procul dubio spectat numus Cimeliarchii nostri Tab. LXVIII. num. 2. rudioris aliquantulum fabricæ; In quo Rex ut eques, dextra lanceam gerens conspicitur, quasi exercitum in aciem ducturus.

prætermitteret, piraticam quoque exercere instituit. His ita gestis, forte evenit, ut eum fratres duo, reges Thraciæ, non contemplatione justitiæ ejus, sed invicem metuentes, ne alterius viribus accederet, disceptationum suarum judicem eligerent. Sed Philippus, more ingenii sui, ad judicium veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu supervenit, & regno utrumque non judicis more, sed fraude latronis ac scelere spoliavit.

Atheniensibus.

CAP. IV. Dum hæc aguntur, legati Atheniensium petentes pacem ad eum venerunt. Quibus auditis, & ipse legatos Athenas cum pacis conditionibus misit, ibique ex commodo utrorumque pax facta. Ex ceteris quoque Græciæ civitatibus, non pacis amore, sed belli metu legationes venere. Siquidem, crudescente ira, Thessali, Bœotiique orant, ut professum adversum Phocenses ducem Græciæ exhibeat: tanto odio Phocensium ardentes, ut obliti cladium suarum, perire ipsi, quam non perdere eos præoptarent, expertamque Philippi crudelitatem pati, quam parcere hostibus suis mallent. Contra, Phocensium legati, adhibitis Lacedæmoniis & Atheniensibus, bellum deprecabantur, cujus ab eo dilationem ter jam emerant. Fœdum prorsus miserandumque spectaculum, Græciam etiam nunc (*i*) & viribus & dignitate orbis terrarum principem, regum certe gentiumque semper victricem, & multarum adhuc urbium dominam, alienis excubare sedibus, aut rogantem bellum, aut deprecantem: in alterius ope omnem spem posuisse orbis terrarum vindices, eoque discordia sua civilibusque bellis redactos, ut adulentur ultro sordidam paulo ante clientelæ suæ partem (*k*): & hæc potissimum facere Thebanos Lacedæmoniosque, antea inter se imperii, nunc Græciæ (*l*) imperantis æmulos. Philippus venditatione gloriæ suæ tantarum urbium fastidium (*m*) agitat; atque utros potius eignetur, æstimat. Secreto igitur auditis utriusque legationibus, his veniam belli pollicetur, jurejurando adactis, responsum nemini proditurus; illis contra, venturum se, auxiliumque laturum. Utrosque vetat parare bellum, aut metuere. Sic variato responso securis omnibus, Thermopylarum angustias occupat.

Thessalis, Bœotis & Phocensibus callide imponit.

Phocenses ad deditionem cogit. O. C. 3652. a. C. N. 348. U. C. 405. Ol. 108.

CAP. V. Tunc primum Phocenses, captos se fraude Philippi animadvertentes, trepidi ad arma confugiunt. Sed neque spatium erat instruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia; & Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio. Victi igitur necessitate, pacta salute, se dediderunt. Sed pactio ejus fidei fuit, cujus antea fuerat deprecati belli promissio. Igitur cæduntur passim, rapiunturque; non liberi parentibus, non conjuges maritis, non deorum simulacra templis suis relinquuntur. Unum tantum miseris solatium fuit, quod cum Philippus portione prædæ socios fraudasset, nihil rerum suarum apud inimicos viderunt. Reversus in regnum, ut pecora pastores nunc in hibernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt, sic ille populos & urbes (*n*), ut illi vel replenda, vel derelinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transfert. Miseranda ubique facies, & excidio similis erat. Non quidem pavor ille hostilis, nec discursus per urbem militum erat, non tumultus armorum, non bonorum atque hominum rapina; sed tacitus mœror & luctus, verentibus (*o*) ne ipsæ lacrymæ pro contumacia haberentur. Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. Nunc sepulchra majorum, nunc veteres penates, nunc tecta, in quibus geniti erant, in quibusque genuerant, considerabant; miserantes nunc vicem suam, quod in eam diem vixissent; nunc filiorum, quod non post eam diem nati essent.

Reliquos Græcos ad servile obsequium.

CAP. VI. Alios populos in finibus ipsis hostibus opponit alios in extremis [regni terminis] statuit, quosdam bello captos in supplementis (*p*) urbium dividit. Atque ita ex multis gentibus nationibusque unum regnum populumque constituit. Compositis ordinatisque Macedoniæ rebus, Dardanos, ceterosque finitimos fraude captos expugnat. Sed nec à proximis manus abstinet. Siquidem Arrybam regem Epiri, uxori suæ Olympiadi arctissima cognatione junctum, pellere regno statuit: atque Alexandrum privignum ejus, uxoris Olympiadis fratrem, puerum honestæ pulchritudinis, in Macedoniam nomine sororis arcessit, omnique studio sollicitatum spe regni simulato amore ad stupri consuetudinem perpulit, majora in eo obsequia habiturus, sive conscientiæ pudore, sive regni beneficio. Cum igitur ad viginti annos pervenisset, ereptum Arrybæ regnum puero admodum tradit, scelestus in utroque (*q*). Nam nec in eo jus cognationis servavit, cui ademit regnum; & eum cui dedit impudicum fecit antequam regem.

Monarchiam constituit.

Dardanos expugnat.

Scelus Philippi in Arrybam & Alexandrum.

LIBER IX.

CAPUT I.

Philippus cogitat de Græcia subjuganda.

In Græciam Philippus cum venisset, sollicitatus paucarum civitatium direptione; & ex præda modicarum urbium, quantæ opes universarum essent, animo prospiciens; bellum toti Græciæ inferre statuit. Ad cujus emolumentum egregie pertinere ratus, si Byzantium, nobilem & maritimam urbem, receptaculum terra marique copiis suis futuram, in potestatem redegisset, eandem claudentem sibi portas obsidione cinxit. Hæc namque urbs condita primo à Pausania rege Spartanorum, & per VII. annos possessa fuit; deinde variante victoria, nunc Lacedæmoniorum, nunc Atheniensium juris habita est. Quæ incerta

Ideo Byzantium obsidet, sed frustra.

(*i*) al. etiam tunc. (*k*) al. ut adulentur ultro sordidæ....... parti. (*l*) al. gratiæ. (*m*) al. fastigium. (*n*) al. populos ad urbes &c. (*o*) al. verentium. (*p*) al. in supplementa. (*q*) al. in utrumque.

incerta poſſeſſio effecit, ut, nemine quaſi ſuam auxiliis juvante, libertatem conſtantius tueretur. Igitur Philippus longa obſidionis mora exhauſtus, pecuniæ commercium de piratica mutuatur. Captis itaque centum ſeptuaginta navibus, mercibuſque diſtractis, anhelantem inopiam paululum recreavit. Deinde, ne unius urbis oppugnatione tantus exercitus tereretur (*r*), profectus cum fortiſſimis, multas Cherſonenſium (*s*) urbes expugnat: filiumque Alexandrum, decem & octo annos natum, ut, ſub militia patris tirocinii rudimenta deponeret, ad ſe arceſſit. In Scythiam quoque prædandi cauſa profectus eſt, more negotiantium, impenſas belli alio bello refecturus.

Multas Cherſoneſi urbes expugnat.

Et Scythiam prædatur.

Philippus à Scytharum Rege variis modis deluditur.

CAP. II. Erat eo tempore rex Scytharum Atheas (*t*), qui, cum bello Iſtrianorum premeretur, auxilium à Philippo per Apollonienſes petit, in ſucceſſionem eum regni Scythiæ adoptaturus. Cum interim Iſtrianorum rex decedens, (*u*) & metu belli, & auxiliorum neceſſitate Scythas ſolvit. Itaque Atheas, remiſſis Macedonibus, renuntiari Philippo jubet, *Neque auxilium ejus ſe petiſſe, neque adoptionem mandaſſe. Nam neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent: neque heredem ſibi incolumi filio deeſſe.* His auditis Philippus legatos ad Atheam mittit impenſæ obſidionis portionem petentes, ne inopia deſerere bellum cogatur. Quod eo promptius eum facere debere, quod miſſis à ſe in auxilium ejus militibus, ne ſumptum quidem viæ, non modo officii pretia dederit. Atheas inclementiam cœli & terræ ſterilitatem cauſatus, quæ non patrimoniis ditet Scythas, ſed vix alimentis (*x*) exhibeat, reſpondit: *nullas ſibi opes eſſe, quibus tantum regem expleat; & turpius putare, parvo defungi, quam totum abnuere: Scythas autem virtute animi, & duritia corporis, non opibus cenſeri.* Quibus deriſus (*y*) Philippus, ſoluta obſidione Byzantii, Scythica bella aggreditur, præmiſſis legatis, quo ſecuriores faceret, qui nuntient Atheæ. *Dum Byzantium obſidet, voviſſe ſe ſtatuam Herculi, ad quam in oſtio Iſtri ponendam ſe venire, pacatum acceſſum ad religionem dei petens, amicus ipſis Scythis venturus.* Ille *ſi voto fungi vellet, ſtatuam ſibi mitti* jubet; *non modo ut ponatur, verum etiam ut inviolata maneat,* pollicetur: *Exercitum autem fines ingredi* negat *ſe paſſurum. Ac ſi invitis Scythis ſtatuam ponat; eo digreſſo ſublaturum, verſurumque æs ſtatuæ in aculeos ſagittarum.* His utrimque irritatis animis, prælium committitur. Cum virtute & numero (*z*) præſtarent Scythæ, aſtu Philippi vincuntur. Viginti millia puerorum ac feminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil. Ea primum fides inopiæ Scythicæ (*a*) fuit. Viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam miſſa.

Unde pugna & præda.

Triballi Philippum præda ſpoliant.

CAP. III. Sed revertenti ab Scythia, Triballi Philippo occurrunt: negant ſe tranſitum daturos, ni portionem accipiant prædæ. Hinc jurgium, & mox prælium; in quo ita in femore vulneratus eſt Philippus, ut per corpus ejus equus interficeretur. Cum omnes occiſum putarent, præda amiſſa eſt. Ita Scythica, velut devota, ſpolia pene luctuoſa Macedonibus fuere. Ubi vero ex vulnere primum convaluit, diu diſſimulatum bellum Athenienſibus infert: quorum cauſæ Thebani ſe junxere, metuentes, ne, victis Athenienſibus, bellum, veluti vicinum incendium ad ſe tranſiret (*b*). Facta igitur inter duas paulo ante infeſtiſſimas civitates ſocietate, legationibus Græciam fatigant. Communem hoſtem putant communibus viribus ſummovendum; neque enim ceſſaturum Philippum, ſi proſpere prima ſucceſſerint, niſi omnem Græciam domuerit. Motæ quædam civitates Athenienſibus ſe jungunt; quaſdam autem ad Philippum belli metus traxit. Prælio commiſſo, cum Athenienſes longe majore militum numero præſtarent, aſſiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur. Non tamen immemores priſtinæ gloriæ cecidere: quippe adverſis vulneribus, omnes loca, quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies univerſæ Græciæ & gloriam dominationis, & vetuſtiſſimam libertatem finivit.

Philippus Athenienſibus bellum infert.

Quos prælio atterit.

Finis gloriæ univerſæ Græciæ.
O. C. 3662. a.
C. N. 338.
U. C. 415.
Ol. 110.

Philippus victoria moderate utitur.

CAP. IV. Hujus victoriæ callide diſſimulata lætitia eſt. Denique non ſolita ſacra Philippus illa die fecit: non in convivio riſit; non ludos inter epulas adhibuit; non coronas aut unguenta ſumpſit; &, quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo ſentiret. Sed nec regem ſe Græciæ, ſed ducem appellari juſſit. Atque ita inter tacitam (*c*) lætitiam & dolorem hoſtium temperavit, ut neque apud ſuos exſultaſſe, neque apud victos inſultaſſe videretur. Athenienſibus, quos paſſus infeſtiſſimos fuerat, & captivos gratis remiſit; & bello conſumptorum corpora (*d*) ſepulturæ reddidit; reliquiaſque funerum ut ad ſepulchra majorum deferrent, ultro hortatus eſt. Super hæc Alexandrum filium cum animo Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque jungerent, Athenas miſit. Thebanorum porro non ſolum captivos, verum etiam interfectorum ſepulturam vendidit. Principes civitatis alios ſecuri percuſſit; alios in exilium redegit (*e*), bonaque omnium occupavit. Pulſos deinde per injuriam, in patriam reſtituit: ex horum numero CCC exules, judices rectoreſque civitati dedit: apud quos cum potentiſſimi quique rei ejus ipſius criminis poſtularentur, quod per injuriam ſe in exilium egiſſent, hujus conſtantiæ fuerunt, ut omnes ſe auctores faterentur, meliuſque cum republica actum, cum damnati eſſent, quam cum reſtituti, contenderent. Mira prorſus audacia; de judicibus vitæ neciſque ſuæ, quemadmodum poſſunt, ſententiam ferunt; contemnuntque abſolutionem, quam dare inimici poſſunt; & quoniam (*f*) rebus nequeunt ulciſci verbis uſurpant libertatem.

In Thebanos ſævit.

Qui fortiter ſe gerunt.

LIII CAP. V.

(*r*) al. teneretur. (*s*) al. Cherſoneſi. (*t*) al. Metheas. (*u*) al. recedens. (*x*) al. alimenta. (*y*) al. irriſus. (*z*) al. & animo. (*a*) al. Atheæ. (*b*) al. ne victis Athenienſibus, veluti vicinum incendium belli ad ſe tranſiret. (*c*) al. inter tantam. (*d*) al. corporum. (*e*) al. egit. (*f*) al. & quam.

Græciam pacare studet.

CAP. V. Compositis in Græcia rebus, Philippus omnium civitatium legatos ad formandum rerum præsentium statum evocari Corinthum jubet. Ibi pacis legem universæ Græciæ pro meritis singularum civitatium statuit; conciliumque omnium, veluti unum senatum, ex omnibus legit. Soli Lacædemonii & legem & regem (g) contempserunt; servitutem non pacem rati, quæ non ipsis civitatibus conveniret, sed à victore ferretur. Auxilia deinde singularum civitatium describuntur, sive adjuvandus ea manu rex oppugnante aliquo foret, seu duce illo bellum inferendum. Neque enim dubium erat, imperium Persarum his apparatibus peti. Summa auxiliorum ducenta millia peditum fuere, & equitum quindecim millia. Extra hanc summam & Macedoniæ exercitus erat, & confinis domitarum gentium barbaries. Initio veris tres duces in Asiam Persarum juris præmittit, Parmenionem, Amyntam, & Attalum, cujus sororem nuper, expulsa Alexandri matre Olympiade propter stupri suspicionem, in matrimonium receperat (h).

Ut Persas bello adoriatur.

Olympiadem uxorem expellit.

Nuptias Cleopatræ & Alexandri celebrans.

CAP. VI. Interea dum auxilia à Græcia coëunt, nuptias Cleopatræ filiæ & Alexandri, quem regem Epiri fecerat, celebrat. Dies erat pro magnitudine duorum regum, & collocantis filiam & uxorem ducentis, apparatibus insignis. Sed nec ludorum magnificentia deerat: ad quorum spectaculum Philippus dum sine (i) custodibus, medius inter duos Alexandros, filium, generumque, contenderet; Pausanias (k), nobilis ex Macedonibus adolescens, nemini suspectus, occupatis angustiis, Philippum in transitu obtruncat; diemque lætitiæ destinatum, fœdum luctu funeris facit. Hic Pausanias primis pubertatis annis stuprum per injuriam passus ab Attalo fuerat: cujus indignitati hæc etiam fœditas accesserat; nam perductum (l) in convivium, solutumque mero, Attalus, non suæ tantum, verum & convivarum libidini, velut scortum vile (m), subjecerat, ludibriumque omnium inter æquales (n) reddiderat. Hanc rem ægre ferens Pausanias, querelam Philippo sæpe detulerat. Cum variis frustrationibus non sine risu, differretur, & honoratum insuper ducatu adversarium cerneret, iram in ipsum Philippum vertit, ultionemque, quam ab adversario non poterat, ab iniquo judice exegit.

A Pausania obtruncatur. O. C. 3664. a. C. N. 336. U. C. 417. Ol. 111.

Ultionem ab iniquo judice exigente.

Philippus Olympiade & Alexandro consciis interficitur.

CAP. VII. Creditum est etiam, immissum ab Olympiade matre Alexandri fuisse; nec ipsum Alexandrum (o) ignarum paternæ cædis extitisse: quippe non minus Olympiadem repudium, & prælatam sibi Cleopatram, quam stuprum Pausaniam doluisse. Alexandrum quoque, regni æmulum, fratrem ex noverca susceptum, timuisse: eoque actum (p), ut in convivio antea primum cum Attalo, mox cum ipso patre jurgaret; adeo ut etiam stricto gladio eum Philippus consectatus sit, ægreque à filii cæde amicorum precibus exoratus. Quamobrem Alexander ad avunculum se in Epirum cum matre, inde ad regem Illyriorum contulerat, vixque revocanti mitigatus est patri, precibusque cognatorum ægre redire compulsus. Olympias quoque fratrem suum Alexandrum Epiri regem in bellum subornabat, pervicisset-que, ni filiæ nuptiis pater generum occupasset. His stimulis iratum utrique (q) Pausaniam, de impunitate stupri sui querentem, ad tantum facinus impulisse creduntur. Olympias certe fugienti percussori equos quoque præparatos habuit. Ipsa deinde, audita regis nece, cum titulo officii ad exequias cucurrisset, in cruce pendentis Pausaniæ capiti, eadem nocte qua venit, coronam auream imposuit: quod nemo alius audere, nisi hæc, superstite Philippi filio, potuisset. Paucos deinde post dies, refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremavit, & tumulum ei eodem fecit in loco, parentarique eidem quotannis, incussa populo superstitione, curavit. Post hæc Cleopatram, à qua pulsa Philippi matrimonio fuerat, in gremio ejus prius filia interfecta (r), finire vitam suspendio coëgit, spectaculoque pendentis ultionem (s) potita est, ad quam per parricidium festinaverat. Novissime gladium, quo rex percussus est, Apollini sub nomine Myrtalis consecravit: hoc enim nomen ante Olympiadis parvulæ fuit. Quæ omnia ita palam facta sunt, ut timuisse videbatur, ne facinus ab ea commissum non probaretur.

Olympiadis in Pausaniam officia.

Et honores.

CAP. VIII. Decessit Philippus XL. & VII. annorum, cum annis XXV. regnasset. Genuit ex Larissæa saltatrice filium Aridæum, qui post Alexandrum regnavit. Habuit & alios multos ex variis matrimoniis regio more susceptos, qui partim fato, partim ferro periere. Fuit rex (t) armorum quam conviviorum apparatibus studiosior; cui maxime opes erant instrumenta bellorum; divitiarum quæstu quam custodia solertior; itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo & perfidia pari jure dilectæ. Nulla apud eum turpis ratio vincendi. Blandus pariter & insidiosus alloquio; qui plura promitteret, quam præstaret; in seria & jocos artifex. Amicitias utilitate, non fide colebat. Gratiam fingere in odio, in gratia offensam simulare, instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quærere, solennis illi consuetudo. Inter hæc eloquentia insignis, oratio acuminis & solertiæ plena (u), ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventio, nec inventionibns deesset ornatus. Huic Alexander filius successit, & virtute & vitiis patre major. Vincendi ratio utrique diversa. Hic aperte (x), ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere: huic ubi (y) exarsisset, nec dilatio

Philippi ex variis liberi.

Philippi indoles.

Ejusdem cum Alexandro filio & successore comparatio.

(g) al. & regem & leges. (h) al. acceperat. (i) al. cum Philippus sine &c. (k) alii τὸ Pausanias omittunt. (l) al. productum. (m) al. velut scortorum jure. (n) al. coæquales. (o) alii τὸ Alexandrum omittunt. (p) al. factum. (q) al. uterque. (r) al. filio interfecto. (s) al. ultione. (t) al. Fuit tam rex. (u) al. Inter hæc eloquentia, & insignis oratio, acuminis &c. (x) al. Hic aperta vi. (y) al. hic ubi.

dilatio ultionis, nec modus erat (*z*). Vini nimis uterque avidus, ſed ebrietatis diverſa vitia. Pater de convivio in hoſtem (*a*) procurrere, manum conſerere, periculis ſe temere offerre; Alexander non in hoſtem, ſed in ſuos ſævire. Quamobrem Philippum ſæpe vulneratum prælia remiſere: hic amicorum interfector (*b*) convivio frequenter exceſſit. Regnare ille cum amicis volebat (*c*), hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus utrique ſimilis. Solertiæ pater majoris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promptior & honeſtior, ille nec ſociis abſtinebat. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius conſummavit.

LIBER X.

CAPUT I.

Artaxerxis filii in patrem conſpirant.

ARtaxerxi regi Perſarum ex pellicibus CXV. filii fuere, ſed tres tantum juſto matrimonio ſuſcepti: Darius, Ariarates (*d*), & Ochus. Ex his Darium contra morem Perſarum, apud quos rex non niſi morte mutatur, per indulgentiam pater regem vivus fecit; nihil ſibi ablatum exiſtimans (*e*), quod in filium contuliſſet, ſinceriusque gaudium ex procreatione capturus, ſi inſignia majeſtati ſuæ vivus in filio conſpexiſſet. Sed Darius poſt nova paternæ pietatis exempla, interficiendi patris conſilium cepit. Sceleratus, ſi ſolus parricidium cogitaſſet; tanto ſceleratior, quod in ſocietatem facinoris aſſumptos quinquaginta fratres fecit parricidas. Oſtenti prorſus genus, ubi in tanto populo non ſolum ſociari, verum etiam ſileri parricidium potuit; ut ex quinquaginta liberis nemo inventus ſit, quem aut paterna majeſtas, aut veneratio ſenis, aut indulgentia patris, à tanta immanitate revocaret. Adeone vile (*f*) paternum nomen apud tot numero filios fuit, ut, quorum præſidio tutus etiam adverſus hoſtes eſſe debuerat, eorum inſidiis circumventus, tutior ab hoſtibus quam filiis fuerit?

Cauſa parricidii ex multiplici libidine nata.

CAP. II. Cauſa parricidii ſceleratior ipſo parricidio fuit. Occiſo quippe Cyro fraterno bello, cujus mentio ſupra habita eſt, Aſpaſiam pellicem ejus rex Artaxerxes in matrimonium receperat. Hanc patrem cedere ſibi, ſicuti regnum, Darius poſtulaverat: qui pro indulgentia ſua in liberos primo facturum ſe dixerat: mox pœnitentia ductus, ut honeſte negaret, quod temere promiſerat, Solis eam ſacerdotio præfecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur. Hinc exacerbatus juvenis, in jurgia (*g*) primo patris erupit: mox facta cum fratribus conjuratione, dum patri inſidias parat, deprehenſus cum ſociis, pœnas parricidii diis paternæ majeſtatis ultoribus dedit. Conjuges quoque omnium cum liberis, ne quod veſtigium tanti ſceleris exſtaret, interfectæ. Poſt hæc Artaxerxes morbo ex dolore contracto decedit, rex quam pater felicior.

Artaxerxes moritur. O. C. 3664. a. C. N. 336. U. C. 417. Ol. 101.


Ochus Artaxerxis ſucceſſor cognatorum principum ſtrage regiam replet.


CAP. III. Hereditas regni Ocho tradita qui timens parem conjurationem, regiam cognatorum cæde & ſtrage principum replet, nulla non ſanguinis, non ſexus, non ætatis miſericordia permotus; ſcilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. Atque ita veluti purificato regno bellum Caduſiis (*h*) infert In eo cum adverſus provocatorem hoſtium (*i*) Codomannus quidam, omnium (*k*) favore proceſſiſſet, hoſte cæſo, victoriam ſuis pariter & prope amiſſam gloriam reſtituit. Ob hæc decora idem Codomannus præficitur Armeniis. Interjecto deinde tempore, poſt mortem Ochi regis, ob memoriam priſtinæ virtutis, rex à populo conſtituitur; Darii nomine, ne quid regiæ majeſtati deeſſet, honoratus; bellumque cum Alexandro Magno, diu variante fortuna magna virtute geſſit. Poſtremo victus ab Alexandro, & à cognatis occiſus, vitam pariter cum Perſarum regno finivit.

Darius Codomannus ultimus Regum Perſarum.

Finis Monarchiæ Perſicæ. O. C. 3670. a. C. N. 330. U. C. 423. Ol. 112.

(*z*) al. non dilationem ultionis, nec modum adhibere. (*a*) al. Patri mos erat, etiam de convivio in hoſtem &c. (*b*) al. amicis interfectis. (*c*) al. nolebat. (*d*) al. Aratratus. (*e*) al. æſtimans. (*f*) al. Adeo vile. (*g*) al. in injuriam. (*h*) al. Aduſiis. (*i*) al. hoſtem. (*k*) al. cum omnium.





LIBER XI.

CAPUT I.

Occiso Philippo, Alexander Macedonas in officio continet.

IN exercitu Philippi, sicuti variæ gentes erant, ita eo occiso, diversi motus animorum fuere. Alii quippe injusta servitute oppressi, ad spem se libertatis erigebant; alii tædio longinquæ militiæ remissam sibi expeditionem gaudebant; nonnulli facem, nuptiis filiæ accensam, rogo patris subditam dolebant. Amicos quoque tam subita mutatione rerum haud mediocris metus ceperat, reputantes nunc provocatam Asiam, nunc Europam nondum perdomitam; nunc Illyrios, Thracas, Dardanos, ceterasque barbaras gentes fidei dubiæ & mentis infidæ. Qui omnes populi si pariter deficiant, sisti (*l*) nullo modo posse. Queis rebus (*m*) veluti medela quædam interventus Alexandri fuit; qui pro concione ita vulgus omne consolatus hortatusque pro tempore est, ut & metum timentibus demeret, & spe omnes impleret (*n*). Erat hic annos XX natus, in qua ætate ita moderate de se multa pollicitus est, ut appareret, plura eum experimentis reservare. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum, præter militiæ vacationem dedit; quo facto tantum sibi favorem omnium conciliavit, ut corpus hominis, non virtutem regis mutasse se dicerent.

Patris cædem vindicat.

CAP. II. Prima illi cura paternarum exequiarum fuit; in quibus ante omnia cædis conscios, ad tumulum patris occidi jussit. Soli Alexandro Lyncistæ (*o*) fratri pepercit, servans in eo auspicium dignitatis suæ: nam regem eum primus salutaverat. Æmulum quoque imperii Caranum fratrem ex noverca susceptum, interfici curavit. Inter initia multas gentes rebellantes compescuit: orientes nonnullas seditiones exstinxit. Quibus rebus erectus, citato gradu in Græciam contendit, ubi, exemplo patris Corinthum evocatis civitatibus, dux in locum ejus substituitur. Inchoatum deinde à Patre Persicum bellum aggreditur.

Persas bello aggredi constituit.

In cujus apparatu occupato nuntiatur, Athenienses & Thebanos (*p*) ab eo ad Persas defecisse, auctoremque ejus defectionis, magno auri pondere à Persis corruptum, Demosthenem oratorem exstitisse; qui Macedonum deletas omnes cum rege copias à Triballis affirmaverit (*q*) producto in concionem auctore, qui in eo prælio, in quo rex ceciderit, se quoque vulneratum diceret. Qua opinione mutatos omnium ferme civitatium animos esse: præsidia Macedonum obsideri (*r*). Quibus motibus occursurus, tanta celeritate instructo paratoque exercitu Græciam oppressit, ut, quem venire non senserant, videre se vix crederent.

CAP. III. In transitu hortatus Thessalos fuerat; beneficiorumque Philippi patris, maternæque suæ cum his ab (*s*) Æacidarum gente necessitudinis admonuerat. Cupide hæc Thessalis audientibus, exemplo patris dux universæ gentis creatus erat, & vectigalia omnia reditusque suos ei tradiderant.

Græcos defectionem cogitantes coërcet.

Sed Athenienses, sicuti primi defecerant, ita primi pœnitere cœperunt; contemptum hostis in admirationem vertentes, pueritiamque Alexandri, spretam antea, supra virtutem veterum ducum extollentes. Missis itaque legatis, bellum deprecantur; quibus auditis & graviter increpatis, Alexander bellum remisit. Inde Thebas exercitum convertit, eadem indulgentia usurus, si parem pœnitentiam invenisset. Sed The-

(*l*) al. resisti. (*m*) al. His rebus. (*n*) al. & in spem omnes impleret. (*o*) al. Lyncistarum. (*p*) al. Lacedæmonios. al. Athenienses & Lacedæmonios. al. Athenienses, Thebanos & Lacedæmonios. (*q*) al. affirmaverat. (*r*) al. & præsidia &c. (*s*) al. sub.

Thebani vincuntur.

Thebani armis, non precibus nec deprecatione uſi ſunt. Itaque victi graviſſima quæque ſupplicia miſerrimæ captivitatis experti ſunt. In conſilio cum de excidio urbis deliberaretur, Phocenſes & Platæenſes & Theſpienſes & Orchomenii, Alexandri ſocii, victoriæque participes, excidia urbium ſuarum, crudelitatemque Thebanorum referebant; ſtudia in Perſas non præſentia tantum, verum & vetera adverſus Græciæ libertatem increpantes : *Quamobrem odium (t) eos omnium populorum eſſe : quod vel ex eo manifeſtari, quod jurejurando ſe omnes obſtrinxerint, ut victis Perſis Thebas diruerent.* Adjiciunt & ſcelerum priorum fabulas, quibus omnes ſcenas repleverint, ut non præſenti tantum perfidia verum & vetere infamia inviſi forent.

CAP. IV. Tunc Cleadas unus ex captivis, data poteſtate dicendi : *Non à Rege ſe defeciſſe (u), quem interfectum audierint, ſed à regis heredibus. Quicquid in eo ſit admiſſum, credulitatis non perfidiæ culpam eſſe; cujus tamen jam magna ſe ſupplicia pependiſſe, deleta juventute, nunc ſenum feminarumque, ſicuti infirmum, ita innoxium reſtare vulgus, quod ipſum ſtupris contumeliisque ita vexatum eſſe, ut, nihil amarius unquam ſint paſſi. Nec jam (x) pro civibus, ſequi tam pauci remanſerint, orare; ſed pro innoxio patriæ ſolo, & pro urbe, quæ non viros tantum, verum & deos genuerit.* Privata etiam regem ſuperſtitione deprecatur, geniti apud ipſos Herculis, unde originem gens Æacidarum trahat; actaque (y) Thebis à patre ejus Philippo pueritia : rogat, *urbi parcat, quæ majores ejus partim apud ſe genitos, deos adoret; partim educatos, ſummæ majeſtatis reges videret.* Sed potentior fuit ira, quam preces. Itaque urbs diruitur: agri inter victores dividuntur, captivi ſub corona venduntur. Quorum pretium non ex ementium commodo, ſed ex inimicorum odio extenditur. Miſeranda res Athenienſibus viſa. Itaque portas refugiis profugorum contra interdictum regis aperuere. Quam rem ita graviter tulit Alexander, ut ſecunda legatione denuo bellum deprecantibus, ita demum remiſerit, ut oratores & duces, quorum fiducia toties rebellent, ſibi dedantur ; paratiſque Athenienſibus, ne cogantur ſubire bellum, eo res reducta eſt, ut retentis oratoribus, duces in exilium agerentur; qui ex continenti ad Darium profecti, non mediocre momentum Perſarum viribus acceſſere.

Ipſorumque urbs diruitur.

Alexander Athenienſibus infeſtus.

Alexander in novercæ ſuæ cognatos & in conſanguineos ſuos ſævit.

CAP. V. Proficiſcens ad Perſicum bellum, omnes novercæ ſuæ cognatos, quos Philippus in celſiorem dignitatis locum provehens, imperiis præfecerat, interfecit. Sed nec ſuis, qui apti regno videbantur, pepercit, ne qua materia ſeditionis, procul ſe agente, in Macedonia remaneret; & reges ſtipendiarios conſpectioris ingenii ad commilitium ſecum trahit, ſegniores ad tutelam regni relinquit. Adunato (z) deinde exercitu naves onerat; unde conſpecta Aſia, incredibili ardore mentis accenſus, duodecim aras deorum in belli vota ſtatuit. Patrimonium omne ſuum, quod in Macedonia, Europaque habebat, amicis dividit, *ſibi Aſiam ſufficere* præfatus. Priuſquam ulla navis littore excederet, hoſtias cædit, petens victoriam bello, quo toties à Perſis petitæ Græciæ ultor electus ſit : quibus longa jam ſatis & matura imperia contigiſſe, quorumque tempus eſſe vices excipere melius acturos. Sed nec exercitus ejus alia, quam regis animorum præſumptio fuit : quippe obliti omnes conjugum liberorumque, & longinquæ à domo (a) militiæ, Perſicum aurum, & totius Orientis opes, jam quaſi ſuam prædam ducebant; nec belli periculorumque, ſed divitiarum meminerant. Cum delati in continentem eſſent, primus Alexander jaculum velut in hoſtilem terram jecit; armatuſque de navi tripudianti ſimilis proſiluit, atque ita hoſtias cædit; precatus, *ne ſe regem illæ terræ invitæ accipiant.* In Ilio quoque ad tumulos heroum (b), qui Trojano bello ceciderant, parentavit.

Bellum Perſicum aggreditur. O. C. 3666. a. C. N. 334. U. C. 419. Ol. III.

Diſciplinam militarem ordinat.

CAP. VI. Inde hoſtem petens, milites (c) à populatione Aſiæ prohibuit, *parcendum ſuis rebus* præfatus, *nec perdenda ea, quæ poſſeſſuri venerint.* In exercitu ejus fuere peditum XXX duo millia, equitum quatuor millia quingenti, naves centum LXXXII. Hac tam parva manu univerſum terrarum orbem utrum admirabilius vicerit, an aggredi auſus fuerit, incertum eſt. Cum ad tam periculoſum bellum exercitum legeret, non juvenes robuſtos, nec primum florem ætatis, ſed veteranos, pleroſque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruiſque militaverant, elegit: ut non tam milites, quam magiſtros militiæ electos putares. Ordines quoque nemo niſi ſexagenarius duxit : ut, ſi principia caſtrorum cerneres, ſenatum te alicujus priſcæ reipubl. videre diceres. Itaque nemo in prælio fugam, ſed victoriam cogitavit; nec in pedibus cuiquam ſpes, ſed in lacertis fuit. Contra rex Perſarum Darius, fiducia virium, nil aſtu agere, affirmans ſuis, *occulta conſilia victoriæ furtivæ convenire (d)* : nec hoſtem regni finibus arcere, ſed in intimum regnum accipere; glorioſius ratus repellere bellum, quam non admittere. Prima igitur congreſſio in campis Adraſtiæ (e) fuit. In acie Perſarum ſexcenta millia militum fuere, quæ non minus arte Alexandri, quam virtute Macedonum ſuperata, terga verterunt. Magna itaque cædes Perſarum fuit. De exercitu Alexandri novem pedites, centum viginti equites cecidere; quos rex impenſe, ad cæterorum exemplum humatos, ſtatuis equeſtribus donavit, cognatiſque eorum immunitates dedit. Poſt victoriam major pars Aſiæ ad eum defecit. Geſſit & plura bella cum præfectis Darii, quos jam non tam armis, quam terrore nominis ſui vicit.

Parva manu ingentia moſitur.

Et Perſas primo prælio ſuperat. O. C. 3666. a. C. N. 334. U. C. 419. Ol. III.

Inſidias vitat.

CAP. VII. Dum hæc aguntur, interim indicio captivi ad eum defertur, inſidias ei ab Ale-

(t) al. *odio.* (u) al. *defeciſſe ſe.* alii τὸ *ſe* omittunt. (x) al. *ut nihil amarius, quam ſint paſſi, deprecentur. Nec jam &c.* (y) al. actæque. (z) al. Adornato. (a) al. longinquæ domo. (b) al. eorum. (c) al. militem. (d) al. *furtivæ non convenire.* (e) al. in campis Adraſtiæ.

Alexandro Lyncista (*f*), genero Antipatri, qui præpositus Macedoniæ erat, parari. Ob quam causam timens, ne quis interfecto eo in Macedonia motus oriretur, in vinculis eum habuit. Post hæc Gordium (*g*) urbem petit, quæ posita est inter Phrygiam majorem & minorem: cujus urbis potiundæ non tam propter prædam cupido eum cepit, sed quod audierat in ea urbe, in templo Jovis jugum plaustri (*h*) Gordii positum, cujus nexum si quis solvisset, eum tota Asia regnaturum, antiqua oracula cecinisse. Hujus rei causa & origo illa fuit. Gordius eum in his regionibus bubus conductis araret, aves eum omnis generis circumvolare cœperunt. Profectus ad consulendos augures vicinæ urbis (*i*), obviam in porta habuit virginem eximiæ pulchritudinis; percontatus eam, *quem potissimum augurem* consuleret: illa audita causa consulendi, gnara artis ex disciplina parentum, *regnum ei portendi*, respondit; polliceturque se & matrimonii & spei sociam. Tam pulchra conditio prima regni felicitas videbatur. Post nuptias inter Phrygas orta seditio est. Consulentibus de fine discordiarum, oracula responderunt, *regem* (*k*) *discordiis opus esse.* Iterato quærentibus de persona regis, jubentur eum regem observare, quem reversi primum in templum Jovis euntem plaustro reperissent. Obvius illis Gordius fuit, statimque eum regem consalutant. Ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum (*l*) fuerat, in tempol Jovis positum, majestati regiæ consecravit. Post hunc filius Mida regnavit, qui ob Orpheo sacrorum solennibus initiatus, Phrygiam religionibus implevit; quibus tutior omni vita, quam armis fuit. Igitur Alexander capta urbe cum in templum Jovis venisset, jugum plaustri requisivit: quo exhibito, cum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, violentius oraculo usus, gladio loramenta cædit: atque ita resolutis nexibus, latentia in nodis capita invenit.

Gordii Phrygiæ regis historia.

Mida Phrygiæ rex.

Alexander Gordium nodum fatalem callide solvit.

CAP. VIII. Hæc illi agenti, nuntiatur, Darium cum ingenti exercitu adventare. Itaque timens angustias, magna celeritate Taurum transcendit, in qua festinatione quingenta stadia cursu fecit. Cum Tarsum venisset, captus Cydni fluminis amœnitate, per mediam urbem influentis, projectis armis, plenus pulveris ac sudoris, in præfrigidam undam se projecit. Tum repente tantus nervos ejus occupavit rigor, ut interclusa voce non spes modo remedii, sed nec dilatio periculi inveniretur. Unus erat ex Medicis, nomine Philippus, qui solus remedium polliceretur: sed & ipsum Parmenionis pridie à Cappadocia missæ epistolæ suspectum faciebant; qui ignarus infirmitatis Alexandri scripserat, à Philippo medico caveret: nam corruptum illum à Dario ingenti pecunia esse. Tutius tamen est ratus, dubiæ se fidei medici credere, quam indubitato morbo (*m*) perire. Accepto igitur poculo, epistolas medico tradidit, atque ita inter bibendum oculos in vultum legentis intendit. Ut securum conspexit, lætior factus est, sanitatemque quarta die recepit.

Alexander Tauro monte conscenso.

In gravissimum morbum incidit.

Et sanitati restituitur.

CAP. IX. Interea Darius cum quadringentis millibus peditum, ac centum millibus equitum in aciem (*n*) procedit. Movebat hæc multitudo hostium, respectu paucitatis suæ Alexandrum; sed interdum reputabat, quantas res cum ista paucitate gessisset, quantosque populos fudisset. Itaque cum spes metum vinceret, periculosius differre bellum ratus, ne desperatio suis cresceret, circumvectus suos, singulas gentes diversa oratione alloquitur; Illyrios & Thracas opum ac divitiarum ostentatione, Græcos veterum bellorum memoria, internecivique cum Persis odii accendebat. Macedones autem nunc Europæ victæ admonet, nunc Asiæ expetitæ; nec inventas illis toto orbe pares vires (*o*) gloriatur. Ceterum & laborum finem hunc; & gloriæ cumulum fore. Atque inter hæc identidem consistere aciem jubet, ut hac mora consuescant oculis turbam hostium sustinere. Nec Darii segnis opera in ordinanda acie defuit. Quippe omissis ducum officiis ipse omnia circumire, singulos hortari, veteris gloriæ Persarum, imperiique perpetuæ à diis immortalibus datæ possessionis admonere. Post hæc prælium ingentibus animis committitur. In eo uterque rex vulneratur. Tamdiu certamen anceps fuit, quoad fugeret Darius. Exinde cædes Persarum secuta est. Cæsa sunt peditum unum & sexaginta millia, equitum decem millia; capta quadraginta millia. Ex Macedonibus cecidere pedestres CXXX. equites CL. In castris Persarum multum auri ceterarumque opum inventum. Inter captivos castrorum mater & uxor eademque soror, & filiæ duæ, Darii fuere. Ad quas visendas hortandasque cum Alexander venisset, conspectis armatis, invicem se amplexæ, velut statim morituræ, complorationem ediderunt. Provolutæ deinde genibus Alexandri, non mortem, sed dum Darii corpus sepeliant, dilationem mortis, deprecantur. Motus tanta mulierum pietate Alexander, & Darium vivere dixit, & timentibus mortis metum dempsit easque haberi ut reginas (*p*) præcepit. Filias quoque non sordidius dignitate patris sperare matrimonium jussit.

Ad alterum prælium apparatus.

Atrox pugna. O. C. 3667. a. C. N. 333 U. C. 320. Ol. III.

Cædes Persarum & fuga Darii.

Cujus uxor mater & filiæ captæ.

Ab Alexandro regie excipiuntur.

CAP. X. Post hæc opes Darii, divitiarumque apparatum contemplatus, admiratione tantarum rerum capitur. Tunc primum luxuriosa convivia, & magnificentiam epularum sectari: tunc Barsenen captivam diligere propter formæ pulchritudinem cœpit. A qua postea susceptum puerum Herculem vocavit. Memor tamen adhuc Darium vivere, Parmenionem ad occupandam Persicam classem, aliosque amicos ad recipiendas Asiæ civitates misit; quæ statim audita fama victoriæ, ipsis Darii præfectus cum auri magno pondere tradentibus se, in potestatem victorum venerunt. Tunc

Alexander à Persarum luxu superatur.

Variæ Victoriæ in Oriente.

(*f*) al. Lyncistarum. (*g*) al. Gordion. (*h*) alii τὸ plaustri omittunt. (*i*) al. augures Telmisinæ urbis. (*k*) al. *rege.* (*l*) al. regnum ei delatum. (*m*) indubitata morte. (*n*) al. in acie. (*o*) al. nec inventos .... pares viros. (*p*) al. haberi & salutari ut reginas.

Tunc in Syriam proficiſcitur: ubi obvios cum infulis multos Orientis reges habuit. Ex his pro meritis ſingulorum alios in ſocietatem recepit, aliis regnum ademit, ſuffectis in loca eorum novis regibus. Inſignis præter ceteros fuit Abdalonimus, rex ab Alexandro Sidoniæ conſtitutus. Quem Alexander, cum operam oblocare (*q*) ad puteos exhauriendos, hortosque irrigandos ſolitus eſſet, miſere vitam exhibentem, regem fecerat, ſpretis nobilibus, ne generis id, non dantis beneficium putarent.

Abdalonimus ex hortulano Sidoniæ Rex.

Tyriorum civitas eum coronam auream magni ponderis, per legatos in titulum gratulationis Alexandro miſiſſet grate munere accepto, Tyrum ſe ire velle ad vota Herculi reddenda, dixit. Cum legati rectius id eum in Tyro vetere & antiquiore templo facturum dicerent, in deprecantes ejus introitum ita exarſit, ut urbi excidium minaretur: confeſtimque exercitu inſulæ applicato non minus animoſis Tyriis fiducia Carthaginenſium, bello excipitur. Augebat enim Tyriis animos Didonis exemplum, quæ Carthagine condita, tertiam partem orbis quæſiſſet; turpe ducentes, ſi feminis ſuis plus animi fuiſſet in imperio quærendo, quam ſibi in tuenda libertate. Amota igitur imbelli ætate Carthaginem, & arceſſitis mox auxiliis, non magno poſt tempore per proditionem capiuntur.

Tyriorum legatio ad Alexandrum.

Tyrus expugnatur. 23. O. C. 3668. a. C. N. 332. U. C. 421. Ol. 112.

CAP. XI. Inde Rhodum Alexander, Ægyptum, Ciliciamque ſine certamine recipit. Ad Jovem deinde Hammonem pergit conſulturus & de eventu futurorum, & de origine ſua. Namque mater ejus Olympias confeſſa viro ſuo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo ſe, ſed ex ſerpente ingentis magnitudinis concepiſſe. Denique Philippus ultimo prope vitæ ſuæ tempore, *filium ſuum non eſſe*, palam prædicaverat. Qua ex cauſa Olympiadem, velut ſtupri compertam, repudio dimiſerat. Igitur Alexander cupiens originem divinitatis acquirere, ſimul & matrem infamia liberare, per præmiſſos ſubornat antiſtites, quid ſibi reſponderi velit. Ingredientem templum, ſtatim antiſtites ut Hammonis filium ſalutant. Ille lætus dei adoptione, hoc ſe patre cenſeri jubet. Rogat deinde: *An omnes interfectores parentis ſui ſit ultus?* reſpondetur: *Patrem ejus nec poſſe interfici nec mori; regis Philippi peractam plene ultionem eſſe.* Tertiam interrogationem (*r*) poſcenti, *victoriam omnium bellorum, poſſeſſionemque terrarum dari* reſpondetur. Comitibus quoque ſuis reſponſum, *ut Alexandrum pro deo, non pro rege colerent.* Hinc illi aucta inſolentia, mirusque animo increvit tumor, exempta comitate, quam & Græcorum literis, & Macedonum inſtitutis didicerat. Reverſus ab Hammone Alexandriam condidit, & coloniam Macedonum caput eſſe Ægyti jubet.

Alexander ad Hammonis templum pergit.

Ubi filius Hammonis ſalutatur.

Alexandriam condit.

CAP. XII. Darius, cum Babyloniam profugiſſet (*s*), per epiſtolas Alexandrum deprecatur, redimendarum ſibi captivarum poteſtatem faciat, inque eam rem magnam pecuniam pollicetur. Sed Alexander in pretium captivarum regnum omne, non pecuniam petit. Interjecto tempore, aliæ epiſtolæ Darii Alexandro redduntur quibus filiæ matrimonium & regni portio offertur. Sed Alexander *ſua ſibi dari* reſcripſit; juſſitque ſupplicem venire, & regni arbitria victori permittere. Tum ſpe pacis amiſſa, bellum Darius reparat; cum quadringentis (*t*) millibus peditum, & centum millibus equitum obviam vadit Alexandro. In itinere nuntiatur, uxorem ejus ex colliſione abjecti partus deceſſiſſe, ejusque mortem illacrymatum Alexandrum, exequiasque benigne proſecutum, idque eum non amoris, ſed humanitatis cauſa feciſſe. Nam ſemel tantum eam Alexandro viſam eſſe, cum matrem filiasque ejus parvulas frequenter conſolaretur. Tunc Darius ſe ratus vere victum, cum poſt tot prælia, etiam beneficiis ab hoſte ſuperaretur, gratumque ſibi eſſe, ſi vincere nequeat, quod à tali potiſſimum vinceretur. Scribit itaque & tertias epiſtolas, & gratias agit, quod nihil in ſuos hoſtile fecerit. Offert deinde majorem partem regni uſque flumen Euphratem, & alteram filiam uxorem, pro reliquis captivis triginta millia talentum. Ad hæc Alexander, *Gratiarum actionem ab hoſte ſupervacaneam eſſe*, reſpondit: *nec à ſe quicquam factum in hoſtis adulationem, nec quod in dubios belli exitus, aut in leges pacis ſibi lenocinia quæreret: ſed animi magnitudine, qua didicerit adverſus vires hoſtium, non adverſus calamitates contendere*; polliceturque, *præſtaturum* (*u*) *ſe ea Dario, ſi ſecundus ſibi, non par haberi velit. Ceterum neque mundum poſſe duobus ſolibus regi; neque orbem ſumma duo regna ſalvo ſtatu terrarum habere; proinde aut deditionem ea die, aut in poſterum aciem paret, nec polliceatur ſibi aliam, quam ſit expertus, victoriam.*

Darii regnum ambit.

Eique pacem petenti recuſat.

CAP. XIII. Poſtera die aciem producunt. Tum (*x*) repente ante prælium confectum curis Alexandrum ſomnus arripuit. Cum ad pugnam ſolus rex deeſſet, à Parmenione ægre excitatus, quærentibus ſomni cauſas omnibus inter pericula, cujus etiam (*y*) in otio ſemper parcior fuerit: *Magno ſe æſtu* (*z*) *liberatum*, ait, *ſomnumque ſibi à repentina ſecuritate datum, quod liceat cum omnibus Darii copiis confligere; veritum ſe longam belli moram, ſi Perſæ exercitum diviſiſſent.* Ante prælium utraque acies hoſtibus ſpectaculo fuit. Macedones multitudinem hominum, corporum magnitudinem, armorumque pulchritudinem mirabantur: Perſæ, à tam paucis victa ſuorum tot millia, ſtupebant. Sed nec duces circumire ſuos ceſſabant. Darius *vix denis armatis ſingulos hoſtes, ſi diviſio fieret, evenire* dicebat. Alexander Macedonas monebat, *ne multitudine hoſtium: nec corporis magnitudine, vel coloris novitate moverentur; tantum meminiſſe jubet, cum iisdem ſe tertio pugnare; nec meliores factos putarent fuga, cum in aciem ſecum tam triſtem memoriam cædium* (*a*) *ſuarum, & tantum ſanguinis duobus præliis fuſi ferrent; & quemadmodum Dario majorem turbam hominum eſſe, ſic virorum* (*b*) *ſibi.* Horta-

Apparatus ad tertium prælium.

Milites utrimque hortantur. Tertium prælium committitur.

(*q*) al. ablocare. (*r*) al. tertia interrogatione. (*s*) al. perfugiſſet. (*t*) al. quadraginta. (*u*) al. *præſentaturum.* (*x*) al. Cum. (*y*) al. cum etiam. (*z*) al. *metu.* (*a*) al. *cladium.* (*b*) al. *virium.*

Hortatur, *spernant (c) illam aciem auro & argento fulgentem, in qua plus prædæ, quam periculi; cum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quæratur.*

Tertium prælium committitur. O. C. 3669. a. C. N. 331. U. C. 422. Ol. 112.

CAP. XIV. Post hæc prælium committitur. Macedones in ferrum cum contemptu toties à se victi hostis ruebant; contra Persæ mori, quam vinci præoptabant. Raro ullo prælio tantum sanguinis fusum est. Darius cum vinci suos videret mori voluit & ipse; sed à proximis fugere compulsus est. Suadentibus deinde quibusdam, ut pons Cydni fluminis, ad iter hostium impediendum, intercideretur (d). *Non ita se saluti suæ velle consultum* ait, *ut tot millia sociorum hosti objiciat: debere & aliis fugæ viam patere, quæ patuerit sibi.* Alexander autem periculosissima quæque aggrediebatur, & ubi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper ingerebat (e), periculaque sua esse, non militum volebat. Hoc prælio Asiæ imperium rapuit, quinto post acceptum regnum anno; cujus tanta felicitas fuit, ut post hoc nemo rebellare ausus sit; patienterque Persæ post imperium tot annorum, jugum servitutis acceperint. Donatis refectisque militibus XXXIV. diebus prædam recognovit. In urbe deinde Susa (f) XL. millia talentum invenit. Expugnat & Persepolim, caput Persici regni, urbem multis annis illustrem, refertamque orbis terrarum spoliis, quæ interitu ejus primum apparuere. Inter hæc DCCC admodum Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captivitatis truncata corporis parte tulerant, rogantes, *ut sicuti Græciam, se quoque ab hostium crudelitate vindicaret.* Data potestate redeundi, agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, quam detestandum sui conspectum reportarent.

Alexandri virtus in eo prælio.

Persæ vincuntur.

Victores præda ingenti potiuntur.

CAP. XV. Interea Darius in gratiam victoris à cognatis suis, aureis compedibus catenisque in vico Parthorum Thara vincitur. Credo, ita diis immortalibus judicantibus (g), ut in terra eorum, qui successuri imperio erant, Persarum regnum finiretur. Alexander quoque citato cursu postera die supervenit, ibique cognovit Darium clauso vehiculo per noctem exportatum. Jusso itaque exercitu subsequi, cum sex millibus equitum, fugientem insequitur; in itinere multa & periculosa prælia facit. Emensus deinde plura (h) millia passuum cum nullum Darii indicium reperisset, respirandi equis data potestate unius ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium, multis quidem vulneribus confossum sed spirantem adhuc invenit; qui applicito captivo, cum civem ex voce cognovisset, *id saltem præsentis fortunæ solatium habere se* dixit, *quod apud intellecturum locuturum esset, nec incassum postremas voces emissurus.* *Perferri hæc Alexandro* jubet, *se nullis in eum meritorum officiis, maximorum illi debitorem (i) mori, quod in matre liberisque suis, regium ejus, non hostilem animum expertus, felicius hostem quam cognatos sortitus sit: quippe matri & liberis suis ab eodem hoste vitam datam, sibi à cognatis ereptam, quibus & vitam & regna dederit: Quamobrem gratiam illis eam futuram, quam ipse victor volet. Alexandro referre se, quam solam moriens potest, gratiam; precari superum inferumque numina, & regales deos, uti illi terrarum omnium victori contingat imperium. Pro se justam magis, quam gravem sepulturæ veniam orare. Quod ad ultionem pertineat, jam non suam, sed exempli, communemque omnium regum esse causam, quam negligere, illi & indecorum & periculosum esse; quippe cum in altero justitiæ ejus, in altero etiam utilitatis causa verseiur. In quam rem unicum pignus fidei regiæ, dextram se ferendam Alexandro dare.* Post hæc porrecta manu exspiravit. Quæ ubi Alexandro nuntiata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est; corpusque regio more sepeliri, & reliquias ejus majorum tumulis inferri jussit.

Alexander Darium fugientem insequitur.

Qui à suis victus & confossus. O. C. 3670. a. C. N. 330. U. C. 423. Ol. 112.

Alexandro salutem dicit.

Et in morte regium animum prodit.

Alexander Darii obitum fletu & regia sepultura decorat.

LIBER XII.

CAPUT I.

Alexandri in retinendo milite solertia.

Alexander, in persequendo Dario amissos milites magnis funerum impensis extulit; reliquis expeditionis ejus sociis, tredecim millia talentum divisit. Equorum major pars æstu amissa, inutilesque etiam, qui superfuerant, facti. Pecunia omnis centum nonaginta millia talentum Ecbatana congesta (k), eique Parmenio præpositus. Dum hæc aguntur, epistolæ Antipatri è Macedonia ei redduntur, quibus bellum Agidis regis Spartanorum in Græcia; bellum Alexandri regis Epiri in Italia; bellum Zopyrionis præfecti ejus in Scythia, continebatur. Quibus varie affectus, plus tamen lætitiæ, cognitis mortibus duorum æmulorum regum, quam doloris amissi cum Zopyrione exercitus, suscepit (l). Namque post profectionem Alexandri, Græcia ferme omnis in occasionem recuperandæ (m) libertatis, ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedæmoniorum secuta, qui Philippi Alexandrique pacem (n) soli spreverant & leges respuerant. Dux hujus belli Agis rex Lacedæmoniorum fuit; quem motus Antipater contractis militibus in ipso ortu oppressit. Magna tamen utrimque cædes fuit. Agis rex cum suos terga dantes videret, dimissis satellitibus, ut Alexandro felicitate, non virtute inferior videretur (o), tantam stragem hostium edidit, ut agmina interdum fugaret. Ad postremum, etsi à multitudine victus, gloria tamen omnes vicit.

Græci absente Alexandro bellum reparant.

Qui tamen vincuntur.

CAP. II.

(c) al. *spectent.* (d) al. intercluderetur. (e) al. immergebat. (f) al. Susis. (g) al. indicantibus. (h) al. multa. (i) al. *illi se debitorem.* (k) al. Ecbatana nuper congesta. (l) al. cepit. (m) al. reciperandæ. (n) al. Alexandrique & pacem. (o) al. ut Alexandro si non felicitate par, virtute non inferior videretur.

Alexander Rex Epiri Italiam turbat.

CAP. II. Porro Alexander, rex Epiri, in Italiam à Tarentinis, auxilia adversus Bruttios deprecantibus, sollicitatus, ita cupide profectus fuerat, veluti in divisione orbis terrarum, Alexandro, Olympiadis sororis suæ filio, Oriens, sibi Occidens sorte contigisset; non minorem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaque, quam ille in Asia, & in Persis habiturus. Huc accedebat, quod, sicut Alexandro Magno Delphica oracula insidias in Macedonia; ita huic responsum Dodonæi Jovis circa (p) urbem Pandosiam, amnemque Acherusium prædixerat. Quæ utraque cum in Epiro essent, ignarus eadem & in Italia esse, ad declinanda fatorum pericula, peregrinam militiam cupidius elegerat. Igitur, cum in Italiam venisset, primum illi bellum cum Appulis fuit: quorum cognito urbis fato, brevi post tempore pacem & amicitiam cum rege eorum fecit. Erat namque tunc temporis urbs Appulis Brundusium (q), quam Ætoli, sequuti dudum (r) fama rerum in Troja gestarum clarissimum ac nobilissimum ducem Diomedem, condiderant; sed pulsi ab Appulis, consulentes oracula responsum acceperant, *locum, quem repetissent, perpetuo possessuros.* Hac igitur ex causa, per legatos cum (s) belli comminatione, restitui sibi ab Appulis urbem postulaverant. Sed ubi Appulis oraculum innotuit, interfectos legatos in urbe sepelierant (t), perpetuam ibi sedem habituros. Atque ita defuncti responso diu urbem possederunt. Quod factum cum cognovisset Alexander, antiquitatis fata veneratus, bello Appulorum abstinuit. Gessit & cum Bruttiis Lucanisque bellum, multasque urbes cepit; tum & cum Metapontinis, & Pediculis (u), & Romanis, fœdus amicitiamque fecit. Sed Bruttii Lucanique, cum auxilia à finitimis contraxissent, acrius bellum repetivere. Ibi rex juxta urbem Pandosiam, & flumen Acheronta (x), non prius fatalis loci cognito nomine, quam occideret, interficitur; moriensque, non in patria fuisse sibi periculosam mortem, propter quam patriam fugerat, intellexit. Corpus ejus Thurii publice redemptum sepulturæ tradiderunt. Dum hæc aguntur in Italia, Zopyrion quoque præfectus Ponti ab Alexandro Magno relictus, otiosum se ratus, si nihil & ipse gessisset, adunato XXX millium exercitu, Scythis bellum intulit; cæsusque cum omnibus copiis, pœnas temere illati belli genti innoxiæ luit.

Appulorum fatum.

Alexander Rex Epiri interficitur.

Zopyrion à Scythis vincitur.

Alexandri M. simulatio.

CAP. III. Hæc cum nuntiata in Parthis Alexandro essent, simulato mœrore, propter Alexandri cognationem, exercitui suo triduum (y) luctum indixit. Omnibus deinde, velut perpetrato bello, reditum in patriam exspectantibus (z), conjugesque ac liberos suos animo (a) jam quodammodo complectentibus, ad concionem exercitum vocat: *Ibi nihil actum tot egregiis prœliis*, ait, *si incolumis Orientalis barbaria relinquatur; nec se corpus, sed regnum Darii petisse, persequendosque esse eos, qui à regno defecerint.* Hac oratione velut ex integro incitatis militum animis Hyrcaniam, Mardosque subegit. Ibi ei occurrrit Thalestris sive Minithæa (b), Amazonum regina, cum CCC mulieribus, XXV dierum inter infestissimas (c) gentes itinere confecto, ex rege liberos quæsitura: cujus conspectus adventusque admirationi omnibus fuit, & propter insolitum feminis habitum, & propter expetitum concubitum. Ob hoc tredecim diebus otio à rege datis, ut visa est uterum implesse, discessit. Post hæc Alexander habitum regum Persarum, & diadema, insolitum antea regibus Macedonicis, velut in leges eorum, quos vicerat, transiret, assumit. Quæ ne invidiosius in se uno conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem auratam purpureamque sumere jubet. Ut luxum quoque, sicuti cultum Persarum imitaretur, inter pellicum regiarum greges electæ pulchritudinis nobilitatisque, noctium vices dividit. His rebus ingentes epularum apparatus adjicit, ne jejuna & destructa luxuria videretur, conviviumque juxta regiam magnificentiam ludis exornat; immemor prorsus, tantas opes amitti his moribus, non quæri solere.

Ambitio.

Cum Thalestri concubitus.

Alexandri luxus more Persarum.

Et profusiones.

Alexander Macedones tumultuantes in officio continet.

CAP. IV. Inter hæc indignatio omnium totis castris erat, à Philippo illum patre tantum degeneravisse, ut etiam patriæ nomen ejuraret, moresque Persarum assumeret, quos propter tales mores vicerat. Sed ne solus vitiis eorum, quos armis subegerat, succubuisse videretur; militibus quoque suis permisit, si quarum captivarum consuetudine tenerentur, ducere uxores; existimans minorem in patriam reditus cupiditatem futuram, habentibus in castris imaginem quandam larium, ac domesticæ sedis; simul & laborem militiæ molliorem fore dulcedine uxorum. In supplementa quoque militum minus exhauriri posse Macedoniam, si veteranis patribus tirones filii succederent, militaturi in vallo, in quo essent nati; constantioresque futuri, si non solum tirocinia, verum & incunabula in ipsis castris posuissent. Quæ consuetudo in successores (d) quoque Alexandri mansit. Igitur & alimenta pueris statuta, & instrumenta armorum equorumque juvenibus data; & patribus, pro numero filiorum, præmia statuta. Si quorum patres occidissent, nihilominus pupilli stipendia patrum trahebant, quorum pueritia inter varias expeditiones militia erat. Itaque à parvula ætate periculis laboribusque indurati, invictus exercitus fuere: neque castra aliter quam patriam neque pugnam aliud unquam quam victoriam duxere. Hæc suboles nomen habuit Epigoni. Parthis deinde domitis, præfectus his statuitur ex nobilibus Persarum Andragoras; unde postea originem Parthorum reges habuere.

Alexander in domesticos suos ferrum stringit.

Inter quos Parmenion cum filio.

CAP. V. Interea Alexander non regio, sed hostili odio (e) sævire in suos cœpit. Maxime indignabatur carpi se (f) sermonibus suorum, Philippi patris, patriæque mores subvertisse. Propter quæ crimina, Parmenion (g) quoque senex, dignitate regi proximus, cum

Mmmm Philota

(p) alii τὸ circa omittunt. (q) al. Brundisium. (r) al. tum. (s) al. sub. (t) al. sepelierunt. (u) al. Peditulis. (x) al. Acherusium. (y) al. tridui. al. triduo. (z) al. spectantibus. (a) alii τὸ animo omittunt. (b) al. Minythia. (c) al. confertissimas. (d) al. in successoribus. (e) al. hostili more. (f) alii τὸ se omittunt. (g) al. Parmenio.

Philota filio, de utroque prius quæstionibus habitis, interficitur. Fremere itaque omnes universis castris cœpere, innoxii senis filiique casum miserantes, interdum, *se quoque non debere melius sperare*, dicentes. Quæ cum nuntiata Alexandro essent, verens, ne hæc opinio etiam in Macedoniam (*h*) divulgaretur, & ne victoriæ gloria sævitiæ macula infuscaretur, simulat se ex amicis quosdam in patriam victoriæ nuntios missurum. Hortatur milites suis scribere, rariorem habituros occasionem, propter militiam remotiorem. Datos fasces epistolarum tacite ad se deferri jubet; ex quibus cognito de se singulorum judicio, in unam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerant, contribuit, aut consumpturus eos, aut in ultimis terris in colonias distributurus. Inde Drancas, Evergetas, Parymas, Parapammenos, Adaspios, ceterosque populos, qui in radice Caucasi morabantur, subegit. Interea unus ex amicis Darii Bessus, vinctus perducitur, qui regem non solum prodiderat, verum & interfecerat. Quem in ultionem perfidiæ excruciandum fratri Darii tradidit, reputans, non tam hostem suum fuisse Darium, quam amicum ejus, à quo esset occisus. Et ut his terris nomen relinqueret, urbem Alexandriam super amnem Tanaïm condidit, intra diem septimum decimum muro ut millium passuum consummato, translatis eo trium civitatium populis (*i*), quas Cyrus condiderat. In Bactrianis quoque Sogdianisque XII urbes condidit, distributis his, quoscunque in exercitu seditiosos habebat.

Nova ratione adversarios ulciscitur.

Multos populos subigit.

Bessum interfectorem Darii de medio tolli curat.

Varias urbes condit.

CAP. VI. His ita gestis solenni die amicos in convivium vocat (*k*). Ubi orta inter ebrios rerum à Philippo gestarum mentione, præferre se patri ipse rerumque suarum magnitudinem extollere cœlo tenus cœpit, assentante majore convivarum parte. Itaque cum unus è senibus Clitus, fiducia amicitiæ regiæ, cujus palmam tenebat, memoriam Philippi tueretur, laudaretque ejus res gestas, adeo regem offendit, ut telo à satellite rapto, eundem in convivio trucidaverit. Qua cæde exsultans, mortuo patrocinium Philippi, laudemque paternæ militiæ objectabat. Postquam satiatus cæde animus conquievit, & in iræ locum successit æstimatio, modo personam occisi, modo caussam occidendi considerans, pigere eum facti cœpit: quippe paternas laudes tam iracunde accepisse se, quam nec convitia debuisset; amicumque senem & innoxium, à se occisum inter epulas & pocula, dolebat. Eodem igitur furore in pœnitentiam, quo pridem (*l*) in iram versus, mori voluit. Primum in fletus progressus, amplecti mortuum, vulnera tractare, & quasi audienti confiteri dementiam; arreptum telum in se vertit, peregisset facinus, nisi amici intervenissent. Mansit hæc voluntas moriendi etiam sequentibus diebus. Accesserat enim pœnitentiæ (*m*) nutricis suæ, sororis Cliti, recordatio, cujus absentis eum maxime pudebat; tam fœdam illi alimentorum suorum mercedem redditam, ut, in cujus manibus pueritiam egerat, huic juvenis & victor, pro beneficiis funera remitteret. Reputabat deinde, quantum in exercitu suo, quantum apud devictas gentes fabularum atque invidiæ, quantum apud ceteros amicos metum & odium sui fecerit; quam amarum & triste reddiderit convivium suum; non armatus in acie, quam in convivio terribilior. Tunc Parmenion & Philotas, tunc Amyntas consobrinus; tunc noverca fratresque interfecti: tunc Attalus, Eurylochus, Pausanias aliique Macedoniæ extincti principes, occurrebant. Ob hæc illi quatriduo perseverata inedia est, donec exercitus universi precibus exoratus est, precantis, *Ne ita mortem* (*n*) *unius doleat, ut universos perdat, quos in ultimam deductos Barbariam, inter infestas & irritatas bello gentes, destituat.* Multum profuere & Callisthenis philosophi preces, condiscipulatu apud Aristotelem familiaris illi, & tunc ab ipso rege ad prodenda memoriæ acta ejus accitus. Revocato igitur ad bellum animo, Chorasmos & Dahas in deditionem accepit.

Alexandri jactantia in convivio.

Quam cum reprehendit Clitus ab Alexandro trucidatur.

Quem sera pœnitentia luget.

Alexander multos alios interficit.

CAP. VII. Deinde, quod primo ex Persico superbiæ regiæ more distulerat, ne omnia pariter invidiosiora essent, non salutari, sed adorari se jubet. Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit. Quæ res & illi, & multis principibus Macedonum exitio fuit; siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti. Retentus tamen est à Macedonibus mos salutandi regis, explosa adoratione. Post hæc Indiam petit, ut Oceano, ultimoque Oriente finiret imperium. Cui gloriæ ut etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum, & arma militum, argento inducit, exercitumque suum, ab argenteis clypeis, *Argyraspidas* appellavit (*o*). Cum ad Nysam urbem venisset, oppidanis non repugnantibus, fiducia religionis Liberi patris, à quo condita urbs erat, parci jussit; lætus non militiam tantum, verum & vestigia se dei sequutum. Tunc ad spectaculum sacri montis duxit exercitum, naturalibus bonis, vite, hederaque non aliter vestiti, quam si manu cultus, colentiumque industria exornatus esset. Sed exercitus ejus, ubi ad montem accessit, repentino impetu mentis, in sacros dei ululatus instinctus, cum stupore regis, sine noxa discurrit; ut intelligeret, non tam oppido se parcendo, quam exercitui suo consuluisse. Inde montes Dædalos, regnaque Cleofidis reginæ petit. Quæ cum se dedidisset (*p*) ei, concubitu redemptum regnum ab Alexandro recepit; illecebris consecuta, quod virtute non potuerat (*q*); filiumque ab eo genitum, Alexandrum nominavit, qui postea regnum Indorum potitus est. Cleofis regina, propter pollutam pudicitiam, scortum regium ab Indis exinde appellata est. Peragrata India, cum ad saxum miræ asperitatis & altitudinis, (*r*) in quod multi populi confugerant, pervenisset, cognoscit. Herculem ab expugnatione ejusdem saxi terræ motu prohibitum. Captus itaque cupidine, Herculis acta superare, cum summo

Alexander adorari se jubet.

Recusantes interficit.

Bacchi vestigiis delectatur.

Herculis gesta superare contendit.

(*h*) al. Macedonia. (*i*) al. translatis earum civitatium populis. (*k*) al. convocat. (*l*) al. pridie. (*m*) al. ad pœnitentiam. (*n*) al. *morte.* (*o*) al. appellat. (*p*) al. dedisset. (*q*) al. poterat. (*r*) al. miræ magnitudinis & asperitatis.

mo labore ac periculo potitus saxo, omnes ejus loci gentes in deditionem accipit.

Porum Indorum regem vincit. O. C. 3673. a. C. N. 327. U. C. 426. Ol. 113.

CAP. VIII. Unus ex regibus Indorum fuit, Porus nomine, viribus corporis & animi magnitudine pariter insignis; qui bellum jam pridem, audita Alexandri opinione, in adventum ejus parabat. Commisso itaque prælio, exercitum suum Macedonas invadere jubet, sibi regem eorum privatum hostem deposcit. Nec Alexander pugnæ moram fecit, sed prima congressione vulnerato equo, cum præceps ad terram decidisset (s), concursu satellitum servatur. Porus multis vulneribus obrutus capitur.

Capit.

(7) Qui victum se adeo doluit, ut, cum veniam ab hoste accepisset (t), neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit; ægreque sit ab eo obtentum, ut vellet vivere.

Regie excipit & dimittit.

Quem Alexander ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit. Duas ibi urbes condidit, unam Nicæam (u), alteram, ex nomine equi, Bucephalen vocavit.

Alexander multis populis expugnatis.

Inde Adrestas, Gesteanos, Præsidas, Gangaridas (x) cæsis eorum exercitibus, expugnat. Cum ad Cuphites venisset, ubi cum CC millibus equitum hostes opperiebantur (y), exercitus omnis, non minus victoriarum numero, quam laboribus fessus, lacrymis eum deprecatur, *Finem tandem belli* (z) *faceret, aliquando patriæ reditusque meminisset; respiceret militum annos, quibus vix ætas ad reditum sufficeret.* Ostendere alius caniciem, alius vulnera, alius ætate consumpta corpora, alius cicatricibus exhausta: *Solos se esse, qui duorum regum, Philippi Alexandrique, continuam militiam pertulerint.* Tandem orare, *ut reliquias saltem suas paternis sepulchris reddat, quorum non studiis* (a) *deficiatur, quam annis. Ac si non militibus, vel ipse* (b) *sibi parcat, ne fortunam suam nimis onerando fatiget.*

Exercitui quietem promittit.

Motus his tam justis precibus, velut in finem victoriæ, castra solito magnificentiora fieri jussit, quorum molitionibus & hostis terreretur, & posteris admiratio sui relinqueretur. Nullum opus milites lætius fecere. Itaque cæsis hostibus (c), cum gratulatione in eadem (d) reverterunt.

CAP. IX. Inde Alexander ad amnem Acesinem pergit: per hunc in Oceanum devehitur.

Bellum instaurat. O. C. 3674. a. C. N. 326. U. C. 427. Ol. 113.

Ibi Hiacensanas Sileosque (e) quos Hercules condidit, in deditionem accepit. Hinc in Ambros & Sugambros navigat. Quæ gentes eum armatis LXXX. millibus peditum, & LX. millibus equitum excipiunt.

In Sugambrorum urbe de vita certat & periclitatur.

Cum prælio victor esset, exercitum ad urbem eorum ducit. Quam desertam a defensoribus, cum de muro quem primus ceperat, animadvertisset, in urbis planiciem sine ullo satellite desiliit. Itaque cum eum hostes solum conspexissent, clamore edito, undique concurrunt, si possint (f) in uno capite orbis bella finire, & ultionem tot gentibus dare. Nec minus Alexander constanter resistit (g), & unus adversus tot millia præliatur. Incredibile dictu est, ut eum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit, solus tot millia ceciderit ac fugaverit. Ubi vero obrui multitudine se vidit, trunco se, qui propter (h) murum stabat, applicuit: cujus auxilio tutus, cum diu agmen sustinuisset, tandem cognito periculo ejus, amici ad eum desiliunt, ex quibus multi cæsi: præliumque tamdiu anceps fuit, quoad omnis exercitus, muris dejectis (i), in auxilium veniret. In eo prælio sagitta sub mamma trajectus cum sanguinis fluxu deficeret, genu posito tam diu præliatus est, donec eum, à quo vulneratus fuerat, occideret. Curatio vulneris gravior ipso vulnere fuit.

CAP. X. Itaque ex magna desperatione tandem saluti redditus, Polyperchonta (k) cum exercitu Babyloniam mittit.

Oceanum lustrat.

Ipse cum lectissima manu navibus conscensis, Oceani littora peragrat. Cum venisset ad urbem Ambigeri regis, oppidani invictum ferro audientes, sagittas veneno armant; atque ita gemino mortis vulnere, hostem à muris summoventes, plurimos interficiunt.

Sagittæ veneno armatæ.

Cum inter multos vulneratus etiam Ptolemæus esset, moriturusque jamjam videretur, per quietem regi monstrata in remedia veneni herba est: qua in potu accepta, statim periculo liberatus est, majorque pars exercitus hoc remedio servata. Expugnata deinde urbe reversus in naves, Oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus: ac veluti curru circa metam acto, positis imperii terminis, quatenus aut terrarum solitudines prodire passæ sunt, aut mare navigabile fuit, secundo æstu ostio fluminis Indi invehitur.

Imperii terminos statuit Alexander.

Ibi in monumenta rerum à se gestarum, urbem Barcen condidit; arasque statuit, relicto ex numero amicorum, littoralibus Indis præfecto.

Barcen urbem condit.

Inde iter terrestre facturus, cum arida loca medii itineris dicerentur, puteos opportunis locis fieri præcipit: quibus ingenti dulci aqua inventa, Babyloniam redit.

Præfectos vita privat.

Ibi multæ devictæ gentes, præfectos suos accusaverunt, quos sine respectu amicitiæ, Alexander in conspectu legatorum necari jussit.

Statiram in matrimonium recipit.

Filiam post hæc Darii regis, Statiram, in matrimonium recepit: sed & optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines tradidit, ut communi facto crimen regis levaretur.

Alexandri liberalitas.

CAP. XI. Hinc ad concionem exercitum vocat, & promittit, se æs alienum omnium propria impensa soluturum, ut prædam præmiaque integra domos (l) ferant. Insignis hæc munificentia non summa tantum (m), verum etiam titulo muneris fuit, nec à debitoribus magis, quam à creditoribus gratius excepta; quo-

(s) al. cecidisset. (t) al. apud hostem invenisset. (u) al. Niceam. (x) al. Andresteas, Assacenos, Prasios, Gandarias. (y) al. ubi cum hostium ducenta millia equitum opperiebantur (z) al. *bellis.* (a) al. *non tam studiis.* (b) al. *ipsi.* (c) al. hostiis. (d) al. via eadem. (e) al. Agesinas Syrosque. al. Gesonas Azybosque. al. Gesonas Sibasque. (f) al. si possent. (g) al. restitit. (h) al. qui tum propter &c. (i) al. dejectus. (k) al. Polysperchon. (l) al. domum. (m) al. non summa tantum commendata.

(7) Qui victum) Victoriam hanc Alexandri M. de Poro numus Tab. LXIX. num. 1. designat, ut adstruit BEGER. Th. Br. T. I. p. 241.

quoniam utrisque exactio pariter ac solutio difficilis erat, xx. millia (*n*) talentum in hos sumptus expensa. Dimissis veteranis, exercitum junioribus supplet. Sed retenti veteranorum discessum ægre ferentes, missionem & ipsi flagitabant; nec annos, sed stipendia sua numerari jubebant; pariter in militiam lectos, pariter sacramento solvi, æquum censentes: nec jam precibus, sed convitio agebant, jubentes eum solum cum patre suo Hammone inire bella, quatenus milites suos fastidiat. Contra ille nunc castigare milites, nunc lenibus verbis monere, ne gloriosam militiam seditionibus infuscarent. Ad postremum cum verbis nihil proficeret, ad corripiendos seditionis auctores, è tribunali in concionem armatam inermis ipse desiliit, & nemine prohibente; tredecim correptos, manu sua ipse ad supplicia (*o*) duxit: tantam vel illis moriendi patientiam metus regis, vel huic exigendi supplicii constantiam disciplina militaris dabat.

Severitas.

CAP. XII. Inde separatim auxilia Persarum in concione alloquitur. Laudat perpetuam illorum, tum in se, tum in pristinos reges fidem; sua in illos beneficia commemorat: *Ut nunquam quasi victos, sed veluti victoriæ socios habuerit: denique se in illorum, non illos in gentis suæ morem transisse; affinitatibus connubiorum, victos victoribus miscuisse: Nunc quoque* ait, *custodiam corporis sui non Macedonibus tantum se, verum & illis crediturum.* Atque ita mille ex his juvenes in numerum satellitum legit: auxiliorum quoque portionem, formatam in disciplinam (*p*) Macedonum exercitui suo miscet. Quam rem ægre Macedones tulerunt, jactantes, hostes suos in officium suum à rege subjectos (*q*). Tunc universi flentes, regem adeunt: orant, *Suppliciis suis potius saturet se, quam contumeliis.* Qua modestia obtinuerunt, ut undecim millia militum veteranorum exauctoraret. Sed & ex amicis dimissi senes, Polyperchon, Clitus, Gorgias, Polydamas, Amadas (*r*), Antigenes. Dimissis his Craterus præponitur, jussus præesse Macedonibus in Antipatri locum, Antipatrumque cum supplemento tironum in locum ejus evocat: stipendia revertentibus, veluti militantibus data. Dum hæc aguntur, unus ex amicis ejus Ephæstion decedit, dotibus primo formæ pueritiæque, mox obsequiis regi percarus: quem contra decus regium Alexander diu luxit; tumulumque ei xii. millium talentorum fecit, eumque post mortem coli ut deum jussit.

Macedones seditiosos iterum ad officium revocat.

Ephæstionis obitus & tumulus.

CAP. XIII. Ab ultimis littoribus Oceani Babyloniam reverenti nuntiatur, legationes Carthaginiensium, ceterarumque Africæ civitatium, sed & Hispaniarum, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, non nullas quoque ex Italia ejus adventum Babyloniæ opperiri. Adeo universum terrarum orbem nominis ejus terror invaserat, ut cunctæ gentes veluti destinato sibi regi adularentur. Hac igitur ex causa Babyloniam festinanti, veluti conventum terrarum orbis acturo, quidam ex Magis prædixit, *ne urbem introiret*, testatus *hunc locum ei fatalem fore.* Ob hoc omissa Babylonia, in Borsippam urbem trans Euphraten (*s*) desertam olim, concessit. Ibi ab Anaxarcho philosopho compulsus est rursum Magorum prædicta contemnere, ut falsa & incerta; & si fatis constent, ignota mortalibus; at si naturæ debeantur, immutabilia. Reversus igitur Babyloniam, multis diebus otio datis, intermissum olim convivium solenniter instituit: totusque in lætitiam effusus, cum diei noctem pervigilem junxisset, recedentem jam è convivio Medius Thessalus, instaurata comessatione, & ipsum & sodales ejus invitat. Accepto poculo, media potione repente veluti telo confixus, ingemuit: elatusque è convivio semianimis, tanto dolore cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret, factumque hominum velut vulnera indolesceret. Amici causam morbi intemperiem ebrietatis disseminaverunt: re autem vera insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum protentia oppressit.

Legationes occidentalium provinciarum ad Alexandrum.

Babyloniam petit.

In convivio in letalem morbum incidit.

CAP. XIV. Auctor insidiarum Antipater fuit; qui (*t*) cum carissimos amicos ejus interfectos videret; Alexandrum Lyncistam (*u*), generum suum occisum: se magnis rebus in Græcia gestis, non tam gratum apud regem, quam invidiosum esse: a matre quoque ejus Olympiade variis se criminationibus vexatum. Huc accedebant ante paucos dies supplicia in præfectos devictarum nationum crudeliter habita. Ex quibus rebus se quoque à Macedonia non ad societatem militiæ, sed ad pœnam evocatum arbitrabatur. Igitur ad occupandum regem, Cassandrum filium dato veneno subornat, qui cum fratribus Philippo & Jolla ministrare regi solebat: cujus veneni tanta vis fuit, ut non ære, non ferro, non testa contineretur, nec aliter ferri, nisi in ungula equi potuerit: præmonito filio, ne alii quam Thessalo, & fratribus crederet. Hac igitur ex causa, apud Thessalum, paratum repetitumque convivium est. Philippus & Jollas prægustare ac temperare potum regis soliti, in aqua frigida venenum habuerunt, quam prægustatæ jam potioni supermiserunt.

Alexander M. Antipatri artibus veneno extinguitur.

CAP. XV. Quarta die Alexander indubitatam mortem sentiens, *Agnoscere se fatum domus majorum suorum* ait, *nam plerosque Æacidarum intra trigesimum annum defunctos.* Tumultuantes deinde milites, insidiis perisse regem suspicantes, ipse sedavit, eosque omnes cum prolatus in editissimum urbis locum esset, ad conspectum suum admisit, osculandamque dextram suam flentibus porrexit. Cum lacrimarent omnes, ipse non sine lacrimis tantum, verum etiam sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes consolatus sit; quibusdam mandata ad parentes eorum dederit. Adeo, sicuti in hostem, ita & in mortem invictus animus fuit. Dimissis militibus, amicos circumstantes percontatur, *Videanturne similem sibi reperturi regem?* Tacentibus cunctis, tum ipse, *hoc nesciat, ita illud scire, vaticinarique se, ac pene oculis videre* dixit, *quantum sit*

Alexandri moribundi novissima verba.

(*n*) al. tria & viginti millia. (*o*) al. in supplicium. (*p*) al. disciplina. (*q*) al. sublectos. al. subactos. al. suffectos. (*r*) al. Amyntas. (*s*) al. In Bursiam urbem trans Eufratem. (*t*) alii τὸ qui omittunt. (*u*) al. Lynciften. al. Lyncistarum.

sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia; quantis cædibus, quo cruore, mortuo sibi parentatura. Ad postremum, corpus suum in Hammonis templo (*x*) condi jubet. Cum deficere eum amici viderent, quærunt, *Quem imperii faciat heredem?* respondit, *Dignissimum*. Tanta illi magnitudo animi fuit, ut cum Herculem filium, cum fratrem Aridæum, cum Roxanem uxorem prægnantem relinqueret; oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet heredem. Prorsus quasi nefas esset, viro forti alium quam virum fortem succedere, aut tanti regni opes aliis, quam probatis relinqui. Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt, & ambitione vulgi tacitum favorem militum quærunt. Sexto die præclusa voce, exemptum digito anulum Perdiccæ tradidit, quæ res gliscentem amicorum dissensionem sedavit. Nam etsi non voce nuncupatus heres, judicio (*y*) tamen electus esse videbatur.

Alexander M. moritur. O.C. 3677. a. C.N. 323. U.C. 430. Ol. 114.

CAP. XVI. Decessit Alexander mensem unum, annos tres & triginta natus; vir supra humanam potentiam magnitudine animi præditus. Qua nocte eum mater Olympias concepit, visa per quietem est cum ingenti serpente volutari (*z*): nec decepta somnio est. Nam profecto majus humana mortalitate, opus (*a*) utero tulit: quam cum Æacidarum gens ab ultima seculorum memoria, & regna patris, fratris, mariti, ac deinceps majorum omnium illustraverint: nullius tamen nomine quam filii, clarior fuit. Prodigia magnitudinis ejus in ipso ortu nonnulla apparuere. Nam ea die, qua natus est, duæ aquilæ tota die præpetes supra culmen domus patris ejus sederunt, omen duplicis imperii, Europæ Asiæque præferentes. Eadem quoque die nuntium pater ejus duarum victoriarum accepit; alterius belli Illyrici; alterius certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat; quod omen universarum terrarum victoriam infanti portendebat. Puer acerrimis (*b*) literarum studiis eruditus fuit. Exacta pueritia, per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto omnium philosophorum, crevit. Accepto deinde imperio, *Regem se terrarum omnium ac mundi* appellari jussit; tantamque fiduciam sui militibus fecit, ut illo præsente nullius hostis arma, nec inermes, timuerint. Itaque (8) cum nullo hostium unquam congressus est, quem non vicerit nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit; nullam gentem adiit, quam non calcaverit. Victus denique ad postremum est non virtute hostili, sed insidiis suorum & fraude civili.

Alexandri elogium.

Prodigia magnitudinis Alexandri M.

Virtute omnia vicit, ipse insidiis victus.

LIBER XIII.

CAPUT I.

Luctus universalis post Alexandri M. excessum.

Extincto in ipso ætatis ac victoriarum flore Alexandro Magno, triste apud omnes tota Babylone silentium fuit. Sed nec devictæ gentes fidem nuntio habuerunt, quod ut invictum regem, ita immortalem esse crediderant; recordantes, quoties præsenti morte (*c*) ereptus esset; quam sæpe pro amisso, repente se non sospitem tantum suis, verum etiam victorem obtulisset. Ut vero mortis ejus fides adfuit, omnes barbaræ gentes paulo ante ab eo devictæ, non ut hostem, sed ut parentem luxerunt. Mater quoque Darii regis, quam amisso filio, à fastigio tantæ majestatis in captivitatem redactam, indulgentia victoris, in eam diem vitæ non pœnituerat, audita morte Alexandri, mortem sibi ipsa conscivit; non quod hostem filio præferret, sed quod pietatem filii in eo, quem ut hostem timuerat, experta esset. Contra Macedones versa vice, non ut civem, ac tantæ majestatis regem, verum ut hostem amissum, gaudebant; severitatem nimiam, & assidua belli pericula exsecrantes. Huc accedebat, quod principes regnum & imperia; vulgus militum thesauros & grande pondus auri, velut inopinatam prædam, spectabant; illi successionem regni, hi opum ac divitiarum hereditatem cogitantes. Erant enim in thesauris quinquaginta millia talentum, & in annuo vectigali tributo, tricena millia. Sed nec amici Alexandri frustra regnum spectabant (*d*). Nam ejus virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares. Quippe ea formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos ignoraret, non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe electos judicaret. Neque enim unquam ante Macedonia, vel ulla gens alia tam clarorum virorum proventu floruit: quos primo Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, ut non tam ad societatem belli, quam in successionem regni, electi viderentur. Quis igitur miretur, talibus ministris orbem terrarum victum, cum exercitus Macedonum tot, non ducibus, sed regibus regeretur? qui nunquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent; multosque Macedonia pro uno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.

Præsertim matris Darii.

Macedonum ingratitudo.

Militum avaritia.

Ducum ambitio.

Eorum qualitas.

CAP. II. Ceterum, occiso Alexandro, non, ut læti, ita & securi fuere, omnibus unum locum competentibus: nec minus milites invicem se (*e*) timebant, quorum & libertas solutior, & favor incertus erat. Inter ipsos vero, æqualitas discordiam augebat, nemine tantum ceteros excedente, ut ei aliquis se (*f*) summitteret. Armati itaque in regiam coëunt, ad formandum rerum præsentium statum. Perdicca censet, *Roxanes exspectari partum, quæ exacto*

Ducum exercitus sententiæ pugnantes de Alexandri successore.

(*x*) al. templum. (*y*) al. indicio. (*z*) al. voluptari. (*a*) al. onus. (*b*) al. acerrimus. (*c*) al. præsenti morti. (*d*) al. exspectabant. (*e*) al. inter se. (*f*) al ut ei se aliquis.

(8) Cum nullo hoste . . . . . quam non calcaverit) Has Alexandri victorias jactat numus Tab. LXIX. num. 2. in quo Victoria Alexandro invicto laureas porrigit. Conf. BEGER. T. I. p. 242.

exacto mense octavo matura jam ex Alexandro erat; & si puerum peperisset, hunc dari successorem patri. Meleager *negat differenda in partus dubios consilia: nec expectandum dum reges nascerentur, cum jam genitis uti liceret: seu puer illis placeat, esse Pergami filium Alexandri natum ex Barsine, nomine Herculem; seu mallent juvenem, esse in castris fratrem Alexandri Aridæum, comem & cunctis non suo tantum, verum & patris Philippi nomine acceptissimum. Ceterum Roxanen esse originis Persicæ; nec esse fas, ut Macedonibus ex sanguine eorum, quorum regna deleverint, reges constituantur; quod nec ipsum Alexandrum voluisse* dicit. *Denique morientem nullam de eo mentionem habuisse.* Ptolemæus recusabat regem Aridæum, *non propter maternas modo sordes, quod ex Larissæo scorto nasceretur; sed etiam propter valetudinem (g) majorem, quam patiebatur; ne ille nomen regis, alius imperium teneret; melius esse ex his legi, qui pro virtute regi suo proximi fuerint, qui provincias regant, quibus bella mandentur, quam sub persona regis indignorum subjiciantur imperio.* Vicit Perdiccæ sententia consensu universorum. Placuit itaque Roxanis exspectari partum; & si puer natus fuisset, tutores Leonatum, Perdiccam, Crateron, & Antipatrum constituunt confestimque in tutorum obsequia jurant.

Perdiccæ sententia vicit.

Pedites sententiæ Perdiccæ reclamant.

CAP. III. Cum equites quoque idem fecissent, pedites indignati, nullas sibi consiliorum partes relictas, Aridæum, Alexandri fratrem, regem appellant, satellitesque illi ex tribu (h) sua legunt, & nomine Philippi patris vocari jubent. Quæ cum nuntiata equitibus essent, legatos ad mitigandum (i) eorum animos, duos ex proceribus, Attalum & Meleagrum mittunt, qui potentiam ex vulgi adulatione quærentes, omissa legatione, militibus consentiunt. Statim & seditio crevit, ubi caput & consilium habere cœpit. Tunc ad delendum equitatum cuncti armati regiam irrumpunt: quo cognito, equites trepidi ab urbe discedunt, castrisque positis, & ipsi pedites terrere (k) cœperunt. Sed nec procerum inter se odia cessabant. Attalus ad interficiendum Perdiccam, ducem partis alterius, mittit: ad quem armatum, & ultro vocantem, (l) cum accedere percussores ausi non fuissent; tanta constantia Perdiccæ fuit, ut ultro ad pedites veniret, & in concionem vocatos doceret, quod facinus molirentur: *Respicerent, contra quos arma sumpsissent: non illos Persas, sed Macedonas; non hostes, sed cives esse; plerosque etiam cognatos eorum, certe commilitones, eorundem castrorum ac periculorum socios; edituros deinde egregium hostibus suis spectaculum, ut quorum armis victos se doleant, eorum mutuis cædibus gaudeant, parentaturosque sanguine suo manibus hostium à se interfectorum.*

Unde tumultus & seditio.

Cui Perdicca prudenter medetur.

CAP. IV. Hæc cum pro singulari facundia sua Perdicca perorasset, adeo movit pedites, ut probato consilio ejus, dux ab omnibus legeretur. Tum equites etiam in concordiam revocati, in Aridæum regem consentiunt. *Servata est portio regni Alexandri filio, si natus esset.* Hæc agebant, posito in medio corpore Alexandri, ut majestas ejus testis decretorum esset. His ita compositis, Macedoniæ & Græciæ Antipater præponitur: Regiæ pecuniæ custodia Cratero traditur: castrorum exercitus, & rerum cura Meleagro & Perdiccæ assignatur: jubeturque Aridæus rex, corpus Alexandri in Hammonis templum deducere. Tunc Perdicca infensus seditionis auctoribus, repente ignaro collega, lustrationem castrorum propter mortem regis, in posterum edicit. Postquam armatum exercitum in campo constituit, consentientibus universis, evocatos, dum transit, de singulis manipulis seditiosos, supplicio tradi occulte jubet. Reversus inde, inter principes provincias dividit, simul ut & removeret æmulos, & munus imperii beneficii sui faceret. Prima (m) Ptolemæo Ægyptus, & Africæ Arabiæque (n) pars sorte venit (o), quem ex gregario milite Alexander virtutis causa provexerat: cui ad tradendam provinciam Cleomenes, qui Alexandriam ædificaverat, datur. Confinem huic provinciæ Syriam Laumedon Mitylenæus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios recipiunt. Mediæ majore Atropatos (p) minori socer Perdiccæ præponitur. Susiana gens Scyno, Phrygia major Antigono, Philippi filio, assignatur. Lyciam & Pamphiliam Nearchus (q), Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiuntur. Leonato minor Phrygia evenit; Thracia & regiones Pontici maris Lysimacho; Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data. Summus castrorum tribunatus Seleuco Antiochi filio cessit. Stipatoribus regis satellitibusque Cassander filius Antipatri præficitur. In Bactriana ulteriore, & Indiæ regionibus, priores præfecti retenti. Terras inter amnes Hydaspem & Indum Taxiles habebat. In colonias in Indis conditas Pithon Agenoris filius mittitur. Paropamisios & fines (r) Caucasi montis, Extarches (s) accepit. Aracossi (t) Gedrosique Sibyrtio traduntur. Drancæ & Arei Stasanori (u). Bactrianos Amyntas sortitur; Sogdianos Scythæus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phratafernes Armenios, Tleptolemus (x) Persas, Peucestes Babylonios, Archos Pelasgos Arcesilaus Mesopotamiam. Cum hæc divisio, veluti fatale munus singulis contigisset, ita magna incrementorum materia (y) plurimis fuit. Siquidem non magno post tempore, quasi regna, non præfecturas divisissent: sic reges ex præfectis facti, magnas opes non sibi tantum paraverunt, verum etiam posteris reliquerunt.

Aridæus rex eligitur.

Perdicca & alii duces seu principes, provincias dividunt.

O. C. 3677. a. C. N. 323. U. C. 430. Ol. 114.

CAP. V. Dum hæc in Oriente aguntur, in Græcia Athenienses & Ætoli bellum, quod jam vivo Alexandro moverant, summis viribus instruebant. Causæ belli erant, quod reversus ab India Alexander, epistolas in Græciam scripserat, quibus omnium civitatium exules,

Bellum pro Græciæ libertate ab Atheniensibus & Ætolis reparatur.

(g) al. *invaletudinem.* (h) al. turba. (i) al. ad mitigandum. (k) al. terreri. (l) al. provocantem. (m) al. Primo. (n) al. Asiæ Libyæque. (o) al. evenit. (p) al. Acroparos. (q) al. assignatur, cum Lycia & Pamphylia: Cariam &c. (r) al. Parapammenos fines. (s) al. Oxyartes. (t) al. Arachosii. (u) al. Statanori. (x) al. Neoptolemus. (y) al. memoria.

exules, præter cædis damnati (z), restituebantur. Quæ recitatæ præsente universa Græcia, in mercatu Olympiaco magnos motus fecerunt; quod plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant; verentibus iisdem principibus, ne revocati potentiores in republica fierent. Palàm igitur jam tunc multæ civitates libertatem bello vindicandam fremebant. Principes tamen omnium Athenienses & Ætoli fuere. Quod cum nuntiatum Alexandro esset, mille naves longas sociis imperari præceperat, quibus in Occidente bellum gereret; excursurusque cum valida manu fuerat ad Athenas delendas. Igitur Athenienses, contracto xxx millium exercitu, & cc navibus, bellum cum Antipatro, cui Græcia sorte evenerat, gerunt, eumque detrectantem prælium, & Heracleæ urbis mœnibus tuentem se, obsidione cingunt. Eodem tempore, Demosthenes Atheniensis orator, pulsus patria, ob crimen accepti ab Harpalo (a) auri, qui crudelitatem Alexandri fugerat, quod civitatem in ejusdem Alexandri bellum impelleret, forte Megaris exulabat: qui ut missum ab Atheniensibus Hyperidem legatum cognovit, qui Peloponnenses in societatem armorum sollicitaret, sequutus eum, Sicyona, Argos, & Corinthum, ceterasque civitates, eloquentia sua Atheniensibus junxit. Ob quod factum, missa ab Atheniensibus obviam nave, ab exilio revocatur. Interim in obsidione Antipatri, Leosthenes, dux Atheniensium, telo è muris in transeuntem jacto, occiditur. Quæ res tantum animorum Antipatro dedit, ut etiam vallum rescindere auderet. Auxilium deinde à Leonato per legatos petit, qui cum venire cum exercitu nuntiatus esset, obvii ei Athenienses cum instructis copiis fuere, ibique equestri prælio, gravi vulnere ictus extinguitur. Antipater, tametsi auxilia sua videret victa, morte tamen Leonati lætatus est; quippe & æmulum sublatum, & vires ejus accessisse sibi gratulabatur. Statim igitur exercitu ejus recepto, cum par hostibus etiam prælio videretur, solutus obsidione, in Macedoniam concessit. Græcorum quoque copiæ, finibus Græciæ hoste pulso, in urbes dilapsæ.

Demosthenis pro patria labores.

Antipater Athenas obsidet.

Leonatus ab Atheniensibus victus.

Antipater solvit obsidionem.

CAP. VI. Interea Perdicca, bello Ariarathi (b) regi Cappadocum illato, prælioque victo nihil præmii præter vulnera & pericula retulit. Quippe hostes ab acie in urbem recepti, occisis conjugibus & liberis, domos quisque suas cum omnibus copiis incenderunt. Eodem congestis etiam servitiis (c), semetipsos præcipitant, ut nihil hostis victor suarum rerum, præter incendii spectaculo (d) fruetur. Inde, ut viribus auctoritatem regiam acquireret, ad nuptias Cleopatræ, sororis Alexandri Magni, & alterius Alexandri quondam uxoris, non aspernante Olympiade matre ejus intendit; sed prius Antipatrum, sub affinitatis obtentu, capere cupiebat. Itaque fingit, se in matrimonium filiam ejus petere, quo facilius ab eo supplementum tironum ex Macedonia obtineret. Quem dolum præsentiente Antipatro, dum duas eodem tempore uxores quærit, neutram obtinuit. Post hæc bellum inter Antigonum & Perdiccam oritur. Antigono Craterus & Antipater auxilium ferebant, qui facta cum Atheniensibus pace, Polyperchonta Græciæ & Macedoniæ præponunt. Perdicca, alienatis rebus, Aridæum & Alexandri Magni filium, in Cappadocia, quorum cura illi mandata fuerat, de summa belli in consilium adhibet. Quibusdam placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum fontem & caput regni, ubi & Olympias esset mater Alexandri; non mediocre momentum partium & civium favor, propter Alexandri Philippique nomina: sed in rem visum est ab Ægypto incipere, ne in Macedoniam profectis, Asia à Ptolemæo occuparetur. Eumeni, præter provincias, quas acceperat, Paphlagonia, & Caria, & Lycia, & Phrygia adjiciuntur. Ibi Craterum & Antipatrum opperiri jubetur; adjutores ei dantur cum exercitibus frater Perdiccæ Alcetas, & Neoptolemus; Clito cura classis traditur; Cilicia Philotæ adempta Philoxeno datur; ipse Perdicca Ægyptum cum ingenti exercitu petit. Sic Macedonia, in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur; ferrumque ab hostili bello in civilem sanguinem vertit, exemplo furentium, manus ac membra sua ipsa cæsura. Sed Ptolemæus in Ægypto solerti industria magnas opes parabat: quippe & Ægyptios insigni moderatione in favorem sui sollicitaverat; & reges finitimos beneficiis obsequiisque devinxerat; terminos quoque imperii, acquisita Cyrene urbe, ampliaverat, factusque jam tantus erat, ut non tam timeret hostes, quam timendus ipse hostibus esset.

Perdicca Cappadoces prælio fatigat.

Duas uxores quærit, neutram obtinet.

Bellum inter Antigonum & Perdiccam O. C. 3678. a. C. N. 322. U. C. 431. Ol. 114.

Ptolemæi solers industria.

CAPUT. VII. Cyrene autem condita fuit ab Aristæo (e), cui nomen Batto (f) propter linguæ obligationem fuit. Hujus pater Grinus (g), rex Theræ (h) insulæ, cum ad oraculum Delphos, propter dedecus adolescentis filii nondum loquentis, deum deprecaturus venisset, responsum accepit, quo jubebatur filius ejus Battus *Africam petere, & urbem Cyrenen condere, usum linguæ ibi accepturus.* Cum responsum ludibrio simile videretur, propter solitudinem Theræ insulæ, ex qua coloni ad urbem condendam in Africam tam vastæ regionis proficisci jubebantur, res omissa est. Interjecto deinde tempore, velut contumaces, pestilentia Deo parere compelluntur: quorum tam insignis paucitas fuit, ut vix unam navem complerent. Cum venissent in Africam, pulsis accolis, montem Cyram, & propter amœnitatem loci, & propter fontis ubertatem, occupavere. Ibi Battus, dux eorum, linguæ nodis solutis, loqui primum cœpit; quæ res animos eorum, ex promissis Dei jam parte percepta, in reliquam spem condendæ urbis accendit. Positis igitur castris, opinionem veteris fabulæ accipiunt, Cyrenen, eximiæ pulchritudinis virginem, à Thessaliæ monte Pelio ab Apolline raptam, perlatamque in ejusdem montis juga, cujus collem occupaverant

Cyrene urbis origo.

Battus ejus conditor.

(z) al. damnatos. (a) al. Harpago. (b) al. bello innoxio Ariarathi. (c) al. opibus. (d) al. spectaculum. (e) al. Aristotele. (f) al. Battos. al. Bactos. (g) al. Cirnus. al. Crinus. (h) al. Theramenis.

cupaverant, à Deo repletam, quatuor pueros peperisse, Nomium, Aristæum, Authocum, Argæum. Missos à patre Hypseo (*i*) rege Thessaliæ, qui perquirerent virginem, loci amœnitate captos in iisdem terris cum virgine resedisse. Ex his pueris tres adultos in Thessaliam reversos, avita regna recepisse. Aristæum in Arcadia late regnasse, eumque primum & apium & mellis usum, & lactis ad coagula hominibus tradidisse, solstitialesque ortus sideris primum invenisse. Quibus auditis, Battus, virginis nomine ex responsis agnito, urbem Cyrenen condidit.

Ptolemæus bellum parat in Ægyptum.

CAP. VIII. Igitur Ptolemæus hujus urbis auctus viribus, bellum in adventum Perdiccæ parabat. Sed Perdiccæ plus odium arrogantiæ (*k*), quam vires hostium nocebant; quam exosi etiam socii ad Antipatrum gregatim (*l*) profugiebant. Neoptolemus quoque in auxilium Eumeni relictus, non solum transfugere, verum etiam prodere partium exercitum voluit. Quam rem cum præsensisset Eumenes, cum proditore decernere prælio necesse habuit. Victus Neoptolemus ad Antipatrum & Polyperchonta profugit, hisque persuadet, ut continuatis mansionibus, læto ex victoria & securo fuga sua Eumeni superveniant. Sed res Eumenem (*m*) non latuit. Itaque insidiæ in insidiatores versæ; & qui securum aggressuros se putabant, securis in itinere, & pervigilio noctis fatigatis occursum est. In eo prælio Polyperchon occiditur. Neoptolemus quoque cum Eumene congressus, diu mutuis vulneribus acceptis colluctatus est; in summa victus occumbit. Victor igitur duobus præliis continuis Eumenes, afflictas partes transitione sociorum paululum sustentavit. Ad postremum tamen Perdicca occiso, ab exercitu hostis cum Pithone (*n*) & Illyrio, & Alceta fratre Perdiccæ appellatur: bellumque adversus eos Antigono decernitur.

Eumenis res fortiter & feliciter gestæ.

Perdicca occiditur. O. C. 3679. a. C. N. 321. U. C. 432. Ol. 114.

LIBER XIV.

CAPUT I.

Eumenis in bello adversus Antigonum prudentia & fortitudo.

EUmenes, ut Perdiccam occisum, se hostem à Macedonibus judicatum, bellumque Antigono decretum cognovit; ultro ea militibus suis indicavit, ne fama aut rem in majus extolleret, aut militum animos rerum novitate terreret; simul, ut quomodo (*o*) circa se animati essent, cognosceret, sumpturus consilium ex motu universorum. Constanter tamen præfatus est, *si cui hæc terrori essent, habere eum discedendi potestatem.* Qua voce adeo cunctos in studium partium suarum induxit, ut ultro illum (*p*) omnes hortarentur, *rescissurosque se ferro decreta Macedonum* affirmarent. Tunc exercitu in Ætoliam promoto, pecnuias civitatibus imperat; recusantes dare, hostiliter diripit. Inde Sardis (*q*) profectus est ad Cleopatram, sororem Alexandri Magni, ut ejus voce centuriones principesque confirmaret (*r*), existimaturos ibi majestatem regiam verti, unde soror Alexandri staret. Tanta veneratio magnitudinis Alexandri erat, ut etiam per vestigia mulierum, favor sacrati ejus nominis quæreretur. Cum reversus in castra esset, epistolæ totis castris abjectæ inveniuntur; quibus iis, qui Eumenis caput ad Antigonum (*s*) detulissent, magna præmia definiebantur. His cognitis, Eumenes vocatis ad concionem militibus, primo gratias agit, *quod nemo inventus esset, qui spem cruenti præmii fidei sacramenti* (*t*) *anteponeret*; deinde callide subnectit, *confictas has à se epistolas ad experiundos suorum animos esse. Ceterum salutem suam in omnium potestate esse; nec Antigonum, nec quemquam ducem sic velle vincere, ut ipse in se exemplum pessimum statuat.* Hoc facto, & in præsenti labantium animos retinuit, & in futurum providit, ut, si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed ab duce tentari arbitrarentur. Omnes igitur operam suam certatim ad custodiam salutis ejus offerunt.

Antigoni insidiæ Eumeni structæ.

Illusæ.

CAP. II. Cum interim Antigonus cum exercitu supervenit, castrisque positis, postera die in aciem procedit. Nec Eumenes moram prælio fecit; qui victus in munitum quoddam castellum confugit; ubi cum videret se fortunam obsidionis subiturum, majorem exercitus partem dimisit, ne aut consensu multitudinis hosti traderetur, aut obsidio ipsa multitudine gravaretur. Legatos deinde ad Antipatrum, quod solus per Antigoni viribus videbatur, supplices mittit: à quo cum auxilia Eumeni missa Antigonus didicisset, ab obsidione recessit. Erat quidem solutus ad tempus metu mortis Eumenes: sed nec salutis, dimisso exercitu, magna spes erat. Omnia igitur circumspicienti optimum visum est, ad Alexandri Magni Argyraspidas, invictum exercitum & tot victoriarum præfulgentem gloria decurrere. Sed Argyraspides post Alexandrum omnes duces fastidiebant, sordidam militiam sub aliis, post tanti regis memoriam, existimantes. Itaque Eumenes blandimentis agere, suppliciter singulos alloqui, nunc *commilitones suos*, nunc, *patronos* appellans, nunc *periculorum & operum* (*u*) *Orientalium socios*; nunc *refugia salutis suæ, & unica præsidia* commemorans; *solos esse quorum virtute Oriens sit domitus; solos qui militiam Liberi patris, qui Herculis monumenta superarint; per hos Alexandrum magnum factum, per hos divinos honores & immortalem gloriam consequutum: orat, ut non tam ducem se, qnam commilitonem recipiant, unumque ex corpore suo esse velint.* Receptus hac lege, paulatim imperium, primum monendo singulos, mox quæ perperam facta erant blande corrigendo, usurpat; nihil in castris

Eumenes ab Antigono prælio vincitur & obsidetur. O. C. 4680. a. C. N. 320. U. C. 433. Ol. 115.

Eumenes ad Argyraspidas confugit.

Eosque ad suas partes trahit.

(*i*) al. Speo. (*k*) al. plus odium & arrogantia. (*l*) al. certatim. (*m*) al. Eumeni. (*n*) al. Phytone. (*o*) alii τὸ quomodo omittunt. (*p*) al. bellum. (*q*) al. Sardes. (*r*) al. confirmarentur. (*s*) al. caput Antigono. (*t*) *sacramento.* (*u*) al. *periculi & opum.*

ſtris ſine illo agi, nihil adminiſtrari ſine ſolertia illius poterat.

CAP. III. Ad poſtremum cum Antigonum venire cum exercitu nuntiatum eſſet, compellit (*x*) eos in aciem deſcendere. Ibi dum ducis imperia contemnunt, hoſtium virtute ſuperantur. In eo prælio non gloriam tantum tot bellorum, cum conjugibus & liberis, ſed & præmia longa militia (*y*) parta, perdiderunt. Sed Eumenes (*z*), qui auctor cladis erat, nec aliam ſpem ſalutis reliquam habebat, victos hortabatur: Nam & *virtute eos ſuperiores fuiſſe* affirmabat: *quippe ab his quinque millia hoſtium cæſa; & ſi in bello perſtent, ultro hoſtes pacem petituros. Damna, quibus ſe victos putent, duo millia mulierum, & paucos infantes, & ſervitia eſſe, quæ melius vincendo poſſint reparare, quam deſerendo victoriam.* Porro Argyraſpides *neque fugam ſe tentaturos* dicunt, *poſt damna Patrimoniorum* (*a*), *& poſt conjuges amiſſas, neque bellum geſturos contra liberos ſuos*; ultroque eum convitiis agitant; *quod ſe poſt tot annos emeritorum ſtipendiorum redeuntes domum cum præmiis tot bellorum, ab ipſa miſſione rurſus in novam militiam immenſaque bella revocaverit, & à laribus jam quodammodo ſuis, & ab ipſo limine patriæ abductos, inanibus promiſſis deceperit; nunc quoque amiſſis omnibus felicis militiæ quæſtibus, ne victos quidem in miſera & inopi ſenecta quieſcere ſinat.* Ignaris deinde ducibus confeſtim ad Antigonum legatos mittunt petentes, *ut ſua reddi jubeat. Is redditurum ſe* pollicetur, *ſi Eumenem ſibi tradant.* Quibus cognitis, Eumenes cum paucis fugere tentavit; ſed retractus, deſperatis rebus cum concurſus multitudinis factus eſſet, petit, ut poſtremum ſibi alloqui exercitum liceret.

Argyraſpidæ Eumenis imperia contemnunt.

hoſtium virtute ſuperantur.

Unde in Eumenem conſpiratio.

Qui capitur.

CAP. IV. Juſſus ab univerſis dicere, facto ſilentio, laxatiſque vinculis, prolatam, ſicut erat catenatus, manum oſtendit (*b*) *Cernitis, milites*, inquit, *habitum atque ornamenta ducis veſtri, quæ mihi non hoſtium quiſquam impoſuit; nam hoc etiam ſolatio* (*c*) *foret. Vos me ex victore victum, vos me ex imperatore captivum feciſtis: Quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obſtricti eſtis. Sed iſta omitto. Neque enim miſeros convitia decent. Unum oro, ſi propoſitorum Antigoni in meo capite ſumma conſiſtit, inter vos me velitis mori. Nam neque illius intereſt, quemadmodum aut ubi cadam; & ego fuero ignominia mortis liberatus. Hoc ſi impetro, ſolvo vos jurejurando, quo toties vos ſacramento mihi devoviſtis. Aut ſi ipſos pudet roganti vim adhiberi, ferrum huc date, & permittite, quod vos facturos pro imperatore juraſtis, imperatorem pro vobis ſine religione juriſjurandi facere.* Cum non obtineret, preces in iram vertit. *At vos*, ait, *devota capita, reſpiciant dii perjuriorum vindices; taleſque* (*d*) *vobis exitus dent, quales vos ducibus veſtris dediſtis. Nempe vos iidem paulo ante & Perdiccæ ſanguine eſtis adſperſi, & in Antipatrum eadem moliti. Ipſum denique Alexandrum, ſi fas fuiſſet eum mortali manu cadere, interempturi; quod maximum erat, ſeditionibus agitaſtis. Ultima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico; ut inopes extorreſque omne ævum in hoc caſtrenſi exilio agatis;* (*e*) *devorentque vos arma veſtra* (*f*) *quibus plures veſtros, quam hoſtium duces, abſumpſiſtis.* Plenus deinde iræ (*g*), cuſtodes ſuos præcedere ad Antigoni caſtra cœpit. Sequitur exercitus, prodito imperatore ſuo, & ipſe captivus, triumphumque de ſe ipſo ad victoris ſui caſtra ducit; omnia auſpicia regis Alexandri, & tot bellorum palmas laureaſque una ſecum victori tradens (*h*): & ne quid deeſſet pompæ, elephanti quoque & auxilia Orientalia ſubſequuntur. Tanto pulchrior hæc Antigono, quam Alexandro tot victoriæ fuerunt; ut cum ille Orientem vicerit, hic etiam eos, à quibus Oriens victus fuerat, ſuperaverit. Igitur Antigonus domitores illos Orbis exercitui ſuo dividit, redditis quæ (*i*) in victoria ceperat. Eumenem vero verecundia prioris amicitiæ, in conſpectum ſuum venire prohibitum, aſſignari cuſtodibus præcepit.

Eumenis captivi ad Argyraſpidas oratio, qua petit ut ſibi inter eos mori liceat.

Petitione fruſtratus proditorum capita devovet.

Et Antigono vinctus traditur. O. C. 4685. a. C. N. 315. U. C. 438. Ol. 116.

CAP. V. Interea Eurydice uxor Aridæi regis, ut Polyperchonta à Græcia redire in Macedoniam cognovit, & ab eo arceſſitam Olympiadem; muliebri æmulatione perculſa, abutens valetudine viri, cujus officia ſibi vindicabat, ſcribit regis nomine Polyperchonti, *Caſſandro exercitum tradat, in quem regni adminiſtrationem rex tranſtulerit*; eadem & in Aſiam Antigono per epiſtolas nuntiat. Quo beneficio devinctus Caſſander, nihil non ex arbitrio muliebris audaciæ gerit. Deinde profectus in Græciam, multis civitatibus bellum infert: quarum excidio, veluti vicino incendio territi Spartani, urbem, quam ſemper armis, non muris defenderant, tum contra reſponſa fatorum, & veterem (*k*) majorum gloriam, armis diffiſi, murorum præſidio includunt. Tantum eos degeneraviſſe à majoribus, ut, cum multis ſeculis murus urbi civium virtus fuerit, tunc cives ſalvos ſe fore non exiſtimaverint, niſi intra muros laterent. Dum hæc aguntur, Caſſandrum à Græcia turbatus Macedoniæ ſtatus domum revocavit. Namque Olympias, mater Alexandri Magni regis, cum Epiro (*l*) in Macedoniam, proſequente Æacide, rege Moloſſorum, veniret, prohiberique finibus ab Eurydice & Aridæo rege cœpiſſet; ſeu memoria mariti, ſeu magnitudine filii, & indignitate rei, moti Macedones, ad Olympiadem tranſiere; cujus juſſu & Eurydice & rex occiditur, ſex annis poſt Alexandrum potitus regno.

Eurydice, Aridæi uxor, Caſſandro vices Aridæi committit.

Qui Græciæ civitates opprimit.

Aridæus cum uxore Euridice ab Olympiade occiditur.

CAP. VI. Sed nec Olympias diu regnavit. Nam cum principum paſſim cædes, muliebri magis, quam regio more feciſſet, favorem ſui in odium vertit. Itaque audito Caſſandri adventu, diffiſa Macedonibus, cum nuru Roxane & nepote Hercule, in Pydnam urbem concedit. Proficiſcenti Deidamia, Æacidæ regis

O. C. 3683. a. C. N. 317. U. C. 436. Ol. 115. Olympias fugit.

(*x*) al. pellit. (*y*) al. longæ militiæ. (*z*) al. Sed & Eumenes. (*a*) al. *matrimoniorum.* (*b*) al. oſtentat. (*c*) al. *in ſolatio.* (*d*) al. *vileſque.* (*e*) al. *agitetis.* (*f*) al. *arma iſta.* (*g*) al. ira. (*h*) al. tradentes. (*i*) al. redditis eorum quæ &c. (*k*) al. veterum. (*l*) al. ab Epiro.

regis filia, & Thessalonice privigna, & ipsa clara Philippi patris nomine, multæque aliæ principum matronæ, speciosus magis quam utilis grex, comites fuere. Hæc cum nuntiata Cassandro essent, statim citato cursu Pydnam venit, & urbem obsidione cingit. Cum fame ferroque urgeretur Olympias, longæ obsidionis tædio, pacta salute, victori se tradidit. Sed Cassander ad concionem vocato populo, sciscitaturus, *quid de Olympiade fieri velint*, subornat parentes interfectorum, qui sumpta lugubri veste, crudelitatem mulieris accusarent. A quibus accensi Macedones, sine respectu pristinæ majestatis, occidendam decernunt: immemores prorsus, quod per filium ejus virumque, non solum vitam ipsi inter finitimos tutam habuissent, verum etiam tantas opes imperiumque orbis quæsissent. Sed Olympias ubi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali, duabus ancillis innixa ultro obviam procedit. Qua visa, percussores attoniti fortuna majestatis prioris, & tot in ea memoriæ occurrentibus regum suorum nominibus, substiterunt; donec à Cassandro missi sunt, qui eam confoderent, non refugientem gladium, nec vulnera, aut muliebriter (*m*) vociferantem, sed virorum more fortium, pro gloria veteris prosapiæ, morti succumbentem; ut Alexandrum posses etiam in moriente matre cognoscere. Insuper exspirans, capillis & veste crura contexisse fertur, ne quid posset in corpore ejus indecorum videri. Post hæc Cassander Thessalonicen, regis Aridæi filiam, uxorem ducit: filium Alexandri cum matre, in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.

A Cassandro obsidetur.

Cassandro se tradit.

Jussu Cassandri occiditur.

Cassander Thessalonicen uxorem ducit.

LIBER XV.

CAPUT I.

Perdicca, & fratre ejus (*n*), Eumene ac Polyperchonte, ceterisque ducibus diversæ partis occisis finitum certamen inter successores Alexandri Magni videbatur; cum repente inter ipsos victores nata discordia est: quippe postulantibus Ptolemæo & Cassandro & Lysimacho, *ut pecunia in præda capta provinciæque dividerentur*: Antigonus negavit, *se in ejus belli præmia socios admissurum, in cujus periculum* (*o*) *solus descenderit*. Et ut honestum adversus socios bellum suscipere videretur, divulgat, *se Olympiadis mortem à Cassandro interfectæ, ulcisci velle, & Alexandri regis sui filium cum matre obsidione Amphipolitana liberare*. His cognitis, Ptolemæus & Cassander, inita cum Lysimacho & Seleuco societate, bellum terra marique enixe instruunt. Tenebat Ptolemæus Ægyptum cum Africæ parte majore, & Cypro, & Phœnice. Cassandro parebat Macedonia cum Græcia. Asiam & partes Orientis occupaverat Antigonus, cujus filius Demetrius, prima belli congressione à Ptolemæo apud Gamalam (*p*) vincitur. In quo prælio major Ptolemæi moderationis gloria, quam ipsius victoriæ fuit. Siquidem & amicos Demetrii non solum cum suis rebus, verum etiam additis insuper muneribus, dimisit; & ipsius Demetrii privatum omne instrumentum, ac familiam reddidit, adjecto honore verborum: *Non se propter prædam, sed propter dignitatem iniisse bellum; indignatum quod Antigonum devictis diversæ factionis ducibus, solus communis victoriæ præmia corripuisset.*

Antigoni bellum contra socios.
O. C. 3685.
a. C. N. 315.
U. C. 438.
Ol. 116.

In quo filius ejus à Demetrio prælio superatur.

Ptolemæi moderatio.

CAP. II. Dum hæc aguntur, Cassander ab Apollonia rediens, incidit in Abderitas; qui propter ranarum muriumque multitudinem, relicto patriæ solo, sedes quærebant: veritus, ne Macedoniam occuparent, facta pactione, in societatem eos recepit, agrosque iis ultimos Macedoniæ assignat. Deinde, ne Hercules, Alexandri filius, qui fere annos quatuordecim excesserat, favore paterni nominis in regnum Macedoniæ vocaretur, occidi eum tacite cum matre Barsine jubet, corporaque eorum terra obrui, ne cædes sepultura proderetur: & quasi parum facinoris in ipso primum rege, mox in matre ejus Olympiade, ac filio admisisset; alterum quoque filium cum matre Roxane pari fraude interficit. Scilicet quasi regnum Macedoniæ, quod affectabat, aliter consequi quam scelere non posset. Interea Ptolemæus cum Demetrio, navali prælio iterato congreditur; & amissa classe hostique concessa victoria, in Ægyptum refugit. Demetrius filium Ptolemæi Leontiscum, & fratrem Menelaum, amicosque ejus cum privati instrumenti ministerio, pari provocatus antea munere, Ægyptum remittit: & ut appareret, eos non odio, sed dignitatis gloria accensos, donis muneribusque inter ipsa bella contendebant. Tanto honestius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitiæ coluntur. Hac victoria elatus Antigonus, regem se cum Demetrio filio appellari à populo jubet. Ptolemæus quoque, ne minoris apud suos auctoritatis haberetur, rex ab exercitu cognominatur. Quibus auditis, Cassander & Lysimachus, & ipsi regiam sibi majestatem vindicaverunt. Hujus honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerunt, quamdiu filii regis sui superesse potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, ut cum opes regias haberent, regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro justus heres fuit. Sed Ptolemæus & Cassander, ceterique factionis alterius duces, cum carpi se singulos ab Antigono viderent; dum privatum singulorum, non commune universorum bellum ducunt, nec auxilium ferre alter alteri volunt, quasi victoria unius, non omnium foret: per epistolas se invicem confirmantes, tempus & locum (*q*) coëundi condicunt, bellumque commu-

Cassander Abderitas in societatem recipit.

Ejus sævitia in familiam Alexandri Magni.

Ptolemæus à Demetrio navali prælio vincitur.

Antigonus, Demetrius & Ptolemæus reges se appellant.

Similiter & Cassander & Lysimachus.

(*m*) al. nec ante vulnera muliebriter &c. (*n*) al. & fratre ejus Alceta. (*o*) al. *pericula*.
(*p*) al. Galamam. al. Gazam. (*q*) al. tempus, locum &c.

communibus viribus instruunt. Cui cum Cassander interesse propter finitimum bellum non posset, Lysimachum cum ingentibus copiis in auxilium sociis mittit.

Lysimachus à Cassandro Antigono opponitur.

Lysimachi elogium.

CAP. III. Erat hic Lysimachus illustri quidem Macedoniæ loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior; quæ tanta in illo fuit, ut animi magnitudine, philosophia ipsa (r), viriumque gloria omnes, (8) per quos Oriens domitus est, vicerit. Quippe cum Alexander Magnus Callisthenem philosophum, propter salutationis Persicæ interpellatum morem, insidiarum, quæ sibi paratæ fuerant, conscium fuisse iratus finxisset eumque truncatis crudeliter omnibus membris, abscissisque auribus, ac naso, labiisque, deforme ac miserandum spectaculum reddidisset; insuper cum cane in cavea clausum, ad metum ceterorum circumferret: tunc Lysimachus, audire Callisthenem, & præcepta ab eo virtutis accipere solitus, misertus tanti viri, non culpæ, sed libertatis pœnas pendentis, venenum ei in remedia calamitatum dedit. Quod adeo ægre Alexander tulit, ut eum objici ferocissimo (s) leoni juberet. Sed cum ad conspectum ejus concitatus leo impetum fecisset, manum amiculo involutam Lysimachus in os leonis immersit, arreptaque lingua, feram exanimavit. Quod cum nuntiatum regi esset, admiratio in satisfactionem cessit; carioremque eum propter constantiam tantæ virtutis habuit. Lysimachus quoque magno animo, Regis, veluti parentis contumeliam tulit. Denique omni ex animo hujus facti memoria exturbata (t), postea in India insectanti regi quosdam palantes hostes, cum à satellitum turba equi sui celeritate desertus esset, solus ei per immensas arenarum moles cursus comes fuit. Quod idem antea Philippus frater ejus cum facere voluisset, inter manus regis exspiraverat. Sed Lysimachum desiliens equo Alexander, hastæ cuspide ita in fronte vulneravit, ut sanguis aliter cludi non posset, quam diadema sibi demptum rex, alligandi vulneris causa, capiti ejus imponeret. Quod auspicium primum regalis majestatis Lysimacho fuit. Sed & post mortem Alexandri, cum inter successores ejus provinciæ dividerentur, ferocissimæ gentes, quasi omnium fortissimo, assignatæ sunt; adeo etiam consensu universorum palmam virtutis inter ceteros tulit.

Ejus in Callisthenem miseratio.

Quapropter leoni objicitur, quem tamen examinat.

Et in amicitiam regis venit.

Auspicium de Lysimachi regali dignitate.

CAP. IV. Priusquam bellum inter Ptolemæum sociosque ejus adversus Antigonum committeretur, repente ex Asia majore digressus Seleucus, novus Antigono hostis accesserat. Hujus quoque & virtus clara & origo admirabilis fuit. Siquidem mater ejus Laudice, cum nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse; gravidamque factam, munus concubitus anulum à deo accepisse; in cujus gemma anchora sculpta esset; jussaque (u) donum filio, quem peperisset, dare. Admirabilem fecit hunc visum & anulus, qui postera die ejusdem sculpturæ, in lecto inventus est; & figura anchoræ, quæ in femore Seleuci nata cum ipso parvulo fuit. Quamobrem Laudice anulum Seleuco, eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam edocto de origine sua, dedit. Ubi post mortem Alexandri, occupato regno Orientis, urbem condidit, ibique geminæ originis memoriam consecravit. Nam & urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit, & campos vicinos urbi, Apollini dicavit. Originis ejus argumentum etiam in posteris mansit; siquidem filii nepotesque ejus, anchoram in femore, veluti notam generis naturalem habuere. Multa in Oriente post divisionem inter socios regni Macedonici bella gessit. Principio Babyloniam cepit; inde auctis ex victoria viribus, Bactrianos expugnavit. Transitum deinde in Indiam fecit, quæ post mortem Alexandri, veluti cervicibus jugo servitutis excusso, præfectos ejus occiderat. Auctor libertatis Sandrocottus fuerat; sed titulum libertatis post victoriam in servitutem verterat. Siquidem occupato regno, populum, quem ab externa dominatione vindicaverat, ipse servitio premebat. Fuit hic quidem humili genere natus, sed ad regni potestatem majestate numinis impulsus. Quippe cum procacitate sua Alexandrum regem offendisset, interfici à rege jussus salutem pedum celeritate quæsierat: ex qua fatigatione, cum somno captus jaceret, leo ingentis formæ ad dormientem accessit, sudoremque profluentem lingua ei detersit, expergefactumque blande reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni impulsus, contractis latronibus, Indos ad novitatem regni solicitavit. Molienti deinde bellum adversus præfectos Alexandri, elephantus ferus infinitæ magnitudinis ultro se obtulit, & veluti domita mansuetudine eum tergo excepit; duxque belli & præliator insignis fuit. Sic acquisito regno, Sandrocottus ea tempestate, qua Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta jaciebat, Indiam possidebat; cum quo facta pactione Seleucus, compositisque in Oriente rebus, in bellum Antigoni descendit. Adunatis igitur omnium sociorum copiis, prælium committitur: in eo Antigonus occiditur, Demetrius filius ejus in fugam vertitur. Sed socii, profligato hostili bello, denuo in semet ipsos arma verterunt; & cum de præda non convenirent, iterum in duas factiones diducuntur (x). Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lysimacho junguntur. Cassandro defuncto Philippus filius succedit. Sic, quasi ex integro, nova Macedoniæ bella nascuntur.

Seleucus novus hostis Antigono accedit.

Seleuci origo.

Et res gestæ.

Sandrocotti Indorum regis virtus.

Antigonus in prælio occiditur.

O. C. 3699. a. C. N. 301. U. C. 452. Ol. 119.

Novæ Factiones duæ.

 LIBER

(r) al. philosophiam ipsam. (s) al. perferocissimo. (t) al. extirpata. (u) al. jussumque. (x) al. deducuntur.

(8) Per quos Oriens domitus est, vicerit) Et hujus victoriæ pariter ut supra Alexandri M, jactantur numo Tab. LXIX. num. 3. inquo Diana Lysimacho Victoriolam porrigit. Conf. BEGER. Th. Br. T. I, pag. 244.

LIBER XVI.

CAPUT I.

Antipater Caſſandri filius fit parricida.

POſt Caſſandri regis filiique ejus Philippi continuas mortes, Theſſalonice regina, uxor Caſſandri, non magno poſt tempore, ab Antipatro filio, cum vitam etiam per ubera materna deprecaretur, occiditur. Cauſa parricidii fuit, quod poſt mortem mariti, in diviſione inter fratres regni, propenſior fuiſſe Alexandro (*y*) videbatur. Quod facinus in eo gravius omnibus viſum eſt, quod nullum maternæ fraudis veſtigium fuit. Quanquam in parricidio, nulla juſta cauſa ad ſceleris patrocinia prætexi poteſt. Ob hæc (*z*) igitur Alexander in ultionem maternæ necis, geſturus cum fratre bellum, auxilium à Demetrio petit: nec Demetrius, ſpe invadendi Macedonici regni, moram fecit. Cujus adventum verens Lyſimachus, perſuadet genero ſuo Antipatro, ut malit cum fratre in gratiam reverti, quam paternum hoſtem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem cum præſenſiſſet Demetrius, per inſidias Alexandrum interfecit; occupatoque Macedoniæ regno, cædem apud exercitum excuſaturus, in concionem vocat. Ibi *priorem ſe petitum ab Alexandro* allegat; *nec feciſſe ſe, ſed occupaſſe inſidias. Regem autem ſe Macedoniæ vel ætatis experimentis, vel cauſis juſtiorem eſſe. Patrem enim ſuum & Philippo Regi & Alexandro Magno ſocium in omni militia fuiſſe*; (*a*) *liberorum deinde Alexandri miniſtrum, & ad perſequendos defectores ducem exſtitiſſe. Contra Antipatrum, avum horum adoleſcentium, amariorem ſemper miniſtrum regni, quam ipſos reges fuiſſe. Caſſandrum vero patrem, extinctorem regiæ domus, non feminis, non pueris peperciſſe; nec ceſſaſſe, quoad omnem ſtirpem regiæ ſubolis deleret. Horum ſcelerum ultionem, quia nequiſſet ab ipſo Caſſandro exigere, ad liberos ejus tranſlatam. Quamobrem etiam Philippum, Alexandrumque, ſi quis manium ſenſus eſt, non interfectores ſuos ac ſtirpis ſuæ, ſed ultores eorum, Macedoniæ regnum tenere malle.* Per hæc mitigato populo, rex Macedoniæ appellatur. Lyſimachus quoque cum bello Doricetis, regis Thracum, premeretur, ne eodem tempore & adverſus eum dimicare neceſſe haberet, tradita ei altera parte Macedoniæ, quæ Antipatro ejus genero obvenerat, pacem cum eo fecit.

Demetrius Caſſandri filium Alexandrum interficit.

Et Macedoniam uſurpat.

Bellum ſociorum adverſus Demetrium.

CAP. II. Igitur Demetrius totis Macedoniæ regni viribus inſtructus, cum Aſiam occupare ſtatuiſſet, iterato Ptolemæus, Seleucus & Lyſimachus, experti priore certamine, quantæ vires eſſent concordiæ, pacta ſocietate adunatiſque exercitibus, bellum adverſus Demetrium transferunt in Europam. His comitem ſe & belli ſocium jungit Pyrrhus, rex Epiri, ſperans non difficilius Demetrium amittere Macedoniam poſſe, quam acquiſierat. Nec ſpes fruſtra fuit; quippe exercitu ejus corrupto, ipſoque in fugam acto, regnum Macedoniæ occupavit. Dum hæc aguntur, Lyſimachus generum ſuum Antipatrum, regnum Macedoniæ ademptum ſibi ſoceri fraude querentem, interficit (*b*); filiamque ſuam Eurydicen, querelarum ſociam, in cuſtodiam tradit; atque ita univerſa Caſſandri domus Alexandro Magno, ſeu necis ipſius, ſeu ſtirpis extinctæ pœnas partim cæde, partim ſupplicio, partim parricidio luit. Demetrius quoque à tot exercitibus circumventus, cum poſſet honeſte mori, turpiter ſe dedere Seleuco maluit. Finito bello, Ptolemæus cum magna rerum geſtarum gloria moritur. Is contra (*c*) jus gentium, minimo natu ex filiis, ante infirmitatem regnum tradiderat; ejusque rei populo rationem reddiderat: cujus non minor favor in accipiendo, quam patris in tradendo regno fuerat. Inter cetera patris & filii mutuæ pietatis exempla, etiam ea res amorem populi juveni conciliaverat, quod pater, regno ei publicæ tradito, privatus officium regi inter ſatellites fecerat, omnique regno pulchrius regis eſſe patrem duxerat.

Qui prælio fuſus, fugatur.

Antipater parricida fœde perit.

Ptolemæi placidum fatum, O. C. 3715. a. C. N. 285. U. C. 468. Ol. 123.

Filii Ptolemæi pietas in patrem.

CAP. III. Sed inter Lyſimachum, & Pyrrhum regem, ſocios paulo ante adverſus Demetrium, aſſiduum inter pares diſcordiæ malum, bellum moverat. Victor Lyſimachus, pulſo Pyrrho Macedoniam occupaverat. Inde Thraciæ, ac deinceps Heracleæ bellum intulerat; cujus urbis & initia & exitus admirabiles fuere; quippe Bœotiis peſtilentia laborantibus, oraculum Delphis reſponderat, *coloniam in Ponti regione ſacram Herculi conderent*. Cum propter metum longæ ac periculoſæ navigationis, mortem in patria omnibus præoptantibus, res omiſſa eſſet, bellum his Phocenſes intulerunt; quorum cum adverſa prælia paterentur, iterato ad oraculum decurrunt; reſponſum, *idem belli quod peſtilentiæ remedium fore*. Igitur conſcripta colonorum manu, in Pontum (*d*) delati, ut urbem Heracleam condiderunt. Et quoniam fatorum auſpiciis in eas (*e*) ſedes delati erant, brevi tempore magnas opes paravere. Multa deinde hujus urbis adverſus finitimos bella, multæ etiam domeſticæ diſſenſiones fuere (*f*). Inter cetera magnifica, vel præcipue illud memorabile fuit. Cum rerum potirentur Athenienſes, victiſque Perſis, Græciæ & Aſiæ tributum in tutelam claſſis deſcripſiſſent, omnibus cupide ad præſidium ſalutis ſuæ conferentibus; ſoli Heraclienſes, ob amicitiam regum Perſicorum, collationem abnuerant. Miſſus itaque ab Athenienſibus Lamachus cum exercitu ad extorquendum, quod negabatur, dum, relictis in littore navibus, agros Heraclienſium populatur, claſſem cum majore parte exercitus, naufragio repentinæ tempeſtatis amiſit. Itaque cum neque mari poſſet amiſſis navibus, neque terra auderet, cum parva manu inter tot ferociſſimas

Bellum inter Lyſimachum & Pyrrhum.

Heracleæ urbis origo.

Ejus bella & domeſticæ diſſenſiones.

(*y*) al. fuiſſe pro Alexandro. (*z*) al. Poſthæc. (*a*) al. *ſocium domi militiæque fuiſſe*. (*b*) al. interfecit. (*c*) al. moriturus, contra &c. (*d*) al. Metapontum. (*e*) alii τὸ eas omittunt. (*f*) al. multa etiam domeſticæ diſſenſionis mala fuere.

Heracliensium ergà Athenienses moderatio.

mas gentes reverti; Heraclienses honestiorem beneficii, quam ultionis occasionem rati, instructos commeatibus auxiliisque dimittunt: bene agrorum suorum populationem impensam existimantes, si quos hostes habuerant, amicos reddidissent.

CAP. IV. Passi sunt inter plurima mala, etiam tyrannidem; siquidem cum plebs etiam novas tabulas, & divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret; diu re in senatu tractata, cum exitus rei non inveniretur, ad postremum adversus plebem nimio otio lascivientem, auxilia à Timotheo, Atheniensium duce, mox ab Epaminonda Thebanorum petivere. Utrisque negantibus, ad Clearchum, quem ipsi in exilium egerant, decurrunt. Tanta calamitatium necessitas fuit, ut, cui patriam interdixerant, eum ad tutelam patriæ revocarent. Sed Clearchus exilio facinorosior redditus, & dissensionem populi occasionem invadendæ tyrannidis existimans, primo tacitus cum Mithridate, civium suorum hoste, colloquitur; & inita societate paciscitur, ut revocatus in patriam prodita ei urbe, præfectus ejus constitueretur. Postea autem insidias, quas civibus paraverat, in ipsum Mithridatem verterat. Namque cum velut arbiter civilis discordiæ, de exilio reversus esset, statuto tempore, quo urbem Mithridati traderet, ipsum cum amicis suis cepit, captumque, accepta ingenti pecunia, dimisit. Atque ut in illo subitum se ex socio fecit hostem; sic ex defensore senatoriæ causæ, repente patronus plebis evasit; & adversus auctores potentiæ suæ, à quibus revocatus in patriam, per quos in arce collocatus fuerat, non solum plebem accendit, verum etiam nefandissima quæque tyrannicæ crudelitatis exercuit. Igitur populo ad concionem vocato, *neque se affuturum amplius grassanti in populum senatui* ait; *intercessurum etiam, si in pristina sævitia perseveret. Quod si pares se crudelitati senatorum arbitrarentur (g), abiturum cum militibus suis, neque civilibus discordiis interfuturum. Sin vero diffidant viribus propriis, vindictæ se civium non defuturum. Proinde consulant sibi ipsi (h), jubeant abire se; an malint causæ popularis socium remanere.* His verbis sollicitata plebs, summum ad eum imperium defert; & dum senatus potentiæ irascitur, in servitutem se tyrannicæ dominationis cum conjugibus & liberis tradit. Igitur Clearchus LX. senatores comprehensos (nam ceteri in fugam (i) dilapsi erant) in vincula compingit. Lætari plebs, quod à duce potissimum senatorum,

Clearchi, tyranni Heracliensis artes.

senatus deleretur, versaque vice, auxilium eorum in exitium conversum esset (k). Quibus dum mortem passim omnibus minatur, cariora eorum prætia facit; siquidem Clearchus magna pecunia (quasi minis populi occulte eos subtracturus) accepta, spoliatos fortunis, vita quoque spoliavit.

Quibus rationibus Clearchus tyrannidem firmaverit.

CAP. V. Cognito deinde, quod bellum sibi ab iis, qui profugerant, misericordia in auxilium sollicitatis civitatibus, pararetur, servos eorum manumittit. Et ne quid mali afflictis honestissimis domibus deesset, uxores eorum, filiasque nubere servis suis, proposita recusantibus morte, compellit, ut eos sibi fidiores, & dominis infestiores redderet. Sed matronis tam lugubres nuptiæ, graviores repentinis funeribus fuere. Itaque multæ se ante nuptias, multæ in ipsis nuptiis, occisis prius novis maritis, interficiunt, & se tam funestis calamitatibus, virtute ingenui pudoris, eripiunt. Prælium deinde committitur; quo victor tyrannus captivos senatores in triumphi modum per ora civium trahit. Reversus in urbem, alios vincit, torquet alios, alios occidit; nullus locus urbis à crudelitate tyranni vacat. Accedit sævitiæ insolentia, crudelitati arrogantia. Interdum (l) ex successu continuæ felicitatis obliviscitur se hominem; interdum Jovis se filium dicit. Eunti per publicum, aurea aquila velut argumentum generis præferebatur; veste purpurea, & cothurnis regum tragicorum, & aurea corona utebatur; filium quoque suum Ceraunon vocat, ut deos non mendacio tantum, verum etiam nominibus illudat. Hæc illum facere duo nobilissimi juvenes Chion & Leonides indignantes, patriam liberaturi in necem tyranni conspirant. Erant hi discipuli Platonis philosophi, qui virtutem, ad quam quotidie præceptis magistri erudiebantur, patriæ exhibere cupientes, quinquaginta cognatos, veluti clientes, in insidiis locant. Ipsi more jurgantium, ad tyrannum veluti ad regem in arcem contendunt: qui jure familiaritatis admissi, dum alterum priorem dicentem intentus audit tyrannus, ab altero obtruncatur. Sed & ipsi, sociis tardius auxilium ferentibus, à satellitibus obruuntur. Quare factum est, ut tyrannus quidem occideretur, sed patria non liberaretur. Nam frater Clearchi Satyrus eadem via tyrannidem invadit; multisque annis, per gradus successionis, Heraclienses sub regno tyrannorum fuere (m).

Clearchus tandem à Chione & Leonide, juvenibus nobilissimis, obtruncatur.

Satyrus Clearcho fratre in tyrannide succedit.

LIBER XVII.

CAPUT I.

Lysimachi regis tragœdia.

PEr idem ferme tempus in Hellesponti & Chersonesi regionibus terræ motus fuit; maxime tamen Lysimachia urbs ante duos & viginti annos à Lysimacho rege condita, eversa est. Quod portentum dira Lysimacho, stirpique ejus, ac (n) regni ruinam cum clade vexatarum regionum portendebat. Nec ostentis fides defuit; nam brevi post tempore, Agathoclem filium suum, quem in successionem regni ordinaverat, per quem multa bella prospere

(g) al. *arbitrentur.* (h) al. *ipsis.* (i) al. fuga. (k) al. esse. (l) al. Interdum enim ex &c. (m) al. Heraclienses regnum fuere. al. Heraclienses regnum Tyrannorum fuere. (n) al. ad.

prospere gesserat, non solum patrium, verum etiam humanum ultra morem perosus, ministra Arsinoë noverca, veneno interfecit. Hæc illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruina fuit. Nam parricidium principum sequutæ cædes sunt, luentium supplicia, quod occisum juvenem dolebant. Itaque & hi, qui exercitibus præerant, certatim ad Seleucum deficiunt; eumque pronum jam ex æmulatione gloriæ, bellum Lysimacho inferre compellunt. Ultimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit, &, velut ad exemplum fortunæ, par reservatum. Lysimachus quatuor & LXX annos natus erat. Seleucus septem & LXX. Sed in hac ætate utrique animi juveniles erant, imperiique cupiditatem insatiabilem gerebant. Quippe cum orbem terrarum duo soli tenerent, angustiis sibimet inclusi videbantur (*o*), vitæque finem non annorum spatio, sed imperii terminis metiebantur.

Lysimachus amissis XV. liberis in prælio occumbit. O. C. 3719. a. C. N. 281. U. C. 472. Ol. 124.

CAP. II. In eo bello Lysimachus amissis ante variis casibus XV. liberis, non instrenue moriens, postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit. Lætus tanta victoria Seleucus, & quod majus victoria putabat, solum se de cohorte Alexandri remansisse; victoremque victorum exstitisse, non humanum esse opus, sed divinum munus gloriantur, ignarus prorsus, non multo post fragilitatis humanæ se ipsum exemplum futurum. Quippe post menses admodum septem à Ptolemæo, cujus sororem Lysimachus in matrimonio (*p*) habuerat, per insidias circumventus occiditur; regnumque Macedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, cum & in gratiam memoriæ magni Ptolemæi patris, & in favorem ultionis Lysimachi ambitiosus apud (*q*) populares esset, primo Lysimachi filios conciliare sibi statuit; nuptiasque Arsinoës sororis suæ, matris eorum, petit, puerorum adoptione promissa; ut, cum in locum patris eorum successisset, nihil illi moliri vel verecundia matris, vel appellatione patris auderent. Fratris quoque regis Ægypti concordiam per epistolas deprecatur; professus *deponere se offensam erepti paterni regni neque amplius à fratre quæsiturum, quod honestius à paterno hoste præceperit.* Omnique arte adulatur Eumeni, & Antigono, Demetrii filiis, Antiocho, filio Seleuci, cum quibus bellum habiturus erat, ne tertius sibi hostis accederet. Sed nec Pyrrhus rex Epiri omissus, ingens momentum futurus, utri parti socius accessisset: qui & ipse spoliare singulos cupiens, omnibus se partibus venditabat. Itaque Tarentinis adversus Romanos laturus auxilium, ab Antigono naves, ad exercitum in Italiam deportandum, mutuo petit; ab Antiocho pecuniam, qui opibus quam militibus instructior erat; à Ptolemæo Macedonum militum auxilia. Sed Ptolemæus, cui nulla (*r*) dilationis ex infirmitate virium venia esset, quinque millia peditum, equitum quatuor millia, elephantos quinquaginta, non amplius, quam in biennii usum dedit. Ob hæc Pyrrhus, filia Ptolemæi in matrimonium accepta, vindicem eum regni reliquit; ne abducta (*s*) in Italiam juventute, prædam hostibus regnum relinqueret.

Seleucus per insidias à Ptolemæo occiditur. O. C. 3720. a. C. N. 280. U. C. 473. Ol. 125.

Ptolemæus principum amicitias sibi conciliat.

Præsertim Pyrrhi.

Pyrrhus Ptolemæi filiam in matrimonium accipit.

CAP. III. Sed quoniam ad Epiri mentionem ventum est, de origine regni ejus pauca narranda sunt. Molossorum primum in ea regione regnum fuit. Post Pyrrhus Achillis filius, amisso per absentiam Trojanis temporibus paterno regno, in his locis consedit, qui Pyrrhidæ primo, postea Epirotæ dicti sunt. Sed Pyrrhus cum in templum (*t*) Dodonæi Jovis ad consulendum venisset, ibi Lanassam, neptem Herculis, rapuit; ex cujus matrimonio octo liberos sustulit. Ex his nonnullas virgines nuptum finitimis regibus tradidit, opesque affinitatium auxilio magnas paravit; atque ita Heleno, filio Priami regis, ob industriam singularem, regnum Chaonum, & Andromachen Hectoris, quam & ipse matrimonio suo in divisione Trojanæ prædæ acceperat, uxorem tradidit: brevique post tempore, Delphis insidiis Orestæ, filii Agamemnonis, inter altaria dei interiit. Successor huic Pialis (*u*) filius fuit. Per ordinem deinde regnum ad Arrybam descendit. Cui, quoniam pupillus & unicus ex gente nobili superesset, intentiore omnium cura servandi ejus educandique, publice tutores constituuntur. Athenas quoque erudiendi gratia missus, quanto doctior majoribus suis, tanto & gratior populo fuit. Primus itaque & leges, & senatum, annuosque magistratus & reipublicæ formam composuit; & ut à Pyrrho sedes, sic vita cultior populo ab Arryba statuta. Hujus filius Neoptolemus fuit; ex quo nata est Olympias, mater Alexandri Magni, & Alexander, qui post eum regnum Epiri tenuit; & in Italia bello gesto, in Bruttiis interiit. Post ejus mortem frater Æacides regno successit, qui assiduis adversus Macedonas bellorum certaminibus populum fatigando, offensam civium contraxit; ac propterea in exilium actus, Pyrrhum filium bimum (*x*), admodum parvulum in regno reliquit. Qui & ipse cum à populo propter odium patris ad necem quæreretur, furtim subtractus in Illyrios defertur; traditusque est Beroæ, Glauciæ (*y*) regis uxori, nutriendus, quæ & ipsa genus (*z*) Æacidarum erat. Ibi eum, seu misericordia fortunæ ejus, seu infantilibus blandimentis inductus rex, adversum Cassandrum Macedoniæ regem, qui eum sub belli comminatione deposcebat, diu protexit, addito in auxilium (*a*) etiam adoptionis officio. Quibus rebus moti Epirotæ, odio in misericordiam verso, annorum XI eum in regnum revocaverunt, datis tutoribus, qui regnum usque adultam (*b*) ejus ætatem tuerentur. Adolescens deinde multa bella gessit tantusque rerum successu haberi cœptus est, ut Tarentinos solus adversus Romanos tueri posse videretur.

Epiri regni origo.

Ejus reges.

Pyrrhus.

Pialis.

Neoptolemus

Alexander.

Æacides.

Pyrrhus.

Ejus varia fortuna.

LIBER

(*o*) al. angustis sibi metis inclusi videbantur. (*p*) al. matrimonium. (*q*) al. ad. (*r*) al. cum nulla. (*s*) al. reliquit; pacificatus cum omnibus finitimis, ne abducta &c. (*t*) al. in templo. (*u*) al. Pielus. (*x*) al. vivum. (*y*) al. Glauci. (*z*) al. generis. (*a*) al. ad auxilium. (*b*) al. usque ad adultam.

LIBER XVIII.

CAPUT I.

Pyrrhus adverſus Romanos Tarentinis ſuppetias fert. O. C. 3718. a. C. N. 282. U. C. 471. Ol. 124.

IGitur Pyrrhus, rex Epiri, cum iterata Tarentinorum legatione, additis Samnitium & Lucanorum precibus, & ipſis auxilio adverſus Romanos indigentibus (*c*), fatigaretur, non tam ſupplicum precibus, quam ſpe invadendi Italiæ imperii inductus, venturum ſe cum exercito pollicetur. In quam rem inclinatum ſemel animum, præcipitem agere cœperant exempla majorum; ne aut inferior patruo ſuo Alexandro videretur, quo defenſore iidem Tarentini adverſus Bruttios uſi fuerant; aut minores animos Magno Alexandro habuiſſe, qui tam longa à domo militia Orientem ſubegit (*d*). Igitur relicto cuſtode regni filio Ptolemæo, annos XV nato, exercitum in portu Tarentino exponit, duobus parvulis filiis, Alexandro & Heleno, in ſolatia longinquæ ſecum expeditionis adductis (*e*). Cujus audito adventu, Conſul Romanus Valerius Lævinus, feſtinans, ut prius cum eo congrederetur, quam auxilia ſociorum convenirent, exercitum in aciem educit. Nec rex, tametſi numero militum inferior eſſet, certamini moram fecit. Sed Romanos vincentes jam, inuſitata (*f*) ante elephantorum forma ſtupore primo, mox cedere prælio coëgit; victoresque jam nova Macedonum monſtra repente vicerunt. Nec hoſtibus incruenta victoria fuit. Nam & ipſe Pyrrhus graviter vulneratus eſt, & magna pars militum ejus cæſa; majoremque gloriam ejus victoriæ, quam lætitiam habuit. Hujus pugnæ eventum multæ civitates ſecutæ, Pyrrho ſe tradunt. Inter ceteras etiam Locri, prodito præſidio Romano, ad Pyrrhum deficiunt. Ex ea præda Pyrrhus CC captivos milites Romam gratis remiſit, ut, cognita virtute ejus, Romani cognoſcerent etiam liberalitatem. Interjectis deinde diebus, cum ſociorum exercitus ſuperveniſſet, iterato prælium cum Romanis facit, in quo par fortuna priori bello fuit.

Cui Valerius Lævinus occurrit.

Unde prælia & Pyrrhi victoriæ. O. C. 3719. a. C. N. 281. U. C. 472. Ol. 124.

Romani Carthaginienſium auxilia remittunt.

CAP. II. Interea Mago, dux Carthaginienſium, in auxilium Romanorum cum CXX navibus miſſus, ſenatum adiit, *ægre tuliſſe Carthaginienſes* affirmans, *quod bellum in Italia à peregrino rege* (*g*) *paterentur. Ob quam cauſſam miſſum ſe, ut, quoniam externo hoſte* (*h*) *oppugnarentur, externis auxiliis juvarentur.* Gratiæ à Senatu Carthaginienſibus actæ, auxiliaque remiſſa. Sed Mago Punico ingenio, poſt paucos dies tacitus, quaſi pacificator Carthaginienſium, Pyrrhum adit, ſpeculaturus conſilia ejus de Sicilia, quo eum arceſſiri fama erat. Nam Romanis eadem cauſa mittendi auxilii Carthaginienſibus fuerat, ut Romano bello, ne in Siciliam tranſire poſſet Pyrrhus, in Italia detineretur. Dum hæc aguntur, legatus à Senatu Romano Fabricius Lucinus miſſus, pacem cum Pyrrho compoſuit. Ad quam confirmandam, Cyneas (*i*) Romam cum ingentibus à Pyrrho donis miſſus, neminem, cujus domus muneribus pateret, invenit. Huic continentiæ Romanorum ſimile exemplum, iisdem ferme temporibus fuit. Nam miſſi à Senatu in Ægyptum legati, cum ingentia ſibi à Ptolemæo rege miſſa munera ſpreviſſent, interjectis diebus ad cœnam invitatis, aureæ coronæ miſſæ ſunt, quas illi honoris cauſa receptas, poſtera die ſtatuis regis impoſuerunt. Igitur Cyneas, cum turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio renuntiaſſet, interrogatus à Pyrrho, *qualis Roma eſſet*, reſpondit, *Regum urbem ſibi viſam.* Poſt hæc legati Siculorum superveniunt, tradentes Pyrrho totius inſulæ imperium, quæ aſſiduis Carthaginienſium bellis vexabatur. Itaque relicto Locris Alexandro filio, firmatisque ſociorum civitatibus valido præſidio, in Siciliam exercitum trajecit.

Pax cum Pyrrho.

Continentia Romanorum.

Cyneæ de Roma judicium.

Pyrrhus Siciliam occupat. O. C. 3721. a. C. N. 279. U. C. 474. Ol. 279.

CAP. III. Et quoniam ad Carthaginienſium mentionem ventum eſt, de origine eorum pauca dicenda ſunt, repetitis Tyriorum paulo altius rebus, quorum caſus etiam dolendi fuerunt. Tyriorum gens (*k*) condita à Phœnicibus fuit: qui terræ motu vexati, relicto patriæ ſolo, Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi urbe, quam à piſcium ubertate, *Sidona* appellaverunt; nam piſcem Phœnices *Sidon* vocant. Poſt multos deinde annos à rege Aſcaloniorum expugnati, navibus appulſi Tyron, urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt. Ibi Perſarum bellis diu varieque fatigati, victores quidem fuere; ſed attritis viribus, à ſervis ſuis multitudine abundantibus, indigna ſupplicia perpeſſi ſunt: qui conſpiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiunt; atque ita potiti urbe lares dominorum occupant, rempublicam invadunt, conjuges ducunt, & quod ipſi non erant, liberos procreant. Unus ex tot millibus ſervorum fuit, qui miti ingenio, ſenis domini, parvulique filii ejus fortuna moveretur, dominosque non truci feritate, ſed piæ miſericordiæ humanitate reſpiceret. Itaque cum velut occiſos alienaſſet, ſervisque de ſtatu reipublicæ deliberantibus placuiſſet regem ex ſuo corpore creari, eumque potiſſimum quaſi acceptiſſimum (*l*) diis, qui ſolem orientem primus vidiſſet, rem ad Stratonem (hoc enim ei nomen erat) dominum occulte latentem detulit. Ab eo formatus cum medio noctis omnes in unum campum proceſſiſſent, ceteris in Orientem ſpectantibus, ſolus Occidentis regionem intuebatur. Id primum aliis videri furor, in Occidente ſolis ortum quærere: ubi vero dies adventare cœpit, editiſſimisque culminibus urbis oriens ſplendere; exſpectantibus aliis, ut ipſum ſolem aſpicerent, hic primus omnibus fulgorem ſolis in ſummo faſtigio civitatis oſtendit. Non ſervilis ingenii ratio viſa; requirentibusque auctorem

Sidonis & Tyri urbium origo.

Servorum in Tyrios dominos conſpiratio.

(*c*) al. auxilium adverſus Romanos pollicentibus. (*d*) al. ſubegiſſet. (*e*) al. abductis. (*f*) al. inviſitata. (*g*) alii τὸ *rege* omittunt. (*h*) al. ab *externo hoſte.* (*i*) al. Cineas. (*k*) al. Tyriorum res. (*l*) al. placitiſſimum.

rem, de domino confitetur. Tunc intellectum eft, quantum ingenua fervilibus ingenia præftarent (*m*) malitiaque fervos, non fapienta vincere. Igitur venia feni filioque data eft; & velut numine quodam refervatos arbitrantes, Stratonem creaverunt. Poft ejus mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes tranfiit. Celebre hoc fervorum facinus, metuendumque exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaque Alexander Magnus, cum interjecto tempore in Oriente bellum gereret, velut ultor publicæ fecuritatis, expugnata eorum urbe omnes, qui prælio fuperfuerant, ob memoriam veteris cædis crucibus affixit: genus tantum Stratonis inviolatum fervavit: regnumque ftirpi ejus reftituit, ingenuis & innoxiis incolis infulæ attributis, ut, exftirpato fervili germine, genus urbis ex integro conderetur.

Strato rex Tyriorum.

Alexander M. Tyrum expugnat. O.C. 3668. a. C. N. 332. U. C. 421. Ol. 112. Et fervorum progeniem delet.

CAP. IV. Hoc igitur modo Tyrii Alexandri aufpiciis conditi, parcimonia & labore quærendi cito convaluere. Ante cladem dominorum cum & opibus & multitudine abundarent, miffa in Africam juventute, Uticam condidere; cum interim rex Tyro (*n*) decedit, filio Pygmalione, & Eliffa filia; infignis formæ virgine, heredibus inftitutis. Sed populus Pygmalioni admodum puero regnum tradidit. Eliffa quoque Acerbæ avunculo fuo, facerdoti Herculis, qui honos fecundus à rege erat, nubit. Huic magnæ, fed diffimulatæ opes erant; aurumque metu regis non tectis, fed terræ crediderat; quam rem etfi homines ignorabant, fama tamen loquebatur. Qua incenfus Pygmalion oblitus juris humani, avunculum fuum, eundemque generum, fine refpectu pietatis occidit. Eliffa diu fratrem propter fcelus averfata, ad poftremum diffimulato odio, mitigatoque interim vultu, fugam tacito molitur, affumptis quibufdam principibus in focietatem, quibus par odium in regem effe, eandemque fugiendi cupiditatem arbitrabatur. Tunc fratrem dolo aggredietur, fingit, *fe ad eum migrare velle, ne amplius ei mariti domus, cupidæ oblivionis, gravem luctus imaginem renovet* (*o*), *nec ultra amara admonitio oculis ejus occurrat.* Non invitus Pygmalion verba fororis audivit exiftimans cum ea & aurum Acerbæ ad fe venturum. Sed Eliffa miniftros migrationis à rege miffos navibus cum omnibus opibus fuis prima vefpera imponit, provectaque in altum, compellit eos onera arenæ, pro pecunia involucris involuta, in mare dejicere. Tunc deflens ipfa, lugubrique voce Acerbam ciet: orat, *ut libens opes fuas recipiat, quas reliquerat; habeatque inferias, quas habuerat caufam mortis.* Tunc ipfos miniftros aggreditur: *Sibi quidem* ait *optatam olim mortem; fed illis acerbos cruciatus, & dira fupplicia imminere, qui Acerbæ opes, quarum fpe parricidium rex fecerit, avaritiæ tyranni fubtraxerint.* Hoc metu omnibus injecto, comites fugæ accepit. Junguntur & fenatorum in eam noctem præparata agmina; atque ita facris Herculis, cujus facerdos Acerbas fuerat, repetitis, exilio fedes quærunt.

Tyrii Uticam condunt.

Pygmalion Rex Tyri.

Ejus in avunculum & fororem crudelitas.

Eliffa foror Pygmalionis rebus fuis confulit fuga.

CAP. V. Primus illis appulfus terræ, Cyprus infula fuit; ubi facerdos Jovis, cum conjuge & liberis deorum monitu, comitem fe Eliffæ fociumque fortunæ (*p*) præbuit, pactus fibi pofterisque perpetuum honorem facerdotii. Conditio pro manifefto omine accepta. Mos erat Cypriis, virgines ante nuptias ftatutis diebus dotalem pecuniam quæfituras, in quæftum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri folituras. Harum igitur ex numero LXXX, admodum virgines raptas, navibus imponi Eliffa jubet; ut & juventus matrimonia, & urbs fubolem habere poffet. Dum hæc aguntur, Pygmalion, cognita fororis fuga, cum impio bello fugientem perfequi pararet, ægre precibus matris, & deorum minis victus, quievit; cui cum infpirati vates canerent, *non impune laturum, fi incrementa urbis toto orbe aufpicatiffimæ interpelaffet.* Hoc modo fpatium refpirandi fugientibus datum. Itaque Eliffa delata in Africæ finum, incolas loci ejus, adventu peregrinorum, mutuarumque rerum commercio gaudentes, in amicitiam follicitat; deinde empto loco, qui corio bovis tegi poffet, in quo feffos longa navigatione focios, quoad proficifceretur, reficere poffet; corium in tenuiffimas partes fecari jubet, atque ita majus loci fpatium, quam petierat, occupat; unde poftea ei loco *Byrfæ* nomen fuit. Confluentibus deinde vicinis locorum, qui fpe lucri multa hofpitibus venalia inferebant; fedesque ibi ftatuentibus, ex frequentia hominum velut inftar civitatis effectum eft. Uticenfium quoque legati, dona ut confanguineis attulerunt, hortatique funt, urbem ibi conderent, ubi fedes fortiti effent. Sed & Afros detinendi advenas amor cepit. Itaque confentientibus omnibus Carthago conditur, ftatuto annuo vectigali pro folo urbis. In primis fundamentis caput bubulum inventum eft; quod aufpicium quidem fructuofæ terræ, fed laboriofæ, perpetuoque fervæ urbis fuit; propter quod in alium locum urbs translata. (9) Ibi quoque equi caput repertum, bellicofum potentemque populum futurum fignificans, urbi aufpicatam fedem dedit. Tunc ad opinionem novæ urbis concurrentibus gentibus, brevi & populus & civitas magna facta.

Eliffa Cyprum appellit.

Virgines Cypriæ dotem corporis obfequio quærunt.

Eliffa defertur in Africæ finum.

Carthaginem condit.


Aufpicia de Carthaginis fatis.

CAP. VI. Cum fucceffu rerum florentes Carthaginis opes effent, rex Maxitanorum (*q*) Hiarbas (*r*) decem Pœnorum principibus ad fe arceffitis, Eliffæ nuptias fub belli denuntiatione petit; quod legati reginæ referre metuentes, Punico cum ea ingenio egerunt, nuntiantes, *Regem aliquem pofcere, qui cultiores victus* (*s*) *eum,*

Eliffa propter Hiarbæ votum vim fibi infert.

(*m*) al. quantum ingenia dominorum fervilibus præftarent. (*n*) al. Tyri. (*o*) al. *renovaret.* (*p*) alii τὸ fortunæ omittunt. (*q*) al. Muxitanorum. (*r*) al. Iarbas. (*s*) al. *cultiores mores victusque &c.*

(9) Ibi quoque equi caput repertum) In hujus rei memoriam equi caput in numis Carthaginienfium fculptum videtur. Tab. LXIX. num. 4. Conf. OISELIUS Tab. XXXII. num. 8. pag. 140. qui literas in numo expreffas, Punicas effe afferit, quas Græca vox KAKKABH, explicat, qua Equi caput indicatur.


Tab. LXIX.
ad pag. 643. 645.
651. 656. 657.
I
ÆR
Z
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
II
ÆR
Γ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
III
ÆR
E
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ
ΜΕ
IV
ÆR
Γ
V
ÆR
COL. TYRO. METR.
Δ

eum, Afrosque perdoceat; sed quem inveniri posse, qui ad Barbaros & ferarum more viventes transire à consanguineis velit? Tunc à regina castigati, *Si pro salute patriæ asperiorem vitam recusarent, cui etiam ipsa vita, si res exigat, debeatur:* regis mandata aperuere, dicentes, *Quæ præcipiat aliis, ipsi facienda esse, si velit urbi consultum esse.* Hoc dolo capta, diu Acerbæ viri nomine cum multis lacrymis & lamentatione flebili invocato, ad postremum *ituram se quo suæ urbis fata (t) vocarent*, respondit. In hoc trium mensium sumpto spatio, pyra in ultima parte urbis exstructa, velut placatura viri manes, inferiasque ante nuptias missura, multas hostias cædit, & sumpto gladio pyram conscendit; atque ita ad populum respiciens, *ituram se ad virum, sicut præceperant*, dixit, vitamque gladio finivit. Quamdiu Carthago invicta fuit, (10) pro dea culta est. Condita est urbs hæc LXXII. annis ante quam Roma; cujus virtus sicut bello clara fuit, ita domi status variis discordiarum casibus agitatus est. Cum inter cetera mala, etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione, & scelere pro remedio usi sunt. Quippe homines, ut victimas immolabant; & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovebant, pacem deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogari maxime solent.

Carthago quando condita. O. C. 3118. a. C. N. 882. a. U. C. 130.

Carthaginiensium crudelis superstitio.

CAP. VII. Itaque adversis (u) tanto scelere numinibus, cum in Sicilia diu feliciter (x) dimicassent; translato in Sardiniam bello, amissa majore exercitus parte, gravi prælio victi sunt. Propter quod ducem suum Maleum (y), cujus auspiciis & Siciliæ partem domuerant, & adversus Afros magnas res gesserant, cum parte exercitus, quæ superfuerat, exulare jusserunt. Quam rem ægre ferentes milites, legatos Carthaginem mittunt, qui reditum primo, veniamque infelicis militiæ petant; tum denuntient, *quod precibus nequeant, armis se consecuturos.* Cum & preces & minæ legatorum spretæ essent, interjectis diebus, conscensis navibus, armati ad urbem veniunt; ibi deos hominesque testati (z), *non se expugnatum, sed recuperatum patriam venire; ostensurosque civibus suis, non virtutem sibi priore bello, sed fortunam defuisse*: prohibitis commeatibus, obsessaque urbe, in summam desperationem Carthaginienses adduxerunt. Interea Cartalo Malei exsulis ducis filius, cum præter castra patris à Tyro, quo decimas Herculis (a) ferre ex præda Siciliensi, quam pater ejus ceperat, à Carthaginiensibus missus fuerat, reverteretur, arcessitusque à patre esset, *prius publicæ se religionis officia exsecuturum quam privatæ pietatis*, respondit. Quam rem etsi indigne ferret pater, non tamen vim afferre religioni ausus est. Interjectis deinde diebus, Cartalo, petito commeatu à populo, cum reversus ad patrem esset, ornatusque purpura, & infulis sacerdotii, omnium se oculis ingereret, tunc in secretum abductus pater ait: *Aususne es, nefandissimum caput, ista purpura & auro ornatus, in conspectum tot miserorum civium venire? & mœsta ac lugentia castra, circumfluentibus quietæ felicitatis insignibus, velut exsultabundus intrare? Nusquamne te aliis jactare potuisti? Nullus locus aptior quam sordes patris, & exilii infelicis ærumnæ fuerunt? Quid, quod paulo ante vocatus, non dico patrem; ducem certe civium tuorum superbe sprevisti? Quid porro in purpura ista coronisque aliud, quam victoriarum mearum titulos geris? Quoniam igitur tu in patre nihil nisi exsulis nomen agnoscis; ego quoque imperatorem me magis, quam patrem judicabo; statuamque in te exemplum, ne quis posthac infelicibus miseriis patris illudat.* Atque ita eum cum ornatu suo, in altissimam crucem in conspectu urbis suffigi jussit. Post paucos deinde dies Carthaginem capit; evocatoque populo ad concionem, exilii injuriam queritur; belli necessitatem excusat; *contentumque victoria sua, punitis auctoribus miserorum civium, injuriosi exilii omnibus se veniam dare* dicit. Atque ita decem senatoribus interfectis, urbem legibus suis reddidit. Nec multo post ipse affectati regni accusatus, duplicis & in filio & in patria parricidii pœnas dedit. Huic Mago imperator successit, cujus industria, & opes Carthaginiensium, & Imperii fines, & bellicæ gloriæ laudes creverunt.

Clades Carthaginiensium in Sardinia.

Superstites in exilium pulsi patriam armis recuperare nituntur.

Unde Malei patris in Cartalonem severitas.

Et paullo post eruentus exitus.

LIBER XIX.

CAPUT I.

MAgo Carthaginiensium imperator, cum primus omnium, ordinata disciplina militari, imperium Pœnorum condidisset, viresque civitatis non minus bellandi arte quam virtute firmasset, diem fungitur, relictis duobus filiis Hasdrubale & Hamilcare; qui per vestigia paternæ virtutis decurrentes, sicuti generi, ita & magnitudini patris successerunt. His ducibus Sardiniæ bellum illatum; adversus Afros quoque, vectigal pro solo urbis multorum annorum repetentes, dimicatum; sed Afrorum sicuti causa justior, ita & fortuna superior fuit; bellumque cum his solutione pecuniæ, non armis, finitum. In Sardinia quoque Hasdrubal graviter vulneratus, imperio Hamilcari fratri tradito, interiit; cujus mortem, cum luctus civitatis, tum & dictaturæ undecim, & triumphi quatuor insignem fecere; hostibus quoque crevere animi, veluti cum duce vires Pœnorum cecidissent. Itaque Siciliæ populis propter assiduas Carthaginiensium injurias, ad Leonidam

Magoni succedunt filii Hasdrubal & Hamilcar.

Qui Sardiniæ bellum inferunt.

In quo Hasdrubal perit.

Inde Siculum bellum.

(t) al. *quo sua & urbis fata.* (u) al. aversis. (x) al. infeliciter. (y) al. Macheum. (z) al. testari. (a) al. Herculi.

(10) Pro dea culta est) Hinc & Dido à Tyriis, unde originem suam traxit, in numo Tab. LXIX. num. 5. ut Dea repræsentatur. Conf. VAILLANT. Numism. ær. Impp. T. II. p. 175.

dam fratrem regis Spartanorum, concurrentibus, grave bellum natum; in quo & diu, & varia victoria præliatum fuit. Dum hæc aguntur, legati a Dario, Persarum rege, Carthaginem venerunt, afferentes edictum, quo Pœni *humanas hostias immolare, & canina vesci* prohibebantur; *mortuorumque corpora cremare potius, quam terra obruere*, à rege jubebantur; petentes simul auxilia adversus Græciam, cui illaturus bellum Darius erat. Sed Carthaginienses auxilia negantes, propter assidua finitimorum bella, ceteris, ne per omnia contumaces viderentur, cupide paruere.

Et Persarum ad Carthaginienses legatio.

CAP. II. Interea Hamilcar bello Siciliensi interficitur, relictis tribus filiis, Imilcone, Hannone, Giscone. Hasdrubali quoque par numerus filiorum fuit, Annibal, & Hasdrubal, & Sappho. Per hos res Carthaginiensium ea tempestate gerebantur (*b*). Itaque & Mauris bellum illatum, & adversus Numidas pugnatum, & Afri compulsi stipendium urbis conditæ Carthaginiensibus remittere. Deinde cum familia tanta imperatorum gravis liberæ civitati esset, omniaque ipsi agerent simul & judicarent, centum ex numero senatorum judices deliguntur, qui reversis à bello ducibus, rationem rerum gestarum exigerent, ut hoc metu ita in bello imperia cogitarent (*c*), ut domi judicia legesque respicerent. In Sicilia in locum Hamilcaris, imperator Imilco succedit; qui cum navali terrestrique bello secunda prælia fecisset, multasque civitates cepisset, repente, pestilentis sideris vi exercitum amisit. Quæ res cum nuntiata Carthagini esset, mœsta civitas fuit; omnia ululatibus, non secus ac si urbs ipsa capta esset, personabant: clausæ privatæ domus, clausa deorum templa, intermissa omnia sacra, omnia privata officia damnata. Cuncti deinde ad portum (*d*) congregantur, egredientesque paucos navibus, qui cladi superfuerant, de suis percontantur. Ut vero dubia antea spe, & suspenso metu, incerta orbitatis exspectatione, casus suorum miseris eluxit, tunc toto littore plangentium gemitus, tunc infelicium matrum ululatus, & flebiles querelæ audiebantur.

Hamilcaris & Hasdrubalis filii.

Imilco res in Sicilia feliciter gerit.

Sed exercitum peste amittit.

Unde luctus Carthaginiensium.

CAP. III. Inter hæc procedit inops è navi sua imperator sordida servilique tunica discinctus; ad cujus conspectum plangentium agmina junguntur. Ipse quoque manus ad cœlum tendens, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflet; nunc *deos* accusat, *qui tanta belli decora, & tot ornamenta victoriarum, quæ ipsi dederant, abstulerint; qui captis tot urbibus, totiesque hostibus terrestri navalique prælio victis, exercitum victorem non bello, sed peste deleverint. Deferre se tamen civibus suis non modica solatia, quod malis eorum hostes gaudere, non gloriari possent. Quippe cum neque eos, qui mortui sunt, à se occisos; neque eos qui reversi sunt, à se fugatos possint dicere. Prædam, quam relictis à se castris abstulerint, non esse talem, quam velut spolium victi hostis ostentent; sed quam possessione vacua, fortuitis dominorum mortibus sicuti caduca occuparint. Quod ad hostes pertinet, victores se recessisse; quod ad pestem, victos. Nihil tamen se gravius ferre, quam quod inter fortissimos viros mori non potuerit, servatusque sit non ad vitæ jucunditatem, sed ad ludibrium calamitatis. Quanquam ubi miseras copiarum reliquias Carthaginem reduxerit, se quoque sequuturum commilitones suos; ostensurumque patriæ, non ideo se in eam diem vixisse, quoniam velit vivere; sed ne hos, quibus nefanda lues pepercerat, inter hostium exercitus relictos, morte sua proderet.* Tali vociferatione per urbem ingressus, ut ad limina domus suæ venit, prosequutam multitudinem velut postremo alloquio dimisit; obseratisque foribus, ac nemine ad se, ne filiis quidem admissis, mortem sibi conscivit.

Et Imilconis Imperatoris,

Ejusque querelæ.

Imilco mortem sibi conscivit.

LIBER XX.

CAPUT I.

Dionysius Siciliæ tyrannus Græciæ magnæ bellum infert.

Dionysius è Sicilia Carthaginiensibus pulsis occupatoque totius insulæ imperio, grave otium regno suo, periculosamque desidiam tanti exercitus ratus, copias in Italiam trajecit. Simul ut militum vires continuo labore acuerentur, & regni fines proferrentur. Prima illi militia adversus Græcos, qui proxima Italici maris littora tenebant, fuit; quibus devictis, finitimos quosque aggreditur, omnesque Græci nominis Italiam possidentes, hostes sibi destinat; quæ gentes non partem, sed universam ferme Italiam ea tempestate occupaverant. Denique multæ urbes adhuc post tantam vetustatem vestigia Græci moris ostentant. Namque Tuscorum populi, qui oram inferi maris possident, Lydia venerunt; & Venetos, quos incolas superi maris videmus, capta & expugnata Troja, Antenore duce, misit; Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Adriatico mari nomen dedit, Græca urbs est; & Arpos Diomedes exciso Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit. Sed & Pisæ, in Liguribus Græcos auctores habent; & in Tuscis, Tarquinii à Thessalis & Spina in Umbris (*e*): Perusini quoque originem ab Achæis ducunt. Quid Ceren (*f*) urbem dicam? Quid Latinos populos, qui ab Ænea conditi videntur? Jam Falisci, Nolani, Abellani nonne Chalcidensium coloni sunt? Quid tractus omnis Campaniæ? Qui Bruttii, Sabinique? Quid Samnites? Quid Tarentini? Quos Lacedemone profectos, Spuriosque vocatos accepimus? Thurinorum urbem condidisse Philocteten ferunt, ibique adhuc monumentum ejus visitur; & Herculis sagittæ in Apollinis templo, quæ fatum Trojæ fuere.

Gentes Græci nominis Italiam possidentes.

CAP. II. Metapontini quoque in templo Minervæ ferramenta, quibus Epeus, à quo conditi

(*b*) al. regebantur. (*c*) al. agitarent. (*d*) al. portam. (*e*) al. & Spinambris. (*f*) al. Cæren.

Italiæ pars cur Græcia Magna dicta.

Metapontinorum origo & fata.

diti ſunt, equum Trojanum fabricavit, oſtentant. Propter quod omnis illa pars Italiæ, major Græcia appellata eſt. Sed principio originum Metapontini cum Sybaritanis & Crotonienſibus pellere ceteros Græcos Italia ſtatuerunt. Cum primum urbem Sirim cepiſſent, in expugnatione ejus quinquaginta juvenes amplexos Minervæ ſimulacrum, ſacerdotemque deæ velatum ornamentis, inter ipſa altaria trucidaverunt. Ob hæc cum peſte & ſeditionibus vexarentur, priores Crotonienſes Delphicum oraculum adierunt. Reſponſum his eſt, *finem mali fore, ſi violatum Minervæ numen, & interfectorum manes placaſſent.* Itaque cum ſtatuas juvenibus juſtæ magnitudinis, & imprimis Minervæ fabricare cœpiſſent, Metapontini cognito oraculo deorum, occupandam manium & deæ pacem rati, juvenibus modica & lapidea ſimulacra ponunt, & deam panificiis placant. Atque ita peſtis utrobique ſedata eſt, cum alteri magnificentia, alteri velocitate certaſſent. Recuperata ſanitate, non diu Crotonienſes quievere. Itaque indignantes, in oppugnatione Siris, auxilium contra ſe à Locrenſibus latum, bellum his intulerunt. Quo metu territi Locrenſes, ad Spartanos decurrunt; auxilium ſupplices deprecantur. Illi longinqua militia (*g*) gravati auxilium à Caſtore & Polluce petere eos jubent. Neque legati reſponſum ſociæ urbis ſpreverunt; profectique in proximum templum, facto ſacrificio, auxilium deorum implorant. Litatis hoſtiis, obtentoque, ut rebantur, quod petebant, haud ſecus læti, quam ſi deos ipſos ſecum avecturi (*h*) eſſent; pulvinaria iis in navi componunt, fauſtiſque profecti ominibus, ſolatia ſuis pro auxiliis deportant.

Crotonienſium & Locrenſium bella.

CAP. III. His cognitis, Crotonienſes & ipſi legatos ad oraculum Delphos mittunt, victoriæ facultatem, bellique proſperos eventus deprecantes. Reſponſum, *prius votis hoſtes, quam armis vincendos.* Cum voviſſent Apollini decimas prædæ, Locrenſes & voto hoſtium & reſponſo dei cognito, nonas voverunt; tacitamque eam rem habuere, ne votis vincerentur. Itaque cum in aciem proceſſiſſent, & Crotonienſium centum viginti millia armatorum conſtitiſſent, Locrenſes paucitatem ſuam circumſpicientes (nam ſola quindecim millia militum habebant) omiſſa ſpe victoriæ, in deſtinatam mortem conſpirant: tantuſque ardor ex deſperatione ſingulos cepit, ut victores ſe putarent, ſi non inulti morerentur. Sed dum mori honeſte quærunt, feliciter vicerunt. Nec alia cauſa victoriæ fuit, quam quod deſperaverunt. Pugnantibus Locris, aquila ab acie nunquam receſſit, eoſque tamdiu circumvolavit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo juvenes diverſo à ceteris armorum habitu, eximia magnitudine & albis equis & coccineis paludamentis, pugnare viſi ſunt, nec ultra apparuerunt, quam pugnatum eſt. Hanc admirationem auxit incredibilis famæ velocitas. Nam eadem die, qua in Italia pugnatum eſt, & Corintho & Athenis, & Lacedæmone nuntiata eſt victoria.

In quibus Locrenſes ſuperiores.

CAP. IV. Poſt hæc Crotonienſibus nulla virtutis exercitatio, nulla armorum cura fuit. Oderant enim, quæ infeliciter ſumpſerant; mutaſſentque vitam luxuria, ni Pythagoras philoſophus fuiſſet. Hic Sami Demarato locuplete negotiatore natus, magniſque ſapientiæ incrementis formatus (*i*), Ægyptum primo, mox Babyloniam ad perdiſcendos ſiderum motus, originemque mundi ſpectandam, profectus, ſummam ſcientiam conſequutus erat. Inde regreſſus, Cretam & Lacedæmona, ad cognoſcendas Minois & Lycurgi inclytas ea tempeſtate leges, contenderat. Quibus omnibus inſtructus, Crotonam venit, populumque in luxuriam lapſum, auctoritate ſua ad uſum frugalitatis revocavit. Laudabat quotidie virtutem, & vitia luxuriæ, caſuſque civitatium ea peſte perditarum enumerabat; tantumque ſtudium ad frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur. Matronarum quoque ſeparatam à viris doctrinam, & puerorum à parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam, & obſequia in viros; nunc illos modeſtiam, & litterarum ſtudium. Inter hæc velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat; conſequutuſque diſputationum aſſiduitate erat, ut matronæ auratas veſtes, ceteraque dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ, deponerent; eaque omnia delata in Junonis ædem ipſi deæ conſecrarent, præ ſe ferentes, vera ornamenta matronarum Pudicitiam, non veſtes eſſe. In Juventute quoque quantum profligatum ſit, victi feminarum contumaces animi manifeſtant. Sed ccc ex juvenibus, cum ſodalitii juris (*k*) ſacramento quodam nexi ſeparatam à ceteris civibus vitam exercerent, quaſi cœtum clandeſtinæ conjurationis haberent, civitatem in ſe converterunt, quæ eos, cum in unam domum conveniſſent, cremare voluit. In quo tumultu LX ferme periere, ceteri in exilium profecti. Pythagoras autem cum annos XX Crotonæ egiſſet, Metapontum migravit, ibique deceſſit, cujus tanta admiratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent, eumque pro deo colerent.

Pythagoras Philoſophus.

Crotonienſes ad frugalitatem revocat. O. C. 3359. a. C. N. 641. U. C. 112. Ol. 34.

Pythagoras Metapontum migrat ibique moritur.

CAP. V. Igitur Dionyſius tyrannus, quem ſupra à Sicilia exercitum in Italiam trajeciſſe, bellumque Græcis intuliſſe, memoravimus, expugnatis Locris, Crotonienſes vix vires longo otio ex prioris belli clade reſumentes, aggreditur; qui fortius cum paucis tanto exercitui ejus, quam antea cum tot millibus Locrenſium paucitati reſtiterunt. Tantum virtutis paupertas adverſus inſolentes divitias habet, tantoque inſperata interdum ſperata victoria certior eſt. Sed Dionyſium gerentem bellum, legati Gallorum, qui paucos ante menſes Romam incenderant, ſocietatem amicitiamque petentes adeunt: *gentem ſuam inter hoſtes ejus poſitam eſſe, magnoque uſui ei futuram vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in prælium hoſtibus* affirmant. Grata legatio Dionyſio fuit. Ita pacta ſocietate, auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro reſtaurat. His autem Gallis cauſa in Italiam veniendi, ſedeſque novas quærendi

Dionyſius victis Locrenſibus Crotonienſes adoritur.

Galli Italiam infeſtant.

Oooo 2

(*g*) al. longinquam militiam. (*h*) al. advecturi. (*i*) al. ornatus. (*k*) al. jure.

rendi, intestina discordia, & assiduæ domi dissensiones fuere; quarum tædio, cum in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum (*l*), Tridentum. Vicentiam condiderunt. Tusci quoque, duce Rhæto, avitis sedibus amissis, Alpes occupavere; & ex nomine ducis gentes Rhætorum condiderunt. Sed Dionysium in Siciliam adventus Carthaginiensium revocavit: qui reparato exercitu, bellum, quod lue deserverant, auctis viribus repetebant. Dux belli Hanno Carthaginiensis erat; cujus inimicus Suniatus, potentissimus ea tempestate Pœnorum, cum odio ejus, Græcis literis, Dionysio adventum exercitus & segnitiem ducis familiariter prænuntiasset, comprehensis epistolis, proditionis damnatur; facto senatusconsulto, *Ne quis postea Carthaginiensis, aut literis Græcis, aut sermoni studeret; ne aut loqui cum hoste, aut scribere sine interprete posset.* Nec multo post Dionysius, quem paulo ante non Sicilia, non Italia capiebat, assiduis belli certaminibus victus fractusque, insidiis postremum suorum interficitur.

Dionysius ab Hannone ex Italia retractus.

Taudem suorum insidiis opprimitur.

LIBER XXI.

CAPUT I.

Dionysii Junioris artes tyrannicæ describuntur. O. C. 3632. a. C. N. 368. U. C. 385. Ol. 103.

EXtincto in Sicilia Dionysio tyranno, in locum ejus milites maximum natu ex filiis ejus, nomine Dionysium, suffecere; & naturæ jus secuti, & quod firmius futurum esse regnum, si penes unum remansisset, quam si portionibus inter plures filios divideretur, arbitrabantur. Sed Dionysius inter initia regni, avunculos fratrum suorum, velut æmulos imperii sui, hortatoresque puerorum ad divisionem regni, tollere gestiebat. Quare paulisper dissimulatum animum prius ad favorem popularium conciliandum intendit; excusatius facturus quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. Igitur nexorum tria millia è carcere dimittit, tributa populo per triennium remittit; & quibuscumque delinimentis potest, animos omnium sollicitat. Tunc ad destinatum facinus conversus, non cognatos tantum fratrum, sed etiam ipsos interficit: ut quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret, tyrannidem in suos priusquam in exteros (*m*) auspicatus.

Ejus luxuria.

CAP. II. Sublatis deinde æmulis, in segnitiam lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumque valetudinem contraxit, adeo ut non solem, non pulverem, non denique splendorem ferre lucis ipsius posset. Propter quæ dum contemni se putat; sævitia grassatur; nec ut pater carcerem nexis, sed cædibus civitatem replet. Ob quæ non contemptior omnibus, quam invisior fuit. Itaque cum bellum adversus eum Syracusani decrevissent, diu dubitavit, imperium deponeret, an bello resisteret. Sed à militibus prædam & urbis direptionem sperantibus, descendere in prælium cogitur. Victus, cum iterato non felicius fortunam tentasset, legatos ad Syracusanos mittit, spondens, *se depositurum tyrannidem, si mitterent ad eum, quibuscum sibi de pace conveniret.* In quam rem missos primores, in carcere retinet, atque ita incautis omnibus, nec quicquam hostile metuentibus, exercitum ad delendam civitatem mittit. Fit igitur in ipsa urbe anceps prælium; in quo oppidanis multitudine superantibus, Dionysius pellitur: qui cum obsidionem arcis timeret, cum omni regio apparatu in Italiam profugit tacitus. Exul à Locrensibus sociis exceptus, velut jure regnaret, arcem occupat; solitamque sibi sævitiam exercet. Conjuges principum ad stuprum rapi jubebat; virgines ante nuptias abducebat, stupratasque sponsis (*n*) reddebat; locupletissimos quosque aut civitate pellebat, aut occidi imperabat, bonaque eorum invadebat.

Crudelitas.

Doli.

Exilium.

Tyrannis in Locrenses.

CAP. III. Dein cum rapinæ occasio deesset, universam civitatem callido commento circumvenit. Cum Rheginorum tyranni Leophronis bello Locrenses premerentur, voverant, si victores forent, ut die festo Veneris virgines suas prostituerent. Quo voto intermisso, cum adversa bella cum Lucanis gererent, in concionem eos Dionysius vocat: hortatur, *ut uxores filiasque suas in templum Veneris, quam possint ornatissimas mittant: ex quibus sorte ductæ centum, voto publico fungantur; religionisque gratia, uno stent in lupanari mense, omnibus ante juratis viris, ne quis ullam attaminet. Quæ res ne virginibus, voto civitatem solventibus, fraudi esset, decretum facerent: Ne qua virgo nuberet, priusquam illæ maritis* (*o*) *traderentur.* Probato consilio, quo & superstitioni & pudicitiæ virginum consulebatur, certatim omnes feminæ impensius exornatæ, in templum Veneris conveniunt: quas omnes Dionysius immissis militibus spoliat, ornamentaque matronarum in prædam suam vertit. Quarundam viros ditiores interficit, quasdam ad prodendas virorum pecunias torquet. Cum his artibus per annos sex regnasset, conspiratione Locrorum civitate pulsus in Siciliam redit. Ibi Syracusas securis omnibus, post longam intercapedinem pacis, per proditionem recepit.

Callido commento Locrenses spoliat & obtruncat.

Syracusas per proditionem recipit.

CAP. IV. Dum hæc in Sicilia geruntur, interim in Africa princeps Carthaginiensium Hanno opes suas, quibus vires reipubl. superabat, ad occupandam dominationem intendit, regnumque invadere, interfecto senatu, conatus est. Cui sceleri solennem nuptiarum diem filiæ suæ legit, ut religione votorum, nefanda commenta facilius tegerentur. Itaque plebi epulas in publicis porticibus, senatui in domo

Hannonis, tyrannidem Carthagini occupare tentanti, tragœdia.

(*l*) al. Vergamum. (*m*) al. in suos, quam in exteros. (*n*) al. procis. al. sponsis procis. (*o*) al. *maribus*. al. *viris*.

domo sua parat, ut poculis veneno infectis, secretius senatum, & sine arbitris interficeret, orbamque rempubl. facilius invaderet. Qua re magistratibus per ministros prodita, scelus declinatum, non vindicatum est, ne in viro tam potenti plus negotii faceret res cognita, quam cogitata. Contenti itaque cohibuisse, decreto modum nuptiarum sumptibus statuunt; idque observari non ab uno, sed ab universis jubent, ne persona designata, sed vitia (p) correcta viderentur. Hoc consilio præventus, iterum servitia concitat, statutaque rursus cædium die, cum denuo se proditum videret, timens judicium, munitum quoddam castellum cum viginti millibus servorum armatis occupat. Ibi dum Afros regemque Maurorum concitat, capitur, virgisque cæsus, effossis oculis, & manibus cruribusque fractis, velut à singulis membris pœnæ exigerentur, in conspectu populi occiditur; corpus verberibus lacerum in crucem (q) figitur. Filii quoque, cognatique omnes, etiam innoxii, supplicio traduntur, ne quisquam aut ad imitandum scelus, aut ad mortem ulciscendam, ex tam nefaria domo superesset.

Dionysius junior, Sicilia ejectus. O. C. 3657. a. C. N. 343. U. C. 410. Ol. 109.

CAP. V. Interea Dionysius Syracusis receptus, cum gravior crudeliorque indies civitati esset, iterata conspiratione obsidetur. Tunc deposito imperio, arcem Syracusanis cum exercitu tradit; (r) receptoque privato instrumento, Corinthum in exilium proficiscitur.

Corinthi moratur.

Ibi humillima quæque tutissima existimans, in sordidissimum vitæ genus descendit: non contentus in publico vagari, sed potare; nec conspici in popinis lupanaribusque, sed totis diebus desidere; cum perditissimo quoque de minimis rebus disceptare, pannosus & squalidus (s) incedere; risum libentius præbere, quam captare; in macello perstare; quod emere non poterat, oculis devorare; apud ædiles adversus lenones jurgari (t); omniaque ista facere (u), ut contemnendus magis, quam metuendus videretur. Novissime ludimagistrum professus, pueros in trivio docebat, ut aut à timentibus semper in publico videretur, aut à non timentibus facilius contemneretur. Nam licet tyrannicis vitiis semper abundaret; tamen simulatio hæc vitiorum, non naturæ (x) erat; magisque hæc arte, quam amisso regali pudore faciebat, expertus quam invisa tyrannorum forent etiam sine opibus nomina. Laborabat itaque invidiam præteritorum, contemptu præsentium demere, neque honesta, sed tuta consilia circumspiciebat. Inter has tamen dissimulationum artes, insimulatus est affectatæ tyrannidis; nec aliter, quam dum contemnitur, liberatus est.

Ubi contemnitur.

Hamilcar ab Atheniensibus ad Alexandrum M. mittitur speculatum consilia ejus.

CAP. IV. Inter hæc Carthaginienses tanto successu rerum Alexandri Magni exterriti, verentes, ne Persico regno & Africam vellet adjungere, mittunt ad speculandos ejus animos Hamilcarem, cognomento Rhodanum (y), virum solertia facundiaque præter ceteros insignem. Augebant enim metuum & Tyrus urbs, auctor originis suæ, capta; & Alexandria æmula Carthaginis, in terminis Africæ & Ægypti condita; & felicitas regis, apud quem nec cupiditas, nec fortuna ullo modo terminabantur. Igitur Hamilcar per Parmenionem aditu regis obtento, profugisse se ad regem expulsum patria fingit, militemque se expeditionis offert. Atque ita consiliis ejus exploratis, in tabellis ligneis, vacua desuper cera inducta, civibus suis omnia perscribebat. Sed Carthaginienses post mortem regis reversum in patriam, quasi urbem regi vendidisset (z), non ingrato tantum, verum etiam invido & crudeli animo, necaverunt.

Rediens ab ingratis Carthaginiensibus interficitur.

LIBER XXII.

CAPUT I.

Agathoclis Siciliæ tyranni origo.

Agathocles Siciliæ tyrannus, qui magnitudini prioris Dionysii successit, ad regni majestatem ex humili & sordido genere pervenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus, non honestiorem pueritiam, quam principia originis habuit.

Pueritia.

Siquidem forma & corporis pulchritudine egregius, diu vitam stupri patientia exhibuit.

Adolescentia.

Annos deinde pubertatis egressus, libidinem à viris ad feminas transtulit. Post hæc apud utrumque sexum famosus, vitam latrociniis mutavit. Interjecto tempore, cum Syracusas concessisset, adscitusque in civitatem inter incolas esset, diu sine fide fuit; quoniam nec in fortunis quod amitteret, nec in verecundia quod inquinaret, habere videbatur: in summa, gregariam militiam sortitus, non minus tunc seditiosa, quam antea turpi vita, in omne facinus promptissimus erat.

Misera conditio.

Nam & manu strenuus, & in concionibus perfacundus habebatur. Brevi itaque centurio, ac deinceps tribunus militum factus est.

Felicitas bellica.

Primo bello adversus Ætnæos (a) magna experimenta sui Syracusanis dedit. Sequenti Campanorum, tantam de se spem omnibus fecit, ut in locum demortui ducis Damasconis sufficeretur.

Nova dignitas.

Cujus uxorem adulterio cognitam post mortem viri in matrimonium recepit.

Perfidia.

Nec contentus, quod ex inope repente dives factus esset, piraticam adversus patriam exercuit. Saluti ei fuit, quod socii capti tortique, de illo negaverunt. Bis occupare imperium Syracusarum voluit: bis in exilium actus est.

Tyrannis. O. C. 3683. a. C. N. 317. U. C. 436. Ol. 115.

CAP. II. A Murgantinis, apud quos exulabat, odio Syracusanorum, primo prætor, mox dux creatur. In eo bello & urbem Leontinorum capit, & patriam suam Syracusas obsidere cepit: ad cujus auxilium Hamilcar, dux Pœno-

Agathocles Syracusas obsidet.

(p) al. non vitia. (q) al. in cruce. (r) al. tradidit. (s) al. pannosusque & squalidus. (t) al. jurgare. (u) al. omniaque ita facere. (x) al. natura. (y) al. Rhodonum. al. Rhodonem. (z) al. indicasset. (a) al. Æthineos. al. Ætneos.

Quas Hamilcar defendit.

Pœnorum, imploratus depositis hostilibus odiis, præsidia militum mittit. Ita uno eodemque tempore Syracusæ, & ab hoste, civili amore defensæ; & à cive, hostili odio impugnatæ sunt. Sed Agathocles, cum videret fortius defendi urbem quam oppugnari, precibus per internuntios Hamilcarem exorat, ut inter se & Syracusanos pacis arbitria suscipiat, peculiaria in ipsum officia sua repromittens. Qua spe impletus Hamilcar, societatem cum eo, metu potentiæ ejus jungit; ut, quantum virium Agathocli adversus Syracusanos dedisset, tantum ipse ad incrementa domesticæ potentiæ reciperaret. Igitur non pax tantum Agathocli conciliatur, verum etiam prætor Syracusis constituitur. Tunc Hamilcari, expositis ignibus cereis (*b*) tactisque, in obsequia Pœnorum jurat. Deinde acceptis ab eo quinque millibus Afrorum, potentissimos (*c*) quosque ex principibus interficit: atque ita veluti reip. statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet, contracto in gymnasio (*d*) senatu, quasi quædam prius ordinaturus. Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet, senatum trucidat: cujus peracta cæde, ex plebe quoque locupletissimos & promptissimos interficit.

Cujus pacem impetrat Agathocles & præturam.

Agathoclis crudelitas.

CAP. III. His ita gestis, militem legit, exercitumque conscribit; quo instructus, finitimas civitates nihil hostile metuentes, ex improviso aggreditur. Pœnorum quoque socios, permittente Hamilcare, fœde vexat (*e*): propter quod querelas Carthaginem socii non tam de Agathocle, quam de Hamilcare, detulerunt: *hunc ut dominum & tyrannum, illum ut proditorem* arguentes, *à quo infestissimo hosti, fortunæ sociorum, interposita pactione, donatæ sint: sicut ab initio Syracusæ in pignus societatis sint traditæ, urbs semper Pœnis infesta, & de imperio Siciliæ Carthaginis æmula: nunc insuper civitates sociorum eidem titulo pacis addictas. Denuntiare igitur se, hæc brevi ad ipsos redundatura, ac propediem sensuros, quantum malum non Siciliæ magis, quam ipsi Africæ attulerint.* His querelis senatus in Hamilcarem accenditur. Sed quoniam in imperio esset, tacita de eo suffragia tulerunt, & sententias, priusquam recitarentur, in urnam conjectas, obsignari jusserunt; dum alter Hamilcar, Gisgonis filius, à Sicilia (*f*) reverteretur. Sed hæc callida commenta Pœnorum, & sententias inauditas mors Hamilcaris prævenit; liberatusque est fati munere, quem sui per injuriam cives inauditum damnaverant. Quæ res Agathocli adversus Pœnos occasionem movendi belli dedit. Prima igitur illi cum Hamilcare, Gisgonis filio, prælii congressio fuit; à quo victus, majore mole reparaturus bellum, Syracusas concessit. Sed secundi certaminis eadem fortuna, quæ & prioris fuit.

Carthaginienses in Hamilcarem tacita suffragia ferunt.

Hamilcar moritur.

Agathoclis bellum adversus Carthaginienses.

CAP. IV. Cum igitur victores Pœni Syracusas obsidione cinxissent, Agathocles cum se (*g*) neque viribus parem, neque ad obsidionem ferendam instructum videret; super hæc à sociis, crudelitate ejus offensis, desertus esset, statuit bellum in Africam transferre: mira prorsus audacia, ut quibus in solo urbis suæ par non erat, eorum urbi bellum inferret; & qui sua tueri (*h*) non poterat, impugnaret aliena; victusque victoribus insultaret. Hujus consilii non minus admirabile silentium, quam commentum fuit, populo hoc solum professus, *invenisse se victoriæ viam, animos illi tantum in brevem obsidionis patientiam firmarent: vel si cui status præsentis fortunæ displiceret, dare se ei discedendi liberam potestatem.* Cum mille sexcenti discessissent, ceteros ad obsidionis necessitatem frumento & stipendio instruit: quinquaginta tantum secum talenta ad præsentem usum aufert, cetera ex hoste melius, quam ex sociis paraturus. Omnes deinde servos, militaris ætatis, libertate donatos, sacramento adegit, eosque ad majorem partem (*i*) ferme militum navibus imponit: ratus exæquata utriusque ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis æmulationem futuram. Ceteros omnes ad tutelam patriæ relinquit.

Carthaginienses Syracusas obsident.

Agathocles audaci consilio bellum in Africam transfert,

CAP. V. Septimo igitur imperii anno, comitibus duobus adultis filiis, Archagatho & Heraclida, nullo militum sciente quo veheretur, cursum in Africam dirigit. Cum omnes aut in Italiam prædatum se, aut in Sardiniam ituros crederent, tum primum, exposito in Africæ littore exercitu, consilium suum omnibus aperit. Quo in loco Syracusæ positæ sint, ostendit: *quibus aliud nullum auxilium superesset, quam ut hostibus faciant, quæ ipsi patiantur. Quippe aliter domi, aliter foris bella tractari. Domi ea sola auxilia esse, quæ patriæ vires subministrent: foris hostem etiam suis viribus vinci, deficientibus sociis, & odio diuturni imperii externa auxilia circumspicientibus. Huc accedere, quod urbes, castellaque Africæ non muris cinctæ, non in montibus positæ* (*k*) *sint, sed in planis campis, sine ullis munimentis jaceant: quas omnes metu excidii facile ad belli societatem perlici posse. Majus igitur Carthaginiensibus ab ipsa Africa, quam ex Sicilia exarsurum bellum, coituraque auxilia omnium adversus unam urbem, nomine quam opibus ampliorem, & quas non attulerit vires, inde sumpturum. Nec in repentino Pœnorum metu, modicum momentum victoriæ fore, qui tanta audacia hostium perculsi, trepidaturi sint. Accessura & villarum incendia, castellorum, urbiumque contumacium direptionem, tum ipsius Carthaginis obsidionem. Quibus omnibus non sibi tantum in alios, sed & aliis in se sentient patere bella. Hic non solum Pœnos vinci, sed & Siciliam liberari posse. Nec enim moraturos in ejus obsidione hostes, cum sua urgeantur. Nusquam igitur alibi facilius bellum, sed nec prædam uberiorem inveniri posse. Nam capta Carthagine, omnem Africam Siciliamque præmium victorum fore. Gloriam certe tam honestæ militiæ tantam in omne ævum futuram, ut terminari nullo tempore oblivione possit. Ut* (*l*) *dicatur, eos solos mortalium esse, qui bella, quæ domi ferre non poterant, ad hostes transtulerint, victique* victo-

Agathocles exercitum in littore Africæ exponit,

Et gravi oratione ad pugnam accendit.

(*b*) al. ignibus Cereris. (*c*) al. potissimos. (*d*) al. in gymnasium. (*e*) al. fœdis injuriis vexat. (*f*) al. in Siciliam. (*g*) al. Agathocles quod se. (*h*) al. statuere. (*i*) al. eosque ex majore parte. (*k*) al. *muris cincta .... posita.* (*l*) al. *Et.*

victores insequuti sint (m), & obsessores urbis suæ obsederint. Omnibus igitur forti ac læto animo bellum ineundum, quo nullum aliud possit aut præmium victoribus uberius, aut victis monumentum illustrius dare.

Superstitionem portenti discutit.

CAP. VI. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur: sed terrebat eos portenti religio, quod navigantibus eis sol defecerat. Cujus rei rationem non minore cura rex, quam belli reddebat, affirmans: *Si prius quam proficiscerentur, factum esset, crediturum adversum profecturos prodigium esse; nunc quia egressis acciderit, illis ad quos eatur, portendere. Porro defectus naturalium (n) siderum semper præsentem rerum statum mutare; certumque esse, florentibus Carthaginiensium opibus, adversisque rebus (o) suis commutationem significari.* Sic consolatis militibus, universas naves, consentiente exercitu, incendi jubet, ut omnes scirent, auxilio fugæ adempto, aut vincendum, aut moriendum esse. Deinde cum omnia, quacunque ingrederentur, prosternerent, villas castellaque incenderent, obvius eis fuit cum XXX millibus Pœnorum Hanno: sed prælio commisso, duo de Siculis, tria millia de Pœnis cum ipso duce cecidere. Hac victoria & Siculorum animi eriguntur, & Pœnorum franguntur. Agathocles victis hostibus, urbes castellaque expugnat, prædas ingentes agit, hostium multa millia trucidat. Castra deinde quinto lapide (p) à Carthagine statuit, ut damna carissimarum rerum, vastitatemque agrorum, & incendia villarum, de muris ipsius urbis specularentur. Interea ingens tota Africa deleti Pœnorum exercitus fama, occupatarumque urbium, divulgatur. Stupor itaque omnes & admiratio incessit, unde tanto imperio tam subitum bellum, præsertim ab hoste jam victo. Admiratio deinde paulatim in contemptum Pœnorum vertitur. Nec multo post, non Afri tantum, verum etiam urbes nobilissimæ (q) novitatem sequutæ, ad Agathoclem defecere; frumentoque & stipendio victorem instruxere.

Naves proprias incendit.

Carthaginienses prælio superat.

Et urbes nobilissimas recipit.

CAP. VII. His Pœnorum malis etiam deletus in Sicilia cum imperatore exercitus, velut quidam ærumnarum cumulus accessit. Nam post profectionem à Sicilia Agathoclis, in obsidione Syracusarum Pœni segniores redditi, ab Antandro, fratre regis Agathoclis, occidione cæsi nuntiabantur. Itaque cum domi forisque eadem fortuna Carthaginiensium esset, jam non tributariæ tantum ab his urbes, amicitiarum jura non fide, sed successu ponderantes. Erat inter ceteros, rex Cyrenarum Aphellas (r), qui spe improba, regnum totius Africæ amplexus societatem cum Agathocle per legatos junxerat, pactusque cum eo fuerat, ut Siciliæ illi, sibi Africæ imperium, victis Carthaginiensibus, cederet. Itaque, cum ad belli societatem cum ingenti exercitu ipse venisset, Agathocles blando alloquio, & humili adulatione, cum sæpius simul cœnassent, adoptatusque filius ejus ab Aphella esset, incautum interficit: occupatoque exercitu ejus, iterato Carthaginienses, omnibus viribus bellum cientes, magno utriusque exercitus sanguine, gravi prælio superat. Hoc certaminis discrimine tanta desperatio illata Pœnis est, ut nisi in exercitu Agathoclis orta seditio fuisset, transiturus ad eum Bomilcar, rex Pœnorum, cum exercitu fuerit. Ob quam noxam in medio foro à Pœnis patibulo suffixus est: ut idem locus monumentum suppliciorum ejus esset, qui ante fuerat ornamentum honorum. Sed Bomilcar magno animo crudelitatem civium tulit, adeo ut de summa cruce velut de tribunali, in Pœnorum scelera concionaretur: objectans illis, nunc *Hannonem falsa affectati regni invidia circumventum; nunc Gisgonis innocentis exilium; nunc in Hamilcarem patruum suum tacita suffragia, quod Agathoclem socium illis facere, quam hostem maluerit.* Hæc cum in maxima populi concione vociferatus esset, exspiravit.

Carthaginienses in Sicilia pariter vincuntur.

Aphellæ regis Cyrenarum fatum acerbum.

Carthaginienses in Africa rursus vincuntur.

Bomilcar rex Pœnorum patibulo suffixus.

CAP. VIII. Interea Agathocles profligatis in Africa rebus, tradito Archagatho filio exercitu, in Siciliam recurrit: nihil actum in Africa existimans, si amplius Syracusæ obsiderentur. Nam post occisum Hamilcarem, Gisgonis filium, novus eo à Pœnis missus exercitus fuerat. Statim igitur primo adventu ejus, Siciliæ urbes, auditis rebus quas in Africa gesserat, certatim se ei tradunt: atque ita, pulsis è Sicilia Pœnis, totius insulæ imperium occupavit. In Africam deinde reversus, seditione militum excipitur. Nam stipendiorum solutio in adventum patris dilata à filio fuerat. Igitur ad concionem vocatos, blandis verbis permulsit: *Stipendia illis non à se flagitanda esse, sed ab hoste quærenda: communem victoriam, communem prædam futuram. Paulum modo annitерentur, dum belli reliquiæ peraguntur, cum sciant, Carthaginem captam, spes omnium expleturam.* Sedato militari tumultu, interjectis diebus, ad castra hostium exercitum ducit; ibi inconsultius prælium committendo, majorem partem exercitus perdidit. Cum itaque in castra fugisset, versamque in se invidiam temere commissi belli videret, pristinamque offensam non pensi stipendii metueret; concubia nocte solus à castris cum Archagatho filio profugit. Quod ubi milites cognovere, haud secus, quam si ab hoste capti essent, trepidavere: *Bis se à rege suo in mediis hostibus relictos esse*, proclamantes: *salutemque suam desertam ab eo esse; quorum ne sepultura quidem relinquenda fuerit.* Cum persequi regem vellent, à Numidis excepti, in castra revertuntur; comprehenso tamen reductoque Archagatho, qui à patre noctis errore discesserat. Agathocles autem navibus, quibus reversus à Sicilia fuerat, cum custodibus earundem, Syracusas defertur. Exemplum flagitii singulare, rex exercitus sui desertor, filiorumque pater proditor. Interim in Africa post fugam regis milites pactione cum hostibus facta, interfectis Agathoclis liberis, Carthaginiensibus se tradidere. Archagathus cum occi-

Agathocles totius Siciliæ imperium occupat.

In Africam revertitur.

Ibique infeliciter pugnat.

Castra deserit.

Unde militum defectio.

Filiorum regis Agathoclis mors cruenta.

(m) al. *transtulerint, ultroque victores insequuti sint.* (n) al. *defectus naturales.* (o) al. *opibus, laboribus, adversisque rebus.* (p) al. in quinto lapide. (q) al tributariæ nobilissimæ. (r) al. Opheltas. al. Ophellas.

occideretur ab Archesilao, amico antea patris (*s*), rogavit eum, *quidnam liberis ejus facturum Agathoclem putet, per quem ipse liberis careat?* Tunc respondit, *satis habere se, quod superstites eos esse Agathoclis liberis sciat.* Post hæc Pœni ad persequendum belli reliquia, duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem æquis conditionibus fecit.

Et pax Agathoclis cum Carthaginiensibus.

LIBER XXIII.

CAPUT I.

Agathocles transit in Italiam adversus Bruttios.

AGathocles rex Siciliæ pacificatus cum Carthaginiensibus, partem civitatium à se fiducia virium diffidentem armis subegit. Dein quasi angustiis insulæ terminis clauderetur, cujus imperii partem primis incrementis ne speraverat quidem, in Italiam transcendit: exemplum Dionysii sequutus, qui multas civitates Italiæ subegerat. Primi igitur hostes illi Bruttii fuere, qui & fortissimi tum & opulentissimi videbantur, simul & ad injurias vicinorum prompti. Nam multas civitates Græci nominis Italia expulerant. Auctores quoque suos Lucanos bello vicerant, & pacem cum his, æquis legibus fecerant. Tanta feritas animorum erat, ut nec origini suæ parcerent. Namque Lucani iisdem legibus liberos suos, quibus & Spartani, instituere soliti erant. Quippe ab initio pubertatis, in silvis inter pastores habebantur, sine ministerio servili, sine veste, quam induerent (*t*) vel cui incubarent; ut à primis annis duritiæ parcimoniæque, sine ullo usu urbis, assuescerent. Cibus his præda venatica; potus, aut lactis, aut fontium liquor erat. Sic ad labores bellicos indurabantur. Horum igitur ex numero quinquaginta primo ex agris finitimorum prædari soliti, confluente deinde multitudine, sollicitati præda, cum plures facti essent, infestas regiones reddebant. Itaque fatigatus querelis sociorum Dionysius Siciliæ tyrannus, sexcentos Afros ad compescendos eos miserat: quorum castellum proditum sibi per Bruttiam mulierem, expugnaverunt; ibique civitatem, concurrentibus ad opinionem novæ urbis pastoribus, statuerunt; Bruttiosque se ex nomine mulieris vocaverunt. Primum illis cum Lucanis, originis suæ auctoribus, bellum fuit. Qua victoria erecti, cum pacem æquo jure fecissent, ceteros finitimos armis subegerunt; tantasque opes brevi consequuti sunt, ut perniciosi etiam regibus haberentur. Denique Alexander, rex Epiri, quum in auxilium Græcarum civitatium, cum magno exercitu, in Italiam venisset, cum omnibus copiis ab his deletus est. Quare feritas eorum successu felicitatis incensa, diu terribilis finitimis fuit. Ad postremum imploratus Agathocles, spe ampliandi regni, è Sicilia in Italiam trajecit.

Lucani à Bruttiis progenie sua vincuntur.

Lucanorum mores.

Bruttiorum origo.

Et potentia.

Ad quos devincendos Agathocles proficiscitur.

CAP. II. Principio adventus opinione (*u*) ejus concussi, legatos ad eum, societatem amicitiamque petentes miserunt. Quos Agathocles ad cœnam invitatos, ne exercitum trajici viderent, in posterum statuta his die, conscensa nave (*x*) frustratus est. Sed fraudis haud lætus eventus fuit: siquidem reverti in Siciliam, interjectis paucis diebus, vis morbi coëgit, quo toto corpore comprehensus, per omnes nervos articulosque humore pestifero grassante, velut intestino singulorum membrorum bello impugnabatur. Ex qua desperatione bellum inter filium nepotemque ejus, regnum jam quasi mortui vindicantes (*y*), oritur; occisoque filio (*z*) regnum nepos occupavit. Igitur Agathocles, cum morbi cura & ægritudo graviores essent, & inter se alterum alterius malo cresceret, desperatis rebus, uxorem suam Texenam (*a*), genitosque ex ea duos parvulos, cum omni pecunia, & familia, regalique instrumento, quo præter illum nemo regum ditior fuit, navibus impositos Ægyptum, unde uxorem acceperat, remittit: timens, ne prædonem regni sui, hostem paterentur. Quamquam uxor diu, ne ab ægro divelleretur, deprecata est, ne discessus suus adjungi nepotis parricidio posset; & tam cruente hæc deseruisse virum, quam ille impugnasse avum videretur: *Nubendo se non prosperæ tantum, sed omnis fortunæ iniisse societatem; nec invitam periculo spiritus sui empturam, ut extremos viri spiritus exciperet; & exsequiarum (b) officium, in quod, profecta se, nemo sit successurus, obsequio debitæ pietatis impleret.* Discedentes parvuli, flebili ululatu amplexi patrem tenebant. Ex altera parte uxor maritum, non amplius visura, osculis fatigabat. Nec minus senis lacrymæ miserabiles erant. Flebant hi morientem patrem, illi exules liberos: hi discessu suo solitudinem patris, ægri senis; ille in spem regni susceptos relinqui in egestate lugebat. Inter hæc regia omnis assistentium fletibus tam crudelis discidii impleta, resonabat. Tandem finem lacrymis necessitas profectionis imposuit, & mors regis proficiscentes filios insequuta est. Dum hæc aguntur, Carthaginienses, cognitis, quæ in Sicilia agebantur, occasionem totius insulæ occupandæ datam sibi existimantes, magnis viribus eo trajiciunt, multasque civitates subigunt.

Sed vi morbi coactus revertitur in Siciliam.

Ubi turbæ domesticæ uxorem & liberos ejus in Ægyptum pellunt.

Pietas uxoris Agathoclis in maritum.

Agathoclis obitus. O. C. 3710. a. C. N. 290. U. C. 463. Ol. 122.

CAP. III. Eo tempore & Pyrrhus adversus Romanos bellum gerebat: qui imploratus à Siculis in auxilium, sicuti dictum est, cum Syracusas venisset, multasque civitates subegisset, rex Siciliæ, sicut Epiri, appellatur. Quarum rerum felicitate lætus, Heleno filio Siciliæ, velut avitum (nam susceptus ex filia Agathoclis regis erat,) Alexandro autem Italiæ regnum destinat. Post hæc, multa secunda prælia cum Carthaginensibus facit. Interjecto deinde tempore, legati ab Italicis sociis venere, nuntiantes, *Romanis resisti non posse, deditionem futuram, nisi subveniat.* Anxius tam ambiguo periculo,

Pyrrhi Regis Epiri res gestæ in Sicilia. O. C. 3718. a. C. N. 282. U. C. 471. Ol. 124.

Contra Carthaginienses.

(*s*) al. patri. al. amico autem patris. (*t*) al. qua induerentur. (*u*) al. opinionis. (*x*) al. conscensa nave. (*y*) al. vindicantibus. (*z*) al. occiso filio. (*a*) al. Theonexam. al. Theoxenam. al. Theogenam. (*b*) al. ut exsequiarum.

periculo, incertusque quid ageret, vel quibus primum subveniret, in utrumque pronus consultabat. Quippe instantibus hinc Carthaginiensibus, inde Romanis, periculosum videbatur, exercitum in Italiam non trajicere, periculosius, à Sicilia deducere; ne aut illi non lata ope, aut hi deserti amitterentur. In hoc æstu periculorum, tutissimus portus consiliorum visus est, omnibus viribus decernere in Sicilia; & profligatis Carthaginiensibus, victorem exercitum transponere in Italiam. Itaque conserto prælio, cum superior fuisset, quoniam tamen à Sicilia abiret, pro victo fugere visus est: ac propterea socii ab eo defecerunt; & imperium Siciliæ tam cito amisit, quam facile quæsierat. Sed nec in Italia meliore felicitate usus, in Epirum revertitur. Admirabilis utriusque rei casus in exemplum fuit. Nam sicut ante secunda fortuna, rebus supra vota fluentibus, Italiæ Siciliæque imperium, & tot de Romanis victorias adstruxerat (*c*): ita nunc adversa, velut in ostentationem fragilitatis humanæ, destruens quæ cumulaverat, Siciliensi ruinæ naufragium maris, & fœdam adversus Romanos pugnam, turpemque ab Italia discessum adjecit.

Et in Italia ex qua in Epirum revertitur. O. C. 3724. a. C. N. 276. U. C. 477. Ol. 126.

CAP. IV. Post profectionem à Sicilia Pyrrhi, magistratus Hiero creatur: cujus tanta moderatio fuit, ut consentiente omnium civitatium favore, dux adversus Carhaginienses primum, mox rex crearetur. Hujus futuræ majestatis, ipsa infantis educatio quasi prænuntia fuit: quippe genitus erat patre Hierocle (*d*), nobili viro, cujus origo à Gelone (*e*), antiquo Siciliæ tyranno, manabat: sed maternum illi genus sordidum, atque adeo pudendum (*f*) fuit. Nam ex ancilla natus, ac propterea à patre, velut dehonestamentum generis, expositus fuerat. Sed parvulum & humanæ opis egentem, apes, congesto circa jacentem melle, multis diebus aluere. Ob quam rem responso aruspicum admonitus pater, qui regnum infanti portendi canebant, parvulum recolligit, omnique studio ad spem majestatis, quæ promittebatur, instituit. Eidem in ludo inter coæquales (*g*) discenti, lupus tabulam, in turba (*h*) puerorum repente conspectus eripuit. Adolescenti quoque prima bella ineunti, aquila in clypeo, noctua in hasta consedit. Quod ostentum, & consilio cautum, & manu promptum, regemque futurum significabat. Denique adversus provocatores sæpe pugnavit, semperque victoriam reportavit. A Pyrrho rege multis militaribus donis donatus est. Pulchritudo ei corporis insignis, vires quoque in homine (*i*) admirabiles fuere; in alloquio blandus, in negotio justus, in imperio moderatus: prorsus ut nihil ei regium deesse, præter regnum, videretur.

Hiero Dux Siciliæ. O. C. 3725. a. C. N. 275. U. C. 478. Ol. 126.

Omina de ejus futura majestate. Ejus origo. Fata. Res gestæ. Dignitates. Forma. Mores.

LIBER XXIV.

CAPUT I.

Græciæ civitates aliæ in alias assurgunt.

DUm hæc in Sicilia geruntur, interim in Græcia dissidentibus inter se bello Ptolemæo Ceranno, & Antiocho, & Antigono regibus, omnes ferme Græciæ civitates, ducibus Spartanis, velut occasione data, ad spem libertatis erectæ, missis invicem legatis, per quos in societatis fœdera alligarentur, in bellum prorumpunt: &, ne cum Antigono, sub cujus regno erant, bellum cepisse viderentur, socios ejus Ætolos aggrediuntur, causas belli prætendentes, quod consensu Græciæ sacratum Apollini Cirræum campum, per vim occupassent. Huic bello ducem deligunt Arean, qui adunato exercitu, urbem (*k*) sataque in his campis posita, depopulatur: quæ auferri non poterant, incendit. Quod cum è montibus conspicati Ætolorum pastores essent, congregati admodum quingenti, sparsos hostes, ignorantesque quanta manus esset, quoniam conspectum illis metus & incendiorum fumus abstulerat, consectantur, trucidatisque admodum novem millibus, prædones in fugam verterunt. Reparantibus deinde Spartanis bellum, auxilium multæ civitates negaverunt, existimantes, dominationem eos, non libertatem Græciæ, quærere. Interea inter reges bellum finitur: nam Ptolemæus pulso Antigono, cum regnum totius Macedoniæ occupasset, pacem cum Antiocho facit, affinitatemque cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia sua, jungit.

Ptolemæus cum Antiocho pacem facit. Et cum Pyrrho matrimonium contrahit. O. C. 3703. a. C. N. 297. U. C. 456. Ol. 120.

CAP. II. Exinde externo metu deposito, impium & facinorosum animum ad domestica scelera convertit, insidiasque Arsinoæ sorori suæ instruit, quibus & filios ejus vita, & ipsam (11) Cassandreæ urbis possessione privaret. Primus ei dolus fuit, simulato amore, sororis matrimonium petere. Aliter enim ad sororis filios, quorum regnum occupaverat, quam concordiæ fraude pervenire non poterat. Sed nota scelerata Ptolemæi voluntas sorori erat. Itaque non credendi mandat, *velle se cum filiis ejus regni consortium jungere; cum quibus non ideo se armis contendisse, quoniam eripere his regnum sed quod id facere sui muneris vellet. In hoc mitteret arbitrium jurisjurandi; quo præsente apud deos patrios, quibus vellet, obsecrationibus, se obligaret.* Incerta Arsinoë quid ageret: si mitteret, decipi perjurio: si non mitteret, provocare rabiem fraternæ crudelitatis timebat. Itaque plus liberis, quam sibi timens, quos matrimonio suo protecturam se arbitrabatur, mittit ex amicis

Ptolemæi Macedonis in sororem Arsinoën conspiratio

(*c*) al. attraxerat. (*d*) al. Hieroclyto. (*e*) al. à Gelo. (*f*) al. pudibundum. (*g*) al. æquales. (*h*) al. in turbam. (*i*) al. vires quoque ut in homine. (*k*) al. urbe.

(11) Cassandreæ urbis) Hæc urbs tandem Romani Juris facta. Hinc numi Claudio, Neroni, Vespasiano, Nervæ, Plotinæ à Cassandrensibus percussi, Coloniam appellant, & quidem Juliam, quod à Julio Cæsare constituta, deinde Augustam, quod ab Augusto iterum frequentata. Speciminis loco Tab. LXX. num. I. apponimus numum in Claudium percussum, qui Jovem Ammonem, ut præcipuum Cassandrensium Deum exhibet. Conf. VAILLANT. Numism. ær. Impp. P. I, p. 107.

amicis suis Chodionem: quo perducto in sanctissimum Jovis templum, veterrimæ Macedonum religionis, Ptolemæus sumptis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra, & pulvinaria deorum, inauditis ultimisque execrationibus adjurat, *se sincera fide matrimonium sororis petere, nuncupaturumque se eam reginam; neque in contumeliam ejus aliam uxorem, aliosve, quam filios ejus, liberos habiturum.* Arsinoë postquam & spe impleta est & metu soluta, ipsa cum fratre colloquitur: cujus vultus, & blandientes oculi, cum fidem non minorem, quam jusjurandum promitterent, reclamante Ptolemæo filio, *fraudem subesse*, in matrimonium fratris concedit.

Incestuosæ Ptolemæi & Arsinoës nuptiæ. O. C. 3720. a. C. N. 280. U. C. 473. Ol. 125.

CAP. III. Nuptiæ magno apparatu, lætitiaque omnium celebrantur. Ad concionem quoque vocato exercitu, capiti sororis diadema imponit, reginamque eam appellat. Quo nomine in lætitiam effusa Arsinoë, quia, quod morte Lysimachi prioris mariti amiserat, recepisset; ultro virum in urbem suam Cassandream invitat, cujus urbis cupiditate fraus struebatur. Prægressa igitur virum, diem festum urbi in adventum ejus indicit: domos, templa ceteraque omnia exornari jubet; aras ubique hostiasque disponi, filios quoque suos, Lysimachum sexdecim annos natum, Philippum triennio minorem, utrumque forma insignem, coronatos occurrere jubet. Quos Ptolemæus ad celandam fraudem, cupide & ultra modum veræ affectionis amplexus, osculis diu fatigat. Ubi ad portam ventum est, occupari arcem jubet, pueros interfici. Qui cum ad matrem confugissent, in gremio ejus, inter ipsa oscula trucidantur. Proclamante (*l*) Arsinoë, quod (*m*) tantum nefas aut nubendo, aut post nuptias contraxisset, pro filiis sæpe se percussoribus obtulit, frequenter corpore suo puerorum corpora amplexata protexit, vulneraque excipere, quæ liberis intendebantur, voluit. Ad postremum etiam spoliata funeribus filiorum, scissa veste (*n*), & crinibus sparsis, cum duobus servulis ex urbe protracta, Samothraciam in exilium abiit; eo miserior, quod mori cum filiis ei non licuit. Sed nec Ptolemæo inulta scelera fuerunt. Quippe diis immortalibus tot perjuria (*o*), & tam cruenta parricidia vindicantibus, brevi post à Galliis spoliatus regno, captusque vitam ferro, ut meruerat, amisit.

Tragicis casibus solvuntur.

Mors Ptolemæi. O. C. 3721. a. C. N. 279. U. C. 474. Ol. 125.

Gallorum migratio.

CAP. IV. Namque Galli, abundanti multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quæ & urbem Romanam, captam incendit; & portio Illyricos sinus, ducibus avibus, nam augurandi studio Galli præter ceteros callent (*p*), per strages Barbarorum penetravit, & in Pannonia consedit; gens aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem, cui ea res virtutis admirationem & immortalitatis fidem dedit, Alpium invicta (*q*) juga, & frigore intractabilia loca transcendit; ibi domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu, divisis agminibus, alii Græciam, alii Macedoniam, omnia ferro proterentes, petivere. Tantusque terror Gallici nominis erat, ut etiam reges non lacessiti, ultro pacem ingenti pecunia mercarentur. Solus rex Macedoniæ Ptolemæus, adventum Gallorum intrepidus audivit; hisque cum paucis & incompositis, quasi bella non difficilius, quam scelera patrarentur, parricidiorum furiis agitatus, occurrit. Dardanorum quoque legationem, viginti millia armatorum in auxilium offerentem, sprevit: addita insuper contumelia: *Actum de Macedonia* dicens, *si, cum totum Orientem soli domuerint, nunc in vindictam finium Dardanis egeant: milites se habere filios eorum, qui sub Alexandro rege stipendia, toto orbe terrarum victores fecerint.* Quæ ubi Dardano regi nuntiata sunt, *inclytum illud Macedoniæ regnum brevi, immaturi juvenis temeritate, casurum* dixit.

In Macedoniam irruptio. O. C. 3721. a. C. N. 279. U. C. 474. Ol. 125.

Galli Ptolemæo Pacem offerunt.

CAP. V. Igitur Galli, duce Belgio, ad tentandos Macedonum animos, legatos ad Ptolemæum mittunt, offerentes pacem, si emere velit: sed Ptolemæus inter suos, belli metu pacem Gallos petere gloriatus est. Nec minus ferociter se legatis, quam inter amicos jactavit: *Aliter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint, & arma tradiderint: non enim fidem se, nisi inermibus, habiturum.* Renuntiata legatione, risere Galli, undique acclamantes, *brevi sensurum, sibi an illi consulentes pacem obtulerint.* Interjectis diebus, prælium conseritur, victique Macedones cæduntur. Ptolemæus multis vulneribus saucius capitur: caput ejus amputatum, & lancea fixum tota acie ad terrorem hostium circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga servavit: ceteri aut capti aut occisi. Hæc cum nuntiata per omnem Macedoniam essent, portæ urbium clauduntur, luctu omnia replentur: nunc orbitatem amissorum filiorum dolebant: nunc excidia urbium metuebant: nunc Alexandri, Philippique regnum suorum nomina, sicut numina, in auxilium vocabant. *Sub illis se non solum tutos, verum etiam victores terrarum exstitisse. Ut tuerentur patriam suam, quam gloria rerum gestarum cœlo proximam reddidissent; ut opem afflictis ferrent, quos furor & temeritas Ptolemæi regis perdidisset,* orabant. Desperantibus omnibus, non votis agendum Sosthenes unus de Macedonum principibus ratus, contracta juventute, & Gallos victoria exsultantes compescuit, & Macedoniam ab hostili populatione defendit. Ob quæ virtutis beneficia, multis nobilibus regnum Macedoniæ affectantibus, ignobilis ipse præponitur: & cum rex ab exercitu appellatus esset, ipse non in regis, sed ducis nomen jurare milites compulit.

Quem Prælio vincunt.

Luctus Macedonum.

Sosthenes Macedonum res instaurat.

Alia Gallorum Brenno Duce in Græciam expeditio.

CAP. VI. Intrea Brennus, quo duce portio Gallorum in Græciam se effuderat, audita victoria suorum, qui Belgio duce Macedones vicerant, indignatus parta victoria opimam prædam, & Orientis spoliis onustam tam facile relictam esse, ipse adunatis CL millibus peditum, & XV

(*l*) al. proclamans. (*m*) al. qui. (*n*) al. & scissa veste. (*o*) al. & tot perjuria. (*p*) al. clarent. (*q*) al. invia.

& XV millibus equitum, in Macedoniam irrumpit. Cum agros villasque popularetur, occurrit ei cum inſtructo exercitu Macedonum Soſthenes: ſed pauci à pluribus, trepidi à valentibus facile vincuntur. Itaque cum victi ſe Macedones intra muros urbium condidiſſent, victor Brennus, nemine prohibente, totius Macedoniæ agros deprædatur. Inde quaſi terrena jam ſpolia ſorderent, animum ad deorum immortalium templa convertit, ſcurriliter jocatus, *locupletes deos largiri hominibus oportere.* Statim igitur Delphos iter vertit, prædam religioni, aurum offenſæ deorum immortalium præferens; *quos nullis opibus egere, ut qui eas largiri hominibus ſoleant,* affirmabat. Templum autem Apollinis Delphis poſitum eſt in monte Parnaſſo (*r*), in rupe undique impendente: ibi civitatem frequentia hominum fecit, qui ad affirmationem (*s*) majeſtatis undique concurrentes, in eo ſaxo conſedere. Atque ita templum & civitatem non muri, ſed præcipitia, nec manu facta, ſed naturalia præſidia defendunt: prorſus ut incertum ſit, utrum munimentum loci, an majeſtas dei plus hic admirationis habeat. Media ſaxi rupes in formam theatri receſſit. Quamobrem & hominum clamor, & ſi quando accedit tubarum ſonus, perſonantibus & reſpondentibus inter ſe rupibus, multiplex audiri, ampliorque quam editur, reſonare ſolet. Quæ res majorem majeſtatis terrorem ignaris rei, & admirationem (*t*) ſtupentibus plerumque affert. In hoc rupis anfractu, media ferme montis altitudine, planicies exigua eſt, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patet: ex quo frigidus ſpiritus, vi quadam velut vento in ſublime expulſus, mentes vatum in vecordiam vertit, impletasque deo, reſponſa conſulentibus dare cogit. Multa igitur ibi & opulenta regum populorumque viſuntur munera; quæque magnificentia ſui reddentium vota gratam voluntatem, & deorum reſponſa manifeſtant.

Eorumque de ſpoliatione Delphici templi conſilium.

Hujus templi & oraculi deſcriptio.

CAP. VII. Igitur Brennus cum in conſpectu haberet templum, diu deliberavit, an confeſtim rem aggrederetur; an vero feſſis via militibus, noctis ſpatium ad reſumendas vires daret. Emanus & Theſſalorus duces, qui ſe ad prædæ ſocietatem junxerant, *amputari moras* jubent, *dum imparati hoſtes, & recens adventus ſui terrori eſſet interjecta nocte & animos hoſtibus, forſitan & auxilia acceſſura, & vias, quæ tunc pateant, obſtructum iri.* Sed Gallorum vulgus ex longa inopia, ubi primum vino, ceterisque commeatibus referta rura invenit, non minus abundantia, quam victoria lætum per agros ſe ſparſerat; deſertisque ſignis ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur. Quæ res dilationem Delphis dedit. Prima namque opinione adventus Gallorum prohibiti agreſtes oraculis feruntur, meſſes, vinaque villis efferre. Cujus rei ſalutare præceptum non prius intellectum eſt, quam vini ceterarumque copiarum abundantia, velut mora, Gallis objecta, auxilia finitimorum convenere. Prius itaque urbem ſuam Delphi, aucti viribus ſociorum, permunivere, quam Galli vino velut prædæ incubantes, ad ſigna revocarentur. Habebat Brennus lecta ex omni exercitu peditum ſexaginta quinque millia; Delphorum ſociorumque non niſi quatuor millia militum erant; quorum contemptu Brennus ad acuendos ſuorum animos, prædæ ubertatem omnibus oſtendebat, ſtatuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul viſebatur, ſolido auro fuſas eſſe; plusque in pondere, quam in ſpecie habere præda affirmabat.

Brenni & aliorum conſultatio de oppugnatione templi.

Et ad milites hortatio.

CAP. VIII. Hac aſſeveratione incitati Galli, ſimul & heſterno mero ſaucii, ſine reſpectu periculorum in bellum ruebant. Contra Delphi plus in deo quam in viribus reponentes (*u*), cum contemptu hoſtium reſiſtebant, ſcandentesque Gallos è ſummo montis vertice, partim ſaxo, partim armis obruebant. In hoc partium certamine, repente univerſorum templorum antiſtites, ſimul & ipſi vates (*x*), ſparſis crinibus, cum inſignibus atque infulis, pavidi vecordesque in primam pugnantium aciem procurrunt: *Adveniſſe Deum* clamant, *eumque ſe vidiſſe deſilientem in templum per culminis aperta faſtigia. Dum omnes opem dii ſuppliciter implorant, juvenem ſupra humanum modum inſignis pulchritudinis, comitesque ei duas armatas virgines, ex propinquis duabus Dianæ Minervæque ædibus occurriſſe; nec oculis tantum hæc ſe perſpexiſſe, audiſſe etiam ſtridorem arcus, ac ſtrepitum armorum. Proinde ne cunctarentur, diis anteſignanis, hoſtem cædere, & victoriæ deorum ſocios ſe adjungere,* ſummis obſecrationibus monebant. Quibus vocibus incenſi, omnes certatim in prælium proſiliunt. Præſentiam dei & ipſi ſtatim ſenſere. Nam & terræ motu portio montis abrupta, Gallorum ſtravit exercitum, & confertiſſimi cunei non ſine vulneribus hoſtium diſſipati ruebant. Inſequuta deinde tempeſtas eſt, quæ grandine & frigore ſaucios ex vulneribus abſumpſit. Dux ipſe Brennus, cum dolorem vulnerum ferre non poſſet, pugione vitam finivit. Alter ex ducibus, punitis belli auctoribus, cum decem millibus ſauciorum citato agmine Græcia excedit. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit: ſiquidem pavidis nulla ſub tectis acta nox, nullus ſine labore & periculo dies, aſſidui imbres & gelu, nix concreta, & fames, & laſſitudo, & ſuper hæc maximum (*y*) pervigiliæ malum, miſeras infelicis belli reliquias obterebant. Gentes quoque nationesque, per quas iter habebant, palantes velut prædam ſectabantur. Quo pacto evenit, ut nemo ex tanto exercitu qui paulo ante fiducia virium etiam adverſus deos contendebat, vel ad memoriam tantæ cladis, ſupereſſet.

Oppugnatio irrita.

Auſpicium de futura victoria Macedonum.

Clades Gallorum.

Brenni interitus.

Fuga Gallorum.

Galli omnes deleti. O. C. 3722. a. C. N. 278. U. C. 475. Ol. 125.

(*r*) al. Parnaſo. (*s*) al. admirationem. (*t*) al. admiratione. (*u*) al. ſpem ponentes. (*x*) al. & ipſæ vates. (*y*) al. maxime.

LIBER XXV.

CAPUT I.

Gallorum in Antigonum Macedoniæ Regem conspiratio. O.C. 3724. a. C. N. 276. U. C. 477. Ol. 126.

INter duos reges Antigonum & Antiochum, statuta pace, cum in Macedoniam Antigonus reverteretur, novus eidem repente hostis exortus est. Quippe Galli, qui à Brenno duce, cum in Græciam proficisceretur (z), ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, ne soli desides viderentur, peditum quindecim millia, equitum tria millia armaverunt; fugatisque Getarum Triballorumque copiis, Macedoniæ imminentes, legatos ad regem miserunt, qui pacem ei venalem offerrent, simul & regis castra specularentur. Quos Antigonus pro regali munificentia, ingenti apparatu epularum ad cœnam invitavit. Sed Galli expositum grande auri argentique pondus admirantes, atque prædæ ubertate sollicitati, infestiores quam venerant, revertuntur. Quibus & elephantos ad terrorem, velut inusitatas Barbaris formas, rex ostendi jusserat, & naves onustas copiis demonstrari; ignarus, quod, quibus ostentatione virium, metum se injicere existimabat, eorum animos ut ad opimam prædam sollicitabat. Itaque legati ad suos reversi, omnia in majus extollentes, opes pariter & negligentiam regis ostendunt: *Referta auro & argento castra; sed neque vallo, fossave, munita: & quasi satis munimenti in divitiis haberent, ita eos omnia officia militaria intermisisse: prorsus quasi ferri auxilio non indigerent, quoniam abundarent auro.*

Galli ad prædam currunt

CAP. II. Hac relatione avidæ gentis animi satis ad prædam incitabantur. Accedebat tamen & exemplum Belgii, qui non magno ante tempore Macedonum exercitum cum rege trucidaverat. Itaque consentientibus omnibus, nocte castra regis aggrediuntur: qui præsentiens tantam tempestatem, signum pridie dederat, ut omnibus rebus ablatis, proxima silva taciti se occultarent. Neque aliter servata castra, quam quod deserta sunt. Siquidem Galli, ubi omnia vacantia, nec sine defensoribus modo, verum etiam sine custodibus vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes, diu intrare portas timuerunt. Ad postremum integris & intactis munimentis, scrutantes potius quam diripientes, castra occupaverunt. Tunc ablatis quæ invenerant, ad littus convertuntur. Ibi dum naves incautius diripiunt, à remigibus & ab exercitus parte, quæ eo cum conjugibus, & liberis confugerant (a), nihil tale metuentes trucidantur: tantaque cædes Gallorum fuit, ut Antigono pacem opinio hujus victoriæ, non à Gallis tantum, verum etiam à finitimorum feritate præstiterit. Quanquam Gallorum ea tempestate tantæ fœcunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique neque reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt, neque pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerunt. Tantus terror Gallici nominis, & armorum invicta felicitas erat, ut aliter neque majestatem suam tutari (b), neque amissam reciperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium à Bithyniæ rege invocati (c), regnum cum eo parta victoria diviserunt; eamque regionem Gallogræciam cognominaverunt.

Sed ipsi præda fiunt. O.C. 3725. a. C. N. 275. U. C. 478. Ol. 126.

Antigonus à Gallis pacem obtinet.

Nomen Gallorum formidabile.

Et armorum invicta felicitas.

Gallogræcia.

Pyrrhus à Pœnis navali prælio victus.

CAP. III. Dum hæc in Asia geruntur, interim in Sicilia Pyrrhus à Pœnis navali prælio victus, ab Antigono Macedoniæ rege supplementum militum per legatos petit: denuntians, *ni mittat, redire se in regnum necesse habere, incrementa rerum, quæ de Romanis voluerit, de ipso quæsiturum.* Quod ubi negatum legati retulerunt, dissimulatis causis, repentinam fingit profectionem. Socios interim parare bellum jubet; arcis Tarentinæ custodiam Heleno filio, & amico Miloni tradit. Reversus in Epirum, statim fines Macedoniæ invadit; cui Antigonus cum exercitu occurrit, victusque prælio in fugam vertitur. Atque ita Pyrrhus Macedoniam in deditionem (d) accipit; & veluti damna amissæ Siciliæ Italiæque acquisito Macedoniæ regno pensasset, relictum Tarenti filium & amicum arcessit. Antigonus autem cum paucis equitibus, fugæ comitibus, repente fortunæ ornamentis destitutus, amissi regni speculaturus eventum (e), Thessalonicam se recepit; ut inde cum conducta Gallorum mercenaria manu bellum repararet. Rursus à Ptolemæo Pyrrhi filio funditus victus, cum septem comitibus fugiens, non jam reciperandi regni spem, sed salutis latebras, ac fugæ solitudines (f) captat.

Macedoniam invadit.

Qua Antigono ejecto potitur.

Pyrrhus dum Monarchiam somniat.

CAP. IV. Igitur Pyrrhus in tanto fastigio regni collocatus, jam nec eo, ad quod votis perveniendum fuerat, contentus, Græciæ Asiæque regna meditatur. Neque illi major ex imperio, quam ex bello voluptas erat: nec quisquam Pyrrhum, qua tulisset impetum (g), sustinere valuit. Sed ut ad devincenda regna invictus habebatur, ita devictis acquisitisque celeriter carebat. Tanto melius studebat acquirere imperia, quam retinere. Itaque cum copias Cherroneso (h) transposuisset, legationibus Atheniensium, & Achæorum Messeniorumque excipitur. Sed & Græcia omnis admiratione nominis ejus simul & rerum adversus Romanos Pœnosque gestarum gloria attonita, adventum ejus exspectabat. Primum illi bellum adversus Spartanos fuit: ubi majore mulierum, quam virorum virtute exceptus, Ptolemæum filium, & exercitus partem robustissimam amisit. Quippe oppugnanti urbem, ad tutelam patriæ tanta multitudo feminarum concurrit, ut non fortius victus, quam verecundius recederet. Porro Ptolemæum filium ejus, adeo strenuum, & manu fortem fuisse tradunt, ut urbem Corcyram cum sexaginta ceperit:

A Spartanis mulieribus atteritur.

Ptolemæi Pyrrhi filii virtus.

(z) al. proficiscerentur. (a) al. confugerat. (b) al. tutam. (c) al. vocati. (d) al. ditionem. (e) al. eventus. (f) al. solitudinisque. (g) al. imperium. (h) al. Chersoneso.

ceperit: idem (*i*) prælio navali quinqueremem ex ſcapha cum ſeptem inſiluerit, captamque tenuerit. In oppugnatione quoque Spartanorum uſque in mediam urbem equo procurrerit, ibique concurſu multitudinis interfectus ſit. Cujus corpus ut relatum patri eſt, dixiſſe Pyrrhum ferunt, *aliquanto tardius eum, quam timuerit ipſe, vel temeritas ejus meruerit, occiſum eſſe.*

Et interitus.

Pyrrhus apud Argos occiditur. O.C. 3728. s.C.N. 272. U.C. 481. Ol. 127.


CAP. V. Repulſus à Spartanis Pyrrhus, Argos petit: ibi, dum Antigonum in urbe clauſum expugnare conatur (*k*), inter confertiſſimos violentiſſime dimicans, ſaxo de muris ictus occiditur. Caput ejus Antigono refertur: qui victoria mitius uſus, filium ejus Helenum, cum Epirotis ſibi deditum, in regnum remiſit, eique inſepulti patris oſſa in patriam referenda tradidit. (12) Satis conſtans inter omnes auctores fama eſt, nullum, nec ejus, nec ſuperioris ætatis regem comparandum Pyrrho fuiſſe; raroque non inter reges tantum, verum etiam inter illuſtres viros, aut vitæ ſanctioris, aut juſtitiæ probatioris viſum fuiſſe: Scientiam certe rei militaris in illo viro tantam fuiſſe, ut cum Lyſimacho, Demetrio, Antigono, tantis regibus bella gerens (*l*), invictus ſemper fuerit. Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorumque, & Carthaginienſium bellis, nunquam inferior, plerumque etiam victor exſtiterit; qui patriam certe ſuam anguſtam, ignobilemque, fama rerum geſtarum, & claritate nominis ſui, toto orbe illuſtrem reddiderit.

Antigoni moderatio in Helenum Pyrrhi filium.

Pyrrhi elogium & rerum geſtarum ſumma.

(*i*) al. item. (*k*) al. expugnare cogitat. (*l*) al. bella geſſerit.

(12) Satis conſtans inter omnes auctores fama eſt. . . . . invictus ſemper fuerit) Victoriæ Pyrrhi in numo Tab. LXX. num. 2. non tantum ſub Victoria contemplantur, ſed & ſub Diana, tam Venatrice, quam Lucifera; cum illius more, hoſtium catervas urſerit, hujus autem, Orbem gloria impleverit; ut loquitur BEGERUS Th. Br. T. I. p. 246.



LIBER



LIBER XXVI.

CAPUT I.

Peloponnesii per proditionem Antigono traduntur. O.C. 3732. a. C. N. 268. U. C. 485. Ol. 128.

POst mortem Pyrrhi non in Macedonia tantum, verum etiam in Asia Græciaque, magni bellorum motus fuere. Nam & Peloponnesii per proditionem Antigono traditi, & variante hominum partim dolore, partim gaudio, prout singulæ civitates aut auxilium de Pyrrho speraverant, aut metus sustinuerant, ita aut cum Antigono societatem jungebant, aut mutuis inter se odiis in bellum ruebant. Inter hunc turbatarum provinciarum motum, Epirorum (*m*) quoque urbs ab Aristotimo principe per tyrannidem occupatur: à quo cum multi ex primoribus occisi, plures in exilium acti essent, Ætolis per legatos postulantibus, *conjuges liberosque exulum redderet*, primo negavit; postea quasi pœniteret, proficiscendi ad suos omnibus matronis potestatem dedit, diemque profectionis statuit. Illæ quasi in perpetuum cum viris exulaturæ, pretiosissima quæque auferentes, cum ad portam, quasi uno agmine profecturæ convenissent, omnibus rebus exspoliatæ, in carcerem recluduntur, occisis prius in gremio matrum parvulis liberis, virginibusque ad stuprum direptis. Ad tam sævam dominationem stupentibus omnibus, princeps eorum Hellanicus (*n*), senex & liberis orbus, ut qui nec ætatis nec pignoris (*o*) respectu timeret, contractos domum fidissimos amicorum in vindictam patriæ hortatur. Cunctantibus privato periculo publicum finire, & deliberandi spatium postulantibus, arcessitis servis jubet obserari (*p*) fores, tyrannoque nuntiari, *mitteret qui conjuratos apud se comprehenderet*: objectans singulis, *se, quia liberandæ patriæ auctor esse non possit, desertæ ultorem futurum.* Tunc illi ancipiti periculo circumventi, honestiorem viam eligentes, conjurant in tyranni necem: atque ita Aristotimus, quinto postquam tyrannidem occupaverat mense, opprimitur.

Aristotimus tyrannus Epirotas affligit.

Sed Hellanici prudentia opprimitur.

Antigonus Gallis occurrit.

CAP. II. Interea Antigonus cum multiplici bello, & Ptolemæi regis, & Spartanorum, premeretur, novusque illi hostis Gallogræciæ (*q*) exercitus affluxisset; in speciem castrorum parva manu adversus ceteros relicta, adversus Gallos totis viribus proficiscitur. Quibus cognitis, Galli cum & ipsi se prælio (*r*) pararent, in auspicia pugnæ hostias cædunt; quarum extis cum magna cædes, interitusque omnium prædiceretur, non in timorem, sed in furorem versi, sperantesque deorum minas expiari cæde suorum posse, conjuges & liberos suos trucidant, auspicia belli à (*s*) parricidio incipientes. Tanta rabies feros animos invaserat, ut non parcerent ætati, cui etiam hostes pepercissent, bellumque internecivum (*t*) cum liberis, liberorumque matribus gererent, pro quibus bella suscipi solent. Itaque quasi scelere vitam victoriamque redemissent, sicut erant cruenti ex recenti suorum cæde, in prælium non meliore eventu, quam omine proficiscuntur. Siquidem pugnantes, prius parricidiorum furiæ, quam hostes circumvenere, obversantibusque ante oculos manibus interemptorum, omnes occidione cæsi. Tanta strages fuit, ut pariter cum hominibus dii consensisse in exitium parricidarum viderentur. Post hujus pugnæ eventum, Ptolemæus & Spartani, victorem hostium exercitum declinantes, in tutiora se recipiunt. Antigonus quoque ubi eorum discessum videt, recenti adhuc ex priori victoria militum ardore, bellum Atheniensibus infert. In quo cum occupatus esset, interim

Qui in furorem versi conjuges & liberos suos trucidant.

Deinde Numinis vindicta omnes internecione delentur. O. C. 3735. a. C. N. 265. U.C. 488. Ol. 128.

Antigoni varii casus.

(*m*) al. Epidauriorum. al. Eliorum. (*n*) al. Helemalus. (*o*) al. pignorum. (*p*) al. observari. (*q*) al. Gallogræcia. al. Gallogræcus. (*r*) al. ad prælium. (*s*) alii præpositionem à omittunt. (*t*) al. intercinum.

terim Alexander rex Epiri ulcisci mortem patris Pyrrhi cupiens, fines Macedoniæ depopulatur. Adversus quem cum reversus à Græcia Antigonus esset, transitione militum destitutus, regnum Macedoniæ cum exercitu amittit. Hujus filius Demetrius puer admodum, absente patre, reparato exercitu, non solum amissam Macedoniam recipit; verum etiam Epiri regno Alexandrum spoliat. Tanta vel mobilitas militum, vel fortunæ varietas erat, ut vicissim reges, nunc exules, nunc reges viderentur.

Demetrius filius Antigoni Macedoniam recepit.

CAP. III. Igitur Alexander, cum exul ad Acarnanas confugisset, non minore Epirotarum desiderio, quam sociorum auxilio, in regnum restituitur. Per idem tempus rex Cyrenarum Agas (*u*) decedit: qui ante infirmitatem, Beronicen unicam filiam, ad finienda cum Ptolemæo fratre certamina, filio ejus despondérat. Sed post mortem regis, mater virginis Arsinoë, ut invita se contractum matrimonium solveretur, misit qui ed nuptias virginis, regnumque Cyrenarum, Demetrium fratrem regis Antigoni à Macedonia arcesserent: qui & ipse ex filia Ptolemæi procreatus erat. Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque cum secundante vento celeriter Cyrenas advolasset, fiducia pulchritudinis, qua nimis placere socrui cœperat, statim à principio superbus, regiæ familiæ, militibusque impotens erat: studiumque placendi à virgine in matrem contulerat. Quæ res suspecta primo virgini, dein popularibus militibusque invisa fuit. Itaque versis omnium animis in Ptolemæi filium, insidiæ Demetrio comparantur: cui cum in lectum socrus concessisset, percussores immittuntur. Sed Arsinoë audita voce filiæ, ad fores stantis, & præcipientis, *ut matri parceretur*, adulterum paulisper corpore suo protexit. Quo interfecto, Beronice, & stupra matris, salva pietate, ulta est; & in matrimonio sortiendo judicium patris secuta.

Alexander Pyrrhi filius restituitur.

Beronice Agæ Regis Cyrenarum filia despondetur Ptolemæi filio.

Demetrius à Beronice sponsa sua ob stuprum matri suæ illatum occiditur.

Beronice Ptolemæo nubit. O. C. 3343. a. C. N. 257. U. C. 496. Ol. 130.

LIBER XXVII.

CAPUT I.

MOrtuo Syriæ rege Antiocho, cum in locum ejus filius Seleucus successisset, hortante matre Laudice, quæ prohibere debuerat, auspicia regni à parricidio cœpit. Quippe Beronicen (*x*) novercam suam, sororem Ptolemæi regis Ægypti, cum parvulo fratre ex ea suscepto interficit. Quo facinore perpetrato, & infamiæ maculam subiit, & Ptolemæi bello se implicuit. Porro Beronice, cum ad se interficiendam missos didicisset, Daphnæ se claudit. Ubi cum obsideri eam cum parvulo filio nuntiatum Asiæ civitatibus esset, recordatione paternæ, majorumque ejus, dignitatis, casum tam indignæ fortunæ miserantes, auxilia ei omnes misere. Frater quoque Ptolemæus periculo sorori exterritus, relicto regno cum omnibus viribus advolat. Sed Beronice ante adventum auxiliorum, cum vi expugnari non posset, dolo circumventa trucidatur. Indigna res omnibus visa. Itaque cum universæ civitates, quæ defecerant, ingentem classem comparassent, repente exemplo crudelitatis exterritæ simul & in ultionem ejus, quam defensuri erant, Ptolemæo se tradunt: qui, nisi in Ægyptum domestica seditione revocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset. Tantum vel illi odium, parricidiale scelus, vel huic favorem indigne peremptæ mors sororis attulerat.

Rex Syriæ Seleucus novercam & fratrem infantem interficit. O. C. 3745. a. C. N. 245. U. C. 508. Ol. 133.

CAP. II. Post discessum Ptolemæi, Seleucus cum adversus civitates, quæ defecerant, ingentem classem comparasset, repente veluti diis ipsis parricidium vindicantibus, orta tempestate classem naufragio amittit: nec quicquam illi ex tanto apparatu, præter nudum corpus, & spiritum, & paucos naufragii comites residuos fortuna fecit. Misera quidem res, sed optanda Seleuco fuit; siquidem civitates, quæ odio ejus ad Ptolemæum transierant, velut diis arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragii (*y*) misericordiam versæ, imperio se ejus restituunt. Lætus igitur malis suis, & damnis ditior redditus, veluti par viribus, bellum Ptolemæo infert. Sed quasi ad ludibrium tantum fortunæ natus esset, nec propter aliud opes regni recepisset, quam ut amitteret, victus prælio, non multo quam post naufragium comitatior, trepidus Antiochiam confugit. Inde ad Antiochum fratrem litteras facit, quibus auxilium ejus implorat, oblata ei Asia, inter fines (*z*) Tauri montis, in præmium latæ opis. Antiochus autem cum esset annos XIV. natus, supra ætatem regni avidus, occasionem non tam pio animo, quam offerebatur, arripuit: sed latronis more, totum fratri eripere cupiens, puer sceleratam virilemque sumit audaciam. Unde *Hierax* est cognominatus; quia non hominis, sed accipitris ritu, in alienis eripiendis vitam sectaretur. Interea Ptolemæus Evergetes, (*a*) cum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognovisset, ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem facit: sed pax ab hoste data interpellatur à fratre, qui conducto Gallorum mercenario exercitu, pro auxilio bellum, pro fratre hostem, imploratus exhibuit. In eo prælio virtute Gallorum victor quidem Antiochus fuit: sed Galli arbitrantes Seleucum in prælio cecidisse, in ipsum Antiochum arma vertere; liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiam exstinxissent. Quod ubi sensit Antiochus, velut à prædonibus, auro se redimit, societatemque cum mercenariis suis jungit.

Classem naufragio amittit.

Ad fratrem fugit, & ab illo auxilium noxium impetrat. O. C. 3746. a. C. N. 244. U. C. 509. Ol. 134.

Antiochus cur Hierax dictus.

Ptolemæum auxilio Gallorum vincit. O. C. 3757. a. C. N. 243. U. C. 510. Ol. 134.

CAP. III. Interea rex Bithyniæ Eumenes, sparsis consumptisque fratribus bello intestinæ discordiæ, quasi vacantem Asiæ possessionem invasurus, victorem Antiochum, Gallosque aggreditur. Nec difficile saucios adhuc ex superiore congressione, integer ipse viribus, superat

Eumenes Antiochum vincit O. C. 3746. a. C. N. 244. U. C. 509. Ol. 134.

(*u*) al. Magas. (*x*) al. Berenicen. (*y*) al. naufragi. (*z*) al. finem. (*a*) alii τὸ Evergetes omittunt.

Asiæ laceratus status.

perat. Ea namque tempestate omnia bella in exitium Asiæ gerebantur: uti quisque fortior fuisset, Asiam velut prædam occupabat. Seleucus & Antiochus fratres bellum propter Asiam gerebant: Ptolemæus rex Ægypti, sub specie sororiæ ultionis, Asiæ inhiabat. Hinc Bithynus (*b*) Eumenes, inde Galli (humiliorum semper mercenaria manus) Asiam depopulabantur: cum interea nemo defensor Asiæ inter tot prædones inveniebatur. Victo Antiocho, cum Eumenes majorem partem Asiæ occupasset, ne tunc quidem fratres, perdito præmio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt: sed omisso externo hoste, in mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus denuo victus, multorum dierum fuga fatigatus, tandem ad socerum suum Artamenem (*c*) regem Cappadociæ provehitur (*d*). A quo cum primum benigne exceptus esset, interjectis diebus, cognito quod insidiæ sibi pararentur, salutem fuga quæsivit. Igitur cum profugo nusquam tutus locus esset, ad Ptolemæum hostem, cujus fidem tutiorem quam fratris existimabat, decurrit; memor vel quæ facturus fratri esset, vel quæ meruisset à fratre. Sed Ptolemæus non tam amicior dedito, quam hosti factus (*e*), servari eum artissima custodia jubet. Hinc quoque Antiochus, opera cujusdam meretricis adjutus, quam familiarius noverat, deceptis custodibus elabitur, fugiensque à latronibus interficitur. Seleucus quoque iisdem ferme diebus, amisso regno, equo præcipitatus, finitur (*f*). Sic fratres, quasi & germanis (*g*) casibus, exules ambo; post regna, scelerum suorum pœnas luerunt.

Vindicta numinis in Antiochum Hieracem & Seleucum fratres.

Qui pereunt. O.C. 3775. a. C.N. 225. U. C. 528. Ol. 138.

LIBER XXVIII.

CAPUT I.

Olympias, Alexandri Epirotæ vidua, Demetrio Macedoni filiam dat uxorem. O. C. 3744. a. C. N. 256. U. C. 497. Ol. 131.

Olympias Pyrrhi Epirotæ regis filia, amisso marito, eodemque germano fratre, Alexandro, cum tutelam filiorum ex eo susceptorum, Pyrrhi & Ptolemæi, regnique administrationem in se recepisset, ab (*h*) Ætolis, partem Acarnaniæ, quam in portionem belli pater pupillorum acceperat, eripere volentibus, ad regem Macedoniæ Demetrium decurrit: eique, habenti uxorem Antiochi regis Syriæ sororem, filiam suam Ptiam (*i*) in matrimonium tradit: ut auxilium, quod misericordia non poterat, jure cognationis obtineret. Fiunt igitur nuptiæ, quibus & novi matrimonii gratia acquiritur, & veteris offensa contrahitur. Nam prior uxor, velut matrimonio pulsa, sponte sua ad fratrem Antiochum discedit, eumque in mariti bellum impellit. Acarnanes quoque diffisi Epirotis, adversus Ætolos auxilium Romanorum implorantes, obtinuerunt à Romano Senatu, ut legati mitterentur, qui denuntiarent Ætolis: *Præsidia ab urbibus Acarnaniæ deducerent; paterenturque esse liberos, qui soli quondam adversus Trojanos, auctores originis suæ, auxilia Græcis non miserint.*

Unde à priore uxore excitata bellorum initia.

CAP. II. Sed Ætoli legationem Romanorum superbe audivere: Pœnos illis & Gallos, à quibus tot bellis occidione cæsi sint, exprobrantes; dicentesque: *Prius illis portas adversus Carthaginienses aperiendas, quas clauserit metus Punici belli, quam in Græciam arma transferenda. Meminisse* deinde jubent, *qui quibus minentur. Adversus Gallos urbem eos suam tueri non potuisse: captamque non ferro defendisse, sed auro redemisse. Quam gentem se aliquando majore manu Græciam ingressam, non solum nullis externis viribus, sed ne domesticis quidem totis adjutos, universam delesse: sedemque sepulcris eorum præbuisse, quam illi urbibus (k), imperioque suo proposuerant. Contra Italiam, trepidis ex recenti urbis suæ incendio Romanis, universam ferme à Gallis occupatam. Prius igitur illis Gallos Italia pellendos, quam minentur Ætolis; priusque sua defendenda, quam aliena appetenda. Quos autem homines Romanos esse? nempe pastores, qui latrocinio justis dominis ademptum solum teneant: qui uxores, cum propter originis dehonestamenta non invenirent, vi publica rapuerint: qui denique urbem ipsam parricidio condiderint, murorumque fundamenta fraterno sanguine asperserint: Ætolos autem principes Græciæ semper fuisse; & sicut dignitate, ita & virtute ceteris præstitisse: solos denique esse, qui Macedonas, imperio terrarum florentes, semper contempserint: qui Philippum regem non timuerint: qui Alexandri Magni post Persas Indosque devictos, cum omnes nomen ejus horrerent, edicta spreverint. Monere igitur se Romanos, contenti sint fortuna præsenti, nec provocent arma, quibus & Gallos cæsos, & Macedonas contemptos videant.* Sic dimissa legatione Romanorum, ne fortius loquuti, quam fecisse viderentur, fines Epiri regni & Acarnaniæ depopulantur.

Ætoli superbe Romanis respondent.

Acarnaniam depopulantur.

CAP. III. Jam Olympias filiis regna tradiderat, & in locum Pyrrhi fratris defuncti Ptolemæus successerat: qui cum hostibus instructo exercitu obvius processisset, infirmitate correptus, in itinere decedit. Olympias quoque non magno post tempore, gemino funerum vulnere afflicta ægrum spiritum trahens, non diu filiis supervixit. Cum ex gente regia sola Nereis virgo, cum Laodamia sorore superesset, Nereis nubit Geloni Siciliæ regis filio: Laodamia autem cum in aram Dianæ confugisset, concursu populi interficitur. Quod facinus dii immortales assiduis cladibus gentis & prope interitu totius populi vindicaverunt. Nam sterilitatem, famemque passi, & intestina discordia vexati, externis ad postremum bellis pene consumpti sunt: Miloque Laodamiæ percussor in furorem versus, nunc ferro, nunc saxo, in summa dentibus laceratis visceribus duodecima

Olympias duobus filiis morbo sublatis non diu supervivit.

Ejus filia Nereis nubit Geloni Regi Siciliæ. Altera filia Laodamia interficitur. Quod facinus à numine vindicatur.

(*b*) al. Bithynius. (*c*) al. Arimenem. (*d*) al. pervehitur. (*e*) al. non tam amici debito, quam hostis factus. (*f*) al. finit. (*g*) al. germani. (*h*) alii præpositionem ab omittunt. (*i*) al. Phthiam. (*k*) al. *viribus*.

Demetrius Macedo moritur. Cujus filii Philippi tutelam Antigonus suscipit. O. C. 3767. a. C. N. 233. U. C. 520. Ol. 136.

cima die interiit. His in Epiro gestis, interim in Macedonia Demetrius rex, relicto filio Philippo, parvulo admodum, decedit. Cui Antigonus tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli, regem se constitui laborabat. Interjecto deinde tempore, cum seditione minaci Macedonum, clausus in regia teneretur, in publicum sine satellitibus procedit; projectoque in vulgus diademate ac purpura *dare hæc* eos *alteri* jubet, *qui aut imperare illis nesciat, aut cui parere ipsi sciant: se adhuc invidiosum illud regnum, non voluptatibus, sed laboribus ac periculis sentire.* Commemorat deinde beneficia sua: *ut defectionem sociorum vindicaverit: ut Dardanos, Thessalosque exsultantes morte Demetrii regis compescuerit: ut denique dignitatem Macedonum non solum defenderit, verum etiam auxerit. Quorum si illos pœniteat, deponere se (l) imperium, & reddere illis munus suum; ipse (m) regem quærant, cui imperent.* Cum populus pudore motus, recipere eum regnum juberet, tamdiu recusavit, quoad seditionis auctores supplicio traderentur.

Bellum Antigoni adversus Spartanos.

CAP. IV. Post hæc bellum Spartanis infert: qui soli Philippi Alexandrique bellis, & imperium Macedonum, & omnibus metuenda arma contempserant. Inter duas nobilissimas gentes bellum summis utrimque viribus fuit: cum hi pro vetere Macedonum gloria, illi non solum pro illibata libertate, sed etiam pro salute certarent. Victi Lacedæmonii, non ipsi tantum, sed etiam conjuges liberique, magno animo fortunam tulere. Nemo quippe in acie saluti pepercit: nulla amissum conjugem flevit: filiorum mortem senes laudabant: patribus in acie cæsis filii gratulabantur: suam vicem omnes dolebant, quod non ipsi pro patriæ libertate cecidissent. Patentibus (n) omnes domibus saucios excipiebant, vulnera curabant, lassos reficiebant. Inter hæc nullus in urbe strepitus, nulla trepidatio; magis omnes publicam, quam privatam fortunam lugebant. Inter hæc Cleomenes rex post multas hostium cædes, toto corpore, suo pariter & hostium cruore madens, supervenit: ingressusque urbem, non humi consedit, non cibum aut potum poposcit, non denique armorum onus deposuit: sed acclinis (o) parieti, cum quatuor millia sola ex pugna superfuisse conspexisset, hortatur, *ut se ad meliora reipublicæ tempora reservarent.* Tum cum conjuge & liberis Ægyptum ad Ptolemæum proficiscitur: à quo honorifice susceptus, diu in summa dignatione (p) regis vixit. Postremo post Ptolemæi mortem à filio ejus cum omni familia interficitur. Antigonus autem, cæsis occidione Spartanis, fortunam tantæ urbis miseratus, à direptione milites prohibuit: veniamque his, qui superfuerant, dedit, præfatus, *bellum se cum Cleomene, non cum Spartanis habuisse, cujus fuga omnis ira ejus finita sit: nec minori sibi gloriæ fore, si ab eo servata Lacedæmon, à quo solo capta sit, proderetur. Parcere igitur se solo urbis ac tectis, quoniam homines, quibus parceret, non superfuissent.* Nec multo post ipse decedit, regnumque Philippo pupillo, annos XIV. nato, tradidit.

Qui vincuntur.

Eorumque Rex Cleomenes in Ægyptum profugit, ubi interficitur. O. C. 3778. a. C. N. 222. U. C. 531. Ol. 139.

Antigono mortuo Philippus regnat. O. C. 3780. a. C. N. 220. U. C. 533. Ol. 140.

LIBER XXIX.

CAPUT I.

Orbis multa imperia, nova Regum successione mutantur.

Isdem ferme temporibus prope universi orbis imperia, nova regum successione mutata sunt. Nam & in Macedonia Philippus mortuo Antigono, tutore eodemque vitrico, annorum quatuordecim regnum suscepit: & in Asia, interfecto Seleuco, impubes adhuc rex Antiochus constitutus est: Cappadociæ quoque regnum Ariarathi, puero admodum, pater ipsi tradiderat: Ægyptum, patre ac matre interfectis, occupaverat Ptolemæus, cui ex facinoris crimine cognomentum *Philopatori* (q) fuit. Sed & Spartani in locum Cleomenis suffecerunt Lycurgum. Et ne qua temporibus mutatio deesset, apud Carthaginenses quoque ætate immatura dux Annibal constituitur, non penuria seniorum, sed odio Romanorum, quo imbutum eum à pueritia sciebant. Fatale non tam Romanis, quam ipsi Africæ malum. His regibus pueris, etsi nulli senioris ætatis rectores erant, tamen in suorum quibusque maiorum vestigia nitentibus (r) magna indoles virtutis enituit. Solus Ptolemæus, sicut scelestus in occupando regno, ita & segnis in administrando fuit. Philippum Dardani, ceterique omnes finitimi populi, quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus erat, contemptu ætatis assidue lacessebant. Contra ille summotis hostibus, non contentus sua defendisse, ultro etiam Ætolis bellum inferre gestiebat.

Philippus Rex

Macedoniæ à variis populis lacessitus.

CAP. II. Quæ agitantem illum Demetrius rex Illyriorum, nuper à Paulo Rom. Consule victus, supplicibus precibus aggreditur, *injuriam Romanorum* querens: *qui non contenti Italiæ terminis, imperium spe improba totius orbis amplexi, bellum cum omnibus regibus gerant. Sic illos Siciliæ, sic Sardiniæ, Hispaniæque, sic denique totius Africæ imperium affectantes, bellum cum Pœnis & Annibale suscepisse: sibi quoque non aliam ob causam, quam quod Italiæ finitimus videbatur, bellum illatum: quasi nefas esset, aliquem regem juxta imperii eorum terminos esse. Sed & ipsi cavendum esse exemplum, cujus quanto promptius (s) nobiliusque sit regnum, tanto sit Romanos acriores hostes habiturus.* Super hæc *cedere se illi regno, quod Romani occupaverint,* profitetur, *gratius (t) habiturus, si in possessione imperii sui, socium potius quam hostes videret.* Hujusmodi oratione impulit Philippum, ut, omissis Ætolis, bellum Romanis infer-

Demetrius Rex Illyriorum Philippum contra Romanos incitat.

Quibus bellum inferre constituit.

(l) alii τὸ *se* omittunt. (m) al. *quia.* (n) al. Petentibus. (o) al. acclivis. (p) al. dignitate. (q) al Philopator. (r) al. vestigia intentis. (s) al. *proprius.* al. *propius.* (t) al. *gratias.*

inferret, minus negotii existimantem, quod jam victos ab Annibale apud Thrasymenum lacum audierat. Itaque ne eodem tempore multis bellis detineretur, (*u*), pacem cum Ætolis facit; non quasi alio bellum translaturus, sed ut Græciæ quieti consulturus, *quam nunquam in majori periculo fuisse* affirmabat. *Siquidem consurgentibus ab Occidente novis Pœnorum & Romanorum imperiis, quibus una hæc à Græcia atque Asia sit mora, dum inter se bello discrimen imperii faciunt: ceterum statim victoribus transitum in Orientem fore.*

Cujus causam speciosis verbis occultat.

CAP. III. *Videre se itaque*, ait, *consurgentem in Italia nubem illam trucis & cruenti belli: videre tonantem ac fulminantem ab Occasu procellam, quam in quascunque terrarum partes victoriæ tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia fœdaturam. Frequenter Græciam ingentes motus passam, nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Macedonum bellis; sed omnia illa levia fuisse* (*x*) *existimaturos; si ea, quæ nunc in Italia concurrat manus, extra terram illam se effuderit. Cernere se, quam cruenta & sanguinaria inter se bella, utrique populi, viribus copiarum, & ducum artibus, gerant; quæ rabies finiri solo partis alterius interitu, sine ruina finitimorum non possit. Feros igitur animos victorum minus quidem Macedoniæ, quam Græciæ timendos, quia & remotior, & in vindictam sui robustior sit: scire tamen se eos, qui tantis viribus concurrant, non contentos hoc fine victoriæ fore; metuendumque sibi quoque certamen eorum, qui superiores exstiterint.* Hoc prætextu finito cum Ætolis bello, nihil aliud quam Pœnorum Romanorumque bella respiciens, singulorum vires perpendebat. Sed nec Romani, tametsi Pœni & Annibal in cervicibus erant, soluti metu Macedonico videbantur; quippe terrebat eos, & vetus Macedonum devicti (*y*) Orientis gloria, & Philippus studio Alexandri æmulationis incensus, quem promptum in bella industriumque cognoverant.

Aperte se hostem Romanorum profitetur.

CAP. IV. Igitur Philippus, cum iterato prælio victos à Pœnis Romanos didicisset, aperte hostem se his professus, naves, quibus in Italiam exercitum trajiceret, fabricare cœpit. Legatum deinde ad Annibalem, jungendæ societatis gratia, cum epistolis mittit; qui comprehensus, & ad Senatum perductus, incolumis dimissus est, non in honorem regis, sed ne dubius adhuc, indubitatus hostis redderetur. Postea vero, cum Romanis nuntiatum esset, in Italiam Philippum copias trajecturum, Lævinum prætorem cum instructis navibus ad prohibendum transitum mittunt. Qui cum in Græciam trajecisset, multis promissis impellit Ætolos bellum adversus Philippum suscipere. Philippus quoque Achæos in Romanorum bella sollicitat. Interea & Dardani Macedoniæ fines vastare cœperunt, abductisque XX. millibus captivorum, Philippum à Romano bello ad tuendum regnum revocaverunt. Dum hæc aguntur, Lævinus Prætor, juncta cum Attalo rege societate, Græciam populatur. Quibus cladibus perculsæ civitates, auxilium petentes, Philippum legationibus fatigant: nec non Illyriorum rex, lateri ejus hærens, assiduis precibus promissa exigebat (*z*). Super hæc vastati Macedones, ultionem flagitabant. Quibus tot tantisque rebus obsessus, cui rei primum occurreret, ambigebat; omnibus tamen propediem auxilia se missurum pollicetur, non quia facere posset, quæ promittebat, sed ut spe impletos in societatis jure retineret. Prima tamen illi expeditio adversus Dardanos fuit; qui absentiam ejus aucupantes, majore belli mole Macedoniæ imminebant. Cum Romanis quoque pacem facit, contentis interim bellum Macedonicum distulisse: Philopœmeni Achæorum duci, quem ad Romanos, sociorum animos sollicitare didicerat, insidias prætendit. Quibus ille cognitis vitatisque, discedere (*a*) ab eo Achæos auctoritate sua coëgit.

Unde cruentum bellum. O. C. 3785. a. C. N. 215. U. C. 538. Ol. 141.

LIBER XXX.

CAPUT I.

Ptolemæi Regis Ægypti luxuria.

PHilippo in Macedonia magnis rebus intento, in Ægypto Ptolemæi diversi mores erant. Quippe regno parricidio parto, & ad necem utriusque parentis, cæde etiam fratris adjuncta (*b*), velut rebus feliciter gestis, luxuriæ se tradiderat; Regisque mores omnis sequuta regia (*c*) erat. Itaque non amici tantum præfectique, verum etiam omnis exercitus, depositis militiæ studiis, otio ac desidia corrupti marcebant. Quibus rebus cognitis, Antiochus rex Syriæ, veteri inter se regnorum odio stimulante, repentino bello multas urbes ejus oppressit, ipsamque Ægyptum aggreditur. Trepidare igitur Ptolemæus; legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum. Magno deinde in Græcia exercitu conducto, secundum prælium facit; spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute juvisset. Sed contentus reciperatione urbium quas amiserat, facta pace, avide materiam quietis arripuit; revolutusque in luxuriam, occisa Eurydice uxore eademque sorore sua, Agathocliæ (*d*) meretricis illecebris capitur. Atque in omnem magnitudinem nominis ac majestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conviviis consumit. Adduntur instrumenta luxuriæ, tympana & crepundia (*e*); nec jam spectator rex, sed magister nequitiæ, nervorum oblectamenta modulatur. Hæc primo laborantis regiæ tacitæ pestes & occultæ fuere. (*f*)

Vecordia.

Et parricidia.

CAP.

(*u*) al. distineretur. (*x*) al. *omnia illa ludum fuisse.* (*y*) al. Vetus Macedonum virtus & devicti. (*z*) al. nec non & Illyriorum reges, lateri ejus hærentes, assiduis precibus promissa exigebant. (*a*) al. desciscere. (*b*) al. adstructa. (*c*) al. regio. (*d*) al. Agathocleæ. (*e*) al. tripudia. (*f*) al. Hæc primo laborantis regis tacitæ pestes & occultæ fuerunt.

Miserrimus Ægypti status sub turpissimo Principe.

CAP. II. Deinde crescente licentia, jam nec parietibus regiæ domus contineri meretricis audacia potest: quam proterviorem, sociata cum Agathocle fratre, ambitiosæ pulchritudinis scorto, quotidiana regis stupra faciebant. Accedebat (*g*) & mater Oenanthe (*h*), quæ geminæ subolis illecebris devinctum regem tenebat. Itaque non contentæ rege, jam etiam regnum possident, jam in publico visuntur, jam salutantur, jam comitantur. Agathocles regis lateri junctus, civitatem regebat: tribunatus, præfecturas, & ducatus mulieres ordinabant; nec quisquam in regno suo minus, quam ipse rex poterat. Cum interim, relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio, moritur; sed mors ejus, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, & imperium, inita cum perditissimis societate, occupare conantur, diu occultata fuit. Re tamen cognita, concursu multitudinis, & Agathocles occiditur, & mulieres in ultionem Eurydices (*i*) patibulis suffiguntur. Morte regis, supplicio meretricum velut expiata regni infamia, legatos Alexandrini ad Romanos misere, orantes, *ut tutelam pupilli susciperent; tuerenturque regnum Ægypti; quod jam Philippum & Antiochum, facta inter se pactione, divisisse dicebant.*

Ptolemæus moritur. O. C. 3796. a. C. N. 204. U. C. 549. Ol. 144.

Ejus meretrix et lenones crudeli fato pereunt.

Mortuo Ptolemæo, Romani tutelam pupilli adversus Antiochum Syrum, & Philippum Macedonem suscipiunt.

CAP. III. Grata legatio Romanis fuit, causam belli adversus Philippum quærentibus, qui insidiatus eis, temporibus Punici belli, fuerat. Huc accedebat, quod Pœnis & Annibale superato, nullius magis arma metuebant, reputantibus, quantum motum Pyrrhus parva manu Macedonum in Italia fecisset, quantasque res Macedones in Oriente gessissent. Mittuntur itaque legati, qui Antiocho & Philippo denuntient, *regno Ægypti abstineant.* Mittitur & M. Lepidus in Ægyptum, qui (13) tutorio nomine regnum pupilli administret. Dum hæc aguntur, interim legatione Attali regis, & Rhodiorum, injurias Philippi querentes, Romam venerunt. Quæ res omnem cunctationem Macedonici belli Senatui exemit. Statim igitur, titulo ferendi sociis auxilii, bellum adversus Philippum decernitur, legionesque cum Consule in Macedoniam mittuntur (*k*). Nec multo post tempore, tota Græcia, fiducia Romanorum, adversus Philippum spe pristinæ libertatis erecta, bellum ei intulit: atque ita cum rex undique urgeretur, pacem petere compellitur. Deinde cum expositæ conditiones pacis à Romanis essent, repetere sua, & Attalus, & Rhodii, & Achæi, & Ætoli cœpere. Contra Philippus *adduci se posse, ut Romanis pareat,* concedebat (*l*); *ceterum indignum esse, Græcos à Philippo & Alexandro, majoribus suis, victos, & sub jugum Macedonici imperii subactos, veluti victores, leges pacis sibi dicere, quibus prius sit servitutis ratio reddenda, quam libertas vindicanda.* Ad postremum tamen, petente eo, induciæ duorum mensium datæ, ut pax, quæ in Macedonia non conveniebat, Romæ à Senatu peteretur.

M. Lepidus tutor Ptolemæi Epiphanis. O. C. 3799. a. C. N. 201. U. C. 552. Ol. 144.

Romani Philippo bellum inferunt. O. C. 3788. a. C. N. 212. U. C. 541. Ol. 142.

Qui vero pacem petit.

CAP. IV. Eodem anno inter insulas Theram (*m*) & Therasiam, medio utriusque ripæ & maris spatio, terræ motus fuit. In quo, cum admiratione navigantium, repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit. In Asia quoque eadem die idem motus terræ Rhodum, multasque alias civitates gravi ruinarum labe concussit, quasdam solidas absorbuit. Quo prodigio territis omnibus, vates cecinere, *Oriens Romanorum imperium, vetus Græcorum ac Macedonum voraturum.* Interim à Senatu repudiata pace, Philippus in societatem belli Nabin tyrannum sollicitat. Atque ita, cum in aciem exercitum instructis è diverso hostibus produxisset, hortari suos cœpit, referendo, *Persas, Bactros, Indosque, & omnem Asiam, Orientis finem* (*n*) *à Macedonibus perdomitam; tantoque fortius hoc bellum quam illa sustinendum, quanto sit libertas imperio carior.* Sed & Flamininus Romanus Consul, relatione rerum recentissime gestarum, suos stimulabat in prælium, ostendendo: *Hinc Carthaginem cum Sicilia, inde Italiam & Hispaniam Romana virtute perdomitas; nec Annibalem quidem Alexandro Magno postponendum, quo Italia pulso, Africam ipsam, tertiam partem mundi superaverint. Sed nec Macedonas veteri fama, sed præsentibus viribus æstimandos: quia non cum Alexandro Magno, quem invictum audierant, nec cum exercitu ejus, qui totum Orientem devicerat, bellum gerant; sed cum Philippo puero immaturæ ætatis, qui regni terminos adversus finitimos ægre defendat, & cum his Macedonibus, qui non ita pridem prædæ Dardanis fuerunt* (*o*). *Illos majorum decora, se suorum militum commemorare. Non enim alio exercitu Annibalem & Pœnos, & totum ferme Occidentem, sed his ipsis, quos in acie habeat, militibus subactos.* His adhortationibus utrimque concitati milites, prælio concurrunt, alteri Orientis, alteri Occidentis imperio glorantes; ferentesque in bellum, alii majorum suorum antiquam & obsoletam gloriam, alii virentem recentibus experimentis virtutis florem. Sed Macedonas Romana fortuna vicit. Fractus itaque bello Philippus, pace à Flaminino Consule petita nomen quidem regium retinuit; sed omnibus Græciæ urbibus, velut regni membris, extra terminos antiquæ possessionis amissis, solam Macedoniam retinuit. Offensi tamen Ætoli, quod non ex arbitrio eorum Macedonia quoque adempta regi, & data sibi in præmium belli esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulatione magnitudinis, in Romana bella, spe societatis universæ Græciæ, impellerent.

Ingentes terræ motus.

Romani pacem repudiant.

Philippus milites suos ad pugnam accendit.

Ut & Flamininus, Romanos.

Macedones vincuntur.

Philippo in pace solam Macedoniam retinet cum offensione Ætolorum. O. C. 3795. a. C. N. 205. U. C. 548. Ol. 143.

(*g*) al. accendebat. (*h*) al. Evanthe. (*i*) al. Eurydicis. (*k*) al. legationesque cum conditionibus pacis in Macedoniam mittuntur. (*l*) al. contendebat. (*m*) al. Theramenem. (*n*) al. *fine.* (*o*) al. *fuerint.*

 LIBER

(13) tutorio nomine) Hoc loquitur numus Tab. LXX. num. 3. in quo adolescens Ptolemæus Epiphanes Rex Ægypti, & Lepidus tutor ejus repræsentantur. Conf. OISEL. Th. Numism. antiqu. Tab. XXXIV. num. 5. p. 149.

LIBER XXXI.

CAPUT I.

Antiochus Syrus Ægyptum occupare studet.

MOrtuo Ptolemæo Philopatore rege Ægypti, contemptaque parvuli filii ejus ætate, qui in spem regni relictus, prædæ (*p*) etiam domesticis erat, Antiochus rex Syriæ occupare Ægyptum statuit. Itaque Phœnicen ceterasque Syriæ quidem, se juris Ægypti civitates cum invasisset, legatos ad eum Senatus mittit, qui denuntiarent ei, *abstineret regno pupilli, postremis patris precibus fidei suæ traditi.* Quibus spretis, interjecto tempore alia legatio supervenit, quæ, omissa pupilli persona, *civitates, jure belli factas Populi Romani, in integrum restitui jubebat.* Abnuenti bellum denuntiatum; quod ille facile susceptum infeliciter gessit. Eodem tempore & Nabis tyrannus multas Græciæ civitates occupaverat. Igitur senatus, ne uno tempore duplici bello Romanæ vires detinerentur, scripsit Flaminino, *si ei videatur, sicuti Macedoniam à Philippo, ita Græciam à Nabide liberet.* Ob quam causam imperium ei prorogatum est. Terribile quippe Antiochi bellum Annibalis nomen faciebat, quem æmuli ejus *occultis mandatis cum Antiocho iniisse societatem*, apud Romanos criminabantur: negantes *eum æquo animo sub legibus vivere assuetum imperio, & immoderata licentia militari* (*q*); *semperque, tædio quietis urbanæ, novas belli causas circumspicere.* Quæ etsi falsa nuntiata fuissent, apud timentes tamen pro veris habebantur.

Sed à Romanis coërcetur, Romani Græciam à Nabide liberare statuunt.

Annibalis nomen terribile.

CAP. II. Denique Senatus metu perculsus, ad speculandos actus Annibalis, legatum in Africam Cnæum Servilium mittit; eique tacitis mandatis præcipit, *si posset, eum per æmulos ejus interficeret, metuque invisi nominis tandem Populum Romanum liberaret.* Sed res Annibalem non diu latuit, virum ad prospicienda cavendaque pericula paratum (*r*); nec minus in secundis adversa, quam in adversis secunda cogitantem. Igitur cum tota die in oculis principum, legatique Romani, in foro Carthaginiensium obversatus in supremum (*s*) fuisset, appropinquante vespere, equum conscendit; & rus urbanum (*t*) quod propter littus maris habebat, ignaris servis, jussisque ad portam revertentem operiri, contendit. Habebat ibi naves cum remigibus, occulto sinu littoris absconditas; erat & grandis pecunia in eo agro præparata, ut cum res exigisset, nec facultas fugam, nec inopia moraretur. Lecta igitur servorum juventute, quorum copiam Italicorum captivorum numerus augebat, navem conscendit, cursumque ad Antiochum dirigit. Postera die civitas principem suum ac tum temporis consulem, in foro exspectabat. Quem ut profectum nuntiatum est, non aliter quam si urbs capta esset, omnes trepidavere, exitiosamque sibi fugam ejus ominati sunt. Legatus vero Romanus, quasi bellum jam illatum Italiæ ab Annibale esset, tacitus Romam regreditur, trepidumque nuntium refert.

Annibal insidias Romanorum fugiens ad Antiochum cursum dirigit. O. C. 3905. a. C. N. 195. a. U.C. 558. Ol. 146.

CAP. III. Interim in Græcia Flamininus, juncta cum quibusdam civitatibus societate, Nabidem tyrannum duobus continuis præliis subegit; & graviter fractum (*u*), velut exsanguem, in regno reliquit. Sed libertate Græciæ restituta, deductisque ab urbibus præsidiis, cum Romanus exercitus in Italiam reportatus esset, velut vacua rursus possessione sollicitatus, multas civitates repentino bello invasit. Quibus rebus exterriti Achæi, ne vicinum malum etiam ad se serperet, bellum adversus Nabidem decernunt, ducemque prætorem suum Philopœmenem, insignis industriæ virum, constituunt: cujus in eo bello tanta virtus enituit, ut opinione omnium Flaminino Romano imperatori compararetur. Eodem tempore Annibal, cum ad Antiochum pervenisset, velut deorum munus excipitur: tantusque ejus adventu ardor animis regis accessit, ut non tam de bello, quam de præmiis victoriæ cogitaret. Sed Annibal, cui nota Romana virtus erat, negabat *opprimi Romanos nisi in Italia posse.* Ad hoc sibi centum naves, & decem millia peditum, & mille equites (*x*) poscebat, promittens, *hac manu non minus bellum, quam gesserit, Italiæ restauraturum; & in Asiam regi sedenti, aut victoriam de Romanis, aut æquas pacis conditiones relaturum: quippe & Hispanis bello flagrantibus, ducem tantum deesse; & Italiam notiorem sibi nunc, quam pridem fuisset.* (*y*) *Sed nec Carthaginem quieturam, sociamque se ei sine mora præbituram.*

Nabis duobus præliis frangitur.

Sed post Romanorum discessum iterum arma movet.

Annibalis ad Antiochum de opprimendis Romanis consilium.

CAP. IV. Cum regi consilia placuissent, mittitur Carthaginem unus ex comitibus Annibalis, qui in bellum cupidos hortetur, *Annibalemque cum copiis affuturum* nuntiet: *nihil*, dicat, *partibus nisi animas Carthaginiensium deesse: Asiam & vires belli, & sumptum præbituram.* Hæc cum relata (*z*) Carthaginem essent, nuntius ipse ab inimicis Annibalis comprehenditur, & perductus in Senatum, cum interrogaretur, *ad quem missus esset?* Punico ingenio respondit, *se ad universum Senatum missum: nec enim hoc opus singulorum, sed universorum esse.* Dum multis diebus deliberant, an eum Romam ad purgandam publicam conscientiam mittant, tacitus conscensa nave ad Annibalem revertitur: quo cognito, Carthaginienses ultro rem Romam per legatum deferunt. Romani quoque ad Antiochum legatos misere, qui sub specie legationis, & regis apparatum specularentur, & Annibalem aut Romanis mitigarent; aut assiduo colloquio suspectum invisumque regi redderent. Itaque legati, cum Ephesi (*a*) convenissent ad (*b*) Antiochum, mandata ei Senatus tradunt. Dum responsum ex-

Carthaginienses ab Antiocho sollicitantur adversus Romanos.

Qui rem Romanis significant.

Romani politico stratagemate Annibalem ab Antiocho divellunt.

(*p*) al. præda. (*q*) al. *militare.* (*r*) al. peritum. (*s*) al. in supremam. (*t*) al. & suburbanum. al. & rus suburbanum. (*u*) al. & gravibus fractum. al. & gravibus vulneribus fractum. (*x*) al. equitum. (*y*) al. *fuisse.* (*z*) al. perlata. (*a*) al. Ephesum. (*b*) alii τὸ ad omittunt.

exſpectant, omnibus diebus aſſidui circa Annibalem (*c*) fuere, dicentes: *timide eum à patria receſſiſſe, cum pacem Romani, non tam cum republica ejus, quam cum eo factam, ſumma fide cuſtodiant; nec bella eum Romanorum magis odio, quam patriæ amore geſſiſſe, cui ab optimo quoque etiam ſpiritus debeatur. Has enim publicas inter populos, non privatas inter duces, bellandi cauſas eſſe.* Inde res geſtas ejus laudare. Quorum ſermone lætus, ſæpius cupidiusque cum legatis colloquebatur, ignarus, quod familiaritate Romana odium ſibi apud regem crearet. Quippe Antiochus tam aſſiduo colloquio, reconciliatam ejus cum Romanis gratiam exiſtimans, nihil ad eum ſicuti ſolebat referre; expertemque totius conſilii, veluti hoſtem proditoremque ſuum, odiſſe cœpit. Quæ res tantum apparatum belli, ceſſante imperatoria arte, corrupit. Senatus mandata fuerant, ut *contentus terminis Aſiæ eſſet, ne ipſis ingrediendi Aſiam neceſſitatem imponeret.* Quibus ſpretis, non accipiendum bellum ſtatuit, ſed inferendum.

CAP. V. Dicitur, quum frequenter de bello conſilium habuiſſet, remoto Annibale, tantum eum vocari juſſiſſe, non ut ex ſententia ejus aliquid ageret, ſed ne per omnia eum ſpreviſſe videretur; omnibusque perrogatis poſtremum interrogaſſe. Quo ille animadverſo, *intelligere ſe* profeſſus eſt, *non quia egeat conſilio, ſed ad ſupplendum numerum ſententiarum ſe vocatum; tamen & odio Romanorum, & amore regis, apud quem ſolum tutum ſibi exilium relictum ſit, ſe viam gerendi belli edifferturum.* Veniam deinde libertati præfatus, *nihil ſe aut conſiliorum, aut cœptorum præſentium, probare* ait; *neque ſedem belli Græciam ſibi placere, cum Italia uberior materia ſit; quippe Romanos vinci non niſi armis ſuis poſſe, nec Italiam aliter, quam Italicis viribus ſubigi, ſiquidem diverſum ceteris mortalibus eſſe illud hominum & belli genus. Aliis bellis plurimum momenti habere, priorem aliquam cepiſſe occaſionem loci temporisque, agros diripuiſſe, urbes aliquas expugnaſſe; cum Romano, ſeu occupaveris prior aliqua, ſeu viceris, tum etiam cum victo & jacente luctandum eſſe. Quamobrem ſi quis eos in Italia laceſſat, ſuis eos opibus, ſuis viribus, ſuis armis poſſe vincere, ſicut ipſe fecerit. Sin vero quis illis Italia velut fonte virium ceſſerit, perinde falli, ac ſi quis amnes non ab ipſis fontium primordiis derivare, ſed concretis jam aquarum molibus avertere, vel exſiccare velit. Hæc & ſecreto ſe cenſuiſſe, ultroque miniſterium conſilii ſui obtuliſſe; & nunc præſentibus amicis ideo repetiſſe, ut ſcirent omnes rationem cum Romanis gerendi belli, eosque foris invictos, domi fragiles eſſe. Nam prius illos urbe quam imperio, prius Italia quam provinciis exui poſſe; quippe & à Gallis captos, & à ſe prope deletos eſſe; neque ſe unquam victum prius, quam terris eorum ceſſerit. Reverſo Carthaginem, ſtatim cum loco fortunam belli mutatam.*

Iteratum Annibalis conſilium de bello in Italia Romanis inferendo.

CAP. VI. Huic ſententiæ obtrectatores amici regis erant; non utilitatem rei cogitantes, ſed verentes, ne probato conſilio ejus primum apud regem locum gratiæ occuparet. Et Antiocho non tam conſilium, quam auctor diſplicebat, ne gloria victoriæ, Annibalis, non ſua, eſſet. Omnia igitur variis aſſentantium (*d*) adulationibus corrumpebantur; nihil conſilio vel ratione agebatur. Rex ipſe per hyemem in luxuriam lapſus, novis quotidie nuptiis deditus erat. Contra Acilius Romanus Conſul, qui ad hoc bellum miſſus erat, copias, arma, ceteraque bello (*e*) neceſſaria, ſumma induſtria parabat; civitates ſocias confirmabat; dubias illiciebat; nec alius exitus belli, quam apparatus utriusque partis fuit. Itaque prima belli congreſſione (*f*), cum cedentes ſuos rex cerneret, non laborantibus auxilium tulit; ſed fugientibus ſe ducem præbuit, caſtraque ditia victoribus reliquit. Deinde cum in Aſiam, præda Romanis occupatis, fugiendo perveniſſet, pœnitere neglecti conſilii cœpit; revocatoque in amicitiam Annibale, omnia ex ſententia ejus agere. Interim nuntiatur, Æmilium, Romanum ducem, cum octoginta roſtratis navibus in bellum navale à Senatu miſſum, adventare; quæ res illi ſpem reſtituendæ fortunæ dedit. Itaque priusquam ſociæ civitates ad hoſtes deficerent, decernere navali prælio ſtatuit, ſperans cladem in Græcia acceptam, nova poſſe victoria aboleri. Tradita igitur Annibali claſſe, prælium committitur; ſed nec Aſiani milites Romanis, neque naves eorum pares roſtratis navibus fuere; minor tamen clades ducis ſolertia fuit. Romam nondum opinio victoriæ venerat, & id circo in Conſulibus creandis ſuſpenſa civitas erat.

Antiochi obtrectatores Annibalis conſilia rident.

Inde Antiochi ſubverſio.

Qui terreſtri.

Et navali prælio à Romanis ſuperatur. O. C. 3909. a. C. N. 191. U. C. 562. Ol. 147.

CAP. VII. Sed adverſus Annibalem ducem quis melior quam Africani frater crearetur, cum vincere Pœnos opus Scipionum eſſet? Creatur igitur Conſul Lucius Scipio; eique datur legatus frater Africanus, ut intelligeret Antiochus, non majorem fiduciam ſe in Annibale victo, quam Romanos in victore Scipione habere. Trajicientibus in Aſiam Scipionibus exercitum, jam utrobique profligatum bellum nuntiatum eſt, victumque Antiochum terreſtri, Annibalem navali bello invenerunt. Primo igitur adventu eorum, legatos pacem petentes ad eos Antiochus mittit, peculiare donum Africano ferentes ipſius filium, quem rex parvo navigio trajicientem ceperat. Sed Africanus, *privata beneficia à rebus publicis ſecreta eſſe*, dixit: *aliaque eſſe patris officia, alia patriæ jura, quæ non liberis tantum, verum etiam vitæ ipſi præponantur. Proinde gratum ſe munus accipere, privatoque impendio munificentiæ regis reſponſurum. Quod ad bellum pacemque pertineat, nihil neque gratiæ dari, neque de jure patriæ decidi poſſe*, reſpondit. Nam neque de redimendo filio unquam tractavit, nec Senatum de eo agere permiſit; ſed ut dignum majeſtate ejus erat, *armis ſe recepturum filium* dixerat. Poſt hæc leges pacis dicuntur: *Ut Aſia Romanis cederet, contentus Syriæ regno eſſet; naves univerſas, captivos & transfugas traderet; ſumptumque omnem belli Romanis reſtitueret.* Quæ cum nuntiata Antiocho eſſent, *nondum*

Scipiones adverſus Antiochum exercitum in Aſiam ducunt.

Antiochus pacis leges repudiat.

(*c*) al. cum Annibale. (*d*) al. aſſentationum. al. aſſentatorum. (*e*) al. belli. (*f*) al. conditione.

dum ita victum se esse respondit, *ut spoliari se regno pateretur; bellique ea irritamenta, non pacis blandimenta esse.*

Romanorum & Iliensium mutua gratulatio.

CAP. VIII. Igitur cum ab utrisque bellum pararetur, ingressique Asiam Romani Ilion venissent; mutua gratulatio Iliensium ac Romanorum fuit. Iliensibus *Æneam, ceterosque cum eo duces à se profectos*; Romanis, *se ab his procreatos*, referentibus. Tantaque lætitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes & liberos solet. (14) Juvabat Ilienses, nepotes suos, Occidente & Africa domita, Asiam ut avitum regnum vindicare: *optabilem Trojæ ruinam fuisse* dicentes; *ut tam feliciter renasceretur.* Contra Romanos, avitos lares, & incunabula majorum, templaque ac deorum simulacra, inexplebile desiderium videndi tenebat. Profectis ab Ilio Romanis, Eumenes rex cum auxiliis occurrit: nec multo post prælium cum Antiocho commissum. Cum in dexteriore cornu pulsa legio Romana, majore dedecore quam periculo ad castra fugeret, M. Æmilius tribunus militum ad tutelam castrorum relictus, *armare se milites suos (g) & extra vallum progredi* jubet, strictisque gladiis fugientibus minari, *Morituros* dicens, *nisi in prælium revertantur; infestioraque sua, quam hostium castra inventuros.* Attonita tam ambiguo periculo legio, comitantibus commilitonibus, qui fugere eos prohibuerant, in prælium revertitur, magnaque cæde edita, initium victoriæ fuit. Cæsa hostium quinquaginta millia, capta undecim. Antiocho pacem petenti, nihil ad superiores conditiones additum, Africano prædicante, *neque Romanis, si vincantur, animos minui (h); neque si vincant, secundis rebus insolescere.* Captas civitates inter socios divisere Romani, aptiorem gloriam (i), quam possessiones voluptuarias (k) judicantes. Quippe victoriæ gloriam Romano nomini vindicandam; opum luxuriam sociis relinquendam.

Prælium Romanos inter & Antiochum.

Quo Antiochus subactus pacem petit & obtinet. O. C. 3810. a. C. N. 190. U. C. 563. Ol. 147.

LIBER XXXII.

CAPUT I.

Ætoli libertate spoliantur.

ÆToli, qui Antiochum in bella Romana impulerant, victo eodem, soli adversus Romanos, & viribus impares, & omni auxilio destituti, remanserunt. Nec multo post victi, libertatem, quam illibatam adversus dominationem Atheniensium & Spartanorum, inter tot Græciæ soli retinuerant, amiserunt. Quæ conditio tanto amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis Persarum opibus, domesticis viribus restiterant; quibus Gallorum violentiam, Asiæ Italiæque terribilem, Delphico bello fregerant. Quæ gloriosa recordatio, majus desiderium libertatis augebat. Dum hæc aguntur, medio tempore inter Messenios & Achæos de principatu primo dissensio, mox bellum ortum est. In eo nobilis Achæorum Philopœmen (l) imperator capitur: non quia pugnando vitæ pepercerit, sed dum suos in prœlium revocat, in transitu fossæ equo præcipitatus, à multitudine hostium oppressus est. Quem jacentem Messenii, seu metu virtutis, seu (m) verecundia dignitatis, interficere ausi non fuerunt. Itaque velut in illo omne bellum confecissent, captivum per universam civitatem, in modum triumphi, circumduxerunt, effuso obviam populo, ac si suus, non hostium imperator adventaret. Nec victorem Achæi avidius vidissent, quam victum hostes viderunt. Igitur eundem in theatrum duci jusserunt, ut omnes contuerentur, quem potuisse capi incredibile singulis videbatur. Inde in carcerem ducto, verecundia magnitudinis ejus, venenum dederunt; quod ille lætus, ac si vicisset, accepit; quæsito prius, *an Lycortas (n) præfectus Achæorum*, quem secundum à se esse scientia rei militaris sciebat, *incolumis effugisset?* Quem ut accepit evasisse, *non in totum* dicens *consultum male Achæis*, exspiravit. Nec multo post, reparato bello, Messenii vincuntur, pœnasque interfecti Philopœmenis pependerunt.

Bellum inter Messenios & Achæos.

Philopœmen captus.

Et veneno interfectus.

Messeniorum clades.

CAP. II. Interea in Syria rex Antiochus, cum gravi tributo pacis, à Romanis victus, oneratus esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu avaritia sollicitatus, qua sperabat se, sub specie tributariæ necessitatis, excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, noctu templum Etymæi (o) Jovis aggreditur. Qua re prodita, concursu insularium (p), cum omni militia interficitur. Romæ, cum multæ Græciæ civitates, questum de injuriis Philippi regis Macedonum venissent, & disceptatio (q) in Senatu inter Demetrium Philippi filium, quem pater ad satisfaciendum Senatui miserat, & legatos civitatium esset; turba querelarum confusus adolescens, repente obticuit. Tunc Senatus verecundia ejus motus, quæ probata etiam antea, cum obses Romæ esset, omnibus fuerat, causam illi donavit: atque ita modestia sua Demetrius veniam patri, non jure defensionis, sed patrocinio pudoris obtinuit. Quod ipsum decreto Senatus significatum est, ut appareret, non tam absolutum regem, quam donatum

Antiochus Syrus interficitur. O. C. 3813. a. C. N. 187. U. C. 566. Ol. 148.

Senatus Romanus Philippo parcit, ob Demetrii filii virtutem.

(g) al. *armari milites suos &c.* (h) al. *Romanos neque si vincantur armis minui, &c.* (i) al. divisere, muneris Romani aptiorem gloriam &c. (k) al. voluntarias. (l) al. Philopœmenes. (m) al. vel. (n) al. *Lygortas.* al. *Lygonias.* (o) al. Didymæi. al. Dodonæi. al. Diadymæi. (p) al. incolarum. al. insularum. (q) al. discrepatio.

(14) Juvabat Ilienses - - - - Contra Romanos) Mutua hæc amicitia Ilienses inter & Romanos, postremos commovit, ut prioribus, Coloniæque in Troadem urbem è Trojæ antiquæ ruderibus extructæ, libertatem, publicarumque operum immunitatem servaverint, ut testatur STRABO Lib. XIII. p. 593. Testari quoque hoc videtur numus Tab. LXX. num. 4. à Troadensibus in Commodum percussus, in quo equus pascens urbem ab omnibus tributis immunem indicat. Conf. VAILLANT. Numism. ær. Impp. T. I. p. 221.

donatum filio patrem. Quæ res Demetrio, non gratiam legationis, sed odium obtrectationis comparavit. Nam & (r) apud fratrem Perseum æmulatio illi invidiam contraxit; & apud patrem nota absolutionis, causa offensæ fuit, indignante Philippo, plus momenti apud Senatum personam filii, quam auctoritatem patris, ac dignitatem regiæ majestatis habuisse. Igitur Perseus perspecta patris ægritudine, quotidie absentem Demetrium apud eum criminari, & primo invisum, post etiam suspectum reddere; nunc amicitiam Romanorum, nunc proditionem ei patris objectare. Ad postremum, insidias sibi ab eo paratas confingit: ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat, & facinus, quod objicit, admittit. Quibus rebus compulso ad parricidium patre, funestam omnem regiam facit.

Demetrio Perseus frater invidet.

Eumque impiis artibus de medio tollit.

CAP. III. Occiso Demetrio, sublatoque æmulo, non negligentior (s) tantum Perseus in patrem, verum etiam contumacior erat; nec heredem regni, sed regem se gerebat. His rebus offensus Philippus, impatientius in dies mortem Demetrii dolebat, tunc & insidiis se (t) circumventum suspicari, testes judicesque torquere. Atque ita cognita fraude, non minus scelere Persei, quam innoxii (u) Demetrii morte præventus fuisset. Nam brevi post tempore, morbo ex ægritudine animi contracto, decessit, relicto magno belli apparatu adversus Romanos, quo postea Perseus usus est. Nam & Gallos Scordiscos ad belli societatem perpulerat; fecissetque Romanis grave bellum, nisi decessisset. Namque Galli bello adversus Delphos infeliciter gesto, in quo majorem vim numinis, quam hostium senserant, amisso Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam extorres fugerant. Inde per eadem vestigia, qua venerant, antiquam patriam repetivere. Ex his manus quædam in confluente Danubii & Savi (x) consedit, *Scordiscosque* se appellari voluit. Tectosagi autem, cum in antiquam patriam Tolosam venissent, comprehensique pestifera lue essent, non prius sanitatem reciperavere, quam aruspicum responsis moniti, aurum argentumque bellis sacrilegiisque quæsitum, in Tolosensem lacum mergerent. Quod omne magno post tempore Cæpio Romanus Consul abstulit. Fuere autem argenti pondo centum millia, auri pondo quinquies decies centum millia. Quod sacrilegium causa excidii Cæpioni exercituique ejus postea fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut ultor sacræ pecuniæ, insecutus est. Ex gente Tectosagorum non mediocris populus, prædæ dulcedine Illyricum repetivit, spoliatisque Istris, in Pannonia consedit. Istrorum gentem fama est originem à Colchis ducere, missis (y) ab Æta rege ad Argonautas, raptoresque filiæ persequendos: qui ut à Ponto intraverunt Istrum, alveo Savi fluminis penitus invecti, vestigia Argonautarum insequentes, naves suas humeris per juga montium, usque ad littus Adriatici maris transtulerunt; cognito quod Argonautæ idem propter magnitudinem navis priores fecissent: quos ut avectos Colchi non reperiunt, sive metu regis, sive tædio longæ navigationis, juxta Aquilejam consedere, Istrique ex vocabulo amnis, quo à mari concesserant, appellati. Daci quoque suboles Getarum sunt; qui, cum, Orole (z) rege, adversus Bastarnas male pugnassent, ad ultionem segnitiæ, capturi somnum capita loco pedum ponere jussu regis cogebantur; ministeriaque uxoribus, quæ ipsis antea fieri solebant, facere. Neque hæc ante mutata sunt, quam ignominiam bello acceptam virtute delerent.

Philippus moritur. O. C. 3820. a. C. N. 180. U. C. 573. Ol. 150.

Gallorum migrationes describuntur.

CAP. IV. Igitur Perseus, cum imperio Philippi patris successisset, omnes has gentes adversus Romanos in societatem belli sollicitabat. Interim inter Prusiam regem, ad quem Annibal, post pacem Antiocho à Romanis datam, profugerat, & Eumenem bellum ortum est; quod Prusias, Annibalis fiducia rupto fœdere, prior intulit. Namque Annibal, cum ab Antiocho Romani, inter ceteras conditiones pacis, deditionem ejus deposcerent, admonitus à rege, in fugam versus, Cretam defertur. Ibi cum diu quietam vitam egisset, invidiosumque se propter nimias opes videret, amphoras plumbo repletas in templo Dianæ, quasi fortunæ suæ præsidia, deponit: atque ideo nihil de illo sollicita civitate, quoniam velut pignus opes ejus tenebat, ad Prusiam contendit, auro suo in statuis, quas secum portabat, infuso, ne conspectæ opes vitæ nocerent. Dein cum Prusias terrestri bello ab Eumene victus esset, & prœlium in mare transtulisset, Annibal novo commento auctor victoriæ fuit. Quippe omne serpentium genus in fictiles lagenas conjici jussit, medioque prælio in naves hostium mitti (a). Id primum Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed ubi serpentibus repleri naves cœpere, ancipiti periculo circumventi, hosti victoriam cessere. Quæ ubi Romam nuntiata sunt; missi à Senatu legati sunt, qui utrumque regem in pacem cogerent, Annibalemque deposcerent. Sed Annibal re cognita, sumpto veneno, legationem morte prævenit. Insignis hic annus trium toto orbe maximorum imperatorum mortibus fuit; Annibalis, & Philopœmenis, & Scipionis Africani. Ex quibus constat, Annibalem, nec tum, cum Romano tonantem bello Italia contremuit (b), nec cum reversus Carthaginem summum imperium tenuit; aut cubantem cœnasse, aut plus quam sextario vini indulsisse; pudicitiamque eum tantam inter tot captivas habuisse, ut in Africa natum quivis negaret. Moderationis certe ejus fuit, ut cum diversarum gentium exercitus rexerit; neque insidiis suorum militum sit petitus unquam, neque fraude proditus, quum utrumque hostes sæpe tentassent.

Perseus Gallos in societatem pertrahit.

Bellum inter Prusiam & Eumenem.

In quo Prusias Annibalis opera superior evadit.

Annibal veneno sumpto moritur. O. C. 3816. a. C. N. 284. U. C. 569. Ol. 149.

Ejus elogium.

(r) alii τὸ & omittunt. (s) al. neglectior. (t) alii τὸ se omittunt. (u) al. innoxia. (x) al. Sabi. (y) al. missos. (z) al. Orode. (a) al. mittit. (b) al. nec cum Italia Romano tonante bello contremuit.

LIBER

LIBER XXXIII.

CAPUT I.

Bellum Macedonicum. O. C. 3828. a. C. N. 172. U. C. 581. Ol. 152.

MInore quidem rerum motu Romani Macedonicum, quam Punicum bellum gesserunt; sed tanto clarius, quanto nobilitate Macedones Pœnos antecesserunt. Quippe cum gloria Orientis domiti, tum & auxiliis omnium regum juvabantur. Itaque Romani & legiones plures numero conscripserunt; & auxilia à Masinissa rege Numidarum, ceterisque sociis omnibus acciverunt (*c*), & Eumeni regi Bithyniæ denuntiatum, ut bellum summis viribus juvaret. Perseo, præter Macedonicum invictæ opinionis exercitum, decennis belli sumptus, à Patre paratus, in thesauris & horreis erat. Quibus rebus inflatus, oblitus fortunæ paternæ, veterem Alexandri gloriam considerare suos jubebat. Prima equitum congressio fuit, qua victor Perseus suspensam omnium exspectationem in favorem sui traxit: misit tamen legatos ad Consulem, qui pacem peterent, quam patri suo Romani etiam victo dedissent, impensas belli lege victi suscepturus. Sed Consul Sulpitius non minus graves quam victo leges dixit. Dum hæc aguntur, metu tam periculosi belli, Romani Æmilium Paulum Consulem creant, eique extra ordinem Macedonicum bellum decernunt: qui cum ad exercitum venisset, non magnam moram pugnæ fecit. Pridie quam prælium (*d*) consereretur, luna nocte defecit; triste id ostentum Perseo omnibus præsagientibus, finemque Macedonici regni portendi vaticinantibus.

Quod Æmilius Paulus prosequitur.

M. Catonis virtus bellica.


CAP. II. In ea pugna M. Cato, Catonis oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, equo delapsus, pedestre prælium aggreditur. Nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore, veluti jacentem obtruncaturus, circumsteterat: at ille citius corpore collecto, magnas strages edidit. Quum ad unum opprimendum undique hostes convolarent, dum procerum quendam petit, gladius ei è manu elapsus, in mediam cohortem hostium decidit. Ad quem reciperandum umbone se protegens, inspectante utroque exercitu, inter mucrones se hostium immersit; recollectoque gladio multis vulneribus exceptis, ad suos (*e*) cum clamore hostium (*f*) revertitur. Hujus audaciam ceteri imitati, victoriam peperere. Perseus rex fuga cum decem millibus talentum Samothraciam defertur; quem Cnæus Octavius, ad persequendum missus à Consule cum duobus filiis, Alexandro & Philippo, cepit; captumque ad Consulem duxit. Macedonia à Carano, qui primus in ea regnavit, usque Persen triginta reges habuit. Quorum sub regno fuit quidem annis nongentis & viginti tribus; sed rerum non nisi centum nonaginta duobus annis potita. Ita cum in ditionem (*g*) Romanorum cessisset, magistratibus per singulas civitates constitutis, libera facta est; legesque, quibus adhuc utitur, à Paulo accepit. Ætolorum universarum urbium Senatus, cum conjugibus & liberis, qui dubia fide fuerant; Romam missis, ibique, ne in patria aliquid novaret, diu detentus (*h*), ægreque per multos annos legationibus civitatium Senatu fatigato, in patriam quisque suam remissus est.

Perseus à Romanis vincitur & cum filiis capitur.

Macedonia in provinciam redigitur.

Ætolique opprimuntur. O. C. 3831. a. C. N. 169. U. C. 584. Ol. 152.

(*c*) al. acceperunt. (*d*) al. bellum. (*e*) al. ad socios. (*f*) al. omnium. (*g*) al. Itaque in ditionem &c. (*h*) al. diu tentus.



LIBER



LIBER XXXIV.

CAPUT I.

POenis ac Macedonibus ſubactis, Ætolorum viribus principum captivitate debilitatis, ſoli adhuc ex Græcia univerſa Achæi nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur; non propter ſingularum civitatium nimias opes, ſed propter conſpirationem univerſarum. Namque Achæi, licet per civitates veluti per membra, diviſi ſint, unum tamen corpus & unum imperium habent; ſingularumque urbium pericula mutuis viribus propulſant. Quærentibus igitur Romanis cauſas belli, tempeſtive fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achæi propter mutuum odium populabantur. Spartanis à Senatu reſponſum eſt, *legatos ſe ad inſpiciendas res ſociorum; & ad injuriam demendam in Græciam miſſuros*: ſed legatis occulta mandata data ſunt, ut corpus Achæorum diſſolverent, ſingulasque urbes proprii juris facerent, quo facilius ad obſequia cogerentur; &, ſi quæ urbes contumaces eſſent, frangerentur (*i*). Igitur legati, omnium civitatium principibus Corinthum evocatis, decretum Senatus recitant; quid conſilii habeant, aperiunt. *Expedire omnibus* dicunt, *ut ſingulæ civitates ſua jura & ſuas leges habeant.* Quod ubi omnibus innotuit, velut in furorem verſi; univerſum peregrinum populum trucidant: legatos quoque ipſos Romanorum violaſſent, niſi audito tumultu, trepidi fugiſſent.

Romani in Achæos cauſas belli quærunt, & inveniunt.

Achæorum cruenta ſeditio.

CAP. II. Hæc ubi Romæ nuntiata ſunt, ſtatim Senatus Mummio Conſuli bellum Achaicum decernit: qui extemplo exercitu deportato, & omnibus ſtrenue proviſis, pugnandi copiam hoſtibus fecit. Sed Achæi, velut nihil negotii Romano bello ſuſcepiſſent, ita apud eos neglecta omnia & ſoluta fuere. Itaque prædam, non prælium cogitantes, & vehicula ad ſpolia hoſtium reportanda duxerunt; & conjuges liberosque ſuos, ad ſpectaculum certaminis, in montibus poſuerunt. Sed prælio commiſſo, ante oculos ſuorum cæſi, lugubre his ſpectaculum, & gravem luctus memoriam reliquerunt. Conjuges quoque liberique eorum, de ſpectatoribus captivi facti, præda hoſtium fuere. Urbs ipſa Corinthus diruitur, populus omnis ſub corona venditur: ut hoc exemplo (*k*) ceteris civitatibus metus novarum rerum imponeretur. Dum hæc aguntur, rex Syriæ Antiochus Ptolemæo, majoris ſororis ſuæ filio, regi Ægypti, bellum infert, ſegni admodum, & quotidiana luxuria ita marcenti, ut non ſolum regiæ majeſtatis officia intermitteret, verum etiam ſenſu hominis nimia ſagina careret. Pulſus igitur regno, ad fratrem minorem Ptolemæum Alexandriam confugit, participatoque cum eo regno, legatos Romam ad Senatum mittunt, auxilia petunt, fidem ſocietatis implorant. Movere Senatum preces fratrum.

Bellum Achaicum.

In quo Achæi opprimuntur.

Et Corinthus evertitur. O. C. 3853. a. C. N. 147. U. C. 606. Ol. 158.

Ptolemæus Ægypto pulſus, à Romanis auxilium petit.

CAP. III. Mittitur itaque legatus Popilius ad Antiochum, *qui abſtinere illum Ægypto*, *aut ſi jam inceſſiſſet, excedere* juberet. Cum in Ægypto eum inveniſſet, oſculumque ei rex obtuliſſet (nam coluerat inter ceteros Popilium Antiochus cum Romæ obſes eſſet) tunc Popilius *faceſſere interim privatam amicitiam* jubet, *cum mandata patriæ intercedant*; prolatoque Senatus decreto, & tradito, cum cunctari eum videret, conſultationemque ad amicos referre; ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo incluſum, ut & amicos caperet, *conſulere* jubet (*l*); *nec prius inde exire, quam reſponſum Senatui daret, aut pacem, aut bellum cum Romanis habiturum.* Adeoque hæc aſperitas (*m*) animum regis fregit, *ut pariturum ſe Senatui* reſponderet. Reverſus in regnum Antiochus, decedit relicto parvulo admodum filio (*n*): cui cum

Romanorum ad Antiochum Syrum legatio.

Antiochus moritur. O.C. 3836. a. C. N. 164. U.C. 589. Ol. 154.

(*i*) al. trajicerentur. (*k*) al. ut ex hoc exemplo. (*l*) al. incluſum *amicos capere & conſulere* jubet. (*m*) al. auſteritas. (*n*) al. filio nomine Eupatore.

cum tutores dati à populo essent, patruus ejus Demetrius, qui obses Romæ erat, cognita morte Antiochi fratris, Senatum adiit, *Obsidemque se vivo fratre venisse: quo mortuo, cujus obses sit, se ignorare. Dimitti igitur se ad regnum petendum æquúm esse, quod, sicuti jure gentium majori fratri cesserit, ita nunc sibi, qui pupillum ætate antecedat, deberi.* Cum se non dimitti animadverteret à Senatu, tacito judicio, tutius apud pupillum quam apud eum regnum futurum arbitrante; specie venandi ab Urbe profectus, Hostiæ tacitus, cum fugæ comitibus navem conscendit. Delatus in Syriam, secundo favore omnium excipitur; regnumque ei, occiso pupillo, à tutoribus (*o*) traditur.

Cujus frater Demetrius Roma profugus regno potitur.

CAP. IV. Eodem fere tempore Prusias, rex Bithyniæ, consilium cepit interficiendi Nicomedis filii, dum consulere studet minoribus filiis, quos ex noverca ejus susceperat, & Romæ habebat. Sed res adolescenti ab his, qui facinus susceperant, proditur; hortatique sunt, *ut crudelitate Patri provocatus occupet insidias, & in auctorem retorqueat scelus.* Nec difficilis persuasio fuit. Igitur cum accitus in patris regnum venisset statim rex appellatur. Prusias regno spoliatus à filio, privatusque redditus, etiam à servis deseritur. Cum in latebris ageret, non minori scelere, quam filium occidi jusserat, à filio interficitur.

Prusias Rex Bithyniæ Nicomedem filium interficere studet.

A quo regno & vita privatur. O.C. 3851. a. C.N. 149. U.C. 604. Ol. 157.

LIBER XXXV.

CAPUT I.

Demetrius bella quærens.

DEmetrius, occupato Syriæ regno, novitati suæ otium periculosum ratus, ampliare fines regni, & opes augere finitimorum bellis statuit. Itaque Ariarathi, regi Cappadociæ, propter fastiditas sororis nuptias infestus, fratrem ejus Orofernem, per injuriam regno pulsum, supplicem recepit, datumque sibi honestum belli titulum gratulatus, restituere eum in regnum statuit. Sed Orofernes ingrato animo, inita cum Antiochensibus pactione, offensis tunc Demetrio, pellere ipsum regno, à quo restituebatur, consilium cepit. Quo cognito, Demetrius vitæ quidem ejus, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercit; ipsum autem comprehensum, vinctum Seleuciæ custodiri jubet. Nec Antiochenses indicio territi, à defectione destiterunt. Itaque adjuvantibus & Ptolemæo rege Ægypti, & Attolo rege Asiæ, & Ariarathe Cappadociæ, bello à Demetrio lacessiti (*p*), subornant Balam quendam (*q*), sortis extremæ juvenem, qui Syriæ regnum velut paternum armis repeteret; & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei *Alexandri* inditur, genitusque ab Antiocho rege dicitur. Tantum odium Demetrii apud omnes erat, ut æmulo ejus non vires regiæ tantum, verum etiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur. Igitur Alexander, admirabili rerum varietate pristinarum sordium oblitus, totius ferme Orientis viribus succinctus, bellum Demetrio infert, victumque vita pariter ac regno spoliat. Quanquam nec Demetrio animus in propulsando bello defuit. Nam & primo prælio hostem fugavit, & regibus bellum restituentibus, multa millia in acie cecidit. Ad postremum tamen, invicto animo inter confertissimos fortissime dimicans, cecidit.

Ab Alexandro quodam regno & vita spoliatur. O.C. 3851. a. C. N. 149. U. C. 604. Ol. 157.

CAP. II. Initio belli Demetrius, duos filios apud Gnidium hospitem suum, cum magno auri pondere commendaverat, ut belli periculis eximerentur, & si ita fors tulisset, paternæ ultioni servarentur. Ex his major Demetrius annos pubertatis egressus, audita Alexandri luxuria, quem insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum (*r*) inter scortorum greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus, securum ac nihil hostile metuentem, aggreditur. Antiochenses quoque, veterem patris offensam novis meritis correcturi, se ei tradunt; sed & milites paterni, favore juvenis accensi, prioris sacramenti religionem novi regis superbiæ præferentes, signa ad Demetrium transferunt; atque ita Alexander non minori impetu fortunæ destructus, quam elatus, primo prælio, victus interficitur; deditque pœnas, & Demetrio, quem occiderat; & Antiocho, cujus mentitus originem fuerat.

Demetrius filius.

Alexandrum vincit & interficit. O. C. 3855. a. C. N. 145. U. C. 608. Ol. 158.

LIBER XXXVI.

CAPUT I.

Demetrii segnitia.

REciperato paterno regno Demetrius, & ipse rerum successu corruptus, vitiis adolescentiæ in segnitiam labitur; tantumque contemptum apud omnes inertiæ, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit. Itaque cum ab imperio ejus passim civitates deficerent, ad abolendam segnitiæ maculam, bellum Parthis inferre statuit: cujus adventum, non inviti Orientis populi videre; & propter Arsacidæ, regis Parthorum crudelitatem, & quod veteri Macedonum imperio assueti, novi populi superbiam indigne ferebant. Itaque cum & Persarum & Elymæorum, Bactrianorumque auxiliis juvaretur, multis præliis Parthos fudit. Ad postremum tamen, pacis simulatione deceptus, capitur; tradu-

Bellum Parthis impune infert Demetrius.

Sed infeliciter prosequitur.

(*o*) al. occiso pupillo & tutoribus. (*p*) al. lacessitis. (*q*) al. subornant propalam quendam. (*r*) al. captivum.

traductusque per ora civitatium, populis qui desciverant, in ludibrium favoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam, benigne & juxta cultum pristinæ fortunæ habetur. Dum hæc aguntur, interim in Syria Trypho, qui se tutorem Antiocho, Demetrii privigno, substitui à populo laboraverat, occiso pupillo, regnum Syriæ invadit. Quo diu potitus, tandem exolescente favore recentis imperii, ab Antiocho pueroadmodum, Demetrii fratre, qui in Asia educabatur, bello vincitur; rursusque regnum Syriæ ad subolem Demetrii revertitur. Igitur Antiochus, memor quod & pater propter superbiam invisus, & frater propter segnitiam contemptus fuisset, ne in eadem vitia incideret, recepta in matrimonium Cleopatra, uxore fratris, civitates, quæ vitio (s) fraterni imperii defecerant, summa industria persequitur, domitasque rursus regni terminis adjicit. Judæos quoque (t) qui in Macedonico imperio sub Demetrio patre armis se in libertatem vindicaverant, subigit. Quorum vires tantæ fuere, ut post hunc nullum Macedonum regem attulerint, domesticisque imperiis usi, Syriam magnis bellis infestaverint.

Turbæ in Syria.

Ubi Trypho ab Antiocho Demetrii fratre opprimitur.

Antiochus fratris uxorem Cleopatram ducit. O. C. 3862. a. C. N. 138. U. C. 615. Ol. 160.

Judæos subigit.

CAP. II. Namque Judæis origo Damascena, Syriæ nobilissima civitas; unde & Assyriis regibus genus, ex regina Semirami, (u) fuit. (15) Nomen urbi à Damasco rege inditum; in cujus honorem Syrii sepulcrum Arathis uxoris ejus pro templo coluere, deamque exinde sanctissimæ religionis habent. Post Damascum Azelus, mox Adores & Abraham, & Israhel reges fuere. Sed Israhelem felix decem filiorum proventus majoribus suis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna divisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Judæ, qui post divisionem decesserat, *Judæos* appellavit; colique ejus memoriam ab omnibus jussit, cujus portio (x) omnibus accesserat. Minimus ætate inter fratres Joseph fuit; cujus excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum, peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, brevi ipsi regi percarus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit; nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur: adeo, ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit; periissetque omnis Ægyptus fame, nisi monitu ejus rex edicto servari per multos annos fruges jussisset; tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur. Filius ejus Moses fuit, quem præter paternæ scientiæ hereditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptii, quum scabiem & vitiliginem (y) paterentur, responso moniti, eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit: quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt. Itaque Moses Damascena antiqua patria repetita, montem Synæ (z) occupat; quo septem dierum jejunio, per deserta Arabiæ, cum populo suo fatigatus, cum tandem venisset, septimum diem, more gentis *Sabbatum* appellatum, in omne ævum jejunio sacravit, quoniam illa dies famem illis erroremque finierat. Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminerant, ne eadem causa invisi apud incolas forent, caverunt, ne cum peregrinis communicarent (a): quod ex causa factum, paulatim in disciplinam religionemque convertit. Post Mosen etiam filius ejus Arvas, sacerdos sacris Ægyptiis, mox rex creatur; semperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem reges & sacerdotes haberent; quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere (b).

Judæorum origo.

Incrementum.

Exitus ex Ægypto. O. C. 3513. a. C. N. 487. U. C. 266. Ol. 73.

CAP. III. Opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur. Est namque vallis, quæ continuis montibus, veluti muro quodam, ad instar castrorum clauditur. Spatium loci ducenta jugera (c), nomine Hierichus dicitur. In ea valle silva est, & ubertate & amœnitate insignis, siquidem palmeto & opobalsameto distinguitur. Arbores opobalsami, formam similem piceis arboribus habent, nisi quod sunt humiles magis & in vinearum morem excoluntur. Hæc certo anni tempore balsamum sudant. Sed non minor loci ejus apricitatis quam ubertatis admiratio est; quippe cum toto orbe regionis ejus ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quædam ac perpetua apricitas inest. In ea regione lacus est, Asphaltites, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem, *mortuum mare* dicitur. Nam neque ventis movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur; neque navigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur; nec materiam ullam sustinet, nisi qua alumine illinatur (d). Primum (e) Xerxes rex Persarum Judæos domuit; postea cum ipsis Persis in ditionem Alexandri Magni venere diuque in potestate Macedonici imperii subjecti Syriæ regno fuere. A Demetrio cum descivissent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.

Judæorum opes.

Mare Mortuum.

A quibus Judæi domiti.

CAP. IV. Per eadem tempora, quibus in Syria regni mutatio inter novos reges alternabatur, in Asia rex Attalus florentissimum ab Eumene patruo acceptum regnum, cædibus amicorum & cognatorum suppliciis fœdabat, nunc matrem anum, (f), nunc Berenicen sponsam maleficiis eorum necatas confingens. Post hanc scelestam violentiæ rabiem, squalidam vestem sumit;

Attali Asiæ regis facinora.

(s) al. initio. (t) al. Judæosque. (u) al. & reginæ Semiramidi. (x) al. jussit, ut ejus portio &c. (y) al. pruriginem. al. porriginem. (z) al. montem Synan. al. montem Synæum. (a) al. conviverent. (b) al. convaluere. (c) al. ducenta millia jugera. (d) al. illustratur. (e) al. Primus. (f) al. matrem manu.

(15) Nomen urbi à Damasco rege inditum) Alii nomen hujus urbis ab Asco, puero exposito & à Dama nutrito derivant; quod & numus Tab. LXX. num. 5. Coloniæ Damascenæ innuere videtur. Conf. VAILLANT Numism. ær. Impp. T. II. p. 161.

ſumit; barbam capillumque in modum reorum ſummittit; non in publicum prodire, non populo ſe oſtendere, non domi lætiora convivia inire, aut aliquod ſignum ſani hominis habere, prorſus ut pœnas pendere manibus interfectorum videretur. Omiſſa deinde regni adminiſtratione, hortos fodiebat, gramina ſeminabat, & noxia innoxiis permiſcebat, eaque omnia veneni ſucco infecta, velut peculiare munus amicis mittebat. Ab hoc ſtudio, ærariæ artis fabricæ ſe tradit, ceriſque fingendis, & ære fundendo procudendoque oblectabatur.

Mors. O. C. 3867. a. C. N. 133. U. C. 619. Ol. 161.

Matri deinde ſepulchrum facere inſtituit: cui operi intentus, morbum ex ſolis fervore contraxit, & ſeptima die deceſſit.

Et teſtamentum.

Hujus teſtamento heres populus Rom. tunc inſtituitur.

Quod Ariſtonicus impugnat.

Sed erat ex Eumene Ariſtonicus, non juſto matrimonio, ſed ex pellice Epheſia cithariſtæ cujuſdam filia genitus, qui poſt mortem Attali, velut paternum regnum Aſiam invaſit. Cum multa ſecunda prælia adverſus civitates, quæ metu Romanorum tradere ſe ei nolebant, feciſſet; juſtuſque rex jam videretur, Aſia Licinio Craſſo Conſuli decernitur; qui intentior Attalicæ prædæ, quam bello, quum extremo anni tempore inordinata acie prælium conſeruiſſet, victus pœnas inconſultæ avaritiæ ſanguine dedit.

Craſſum vincit.

In hujus locum miſſus Perpenna (g) Conſul, prima congreſſione Ariſtonicum ſuperatum in poteſtatem ſuam redegit; Attalicaſque gazas, hereditarias Populi Romani, navibus impoſitas, Romam deportavit.

Sed à Perpenna ſuperatur.

Quod ægre ferens ſucceſſor ejus M. (h) Aquilius Conſul, ad eripiendum Ariſtonicum Perpennæ, velut ſui potius triumphi munus eſſe deberet, feſtinata velocitate contendit. Sed contentionem Conſulum mors Perpennæ diremit. Sic Aſia Romanorum facta, cum opibus ſuis vitia quoque Romam tranſmiſit.

Aſia Romanorum fit propria.

LIBER XXXVII.

CAPUT I.

Maſſilienſium in Phocenſes beneficentia.

CApto Ariſtonico, Maſſilienſes pro Phocenſibus conditoribus ſuis, quorum urbem Senatus & omne nomen, quod & tunc & antea Antiochi bello, infeſta contra Populum Romanum arma tulerant, deleri juſſerat; legatos Romam deprecatum miſere; veniamque his à Senatu obtinuere. Poſt hæc regibus, qui adverſus Ariſtonicum auxilia tulerant, præmia perſoluta; Mithridati Pontico Phrygia major; (i) filiis Ariarathis regis Cappadociæ, qui eodem bello occiderat, Lycaonia & Cilicia datæ; fideliorque Populus Romanus in ſocii filios, quam mater in liberos fuit: quippe hinc parvulis auctum regnum, inde vita adempta.

Laudices ſævitia in proprios filios.

Namque Laudice ex numero ſex filiorum, quos virilis ſexus ex Ariarathe rege ſuſceperat, timens ne non diutinam regni adminiſtrationem adultis quibuſdam potiretur (k), quinqne parricidiali veneno necavit: unum parvulum ſceleri matris cognatorum cuſtodia eripuit, qui poſt necem Laudices (nam propter crudelitatem, eam populus exſtinxerat) ſolus regno potitus eſt. Mithridates quoque repentina morte interceptus filium, qui & ipſe Mithridates dictus eſt, reliquit.

Mithridatis Regis Ponti elogium.

Cujus ea poſtea magnitudo fuit, ut non ſui tantum temporis, verum etiam ſuperioris ætatis omnes reges majeſtate ſuperaverit, bellaque cum Romanis per XLVI. annos varia victoria geſſerit: cum eum ſummi imperatores, Sulla, Lucullus, ceterique, in ſumma Cnæus Pompejus ita vicerint, ut major clariorque in reſtaurando bello reſurgeret, damniſque ſuis terribilior redderetur. Denique ad poſtremum, non vi hoſtili, ſed (l) voluntaria morte, in avito regno, ſenex, herede filio, deceſſit.

Ejus futura magnitudo prædicitur.

CAP. II. Hujus futuram magnitudinem etiam cœleſtia oſtenta prædixerant. Nam & eo quo (m) genitus eſt anno, & eo quo regnare primum cœpit, ſtella cometes per utrumque tempus ſeptuaginta diebus ita luxit, ut cœlum omne flagrare (n) videretur. Nam & magnitudine ſui quartam partem cœli occupaverat; & fulgore ſui, ſolis nitorem vicerat; & cum oriretur occumberetque quatuor ſpatium horarum conſumebat.

Ab inſidiis liberatur.

Puer tutorum inſidias paſſus eſt, qui eum fero equo impoſitum equitare jaculari que cogebant: qui conatus cum eos fefelliſſent, ſupra ætatem regente equum Mithridate, veneno eum appetivere. Quod metuens, antidota ſæpius bibit, & ita ſe adverſus inſidias exquiſitioribus remediis (o) ſtagnavit, ut ne volens quidem ſenex veneno mori potuerit. Timens deinde, ne inimici, quod veneno non potuerant, ferro peragerent, venandi ſtudium finxit, quo per ſeptem annos neque urbis neque ruris tecto uſus eſt; ſed per ſilvas vagatus, diverſis montium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus, quibus eſſet locis; aſſuetus feras curſu aut fugere (p), aut perſequi, cum quibuſdam etiam, viribus congredi. Quibus rebus, & inſidias vitavit, & corpus ad omnem virtutis patientiam duravit.

Ejus occupationes.

CAP. III. Ad regni deinde adminiſtrationem cum acceſſiſſet, ſtatim non de regendo, ſed de augendo regno cogitavit.

Scythas domat.

Itaque Scythas, invictos antea, qui Sopyriona, Alexandri Magni ducem, cum triginta millibus armatorum deleverant; qui Cyrum Perſarum regem, cum ducentis millibus trucidaverant; qui Philippum Macedonum regem fugaverant, ingenti felicitate perdomuit. Auctus igitur viribus, Pontum quoque, ac deinceps Cappadociam occupavit.

Cappadociam occupat. O. C. 3910. a. C. N. 90. U. C. 663. Ol. 172.

Cum de Aſia tractaret, tacitus cum quibuſdam amicis regno profectus, univerſam nemine ſciente pervagatus eſt, omniumque urbium ſitum ac regiones cognovit.

Ejus peregrinationes.

Inde Bithyniam tranſcendit, & quaſi dominus Aſiæ, oppor-

(g) al. Perperna. (h) al. Manius. al. Marcus. (i) al. Syria major. (k) al. pateretur. (l) al. non vi hoſtili victus, ſed &c. (m) al. Nam & quo &c. (n) al. conflagrare. (o) al. exquiſitis tutioribus remediis. (p) al. fugare.

opportuna quæque victoriæ ſuæ metatus eſt. Poſt hæc in regnum, cum jam periiſſe crederetur, reverſus eſt, invento parvulo filio, quem per abſentiam ejus Laudice ſoror uxorque enixa fuerat. Sed inter gratulationem adventus ſui, & filii geniti, veneno periclitatus eſt. Siquidem Laudice ſoror, cum periſſe eum crederet, in concubitus amicorum projecta, quaſi admiſſum facinus majore ſcelere tegere poſſet, venenum advenienti paravit. Quod cum ex ancilla Mithridates cognoviſſet, facinus in auctores vindicavit.

Domi ab uxore periculum.

CAP. IV. Hieme deinde appetente (*q*), non in convivio, ſed in campo; non in vacationibus (*r*) ſed in exercitationibus; nec inter ſodales, ſed inter æquales (*s*), aut equo, aut curſu aut viribus contendebat. Exercitum quoque ſuum ad parem laboris patientiam quotidiana exercitatione durabat; atque ita invictus ipſe inexpugnabilem exercitum fecerat. Inita deinde cum Nicomede ſocietate, Paphlagoniam invadit, victamque cum ſocio dividit. Quam cum teneri à regibus Senatui nuntiatum eſſet, legatos ad utrumque miſit, *qui gentem reſtitui in priſtinum ſtatum* juberent. Mithridates cum ſe jam parem magnitudini Romanorum crederet, ſuperbo reſponſo, *hereditarium patri ſuo regnum obveniſſe*, reſpondit; *mirarique ſe, quod quæ ei* (*t*) *relata controverſia non fuerit, ſibi referatur*. Nec territus minis, Galatiam quoque occupat. Nicomedes, quoniam ſe tueri jure non potuerat, *juſto regi redditurum* reſpondit. Atque ita filium ſuum mutato nomine, Pylæmenem (*u*) Paphlagonum regum nomine appellat, & quaſi ſtirpi regiæ reddidiſſet regnum, falſo nomine tenet. Sic ludibrio habiti legati Romam revertuntur.

Exercitia militaria.

Paphlagoniam occupat.

Et Galatiam.

Filium Paphlagonum regem facit.

LIBER XXXVIII.

CAPUT I.

Mithridates regni ſui auſpicia parricidiis pollet.

Mithridates parricidia à (*x*) nece uxoris auſpicatus, ſororis alterius Laudices filios, cujus virum Ariarathem, regem Cappadociæ, per Gordium inſidiis occiderat, tollendos ſtatuit; nihil actum morte patris exiſtimans, ſi adoleſcentes paternum regnum, cujus ille cupiditate flagrabat, occupaſſent. Igitur dum in his cogitationibus verſatur, interim Nicomedes rex Bithyniæ vacuam morte regis Cappadociam invadit. Quod cum nuntiatum Mithridati fuiſſet, per ſimulationem pietatis auxilia ſorori ad expellendum Cappadocia Nicomedem (*y*) mittit. Sed jam Laudice per pactionem ſe Nicomedi in matrimonium tradiderat. Quod ægre ferens Mithridates, præſidia Nicomedis Cappadocia expellit, regnumque ſororis filio reſtituit; egregium prorſus factum, ni ſubſequuta fraus eſſet. Siquidem interjectis menſibus ſimulat, ſe Gordium, quo miniſtro uſus in Ariarathe interficiendo fuerat, reſtituere in patriam velle, ſperans, ſi obſideret adoleſcens, cauſas belli futuras, aut, ſi permitteret per eundem filium tolli poſſe, per quem interfecerat patrem. Quod ubi Ariarathes junior moliri cognovit, graviter ferens interfectorem patris per avunculum potiſſimum ab exilio revocari, ingentem exercitum contrahit. Igitur cum in aciem eduxiſſet Mithridates peditum octoginta millia, equitum decem millia, currus falcatos DC; nec Ariarathi, auxiliantibus finitimis regibus, minores copiæ eſſent, incertum belli timens, conſilia ad inſidias transfert; ſollicitatoque juvene ad colloquium, cum ferrum occultatum inter faſcias gereret, ſcrutatori ab Ariarathe regio more miſſo, curioſius imum ventrem pertractanti, ait, *Caveret, ne aliud telum inveniret, quam quæreret*. Atque ita riſu protectis inſidiis, ſe vocatum (*z*) ab amicis velut ad ſecretum ſermonem inſpectante utroque exercitu, interficit; regnum Cappadociæ octo annorum filio, impoſito *Ariarathis* nomine, additoque ei rectore Gordio, tradidit.

Callidis artibus Ariarathem Cappadocem trucidat.

CAP. II. Sed Cappadoces, crudelitate ac libidine præfectorem vexati, à Mithridate deficiunt: fratremque regis, & ipſum Ariarathem nomine, ab Aſia, ubi educabatur, revocant: cum quo Mithridates prælium renovat victumque Cappadociæ regno expellit. Nec multo poſt adoleſcens, ex ægritudine collecta infirmitate, decedit. Poſt hujus mortem Nicomedes timens, ne Mithridates acceſſione Cappadociæ etiam Bythyniam finitimam invaderet, ſubornat puerum eximiæ pulchritudinis, quaſi Ariarathes tres, non duos filios genuiſſet, qui à Senatu Romano paternum regnum peteret. Uxorem quoque Laudicen Romam mittit, ad teſtimonium trium ex Ariarathe ſuſceptorum filiorum. Quod ubi Mithridates cognovit, & ipſe pari impudentia Gordium Romam mittit, qui Senatui aſſeveret (*a*), *puerum, cui Cappadociæ regnum tradiderat, ex eo Ariarathe genitum, qui bello Ariſtonici auxilia Romanis ferens ceci-diſſet*. Sed Senatus, ſtudio regum intellecto, aliena regna falſis nominibus furantium, & Mithridati Cappadociam, & Nicomedi, ad ſolatium ejus, Paphlagoniam ademit. Ac ne contumelia regum foret, ademptum illis, quod daretur aliis, uterque populus libertate donatus eſt. Sed Cappadoces munus libertatis abnuentes, negant *vivere gentem ſine rege poſſe*. Atque ita rex illis à Senatu Ariobarzanes conſtituitur.

Cappadoces à Mithridate deficiunt.

A Romanis Ariobarzanem regem accipiunt.

CAP. III. Erat eo tempore Tigranes, rex Armeniæ, obſes Parthis ante multum (*b*) temporis datus, ſed olim (*c*) ab iiſdem in regnum paternum remiſſus. Hunc Mithridates mire ad ſocietatem Romani belli, quod olim meditabatur, pellicere cupiebat. Nihil igitur de offen-

Mithridates Tigranem Regem Armeniæ in ſocietatem belli adverſus Romanos trahit.

(*q*) al. imminente. (*r*) al. advocationibus. (*s*) al. coæquales. (*t*) alii τὸ *quæ* omittunt. (*u*) al. Philiamenem. (*x*) alii præpoſitionem à omittunt. (*y*) al. Nicomedem Cappadocia. (*z*) al. evocatum. (*a*) al. aſſereret. (*b*) al. ante non multum. (*c*) al. nec olim.

offenſa Romanorum ſentientem, per Gordium impellit, ut Ariobarzani, ſegni admodum, bellum inferat; & ne quis dolus ſubeſſe videretur, filiam ſuam ei Cleopatram in matrimonium tradit. Primo igitur adventu Tigranis, Ariobarzanes ſublatis rebus ſuis, Romam contendit. Atque ita per Tigranem rurſus Cappadocia juris eſſe Mithridatis cœpit. Eodem tempore mortuo Nicomede, etiam filius ejus & ipſe Nicomedes regno à Mithridate pellitur: qui cum ſupplex Romam veniſſet, decernitur in Senatu, ut uterque in regnum reſtituantur; in quod tum miſſi Aquilius & Manlius Maltinus (*d*) legati. His cognitis Mithridates ſocietatem cum Tigrane, bellum adverſus Romanos geſturus, jungit: pactique inter ſe ſunt, ut urbes agrique Mithridati, homines vero & quæcunque auferri poſſent, Tigrani cederent. Poſt hæc Mithridates intellecto (*e*), quantum bellum ſuſcitaret, legatos ad Cimbros, alios ad Gallogræcos, & Sarmatas, Baſtarnaſque, auxilium petitum mittit. Nam omnes has gentes Romanum meditabundus bellum, variis beneficiorum muneribus jam ante illexerat. Ab Scythia quoque exercitum venire jubet, omnemque Orientem adverſus Romanos armat. Non magno igitur labore Aquilium & Maltinum Aſiano exercitu inſtructos vincit; quibus ſimul cum Nicomede pulſis, ingenti favore civitatium excipitur; multum ibi auri argentique, ſtudio veterum regum, magnumque belli apparatum invenit; quibus inſtructus, debita civitatibus publica privataque remittit, & vacationem quinquennii (*f*) concedit. Tunc ad concionem milites vocat, eoſque variis exhortationibus ad Romana bella ſive Aſiana incitat. Quam orationem dignam duxi, cujus exemplum brevitati hujus operis infererem, quam obliquam Pompejus Trogus expoſuit, quoniam in Livio & in Salluſtio reprehendit, quod conciones directas pro ſua oratione operi ſuo inſerendo, hiſtoriæ modum exceſſerint.

Aliosque populos.

Quorum auxilio Romanos Proconſules vincit. O. C. 3912. a. C. N. 88. U. C. 665. Ol. 173.

CAP. IV. *Optandum ſibi fuiſſe*, ait, *ut de eo liceret conſulere, bellumne ſit cum Romanis, an pax habenda: quin vero ſit reſiſtendum impugnantibus, nec eos quidem dubitare, qui ſpe victoriæ careant. Quippe adverſus latronem, ſi nequeant pro ſalute, pro ultione tamen ſua, omnes ferrum ſtringere. Ceterum quia non id agitur, an liceat quieſcere, non tantum animo hoſtiliter, ſed etiam prælio congreſſis, conſulendum, qua ratione ac ſpe cœpta bella ſuſtineant. Eſſe autem ſibi victoriæ fiduciam, ſi ſit illis animus: Romanoſque vinci poſſe, cognitum non ſibi magis, quam ipſis militibus, qui & in Bithynia Aquilium & Maltinum in Cappadocia fuderint. At ſi quem aliena magis exempla, quam ſua experimenta moveant, audire ſe, à Pyrrho rege Epiri, non amplius quam quinque millibus Macedonum inſtructo, fuſos tribus præliis Romanos. Audire, Annibalem ſexdecim annis Italiæ victorem immoratum; & quin ipſam caperet Urbem, non Romanorum illi vires obſtitiſſe, ſed domeſticæ æmulationis atque invidiæ ſtudium. Audire, populos Tranſalpinæ Galliæ Italiam ingreſſos, maximis eam plurimiſque urbibus poſſidere; & latius aliquanto ſolum finium, quam in Aſia, quæ dicatur imbellis, eoſdem Gallos occupaſſe (g); nec victam ſolum dici ſibi Romam à Gallis, ſed etiam captam; ita ut unius illis montis tantum cacumen relinqueretur; nec bello hoſtem, ſed pretio remotum; Gallorum autem nomen, quod ſemper Romanos terruit, in partem virium ſuarum ipſe numeret. Nam hos qui Aſiam incolunt Gallos, ab illis, qui Italiam occupaverant, ſedibus tantum diſtare; originem quidem ac virtutem, genuſque pugnæ idem habere, tantoque his ſagaciora (h) eſſe quam illis ingenia, quanto longiori ac difficiliori ſpatio per Illyricum Thraciamque prodierint, pene operoſius tranſitis eorum finibus, quam ubi conſedere, poſſeſſis. Jam ipſam Italiam audire ſe nunquam, ut Roma condita ſit, ſatis illi pacatam, ſed aſſidue per omnes annos pro libertate alios, quoſdam etiam pro jure imperii bellis continuis perſeveraſſe; & à multis civitatibus Italiæ deletos Romanorum exercitus ferro, à quibuſdam, novo contumeliæ more, ſub jugum miſſos. Ac ne veteribus immoretur (i) exemplis, hoc ipſo tempore univerſam Italiam bello Marſico conſurrexiſſe, non jam libertatem ſed conſortium imperii, civitatiſque poſcentem. Nec gravius vicino (k) Italiæ bello, quam domeſticis principum factionibus Urbem premi, multoque periculoſius eſſe (l) Italico civile bellum; ſimul & à Germania Cimbros, immenſa millia ferorum atque immitium populorum, more procellæ, inundaſſe Italiam; quorum tametſi ſingula bella ſuſtinere Romani poſſent, univerſis tamen obruantur, ut ne vacaturos quidem bello ſuo putet.*

Mithridatis oratio, in qua rationes exponit, cur Romanos bellum ſit inferendum.

CAP. V. *Utendum igitur occaſione, & rapienda incrementa virium, ne ſi illis occupatis quieverint, mox adverſus vacuos & quietos, majus negotium habeant. Non enim quæri, an capienda ſint arma, ſed utrum ſua potius occaſione, an illorum. Nam bellum equidem jam tunc ſecum ab illis geri cœptum, cum ſibi pupillo majorem Phrygiam ademerint, quam patri ſuo præmium dari adverſus Ariſtonicum auxilii conceſſerant, gentem quam & proavo ſuo Mithridati Seleucus Callinicus in dotem dediſſet. Quid, cum Paphlagonia ſe decedere juſſerunt, non alterum illud genus belli fuiſſe? quæ non vi, non armis, ſed adoptione teſtamenti, & regum domeſticorum interitu, hereditaria patri ſuo obveniſſet; cum inter hanc decretorum amaritudinem parendo non tamen eos mitigarit (m), quin acerbius ſe in dies gerant, non obtinuiſſe (n). Quod enim à ſe non præbitum illis obſequium? non Phrygiam, Paphlagoniamque dimiſſas? non Cappadocia filium eductum, quam jure gentium victor occupaverat? Raptam tamen ſibi eſſe victoriam ejus ab illis (o), quorum nihil eſt niſi bello quæſitum. Non Regem Bithyniæ Chreſton, in quem Senatus arma decreverat, à ſe in gratiam illorum occiſum? tamen nihilominus imputari ſibi, ſi qua Gordius aut Tigranes faciat; libertatem etiam in contumeliam ſui à Senatu ultro delatam Cappadociæ, quam reliquis gentibus abſtulerunt:*

Romanos dum occupati eſſent adoriundos cenſet, juſtumque bellum illud eſſe oſtendit.

(*d*) al. Manius Attilius. (*e*) al. intelligens. (*f*) al. quinquennio. (*g*) al. *iidem Galli occupaſſent.* (*h*) al. *acriora.* (*i*) al. *immoremur.* (*k*) al. *vicinæ.* (*l*) al. *acceſſiſſe.* (*m*) al. *mitigaret.* (*n*) al. *obtinuiſſet.* (*o*) al. *Raptum tamen ſibi eſſe victoriæ jus ab illis.*

ſtulerunt: deinde populos (p) Cappadocum, pro libertate oblata, Gordium regem orantes, ideo tantum, quoniam amicus ſuus eſſet, non obtinuiſſe. Nicomedem præcepto illorum bellum ſibi intuliſſe; quia ultum ierit ſe, ab ipſis ventum obviam, & nunc (q) eam ſecum bellandi illis cauſam fore, quod non impune ſe Nicomedi lacerandum, ſaltatricis filio, præbuerit.

Malas Romanorum artes & originem minus honeſtam detegit.

CAP. VI. *Quippe non delicta regum illos, ſed vires ac majeſtatem inſequi; neque in ſe uno, ſed in aliis quoque omnibus hac ſemper arte graſſatos. Sic & avum ſuum Pharnacem, per cognationum arbitria, ſuccedaneum regi Pergameno Eumeni datum: ſic rurſus Eumenem, cujus claſſibus primum in Aſiam fuere tranſvecti, cujus exercitu magis quam ſuo, & Magnum Antiochum, & Gallos in Aſia, & mox in Macedonia regem Perſen domuerant; & ipſum pro hoſte habitum, eique interdictum Italia, & quod cum ipſo deforme ſibi putaverant, cum filio ejus Ariſtonico bellum geſſiſſe. Nullius apud eos majora, quam Maſiniſſæ regis Numidarum haberi merita. Huic imputari victum Annibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam; hunc inter duos illos Africanos tertium ſervatorem Urbis referri; tamen cum hujus nepote bellum modo in Africa geſtum adeo inexpiabile, ut ne victum quidem memoriæ patris (r) donarent, quin carcerem ac triumphi ſpectaculum experiretur. Hanc illos regibus omnibus legem odiorum dixiſſe, ſcilicet quia ipſi tales reges habuerint, quorum etiam nominibus erubeſcant, aut paſtores Aboriginum, aut aruſpices Sabinorum, aut exules Corinthiorum, aut ſervos vernaſque Thuſcorum, aut quod honoratiſſimum nomen fuit inter hæc (s), Superbos, atque ut ipſi ferunt, conditores ſuos lupæ uberibus altos: ſic omnem illum populum luporum animos, inexplebiles ſanguinis atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos habere.*

Stirpis ſuæ nobilitatem, ſuorumque libertatem ac fortitudinem opponit.

CAP. VII. *Se autem, ſeu nobilitate illis comparetur, clariorem illa colluvie convenarum eſſe, qui paternos majores ſuos à Cyro Darioque conditoribus Perſici regni, maternos à Magno Alexandro, ac Nicatore Seleuco, conditoribus imperii Macedonici, referat; ſeu populus illorum conferatur ſuo (t), earum ſe gentium eſſe (u), quæ non modo Romano Imperio ſint pares; ſed Macedonico quoque obſtiterint. Nullam ſubjectarum ſibi gentium expertam peregrina imperia; nullis unquam niſi domeſticis regibus paruiſſe; Cappadociam velint, an Paphlagoniam recenſere, rurſus Pontum an Bithyniam, itemque Armeniam majorem minoremque; quarum gentium nullam neque Alexander ille, qui totam pacavit Aſiam, nec quiſquam ſucceſſorum ejus, aut poſterorum, attigiſſet. Scythiam duos unquam ante ſe reges, non pacare, ſed tantum intrare auſos Darium & Philippum; ægre inde fugam ſibi expediſſe; unde ipſe magnam partem adverſus Romanos virium haberet. Multoque ſe timidius ac diffidentius bella Pontica ingreſſum, cum ipſe rudis ac tiro eſſet. Scythas præter arma, virtutemque animi, locorum quoque ſolitudinibus, vel frigoribus inſtructos (x), per quæ denuntiaretur ingens militiæ labor ac periculum. Inter quas difficultates ne ſpes quidem præmii foret, ex hoſte vago, nec tantum pecuniæ, ſed etiam ſedis, inope. Nunc ſe diverſam belli conditionem ingredi. Nam neque cælo Aſiæ eſſe temperatius aliud, nec ſolo fertilius, nec urbium multitudine amœnius; magnamque temporis partem, non ut militiam, ſed ut feſtum diem acturos, bello dubium facili magis an uberi; ſi modo aut proximas regni Attalici opes, aut veteres Lydiæ Joniæque audierint, quas non expugnatum eant, ſed poſſeſſum; tantumque ſe avida exſpectet Aſia, ut etiam vocibus vocet; adeo illis odium Romanorum incuſſit rapacitas Proconſulum, ſectio publicanorum, calumniæ litium. Sequantur ſe modo fortiter, & colligant, quid ſe duce poſſit efficere tantus exercitus, quem ſine cujuſquam militum auxilio, ſuamet unius opera, viderint Cappadociam cæſo rege cepiſſe; qui ſolus mortalium Pontum omnem Scythiamque pacaverit, quam nemo ante tranſire tuto atque adire potuerit. Nam juſtitiæ atque liberalitatis ſuæ, nec ipſos milites, qui experiantur, teſtes refugere; & illa indicia habere, quod ſolus regum omnium non paterna ſolum, verum etiam externa regna, hereditatibus propter munificentiam acquiſita poſſideat, Colchos, Paphlagoniam, Boſporum (y).*

Nec non belli facilitatem.

Liberalitate ac munificentia milites allicere tentat.

CAP. VIII. Sic excitatis militibus, poſt annos tres & viginti ſumpti regni, in Romana bella deſcendit. At in Ægypto mortuo rege Ptolemæo, ei qui Cyrenis regnabat Ptolemæo, per legatos regnum & uxor Cleopatra regina, ſoror ipſius, defertur. Lætus igitur hoc ſolo Ptolemæus, quod ſine certamine fraternum regnum recepiſſet, in quod ſubornari & à matre Cleopatra, & favore principum, fratris filium cognoverat; ceterum infeſtus omnibus, ſtatim ubi Alexandriam ingreſſus eſt, fautores pueri trucidari juſſit. Ipſum quoque die nuptiarum, quibus matrem ejus in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum, & ſolennia religionum, in complexu matris interficit; atque ita thorum ſororis, cæde filii ejus cruentus adſcendit. Poſt quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocaverant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentia cædis data, omnia ſanguine quotidie manabant; ipſam quoque ſororem, filia ejus virgine per vim ſtuprata, & in matrimonium adſcita, repudiat. Quibus rebus territus populus, in diverſa labitur, patriamque metu mortis, exul relinquit. Solus igitur in tanta urbe cum ſuis relictus Ptolemæus, cum regem ſe non hominum, ſed vacuarum ædium videret, edicto peregrinos ſollicitat. Quibus confluentibus, obvius legatis Romanorum, Scipioni Africano & Spurio Mummio, & L. Metello, qui ad inſpicienda ſociorum regna veniebant, procedit. Sed quam cruentus civibus, tam ridiculus Romanis fuit. Erat enim & vultu deformis, & ſtatura brevis, & ſagina ventris non homini, ſed belluæ ſimilis. Quam fœditatem nimia ſubtilitas perlucidæ veſtis augebat, prorſus quaſi aſtu inſpicienda præberentur, quæ omni ſtudio occultanda pudibundo viro erant. Poſt

Ptolemæus Phyſcon Rex Ægypti.

Multiplici ſcelere omnia turbat.

A ſuis relinquitur.

A Romanis ob deformitatem ridetur.

(p) al. *populo.* (q) al. *obviam in eo, & nunc.* (r) al. *avi.* (s) al. *inter hos.* (t) al. *ſeu populis illorum conferat ſuos.* (u) al. *eſſe regem.* (x) al. *Scythiæ præter arma .... inſtructæ.* (y) al. *Boſphorum.*

Post discessum deinde legatorum (quorum Africanus, dum inspicit urbem, spectaculo Alexandrinis fuit,) jam etiam populo peregrino invisus, cum filio, quem ex sorore susceperat, & cum uxore, matris pellice, metu insidiarum, tacitus in exilium proficiscitur; contractoque mercenario exercitu bellum sorori pariter ac patriæ infert. Arcessitum maximum deinde à Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra se regem crearent, interficit. Tunc populus statuas & imagines ejus detrahit. Quod factum studio sororis existimans, filium, quem ex ea susceperat, interficit, corpusque in membra divisum, & in cista compositum, matri die natali ejus (z) inter epulas offerri curat. Quæ res non reginæ tantum, verum etiam universæ civitati, acerba & luctuosa fuit; tantumque mœrorem festivissimo convivio intulit, ut regia omnis repentino luctu incenderetur. Verso igitur studio principum ab epulis in exsequias, membra lacera populo ostendunt; & quid sperare de rege suo debeant, filii cæde demonstrant.

Ptolemæi crudelitas in filium.

CAP. IX. Finito luctu orbitatis, Cleopatra, cum urgeri se fraterno bello videret, auxilium à Demetrio rege Syriæ, per legatos petit; cujus ipsius varii & memorabiles casus fuere. Namque Demetrius, ut supra dictum est, cum bellum Parthis intulisset, & multis congressionibus victor fuisset, repente insidiis circumventus, amisso exercitu capitur. Cui Arsacides (a) Parthorem rex, magno & regio animo, misso in Hyrcaniam non cultum tantum regium præstitit; sed & filiam in matrimonium dedit, regnumque Syriæ, quod per absentiam ejus Trypho occupaverat, restiturum promittit. Post hujus mortem desperato reditu, non ferens captivitatem Demetrius, privatam etsi opulentam vitam pertæsus, tacitus in regnum fugam meditatur. Hortator illi & comes Gallimander (b) amicus erat; qui post captivitatem ejus à Syria per Arabiæ deserta, ducibus pecunia comparatis, Parthico habitu Babylonem pervenerat. Sed fugientem Phrahates, qui Arsacidæ (c) successerat, equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum retrahit. Ut est deductus ad regem, Gallimandro quidem non tantum venia, verum etiam præmium fidei datum; Demetrium autem & graviter castigatum ad conjugem in Hyrcaniam remittit, arctioribusque custodiis observari jubet. Interjecto deinde tempore, cum fidem illi etiam suscepti liberi facerent, eodem amico comite repetita fuga est; sed pari infelicitate prope fines regni sui deprehenditur (d); ac denuo perductus ad regem, ut invisus à conspectu summovetur. Tunc quoque uxori & liberis donatus, in Hyrcaniam, pœnalem sibi civitatem, remittitur, talisque aureis ad exprobrationem puerilis levitatis donatur. Sed hanc Parthorum tam mitem in Demetrium clementiam non misericordia gentis faciebat, nec respectus cognationis; sed quod Syriæ regnum affectabant, usuri Demetrio adversus Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortuna belli exegisset.

Demetrii Syriæ Regis casus varii & memorabiles.

Parthorum in Demetrium clementia.

CAP. X. His auditis, Antiochus occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis induraverat, adversus Parthos ducit. Sed luxuriæ non minor apparatus, quam militiæ fuit: quippe LXXX millia armatorum, sequuta sunt CCC millia lixarum, ex quibus coquorum, pistorum, scenicorumque, major numerus fuit. Argenti certe aurique tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro figerent (e), proculcarentque materiam, cujus amore populi ferro dimicant. Culinarum quoque argentea instrumenta fuere, prorsus quasi ad epulas, non ad bella pergerent. Advenienti Antiocho, multi Orientales reges occurrere, tradentes se, regnaque sua, cum execratione superbiæ Parthicæ. Nec mora congressioni fuit. Antiochus tribus præliis victor, cum Babyloniam occupasset, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui præter patrios fines fuit. Tunc Phrahates Demetrium in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præsidio mittit, ut eo pacto Antiochus ad sua tuenda à Parthia revocaretur. Interim, quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum ubique tentabat. Propter multitudinem hominum, exercitum suum Antiochus per civitates in hyberna diviserat; quæ res exitii causa fuit. Nam cum gravari se copiarum præbitione (f), & injuriis militum, civitates viderent, ad Parthos deficiunt; & die statuta omnes apud se divisum exercitum per insidias, ne invicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. Quæ cum nuntiata Antiocho essent, auxilium proximis laturus, cum ea manu, quæ secum hiemabat, progreditur. In itinere obvium regem Parthorum habuit, adversus quem fortius, quam exercitus ejus, dimicavit. Ad postremum tamen cum virtute hostes vincerent (g), metu suorum desertus, occiditur; cui Phrahates exsequias regio more fecit filiamque Demetrii, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, uxorem duxit. Pœnitere deinde dimissi Demetrii cœpit: ad quem retrahendum cum turmas equitum festinato misisset, Demetrium, hoc ipsum metuentem, jam in regno missi invenerunt; frustraque omnia conati, ad regem suum reversi sunt.

Antiochus, Demetrii frater Parthos bello adgreditur.

Luxuriosus apparatus bellicus.

Antiochi victoriæ. O. C. 3870. a. C. N. 130. U. C. 623. Ol. 162.

A suis desertus occiditur. O. C. 3871. a. C. N. 129. U. C. 624. Ol. 163.

(z) al. die natalis ejus. (a) al. Arsaces. (b) al. Callimander. (c) al. Arsaci. (d) al. reprehenditur. (e) al. facerent. (f) al. exhibitione. (g) al. vinceret.

LIBER

LIBER XXXIX.

CAPUT I.

Demetrius Antiocho interfecto, Ægyptum tentat.

ANtiocho in Parthia cum exercitu deleto, frater ejus Demetrius, obſidione Parthorum liberatus, ac reſtitutus in regnum, cum omnis Syria in luctu propter amiſſum exercitum eſſet; quaſi Parthica ipſius ac fratris bella, quibus alter captus, alter occiſus erat, proſpere ceſſiſſent (*h*) ita Ægypto bellum inferre ſtatuit; regnum Ægypti Cleopatra ſocru, pretium auxilii adverſus fratrem ſuum, pollicente. Sed dum aliena affectat, ut aſſolet fieri, propria per defectionem Syriæ amiſit. Siquidem Antiochenſes primi, duce Tryphone; exſecrantes ſuperbiam regis, quæ converſatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apamenii (*i*), ceteræque civitates exemplum ſequutæ, per abſentiam regis (*k*) à Demetrio defecere. Ptolemæus quoque rex Ægypti, bello ab eodem petitus, cum cognoviſſet, Cleopatram ſororem ſuam, opibus Ægypti navibus impoſitis, ad filiam & Demetrium generum in Syriam profugiſſe, immittit juvenem quendam Ægyptium, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret compoſita fabula, quaſi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiam regiam eſſet, nec Syriis quemlibet regem adſpernantibus, ne Demetrii paterentur ſuperbiam; nomen juveni Alexandri imponitur, auxiliaque ab Ægypto ingentia mittuntur. Interea corpus Antiochi, interfecti à rege Parthorum, in loculo argenteo ad ſepulturam in Syriam remiſſum ſupervenit (*l*); quod cum ingenti ſtudio civitatium & regis Alexandri ad firmandam fabulæ fidem excipitur. Quæ res illi magnum favorem popularium conciliavit, omnibus non fictas in eo, ſed veras lacrimas exiſtimantibus. Demetrius autem victus ab Alexandro, cum undique circumſtantibus malis premeretur, ad poſtremum ab uxore filiisque deſeritur. Relictus igitur cum paucis ſervulis, cum Tyrum religione templi ſe defenſurus petiſſet, navi egrediens, præfecti juſſu interficitur. Alter ex filiis Seleucus, quoniam ſine matris auctoritate diadema ſumpſiſſet, ab eadem interficitur; alter, cui propter naſi magnitudinem, cognomen Grypo fuit, rex à matre hactenus conſtituitur, ut nomen regis penes filium, vis (*m*) autem omnis imperii penes matrem eſſet.

Syriam amittit.

Cruento fato tollitur. O. C. 3874. a. C. N. 126. U. C. 627. Ol. 163.

Ejus pariter filius Seleucus.

Grypus Rex Syriæ.

CAP. II. Sed Alexander, occupato Syriæ regno, tumens ſucceſſu rerum, ſpernere jam etiam ipſum Ptolemæum, à quo fuerat ſubornatus in regnum, ſuperba inſolentia cœpit. Itaque Ptolemæus, reconciliata ſororis gratia, deſtruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii, viribus ſuis acquiſierat, ſummis opibus inſtituit. Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphænam (*n*) Grypo nupturam, ut populos in auxilium nepotis, non ſocietate tantum belli, verum & affinitate ſua ſollicitaret. Nec res fruſtra fuit; nam cum omnes Grypum inſtructum Ægypti viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœpere. Fit deinde inter reges prælium, quo victus Alexander, Antiochiam profugit; ibi inops pecuniæ, cum ſtipendia militibus deeſſent, templo (*o*) Jovis ſolidum ex auro Victoriæ ſignum tolli jubet, facetis jocis ſacrilegium circumſcribens; nam *Victoriam commodatam ſibi ab Jove eſſe* dicebat. Interjectis deinde diebus, cum ipſius Jovis aureum ſimulacrum infiniti ponderis tacite evelli juſſiſſet, deprehenſuſque in ſacrilegio, concurſu multitudinis eſſet in fugam verſus; magna vi tempeſtatis oppreſſus, ac deſertus à ſuis, à latronibus capitur; perductuſque ad Grypum, interficitur. Grypus porro, reciperato patrio regno, externiſque periculis liberatus, inſidiis matris appetitur. Quæ cum cupiditate dominationis, prodito marito Demetrio, & filio altero interfecto, hujus quoque victoria inferiorem dignitatem ſuam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed Grypus, prædictis jam ante inſidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipſam jubet; abnuenti inſtat. Poſtremum prolato indice eam arguit, *ſolam defenſionem ſceleris ſupereſſe* affirmans, *ſi bibat, quod filio obtulit.* Sic victa regina, ſcelere in ſe verſo, veneno, quod alii paraverat, exſtinguitur. Parta igitur regni ſecuritate, Grypus octo annis quietem & ipſe habuit, & regno præſtitit. Natus deinde illi eſt æmulus regni, frater ipſius Cyzicenus, eadem matre genitus, ſed ex Antiocho patruo ſuſceptus: quem cum veneno tollere voluiſſet, ut maturius armis cum eo de regno contenderet excitavit.

Alexander ex ignobili rex Syriæ, inſolenter ſe gerit.

A Grypo vincitur. O. C. 3879. a. C. N. 121. U. C. 632. Ol. 164.

Et occiditur.

Qui matrem quoque extinguit.

Cyzicenus frater Grypi.

CAP. III. Inter has regni Syriæ parricidiales diſcordias, moritur rex Ægypti Ptolemæus, regno Ægypti uxori & alteri ex filiis, quem illa legiſſet, relicto, videlicet quaſi quietior Ægypti ſtatus, quam Syriæ regnum eſſet, quum mater altero ex filiis electo, alterum hoſtem eſſet habitura. Igitur cum pronior in minorem filium eſſet, à populo compellitur majorem eligere; cui prius quam regnum daret, uxorem ademit; compulſumque repudiare cariſſimam ſibi ſororem Cleopatram, minorem ſororem Selenen ducere jubet, non materno inter filias judicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret. Sed Cleopatra non tam à viro repudiata, quam à matre divortio viri dimiſſa, Cyziceno in Syria nubit; eique ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Grypi (*p*) ſollicitatum, velut dotalem ad maritum deducit. Par igitur viribus fratris Cyzicenus; prælium committit, ac victus in fugam vertitur, Antiochiamque venit. Tunc Antiochiam Grypus, in qua erat Cyziceni uxor

In Ægypto graviſſimæ turbæ concitatæ.

Unde horrendæ laniénæ e mulierum it

(*h*) al. geſſiſſet. (*i*) al. Apameni. (*k*) al. per abſentiam ejus. (*l*) al. pervenit. (*m*) al. jus. (*n*) al. Tryphenam. (*o*) al. in templo. (*p*) al. Cypri.

xor Cleopatra, obsidere cœpit; qua capta, Tryphæna uxor Grypi nihil antiquius quam sororem Cleopatram requiri jussit (q); non ut captivæ opem ferret, sed ne effugere captivitatis mala posset, quæ sui æmulatione in hoc potissimum regnum invaserit, hostique sororis nubendo hostem se ejus effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam à fratre, contra matris voluntatem, extra Ægyptum nuptam accusat. Contra Grypus orare, *ne tam fœdum facinus facere cogatur; à nullo umquam majorum suorum inter tot domestica, tot externa bella, post victoriam in feminas sævitum, quas sexus ipse & periculis bellorum, & sævitiæ victorum eximat, in hac vero, præter commune bellantium fas, accedere necessitatem sanguinis; quippe ipsius, quæ tam cruente sæviat, sororem equidem germanam esse, suam vero consobrinam; liberorum deinde communium materteram.* His tot necessitudinibus (r) sanguinis adjicit superstitionem templi, quo abdita profugerit, *tantoque religiosius colendos sibi deos, quo magis his propitiis ac faventibus vicisset; tum neque occisa illa, se virium quicquam Cyziceno dempturum, nec servaturum reddita.* Sed quanto Grypus abnuit, tanto soror muliebri pertinacia accenditur, rata non misericordiæ hæc verba, sed amoris esse. Itaque vocatis ipsa militibus, mittit, qui sororem confoderent. Qui ut in templum intraverunt, cum evellere eam non possent, manus amplexantis deæ simulacrum præciderunt. Tunc Cleopatra execratione parricidarum, mandata violatis numinibus ultione sui, decedit. Nec multo post repetita prælii congressione, victor Cyzicenus uxorem Grypi Tryphænam, quæ paulo ante sororem interfecerat, capit; ejusque supplicio uxoris manibus parentavit.

Quarum interitus describitur.

Peculiares tragœdiæ à Cleopatra excitatæ.

CAP. IV. At in Ægypto Cleopatra cum gravaretur socio (s) regni, filio Ptolemæo, populum in eum incitat; abductaque ei Selene uxore, eo indignius, quod ex Selene jam duos filios habebat, exulare cogit, arcessito minore filio Alexandro, & rege in locum fratris constituto; nec filium regno expulisse contenta, bello Cypri exulantem persequitur. Unde pulso, interficit ducem exercitus sui, quod vivum eum è manibus dimisisset; quanquam Ptolemæus verecundia materni belli, non viribus minor, ab insula recessisset. Igitur Alexander, territus hac matris crudelitate, & ipse eam reliquit, periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens. Cleopatra vero timens, ne major filius Ptolemæus ab Cyziceno ad reciperandam Ægyptum auxiliis juvaretur, ingentia Grypo auxilia & Selenen uxorem nupturam hosti prioris mariti mittit: Alexandrumque filium per legatos in regnum revocat; cui cum occultis insidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur, spiritumque non fato, sed parricidio dedit; digna prorsus hac mortis infamia, quæ etiam matrem thoro expulit; & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit; & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per insidias machinata est.

Quæ tandem à filio interficitur.

CAP. V. Sed nec Alexandro cædes tam nefanda inulta fuit. Nam ubi primum compertum est, scelere filii matrem interfectam, concursu populi in exilium agitur, revocatoque Ptolemæo regnum redditur; qui neque (t) cum matre bellum gerere voluisset, nec à fratre armis repetere, quod prior possedisset. Dum hæc aguntur, frater ejus ex pellice susceptus cui pater Cyrenarum regnum testamento reliquerat, herede Populo Romano instituto, decedit. Jam enim fortuna Romana porrigere se ad Orientalia regna, non contenta Italiæ terminis, cœperat. Itaque & ea pars Lybiæ provincia facta est; postea Creta, Ciliciaque piratico bello perdomitæ in formam provinciæ rediguntur. Quo facto (u), & Syriæ, & Ægypti regna, Romana vicinitate artata, quæ incrementa de finitimis bellis quærere solebant, adempto vagandi arbitrio, vires suas in perniciem mutuam converterunt: adeo, ut assiduis præliis consumpti, in contemptum finitimorum venerint, prædæque Arabum genti, imbelli antea, fuerint. Quorum rex Erotimus, fiducia septingentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat, divisis exercitibus, nunc Ægyptum, nunc Syriam infestabat; magnumque nomen Arabum, viribus finitimorum exsanguibus, fecerat.

Alexander in exilium agitur.

Romani ad Orientalia regna excurrunt.

Erotimus rex Arabum Syriam & Ægyptum vexat.

LIBER XL.

CAPUT I.

Syri Tigranem Armeniæ regem sibi deligunt. O.C. 3916. a. C. N. 84. U.C. 669. Ol. 174.

Mutuis fratrum odiis, & mox filiis (x) inimicitia parentum succedentibus, cum inexpiabili bello, & reges, & regnum Syriæ consumptum esset, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinosque sibi reges circumspicere cœpit. Itaque cum pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto arcessendum censeret; occurreretque quod Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemæus quoque semper hostis fuisset Syriæ, omnes in Tigranem regem Armeniæ consensere, instructum præter domesticas vires, & Parthica societate, & Mithri latis affinitate. Igitur accitus in regnum Syriæ, per XVIII annos tranquillissime regno potitus est; neque bello alium lacessere, neque lacessitus inferre alii bellum necesse habuit.

CAP. II. Sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terræ motu vastata est, quo centum septuaginta millia hominum, & multæ urbes perierunt. Quod prodigium mutationem rerum portendere aruspices responderunt. Igitur Tigrane à Lucullo victo, rex Syriæ Antiochus

Antiochus Cyziceni filius rex Syriæ,

(q) al. dixit. (r) al. necessitatibus. (s) al. socium. (t) al. quod neque. (u) al. Quo pacto. (x) al. filiorum.

tiochus Cyziceni filius, ab eodem Lucullo appellatur. Sed quod Lucullus dederat, postea ademit Pompejus: qui poscenti regnum respondit, *ne volenti quidem Syriæ, nedum recusanti, daturum se regem, qui XVIII. annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit; victo autem eodem Tigrane à Romanis, alieni operis præmia postulet. Igitur ut habenti regnum non ademerit; ita quo cesserit Tigrani, non daturum, quod tueri nesciat; ne rursus Syriam Judæorum & Arabum latrociniis infestam reddat.* Atque ita Syriam in provinciæ formam redigit; paulatimque Oriens Romanorum, discordia consanguineorum regum factus est.

Syria fit Provincia Romana O. C. 3937. a. C. N. 63. U. C. 690. Ol. 179.

LIBER XLI.

CAPUT I.

Parthorum origo.

PArthi, penes quos, velut divisione orbis cum Romanis facta, nunc Orientis imperium est, Scytharum exules fuere. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur. Nam Scythico sermone Parthi exules dicuntur.

Nomen.

Hi & Assyriorum & Medorum temporibus inter Orientis populos obscurissimi fuere. Postea quoque cum imperium Orientis à Medis ad Persas translatum est, veluti vulgus sine nomine, præda victorum fuere. Postremo Macedonibus triumphato Oriente servierunt.

Successus.

Ut cuivis mirum videatur, ad tantam eos felicitatem provectos (*y*), ut imperent gentibus, sub quarum imperio veluti servile vulgus fuere. A Romanis quoque, trinis bellis per maximos duces, florentissimis temporibus lacessiti, soli ex omnibus gentibus non pares solum, verum etiam victores fuere: quanquam plus gloriæ sit, inter Assyria & Medica Persicaque, memorata olim regna, & opulentissimum mille urbium (*z*) Bactrianum imperium emergere potuisse, quam longinqua bella vicisse; præterea cum gravibus Scythicis & vicinalibus bellis assidue vexati, variis periculorum certaminibus urgerentur. Hi domesticis seditionibus Scythia pulsi, solitudines inter Hyrcaniam, & Dahas, & Arios (*a*), & Spartanos, & Margianos furtim occupavere.

Imperium.

Fines deinde, non intercedentibus primo finitimis, postea etiam prohibentibus, in tantum protulere, ut non immensa tantum ac profunda camporum, verum etiam prærupta collium, montiumque ardua occupaverint. Ex quo fit, ut Parthiæ pleraque finium aut æstus, aut frigoris magnitudo possideat; quippe cum montes nix, & campos æstus infestet.

Regni Parthici administratio.

CAP. II. Administratio gentis post defectionem Macedonici imperii, sub regibus fuit. Proximus majestati regum, populorum ordo est: ex hoc duces in bello, ex hoc rectores in pace habent.

Parthorum sermo.

Sermo his inter Scythicum Medicumque medius, & ex utrisque (*b*) mixtus.

Vestes.

Vestis olim sui moris, posteaquam accessere opes, ut Medis perlucida ac fluida.

Arma.

Armorum patrius ac Scythicus mos.

Exercitus.

Exercitum non ut aliæ gentes liberorum, sed majorem partem servorum (*c*) habent; quorum vulgus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus servis nascentibus, in dies crescit. Hos pari ac liberos suos cura habent; & equitare & sagittare magna industria docent. Locupletissimus ut quisque est, ita plures in bello equites regi suo præbet. Denique Antonio bellum Parthis inferenti, cum quinquaginta millia equitum occurrerent, soli CCCC liberi fuere.

Mos præliandi

Cominus in acie præliari, aut obsessas expugnare urbes nesciunt. Pugnant autem (*d*) procurrentibus equis, aut terga dantibus; sæpe etiam fugam simulant, ut incautiores adversum vulnera insequentes habeant. Signum in prælio non tuba, sed tympano datur. Nec pugnare diu possunt; ceterum intolerandi forent, si quantus his impetus est, vis tanta & perseverantia esset. Plerumque in ipso ardore certaminis prælia deserunt, ac paulo post, pugnam ex fuga repetunt, ut, cum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. Munimentum ipsis equisque loricæ plumatæ sunt, quæ utrumque toto corpore tegunt. Auri Argentique nullus nisi in armis usus.

Mores domestici.

CAP. III. Uxores dulcedine variæ libidinis singuli plures habent; nec ulla delicta adulterio gravius vindicant. Quamobrem feminis non convivia tantum virorum, verum etiam conspectum interdicunt. Carne non nisi venatibus quæsita vescuntur. Equis omni tempore vectantur; illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt; super illos ire, consistere, mercari, colloqui. Hoc denique discrimen inter servos liberosque est, quod servi pedibus, liberi non nisi equis incedunt.

Sepultura.

Sepultura vulgo, aut avium, aut canum laniatus est. Nuda demum ossa terra obruunt.

Religio.

In superstitionibus atque cura deorum, præcipua omnibus (*e*) veneratio est.

Ingenium.

Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia; quippe violentiam viris, mansuetudinem mulieribus assignant.

Virtutes & vitia.

Semper aut in externos, aut in domesticos motus inquieti; natura taciti; ad faciendum, quam ad dicendum promptiores; proinde secunda adversaque silentio tegunt. Principibus metu, non pudore parent. In libidinem projecti, in cibum parci. Fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit.

Parthorum regum res gestæ.

CAP. IV. Post mortem Alexandri Magni, cum inter successores ejus Orientis regna dividerentur, nullo Macedonum dignante Parthorum imperium, Stasanori (*f*) externo socio traditur.

Stasanoris.

Hi postea diductis (*g*) Macedonibus in bellum civile, cum ceteris superioris Asiæ populis Eumenem sequuti sunt; quo victo, ad Antigonum transiere. Post hunc à Nicatore Seleuco, ac mox ab Antiocho & successoribus

(*y*) al. ad tantam eos felicitatem per virtutem provectos. (*z*) al. & opulentissimum illud mille urbium. (*a*) al. Areos. (*b*) al. & utriusque. al. & utrisque. (*c*) al. servitiorum. (*d*) al. aut. (*e*) al. omnibus. (*f*) al. Stagnori. al. Statanori. (*g*) al. deductis.

bus ejus possessi; à cujus pronepote Seleuco primum defecere, primo Punico bello, L. Manlio Vulsone, M. Attilio Regulo Consulibus. Hujus defectionis impunitatem illis duorum fratrum regum, Seleuci & Antiochi discordia dedit; qui dum sibi invicem eripere regnum volunt, persequi defectores omiserunt. Eodem tempore etiam Theodotus mille urbium Bactrianarum præfectus, defecit, regemque se appellari jussit: quod exemplum sequuti totius Orientis populi, à Macedonibus defecere.

Arsacis. O. C. 3744. a. C. N. 256. U. C. 497. Ol. 131.

Erat eo tempore Arsaces, vir sicut incertæ originis ita virtutis expertæ. Hic solitus latrociniis & rapto vivere, accepta opinione, Seleucum à Gallis in Asia victum, solutus regis metu, cum prædonum manu Parthos ingressus (*b*), præfectum eorum Andragoram; oppressit; sublatoque eo, imperium gentis invasit. Non magno deinde post tempore, Hyrcanorum quoque regnum occupavit; atque ita duarum civitatium imperio præditus, grandem exercitum parat, metu Seleuci & Theodoti, Bactrianorum regis. Sed cito, morte Theodoti, metu liberatus, cum filio ejus & ipso Theodoto fœdus ac pacem fecit; nec multo post cum Seleuco rege, ad defectores persequendos veniente, congressus, victor fuit; quem diem Parthi exinde solennem, velut initium libertatis, observant.

Ejus res gestæ.

CAP. V. Revocato deinde Seleuco novis motibus in Asiam, dato laxamento, regnum Parthicum format, militem legit, castella munit, civitates firmat.

Urbem Daram condit.

Urbem quoque, nomine Daram, in monte Zapaortenon condit: cujus loci ea conditio est, ut neque munitius quicquam esse, neque amœnius possit. Ita enim & præruptis rupibus undique cingitur, ut tutela loci nullis defensoribus egeat: & soli circumjacentis tanta ubertas est, ut propriis opibus expleatur. Jam (*i*) fontium ac silvarum ea copia est, ut & aquarum abundantia irrigetur, & venationum voluptatibus exornetur.

Arsacis encomium.

Sic Arsaces, quæsito simul constitutoque regno, non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decedit. Cujus memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos *Arsacis* nomine nuncupent.

Arsaces II. O. C. 3747. a. C. N. 253. U. C. 500. Ol. 131.

Hujus filius & successor regni, Arsaces & ipse nomine, adversus Antiochum Seleuci filium, centum millibus peditum, & XX millibus equitum instructum, mira virtute pugnavit, ad postremum in societatem ejus assumptus est.

Arsaces III. O. C. 3804. a. C. N. 196. U. C. 557. Ol. 146.

Tertius Parthis rex Priapatius fuit, sed & ipse Arsaces dictus. Nam, sicut supra dictum est, omnes reges suos hoc nomine, sicuti Romani Cæsares, Augustosque cognominavere. Hic actis in regno quindecim annis decessit, relictis duobus filiis, Mithridate & Phrahate;

Phrahates. O. C. 3819. a. C. N. 181. U. C. 572. Ol. 149.

quorum major Phrahates, more gentis, heres regni, Mardos, validam gentem bello domuit; nec multo post decessit, multis filiis relictis; quibus præteritis, fratri potissimum Mithridati, insignis virtutis viro, reliquit imperium.

Mithridates I. O. C. 3827. a. C. N. 173. U. C. 580. Ol. 151.

Plus regio, quam patrio deberi nomini ratus; potiusque patriæ quam liberis consulendum.

Bactriani regni status sub Eucratide.

CAP. VI. Eodem ferme tempore, sicuti in Parthis Mithridates, ita in Bactris Eucratides, magni uterque viri, regna ineunt. Sed Parthorum fortuna felicior, ad summum hoc duce imperii fastigium eos perduxit. Bactriani autem per varia bella jactati, non regnum tantum, verum etiam libertatem amiserunt. Siquidem Sogdianorum & Drangarianorum (*k*) Indorumque bellis fatigati, ad postremum ab invalidioribus Parthis, velut exsangues, oppressi sunt.

Eucratidis res gestæ.

Multa tamen Eucratides bella magna virtute gessit; quibus attritus, cum obsidionem Demetrii regis Indorum pateretur, cum CCC militibus, LX millia hostium assiduis eruptionibus vicit. Quinto itaque mense liberatus, Indiam in potestatem redegit.

Eucratides à filio opprimitur.

Unde cum se reciperet, à filio, quem socium regni fecerat, in itinere interficitur; qui non dissimulato parricidio, velut hostem, non patrem interfecisset; & per sanguinem ejus currum egit, & corpus abjici insepultum jussit.

Bellum Parthos inter & Medos.

Dum hæc apud Bactros geruntur, interim inter Parthos & Medos bellum oritur. Cum varius utriusque populi casus fuisset, ad postremum victoria penes Parthos fuit. His viribus auctus Mithridates, Mediæ Bacasin præponit, ipse in Hyrcaniam proficiscitur. Unde reversus bellum cum Elymæorum rege gessit; quo victo, hanc quoque gentem regno adjecit, imperiumque Parthorum à monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, usque ad flumen Euphratem protulit.

Mithridatis obitus. O. C. 3864. a. C.N. 136. U. C. 617. Ol. 161.

Atque ita adversa valetudine correptus (*l*), non minor Arsace proavo gloriosa senectute decedit.

LIBER XLII

CAPUT I.

Phrahates Rex Parthorum. O. C. 3864. a. C. N. 136. U. C. 617. Ol. 161.

Post necem Mitridatis, Parthorum regis, Phrahates filius ejus, rex constituitur (*m*); qui cum inferre bellum, in ultionem tentati ab Antiocho Parthici regni, Syriæ statuisset, Scytharum motibus ad sua defendenda revocatur. Namque Scythæ in auxilium Parthorum adversus Antiochum, Syriæ regem, mercede sollicitati, cum confecto jam bello supervenissent, & calumnia tardius lati auxilii, mercede fraudarentur; dolentes tantum iis itineris frustra emensum, quum vel stipendium pro vexatione, vel alium hostem dari sibi poscerent, superbo responso offensi, fines Parthorum vastare cœperunt.

Himeri perfidia.

Igitur Phrahates, cum adversus eos proficisceretur, ad tutelam regni reliquit Himerum (*n*) quendam, pueritiæ sibi flore conciliatum; qui tyrannica crudelitate, oblitus & vitæ præteritæ, & vicarii

(*b*) al. aggressus. (*i*) alii τὸ jam omittunt. (*k*) al. Drangaritanorum. (*l*) al. arreptus. (*m*) al. statuitur. (*n*) al. Hymerum.

carii officii, Babylonios, multasque alias civitates importune vexavit. Ipse autem Phrahates exercitum Græcorum, quem bello Antiochi captum superbe crudeliterque tractaverat, in bellum secum ducit immemor prorsus, quod hostiles eorum animos nec captivis minuerat, & insuper injuriarum indignitas exacerbaverat. Itaque cum inclinatam Parthorum aciem vidissent, arma ad hostes transtulere; & diu cupitam captivitatis ultionem, exercitus Parhici, & ipsius Phrahatis regis cruenta cæde, exsequuti sunt.

Phrahates à militibus interficitur.

CAP. II. In hujus locum Artabanus, patruus ejus, rex substituitur. Scythæ autem contenti victoria, depopulata Parthia, in patriam revertuntur. Sed Artabanus (*o*) bello Thogariis illato, in brachio vulneratus, statim decedit. Huic Mithridates filius succedit; cui res gestæ *Magni* cognomen dedere; quippe claritatem parentum, æmulatione virtutis accensus, animi magnitudine supergreditur. Multa igitur bella cum finitimis magna virtute gessit, multosque populos Parthico regno addidit. Sed & cum Scythis prospere aliquoties dimicavit, ultorque injuriæ parentum fuit. Ad postremum Ortoadisti (*p*) Armeniorum regi bellum intulit. Sed quoniam in Armeniam transitum facimus, origo ejus paulo altius repetenda est. Neque enim silentio præteriri tantum regnum fas est, cum fines ejus post Parthiam omnium regnorum magnitudinem superent. Siquidem Armenia à Cappadocia usque mare Caspium undecies centum millia patet, sed in latitudinem millia passuum septingenta porrigitur. Condita est autem ab Armenio, Jasonis Thessali comite; quem cum perditum propter insignem periculosamque regno suo virtutem Pelias rex cuperet, denuntiata militia, in Colchos eum abire jubet, pellemque arietis memorabilem gentibus reportare; sperans interitum viri, aut ex periculi tam longæ navigationis, aut ex bello tam profundæ barbariæ. Igitur Jason divulgata opinione tam gloriosæ expeditionis, cum ad eum certatim principes juventutis totius ferme Orbis concurrerent, exercitum fortissimorum virorum, qui *Argonautæ* cognominati sunt, comparavit: quem cum magnis rebus gestis incolumem reduxisset, rursus à Peliæ filiis Thessalia pulsus, magna vi cum ingenti multitudine, quæ ad famam virtutis ejus ex omnibus gentibus quotidie confluebat, comite Medea uxore, quam repudiatam miseratione exilii rursum receperat, & Medio privigno ab Ægeo rege Atheniensium genito, Colchos repetivit, socerumque etiam regno pulsum restituit.

Artabanus II. Rex Parthorum. O.C. 3873. a.C.N. 127. U.C. 626. Ol. 163.

Mithridates II. M. Rex Parthorum. O.C. 3876. a.C.N. 124. U.C. 629. Ol. 164.

Armeniæ origo.

Fines.

Ejus primi reges. O.C. 2760. a.C.N. 240. U.C. 513. Ol. 135.

CAP. III. Magna deinde bella cum finitimis gessit; captasque civitates partim regno soceri, ad abolendam superioris militiæ injuriam, qua & filiam ejus Medeam abduxerat, & filium Ægialium (*q*) interfecerat, adjunxit; partim populis quos secum adduxerat assignavit. Primusque humanorum post Herculem & Liberum, qui reges Orientis fuisse traduntur, eam cœli plagam domuisse dicitur. Populis quibusdam Recam (*r*) & Amphistratum, aurigas Castoris & Pollucis, duces assignavit. Cum Albanis fœdus percussit: qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cum, Geryone extincto, armenta ejus per Italiam duceret, sequuti dicuntur; quique memores Italicæ originis, exercitum Cn. Pompeji bello Mithridatico fratres salutavere. Itaque Jasoni totus ferme Oriens, ut conditori, divinos honores templaque constituit; quæ Parmenion, dux Alexandri Magni, post multos annos dirui jussit, ne cujusquam nomen in Oriente venerabilius, quam Alexandri esset. Post mortem Jasonis, Medius æmulus virtutis ejus, in honorem matris, Medeam urbem condidit; regnumque ex nomine suo Medorum constituit, sub cujus majestate Orientis postea imperium fuit. Albanis vicinæ Amazones sunt; quarum reginam Thalestrem concubitum Alexandri petisse, multi auctores prodidere. Armenius quoque & ipse Thessalus, unus de numero ducum Jasonis, recollecta multitudine, quæ amisso Jasone rege passim vagabantur, Armeniam condit: à cujus (*s*) montibus Tigris fluvius modicis primo incrementis nascitur: interjectis deinde aliquanto spatio, sub terras mergitur; atque ita post quinque & viginti millia passuum grande jam flumen in regione Sophene emergit, ac sic in paludes Euphratis recipitur.

Jasonis res gestæ.

Medius Medorum conditor.

Armenius Armeniæ conditor.

Tigris fluvii origo.

CAP. IV. Igitur Mithridates rex Parthorum post bellum Armeniæ, propter crudelitatem à Senatu Parthico, regno pellitur. Frater ejus Orodes, cum regnum vacans occupasset, Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsidet; & fame coactos, in deditionem oppidanos compellit. Mithridates autem fiducia cognationis ultro se in potestatem Orodis tradit. Sed Orodes plus hostem quam fratrem cogitans, in conspectu suo trucidari eum jussit; & post hæc bellum cum Romanis gessit, Crassumque imperatorem cum filio & omni exercitu Romano delevit. Hujus filius Pacorus missus ad persequendas Romani belli reliquias magnis rebus in Syria gestis, in Parthiam patri suspectus revocatur; quo absente, exercitus Parthorum relictus in Syria, à Cassio Quæstore Crassi, cum omnibus ducibus trucidatur. His ita gestis, non magno post tempore, Romanis inter Cæsarem Pompejumque civile bellum oritur; in quo Parthi Pompejanarum partium fuere, & propter amicitiam cum Pompejo bello Mithridatico junctam, & propter Crassi necem, cujus filium in partibus Cæsaris esse audierant; quem ultorem patris victore Cæsare futurum non dubitabant. Itaque victis partibus Pompejanis, & Cassio & Bruto auxilia adversus Augustum & Antonium misere; & post belli finem rursum Pacoro duce, inita cum Labieno societate, Syriam & Asiam vastavere, castraque Ventidii, qui post Cassium absente Pacoro exercitum Parthicum fuderat, magna mole aggrediuntur. Sed ille simulato timore, diu continuit se, & insultare Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos

Orodes Rex Parthorum. O.C. 3947. a.C.N. 53. U.C. 700. Ol. 181. Ejus parricidium.

Bellum cum Romanis.

Quod filius Pacorus persequitur.

felici successu.

(*o*) al. Sed & Artabanus. (*p*) al. Artavasdi. (*q*) al. & filium Oetæ. al. Ætæ seu Æetæ. (*r*) al. Frudium. al. Phrygium. (*s*) al. è cujus.

curos lætosque partem legionum emisit; quarum impetu fusi Parthi, in diversa abiere. Pacorus cum fugientes suos abduxisse secum legiones Romanas putaret, castra Ventidii, velut sine defensoribus, aggreditur. Tunc Ventidius reliqua parte legionum emissa, universam Parthorum manum cum rege ipso Pacoro interfecit; nec ullo bello Parthi unquam majus vulnus acceperunt. Hæc cum in Parthia nuntiata essent, Orodes pater Pacori, qui paulo ante vastatam Syriam, occupatam Asiam à Parthis audierat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte, & exercitus clade audita, ex dolore in furorem vertitur. Multis diebus non alloqui quemquam, non cibum sumere, non vocem mittere, ita ut etiam mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud quam Pacorum vocabat; Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui, cum illo consistere; interdum quasi amissum flebiliter dolebat. Post longum deinde luctum, alia sollicitudo miserandum senem invadit, quem ex numero XXX filiorum in locum Pacori regem destinet. Multæ pellices, ex quibus generata tanta juventus erat, pro suis quæque sollicitæ animum senis obsidebant. Sed fatum Parthiæ fecit, in qua jam quasi solenne est, reges parricidas habere, ut sceleratissimus omnium, & ipse Phrahates nomine, rex statueretur.

Tandem infelici.

Pacorus occisus à patre immodice lugetur.

Phrahates IV. Rex Parthorum. O. C. 3964. a. C. N. 36. U. C. 717. Ol. 186.

CAP. V. Itaque statim, quasi nollet mori, patrem interfecit; fratres quoque XXX (*t*) trucidat; sed nec in filiis cessant parricidia. Nam cum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset qui nominari rex posset, adultum filium interfici jubet. Huic Antonius propter auxilium adversus se & Cæsarem latum, bellum cum sedecim validissimis legionibus intulit; sed graviter multis præliis vexatus, à Parthia refugit. Qua victoria insolentior Phrahates redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exilium à populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo (*u*) auxilio in regnum restituitur. Hoc absente, regem Parthi Tiridatem quendam constituerant; qui audito adventu Scytharum, cum magna amicorum manu ad Cæsarem, in Hispaniam (*x*) bellum tunc temporis gerentem, profugit, obsidem Cæsari minimum filium Phrahatis ferens, quem negligentius custoditum rapuerat. Quo cognito, Phrahates legatos statim ad Cæsarem mittit, *servum suum Tiridatem, & filium remitti sibi* postulat. Cæsar & legatione Phrahatis audita, & Tiridatis postulatis cognitis, (nam & ipse restitui in regnum desiderabat, *juris Romanorum futuram Parthiam* affirmans, *si ejus regnum muneris eorum fuisset*) *neque Tiridatem dediturum se Parthis* dixit, *neque adversus Parthos Tiridati auxilia daturum.* Ne tamen per omnia nihil à Cæsare obtentum videretur, Phrahati filium sine pretio remisit; & Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumptum præberi jussit. Post hæc finito Hispaniensi bello, cum in Syriam ad componendum Orientis statum venisset, metum Phrahati incussit (*y*), ne bellum Parthiæ vellet inferre. Itaque tota Parthia captivi ex Crassiano, sive Antonii exercitu recollecti, signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed & filii nepotesque Phrahatis obsides Augusto dati; plusque Cæsar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius imperator facere potuisset.

Ejus horrenda parricidia.

In exilium pellitur.

Tiridates Parthorum rex ad Cæsarem fugit.

Augustus captivos & signa militaria à Parthis recipit.

LIBER XLIII.

CAPUT I.

Parthicis, Orientalibusque, ac totius propemodum Orbis rebus expeditus (*z*), ad initia Romanæ urbis Trogus, velut post longam peregrinationem domum revertitur; ingrati civis officium existimans, si, cum omnium gentium res gestas illustraverit, de sola patria taceat (*a*). Breviter igitur initia Romani imperii perstringit; ut nec modum propositi operis excedat, nec utique originem Urbis, quæ est caput totius Orbis, silentio prætermittat. Italiæ cultores primi Aborigines fuere, quorum rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit; sed omnia communia, & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. Ob cujus exempli memoriam cautum est, ut Saturnalibus exæquato omnium jure passim in conviviis servi cum dominis recumbant. Itaque Italia, regis nomine, *Saturnia*, appellata est; & mons, in quo habitabat, *Saturnius*; in quo nunc, veluti à Jove pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est. Post hunc tertio loco regnasse Faunum ferunt, sub quo Evander, ab Arcadiæ urbe Pallanteo, in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus & agros, & montem, quem ille postea *Palatium* (*b*) appellavit, benigne assignavit. In hujus radicibus templum Lyceo, quam Græci *Pana*, Romani *Lupercum* appellant, constituit; ipsum Dei simulacrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur. Fauno fuit uxor nomine Fatua, quæ assidue divino spiritu impleta, velut per furorem, futura præmonebat (*c*). Unde adhuc, qui inspirari solent, *fatuari* dicuntur. Ex filia Fauni & Hercule, qui eodem tempore, extincto Geryone, armenta victoriæ præmia per Italiam ducebat, stupro conceptus Latinus procreatur. Quo tenente regnum, Æneas ab Ilio, Troja à Græcis expugnata, in Italiam venit; statimque bello exceptus, cum in

Romani imperii initia.

Primi Italiæ cultores & Reges. Saturnus Circa an. O. C. 2674. a. C. N. 1326. a. U. C. 564.

Faunus.

Uxor ejus Fatua.

Latinus.

(*t*) al. fratres quoque omnes triginta. (*u*) al. maxime. (*x*) al. in Hispania. (*y*) al. injunxit. (*z*) al. explicitis. al. explicatis. (*a*) al. de sola tantum patria taceat. (*b*) al. Palatinum. (*c*) al. præcinebat. (*d*) al. utrique.

in aciem exercitum eduxisset, ad colloquium vocatus, tantam admirationem sui Latino præbuit, ut & in societatem regni reciperetur, & Lavinia in matrimonium ei data gener adsciscerctur. Posthæc commune utriusque (*d*) bellum adversus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas Laviniæ nuptias, fuit; in quo & Turnus & Latinus interierunt. Igitur cum Æneas jure victorie utroque populo potiretur, urbem ex nomine uxoris Lavinium (*e*) condidit. Bellum deinde adversus Mezentium, regem Etruscorum, gessit: in quo cum ipse occidisset, in locum ejus Ascanius filius successit, qui, Lavinio relicto, longam Albam condidit, quæ trecentis annis caput regni fuit.

Æneam recipit.

Turnus in bello cum Rutulis perit.

Æneas vero in bello cum Etruscis. O. C. 2801. a. C. N. 1199. a. U. C. 447.

CAP. II. Post multos deinde urbis hujus reges ad postremum Numitor & Amulius regno potiti sunt. Sed Amulius cum ætate priorem (*f*) Numitorem oppressisset, filiam ejus Rheam in perpetuam virginitatem, ne quis vindex regni sexus virilis ex gente Numitoris oriretur, demersit; addita injuriæ (*g*) specie honoris, ut non damnata; sed sacerdos electa videretur. Igitur clausa in luco Marti sacro, duos pueros, incertum stupro, an ex Marte conceptos, enixa est. Quo cognito, Amulius multiplicato metu proventu duorum, pueros exponi jubet, & puellam vinculis onerat, ex quorum injuria decessit. Sed Fortuna origini Romanæ prospiciens, pueros lupæ alendos obtulit; quæ amissis catulis, distenta ubera exinanire cupiens, nutricem se infantibus præbuit. Quum sæpius ad parvulos, veluti ad catulos, reverteretur, rem Faustulus pastor animadvertit, subtractosque feræ, inter greges pecorum agresti vita nutrivit. Martios pueros fuisse, sive quod in luco Martis enixi sunt, sive quod lupa quæ in tutela Martis est, nutriti, velut manifestis argumentis, creditum. Nomina pueris, alteri *Remo*, alteri *Romulo* fuere. Adultis inter pastores, de virtute quotidiana certamina, & vires & pernicitatem auxere. Igitur cum latrones à rapina pecorum industrie frequenterque summoverent, Remus ab iisdem latronibus captus, veluti ipse esset, quod in aliis prohibebat, regi offertur; crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc à rege Numitori in ultionem traditur. Sed Numitor adolescentia juvenis permotus, & in suspicionem expositi nepotis adductus, cum eum nunc lineamentorum filiæ similitudo, nunc ætas expositionis temporibus congruens, anxium tenerent, repente Faustulus cum Romulo supervenit; à quo, cognita origine puerorum, facta conspiratione, & adolescentes in ultionem maternæ necis, & Numitor in vindictam erepti regni armantur.

Numitor & Amulius Italiæ reges.

Rhea Remum & Romulum parit. O. C. 3230. a. C. N. 770. a. U. C. 18. Ol. 2.

Qui mira ratione educantur.

Et Numitori producuntur.

CAP. III. Occiso Amulio, regnum Numitori restituitur, & Urbs Romana ab adolescentibus conditur. Tunc & Senatus centum seniorum, qui *Patres* dicti sunt, constituitur: tunc & vicinis, connubia pastorum dedignantibus, virgines Sabinæ rapiuntur; finitimisque populis armis subjectis, primum Italiæ, & mox Orbis imperium quæsitum. Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci *sceptra* dixere. Nam & ab origine rerum pro diis immortalibus veteres, (16) hastas coluere; ob cujus religionis memoriam adhuc deorum simulacris hastæ adduntur. Temporibus Tarquinii regis, ex Asia Phocæensium (*h*) juventus, ostio Tiberis invecta, amicitiam cum Romanis junxit: inde in ultimos Galliæ sinus navibus profecta, Massiliam inter Ligures & feras gentes Gallorum condidit; magnasque res, sive dum armis se adversus Gallicam feritatem tuentur, sive dum ultro lacessunt, à quibus fuerant ante lacessiti, gesserunt: Namque Phocæenses exiguitate ac macie terræ coacti, studiosius mare quam terras exercuere; piscando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriæ habebatur, vitam tolerabant. Itaque in ultimam Oceani oram procedere ausi, in sinum Gallicum ostio Rhodani amnis devenere. Cujus loci amœnitate capti, reversi domum referentes quæ viderant, plures sollicitavere. Duces Classis Simos & Protis fuere. Itaque regem Segobrigiorum (*i*), Nannum nomine, in cujus finibus urbem condere gestiebant, amicitiam petentes conveniunt. Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiæ erat; quam more gentis, electo inter epulas genero, nuptum tradere illic parabat. Itaque cum ad nuptias invitati omnes proci essent (*k*), rogantur (*l*) etiam Græci hospites ad convivium. Introducta deinde virgo, cum juberetur à patre aquam porrigere ei, quem virum eligeret, tunc omissis omnibus ad Græcos conversa; aquam Proti porrigit; qui factus ex hospite gener, locum condendæ urbis à socero accepit. Condita igitur Massilia est prope ostia Rhodani amnis, in remoto sinu, velut in angulo maris. Sed ligures incrementis urbis invidentes, Græcos assiduis bellis fatigabant. Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, ut victis hostibus, in captivis (*m*) agris multas colonias constituerent.

Roma condita O. C. 3248. a. C. N. 752. U. C. 1. Ol. 7.

Hastæ loco sceptrorum.

Phocæenses Massiliam condunt.

Protis Dux Phocæensium Nanni gener.

Ligures Phocæensibus invident.

CAP. IV. Ab his igitur Galli, & usum vitæ cultioris, deposita & mansuefacta barbaria, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc & legibus, non armis vivere, tunc & vitem putare, tunc olivam serere consueverunt; adeoque magnus & hominibus & rebus impositus est nitor, ut non Græcia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Græciam translata videretur. Mortuo rege Nanno Segobrigiorum, à quo locus acceptus condendæ urbis fuerat, cum regno filius ejus Comanus successisset, affirmat Ligur quidam (*n*), *quandoque, Massiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendamque in ipso ortu, ne mox validior*

Phocæenses regionem colunt.

Comanus rex Segobrigiorum.

(*d*) al. utrique. (*e*) al. Laviniam. (*f*) al. potiorem. (*g*) al. addita injuria. (*h*) al. Phocensium. (*i*) al. Segobriorum. (*k*) al. invitati omnes processissent, rogantur &c. (*l*) al. vocantur. (*m*) al. in captis. (*n*) al. affirmante regulo quodam.

(16) Hastas coluere) Quod videre est in numo Neronis Tab. LXX. num. 6. in quo Jupiter in sella fulmen & hastam tenet. Conf. HEMELAR. Impp. Rom. numism. aur. Tab. IX. num. 9. p. 29.

lidior ipsum obrueret. Subnectit & illam fabulam: *Canem aliquando partu gravidam locum à pastore precario petisse, in quo pareret; quo obtento, iterato petisse, ut sibi educare eodem in loco catulos liceret; ad postremum, adultis catulis, fultam domestico præsidio, proprietatem loci sibi vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque dominos regionum futuros.* His incitatus rex, insidias Massiliensibus exstruit. Itaque solemni Floraliorum die multos fortes ac strenuos viros hospitii jure in urbem misit, plures sirpeis (*o*) latentes, frondibusque supertectos induci vehiculis jubet; & ipse cum exercitu in proximis montibus delitescit, ut, quam nocte à prædictis apertæ portæ forent, tempestive ad insidias adesset, urbemque somno ac vino sepultam armatis invaderet. Sed has insidias, mulier quædam, regis cognata, prodidit, quæ adulterare cum Græco adolescente solita, in amplexu juvenis, miserata formæ (*p*) ejus, insidias aperuit, *periculumque declinare* jubet. Ille rem statim ad magistratus defert, atque ita patefactis insidiis, cuncti Ligures comprehenduntur, latentesque de sirpeis protrahuntur. Quibus omnibus interfectis, insidianti regi insidiæ tenduntur. Cæsa sunt cum ipso rege hostium septem millia. Exinde Massilienses festis diebus portas claudere, vigilias agere, stationem in muris observare, peregrinos recognoscere, curas habere, ac veluti bellum habeant, sic urbem pacis temporibus custodire. Adeo illic bene instituta, non temporum necessitate, sed recte faciendi consuetudine servantur.

Insidias struit Phocæensibus.

Quæ produntur.

Et eliduntur.

CAP. V. Post hæc magna illis cum Liguribus, magna cum Gallis, fuere bella; quæ res, urbis gloriam auxit, & virtutem Græcorum, multiplicata victoria, celebrem inter finitimos reddidit. Carthaginiensium quoque exercitus, cum bellum captis piscatorum navibus ortum esset, sæpe fuderunt, pacemque victis dederunt; cum Hispanis amicitiam junxerunt; cum Romanis prope ab initio conditæ Urbis fœdus summa fide custodierunt, auxiliisque in omnibus bellis industrie socios juverunt. Quæ res illis & virium fiduciam auxit, & pacem ab hostibus præstitit. Cum igitur Massilia fama rerum gestarum, & abundantia opum, & virium gloria virente floreret, repente finitimi populi ad nomen Massiliensium delendum, veluti ad commune exstinguendum incendium concurrunt. Dux consensu omnium Catumandus regulus eligitur, qui, cum magno exercitu lectissimorum virorum urbem hostium obsideret, per quietem specie torvæ mulieris, quæ se deam dicebat, exterritus, ultro pacem cum Massiliensibus fecit, petitoque ut intrare illi urbem, & deos eorum adorare liceret, cum in arcem Minervæ venisset, conspecto in porticibus simulacro deæ, quam per quietem viderat, repente exclamat, *illam esse, quæ se nocte exterruisset; illam, quæ recedere ab obsidione jussisset.* Gratulatusque Massiliensibus, quod animadverteret, eos ad curam deorum immortalium pertinere, torque aureo donata dea, in perpetuum amicitiam cum Massiliensibus junxit. Parta pace, & securitate fundata, revertentes à Delphis Massiliensium legati, quo missi munera Apollini tulerant, audierunt Urbem Romanam à Gallis captam incensamque. Quam rem domi nuntiatam publico funere Massilienses prosequuti sunt: aurumque & argentum publicum privatumque contulerunt, ad explendum pondus Gallis, à quibus redemptam pacem cognoverant. Ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus spectaculorum in Senatu datus, & fœdus æquo jure percussum. In postremo libro, Trogus majores suos à Vocontiis originem ducere; avum suum Trogum Pompejum Sertoriano bello, civitatem è Cn. Pompejo percepisse dicit; patruum Mithridatico bello turmas equitum sub eodem Pompejo duxisse, patrem quoque sub Cajo Cæsare militasse, epistolarumque & legationum, simul & anuli curam habuisse.

Massiliensium bella.

Et fœdera.

Mira Massiliæ conservatio.

Massiliensium in Romanos benevolentia & munificentia.

Trogi Pompeji Majores.

LIBER XLIV.

CAPUT I.

Hispania sicuti Europæ terminos claudit, ita & hujus operis finis futura est. Hanc veteres ab Ibero amne primum Iberiam, postea ab Hispano Hispaniam cognominaverunt. Hæc inter Africam & Galliam posita, Oceani freto, & Pyrenæis montibus clauditur. Sicut minor utraque terra, ita utraque fertilior. Nam neque, ut Africa, violento sole torretur, neque, ut Gallia assiduis ventis fatigatur; sed media inter utramque; hinc temperato calore, inde felicibus & tempestivis imbribus, in omnia frugum genera fœcunda est; adeo ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiæ Urbique Romanæ, cunctarum rerum abundantiam sufficiat. Hinc enim non frumenti tantum magna copia est, verum & vini, mellis oleique; nec ferri solum materia præcipua est, sed & equorum pernices greges; nec summæ (*r*) tantum terræ laudanda bona, verum & abstrusorum metallorum felices divitiæ. Jam lini, spartique vis ingens; minii certe nulla feracior terra. In hac cursus amnium non torrentes rapidique, ut noceant; sed lenes, & vineis campisque irrigui, æstuariisque Oceani affatim piscosi: plerique etiam divites auro, quod in paludibus vehunt. Uno tantum Pyrenæi montis dorso adhæret Galliæ; reliquis partibus undique in orbem mari cingitur. Forma terræ prope quadrata, nisi quod artantibus freti littoribus in Pyrenæum coit. Porro Pyrenæi montis spatium sexcenta millia passuum efficit. Salubritas cœli per omnem Hispaniam æqualis, quia aëris spiritus nulla paludium gravi nebula inficitur. Huc accedunt & marinæ auræ, undique versus assidui flatus, quibus omnem provinciam penetrantibus

Hispaniæ nomen.

Situs.

Fertilitas.

Amnes.

Claustra.

Forma.

Salubritas.

(*o*) al. scirpiis. (*p*) al. formam. (*q*) al. summa.

tibus eventilato terrestri spiritu præcipua hominibus sanitas redditur.

Hispanorum mores.

CAP. II. Corpora hominum ad inediam, laboremque, animi ad mortem parati. Dura omnibus & adstricta parcimonia. Bellum quam otium malunt; si extraneus deest, domi hostem quærunt. Sæpe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui; adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitæ. Celebratur etiam bello Punico servi illius patientia, qui ultus dominum inter tormenta risu exsultavit, serenaque lætitia crudelitatem torquentium vicit. Velocitas genti pernix; inquies animus; plurimis militares equi, & arma, sanguine ipsorum cariora. Nullus in festos dies epularum adparatus. Aqua calida lavari, post secundum bellum Punicum à Romanis didicere. In tanta seculorum serie nullus illis dux magnus, præter Viriatum fuit, qui annis decem Romanos varia victoria fatigavit, adeo feris propiora, quam hominibus, ingenia gerunt. Quem ipsum non judicio populi electum, sed ut cavendi scientem, declinandorumque periculorum peritum, sequuti sunt. Cujus ea virtus continentiaque fuit, ut, cum Consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutaverit; sed in eo habitu, quo primum bellare cœpit, perseveraverit; ut quivis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur.

Viriatus dux Hispanorum.

Ejus continentia.

Equarum Lusitanicarum fabula.

CAP. III. In Lusitanis juxta fluvium Tagum, vento equas fœtus concipere multi auctores prodidere, quæ fabulæ ex equarum fœcunditate, & gregum multitudine natæ sunt; qui tanti in Gallæcia (r), & Lusitania, ac tam pernices visuntur, ut non immerito vento ipso concepti videantur. Gallæci autem Græcam sibi originem asserunt. Siquidem post finem Trojani belli, Teucrum, morte Ajacis fratris invisum, patri Telamoni, quum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, atque ibi urbem nomine antiquæ patriæ Salaminam condidisse. Inde accepta opinione paternæ mortis, patriam repetisse. Sed quum ab Eurysace, Ajacis filio, accessu prohiberetur, Hispaniæ littoribus appulsum, loca, ubi nunc est Carthago nova, occupasse; inde Gallæciam transisse; & positis sedibus genti nomen dedisse. Gallæciæ autem portio, Amphilochi dicuntur. Regio cum æris ac plumbi uberrima, tum & minio (s), quod etiam vicino flumini nomen dedit. Auro quoque ditissima, adeo ut etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. In hujus gentis finibus sacer mons est, quem ferro violari nefas habetur; sed si quando fulgure terra proscissa est, quæ in his locis assidua res est, detectum aurum velut dei munus colligere permittitur. Feminæ res domesticas, agrorumque culturas administrant; ipsi armis, & rapinis serviunt. Præcipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior: quippe temperamento ejus ferrum acrius redditur; nec ullum apud eos (t) telum probatur, quod non aut Bilbili fluvio, aut Chalybe tingatur. Unde etiam Chalybes, fluvii hujus finitimi appellati, ferroque ceteris præstare dicuntur.

Gallæcorum origo.

Divitiæ.

Miranda.

CAP. IV. Saltus vero Tartesiorum, in quibus Titanas bellum adversus deas gessisse proditur, incoluere Ceunetes (u); quorum rex vetustissimus Gargoris, mellis colligendi usum primus invenit. Huic cum ex filiæ stupro nepos provenisset, pudore flagitii, variis generibus exstingui parvulum voluit; sed per omnes casus fortuna quadam servatus, ad postremum ad regnum tot periculorum miseratione (x) pervenit. Primum omnium cum eum exponi jussisset, & post dies ad corpus expositi requirendum misisset, inventus est vario ferarum lacte nutritus. Deinde relatum domum, tramite angusto, per quem armenta commeare consueverant, projici jubet; crudelis prorsus, qui proculcari nepotem, quam simplici morte interfici maluit. Ibi quoque cum inviolatus esset, nec alimentis egeret, canibus primo jejunis, & multorum dierum abstinentia cruciatis, mox etiam suibus objecit. Itaque cum non solum non noceretur, verum etiam quarundam uberibus aleretur; ad ultimum in Oceanum abjici jussit. Tum plane manifesto quodam numine inter furentes æstus, ac reciprocantes undas, velut nave non fluctu veheretur, leni salo in littore exponitur; nec multo post cerva affuit, quæ ubera parvulo offerret. Inde denique conversatione nutricis eximia puero pernicitas fuit, interque cervorum greges diu montes saltusque, haud inferior velocitate peragravit. Ad postremum laqueo captus, regi dono datus est. Tunc & lineamentorum similitudine, & notis corporis, quæ inustæ parvulo fuerant, nepos agnitus. Admiratione deinde tot casuum periculorumque, ab eodem successor regni destinatur. Nomen illi impositum *Habidis*; qui ut regnum accepit, tantæ magnitudinis fuit, ut non frustra deorum majestate tot periculis ereptus videretur; quippe barbarum populum legibus junxit; & boves primus aratro domari; frumentaque sulco quærere docuit; & ex agresti cibo mitiora vesci, odio eorum, quæ ipse passus fuerat, homines coëgit. Hujus casus fabulosi viderentur, nisi & Romanorum conditores lupa nutriti, & Cyrus rex Persarum cane alitus proderetur. Ab hoc & ministeria servilia populo interdicta, & plebs in septem urbes divisa. Mortuo Habide regnum per multa secula à successoribus ejus retentum est. In alia parte Hispaniæ, & quæ ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac, tanta pabuli lætitia est, ut nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur, tantæ famæ fuere, ut Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint. Porro Geryonem ipsum non triplicis naturæ, ut fabulis proditur, fuisse ferunt; sed tres fratres tantæ concordiæ exstitisse, ut uno animo omnes regi viderentur; nec bellum Herculi sua sponte intulisse, sed cum armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetisse.

Gargoris sævitia in nepotem Habidem.

Qui mire servatur.

Princeps fit Gallæciæ & finitimarum regionum.

Geryonis, qui triplex fabulis dicitur, regnum.

Tttt CAP. V,

(r) al. Gallecia. (s) al. minii. (t) al. ad eos. (u) al. Curetes. (x) admiratione.

Carthaginiensium imperium.

CAP. V. Post regna deinde Hispaniæ, primi Carthaginienses imperium provinciæ occupavere. Nam cum Gaditani à Tyro, unde & Carthaginiensibus origo est, sacra Herculis, per quietem jussi, in Hispaniam transtulissent, urbemque ibi condidissent, invidentibus incrementis novæ urbis finitimis Hispaniæ populis, ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginienses misere. Ibi felici expeditione & Gaditanos ab injuria vindicaverunt, & majorem partem provinciæ imperio suo adjecerunt. Postea quoque hortantibus primæ expeditionis auspiciis, Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad occupandam provinciam misere: qui magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius se quitur, in insidias deductus, occiditur. In hujus locum gener ipsius Hasdrubal mittitur; qui & ipse à servo Hispani cujusdam, ulciscente domini injustam necem, interfectus est. Major utroque Annibal imperator, Hamilcaris filius succedit. Siquidem utriusque res gestas supergressus, universam Hispaniam domuit: inde Romanis illato bello, Italiam per annos sexdecim variis cladibus fatigavit: cum interea Romani missis in Hispaniam Scipionibus, primo Pœnos provincia expulerunt: postea cum ipsis Hispanis gravia bella gesserunt. Nec prius, perdomita provincia, jugum Hispani accipere potuerunt, quam Cæsar Augustus perdomito Orbe, victricia ad eos arma transtulit, populumque barbarum ac ferum, legibus ad cultiorem vitæ usum traductum, in formam provinciæ redegit.

Ejus duces Hamilcar Hasdrubal & Annibal violenta morte pereunt.

Hispania fit Provincia Romanorum sub Cæsare Augusto.

PROLOGI
HISTORIARUM
PHILIPPICARUM POMPEII TROGI.

PROLOGUS LIB. I.

PRimo volumine continentur hæc. Imperium Assyriorum a Nino rege, usque ad Sardanapalum. Post quem translatum est per Arbacem ad Medos, usque ad ultimum regem Astiagen. Is à nepote suo Cyro pulsus regno: & Persæ regno potiti. Ut Crœso Lydiæ regi bellum intulit Cyrus, victumque cepit. Hic in excessu dicti Æolicarum & Jonicarum urbium situs; originesque Lydorum, & in Italia Tuscorum. Post Cyrum, filius Cambyses Ægyptum domuit. Repetitæ Ægypti origines urbium. Extincto Cambyse, Darius occisis Magis regnum Persicum accepit; captaque Babylone, bella Scythica molitus est.

PROLOGUS LIB. II.

SEcundo volumine continentur hæc: Scythiæ & Ponti situs; originesque Scythiæ; usque ad bellum, quo est inde pulsus Darius: qui post hanc fugam Græciæ bellum intulit, per Datin & Tisafernem, quod soli Athenienses tenuere. Hic origines Athenarum repetitæ, & reges usque ad Pisistrati tyrannidem, qua extincta ratione vicere Persas. Ut mortuo Dario filius ejus Xerxes bellum Græciæ intulit: ac repetitæ origines Thessaliæ: expulsoque Græcia Xerxe, bellum ab Atheniensibus translatum in Asiam, usque ad Xerxis interitum.

PROLOGUS LIB. III.

TErtio volumine continentur hæc. Ut mortuo Xerxe filius Artaxerxes, pulso interfectore patris Artabano, bellum cum defectore Ægypti habuit: primoque dux ejus Achæmenes victus est; iterum per Agabazum Ægypto recepta. Ut Græcis cum rege pacificatis, bella inter ipsos orta sunt. Inde repetitæ Peloponnensium origines: ut ab Herculis posteris Dorico populo sit occupata. Deinde bella Argolica & Messiania: coalitique Sicroniæ & Corinthio tyranni. Bellum Criseum: & quod Athenienses primo cum Bœotis, dein cum Peloponnesiis gesserunt.

PROLOGUS LIB. IV.

QUarto volumine continentur res Siculæ, ab ultima origine, usque ad deletam Syracusis Atheniensium classem.

PROLOGUS LIB. V.

QUinto volumine continentur hæc. Bellum inter Athenienses & Lacedæmonios, quod Deceleicum vocatur, usque ad captas Athenas. Ut expulsi sunt Athenis triginta tyranni. Bellum quod Lacedæmonii in Asia cum Artaxerxe gesserunt, propter Grissum initum. Hinc repetitum in excessu Cyri cum fratre bellum; & Græcorum, qui sub eo militaverunt.

PROLOGUS LIB. VI.

SExto volumine continentur hæc. Bellum Lacedæmoniorum gestum in Asia cum Persicis præfectis, ducibus belli Herculide & Agesilao, usque ad prælium navale factum Cnido: quo victis illis, Athenienses repetiere imperium. Dein bellum Corinthiacum, & bellum Bœoticum, quo Leuctris & Mantineæ victi Spartani, amisere imperium. In Thessalia deinde Jasonis & post illum Alexandri Pheræi coalitum atque extinctum imperium. Tum sociale bellum gestum adversus Athenienses Achæis, & Rhodiis, & Byzantiis. Transitus hinc ad res Macedonicas.

PRO-

Nota) Prologos hos, Erudite Lector, à quocumque fuerint conscripti, ut Historiarum Trogi series, & quæ à Justino in Epitome prætermissa sint, ex iis appareat, apponimus ex Emendationibus BONGARSII, MODII, VORSTII aliorumque, ad exemplum Clarissimi JO. GEORG. GRÆVII in sua Justini Editione de Ao. 1701.

PROLOGUS LIB. VII.

SEptimo volumine continentur origines Macedonicæ, regesque à conditore gentis Carano, usque ad magnum Philippum: ipsius Philippi res gestæ usque ad captam urbem Mothonem. Additæ in excessu Illyriorum & Pæonum origines.

PROLOGUS LIB. VIII.

OCtavo volumine continentur res gestæ Philippi magni, post captam urbem Mothonem, à principio belli Phocensis, quod sacrum vocant, usque ad finem ejus: interjectumque huic bellum, quod Philippus cum Chalcedoniis urbibus gessit, quarum clarissimam delevit Olynthon. Ut Illyrici reges ab eo victi sunt; & Thracia atque Thessalia ab eo subacta: & rex Epiro datus Alexander ejecto Aryba: & frustra Perinthos oppugnata.

PROLOGUS LIB. IX.

NOno volumine continentur hæc. Ut Philippus à Perintho summotus. Byzantii origines, à cujus obsidione summotus Philippus, Scythiæ bellum intulit. Repetitæ inde Scythicæ res, ab his temporibus, in quibus illa prius finierant, usque ad Philippi bellum, quod cum Athea, Scythiæ rege, gessit. Unde reversus, Græciæ bellum intulit: victorque Cheroneæ, cum bella Persica moliretur, præmissa classe cum ducibus, à Pausania occupatis angustiis, nuptiarum filiæ die occisus est, priusquam bella Persica inchoaret. Repetitæ res inde Persicæ à Dario Notho, cui successit filius Artaxerxes cognomine Mnemon: qui post fratrem Cyrum victum, pulsaque Gnido per Gonona classe Lacedæmoniorum, bellum cum Evagora rege Cyprio gessit: originesque Cypri repetitæ.

PROLOGUS LIB. X.

DEcimo volumine continentur Persicæ res, ut Artaxerxes Mnemon pacificatus cum Evagora rege Cyprio, bellum Ægyptium in urbe Ace compararit: ipse in Caduiiis victor: defectores in Asia purpuratos suos persequutus, primum Dopanem præfectum Paphlagonum origo repita: Dein præfectum Hellesponti Ariobarzanen: deinde in Syria præfectum Armeniæ Orontem, omnibusque victis decesserit, filio successore Ocho. Is deinde occisis optimatibus Sidona accepit; Ægypto bellum ter intulit. Ut post mortem Ochi regnarit Arses. Dein Dareus, qui cum Alexandro Macedonum rege bello conflixit.

PROLOGUS LIB. XI.

UNdecimo volumine continentur res gestæ Alexandri Magni, usque ad interitum regis Persarum Darii. Dictæque in excessu origines & reges Cariæ.

PROLOGUS LIB. XII.

DUodecimo volumine continentur Alexandri Magni bella Bactriana & Indica, usque ad interitum ejus. Dictæque in excessu res à præfecto ejus Antipatro in Græcia gestæ, & ab Archidamo rege Lacedæmoniorum, Molossoque Alexandro in Italia, quorum ibi est uterque cum exercitu deletus. Additæ his origines Italicæ Apulorum, Samnitum, Sabinorum; & ut Zopyrion in ponto cum exercitu periit.

PROLOGUS LIB. XIII.

TErtiodecimo volumine continentur hæc. Ut mortuo Alexandro, optimates castrorum ejus, provinciarum imperia sint partiti: ut veterani, qui ab eodem lecti erant in colonias, moliti, relictis illis, in Græciam redire, à Phithone sint deleti. Bellum Lamsacum, quod Antipater in Græcia gessit. Bellum quo Perdiccas regem Ariaratem occidit, & occisus est. Bellum, quo Eumenes Neoptolemum & Craterum occidit. Additæ in excessu origines regesque Cyrenarum.

PROLOGOS LIB. XIV.

QUartodecimo volumine continentur hæc: Bellum inter Antigonum & Eumenem gestum. Quem ut Cappadocia expulit Antigonus, sic Phrygia majore Aridæum & Cliton: victus in Hellesponto navali bello. Repetitum rursus bellum ab Eumene per Argyraspydas, quo victus ab Antigono, interiit. Ut in Macedonia Cassander victo Polyperchonte, receptaque à defectore Munychia, matrem Alexandri Olympiada, Pydnæ obsessam interfecit.

PROLOGUS LIB. XV.

QUintodecimo volumine continentur hæc. Ut Demetrius, Antiochi filius, Gazæ victus est à Ptolomæo. Ut Cassander in Macedonia filium Alexandri regis interfecit: ac alterum Polyperchontes. Ut Ptolemæum vicit classe Demetrius: idemque ab obsidione Rhodi summotus est. Repetita in excessu origo Rhodiorum: unde digressus Demetrius liberavit à Cassandro Græciam. Dein pater ejus Antigonus bellum cum Lysimacho & Seleuco habuit. Repetitæ Seleuci res, & regis Indiæ Sandrocotti. Ut victus bello Antigonus interiit; reliquiæque imperii sunt à filio collectæ: & Leonidæ inde Spartani res gestæ Corcyræ & Illyrico, & in Italia, cui ablata Corcyra, rex Cassander interiit.

PROLOGUS LIB. XVI.

SExtodecimo volumine continentur hæc. Ut mortuo Cassandro, ortisque inter filios ejus certaminibus, Demetrius adjutor alteri adhibitus, occiso eo, Macedoniæ regnum tenuit: quo mox ejectus à Pyrrho Epiri rege, translatis in Asiam bellis; captus à Seleuco decessit. Ptolomæus nuncupato successore filio Philadelpho decessit. Ut Lysimachus in Ponto captus ac missus Andromacha: rursus in Asia civitates, quæ sub Demetrio fuerant, & in Ponto Heracleam occuparit. Repetitæ inde Bithyniæ & Heracleoticæ origines; tyrannique Heracleæ Clearchus & Satyrus & Dionysius, quorum filiis interfectis Lysimachus occupavit urbem.

PROLOGUS LIB. XVII.

SEptimodecimo volumine continentur hæc. Ut Lysimachus, occiso filio Agathocle, per nover-

novercam Arsinoën, bellum cum rege Seleuco habuit, quo victus interiit: ultimumque certamen commilitonum Alexandri fuit. Ut Seleucus amissis in Cappadocia cum Diodoro copiis, interfectus est à Ptolemæo fratre Arsinoës uxoris Lysimachi, in cujus vicem Ptolemæus cognomine Ceraunus, creatus ab exercitu rex, Macedoniam occupavit: bella cum Antiocho & Pyrrho composuit, datis Pyrrho auxiliis, quibus iret contra Romanos, defensum Tarentum. Inde repetitæ origines regum Epiroticorum, usque ad Pyrrhum: ipsiusque Pyrrhi res gestæ, priusquam in Italiam trajecit.

PROLOGUS LIB. XVIII.

OCtavo decimo volumine continentur res à Pyrrho Epirota in Italia gestæ contra Romanos. Postque id bellum, transitus ejus in Siciliam adversus Carthaginienses. Inde origines Phœnicum, & Sidonis, & Veliæ Carthaginumque res gestæ in excessu dictæ.

PROLOGUS LIB. XIX.

UNdevicesimo volumine continentur res Carthaginiensium in Africa per rubellum annorum gestæ: & in Siciliam, cum Selinum Temetegantum & Gametinam & Gelam ceperunt: quo bello Dionysius Syracusanus Siciliæ regnum occupavit. Bellum quod cum eo Pœni per Imilconem gesserunt, quod obsidione Syracusarum exercitum & classem amisit.

PROLOGUS LIB. XX.

VIcesimo volumine continentur res gestæ Dionysii Siculi patris. Ut pulsis Pœnis Italica bella sit molitus. Inde repetitæ origines Venetorum, & Græcorum, & Gallorum, qui Italiam incolunt. Deductisque Dionysii rebus ad interitum ejus, dictæ, quas Anno magnus in Africa gessit.

PROLOGUS LIB. XXI.

UNo & vicesimo volumine continentur hæc. Ut in Sicilia Dionysius filius à patre amisso tractarit imperium. Per Dionem ejectus bellum cum Siculis gessit: donec amissis liberis & fratribus Corinthum à Timoleonthe Carthaginiensium bello sit liberata Sicilia: mortuoque Pisistrato iterum facta seditione arcessit ad bellum Carthaginienses obsederunt Syracusas: quo bello Agathocles nactus imperium est.

PROLOGUS LIB. XXII.

SEcundo & vicesimo volumine continentur hæc. Res gestæ Agathoclis: ut à Pœnis nactus imperium, bellum cum ipsis gessit, primum in Sicilia, dehinc victus, trajecit in Africam, ubi possessa provincia Ophellam regem Cyrenarum interfecit. Ut rursurs, in Siciliam reversus, occupata totius insulæ dominatione, cum revertisset in Africam, amissis copiis, solus inde profugit in Siciliam: belloque ibi repetitus, & cum Pœnis pacem composuit, & dissidentes à se Siculos subjecit.

PROLOGUS LIB. XXIII.

TErtio & vicesimo volumine continentur hæc. Ut Agathocles domita Sicilia bellum in Italia Bruttiis intulerit. Repetitæ inde Bruttiorum origines: omnibus subactis, rex, seditione filii exhereditati ac nepotis oppressus, interiit. Inter peregrinos deinde milites ejus & Siculos bellum motum: quæ causa Pyrrhum regem Epiri in Siciliam adduxit: bellaque Pyrrhus cum Pœnis & Mamertinis ibi gessit: & à Sicilia reversus in Italiam, victus prælio à Romanis revertit in Epirum.

PROLOGUS LIB. XXIV.

QUarto & vicesimo volumine continentur, Bellum, quod inter Antigonum Gonatam, & Antiochum Seleuci filium in Asia gestum est. Bellum, quod Ptolemæus Ceraunus in Macedonia cum Monio Illyrico & Ptolemæo Lysimachi filio habuit: utque Arsinoën sororem suam imperio Macedonicarum urbium exuit. Ipse, cum Belgio Gallorum duce congressus, interiit. Repetitæ inde Gallorum origines, qui Illyricum occuparant; atque ut ingressi Græciam, Brenno duce, Delphis victi deletique sunt.

PROLOGUS LIB. XXV.

QUinto & vicesimo volumine continentur hæc: Ut Antigonus Gallos delevit: deinde cum Apollodoro Cassandreæ tyranno bellum habuit. Ut Galli transierint in Asiam, bellumque cum rege Antigono & Bithynio gesserunt: quas regiones Felini occuparunt. Ut Pyrrhus ex Italia reversus, regno Macedoniæ Antigonum exuerit; Lacedæmoniam obsederit; Argis interierit: filiusque ejus Alexander Illyricum cum Mytilo bellum habuerit.

PROLOGUS LIB. XXVI.

SExto & vicesimo volumine continentur hæc: Quibus in urbibus Græciæ dominationem Antigonus Gonatas constituerit; Ut defectores Gallos Megaris delevit: regemque Lacedæmoniorum Area Corinthi interfecit. Dehinc cum fratris sui Crateri filio Alexandro, bellum habuerit. Ut princeps Achaiæ Aratus Sicuonem & Corinthum & Megara occuparit. Ut in Syria rex Antiochus, cognomine Soter, altero filio occiso, altero rege nuncupato Antiocho, decesserit. Ut in Asia filius Ptolemæi regis socio Timarcho desciverit à patre. Ut frater Antigoni Demetrius, occupato Cyrenis regno, interiit. Ut mortuo rege Antigono, filius ejus Seleucus Gallinicus regnum acceperit.

PROLOGUS LIB. XXVII.

SEptimo & vicesimo volumine continentur hæc: Seleuci bellum in Syria adversus Ptolemæum. Item in Asia adversus fratrem suum Hieracem: quo bello Anguræ victus est à Gallis. Utque Galli Pergamo victi ab Attalo Lambitunum occiderint. Ut Ptolemæus eum denuo captum, interfecerit; & Antigonum Andro prælio navali prona vicerit, & à Gallinico fusus, in Mesopotamia Antiochus insidiantem sibi effugit Artamenem. Dein postea custode Stryponio, quo à Gallis occiso Seleucus quoque frater ejus decesserit, majoremque filiorum ejus Epacorios occiderit.

PROLO-

PROLOGUS LIB. XXVIII.

OCtavo & vicesimo volumine continentur hæc: Ut mortuo rege Epiri Alexandro, Laudamiam Epirotæ occiderint. Dictique in excessu Bastarnici motus. Ut rex Macedoniæ Demetrius sit à Dardanis fusus; quo mortuo tutelam filii ejus Philippi suscepit Antigonus, qui Thessaliam Mœsiam, Cariam subjecit: & adjutis Achæis contra regem Spartanum Cleomenem, cepit Lacedæmona: amissoque regno Cleomenes Spartanos confugit Alexandriam, atque ibi interiit. Dictum in excessu bellum Illyricum, quod Romani gessere cum Teuta.

PROLOGUS LIB. XXIX.

UNdetricesimo volumine continentur hæc: Res gestæ Philippi regis adversus Dardanos, & Ætolos. Repetitæque inde Creticæ origines: Post cujus insulæ societatem, Philippus cum Illyriis, & Dardanis, & rursus Ætolis bello congressus est: adjuvantibus Ætolos Romanis: Quo finito intulit Ætolis bellum.

PROLOGUS LIB. XXX.

TRricesimo volumine continentur hæc. Ut mortuo Ptolemæo Utrosphonæ, filius ejus Philopator Antiochum regem vicit, turnique postea amore Agathocleæ corruptus decessit, relicto filio pupillo: in quem cum Philippo rege Macedonum consensit Antiochus. Philippi deinde gesta in Asia, cum movisset Ætola bella. A quibus reversus bellum habuit cum ducibus Romanis Sulpicio & Flaminio, quibus victus, pax. Transitus deinde ad res Antiochi, qui post regnum acceptum persequutus defectores in Media Molonem, in Asia Maccheum, quem obsedit Sardibus; pacata superiore Asia Bactris tenus, in Romana bella descendit.

PROLOGUS LIB. XXXI.

UNo & tricesimo volumine continetur bellum, quod cum Lacedæmonio Nabide Titus Flamininus & Philopœmen dux Achæorum gessit. Item bellum, quod cum Antiocho in Achaja per Achilium consulem, & in Asia per Scipionem gestum est. Denique Annibalis ad regem ab Carthagine fuga. Bellum cum Ætolis gestum per eundem Achilium qui Antiochum Græcia expulerat.

PROLOGUS LIB. XXXII.

SEcundo & tricesimo volumine continentur hæc. Defectio ab Achaeis Lacedæmoniorum & Messeniorum, qua Philopœmen interiit. Romanorum in Asia duce Manlio adversum Gallos bellum. Reges Philippi propter ablatas sibi civitates, alienatus in Romanos animus; & ob hoc alter filiorum Demetrius occisus: Concitatique ab eo Bastarnæ, transire conati in Italiam. Inde in excessu dictæ res Illiricæ, ut Galli, qui occuparant Illyricum, rursus redierunt in Galliam, originesque Pannoniorum, & incrementa Daciorum, per Ruboboften regem. In Asia bellum à rege Eumene gestum adversus Gallum Ortiagonem, Pharnacem Ponticum, & Prusiam, adjuvante Prusiam Annibale Pœno. Res gestæ Annibalis post victum Antiochum. Et mox mortuo Seleuco filio magni Antiochi successit regno frater Antiochus.

PROLOGUS LIB. XXXIII.

TErtio & tricesimo volumine continentur hæc. Ut cum Perse Philippi filio, rege Macedonum, Romani bellum gesserint: quo capto deleta est Epiros. Ætolicæ civitates ab unitate corporis deductæ, inter Achæos & Lacedemonios certamine orto: Bellum rursum in Macedonia gestum à Romanis cum Pseudo-Philippo.

PROLOGUS LIB. XXXIV.

QUarto & tricesimo volumine continentur hæc. Bellum Achaicum, quod Romani per Marcellum & Mummium gessere: quo diruta est Corinthus. Bellum regis Eumenis cum Gallogræcis, & in Pisidia cum Selegensibus. Res quas gessit Syriæ rex Antiochus, & rex Ægypti Ptolemæus. Repetitæ inde origines regum Cappadocum, Epiphanes, ut mortuo Ptolemæo, relicti ab eo filii duo Filometor & Evergetes primum cum Antiocho habuere bellum, quod per Romanos finitum est; deinde inter se, quo major est expulsus; restitutoque, Romani inter fratres regna diviserunt. Ut mortuo rege Syriæ Antiocho, Demetrius cognomine Soter, qui Romæ fuerat obses, clam fugit; occupataque Syria bellum cum Timarcho Medorum rege habuit, & Ariarathe rege Cappadocum. Ut habita inter Ariarathen & Orophernem regni certamina. Ut mortuo rege Asiæ Eumene, suffectus Attalus bellum cum Selegensibus habuit, & cum rege Prusia.

PROLOGUS LIB. XXXV.

QUinto & tricesimo volumine continentur hæc. Bellum Ripaticum inter Cretas & Rhodios: seditio Gnidiorum adversum Cerinenses. Et adversus Demetrium Sotera subornatus est Alexander, tanquam genitus Epiphane Antiocho: quo bello victus Demetrius, invisum stultitia Alexandrum bello vicit, adjuvante Ptolemæo Filometore, qui eo bello interiit. Ut deinde orta Demetrio bella sint cum Diodoto Tryphone: expulsusque à Tryphone regno Syriæ Demetrius. Repetit inde superioris Asiæ motus, factos per Aretheum & Arsacen Parthum.

PROLOGUS LIB. XXXVI.

SExto & tricesimo volumine continentur hæc. Ut Trypho, pulso Syria Demetrio, captoque à Parthis, bellum gessit cum fratre ejus Antiocho cognomine Sidete; ut Antiochus interfecto Hyrcano, Judæos subegit. Repetita inde in excessu origo Judæorum. Ut rex Asiæ Attalus Cenostracas subegit: successoremque imperii Attalum Philometora reliquit. Mortuo denique Philometore regno Asiæ occupato, bellum cum Romanis gessit, quo captus est.

PROLOGUS LIB. XXXVII.

SEptimo & triceſimo volumine continentur hæc. Repetitis regum Ponticorum originibus, ut ultimum ad Mithridatem Eupatora ſeries imperii deducta ſit: Atque ut ingreſſus ille regnum, ſubegit Pontum & Paphlagoniam, priuſquam in bella Romana deſcendit. Dictæque in exceſſu regum Boſphoranorum & Colchorum origines, & res geſtæ.

PROLOGUS LIB. XXXVIII.

OCtavo & triceſimo volumine continentur hæc. Ut Mithridates Eupator occiſo Ariarathe Cappadociam occuparit; victoque Nicomede & Malthino Bithyniam. Ut mortuo Ptolemæo Philometore frater ejus Phyſcon accepit regnum Ægypti ſeditione populi: deinde bellum cum uxore ſua Cleopatra & cum rege Syriæ Demetrio habuit. Inde repetitum, ut Demetrius captus ſit à Parthis, (bellumque) intulerit qui cum exercitu ſuo deletus eſt.

PROLOGUS LIB. XXXIX.

NOno & triceſimo volumine continentur hæc. Ut extincto à Parthis Antiocho Sidete, frater ejus demetrius dimiſſus regnum Syriæ recepit: ſubornatoque in bellum adverſus eum Alexandro Zabbineo interiit: filiuſque Antiochus Grypos, victo Zabbineo regnum occupavit. Dehinc cum fratre ſuo Antiocho Cycizeno bellum in Syria Ciliciaque geſſit. Ut Alexandria, mortuo rege Ptolemæo Phyſcone filius ejus Ptolemæus Lathyros, accepto regno expulſus eſt à matre Cyprum; & in Syria bello petitus ab eadem ſuffecto in locum ejus Alexandro, donec occiſa per Alexandrum matre recepit Ægypti regnum. Ut poſt Lathyrum filius Alexandri regnarit, expulſoque eo ſuffectus ſit Ptolemæus Nothus. Ut Syriam Judæi & Arabes terreſtribus latrociniis infeſtarint. Mari Cilices piraticum bellum moverunt, quod in Cilicia Romani per Antonium geſſerunt. Ut in Syria Heracleo poſt mortem regis occuparint imperium.

PROLOGOS LIB. XL.

QUadrageſimo volumine continentur hæc. Ut mortuo Grypo rege, Cizycenus cum filiis ejus bello congreſſus, interiit. Hi deinde à filio Cizyceni Euſebe interfecti, extinctaque regali Antiochorum domo, Tigranes Armenius Syriam occupavit. Cui mox victo, Romani abſtulere eam. Ut Alexandriam poſt interitum Ptolemæi Lathyri ſubſtituti ſint ejus filii, alteri data Cypros, cui poſt Claudii rogationem Romani abſtulerunt eam; alter, ſeditione agitatus Alexandria Romam profugit: belloque per Gabinium geſto recepit imperium: quo mortuo ſucceſſit filius, qui cum ſorore Cleopatra certamine inſumpto & Pompejum magnum interfecit, & bellum cum Cæſare Alexandriæ geſſit. Ut ſucceſſit ejus ſoror regno Cleopatra, quæ inligato in amorem ſuum M. Antonio, belli Actiaci fine extinxit regum Ptolemaicorum.

PROLOGUS LIB. XLI.

UNo & quadrageſimo volumine continentur res Parthicæ & Bactrianæ. In Parthicis, ut eſt conſtitutum imperium per Arſacem regem. Succeſſores deinde ejus Artabanus, & Tigranes cognomine Deus: à quo ſubacta eſt Media & Meſopotamia. Dictuſque in exceſſu Arabiæ ſitus. In Bactrianis autem rebus, ut à Diodoro regnum conſtitutum eſt: deinde quo repugnante Scythicæ gentes Sarancæ & Aſiani Bactra occupavere Socdianos. Indicæ quoque res additæ, geſtæ per Apollodorum & Menandrum reges eorum.

PROLOGUS LIB. XLII.

SEcundo & quadrageſimo volumine continentur Parthicæ res. Ut præfectus Parthis Apræteus Meſſenis bellum intulit in Babylonios & Seleucinios victuſque Phyratis ſucceſſit rex Mithridates cognomine Magnus, qui Armeniis bellum intulit. Inde repetitæ origines Armeniorum, & ſitus. Ut varia, complurium, & ſitus. Ut varia, complurium regum in Parthis ſucceſſione, imperium accepit Orodes, qui Craſſum delevit & Syriam per filium Pacorum occupavit. Illi ſuceſſit Phrahates, qui & cum Antonio bellum habuit, & cum Tiridate. Additæ res Scythicæ. Reges Thoclarorum Aſiani, interituſque Sarducarum.

PROLOGUS LIB. XLIII.

TErtio & quadrageſimo volumine continentur origines (Priſcorum) Latinorum, ſitus Urbis Romæ, & res uſque ad Priſcum Tarquinium. Origines (deinde) Liguriæ, & Maſſilienſium res geſtæ.

PROLOGUS LIB. XLIV.

QUarto & quadrageſimo volumine continentur res Hiſpanicæ & Punicæ.



C. SALLUSTII CRISPI

OPERA, QUÆ EXTANT, OMNIA.



C. SALLUSTII CRISPI CATILINA, SEU BELLUM CATILINARIUM.

PROOEMIUM.

O*MNIS (a) homines, qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris animalibus (b), ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio transeant, veluti pecora; quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit. Sed omnis noſtra vis, in animo & corpore ſita eſt.* ANIMI *imperio corporis ſervitio magis utimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune eſt. Quo mihi rectius eſſe videtur, ingenii, quam virium opibus gloriam quærere: & quoniam vita ipſa, qua fruimur, brevis eſt, memoriam noſtri quam maxime longam efficere. Nam* DIVITIARUM *& formæ gloria (c), fluxa atque fragilis eſt: virtus, clara, æternaque habetur. Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam, &* PRIUS *quam incipias, conſulto: & ubi conſulueris, mature facto opus eſt. Ita utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio eget. Igitur initio reges (nam in terris nomen Imperii id primum fuit) diverſi, pars ingenium, alii corpus exercebant. Etiam tum vita hominum ſine cupiditate agitabatur. Sua cuique ſatis placebant. Poſtea vero quam in Aſia Cyrus, in Græcia Lacedæmonii, & Athenienſes, cœpere urbes atque nationes ſubigere,* LUBIDINEM DOMINANDI *cauſam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare. Tum demum periculo atque negotiis compertum eſt, in bello plurimum ingenium poſſe. Quod ſi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, ut in bello, valeret, æquabilius (d) atque conſtantius ſeſe res humanæ haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac miſceri omnia cerneres. Nam* IMPERIUM *facile his artibus retinetur, quibus initio partum eſt. Verum ubi pro labore deſidia, pro continentia & æquitate lubido atque ſuperbia invaſere: Fortuna ſimul cum moribus immutatur. Ita imperium ſemper ad optumum quemque à minus bono transfertur. Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque ſomno, indocti, incultique, vitam ſicuti peregrinantes tranſiere (e):* QUIBUS PROFECTO *contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam, mortemque juxta æſtimo, quoniam de utraque ſiletur. Verum enimvero is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit. Sed in magna copia rerum, aliud alii natura iter oſtendit.* PULCHRUM EST *benefacere Reipublicæ etiam bene dicere haud abſurdum eſt. Vel pace, vel bello clarum fieri licet. Et qui fecere, & qui facta aliorum ſcripſere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametſi haudquaquam par gloria ſequatur ſcriptorem & auctorem rerum; tamen in primis arduum videtur res geſtas ſcribere. Primum, quod factis dicta ſunt exæquanda: dehinc, quia plerique, quæ delicta reprehenderis, malevolentia & invidia dicta putant. Ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ ſibi quiſque facilia factu putat, æquo animo accipit. Supra ea, veluti ficta pro falſis ducit. Sed ego adoleſcentulus initio (ſicuti plerique) à (f) ſtudio ad Rempublicam latus ſum, ibique mihi adverſa multa fuere. Nam pro pudore, pro abſtinentia,*

Homines animi & corporis viribus quomodo utantur.

Regum antiquitus ſtudia.

Hiſtorias ſcribere cur arduum.

Salluſtius à Repub. ad ſcribendas Hiſtorias ſe transfert.

Uuuu

(a) al. *omnes.* al. *omneis.* (b) al. *animantibus.* (c) al. *gratia.* (d) al. *æqualius.* (e) al. *tranſegere.* (f) alii *præpoſitionem à omittunt.*

tia, pro virtute: audacia, largitio, avaritia vigebant. Quæ tametſi animus aſpernabatur, inſolens malarum artium; tamen inter tanta vitia, imbecilla ætas ambitione corrupta tenebatur. Ac me cum ab reliquorum (g) malis moribus diſſentirem, nihilominus honoris cupido eadem, quæ ceteros, fama, atque invidia vexabat. Igitur ubi animus ex multis miſeriis atque periculis requievit, & mihi reliquam ætatem à Republica procul habendam decrevi; non fuit conſilium ſocordia atque deſidia bonum otium conterere: neque vero agrum colendo, aut venando, ſervilibus officiis intentum, ætatem agere. Sed à quo incœpto ſtudioque me ambitio mala detinuerat, eodem regreſſus, ſtatui res geſtas Populi Romani carptim, ut quæque memoria digna videbantur, perſcribere: eo magis, quod mihi à ſpe, metu, partibus Reipublicæ animus liber erat. Igitur de Catilinæ conjuratione, quam veriſſime potero, paucis abſolvam. Nam id facinus in primis ego memorabile exiſtimo, ſceleris atque periculi novitate. De cujus hominis moribus pauca prius explananda ſunt, quam initium narrandi faciam.

Et quidem de Catilinæ conjuratione.

CAPUT I.

Catilinæ genus, mores & ingenium.

LUCIUS Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi & animi & corporis, ſed ingenio malo pravoque. Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia civilis, grata fuere: ibique juventutem ſuam exercuit. Corpus patiens ineidiæ, vigiliæ, algoris, ſupra quam cuiquam credibile eſt. Animus audax, ſubdolus, varius, cujuslibet rei (h) ſimulator ac diſſimulator: alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus, ſatis loquentiæ (i), ſapientiæ parum: Vaſtus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat. Hunc poſt dominationem L. Syllæ, libido maxima invaſerat Reipublicæ capiundæ: neque id quibus modis adſequeretur, dum ſibi regnum pararet quicquam penſi habebat. Agitabatur magis magiſque indies ferox animus inopia rei familiaris, & conſcientia ſcelerum: quæ utraque his artibus auxerat, quas ſupra memoravi. Incitabant præterea corrupti civitatis mores, quos peſſima ac diverſa inter ſe mala, luxuria atque avaritia vexabant. Res ipſa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, ſupra repetere, ac paucis inſtituta majorum, domi militiæque, quo modo Rempublicam habuerint, quantamque reliquerint; ut paulatim immutata, ex pulcherrima & optima, peſſima ac flagitioſiſſima facta ſit, diſſerere.

Catilina Reip. inſidiatur.

Cauſa conjurationis.

Urbis Romæ origo.

CAP. II. Urbem Romam (ſicuti ego accepi) condidere, atque habuere initio Trojani, qui Ænea duce, profugi, incertis ſedibus vagabantur: cumque his Aborigines, genus hominum agreſte ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum. Hi poſtquam in una mœnia convenere, diſpari genere, diſſimili lingua, alius alio (k) more viventes, incredibile memoratu eſt, quam facile coaluerint. Sed poſtquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, ſatis proſpera, ſatiſque pollens videbatur: SICUTI PLERAQUE mortalium habentur: invidia ex opulentia orta eſt. Igitur reges, populique finitimi bello tentare, pauci ex amicis auxilio eſſe. Nam cæteri metu perculſi, longe à periculis aberant. At Romani domi militiæque intenti, feſtinare, parare alius alium hortari, hoſtibus obviam ire, libertatem, patriam, parenteſeque armis tegere. Poſt ubi pericula virtute propulerant, ſociis atque amicis auxilia portabant: magiſque dandis, quam accipiendis beneficiis, amicitias parabant: imperium legitimum, nomen imperii regium habebant. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, Reipublicæ conſultabant. Hi vel ætate, vel curæ ſimilitudine Patres appellabantur. Poſt ubi Imperium regium, quod initio conſervandæ libertatis, atque augendæ Reipublicæ cauſa fuerat, in ſuperbiam, dominationemque ſe convertit: immutato more, annua imperia, binoſque Imperatores ſibi fecere. Eo modo minime poſſe putabant per licentiam inſoleſcere animum humanum.

Floreſcens finitimis inviſa.

Roma quam brevi creverit.

CAP. III. Sed ea tempeſtate cœpere ſe quiſque magis extollere, magiſque ingenium in promptu habere. Nam REGIBUS boni quam mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt. Sed civitas, incredibile memoratu eſt, adepta libertate, quantum brevi creverit; tanta cupido gloriæ inceſſerat. Jam primum juventus, ſimul ac belli (l) patiens erat, in caſtris per laborem uſu militiam diſcebat, magiſque in decoris armis, & militaribus equis, quam in ſcortis atque conviviis libidinem habebant. Igitur talibus viris non labor inſolitus, non locus ullus aſper aut arduus erat, non armatus hoſtis formidoloſus: VIRTUS omnia domuerat: ſed gloriæ maxumum certamen inter ipſos erat. Sic ſe quiſque hoſtem ferire; murum aſcendere, conſpici, dum tale facinus faceret, properabat. Eas divitias, eamque bonam famam, magnamque nobilitatem putabant. Laudis avidi, pecuniæ liberales erant. Gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant. Memorare poſſem, quibus in locis maximas hoſtium copias Populus Romanus parva manu fuderit, quas urbes natura munitas pugnando recepit, ni ea res longius nos ab incœpto traheret.

Virtute bellica.

CAP. IV. Sed PROFECTO Fortuna in omni re dominatur. Ea res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebrat, obſcuratque. Athenienſium res geſtæ, ſicuti ego exiſtumo (m), ſatis amplæ magnificæque fuere. Verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi ſcriptorum magna ingenia, per terrarum orbem, Athenienſium facta pro ma-

Athenæ celebritatem ſuam ſcriptoribus debent.

(g) al. *reliquis.* (h) al. cujus rei libet. (i) al. eloquentiæ. (k) al. alii alio. (l) al. juventus pacis ac belli patiens &c. (m) al. æſtumo.

maxumis celebrantur. Ita eorum qui ea fecere, VIRTUS TANTA habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia. At Populo Romano nunquam ea copia fuit, quia prudentissimus quisque, maxime negotiosus erat. Ingenium nemo sine corpore exercebat. OPTUMUS quisque facere, quam dicere, & sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat.

Romani suam præclaris factis.

CAP. V. Igitur domi, militiæque boni mores colebantur. Concordia maxuma, minima avaritia erat. Jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. Jurgia, discordias, iras (*n*) SIMULTATES cum hostibus exerçebant, cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. DUABUS his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, æquitate, seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta hæc habeo: quod in bello sæpius vindicatum est in eos, qui contra Imperium in hostem pugnaverant, quique tardius revocati, prælio excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi loco cedere ausi erant. In pace vero beneficiis magis, quam metu, Imperium agitabant, &, accepta injuria, ignoscere, quam persequi malebant.

Respublica Romana audacia in bello, æquitate in pace curata.

CAP. VI. Sed, ubi labore atque justitia Respublica crevit; reges magni bello domiti, nationes feræ, & populi ingentes vi subacti; Carthago, æmula Imperii Romani, à stirpe interiit; cuncta maria, terræque patebant; Fortuna sævire, ac miscere omnia cœpit. Qui LABORES, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miseriæque fuere. Igitur primo pecuniæ, deinde Imperii cupido crevit. Ea, quasi materies omnium malorum fuere. Namque AVARITIA fidem, probitatem, cæterasque bonas artes subvertit. Pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, edocuit. AMBITIO multos mortales falsos fieri subegit. Aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere (*o*), amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstumare; magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Hæc primo paullatim crescere, interdum vindicari. Post ubi contagio, quasi pestilentia, invasit: civitas immutata, Imperium ex justissumo, atque optumo, crudele, intolerandumque factum.

Carthago æmula Imperii Romani à stirpe interiit.

Romanorum corruptionis causæ.

CAP. VII. Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat; quod tamen VITIUM propius virtutim erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus, ignavus æque sibi exoptant. Sed ille vera via nititur; huic quia bonæ artes desunt, dolis, atque fallaciis contendit. AVARITIA pecuniæ studium habet; quam nemo sapiens concupivit. Ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat; semper infinita, insatiabilis est; neque copia, neque inopia minuitur. Sed, postquam L. Sylla, armis recepta Republica, ex bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere: domum alius, alius agros cupere: neque modum, neque modestiam victores habere; fœda, crudeliaque in cives facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sylla exercitum, quem in Asia ductaverat, QUO SIBI fidum faceret, contra morem majorum luxuriose, nimisque liberaliter habuerat. Loca amœna, voluptaria, facile in otio feroces militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus Populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim ac publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe SECUNDÆ res sapientium animos fatigant: nedum illi (*p*), corruptis moribus, victoriæ temperarent.

Ambitio scilicet.

Et avaritia.

Exercitus Romanorum quomodo mollis evaserit.

CAP. VIII. Postquam divitiæ honori esse cœpere, & eas gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Igitur ubi ex DIVITIIS juventutem luxuria, atque avaritia, cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvipendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua; nil pensi, neque moderati habere. Operæ pretium est, cum domos atque villas cognoveris, in urbium modum exædificatas, visere templa Deorum, quæ nostri majores, religiosissimi mortales fecere. Verum illi delubra Deorum pietate, domos suas gloria decorabant: neque VICTIS quicquam, præter injuriæ licentiam, eripiebant. At hi contra, ignavissimi homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere, quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerant (*q*): proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti.

Divitiæ quomodo decori habeantur.

Templorum & domorum apud Romanos usus & abusus.

CAP. IX. Nam quid ea memorem, quæ, nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt; à privatis compluribus subversos montes, maria constracta esse? quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiæ. Quippe, quas honeste habere licebat, per turpitudinem abuti properabant. Sed libido stupri, ganeæ, ceterique cultus non minor incesserat; viros (*r*) pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi causa, terra, marique omnia exquirere; dormire prius, quam somni cupido esset; non famem, aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu ante capere. Hæc juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. ANIMUS imbutus malis artibus, haud facile libidinibus carebat: eo profusius omnibus modis quæstui, atque sumptui deditus erat.

Libido Romanorum.

CAP. X. In tanta, tamque corrupta civitate, Catilina, id quod factu (*s*) facillimum erat, omnium flagitiorum, atque facinorum circum se, tanquam stipatorum, catervas habebat. Nam, quicumque impudicus, adulter, ganeo, alea, manu, ventre, pene, bona (*t*) patria laceraverat; quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium, aut facinus redimeret: præ-

Catilinæ sociorum conjurationis indoles.

Uuuu 2

(*n*) alii τὸ iras omittunt. (*o*) al. aliud promptum in lingua habere. (*p*) al. ne illi &c. (*q*) al. reliquerunt. (*r*) al. viri. (*s*) al. actu. (*t*) al. ventre, pene, alea, bona &c.

præterea, omnes undique parricidæ, ſacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus, atque lingua, perjurio, aut (*u*) ſanguine civili alebat; poſtremo, omnes, quos flagitium, egeſtas conſcius animus exagitabat, hi Catilinæ proximi, familiareſque erant. Quod ſi quis etiam à culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat; quotidiano uſu, atque illecebris, facile par, ſimiliſque cæteris efficiebatur. Sed maxume juvenum vel adoleſcentium familiaritates appetebat. EORUM animi molles, & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam, ut cujuſque ſtudium ex ætate flagrabat, aliis ſcorta præbere, aliis canes atque equos mercari; poſtremo neque ſumptui, neque modeſtiæ ſuæ parcere, dum illos obnoxios fidoſque ſibi faceret. Scio fuiſſe nonnullos, qui ita exiſtumarent juventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeſte pudicitiam habuiſſe. Sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat.

Catilina quomodo juvenes corruperit.

CAP. XI. Jam primum adoleſcens Catilina multa nefanda ſtupra fecerat cum virgine nobili, cum ſacerdote Veſtæ, & alia hujuſmodi contra jus faſque. Poſtremo, captus amore Aureliæ Oreſtillæ, cujus, præter formam, nihil unquam bonus laudavit; quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum ætate, pro certo creditur, necato filio, vacuam domum ſceleſtis nuptiis feciſſe. Quæ quidem res mihi in primis videtur cauſa fuiſſe facinoris maturandi. Namque ANIMUS impurus, Diis hominibuſque infeſtus, neque vigiliis, neque quietibus ſedari poterat, ita conſcientia mentem excitam vexabat (*x*). Igitur colos ejus exſanguis (*y*), fœdi oculi, citus modo, modo tardus inceſſus: prorſus in facie, vultuque vecordia inerat.

Catilinæ ſtupra.

Aurelia Oreſtilla uxor Catilinæ.

Catilinæ vultus conſcientiam ejus arguit.

CAP. XII. Sed juventutem, quam, ut ſupra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis teſtes, ſignatores falſos commodare; fidem, fortunas pericula vilia habere. Poſt, UBI EORUM famam atque pudorem attriverat, majora alia imperabat. SI CAUSA peccandi in præſens minus ſuppetebat; nihilominus inſontes, ſicuti ſontes, circumvenire, jugulare. Scilicet, ne per otium torpeſcerent manus, aut animus, gratuito potius malus, atque crudelis erat. His amicis, ſociiſque confiſus Catilina, ſimul, quod æs alienum per omnis terras ingens erat, & quod plerique Syllani milites, LARGIUS SUO uſi, rapinarum & victoriæ veteris memores, civile bellum exoptabant; opprimundæ Reipublicæ conſilium cepit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompejus in extremis terris bellum gerebat: ipſi conſulatum petundi magna ſpes. Senatus nihil ſane intentus: turæ, tranquillæque res omnes. Sed ea prorſus opportuna Catilinæ.

Cauſa conjurationis Catilinæ.

CAP. XIII. Igitur circiter Cal. Jun. L. Cæſare & C. Figulo Conſulibus primo ſingulos appellare, hortari alios, alios tentare; opes ſuas, imparatam Rempublicam, magna præmia conjurationis docere. Ubi ſatis explorata ſunt, quæ voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma neceſſitudo, & plurimum audaciæ inerat. Eo convenere Senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Antronius, L. Caſſius Longinus, C. Cethegus, P. & Ser. Syllæ Servii filii, L. Vargunteju̇s, Q. Annius, M. Porcius Lecca, L. Beſtia, Q. Curius; præterea, ex equeſtri ordine, M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius; ad hoc, multi ex coloniis & municipiis, domi nobiles (*z*). Erant præterea complures paullo occultius conſilii hujuſce participes nobiles; quos magis dominationis ſpes hortabatur, quam inopia, aut alia neceſſitudo. Cæterum juventus pleraque, ſed maxume nobilium, Catilinæ inceptis favebat. Quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempeſtate, qui crederent, M. Licinium Craſſum non ignarum ejus conſilii fuiſſe. Quia Cn. Pompejus, inviſus ipſi, magnum exercitum ductabat, cujusvis opes voluiſſe contra illius potentiam creſcere: ſimul confiſum, ſi conjuratio valuiſſet, facile apud illos principem ſe fore.

Socii Catilinæ in conjuratione.

M. Licinius Craſſus conjurationis ſocius Pompejo inimicus.

CAP. XIV. Sed antea item conjuravere pauci contra Rempublicam, in quibus Catilina. De quo, quam veriſſume potero, dicam. L. Tullo, M. Lepido Conſulibus, P. Antronius, & P. Sylla, deſignati Conſules, legibus ambitus interrogati, pœnas dederant. Poſt paullo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat (*a*) petere Conſulatum, quod intra legitimos (*b*) dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piſo, adoleſcens nobilis, ſummæ audaciæ, egens, factioſius; quem ad perturbandam Rempublicam inopia, atque mali mores ſtimulabant. Cum hoc Catilina, & Antronius, circiter Nonas Decembr. conſilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Januarii L. Cottam & L. Torquatum Conſules interficere. Ipſi, faſcibus correptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittere. Ea re cognita, rurſus in Nonas Feb. conſilium cædis tranſtulerant (*c*). Jam tum non Conſulibus modo, ſed pleriſque ſenatoribus perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturaſſet pro curia ſignum ſociis dare; eo die, poſt conditam Urbem Romam, peſſumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res conſilium diremit.

Catilinæ conjuratio prima; O. C. 3934; U. C. 687. a. C. N. 66. Ol. 178.

Secunda. O. C. 3935. U. C. 688. Ol. 178. a. C. N. 65.

CAP. XV. Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpaniam Quæſtor pro Prætore miſſus eſt, adnitente Craſſo; quod cum infeſtum inimicum Cn. Pompejo cognoverat. Neque tamen Senatus provinciam invitus dederat. Quippe FOEDUM hominem à Republica procul eſſe volebat: ſimul, quia boni complures præſidium in eo putabant, & jam tum potentia Cn. Pompeji formidoloſa erat. Sed is Piſo in provinciam ab equitibus Hiſpanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens, occiſus eſt. Sunt, qui ita

Piſo Quæſtor in Hiſpaniam Proprætor miſſus.

Interficitur.

(*u*) al. atque. (*x*) al. mentem exagitatam vaſtabat. (*y*) al. color ei exſanguis. (*z*) al. domi & militiæ nobiles. (*a*) alii τὸ erat omittunt. (*b*) al. legitimas. (*c*) al. tranſtulerunt.

ita dicant, imperia ejus injuſta, ſuperba, crudelia, barbaros nequiviſſe pati: alii autem, equites illos, Cn. Pompeji veteres, fidoſque clientes, voluntate ejus Piſonem aggreſſos: numquam Hiſpanos præterea tale facinus feciſſe, ſed imperia ſæva multa antea perpeſſos. Nos eam rem in medio relinquemus. De ſuperiori conjuratione ſatis dictum.

CAP. XVI. Catilina, ubi eos, quos paullo ante memoravi, conveniſſe videt; tametſi cum ſingulis multa ſæpe egerat; tamen in rem fore credens univerſos appellare, & cohortari, in abditam partem ædium ſeceſſit (*d*); atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem hujuſcemodi habuit: *Ni virtus, fidesque veſtra ſatis ſpectata mihi forent; nequicquam opportuna res cecidiſſet: ſpes magna dominationis (e), in manibus fruſtra fuiſſe: neque ego, per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed, quia multis, & magnis tempeſtatibus vos cognovi fortes, fidosque mihi; eo animus auſus eſt maxumum, atque pulcherrimum facinus incipere; ſimul, quia vobis eadem, quæ mihi, bona, malaque eſſe intellexi. Nam,* IDEM VELLE, *atque idem nolle, ea demum firma amicitia eſt. Sed ego, quæ mente agitavi, omnes jam antea diverſi audiſtis. Ceterum mihi in dies magis animus (f) accenditur, cum conſidero, quæ conditio vitæ futura ſit, niſi noſmetipſos vindicamus (g) in libertatem. Nam poſtquam Reſpublica in paucorum potentium jus, atque ditionem conceſſit; ſemper illis reges, tetrarchæ vectigales eſſe: populi, nationes, ſtipendia pendere: ceteri omnes, ſtrenui, boni, nobiles, atque ignobiles, vulgus fuimus, ſine gratia, ſine auctoritate, his obnoxii, quibus, ſi Reſpublica valeret, formidini eſſemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiæ apud illos ſunt, aut ubi illi volunt: nobis reliquere pericula, repulſas, judicia, egeſtatem. Quæ quouſque tandem patiemini, fortiſſumi viri? Nonne emori per virtutem præſtat, quam vitam miſeram, atque inhoneſtam, ubi alienæ ſuperbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero pro Deûm atque hominum fidem! victoria in manu nobis eſt: viget ætas: animus valet. Contra illis, annis, atque divitiis, omnia conſenuerunt. Tantummodo* INCOEPTO *opus eſt: cetera res ipſa expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium ineſt (h), tolerare poteſt, illis divitias ſuperare, quas profundant in exſtruendo mari, & montibus coæquandis, nobis rem familiarem etiam ad neceſſaria deeſſe? Illos binas, aut amplius domos continuare, nobis Larem familiarem nuſquam ullum eſſe? cum tabulas, ſigna, toreumata emunt; nova diruunt, alia ædificant; poſtremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen ſumma lubidine divitias ſuas vincere nequeunt. At nobis eſt domi inopia, foris æs alienum; mala res, ſpes multo aſperior. Denique quid reliqui habemus, præter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini? En illa, illa, quam ſæpe optaſtis, libertas. Præterea divitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſunt. Fortuna ea omnia victoribus præmia poſuit. Res, tempus, pericula, egeſtas, belli ſpolia magnifica magis, quam oratio mea, vos hortentur. Vel imperatore, vel milite me utimini. Neque animus, neque corpus à vobis aberit. Hæc ipſa, ut ſpero, vobiſcum una Conſul agam: niſi forte me animus fallit, & vos ſervire magis, quam imperare parati eſtis.*

Oratio Catilinæ ad conjurationis ſocios.

CAP. XVII. Poſtquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erat, ſed neque res, neque ſpes bona ulla: tametſi illis, quieta movere, magna merces videbatur, tamen poſtulavere plerique, uti proponeret, *quæ conditio belli foret; quæ præmia armis peterent; quid ubique opis, aut ſpei haberent.* Tum Catilinia polliceri *tabulas novas, proſcriptionem locupletium, magiſtratus, ſacerdotia, rapinas, alia omnia, quæ bellum, atque lubido victorum fert:* Præterea, *eſſe in Hiſpania citeriore Piſonem, in Mauritania cum exercitu P. Sitium Nucerinum, conſilii ſui participes: petere Conſulatum C. Antonium, quem ſibi collegam fore ſperaret, hominem familiarem, & omnibus neceſſitudinibus circumventum: cum eo Conſulem (i) ſe initium agendi facturum.* Ad hoc maledictis increpabat (*k*) *omnis* (*l*) *bonos: ſuorum unumquemque nominans, laudare, admonere alium egeſtatis, alium cupiditatis ſuæ, complures periculi, aut ignominiæ, multos victoriæ Silanæ, quibus ea prædæ fuerat.* Poſtquam omnium animos alacris videt; cohortatus, *ut petitionem ſuam curæ haberent,* conventum dimiſit.

Socii conjurationis] varia ſentiunt.

CAP. XVIII. Fuere ea tempeſtate, qui dicerent, *Catilinam oratione habita, cum ad jusjurandum populares ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem vino permixtum in pateris circumtuliſſe, inde, cum poſt exſecrationem omnes deguſtaviſſent, ſicuti in ſolemnibus ſacris fieri conſuevit, aperuiſſe conſilium ſuum, atque eo dictitare feciſſe, quo inter ſe magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conſcii.* Nonnulli ficta & hæc, & multa præterea exiſtumabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quæ poſtea orta eſt, leniri credebant, atrocitate ſceleris eorum, qui pœnas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta eſt.

Sanguis humanus hauſtus pignus conjurationis.

CAP. XIX. Sed in ea conjuratione fuit Q. Curius, natus haud obſcuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus: quem Cenſores Senatu, probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas inerat, quam audacia, neque reticere, quæ audierat, neque ſuamet ipſe ſcelera occultare; prorſus neque dicere, neque facere, quicquam penſi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, ſtupri vetus conſuetudo. Cui, cum minus gratus eſſet, quod inopia minus largiri poterat, repente glorians, *maria monteiſque polliceri* cœpit; *minari interdum ferro, ni obnoxia (m) foret:* poſtremo ferocius agitare, quam ſolitus erat. At Fulvia, inſolentiæ Curii cauſa cognita, tale periculum Reipublicæ haud occultum habuit; ſed, ſublato auctore, de Catilinæ conjuratione, quæ quo modo (*n*) audierat, compluribus narravit. Ea res in primis ſtudia hominum accendit ad Conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia

Q. Curius conjurationis ſociis, probri gratia, Senatu movetur.

Fulvia Q. Curii ſcortum.

Conjurationem Catilinæ detegit.

(*d*) al. ſecedit. (*e*) al. *ſpes magna, dominatio &c.* (*f*) al. *magis magisque animus.* (*g*) al. *vindicemus.* (*h*) al. *eſt.* (*i*) al. *conſule.* (*k*) al. increpat. (*l*) al. *omneis.* (*m*) al. *niſi ſibi obnoxia.* (*n*) al. quæque & quomodo.

vidia æstuabat, & quasi pollui Consulatum credebant, si eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret. Sed, ubi PERICULUM advenit, invidia, atque superbia post fuere.

M. T. Cicero fit Consul cum C. Antonio. O. C. 3937. U. C. 690. Ol. 179. a. C. N. 63.

CAP. XX. Igitur comitiis habitis, Consules declarantur M. Tullius, & C. Antonius. Quod factum primo populares conjurationis concusserat. Neque tamen Catilinæ furor minuebatur; sed in dies plura agitare; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam, sua, aut amicorum fide, sumptam mutuam, Fæsulas ad Manlium quemdam portare; qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos cujusque generis homines adscivisse sibi dicitur. Mulieres etiam aliquot, quæ primo ingentis sumptus stupro corporis toleraverant; post, UBI ÆTAS tantummodo quæstui, neque luxuriæ modum fecerat, æs alienum grande conflaverant. Per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, Urbem incendere, viros earum vel adjungere sibi, vel interficere.

Sempronia conjurationis particeps. Ejus res gestæ & mores.

CAP. XXI. Sed in his erat Sempronia, quæ multa sæpe virilis audaciæ facinora commiserat. Hæc mulier genere atque forma, præterea viro atque liberis satis fortunata fuit: literis Græcis & Latinis docta: psallere & saltare elegantius, quam necesse est probæ: multa alia, quæ instrumenta luxuriæ sunt (*o*). Sed ei clariora semper omnia, quam decus, atque pudicitia fuit. Pecuniæ, an famæ minus parceret, haud facile discerneres; libidine sic accensa, ut sæpius peteret viros, quam peteretur. Sed ea sæpe ante hac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, cædis conscia fuerat, luxuria atque inopia præceps abierat. Verum ingenium ejus haud absurdum: posse versus facere; jocum movere; sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci. Prorsus multæ facetiæ, multusque lepos inerat.

Catilina Consulatum petit.

CAP. XXII. His rebus comparatis, Catilina nihilo minus in proxumum annum Consulatum petebat; sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen, ad cavendum dolus, aut astutiæ deerant. Namque à principio Consulatus sui, multa per Fulviam pollicendo effecerat, ut Q. Curius, de quo paullo ante memoravi, consilia Catilinæ proderet. Ad hoc, collegam suum Antonium pactione provinciæ perpulerat, ne contra Rempublicam sentiret: circum se præsidia amicorum, atque clientium occulte habebat. Postquam dies Comitiorum venit, & Catilinæ neque petitio, neque insidiæ, quas Consuli fecerat (*p*), prospere cessere; constituit bellum facere, & EXTREMA omnia experiri, quoniam, quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant.

Ciceroni insidias struit.

Sed utrumque perperam.

Catilinæ ulteriores machinationes.

CAP. XXIII. Igitur, C. Manlium Fæsulas atque in eam partem Etruriæ, Septimium quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Julium in Apuliam dimisit, præterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat. Interea Romæ multa simul moliri; Consuli insidias tendere: parare incendia: opportuna loca armatis hominibus obsidere: ipse cum telo esse, item alios jubere, hortari, uti semper intenti, paratique essent: dies, noctesque festinare: vigilare, neque insomniis, neque labore fatigari. Postremo, ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempestiva nocte conjurationis principes convocat per M. Porcium Leccam: ibique multa de ignavia eorum questus, docet *se præmisisse Manlium ad eam multitudinem, quam ad capienda arma paraverat*; item alios in alia *loca opportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consiliis multum officere.*

C. Cornelius & L. Vargunteius Ciceroni insidias parant

CAP. XXIV. Igitur, perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, & cum eo L. Vargunteius Senator, constituere ea nocte paullo post, cum armatis hominibus, sicuti salutatum introire ad Ciceronem, & de improviso domi suæ imperatum confodere. Curius, ubi intelligit, quantum periculum Consuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enuntiat. Ita illi janua prohibiti, tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, EGESTATE simul, ac dolore injuriæ novarum rerum cupidam; quod Syllæ dominatione, agros, bonaque omnia amiserat; præterea, latrones cujusque generis, quorum in ea regione magna copia erant, nonnullos ex Syllanis colonis, quibus libido, atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

Sed frustra.

Manlii in Etruria res gestæ pro conjuratione.

CAP. XXV. Ea cum Ciceroni nuntiarentur; ancipiti malo permotus, quod neque Urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manlii quantus, aut quo consilio foret, satis compertum habebat. Rem ad Senatum refert, jam antea vulgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit, *ut darent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet.* Ea potestas per Senatum, more Romano, magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios, atque civis: domi; militiæque imperium, atque judicium summum habere. Aliter, sine Populi jussu, nulli earum rerum Consuli jus est.

Cicero de conjuratione Catilinæ ad Senatum refert.

CAP. XXVI. Post paucos dies L. Senius Senator, in Senatu litteras recitavit, quas Fæsulis allatas sibi dicebat; in quibus scriptum erat, *C. Manlium arma cepisse, cum magna multitudine, ante diem VI. Kalend. Novembr. Simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant: alii conventus fieri, arma portari;* Capuæ, atque in Apulia servile bellum *moveri.* Igitur Senatus decreto Q. Marcius Rex Fæsulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam, circumque ea loca missi. Hi utrique ad Urbem imperatores erant impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum, quibus omnia honesta, atque inhonesta vendere mos erat. Sed Prætores Q. Pompejus Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum: *hisque permissum, uti pro tempore, atque periculo exerci-*

L. Senius Senator litteras, quas Fæsulis allatas dicebat, in Senatu recitat.

Senatus decreta adversus conjurationem Catilinæ.

tellus

(*o*) al. quæ erant instrumenta luxuriæ. (*p*) al. quas Consulibus in campo fecerat.

tum compararent. Ad hoc, *si quis indicasset de conjuratione, quæ contra Rempublicam facta erat, præmium, servo libertatem & sestertia centum; libero, impunitatem ejus rei, & sestertia ducenta.* Itemque decrevere, *uti gladiatoriæ familiæ Capuam, & in cetera municipia distribuerentur pro cujusque opibus; Romæ per totam Urbem vigiliæ haberentur, eisque minores magistratus præessent.*

Romæ terror ex conjuratione Catilinæ.

CAP. XXVII. Quibus rebus permota civitas atque immutata facies urbis erat: ex summa lætitia, atque lascivia, quæ diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit. Festinare, trepidare, neque loco, neque homini cuiquam satis credere, neque bellum gerere (*q*), neque pacem habere: SUO QUISQUE metu pericula metiri. Ad hoc, mulieres, quibus pro Reipublicæ magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese; manus supplices ad cœlum tendere; miserari parvos liberos; rogitare (*r*); omnia pavere; superbia, atque deliciis omissis, sibi patriæque diffidere. At Catilinæ crudelis animus eadem illa movebat, tametsi præsidia parabantur; & ipse, lege Plautia interrogatus erat ab L. Paulo. Postremo, dissimulandi causa, & ut sui expurgandi (*s*), sicuti jurgio lacessitus foret, in Senatum venit. Tum M. Tullius Consul, sive præsentiam ejus timens, sive ira commotus, orationem habuit luculentam, atque utilem Reipublicæ, quam postea scriptam edidit. Sed, ubi ille assedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso vultu, voce supplici, *postulare à Patribus conscriptis* (*t*), *ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita se ab adolescentia* vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet: ne existumarent (*u*), sibi, patritio homini, cujus ipsius, atque majorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita Republica opus esse; cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis Urbis Romæ. Ad hoc, maledicta, alia cum adderet; obstrepere omnes, *hostem atque parricidam vocare.* Tum ille furibundus: *Quoniam quidem circumventus*, inquit, *ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina restinguam.*

Catilina Senatum adit.

Ciceronis in Catilinam invectiva.

Catilinæ responsio.

CAP. XXVIII. Dein se ex curia domum proripuit. Ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiæ Consuli procedebant, & ab incendio intelligebat Urbem vigiliis esse munitam, optumum factum credens exercitum augere, ac PRIUSQUAM legiones scriberentur, multa antecapere, quæ bello usui forent, nocte intempesta, cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego, atque Lentulo, ceterisque, quorum cognoverat promptam audaciam, mandat, *quibus rebus possent, opes factionis confirment; insidias Consuli maturent, cædem, incendia, aliaque belli facinora parent: sese prope diem cum magno exercitu ad Urbem accessurum* (*x*).

CAP. XXIX. Dum hæc Romæ geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Q. Marcium Regem mittit, cum mandatis hujuscemodi: DEOS, *hominesque testamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus: sed uti corpora nostra ab injuria tuta forent; qui miseri, egentes, violentia, atque crudelitate* (*y*) *fœneratorum, plerique patria, sed omnes fama, atque fortunis expertes sumus. Neque cuiquam nostrum licuit, more majorum, lege uti, neque, amisso patrimonio, corpus liberum habere: tanta sævitia fœneratorum, atque prætoris fuit. Sæpe majores nostri* (*z*) *miseriti plebis Romanæ, decretis suis inopiæ ejus opitulati sunt: ac novissume, memoria nostra, propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære* (*a*) *solutum est. Sæpe ipsa plebes, aut nominandi studio permota, aut superbia magistratuum armata, à Patribus secessit. At nos non imperium, neque divitias petimus; quarum rerum causa, bella atque certamina omnia inter mortalis sunt; sed* LIBERTATEM, *quam nemo bonus, nisi cum anima simul, amittit. Te, atque Senatum obtestamur, cansulatis miseris civibus; legis præsidium, quod iniquitas Prætoris eripuit, restituatis; neve nobis eam necessitudinem imponatis,* ut quæramus, *quonam modo, maxume ulti sanguinem nostrum, pereamus.*

C. Manlii ad Marcium Regem legati & mandata.

CAP. XXX. Ad hæc Q. Marcius respondit: *Si quid à Senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur: ea mansuetudine atque misericordia Senatum, Populumque Romanum semper fuisse, ut nemo unquam ab eo frustra auxilium petiverit.* At Catilina ex itinere plerisque consularibus, præterea optume cuique litteras mittit: *Se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunæ cedere, Massiliam in exilium proficisci: non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti Respublica quieta foret; neve ex sua contentione seditio oriretur.* Ab his longe diversas litteras Q. Catulus in Senatu recitavit; quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat. Earum exemplum infra scriptum est.

Marcii responsum.

Catilinæ litteræ ad Consulares.

CAP. XXXI. *L. Catilina Q. Catulo S.* (*b*) EGREGIA *tua fides, re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis, fiduciam commendationi meæ tribuit. Quamobrem defensionem in consilio novo non statui parare: satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi: quam mediusfidius veram licet cognoscas* (*c*). *Injuriis contumeliisque concitatus, quod, fructu laboris industriæque meæ privatus, statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum causam pro mea consuetudine suscepi. Non, quin æs alienum meis nominibus* (*d*) *ex possessionibus solvere possem, cum & alienis nominibus liberalitas Aureliæ Orestillæ, suis, filiæque copiis persolvere: sed, quod non dignos homines honore honestos* (*e*) *videbam; meque falsa suscipione alienum esse sentiebam; hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquæ dignitatis conservandæ sum secutus. Plura cum scribere vellem, nuntiatum est vim mihi parari. Nunc Orestillam tibi commendo, tuæque fidei trado.*

Ejusdem litteræ ad Q. Catulum.

Eam

(*q*) al. agere. (*r*) al. rogitare deos. (*s*) al. dissimulandi causa & sui purgandi. al. aut sui. al. & quasi sui. (*t*) al. *postulare à Patribus cæpit.* (*u*) al. æstumarent. (*x*) al. *accursurum.* (*y*) al. *per violentiam atque crudelitatem.* (*z*) al. *vestrum.* (*a*) al. *argentum communi ære.* (*b*) al. *L. Catilina salutem Q. Catulo.* (*c*) al. *quæ medius fidius, licet vera mecum cognoscas.* (*d*) al. *meis sumptum nominibus.* (*e*) al. *honestatos.*

Eam ab injuria defendas, per liberos tuos rogatus. Haveto (f). Sed ipse, paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam in agro Reatino, dum vicinitatem antea sollicitam armis exornat, cum fascibus, atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit.

Catilina in castra Manliana proficiscitur.

CAP. XXXII. Hæc ubi Romæ comperta sunt; Senatus *Catilinam, & Manlium hostes judicat; ceteræ multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere, præter rerum capitalium condemnatis.* Præterea, decernit, *uti Consules delectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet; Cicero Urbi præsidio sit.* Ea tempestate mihi imperium Populi Romani, multo maxume miserabile visum est: cui cum ad occasum ab ortu Solis, omnia domita armis parerent; domi otium, atque divitiæ, quæ prima mortalis (g) putant, affluerent; fuere tamen cives, qui seque, remque publicam, obstinatis animis perditum irent. Namque, duobus Senatus decretis, ex tanta multitudine, neque præmio inductus conjurationem patefecerat, neque ex castris Catilinæ quisquam omnium discesserat. Tanta vis morbi, atque uti tabes plerosque civium animos invaserat.

Catilina & Manlius hostes judicantur.

Antonius Catilinam persequitur, Cicero urbi præsidio esse jubetur.

CAP. XXXIII. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii conjurationis fuerant; sed omnino cuncta plebes, novarum rerum studio, Catilinæ incœpta probabat. Id adeo more suo videbatur facere. Nam SEMPER in civitate, quibus opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura aluntur: quoniam EGESTAS facile habetur sine damno. Sed urbana plebes, ea vero præceps ierat multis de causis. Primum omnium, qui ubique probro, atque petulantia maxume præstabant (h); item alii, per dedecora, patrimoniis amissis; postremo omnes, quos flagitium, aut facinus domo expulerat, hi Romam, sicuti in sentinam, confluxerant. Deinde MULTI, memores Syllanæ victoriæ, quod ex gregariis militibus alios Senatores videbant, alios ita divites, ut regio victu, atque cultu ætatem agerent; sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Præterea, juventus, quæ in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori prætulerat. Eos, atque alios omnis, malum publicum alebat Quo MINUS mirandum est, homines egentis (i), malis moribus, maxuma spe, Reipublicæ juxta ac sibi consuluisse. Præterea quorum, victoria Syllæ, parentes proscripti, bona erepta, jus libertatis imminutum erat, haud sane alio animo belli eventum exspectabant. Ad hoc, quicunque aliarum, atque Senatus, partium erant, CONTURBARI Rempublicam; quam minus valere, ipsi malebant; id adeo malum (k) multos post annos in civitatem reverterat.

Plebs novarum rerum semper cupida incœpta Catilinæ probat.

CAP. XXXIV. Nam, postquam Cn. Pompejo, & M. Crasso Consulibus tribunitia potestas restituta est, homines adolescentes, summam potestatem nacti, quibus ætas, animusque ferox erat, cœpere. Senatum criminando, plebem exagitare; dein largiendo, atque pollicitando magis incendere; ita ipsi clari, potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, Senatus (l) sub specie, pro sua magnitudine. Namque, uti paucis verum absolvam, per illa tempora quicumque Rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti jura populi defenderent, pars, quo Senatus auctoritas maxuma foret, BONUM publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant: neque illis modestia, neque modus contentionis erat: utrique victoriam crudeliter exercebant.

Tribunitia potestas restituta Reip. Romæ perniciosa.

CAP. XXXV. Sed, postquam Cn. Pompejus ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus est; plebis opes imminutæ; paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia tenere. Ipsi innoxii (m) florentes, sine metu ætatem agere, ceterosque judiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed, ubi primum, dubiis rebus novandis (n), spes oblata est; vetus certamen animos eorum arrexit. Quod si primo prælio Catilina superior, aut æqua manu discessisset, profecto magna clades atque calamitas Rempublicam oppressisset; NEQUE ILLIS, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset; quin defessis & ex sanguibus, qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra conjurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt. In his erat Fulvius, Senatoris, filius, quem retractum ex itinere parens necari jussit. Iisdem temporibus Romæ Lentulus, sicuti Catilina præceperat, quoscunque moribus, aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollicitabat; neque solum cives, sed cujuscunque modi (o) genus hominum, quod modo usui bello foret.

Fulvius & Lentulus conjurati.

CAP. XXXVI. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat; eosque, si possit, impellat ad societatem belli; existumans publice, privatimque ære alieno oppressos, præterea, quod natura Gallica gens bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatium notus erat, atque eos noverat: itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percunctatus pauca de statu, civitatis, & quasi dolens ejus casum, requirere cœpit, *quem exitum tantis malis sperarent.* Postquam illos videt *queri de avaritia magistratuum, accusare Senatum, quod in eo auxilii nihil esset: miseris suis remedium morte exspectare (p): at ego,* inquit, *vobis, si modo viri esse vultis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis.* Hæc ubi dixit, Allobroges in maxumam spem adducti, Umbrenum orare, *ut sui misereretur: nihil tam asperum, neque tam difficile esse, quin cupidissume facturi essent, dum ea res civitatem ære alieno liberaret.* Ille eos in domum D. Bruti

Allobroges ab Umbreno ad conjurandum sollicitantur.

(f) al. *habeto.* al. *aveto.* (g) al. mortales. (h) al. præstabat. (i) al. egentes. (k) al. id eo malum multos. al. ideo id malum. (l) al. Senati. (m) al. Ipsi noxii. (n) al. novandi. (o) al. cujuscumque modi. (p) al. *sperare.* (q) al. incertum.

ti perducit; quod foro propinqua erat, neque aliena conſilii propter Semproniam: nam tum Brutus Roma aberat. Præterea Gabinium arceſſit, quo major auctoritas ſermoni ineſſet. Eo præſente, conjurationem aperit: nominat ſocios, præterea multos cujuſque generis innoxios; quo legatis animus amplior eſſet: dein eos, pollicitos operam ſuam, domum dimittit.

CAP. XXXVII. Sed Allobroges diu in incerto (q) habuere, quidnam conſilii caperent. In altera parte erat æs alienum, ſtudium belli, magna merces in ſpe victoriæ: at in altera majores opes, tuta conſilia, pro incerta ſpe, certa præmia. Hæc illis volventibus, tandem vicit fortuna Reipublicæ. Itaque Q. Fabio Sangæ, cujus patrocinio plurimum civitas utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam conſilio cognito, legatis præcipit, ut ſtudium conjurationis vehementer ſimulent; ceteros adeant; bene polliceantur; dentque operam, uti eos, quam maxume manifeſtos habeant.

Allobroges Q. Fabio Sangæ conjurationem produnt.

CAP. XXXVIII. Iisdem fere temporibus, in Gallia citeriore, atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. Namque illi, quos ante Catilina dimiſerat, inconſulte: ac veluti per dementiam cuncta ſimul agebant, nocturnis conſiliis, armorum, atque telorum portationibus, FESTINANDO, agitando omnia, plus timoris quam periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer prætor, ex Senatus Conſulto, cognita cauſa, in vincula conjecerat; item in citeriore Gallia C. Murena, qui ei provinciæ legatus præerat.

Motus in variis provinciis.

CAP. XXXIX. At Romæ Lentulus cum ceteris, qui principes conjurationis erant, paratis, ut videbatur (r), magnis copiis, conſtituerat (s), uti, cum Catilina in agrum Fæſulanum cum exercitu veniſſet, L. Beſtia Tribunus plebis concione habita quereretur de actionibus Ciceronis, bellique graviſſimi invidiam optumo Conſuli imponeret; eo ſigno, proxuma nocte cetera multitudo conjurationis ſuum quiſque negotium exequeretur. Sed ea diviſa hoc modo dicebantur: *Statilius, & Gabinius uti cum magna manu duodecim ſimul opportuna loca Urbis incenderent; quo tumultu facilior aditus ad Conſulem, ceteroſque, quibus inſidiæ parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis januam obſideret, eumque vi aggrederetur, alius autem alium; ſed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentes interficerent; ſimul, cæde, & incendio perculſis omnibus ad Catilinam erumperent.* Inter hæc parata, atque decreta, Cethegus ſemper querebatur *de ignavia ſociorum: illos, dubitando, & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere, facto, non conſulto, in tali periculo opus eſſe: ſeque, ſi pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in Curiam facturum.* Natura ferox, vehemens, manu promptus erat: MAXUMUM bonum in celeritate putabat.

Conjuratorum Catilinæ partes, & ſuum cujusque munus.

CAP. XL. Sed Allobroges, ex præcepto Ciceronis, per Gabinium ceteros conveniunt: ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Caſſio poſtulant jusjurandum, quod ſignatum ad cives perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli poſſe. Ceteri nihil ſuſpicantes dant. Caſſius ſemet eo brevi venturum pollicetur, ac paullo ante legatos ex Urbe proficiſcitur. Lentulus cum his Titum Volturcium (t) quemdam Crotonienſem mittit; ut Allobroges, prius quam domum pergerent, cum Catilina, data atque accepta fide, ſocietatem confirmarent. Ipſe Volturcio litteras ad Catilinam dat: quarum exemplum infra ſcriptum eſt: *Quis ſim (u), ex eo, quem ad te miſi, cognoſces. Fac cogites, in quanta calamitate ſis: & memineris, te virum eſſe; conſideres, quid tuæ rationes poſtulent:* AUXILIUM *petas ab omnibus, etiam ab infimis.* Ad hoc, mandata verbis dat: *cum ab Senatu hoſtis judicatus ſit, quo conſilio ſervitia repudiet: in urbe parata eſſe, quæ juſſerit: ne cunctetur ipſe propius accedere.*

Allobroges ex præcepto Ciceronis à conjuratis jusjurandum poſtulant.

T. Volturcius cum Allobrogibus ad Catilinam proficiſcitur.

Literæ Lentuli ad Catilinam.

CAP. XLI. His rebus ita actis, conſtituta nocte, qua proficiſcerentur; Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco, & C. Pomptino Prætoribus imperat, ut in ponte Mulvio (x) per inſidias Allobrogum comitatus deprehendant: rem omnem aperit; cujus gratia mittebantur: cetera, uti facto opus ſit, ita agant. Homines (y) militares, ſine tumultu collocatis præſidiis, ſicuti præceptum erat, occulte pontem obſident. Poſtquam ad id loci legati cum Volturcio venere, ſimul utrimque clamor exortus eſt: Galli, cito cognito conſilio, ſine mora prætoribus ſe tradunt. Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio ſe à multitudine defendit; deinde, ubi à legatis deſertus eſt, multa prius de ſalute ſua Pompejum obteſtatus, quod ei notus erat, poſtremo timidus, ac vitæ diffidens, velut hoſtibus, ſeſe Prætoribus dedit. Quibus rebus confectis, omnia propere per nuntios Conſuli declarantur.

Volturcius à Prætoribus cum conjuratis aliis in ponte Mulvio capitur.

CAP. XLII. At illum ingens cura atque lætitia ſimul occupavere. Lætabatur intelligens conjuratione patefacta, civitatem periculis ereptam eſſe. Porro autem anxius erat, dubitans, in maxumo ſcelere tantis civibus deprehenſis, quid facto opus eſſet. POENAM illorum ſibi oneri, impunitatem perdundæ Reipublicæ fore credebat. Igitur confirmato animo, ad ſe jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, itemque Q. Ceparium Terracinenſem (z); qui in Apuliam ad concitanda ſervitia proficiſci parabat. Ceteri ſine mora veniunt. Ceparius, paullo ante domo egreſſus, cognito judicio, ex Urbe profugerat. Conſul Lentulum, quod prætor erat, ipſe manu tenens in Senatum perducit; reliquos cum cuſtodibus in ædem Concordiæ venire jubet. Eo Senatum advocat, magnaque frequentia ejus ordinis; Volturcium cum legatis introducit: Flaccum Prætorem ſcrinium cum litteris, quas à legatis acceperat, eodem adferre jubet.

Ciceronis lætitia & cura de conjuratione patefacta.

Cicero ceteros conjuratos ad ſe vocat.

Xxxx CAP. XLIII.

(q) al. incertum. (r) al. ut videbantur. (s) al. conſtituerant. (t) al. Vulturcium. (u) al. *Qui ſim.* (x) al. Milvio. (y) al. agant. Permittit illis homines militares. Sine &c. (z) al. Tarracinenſem.

Volturcius de itinere ac litteris interrogatur.

CAP. XLIII. Volturcius interrogatus *de itinere, & de litteris, postremo quid, aut qua de causa, consilii habuisset?* Primo fingere, alia omnia, alia dissimulare de conjuratione; post, ubi fide publica dicere jussus est, omnia, uti gesta erant, aperit; docetque *se paucis ante diebus à Gabinio & Cepario socium accitum: nihil amplius scire, quam legatos: tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Antronium, Servium Syllam, L. Varguntejum, multos præterea in ea conjuratione esse.* Eadem Galli fatentur; at (*a*) Lentulum dissimulantem coarguunt, præter litteras, sermonibus, quos ille habere solitus erat: *Ex libris, Sibyllinis, regnum Romæ tribus Cornelii portendit; Cinnam atque Syllam antea, se tertium esse, cui fatum foret Urbis potiri. Præterea, ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem sæpe ex prodigiis Aruspices respondissent bello civili cruentum fore.* Igitur perlectis litteris, cum prius omnes signa sua cognovissent, Senatus decernit, *uti, abdicato magistratu, Lentulus, itemque ceteri in liberis custodiis haberentur* (*b*). Itaque Lentulus, P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat; Cethegus, Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari: Gabinius, M. Crasso, Ceparius (nam is paullo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio Senatori traduntur.

Ejus indicium de conjuratione.

Conjurati in liberam custodiam traduntur.

Plebs conjurationem Catilinæ exsecratur.

CAP. XLIV. Interea plebs conjuratione patefacta, quæ PRIMO cupida novarum rerum nimis bello favebat, mutata mente Catilinæ consilia exsecrari, Ciceronem ad cœlum tollere, veluti ex servitute erepta, gaudium atque lætitiam agitabat. Namque ALIA BELLI facinora prædæ magis, quam detrimento fore; incendium vero crudele, immoderatum, ac sibi maxume calamitosum putabat; quippe cui omnes copiæ in usu quotidiano, & cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad Senatum adductus erat: quem, ad Catilinam proficiscentem, ex itinere retractum ajebant. Is cum se diceret de conjuratione indicaturum, si fides publica data esset; jussus à Consule, quæ sciret, edicere (*c*): eadem fere, quæ Volturcius, de paratis incendiis, de cæde bonorum, de itinere hostium, Senatum edocet (*d*). Præterea, *se missum à M. Crasso, qui Catilinæ nuntiaret, ne eum Lentulus, & Cethegus, aliique ex* (*e*) *conjuratione deprehensi terrerent; eoque magis properaret ad Urbem accedere, quo & ceterorum animos reficeret, & illi facilius è periculo eriperentur.* Sed, ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia; alii rem incredibilem rati; pars, tametsi verum existumabant, tamen, quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda, quam exagitanda videbatur, plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii, conclamant, *indicem falsum esse*; deque ea re postulant, uti referatur. Itaque, consulente Cicerone, frequens Senatus decernit, *Tarquinii indicium falsum videri; eumque in vinculis retinendum; neque amplius potestatem sui faciundam, nisi de eo indicaret, cujus consilio tantam rem esset mentitus.* Erant eo tempore, qui existumarent, indicium illud à P. Antronio machinatum, quo facilius, appellato Crasso, per societatem periculi, reliquos illius potentia tegeret, Alii, Tarquinium à Cicerone immissum ajebant, ne Crassus more suo, suscepto malorum patrocinio, Rempublicam conturbaret. Ipsum Crassum ego postea prædicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi à Cicerone impositam. (*f*).

L. Tarquinius conjurationis judex.

Sed ei non habetur fides.

Cicero Cæsarem inter conjuratos nominare non vult.

CAP. XLV. Sed iisdem temporibus Q. Catulus, & (*g*) Cn. Piso neque gratia, neque precibus, neque pretio, Ciceronem impellere quivere (*h*), uti per Allobroges, aut alium indicem C. Cæsar falso nominaretur. Nam uterque cum illo gravis (*i*) inimicitias exercebant; Piso, oppugnatus in judicio repetundarum, propter cujusdam Transpadani supplicium injustum: Catulus, ex petitione Pontificatus odio incensus; quod extrema ætate, maxumis honoribus usus, ab adolescentulo Cæsare victus discesserat. Res autem opportuna videbatur; quod is, privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus, grandem pecuniam debebat. Sed, ubi Consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singilatim circumeundo, atque ementiundo, quæ se ex Volturcio, aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; usque adeo, ut nonnulli equites Romani, qui præsidii causa cum telis erant circum ædem Concordiæ, seu periculi magnitudine, seu animi nobilitate impulsi, quo studium suum in rempublicam clarius esset, egredienti ex Senatu Cæsari gladio minitarentur.

Cæsaris cum Pisone & Catulo inimicitiæ.

CAP. XLVI. Dum hæc in Senatu aguntur, & dum legatis Allobrogum, & T. Volturcio, comprobato eorum indicio, præmia decernuntur, liberti (*k*), & pauci ex clientibus Lentuli, diversis itineribus, opifices, atque servitia in vices ad eum eripiendum sollicitabant. Partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio Rempublicam vexare soliti erant. Cethegus autem per nuntios familiam, atque libertos suos, electos (*l*) & exercitatos in audacia orabat, ut, grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis præsidiis, uti res atque tempus monebat, convocato Senatu refert, *quid de iis fieri placeat, qui in custodiam* (*m*) *traditi erant.* Sed eos paullo ante frequens Senatus judicaverat *contra Rempublicam fecisse.* Tum D. Junius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore Consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, & præterea de L. Cassio, P. Furio. P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreverat: isque postea, permotus oratione C. Cæsaris, pedibus in sententiam Tiberii Neronis iturum se dixerat; quod de ea re præsidiis additis, referendum censuerat.

Clientes Lentuli, sollicitant opifices & servitia ad eum eripiendum.

Cethegus similiter implorat operam familiæ & libertorum.

D. Junii Silani sententia de conjuratis.

CAP. XLVII. Sed Cæsar; ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam à Consule, hujuscemodi verba loquutus est. OMNIS (*n*) *homines, Patres Conscripti, qui de rebus dubiis consultant,*

Cæsaris in conjuratos oratio.

(*a*) al. ac. (*b*) al. *habeantur.* (*c*) al. dicere. (*d*) al. docet. (*e*) al. *de.* (*f*) al. paratam. (*g*) al. aut. (*h*) al. potuere. (*i*) al. graveis. (*k*) al. libertini. (*l*) al. electos. (*m*) al. *custodiis.* (*n*) al. *Omneis.*

fultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. HAUD FACILE *animus verum providet, ubi illa officiunt; neque quisquam omnium lubidini simul & usui paruit.* UBI *intenderis ingenium, valet. Si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, Patres conscripti, qui reges, atque populi, ira, aut misericordia impulsi, male consuluerint. Sed ea malo dicere, quæ majores nostri contra lubidinem animi sui, recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Persæ gessimus, Rhodiorum civitas, magna, atque magnifica, quæ Populi Romani opibus creverat, infida, atque adversa nobis fuit: sed postquam, bello confecto, de Rhodiis consultum est, majores nostri, ne quis divitiarum magis, quam injuriæ causa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, cum sæpe Carthaginienses in pace, & per inducias multa nefanda (o) facinora fecissent, numquam ipsi per occasionem talia fecere:* MAGIS *quod (p) se dignum foret, quam quod (q) in illos jure fieri posset, quærebant. Hoc item Vobis providendum est, Patres Conscripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli, & ceterorum scelus, quam vestra dignitas; neu magis iræ vestræ, quam famæ consulatis. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat; his utendum censeo, quæ legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice casum Reipublicæ miserati sunt: quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumeravere; rapi, virgines, pueros; divelli liberos à parentum complexu, matres familiarum pati, quæ victoribus collibuissent; Fana, atque domos spoliari; cædem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore, atque luctu omnia compleri. Sed, per Deos immortalis (r), quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infestos conjurationi faceret? scilicet, quem res tanta, atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est:* NEQUE CUIQUAM *mortalium injuriæ suæ parvæ videntur: multi eas gravius æquo habuere. Sed alia aliis licentia est, Patres Conscripti. Qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama, atque fortuna eorum pares sunt. Qui, magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita* IN MAXUMA *fortuna, minuma licentia est. Neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia, atque crudelitas appellatur. Equidem ego sic existumo, Patres Conscripti, omnis (s) cruciatus, minores, quam facinora illorum, esse. Sed plerique mortales postrema meminere; & in hominibus impiis, sceleris eorum obliti de pœna disserunt, si ea paullo sævior fuerit. D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certo scio, quæ dixerit, studio Reipublicæ dixisse, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere. Eos mores, eamque modestiam viri cognovi. Verum sententia ejus mihi non crudelis, (quid enim in talis (t) homines crudele fieri potest?) sed aliena à Republica nostra videtur. Nam profecto aut metus, aut injuria te subegit, Silane, Consulem designatum, genus pœnæ novum decernere. De timore, supervacaneum est disserere, cum præsertim diligentia Clarissumi viri Consulis, tanta præsidia sint in armis. De pœna, possumus equidem dicere id, quod res habet; in luctu, atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curæ, neque gaudio locum esse. Sed, per Deos immortalis (u), quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? An, quia lex Porcia vetat? At (x) aliæ leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent. An, quia gravius est, verberari, quam necari? Quid autem acerbum, aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius est: qui convenit in minore negotio legem observare (y), cum eam in majore neglexeris? At enim quis reprehendat, quod in parricidas Reipublicæ decretum erit? tempus, dies, fortuna, cujus lubido gentibus moderatur. Illis merito accidet, quidquid evenerit: ceterum vos, Patres Conscripti, quid in alios statuatis, considerate.* OMNIA *mala exempla, ex bonis initiis (z) orta sunt: sed, ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit; novum illud exemplum ab dignis & idoneis, ad indignos & non idoneos transfertur. Lacedæmonii, devictis Atheniensibus, triginta viros imposuere, qui Rempublicam eorum tractarent. Hi primo cœpere pessumum quemque; & omnibus invisum indemnatum necare. Ea populus lætari, & merito dicere fieri. Post, ubi paullatim licentia crevit; juxta bonos & malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultæ lætitiæ gravis (a) pœnas dedit. Nostra memoria victor Sylla, cum Damasippum, & alios hujusmodi (b) qui malo Reipublicæ creverant, jugulari jussit; quis non factum ejus laudabat? Homines scelestos, & factiosos, qui seditionibus Rempublicam exagitaverant, merito necatos ajebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit. Namque uti (c) quisque domum, aut villam, postremo aut vas, aut vestimentum alicujus concuperat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, paullo post ipsi trahebantur: neque prius finis jugulandi fuit, quam Sylla omnis suos divitiis explevit. Atque ego hoc non in M. Tullio, neque his temporibus vereor. Sed in* MAGNA *civitate multa & varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi. Ubi hoc exemplo, per Senatus decretum, gladium Consul eduxerit, quis illi finem statuet, aut quis moderabitur? Majores nostri, Patres Conscripti, neque consilii, neque audaciæ umquam eguere: neque superbia obstabat, quo minus instituta aliena, si modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria à Samnitibus, insignia magistratuum à Tusciis pleraque sumpserunt: postremo, quod ubique apud socios, aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur: imitari, quam invidere bonis,*

(o) al. *nefaria.* (p) al. *quid.* (q) al. *quid.* (r) al. *immortales.* (s) al. *omnes.* (t) al. *taleis.* (u) al. *immortales,* (x) al. *aut.* (y) al. *timere.* (z) al. *rebus domesticis.* (a) al. *graveis.* (b) al. *ejusmodi.* (c) al. *Nam uti.*

nis, malebant. Sed eodem illo tempore, Græciæ morem imitati, verberibus animadvertebant in cives: de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam Respublica adolevit, & multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, aliæque hujuscemodi fieri cœpere: tunc lex Porcia, aliæque leges paratæ sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est. Hanc ego causam, Patres Conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. PROFECTO *virtus, atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum Imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti, & augeri exercitum Catilinæ? Minume: Sed ita censeo; publicandas eorum pecunias; & ipsos in vinculis habendos per municipia, quæ maxume opibus valent: neu quis de his postea ad Senatum referat, neve cum Populo agat. Qui aliter fecerit, Senatum existumare, eum contra Rempublicam & salutem omnium facturum.*

CAP. XLVII. Postquam Cæsar dicendi finem fecit; ceteri verbo, alius alii varie assentiebantur. At M. Porcius Cato, rogatus sententiam, hujuscemodi orationem habuit.

Catonis de conjuratis oratio.

LONGE *mihi alia mens est, Patres Conscripti, cum res, atque pericula nostra considero, & cum sententias nonnullorum ipse mecum reputo. Illi mihi disseruisse videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris, atque focis suis bellum paravere. Res autem monet, cavere ab illis magis, quam, quid in illos statuamus, consultare. Nam* CETERA *maleficia tum persequare, ubi facta sunt. Hoc, nisi provideris, ne accidat; ubi evenit, frustra judicia implores. Capta Urbe, nihil fit reliqui victis. Sed, per Deos immortales, vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quam Rempublicam fecistis. Si ista, cujuscumque modi sint, quæ amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium præbere vultis; expergiscimini aliquando, & capessite Rempublicam. Nunc non agitur de vectigalibus, non* (d) *de sociorum injuriis. Libertas, & anima nostra in dubio est. Sæpenumero, Patres Conscripti, multa verba in hoc ordine feci: sæpe de luxuria, atque avaritia nostrorum civium questus sum; multosque mortalis* (e) *ea causa* (f) *advorsos* (g) *habeo. Qui mihi, atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed, ea tametsi vos parvi pendebatis; tamen Respublica firma erat: opulentia negligentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonisne, an malis moribus vivamus; neque, quantum, aut quam magnificum Imperium Populi Romani sit; sed, hæc cujuscumque modi videntur, nostra, an, nobiscum una, hostium futura sint. Hic* (h) *mihi quisquam mansuetudinem, & misericordiam nominat? Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus. Quia, bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur. Eo Respublica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis. Sint misericordes in furibus ærarii. Ne illis sanguinem nostrum largiantur; &, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis, perditum eant. Bene, & composite C. Cæsar paullo ante in hoc ordine de vita & morte disseruit, credo, falsa existumans ea, quæ de inferis memorantur,* DIVERSO *itinere malos à bonis loca tætra, inculta, fœda, atque formidolosa habere. Itaque censuit, pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos; videlicet, timens, ne, si Romæ sint, aut à popularibus conjurationis, aut à multitudine conducta, per vim eripiantur. Quasi vero mali, atque scelesti tantummodo in Urbe, & non per totam Italiam sint: aut* NON IBI PLUS *possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium est; si periculum ex illis metuit. Sin in tanto omnium metu solus non timet; eo magis refert, me mihi, atque vobis timere. Quare cum de P. Lentulo, ceterisque statuetis; pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinæ, & de omnibus conjuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis; tanto illis animus infirmior erit. Si paullulum modo vos languere viderint; jam omnes feroces aderunt. Nolite existumare, majores nostros armis Rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset; multo pulcherrumam eam nos haberemus. Quippe sociorum, atque civium, præterea armorum atque equorum major nobis copia, quam illis, est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere; quæ nobis nulla sunt; domi industria, foris justum imperium; animus in consulendo liber, neque delicto, neque lubidini obnoxius.* PRO HIS, *nos habemus luxuriam, atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos discrimen nullum. Omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ servitis. Eo fit, ut impetus fiat in vacuam Rempublicam. Sed ego hæc omitto. Conjuravere cives nobilissimi patriam incendere, Gallorum gentem, infestissumam nomini Romano, ad bellum arcessunt. Dux hostium cum exercitu supra caput est. Vos cunctamini etiam nunc, & dubitatis, quid, intra mœnia deprehensis hostibus, faciatis? Misereamini, censeo. Deliquere homines adolescentuli per ambitionem: atque etiam armatos dimittatis. Næ ista vobis mansuetudo, & misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet.* (i) *Scilicet res ipsa aspera est; sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; sed inertia & mollitia animi, alius alium exspectantes, cunctamini, videlicet, Diis immortalibus confisi, qui hanc Rempublicam in maxumis sæpe periculis servavere.* NON VOTIS, *neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur. Vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt. Ubi socordiæ tete, atque ignaviæ tradideris; nequicquam deos implores, irati infestique sunt. Apud majores nostros A. Manlius Torquatus, bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit. Atque ille egregius adolescens, immoderatæ fortitudinis, morte pœnas dedit. Vos, de crudelissumis parricidis quid statuatis, cunctamini? videlicet cetera vita eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati*

(d) al. *neque.* (e) al. *mortales.* (f) al. *ob eam causam.* (g) al. *adversus.* (h) al. *Heic.* (i) al. *convertetur.*

*gnitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si Diis, aut hominibus umquam ullis pepercit. Ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum (k) jam patriæ bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cepario loquar? quibus si quidquam pensi umquam fuisset, non ea consilia de Republica habuissent. Postremo, Patres Conscripti, si meherc*le *peccato locus esset, facile pateret vos ipsa re corrigi, quoniam verba mea contemnitis. Sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urget: (l) alii intra mœnia, atque in sinu Urbis sunt hostes. Neque parari, neque consuli quidquam occulte potest; quo magis properandum est. Quare ita ego censeo; cum nefario consilio sceleratorum civium, Respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturcii, & legatorum Allobrogum convicti, confessique sint, cædem, incendia, aliaque fœda atque crudelia facinora in civis (m), patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum supplicium sumendum.*

Ejusdem in sententiam omnes discedunt.

CAP. XLVIII. Postquam Cato assedit: Consulares omnes, itemque Senatus magna pars, sententiam ejus laudant, virtutem animi ad cœlum ferunt: alii alios increpantes, *timidos* vocant: Cato clarus atque magnus habetur: Senatus decretum fit, sicut ille censuerat. Sed mihi multa legenti, multa audienti, quæ, Populus Romanus domi, militiæque mari, atque terra præclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quæ res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam, sæpenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse: cognoveram, parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus: ad hoc, sæpe fortunæ violentiam toleravisse: facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi, multa agitanti, constabat, PAUCORUM civium egregiam virtutem cuncta patravisse; eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed, postquam luxu atque desidia civitas corrupta est; rursus Respublica magnitudine sua imperatorum, atque magistratuum vitia sustentabat; ac, sicuti (n) effœta parentum, multis tempestatibus haud sane quisquam Romæ virtute magnus fuit. Sed, memoria mea (o), ingenti virtute, diversis moribus fuere duo viri duo, M. Cato, & C. Cæsar: quos, quoniam res obtulerat, silentio præterire non fuit consilium, quin utriusque naturam, & mores, quantum ingenio possem, aperirem.

Populus Romanus quomodo crevérit.

Et decrevérit.

Comparatio M. Catonis & C. Cæsaris.

CAP. XLIX. Igitur his genus, ætas, eloquentia prope æqualia fuere. Magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. Cæsar beneficiis, ac munificentia magnus habebatur; integritate vitæ Cato. Ille mansuetudine, & misericordia clarus factus: huic severitas dignitatem addiderat. Cæsar, dando, sublevando, ignoscendo; Cato nihil largiendo, gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium; in altero malis pernicies. Illius facilitas; hujus constantia laudabatur. Postremo Cæsar in animum induxerat, laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus, sua negligere; nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiæ, decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; ESSE, quam videri, bonus malebat. Ita, quo minus gloriam petebat, eo magis adsequebatur.

Conjurati in carcere necantur.

CAP. L. Postquam, uti dixi, Senatus in Catonis sententiam discessit; Consul optumum factu ratus, noctem, quæ instabat, ante capere, ne quid eo spatio novaretur, Triumviros, quæ ad supplicium postulabat, parare jubet: ipse, præsidiis dispositis, Lentulum in carcerem deducit; (q) idem fit ceteris per Prætores. Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, ubi paullulum ascenderis (r) ad lævam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus juncta (s), sed inculta tenebris, odore, fœda atque terribilis ejus facies est. In eum locum postquam demissus Lentulus, vindices (t) rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille patritius, ex gente clarissuma Corneliorum, qui consulare imperium Romæ habuerat, DIGNUM moribus factisque suis exitium vitæ invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario, eodem modo supplicium sumptum est.

Catilinæ exercitus.

CAP. LI. Dum ea Romæ geruntur, Catilina ex omni copia, quam ipse adduxerat, & Manlius habuerat, duas legiones instituit; cohortes pro numero militum complet. Dein, uti quisque voluntarius, aut ex sociis in castra venerat, æqualiter distribuerat; ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat; cum initio non amplius duobus millibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, utiquemque casus armaverat, sparos, aut lanceas, alii præacutas sudes portabant. Sed postquam Antonius cum exercitu, adventabat, Catilina per montes iter facere; modo ad Urbem, modo in Galliam versus castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare. Sperabat propediem magnas copias se habiturum, si Romæ socii incœpta patravissent. Interea servitia repudiabat, cujus (u) initio ad eum magnæ copiæ concurrebant, opibus conjurationis fretus; simul alienum suis rationibus existumans, videri causam civium cum servis fugitivis communicavisse.

CAP. LII. Sed, postquam in castra nunti-us

(*k*) al. *alterum.* (*l*) al. *in civitatis faucibus urget.* al. *in Italiæ faucibus urget.* al. *in faucibus urget.* (*m*) al. *cives.* (*n*) al. veluti. (*o*) al. nostra. (*p*) al. profugium erat. (*q*) al. ducit. (*r*) al. descenderis. al. escenderis. (*s*) al. vincta. (*t*) al. judices. (*u*) al. quorum.

us pervenit, Romæ conjurationem patefactam de Lentulo, & Cethego, ceterisque, quos supra memoravi, supplicium sumptum: PLERIQUE, quos ad bellum spes rapinarum, aut novarum rerum studium illexerat; dilabuntur: reliquos Catilina per montis (x) asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit; eo consilio, uti per tramites occulte profugeret (y) in Galliam Transalpinam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno præsidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans, quæ supra diximus, Catilinam agitare. Igitur, ubi iter ejus ex perfugis (z) cognovit, castra propere movit, ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fugam (a) sequeretur.

Catilina fugam in Galliam parat.

Duobus exercitibus clauditur.

CAP. LIII. Sed Catilina, postquam videt montibus, atque copiis hostium sese clausum, in Urbe res adversas, neque fugæ, neque præsidii ullam spem; optumum factu ratus, in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque concione advocata, hujuscemodi orationem habuit.

Catilinæ ad milites hortatio.

Compertum ego habeo, milites, VERBA VIRIS *virtutem non addere: neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri. Quanta cujusque animo audacia natura, aut motibus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam hortere: timor animi auribus officit. Sed ego, vos, quo pauca monerem (b), advocavi; simul uti causam mei consilii aperirem. Scitis, equidem, milites, socordia, atque ignavia Lentuli, quantam ipsi, nobisque cladem (c) attulerit; quoque modo, dum ex urbe præsidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero, quo in loco res nostræ sint, juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo, unus ab Urbe, alter à Gallia obstant: diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocumque ire placet, ferro iter aperiundum est. Quapropter vos moneo, uti forti, atque parato animo sitis; &, cum prælium inibitis, memineritis, vos (d) divitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt: commeatus abunde, municipia, atque coloniæ patebunt. Sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient: neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Præterea, milites, non eadem nobis, & illis necessitudo impendet. Nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis supervacaneum est, pro potentia paucorum pugnare. Quo audacius aggredimini (e), memores pristinæ virtutis. Licuit nobis (f) cum summa turpitudine in exilio ætatem agere. Potuistis nonnulli Romæ, amissis bonis, alienas opes exspectare (g). Quia illa fœda, atque intoleranda viris videbantur, hæc sequi decrevistis. Si hæc relinquere vultis, audacia opus est. Nemo, nisi victor, pace bellum mutavit. Nam, in fuga salutem sperare, cum arma, quibus tegitur, ab hostibus averteris; ea vere dementia est.* SEMPER IN PRÆLIO *iis maxumum est periculum, qui maxume timent: audacia pro muro habetur. Cum vos considero, milites, & cum facta vestra æstumo; magna me spes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus vestra me hortantur: præterea,* NECESSITUDO, *quæ etiam timidos fortis (h) facit. Nam, multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiæ loci. Quod si virtuti vestræ fortuna inviderit, cavete, inulti (i) animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora, trucidemini, quam, virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.*

CAP. LIV. Hæc ubi dixit; paullulum commoratus, signa canere jubet; atque instructos ordines in locum æquum deducit: dein, REMOTIS omnibus equis, quo militibus, exæquato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco, atque copiis instruit. Nam, uti planicies erat inter sinistros montis (k), & ab dextera rupes aspera, octo cohortis (l) in fronte constituit; reliqua signa in subsidiis arctius collocat. Ab his centuriones omnis (m) lectos & evocatos, præterea ex gregariis militibus, optumum (n) quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextra, Fæsulanum quemdam in sinistra parte curare jubet: ipse cum libertis & colonis (o) propter Aquilam adsistit (p); quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte C. Antonius, pedibus æger, quod prælio adesse nequibat (q) M. Petrejo legato exercitum permittit. Ille cohortes veteranas, quas tumulti (r) causa conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo circumiens, unumquemque nominans, appellat, hortatur, rogat, *uti meminerint, se contra latrones inermes, pro patria, pro liberis, pro aris, atque focis suis certare.* (s) Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut præfectus, aut legatus, aut prætor, cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos, factaque eorum fortia noverat; ea commemorando, militum animos accendebat.

Acies Catilinæ.

Acies Antonii.

CAP. LV. Sed, ubi, omnibus rebus exploratis, Petrejus tuba signum dat, cohortes paullatim incedere jubet. Idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum est, unde à ferentariis prælium committi posset (t); maxumo clamore, cum infestis signis concurrunt (u); pila omittunt; gladiis res geritur. Veterani, pristinæ virtutis memores, cominus acriter instare; illi haud timidi resistunt; maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expe-

Prælium committitur.

(x) al. montes. (y) al. perfugerent. (z) al. profugis. (a) al. in fuga. (b) al. *admonerem.* (c) al. *quantum ..... cladis.* (d) al. *nos.* (e) al. *aggrediamini.* (f) al. *vobis.* (g) al. *spectare.* (h) al. *fortes.* (i) al. *cavete ne inulti.* (k) al. montes. (l) al. cohortes. (m) al omnes. (n) al. optume. (o) al. colonibus. (p) al. adstitit. (q) al. nequierat. (r) al. tumultus. (s) al. *cernere.* (t) al. committi utrimque posset. (u) al. signis utrimque concurrunt.

peditis in prima acie versari: laborantibus succurrere: integros pro sauciis arcessere: omnia providere: multum ipse pugnare: sæpe hostem ferire: strenui militis, & boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petrejus, ubi videt Catilinam contra, ac ratus erat, magna vi tendere (*x*); cohortem prætoriam in medios hostes inducit; eosque perturbatos, atque alios alibi resistentes, interficit; deinde utrimque ex lateribus ceteros aggreditur. Manlius & Fæsulanus, in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catilina; memor generis, atque pristinæ suæ dignitatis, in confertissumos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur.

In quo Catilina fortiter pugnans confoditur.
O. C. 3937. a. C. N. 63. U. C. 690. Ol. 179.

CAP. LVI. Sed, confecto prælio, tum vero cerneres quanta audacia, quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinæ. Nam fere, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors prætoria disjecerat, paullo diversius; sed omnes tamen adversis vulneribus conciderant. (*y*) Catilina vero longe à suis inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens. Postremo, ex omni copia, neque in prælio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est. Ita cuncti suæ, hostiumque vitæ juxta pepercerant. Neque tamen exercitus Populi Romani lætam, aut incruentam victoriam adeptus erat. Nam strenuissumus quisque, aut occiderat in prælio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem, qui de castris (*z*) visundi, aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem, aut cognatum reperiebant. Fuere item, qui inimicos suos cognoscerent (*a*). Ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus, atque gaudiam (*b*) agitabantur.


Catilinæ exercitus fortiter pugnat.

(*x*) al. contendere. (*y*) al. occubuerant. (*z*) al. qui è castris. (*a*) al. recognoscerent. (*b*) al. gaudium.

FINIS BELLI CATILINARII.



C. SAL-



C. SALLUSTII CRISPI IUGURTHA, SEU BELLUM IUGURTHINUM.

PROOEMIUM.

Naturæ iniquitas falso ab hominibus accusatur. Animus vitæ mortalium dominatur.

FALSO queritur de natura sua genus humanum, quod imbecille, atque ævi brevis, forte (c) potius quam virtute regatur. Nam contra reputando, neque majus aliud, neque præstabilius invenias; MAGISQUE NATURÆ industriam hominum, quam vim, aut tempus deesse. Sed dux, atque imperator vitæ mortalium, animus est: qui, ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque, & clarus est, neque fortuna eget; quippe quæ probitatem, industriam, aliasque (d) artes bonas, neque dare, neque eripere cuiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus, ad inertiam, & voluptates corporis pessundatus est: perniciosa lubidine paullisper usus; ubi per socordiam vires, tempus, ingenium (e) diffluxere (f), naturæ infirmitas accusatur: suam quippe culpam auctores (g) ad negotia transferunt. QUOD si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena, ac nihil profutura, multum etiam periculosa petunt; neque regerentur magis, quam regerent casus (h); & eo magnitudinis procederent, ubi (i) pro mortalibus, gloria æterni fierent. Nam uti genus hominum compositum ex corpore & anima est: ita RES CUNCTÆ, studiaque omnia nostra, corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur præclara facies, magnæ divitiæ, ad hoc vis corporis, & alia omnia hujuscemodi brevi dilabuntur. At INGENII egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. Postremo, corporis & fortunæ bonorum, uti initium, sic finis est; omniaque orta occidunt, & aucta senescunt. ANIMUS incorruptus, æternus, rector humani generis, agit, atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam ætatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt: cum præsertim tam multæ, variæque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur. Verum ex his magistratus, & imperia, postremo omnis cura rerum publicarum, minime mihi hac tempestate cupiunda videntur: quoniam neque virtuti honos datur; neque illi, quibus per fraudem jus (k) fuit, tuti, aut eo magis honesti sunt. Nam, VI QUIDEM REGERE patriam, aut parentes, quamquam & possis, & delicta corrigas; tamen importunum est; cum præsertim omnes rerum mutationes, cædem, fugam, aliaque hostilia portendant. FRUSTRA AUTEM niti, neque aliud, se (l) fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est: nisi forte quem inhonesta & periculosa lubido tenet, potentiæ paucorum, decus atque libertatem suam gratificari. Ceterum ex aliis (m) negotiis, quæ ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum: cujus de virtute, quia multi dixere (n), prætereundum puto; simul, ne PER INSOLENTIAM quis existumet, memet studium meum laudando extollere. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul à republica ætatem agere, tanto, tamque utili labori meo nomen inertiæ imponant; Certe, quibus maxuma industria videtur, salutare plebem, & conviviis gratiam quærere. Qui si reputaverint, & qui-

Hinc facta ipsius immortalia. Corpus vitæ mortalium servit.

Officia publica cur hac tempestate non cupienda.

Historiæ studium præ aliis excellentia.

(c) al. *forte.* (d) al. *ceterasque.* (e) al. *tempus, ætas, ingenium.* (f) al. *defluxere.* (g) al. *actores.* (h) al. *neque regerentur magis à casibus, quam regerent casus.* (i) al *uti.* (k) al. *vis.* (l) al. *sese.* (m) al. *iis.* al. *his.* (n) al. *quia multi multa dixere.*

& quibus ego temporibus magistratum adeptus sim (o); & quales viri idem assequi nequiverint; & postea, quæ genera hominum in Senatum pervenerint: profecto existumabant, me magis merito, quam ignavia, judicium animi mei mutavisse; majusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis, Reipublicæ venturum. Nam sæpe audivi, Q. Maxumum, P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere; CUM MAJORUM *imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in sese habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit. At contra, quis est omnium his moribus, quin divitiis (p), & sumptibus, non probitate, neque industria, cum majoribus suis contendat? Etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim, & per latrocinia potius, quam bonis artibus, ad imperia & honores nituntur. Perinde* QUASI PRÆTURA, *& consulatus, atque omnia alia hujuscemodi per se ipsa clara, & magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est. Verum ego liberius, altiusque processi, dum me civitatis morum piget, tædetque. Nunc ad incœptum (q) redeo.*

Ejusque utilitas.

CAPUT I.

Bellum Jugurthinum magnum, atrox & varia fortuna.

Bellum scripturus sum, quod Populus Romanus cum Jugurtha rege Numidarum gessit. Primum, quia magnum & atrox, variaque victoria fuit: dein, quia tunc primum superbiæ nobilitatis obviam itum est (r). Quæ contentio divina & humana cuncta permiscuit (s): eoque vecordiæ processit, uti studiis civilibus bellum, atque vastitas Italiæ finem facerent (t). Sed prius quam hujuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam; quo ad cognoscendum, omnia illustria magis, magisque in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal, post magnitudinem nominis Romani, Italiæ opes maxume attriverat; Masinissa rex Numidarum, in amicitiam receptus à P. Scipione, cui postea Africano cognomen ex virtute fuit, multa & præclara rei militaris facinora fecerat: ob quæ, victis Carthaginiensibus, & capto Syphace, cujus in Africa magnum, atque late imperium valuit, Populus Romanus quascumque urbis (u), & agros manu ceperat, regni dono dedit. Igitur amicitia Masinissæ bona atque honesta nobis permansit: sed imperii, vitæque ejus, finis idem fuit. Deinde Micipsa filius regnum solus obtinuit, Manastabale, (x), & Gulussa fratribus morbo absumptis. Is Adherbalem, & Hiempsalem ex sese genuit; Jugurthamque Manastabilis fratris filium, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit.

Masinissa in amicitiam Romanorum recipitur. O. C. 3793. U. C. 546. Ol. 143. a. C. N. 207.

Micipsa rex Numidarum solus. Adherbal, & Hiempsal filii Micipsæ. Jugurthæ genus.

Mores, studia & ingenium.

CAP. II. Qui, ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxui (y), neque inertiæ corrumpendum dedit; sed, uti mos gentis illius est, equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare; &, cum omnis (z) gloria anteiret, omnibus tamen charus esse: ad hoc, pleraque tempora in venando agere: leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire: PLURIMUM FACERE, & minumum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio lætus fuerat, existumans Jugurthæ virtutem regno suo gloriæ fore: tamen postquam hominem adolescentem, exacta sua ætate, & parvis liberis, magis magisque crescere intelligit, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. Terrebat eum NATURA mortalium avida imperii, & præceps ad explendam animi cupidinem. Præterea, opportunitas suæ liberorumque ætatis, quæ etiam mediocres viros spe prædæ transvorsos agit. Ad hoc, studia Numidarum in Jugurtham accensa: ex quibus, si talem virum dolis interfecisset, ne qua seditio, aut bellum oriretur, anxius erat.

CAP. III. His difficultatibus circumventus, ubi videt, NEQUE PER VIM, neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus; quod erat Jugurtha manu promptus, & appetens gloriæ militaris, statuit eum objectare periculis, & eo modo fortunam tentare. Igitur bello Numantino Micipsa, cum Populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret; sperans vel ostentando virtutem, vel hostium sævitia facile eum occasurum; præfecit Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam Jugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis Imperator erat, & morem hostium cognovit; MULTO LABORE, multaque cura, præterea modestissume parendo, & sæpe obviam eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervenerat, uti nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset. Ac sane, quod DIFFICILLUMUM in primis est, & prælio strenuus erat, & bonus consilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque solet. Igitur Imperator omnis (a) fere res asperas per Jugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum indies amplecti. Quippe cujus neque consilium, neque incœptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi, ingenii solertia: quibus rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia conjunxerat.

Jugurtha auxiliari exercitui præficitur.

Scipioni propter virtutem placet.

CAP. IV. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi, atque nobiles (b), quibus divitiæ bono honestoque potiores erant, factiosi,

(o) al. *sum.* (p) al. *qui non divitiis.* (q) al. *cœptum.* (r) al. obviatum est. (s) al. divina simul & humana permiscuit. (t) al. faceret. (u) al. urbes. (x) al. Mastanabale. (y) al. luxu. (z) al. omnes. (a) al. omnes. (b) al. ignobiles.

Quibus conjecturis ipsi regnum Numantinum pollicеatur.

factiosi, domi potentes, apud socios clari magis, quam honesti; qui Jugurthæ non mediocrem animum pollicitando accendebant, *si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus Imperio (c) Numidiæ potiretur: in ipso maxumam virtutem, Romæ omnia venalia esse.* Sed postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia, & ipse reverti domum decrevit: donatum, atque laudatum magnifice pro concione Jugurtham in prætorium adduxit; ibique secreto monuit, *ut potius publice, quam privatim, amicitiam Populi Romani coleret; neu quibus largiri insuescere*t, PERICULOSE *à paucis emi, quod multorum esset. Si permanere vellet in suis artibus, ultro illi & gloriam & regnum venturum: sin properantius pergeret, suamet ipsum pecunia præcipitem casurum (d).*

Jugurtha à Scipione laudatur. O. C. 3853. U. C. 606. Ol. 158. 2. C. N. 147.

CAP. V. Sic locutus, cum litteris eum, quas Micipsæ redderet, dimisit. Earum sententia hæc erat: *Jugurthæ tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit. Quam rem certo (e) scio tibi gaudio esse. Nobis, ob merita sua carus est: ut idem Senatui Populoque Romano sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor. En habes virum dignum te, atque avo suo Masinissa.* Igitur rex, ubi ea quæ fama acceperat, ex litteris Imperatoris ita esse cognovit, cum (*f*) virtute, tum gratia viri permotus, flexit animum suum, & Jugurtham beneficiis vincere aggressus est: statimque eum adoptavit, & testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse paucos post annos, morbo, atque ætate confectus, cum sibi finem vitæ adesse intelligeret, coram amicis, & cognatis, itemque Adherbale, & Hiempsale filiis, dicitur hujuscemodi verba cum Jugurtha (*g*) habuisse.

A Micipsa adoptatur.

Micipsæ ultima verba ad filios.

CAP. VI. *Parvum ego te, Jugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus in meum regnum accepi, existumans non minus me tibi, quam liberis (h), si genuissem, ob beneficia carum fore. Neque ea res falsum me habuit. Nam ut alia magna, & egregia tua facta (i) omittam, novissime rediens Numantia, meque regnumque meum gloria honoravisti (k), tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti: in Hispania nomen familiæ nostræ renovatum est. Postremo, quod difficillumum inter mortalis est, gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam mihi natura finem vitæ facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo, obtestorque, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas: neu malis alienos adjungere, quam sanguine conjunctos retinere.* NON EXERCITUS, *neque thesauri, præsidia regni sunt; verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio & fide pariuntur (l). Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego regnum vobis trado firmum, si boni eritis; si mali, imbecillum. Nam* CONCORDIA *res parvæ crescunt, discordia maxumæ dilabuntur. Ceterum ante hos te, Jugurtha, quia (m) ætate & sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam* IN OMNI CERTAMINE, *qui opulentior est, etiamsi accipit injuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal, & Hiempsal, colite, observate hunc talem virum: Imitamini virtutem, & enitimini, ne ego meliores liberos sumpsisse videar, quam genuisse.*

Micipsa moritur.

CAP. VII. Ad ea Jugurtha, tametsi regem ficta locutum intelligebat, & ipse longe aliter animo agitabat: tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis post diebus moritur. Postquam ille more regio justa (*n*) magnifice fecerant, reguli in unum convenerunt (*o*), ut inter se de negotiis cunctis disceptarent. Sed Hiempsal, qui minumus ex illis erat, natura ferox, etiam ante (*p*) IGNOBILITATEM Jugurthæ, quia materno genere impar erat, despiciens, dextra Adherbalem adsedit; ne medius ex tribus, quod & apud Numidas honori ducitur, Jugurtha foret. Dein tamen, UT ÆTATI concederet, fatigatus à fratre, vix in alteram partem transductus est. Ibi cum multa de administrando imperio dissererent, Jugurtha inter alias res jacit: *Oportere quinquennii consulta, & decreta omnia rescindi. Nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse.* Tum *idem* Hiempsal *placere sibi* respondit. *Nam ipsum illum tribus his proxumis annis adoptione in regnum pervenisse.* Quod verbum in pectus Jugurthæ altius, quam quisque ratus erat, descendit. Itaque ex eo tempore ira, & metu anxius, moliri, parare, atque ea modo in animo habere, quibus per dolum Hiempsal caperetur. Quæ ubi tardius procedunt, neque lenitur animus ferox, statuit quovis modo incœptum perficere.

Hiempsal natura ferox Jugurtham despicit.

Ejus gravius dictum Jugurtham exasperat.

Hiempsal ex insidiis Jugurthæ interficitur.

CAP. VIII. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensionem placuerat dividi thesauros, finisque (*q*) imperii singulis constitui. Itaque ad utramque rem tempus decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in loca propinqua thesauris, alius alio concessere. Sed Hiempsal in oppido Thirmida forte ejus utebatur domo, qui proxumus lictor Jugurthæ, carus acceptusque ei semper fuerat: quem ille casu ministrum oblatum promissis onerat, impellitque, uti tamquam suam domum visens eat: portarum claves adulterinas paret: nam veræ ad Hiempsalem referebantur: ceterum, ubi res postularet, se ipsum cum magna venturum manu. Numida mandata brevi conficit; atque, uti doctus erat, noctu Jugurthæ milites introducit. Qui postquam in ædes irrupere: diversi regem quærere, dormientes alios, alios occursantis (*r*) interficere: scrutari loca abdita: clausa effringere: strepitu & tumultu omnia miscere: cum interim Hiempsal reperitur, occultans se tugurio mulieris ancillæ, quo initio pavidus, & ignarus loci profugerat (*s*). Numidæ caput ejus, ut jussi erant, ad Jugurtham referunt.

CAP. IX.

(*c*) al. *regno.* (*d*) al. *pergeret, pecuniam & ipsum præcipitem casurum.* (*e*) al. *certe.* (*f*) al. tum. (*g*) al. hujuscemodi verba cum Jugurtha fertur habuisse. (*h*) alii τὸ *liberis* omittunt. (*i*) al. *facinora* (*k*) al. *decorasti.* (*l*) al. *parantur.* (*m*) al. *qui.* (*n*) al. justitium. (*o*) al. convenere. (*p*) al. antea. (*q*) al. finesque. (*r*) al. occursantes. (*s*) al. perfugerat.

CAP. IX. Ceterum FAMA tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur (*t*). Adherbalem, omniſque (*u*), qui ſub Micipſæ imperio fuerant, metus invadit. In duas partis (*x*) diſcedunt Numidæ: plures Adherbalem ſequuntur, ſed illum alterum bello meliores. Igitur Jugurtha quam maxumas poteſt copias armat: urbes partim vi, alias voluntate imperio ſuo adjungit: omni Numidiæ imperare parat. Adherbal (*y*), tametſi Romam legatos miſerat, qui Senatum docerent de cæde fratris, & fortunis ſuis; tamen fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex prælio profugit in provinciam, ac de hinc (*z*) Romam contendit. Tum Jugurtha, patratis conſiliis, poſtquam omni Numidia potiebatur, in otio facinus ſuum cum animo reputans, timere populum Romanum, neque adverſus iram ejus uſquam, niſi in avaritia nobilitatis, & pecunia ſua, ſpem habere. Itaque, paucis diebus, cum auro argentoque multo legatos Romam mittit, quîs (*a*) præcipit, uti primum veteres amicos muneribus expleant: dein novos acquirant: poſtremo, quemcumque poſſint largiundo parare, ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere, & ex præcepto regis hoſpitibus, aliiſque, quorum ea tempeſtate in Senatu auctoritas pollebat, magna munera miſere; TANTA commutatio inceſſit, ut ex maxuma invidia in gratiam & favorem nobilitatis Jugurtha veniret. Quorum pars ſpe, alii præmio inducti, ſingulos ex Senatu ambiundo nitebantur, ne gravius (*b*) in eum conſuleretur.

Adherbal victus à Jugurtha prælio Romam contendit.

Jugurtha Romanos largiendo fatigat.

CAP. X. Igitur, ubi legati ſatis confidunt, die conſtituto Senatus utriſque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus. *Patres Conſcripti, Micipſa pater meus moriens, mihi præcepit, uti regni Numidiæ tantummodo procurationem exiſtumarem meam; ceterum jus & Imperium penes vos eſſe: ſimul eniterer domi militiæque quam maxumo uſui eſſe Populo Romano. Vos mihi cognatorum, vos in loco adfinium ducerem* (*c*): *Si ea feciſſem, in veſtra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quæ præcepta patris mei cum agitarem; Jugurtha, homo omnium, quos terra ſuſtinet, ſceleratiſſumus, contempto Imperio veſtro, Maſiniſſæ me nepotem, etiam ab ſtirpe ſocium atque amicum Populi Romani regno fortuniſque omnibus expulit. Atque ego, Patres Conſcripti, quoniam eo miſeriarum venturus eram, vellem, potius ob mea, quam ob majorum meorum beneficia, poſſe me à vobis auxilium petere ac maxume deberi mihi beneficia à Populo Romano, quibus non egerem; ſecundum ea, ſi deſideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam* PARUM TUTA *per ſe ipſa probitas eſt, neque mihi in manu fuit, Jugurtha qualis foret: ad Vos confugi, Patres Conſcripti, quibus, quod mihi miſerrumum eſt, cogor prius oneri, quam uſui eſſe. Ceteri reges, aut bello victi, in amicitiam à vobis recepti ſunt, aut in ſuis dubiis rebus ſocietatem veſtram appetiverunt. Familia noſtra cum Populo Romano bello Carthaginienſi amicitiam inſtituit, quo tempore magis fides ejus, quam fortuna petenda* (*d*) *erat. Quorum progeniem vos, Patres Conſcripti, nolite pati me nepotem Maſiniſſæ fruſtra à vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil cauſæ haberem, præter miſerandam fortunam; quod paullo ante rex genere, fama, atque copiis potens, nunc deformatus ærumnis, inops, alienas opes exſpecto: tamen* ERAT MAJESTATIS *Populi Romani prohibere injuriam; neque pati, cujuſquam regnum per ſcelus creſcere. Verum ego his finibus ejectus ſum, quos majoribus meis Populus Romanus dedit: unde pater, & avus meus una vobiſcum expulere Syphacem & Carthaginienſes. Veſtra beneficia mihi erepta ſunt, Patres Conſcripti, vos in mea injuria deſpecti eſtis. Eheu me miſerum! Huccine, Micipſa pater, beneficia tua evaſere, ut quem tu parem cum liberis tuis, regnique participem feciſti, is potiſſumum ſtirpis tuæ extinctor ſit? Numquamne ergo familia noſtra quieta erit? ſemperne in ſanguine, ferro, fuga verſabimur? Dum Carthaginienſes incolumes fuere, jure omnia ſæva patiebamur. Hoſtes à latere: vos amici procul: ſpes omnis in armis erat. Poſtquam illa peſtis ex Africa ejecta eſt, læti pacem agitabamus: quippe, quîs* (*e*) *hoſtis nullus erat, niſi forte quem vos juſſiſſetis. Ecce autem ex improviſo Jugurtha; intoleranda audacia, ſcelere, atque ſuperbia ſeſe efferens, fratre meo, atque eodem propinquo ſuo interfecto, primum regnum ejus ſceleris ſui prædam fecit. Poſt, ubi me iiſdem dolis capere nequit, nihil minus, quam vim aut bellum exſpectantem, in Imperio veſtro, ſicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem, & coopertum miſeriis effecit, ut ubivis tutius quam in meo regno, eſſem. Ego ſic exiſtumabam, Patres Conſcripti, uti prædicantem audieram patrem meum; qui veſtram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem ſuſcipere, ceterum ex omnibus maxume tutos eſſe. Quod in familia noſtra fuit, præſtitit, uti in omnibus bellis adeſſet Vobis. Nos uti per otium tuti ſimus, in manu veſtra eſt, Patres Conſcripti, Pater nos duos fratres reliquit: tertium Jugurtham beneficiis ſuis ratus eſt nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus, alter ipſe* (*f*) *ego manus impias vix effugi. Quid agam? aut quo potiſſimum infelix accedam? generis præſidia omnia extincta ſunt: pater, uti neceſſe erat, naturæ conceſſit: fratri, quem minume decuit, propinquus per ſcelus vitam eripuit: affines, amicos, propinquos, ceteros meos, alium alia clades oppreſſit: capti ab Jugurtha, pars in crucem acti, pars beſtiis objecti ſunt: pauci, quibus relicta eſt anima, clauſi in tenebris, cum mœrore & luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quæ aut amiſi, aut ex neceſſariis advorſa facta ſunt, incolumia manerent; tamen, ſi quid ex improviſo mali accidiſſet, Vos implorarem, Patres Conſcripti, quibus* PRO MAGNITUDINE *Imperii, jus & injurias omnis* (g), *curæ eſſe decet: Nunc vero exul patria, domo, ſolus, atque omnium honeſtarum rerum egens, quo accedam? aut quos appellem? Nationes ne, an reges, qui omnes familiæ noſtræ ob veſtram amicitiam infeſti ſunt? an quoquam*

Adherbalis verba in Senatu.

(*t*) al. divulgabatur. (*u*) al. omneſque. (*x*) al. partes. (*y*) al. At Adherbal. (*z*) al. deinde. (*a*) al. queis. (*b*) al. ne quid gravius. (*c*) al. *vos adfinium loco ducerem*. (*d*) al. *pendenda*. (*e*) al. *queis*. (*f*) al. *alterius ipſe*. (*g*) al. *omnes*.

quam mihi adire licet, ubi non majorum meorum hostilia monumenta plurima sint? An quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo, Masinissa nos ita instituit, Patres Conscripti, ne quem coleremus, nisi Populum Romanum; ne societates, ne fœdera nova acciperemus: abunde magna præsidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio, fortuna mutaretur, una occidendum nobis esse, Virtute, ac diis volentibus, magni estis & opulenti: omnia secunda, & obedientia sunt: quo facilius sociorum injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata, amicitia Jugurthæ, parum cognita, transvorsos agat: quos ego audito maxuma (h) ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita causa, statuatis: fingere me verba, & fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cujus impio facinore in has miserias projectus sum, eadem hæc simulantem videam: & aliquando aut apud vos, aut apud Deos immortalis (i) rerum humanarum cura oriatur: ut ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque præclarus est, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum gravis (k) pœnas reddat. Jamjam frater animo meo carissume, quamquam tibi immaturo, &, unde minume decuit, vita erepta est, tamen lætandum magis, quam dolendum puto casum tuum. NON *enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem, & omnis (l) has, quæ me premunt, ærumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala præcipitatus pulsus, ex patrio regno,* RERUM *humanarum spectaculum præbeo: incertus quid agam, tuas ne injurias persequar, ipse auxilii egens, an regno consulam, cujus vitæ, necisque potestas ex opibus alienis pendet. Utinam, emori, fortunis meis honestus exitus esset: ne vivere contemptus viderer, si defessus malis injuriæ concessissem. Nunc quoniam neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore, Patres Conscripti, oro Vos (m), per liberos, atque parentes, vestros, per majestatem Populi Romani, subvenite mihi misero: ite obviam injuriæ: nolite pati regnum Numidiæ, quod vestrum est, per scelus, & sanguinem familiæ nostræ tabescere.*

Legati Jugurthæ largitionibus Senatum vincunt.

CAP. XI. Postquam rex loquendi finem fecit, legati Jugurthæ LARGITIONE magis, quam causa freti, paucis respondent: *Hiempsalem ob sævitiam suam, ab Numidis interfectum: Adherbalem, ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod injuriam facere nequisset. Jugurtham ab Senatu petere, ne se alium putarent, ac Numantiæ cognitus esset; neu* VERBA *inimici ante facta sua ponerent.* Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus statim consulitur: fautores legatorum, præterea magna pars gratia depravata, Adherbalis dicta contemnere; Jugurthæ virtutem laudibus extollere; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno scelere, & flagitio, sua quasi pro gloria, nitebantur. At contra PAUCI, quibus bonum & æquum divitiis carius erat, subveniendum Adherbali, & Hiempsalis mortem severe (n) vindicandam censebant. Sed ex omnibus maxume Æmilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum; ceterum, VITIA sua callide occultans. Is postquam videt regis largitionem famosam, impudentemque; veritus, quod in tali re solet, ne POLLUTA licentia invidiam accenderet, animum à consueta lubidine continuit.

Senatusconsultum de dividundo regnum Numidiæ inter Adherbalem & Jugurtham.

CAP. XII. Vicit tamen in Senatu pars illa, quæ vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, *uti decem legati regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Jugurtham, & Adherbalem dividerent.* Cujus legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus, & tum in Senatu potens, quia Consul, (o) C. Graccho, & M. Fulvio Flacco interfectis, acerrume vindictam (p) nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Jugurtha, tametsi Romæ, in amicis habuerat, tamen accuratissume recepit; dando, & pollicendo multa, perfecit, uti fama (q) fide, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via aggressus, plerosque capit: PAUCIS carior fides, quam pecunia fuit. In divisione, quæ pars Numidiæ Mauritaniam attingit, agro virisque opulentior, Jugurthæ traditur: illam alteram, specie, quam usu, potiorem, portuosior, & ædificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

Cujus meliorem partem Jugurtha sortitur.

CAP. XIII. Res postulare videtur, Africæ situm paucis exponere, & eas gentis (r), quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit, attingere. Sed quæ loca, & nationes ob calorem, aut asperitatem, item solitudinem minus frequentata sunt, de iis haud facile compertum narraverim: cetera quam paucissumis absolvam. In divisione orbis terræ plerique in parte tertia Africam posuere: pauci, tantummodo Asiam, & Europam esse; sed Africam in Europa. Ea finis (s) habet ab Occidente, fretum nostri maris & Oceani: ab Ortu Solis, declivem latitudinem: quem locum Catabathmon incolæ appellant. Mare sævum, importuosum: ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infœcundus: cœlo, terraque penuria aquarum: genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum: plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro, aut bestiis interiere. Nam morbus haud sæpe quemquam superat. Ad hoc, malefici generis plurima animalia. Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique postea accesserint, aut quo modo inter se permixti sint; quamquam ab ea fama, quæ plerosque obtinet, diversum est: tamen, uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est; utique rem sese habere cultores ejus terræ putant; quam paucissumis dicam. Ceterum, fides ejus rei penes auctores erit.

Africæ descriptio.

Qui primo Africam incoluerint.

A Gætulis & Libybus possessa.

CAP. XIV. Africam initio habuere Gætuli, & Libyes, asperi, incultique: quîs (t) cibus erat caro ferina, atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut (u) imperio cujusquam regebantur: Vagi, palantes, quas (x) nox coëgerat, sedes habebant. Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti

(h) al. *summa.* (i) al. *immortales.* (k) al. *graves.* (l) al. *omnes.* (m) al. *per vos.* (n) al. dire. (o) al. Coss. (p) al. victoriam. (q) al. famæ, fidei. (r) al. gentes. (s) al. fines. (t) al. queis. (u) al. neque. (x) al. qua.

ſicuti Afri putant, interiit: exercitus ejus compoſitus ex variis gentibus, amiſſo duce, ac paſſim multis ſibi imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Perſæ & Armenii, navibus in Africam tranſvecti, proxumos noſtro mari locos occupavere. Sed Perſæ intra Oceanum magis, hique alveos navium inverſos pro tuguriis habuere: quia neque materia in agris; neque ab Hiſpanis emundi, aut mutandi copia erat. Mare Magnum, & ignara lingua commercia prohibebant. Hi paullatim per connubia Gætulos ſecum miſcuere: & quia ſæpe tentantes agros, alia deinde atque alia loca petiverant, ſemet ipſi Numidas appellavere. Ceterum adhuc ædificia Numidarum agreſtium, quæ *Mapalia* illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quaſi navium carinæ ſunt. Medis autem & Armeniis acceſſere Libyes (*y*). Nam hi propius mare Africum agitabant: Gætuli ſub ſole magis, haud procul ab ardoribus: hique mature oppida habuere. Nam, freto diviſi ab Hiſpania, mutare res inter ſe inſtituerant. Nomen eorum paullatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes. Sed res Perſarum brevi adolevit: ac poſtea Numidæ (*z*) propter multitudinem, à parentibus digreſſi, poſſedere ea loca, quæ proxume Carthaginem Numidia appellatur. Deinde, utrique alteris freti, finitimos armis, aut metu ſub imperium ſuum coëgere nomen gloriamque ſibi addidere; magis hi, qui ad noſtrum mare proceſſerant: quia Libyes, quam Gætuli minus bellicoſi: denique Africæ pars inferior, pleraque ab Numidis poſſeſſa eſt: victi omnes, in gentem nomenque imperantium conceſſere.

Mauri.

Numidæ.

Phœnices.

CAP. XV. Poſtea Phœnices, alii multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperii cupidine ſollicitata plebe, & aliis (*a*) novarum rerum avidis, Hipponem, Adrumetum (*b*), Leptim, aliaſque urbis (*c*) in ora maritima condidere: hæque brevi multum auctæ, pars originibus ſuis præſidio, aliæ decori fuere. Nam de Carthagine SILERE melius puto, quam parum dicere: quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Catabathmon, qui locus Ægyptum ab Africa dividit, ſecundo mari prima civitas Cyrene eſt, colonia Thereon, ac deinceps duæ Syrtes, interque eas Leptis: deinde Philenon: quem locum Ægyptum verſus finem imperii habuere Carthaginienſes: poſt aliæ Punicæ urbes. Cetera loca uſque ad Mauritaniam Numidæ tenent. Proxume Hiſpaniam Mauri ſunt. Super Numidiam Gætulos accepimus, partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare. Poſt eos Æthiopas eſſe: dein loca exuſta ſolis ardoribus. Igitur bello Jugurthino pleraque ex Punicis oppida, & finis (*d*) Carthaginienſium: quos noviſſume habuerant, Populus Romanus per magiſtratus adminiſtrabat. Gætulorum magna pars, & Numidæ ad flumen uſque Mulucham ſub Jugurtha erant: Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, præter nomen, cetera ignarus Populi Romani, itemque nobis neque bello, neque pace antea cognitus. De Africa, & ejus incolis, ad neceſſitudinem rei ſatis dictum eſt.

Æthiopes.

Bocchus Maurorum rex.

CAP. XVI. Poſtquam, diviſo regno, legati Africa deceſſere (*e*); & Jugurtha contra timorem animi præmia ſceleris adeptum ſeſe videt, certum ratus (*f*) quod ex amicis apud Numantiam acceperat, *omnia Romæ venalia eſſe*; ſimul & illorum pollicitatioeibus accenſus, quos paullo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit. Ipſe acer, bellicoſus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, OPPORTUNUS injuriæ, metuens magis, quam metuendus. Igitur ex improviſo finis (*g*) ejus cum magna manu invadit: multos mortalis (*h*) cum pecore, atque alia præda capit: ædificia incendit; pleraque hoſtiliter loca cum equitatu accedit. Deinde cum omni multitudine in regnum ſuum convertit (*i*), exiſtumans dolore permotum Adherbalem injurias ſuas manu vindicaturum, eamque rem, belli cauſam fore. At ille, quod neque ſe parem armis exiſtumabat, & amicitia populi Romani magis, quam Numidis, fretus erat; legatos ad Jugurtham de injuriis queſtum miſit: qui tametſi contumelioſa dicta retulerant, PRIUS tamen omnia pati decrevit, quam bellum ſumere: quia tentatum antea ſecus ceſſerat. Neque eo magis cupido Jugurthæ minuebatur; quippe qui totum ejus regnum animo jam invaſerat. Itaque non, uti antea, cum prædatoria manu, ſed magno exercitu comparato, bellum gerere cœpit, & aperte totius Numidiæ imperium petere. Ceterum, qua pergebat, urbis (*k*), agros vaſtare, prædas agere; ſuis animum, hoſtibus terrorem augere.

Jugurtha Adherbalis regnum invadit.

CAP. XVII. Adherbal, ubi intelligit eo proceſſum, uti regnum aut relinquendum eſſet, aut armis retinendum; neceſſario copias parat, & Jugurthæ obvius procedit. Interim haud longe à mari, probe Cirtam oppidum utriuſque conſedit exercitus: & quia diei extremum erat, prælium non incœptum. Sed ubi plerumque noctis proceſſit, obſcuro etiam tum lumine, milites Jugurthini, ſigno dato, caſtra hoſtium invadunt; ſemiſomnos partim, pars arma (*l*) ſumentes fugant, funduntque. Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit: &, ni multitudo togatorum fuiſſet, quæ Numidas inſequentes mœnibus prohibuit, uno die inter duos reges cœptum, atque patratum foret bellum. Igitur Jugurtha oppidum circumſedit, vineis, turribuſque, & machinis omnium generum expugnare aggreditur, maxume feſtinans tempus legatorum antecapere, quos ante prælium factum Romam ab Adherbale miſſos audiverat. Sed poſtquam Senatus de bello eorum accepit, tres adoleſcentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant; Senatus Populique Romani verbis nuntient, *velle*,

Adherbal à Jugurtha victus Cirtam profugit.

Jugurtha Cirtam obſidet.

(*y*) al. Medi autem, & Armenii ad Libyes acceſſere. (*z*) al. Nomo-Numidæ. (*a*) al. & alii novarum rerum avidi. (*b*) al. Hadrumetum. (*c*) al. urbes. (*d*) al. fines. (*e*) al. diſceſſere. (*f*) al. certum eſſe ratus. (*g*) al. fines. (*h*) al. mortales. (*i*) al. convertitur. (*k*) al. urbes. (*l*) al. pars arma.

velle, & censere eos ab armis discedere: ita (m) seque, illisque dignum (n).

Legati Romani Africa discedunt nullo Adherbali præstito auxilio.

CAP. XVIII. Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis, quod Romæ, dum proficisci parant, de prælio facto & oppugnatione Cirtæ audiebatur. Sed is rumor clemens erat. Quorum Jugurtha accepta oratione respondit: *Sibi neque majus quidquam, neque charius auctoritate Senatus esse: ab adolescentia sua ita se enisum, ut ab optimo quoque probaretur: virtute, non malitia, P. Scipioni, summo viro, placuisse: ob easdem artis (o) à Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum esse. Ceterum, quo plura bene, atque strenue fecisset, eo animum suum injuriam minus tolerare. Adherbalem dolis vitæ suæ insidiatum: quod ubi comperisset, sceleri ejus obviam isse: Populum Romanum neque recte, neque pro bono facturum, si ab jure gentium sese prohibuerit. Postremo, de omnibus rebus legatos Romam brevi missurum.* Ita utrique digrediuntur. Adherbalis appellandi copia non fuit.

Jugurtha Cirtam urget.

CAP. XIX. Jugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque propter naturam loci Cirtam armis expugnare potest: vallo, atque fossa mœnia circumdat: turris exstruit (p), easque præsidiis firmat: præterea dies, noctesque aut per vim, aut dolis tentare: defensoribus mœnium præmia modo, modo formidinem ostentare: suos hortando ad virtutem arrigere (q): prorsus intentus cuncta parare. Adherbal ubi intelligit omnis (r) fortunas suas in extremo sitas, hostem infestum; auxilii spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse; ex iis, qui una Cirtam profugerant, duos maxume impigros delegit: eos, multa pollicendo, ac miserando casum suum, confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent.

Adherbalis litteræ ad Senatum.

CAP. XX. Numidæ paucis diebus jussa efficiunt: Litteræ Adherbalis in Senatu recitatæ, quarum sententia hæc fuit: NON *mea culpa sæpe Vos oratum mitto, Patres Conscripti, sed vis Jugurthæ subigit: quem tanta lubido extinguendi me, invasit, ut, neque Vos, neque Deos immortalis (s) in animo habeat: sanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum jam mensem socius & amicus Populi Romani armis obsessus teneor: neque mihi Micipsæ patris mei beneficia, neque vestra decreta auxiliantur: ferro, an fame acrius urgear, incertus sum. Plura de Jugurtha scribere dehortatur me fortuna mea: etiam ante (t) expertus sum,* PARUM *fidei miseris esse. Nisi tamen intelligo illum, supra quam ego sum, petere, neque simul amicitiam vestram, & regnum meum sperare. Utrum gravius existumet, nemini occultum est, Nam initio occidit Hiempsalem fratrem meum: dein patrio regno me expulit. Quæ sane fuerint nostræ injuriæ, nihil ad Vos. Verum nunc regnum vestrum armis tenet: me, quem Vos Imperatorem Numidis posuistis, clausum tenet atque (u) obsidet. Legatorum verba quanti fecerit, pericula mea declarant. Quid est reliquum, nisi vis vestra, qua moveri possit? Nam ego quidem vellem, & hæc quæ scribo, & illa, quæ antea in Senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo natus sum, ut Jugurthæ scelerum ostentui essem: non jam mortem, neque, ærumnas, tuntummodo inimici imperium, & cruciatus corporis, deprecor (x). Regno Numidiæ, quod vestrum est, uti libet, consulite: me ex manibus impiis eripite, per majestatem Imperii, per amicitiæ fidem; si ulla apud Vos memoria remanet avi mei Masinissæ.*

Quas iterum Jugurtha in Senatu gratia eludit.

CAP. XXI. His litteris recitatis, fuere qui exercitum in Africam mittendum censerent, & quamprimum Adherbali subveniendum; de Jugurtha interim uti consuleretur, quoniam legatis non paruisset (y). Sed ab iisdem illis regis fautoribus summa ope enisum, ne tale decretum fieret. Ita BONUM PUBLICUM ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam majores natu nobiles, amplis honoribus usi (z): in quîs (a) fuit M. Scaurus, de quo supra memoravimus; consularis, (b) & tum in Senatu princeps (c). Hi, quod in invidia res erat, simul & à Numidis obsecrati, triduo navim ascendere: dein brevi Uticam adpulsi, litteras ad Jugurtham mittunt, *quam ocissume ad provinciam accedat; se (d) ad eum ab Senatu missos.* Ille, ubi accepit homines claros, quorum auctoritatem Romæ pollere audiverat, contra incœptum suum venisse: primo commotus metu, atque lubidine, divorsus agitabatur. Timebat iram Senatus, ni paruisset legatis: porro animus cupidine cœcus, ad incœptum scelus rapiebat (e). VICIT tamen in avido ingenio pravum consilium. Igitur, exercitu circumdato, summa vi Cirtam irrumpere nititur, maxume sperans, diducta manu hostium, aut vi, aut dolis sese casum (f) victoriæ inventurum. Quod ubi secus procedit, neque, quod intenderat, efficere potest; ut, prius quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac tametsi Senatus verbis minæ graves nuntiabantur, quod ab oppugnatione non desisteret; multa tamen oratione consumpta, legati frustra discessere.

Novi legati in Africam à Senatu missi.

à Jugurtha iterum corrumpuntur.

CAP. XXII. Ea postquam Cirtæ audita sunt, Italici, quorum virtute mœnia defensabantur, confisi, deditione facta, propter magnitudinem Populi Romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque (g), & oppidum Jugurthæ tradat: tantum ab eo vitam pacicatur; de ceteris Senatui curæ fore. At ille, tametsi omnia potiora fide Jugurthæ rebatur; tamen, quia penes eosdem, si advorsaretur, cogendi potestas erat, ita, uti censuerant Italici, deditiones facit. Igitur Jugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: dein omnis (h)

Cirta Jugurthæ traditur.

Jugurtha Adherbalem ejusque amicos interficit.

(m) al. *discedere: de controversiis suis, jure potius, quam bello disceptare; ita &c.* (n) al. *fore.* (o) al. *artes.* (p) al. turres exstruit. (q) al. erigere. (r) al. omnes. (s) al. *immortales.* (t) al. *quia antea.* (u) alii verba, *tenet atque*, omittunt. (x) al. *corporis, ut evadam, deprecor.* (y) al. potuisset. (z) al. usi. (a) al. queis. (b) al. consularis homo. (c) al. potens. (d) al. *seque.* (e) al. rapiebatur. (f) al. causam. (g) al. sese.

(*h*) puberes Numidas, atque negotiatores promiscue, uti quisque armatus obvius fuerat, interfecit.

Variæ de Jugurthæ crudelitate in Senatu sententiæ.

CAP. XXIII. Quod postquam Romæ cognitum est, & res in Senatu agitari cœpta, iidem illi ministri regis, interpellando, ac sæpe gratia, interdum jurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac (*i*) ni C. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer, & infestus potentiæ nobilitatis, Populum Romanum edocuisset, *id agi, uti per paucos factiosos, Jugurthæ scelus condonaretur:* profecto omnis invidia, prolatandis consultationibus, dilapsa foret. Tanta vis gratiæ, atque pecuniæ regis erat. Sed ubi Senatus DELICTI conscientia populum timet, lege Sempronia, provinciæ futuris Consulibus. Numidia, atque Italia decretæ. Consules declarati P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius: Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit. Dein exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur: stipendium, aliaque, quæ bello usui forent, decernuntur.

P. Scipio Nasica, & L. Bestia Calpurnius Consules. O.C. 3889. U.C. 642. Ol. 167. a. C.N. 111.

CAP. XXIV. At Jugurtha, contra spem nuntio accepto, quippe cui, Romæ omnia venire (*k*), in animo hæserat; filium, & cum eo duos familiaris (*l*) ad Senatum legatos mittit; iisque, uti illis, quos Hiempsale interfecto miserat, præcipit, *omnis mortalis* (*m*) *pecunia aggrediantur.* Qui postquam Romam adventabant, Senatus à Bestia consultus est, *Placeret ne legatos Jugurthæ recipi mœnibus:* iique decrevere, *nisi regnum, ipsumque deditum venissent, uti in diebus proxumis decem Italia decederent.* Consul Numidis ex Senatus decreto nuntiari jubet. Ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat sibi homines nobilis (*n*), factiosos, QUORUM auctoritate, quæ deliquisset, munita fore sperabat: in quîs (*o*) sunt Scaurus, cujus de natura & habitu supra memoravimus. Nam in Consule nostro multæ bonæque artes animi, & corporis erant: QUAS omnis (*p*) avaritia præpediebat. Patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissimus contra pericula & insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium, atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectæ. Igitur Calpurnius, initio paratis commeatibus, acriter Numidiam ingressus est; multosque mortalis & urbis (*q*) aliquot pugnando cepit.

Jugurthæ legati Italia decedere jussi.

M. Scauri indoles.

Calpurnius Numidiam acriter invadit.

CAP. XXV. Sed ubi Jugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere cœpit: animus æger avaritia facile conversus est. Ceterum socius, & administer omnium consiliorum assumitur Scaurus: qui tametsi à principio, plerisque ex factione ejus corruptis, acerrume regem impugnaverat, tamen MAGNITUDINE pecuniæ, à bono honestoque in pravum abstractus est. Sed Jugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, existumans sese aliquid interim Romæ pretio, aut gratia effecturum: postea vero quam participem negotii Scaurum accepit (*r*), in maxumam spem adductus recuperandæ pacis, statuit cum eis de omnibus pactionibus præsens agere. Ceterum interea fidei causa mittitur à Consule Sextius Quæstor in oppidum Jugurthæ Vaccam: cujus rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat: quoniam deditionis more induciæ agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit: ac pauca præsenti consilio locutus de invidia sui facti, atque uti in deditionem acciperetur; reliqua cum Bestia & Scauro secreta transegit (*s*). Dein postero die, quasi per Saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro consilio imperatum erat elephanti triginta, pecus, atque equi multi, cum parvo (*t*) argenti pondere, Quæstori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidia & exercitu nostro pax agitabatur.

Sed à Jugurtha corrumpitur.

Jugurtha in castra Romanorum venit.

CAP. XXVI. Postquam res in Africa gestas, quoquo modo actæ forent, fama divulgavit: Romæ per omnis (*u*) locos, & conventus de facto Consulis agitari: apud plebem gravis invidia: Patres solliciti erant: probarent ne tantum flagitium, an decretum Consulis subverterent, parum constabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor, & socius Bestiæ ferebatur, à vero bonoque impediebat. At C. Memmius, cujus de libertate ingenii, & odio potentiæ nobilitatis supra diximus, inter dubitationem & moras Senatus, concionibus Populum ad vindicandum hortari: monere, ne Rempublicam, ne libertatem suam desererent: multa superba, & crudelia facinora nobilitatis ostendere: prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romæ Memmii facundia clara pollensque fuit; decere existumavi unam extra multis orationem ejus perscribere: ac potissumum ea dicam, quæ (*x*) in concione post reditum Bestiæ hujuscemodi verbis disseruit.

Variæ sententiæ de Calpurnii facto.

CAP. XXVII. *Multa me dehortantur à Vobis, Quirites, ni studium Reipublicæ omnia superet; opes factionis, vestra patientia, jus nullum; ac maxume, quod innocentiæ plus periculi, quam honoris est. Nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim, quam ludibrio fueritis superbiæ paucorum; quam fœde, quamque inulti perierint vestri defensores; uti vobis animus ab ignavia, atque socordia* (*y*) *corruptus sit: qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis; atque etiam nunc timetis eos, quibus vos decet terrori esse. Sed quamquam hæc talia sunt: tamen, obviam ire factionis potentiæ, animus subigit. Certe ego libertatem, quæ mihi à parente meo tradita est, experiar: verum id frustra, an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites. Neque ego vos hortor, quod sæpe majores vestri fecere, uti contra injurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione opus est: necesse est, suomet ipsi more* (*z*) *præcipites eant. Occiso Tib. Grac-*

C. Memmii oratio ad Populum.

(*h*) al. deinde omnes. (*i*) al. At. (*k*) al. venum ire. (*l*) al. familiares. (*m*) al. *omnes mortales.* (*n*) al. nobiles. (*o*) al. queis. (*p*) al. omnes. (*q*) al. mortales & urbes. (*r*) al. acceperat. (*s*) al. transigit. (*t*) al. cum non parvi. (*u*) al. omnes. (*x*) al. eam dicam, quam &c. (*y*) al. *ob ignaviam atque socordiam.* (*z*) al. *suometipsi, factiosi more &c.*

Gracchо, quem regnum parare ajebant, in plebem Romanam quæstiones graves habitæ sunt. Post C. Gracchi, & M. Fulvii cædem, item vestri ordinis multi mortales in carcere necati sunt. Utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit. Sed sane fuerit regni reparatio, plebi jura (a) *sua restituere. Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit. Superioribus annis taciti indignabamini ærarium expilari; Reges, & populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere; penes eosdem & summam gloriam, & maxumas divitias esse: tamen hæc talia facinora impune suscepisse, parum habuere: Itaque postremo leges, majestas vestra, divina & humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui ea fecere, pudet, aut pœnitet, sed incedunt per ora vestra magnifice, sacerdotia, & consulatus, pars triumphos suos ostentantes:* PERINDE *quasi ea honori, non prædæ, habeant. Servi, ære parati, injusta imperia dominorum non perferunt. Vos, Quirites, imperio nati, æquo animo, servitutem toleratis? At qui sunt hi, qui Rempublicam occupavere? homines sceleratissumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissumi, iidemque* (b) *superbissumi; quibus fides, decus, pietas, postremo honesta, atque inhonesta omnia quæstui sunt. Pars eorum, occidisse tribunos plebis, alii quæstiones injustas, plerique cædem in vos fecisse, pro munimento habent. Ita,* (c) QUAM *quisque pessume fecit* (d), *tam maxume tutus est: metum à scelere suo ad ignaviam vestram transtulere: quos omnis* (e), *eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit. Sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est. Quod si tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt; profecto neque Respublica sicuti nunc, vastaretur, & beneficia vestra penes optumos, non audacissumos forent. Majores vestri parandi juris, & majestatis constituendæ gratia, bis per secessionem armati Aventinum montem occupavere: vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non ne summa ope nitemini* (f), *atque eo vehementius, quo* MAJUS *dedecus est, parta amittere, quam omnino non paravisse* (g)? *Dicet aliquis, quid igitur censes? vindicandum in eos, qui hosti prodidere Rempublicam non manu, neque vi; quod magis, vos fecisse, quam illis accidisse, indignum est; verum quæstionibus, & indicio ipsius Jugurthæ. Qui, si deditius est; profecto jussis vestris obediens erit: sin ea contemnit; scilicet existumabitis, qualis illa pax, aut deditio sit, ex qua ad Jugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentis* (h) *maxume divitiæ, in Rempublicam damna, atque dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet: & illa, quam hæc tempora magis placent, cum regna, provinciæ, leges, jura, judicia, bella, atque paces; postremo divina & humana omnia penes paucos erant: vos autem, hoc est Populus Romanus, invicti ab hostibus, Imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere. Nam servitutem quidem quis vestrum audebat recusare? Atque ego tametsi virum flagitiosissumum existumo impune injuriam accepisse; tamen, vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt: æquo animo paterer, nisi misericordia in perniciem casura esset. Nam & illis, quantum importunitatis habent, parum est illos impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur: & vobis æterna* (i) *sollicitudo remanebit, cum intelligetis aut serviendum esse, aut per manus* (k) *libertatem retinendam. Nam fidei quidem, aut concordiæ quæ spes est? Dominari illi volunt, vos liberi esse: facere illi injurias, vos prohibere: postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potest ne in tam divorsis mentibus pax, aut amicitia esse? Quare moneo, hortorque vos, ne tantum scelus impunitum dimittatis* (l). *Non peculatus ærarii factus est: neque per vim sociis ereptæ pecuniæ: quæ quamquam gravia sunt, tamen* CONSUETUDINE *jam pro nihilo habentur. Hosti acerrumo prodita Senatus auctoritas, proditum Imperium vestrum: domi militiæque Respublica venalis fuit. Quæ nisi quæsita erunt, nisi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus?* NAM IMPUNE *quælibet facere, id est, Regem esse. Neque ego vos, Quirites, hortor, uti jam malitis civis vestros* (m), *perperam quam recte, fecisse: sed ne, ignoscendo malis, bonos omnes perditum eatis. Ad hoc, in Republica multo præstat, beneficii, quam maleficii, immemorem esse.* BONUS *tantummodo segnior fit, ubi negligas: at malus improbior. Ad hoc,* SI INJURIÆ *non sint, haud sæpe auxilii egeas.*

CAP. XXVIII. Hæc, atque alia hujuscemodi sæpe dicundo (n), C. Memmius Populo Romano persuadet, uti L. Cassius, qui tum Prætor erat, ad Jugurtham mitteretur: eumque, interposita fide publica, Romam duceret, quo facilius indicio regis, Scauri, & reliquorum, quos pecuniæ captæ arcessebant, delicta patefierent. Dum hæc Romæ geruntur, qui in Numidia relicti à Bestia exercitui præerant, secuti morem Imperatoris sui, plurima, & flagitiosissuma facinora fecere. Fuere, qui auro corrupti, elephantos Jugurthæ traderent: alii, perfugas venderent: pars ex pacatis prædas agebant. Tanta vis avaritiæ in animos eorum, veluti tabes, invaserat. At L. Cassius Prætor, perlata rogatione à C. Memmio, ac perculsa omni nobilitate, ad Jugurtham proficiscitur: eique TIMIDO, & ex conscientia diffidenti rebus suis, persuadet, *quoniam se Populo Romano dedidisset, ne vim, quam misericordiam ejus, experiri malit:* privatim præterea fidem suam interponit, quam ille non minoris, quam publicam ducebat. Talis ea tempestate fama de Cassio erat.

Exercitus Romanorum in Numidia corrumpit.

L. Cassius prætor ad Jugurtham mittitur.

CAP. XXIX. Igitur Jugurtha, contra decus regium, cultu quam maxume miserabili, cum Cassio Romam venit. Ac tametsi in ipso magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta ea gesserat, quæ supra memoravimus (o), Cajum Bæbium (p) tribunum plebis magna mercede parat, cujus IMPUDENTIA contra jus, & injurias omnis

Jugurtha cum L. Cassio Romam venit. O.C.3890. U.C.643. Ol. 167.a.C.N. 110.

Cajum Bæbium tr. pl. corrumpit.

(a) alii τὸ *jura* omittunt. (b) al. *& iidem.* (c) al. *Itaque.* (d) al. *facit.* (e) al. *omnes.* (f) al. *niti decet.* (g) al. *paruisse.* (h) al. *potentes.* (i) al. *alterna.* (k) al. *per vim.* (l) al. *omittatis.* (m) *nostros.* (n) al. indicendo. (o) al. diximus. (p) al. Cajum tamen Bæbium.

A. C. Memmio præsens ad Populum accusatur.

mnis (*q*) munitus foret. At (*r*) C. Memmius advocata concione, quamquam Regi infesta plebs erat, & pars *in vincula duci* jubebat, pars, *ni socios sceleris sui aperiret, more majorum de hoste supplicium sumi*; DIGNITATI magis, quam iræ consulens, sedare motus, & animos eorum mollire; postremo confirmare, fidem publicam per sese inviolatam fore. Post, ubi silentium cœpit, producto Jugurtha, verba facit: *Romæ, Numidiæque facinora ejus memorat; scelera in patrem, fratresque* ostendit: *quibus juvantibus, quibusque ministris ea egerit, quamquam intelligat Populus Romanus, tamen velle manifesta magis ex illo habere: si verum aperiat* (*s*), *in fide, & clementia Populi Romani magnam spem illi sitam: sin reticeat, non sociis saluti fore, sed se, suasque spes corrupturum.*

CAP. XXX. Dein, ubi Memmius dicendi finem fecit, & Jugurtha respondere jussus est, C. Bæbius Tribunus plebis, quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere jubet: ac, tametsi multitudo, quæ in concione aderat vehementer accensa, terrebat eum clamore, vultu, sæpe impetu, atque aliis omnibus, quæ ira fieri amat; VICIT tamen impudentia. Ita populus, ludibrio habitus, ex concione discedit (*t*). Jugurthæ Bestiæque, & ceteris, quos illa quæstio exagitabat, animi augescunt.

C. Bæbii impudentia.

Massiva Jugurthæ regnum affectat.

CAP. XXXI. Erat ea tempestate Romæ Numida quidam, nomine Massiva, Gulussæ filius, Masinissæ nepos: qui, quia in dissensione regum, Jugurthæ advorsus fuerat, dedita Cirta, & Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui proxumo anno post Bestiam cum Qu. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissæ sit, Jugurtham ob scelera invidia cum metu urgeat, regnum Numidiæ ab Senatu petat. Avidus Consul belli gerundi, moveri, quam senescere, omnia malebat. Ipsi provincia Numidia, Minucio Macedonia evenerat. Quæ postquam Massiva agitare cœpit: neque Jugurthæ in amicis satis præsidii est; quod eorum alium conscientia, alium mala fama, & timor impediebat: Bomilcari proxumo, ac maxume fido sibi, imperat, *pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massivæ paret: ac maxume occulte; sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat.* Bomilcar mature regis mandata exequitur: & per homines talis negotii artifices, itinera, egressusque ejus, postremo loca, atque tempora cuncta explorat: dein, ubi res postulabat, insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad cædem parati erant, paullo inconsultius Massivam aggreditur, illum obtruncat; sed ipse deprehensus, multis hortantibus, & in primis Albino Consule, indicium profitetur. Fit reus magis ex æquo bonoque, quam ex jure gentium Bomilcar, comes ejus, qui Romam fide publica venerat. At Jugurtha, MANIFESTUS tanti sceleris, non prius omisit contra verum niti, quam animadvortit, super gratiam, atque pecuniam suam, invidiam facti esse. Igitur quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, REGNO magis, quam vadibus consulens: clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus, ne reliquos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret. Et ipse paucis diebus eodem profectus est, jussus à Senatu *Italia decedere* (*u*). Sed postquam Roma egressus est, fertur, sæpe tacitus eo respiciens, postremo dixisse: *Urbem venalem, & mature perituram, si emptorem invenerit.*

Bomilcar Massivæ insidias tendit, eumque obtruncandum curat.

Bomilcar reus ex æquo & bono, à Jugurtha in Numidiam mittitur.

Bomilcaris vades quinquaginta.

Jugurtha Italia discedere jussus.

Albinus Consul ad bellum contra Jugurtham proficiscitur.

CAP. XXXII. Interim Albinus, renovato bello, commeatum, stipendium, aliaque, quæ militibus usui forent, maturat in Africam portare; ac statim ipse profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis, aut deditione, aut quovis modo bellum conficeret. At contra Jugurtha trahere omnia, & alias, deinde alias moræ causas facere; polliceri deditionem, ac deinde metum simulare: instanti cedere, & paullo post, ne sui diffiderent, instare: ita belli modo, modo pacis mora Consulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilii regis existumarent; neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum, socordia magis, quam dolo crederent. Sed postquam, dilapso tempore, comitiorum dies adventabant (*x*); Albinus, Aulo fratre in castris pro Prætore relicto, Romam decessit (*y*).

Quod dolo magis, quam negligentia ab eo prolongatur.

P. Lucullus & L. Annius tr. pl. magistratum continuare nituntur.

CAP. XXXIII. Ea tempestate Romæ seditionibus tribunitiis atrociter respublica agitabatur. P. Lucullus, & L. Annius tribuni plebis, resistentibus collegis continuare magistratum nitebantur: quæ dissensio, totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro-prætorem in castris relictum supra diximus, aut conficiundi belli, aut terrore exercitus ab rege pecuniæ capiundæ (*z*), milites mense Januario ex hybernis in expeditionem evocat; magnisque itineribus per loca hyeme aspera pervenit, ad oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant. Quod quamquam, & sævitia temporis, & opportunitate loci, neque capi, neque obsideri poterat (nam circum murum, situm in prærupti montis extremo, planicies limosa hyemalibus (*a*) aquis paludem fecerat.) Tamen, aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet; aut cupidine cœcus, ob thesauros oppidi potiundi, vineas agere, aggerem jacere; aliaque, quæ incepto usui forent, properare (*b*).

Aulus proprætor oppidum Suthul prorsus importuno tempore obsidet.

CAP. XXXIV. At Jugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdolus (*c*) ejus augere amentiam: missitare supplicantes legatos: ipse, quasi vitabundus, per saltuosa loca, & tramites exercitum ductare. Denique Aulum spe pactionis perpulit (*d*), uti, relicto Suthule, in abditas regiones sese, veluti cedentem, insequeretur: ita DELICTA occultiora fuere (*e*). Interea per homines callidos, diu (*f*), noctuque exercitum tentabat: centuriones, ducesque turmarum partim, uti transfugerent, corrumpere; alii, signo dato, locum uti

Jugurtha cum Aulo fœdus facit.

(*q*) al. omnes. (*r*) al. Ac. (*s*) al. *Si vera aperiret.* (*t*) al. discessit. (*u*) al. *discedere.* (*x*) al. adventabat. (*y*) al. discessit. (*z*) al. captandæ. (*a*) al. hiemantibus. (*b*) al. præparare. (*c*) al. subdole. (*d*) al. pepulit. (*e*) al. fore. (*f*) al. die.

Et castra Romana capit.

uti desererent. Quæ postquam ex sententia instruxit, intempesta nocte de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. Milites Romani, perculsi tumultu insolito, arma capere alii: alii se abdere: pars territos confirmare: trepidare: omnibus locis vis magna hostium: cœlum nocte, atque nubibus, obscuratum: periculum anceps: postremo, fugere, an manere, tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos supra diximus, cohors una Ligurum, cum duabus turmis Thracum, & paucis gregariis militibus, transiere ad regem: & centurio primi-pili tertiæ legionis per munitionem, quam, uti defenderet, acceperat, locum hostibus introëundi dedit: eaque Numidæ cuncti irrupere. Nostri fœda fuga, plerique abjectis armis, proxumum collem occupavere. Nox, atque præda castrorum, hostis (g) quo minus victoria uterentur, remorata sunt. Dein Jugurtha postero (h) die cum Aulo in colloquio verba facit: *tametsi ipsum cum exercitu fame & ferro clausum, teneret; tamen se memorem humanarum rerum, si secum fœdus faceret, incolumis (i) omnis sub jugum missurum; præterea, uti diebus decem Numidia decederet.* Quæ gravia quamquam, & flagitii plena erant: tamen quia mortis metu nutabant (k), sicuti regi libuerat, pax convenit.

Auli fœda cum Jugurtha pax.

CAP. XXXV. Sed ubi ea Romæ comperta sunt; metus, atque mœror civitatem invasere: pars dolere pro gloria imperii; pars insolita rerum bellicarum, timere libertati. Aulo omnes infesti, ac maxume, qui bello sæpe præclari fuerant, quod armatus dedecore potius, quam manu, salutem quæsiverit. Ob ea Consul Albinus, ex delicto fratris invidiam, ac deinde (l) periculum timens, Senatum de fœdere consulebat: & tamen interim exercitui supplementum scribere: ab sociis, & nomine Latino auxilia arcessere (m); denique omnibus modis festinare. Senatus ita, uti par fuerat, decernit, *suo atque populi injussu nullum potuisse fœdus fieri.* Consul impeditus à tribunis plebis, ne, quas paraverat copias, secum portaret, paucis diebus in Africam proficiscitur. Nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus, in provincia hyemabat. Postquam eo venit, quamquam persequi Jugurtham, & mederi fraternæ invidiæ animo ardebat; cognitis militibus, quos præter fugam, SOLUTO imperio, licentia atque lascivia corruperat, ex copia rerum statuit, sibi nihil agitandum (n).

Senatus conclusum, fœdus populi injussu fieri non posse.

CAP. XXXVI. Interea Romæ C. Mamilius Limetanus (o) tribunus plebis rogationem ad Populum promulgat, *uti quæreretur in eos, quorum consilia Jugurtha Senatus decreta neglexisset; quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent; qui elephantos, quique perfugas tradidissent, item, qui de pace, aut bello cum hostibus pactiones fecissent.* Huic rogationi partim conscii sibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa, & alia talia placere sibi faterentur, occulte per amicos, ac maxume per homines nominis Latini, & socios Italicos impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile memoratu est, quantum (p) intenta fuerit, quantaque vi rogationem jusserit, decreverit, voluerit, magis ODIO nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura Reipublicæ. Tanta lubido in partibus erat. Igitur ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiæ fuisse supra memoravimus, (q) inter lætitiam plebis, & suorum fugam, trepida etiam cum civitate, cum ex Mamiliana rogatione tres quæsitores rogarentur, effecerat, ut ipse in eo numero crearetur. Sed, quæstione exercita (r) aspere violenterque ex rumore, & lubidine plebis, ut sæpe nobilitatem, sic ea tempestate plebem EX SECUNDIS rebus insolentia ceperat.

C. Mamilii tr. pl. rogatio de iis, qui à Jugurtha corrupti erant.

CAP. XXXVII. Ceterum mos partium popularium; & Senatus factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis Romæ ortus est, OTIO atque abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam, Populus, & Senatus Romanus placide modesteque inter se Rempublicam tractabant: neque gloriæ, neque dominationis certamen inter civis (s) erat, METUS hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi formido illa mentibus diecessit (t), scilicet ea, quæ secundæ res amant, lascivia atque superbia incessere. Ita, QUOD in advorsis rebus optaverant, otium postquam adepti sunt, asperius, acerbiusque fuit. Namque cœpere nobilitas dignitatem in superbiam, populus libertatem in lubidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis (u) abstracta sunt. Respublica quæ media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat: plebis VIS SOLUTA, atque in multitudinem dispersa, minus poterat. Paucorum arbitrio belli domique Respublica agitabatur: penes eosdem ærarium, provinciæ, magistratus, gloriæ, triumphique erant: Populus militia atque inopia urgebatur. Prædas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes, aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis (x) erat, sedibus pellebantur. Ita CUM POTENTIA, avaritia sine modo, modestiaque invadere, polluere, & vastare omnia, nihil pensi, neque sancti habere, quo ad semet ipsa præcipitavit. Nam UBI PRIMUM ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam injustæ potentiæ anteponerent: moveri civitas, & dissensio civilis, quasi permixtio terræ, oriri cœpit.

Roma ante Carthaginem deletam placide tractata.

Postea superbia avaritia & otio dilacerata, à nobilitate pariter ac plebe.

CAP. XXXVIII. Nam postquam Tiberius, & C. Gracchus, quorum majores Punico, atque aliis bellis multum Reipublicæ addiderant, vindicare plebem in libertatem, & paucorum scelera patefacere cœpere: nobilitas noxia, atque eo perculsa, modo per socios, ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis à plebe dimoverat, Gracchorum actionibus (y) obviam ierat. Et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Cajum, tribunum alterum (z),

Gracchi plebem in libertatem vindicare conantes, occiduntur.

(g) al. hostes. (h) al. postera. (i) al. *incolumes omnes.* (k) al. mutabantur. (l) al. demum. (m) al. accersere. (n) al. agendum. (o) al. Lemetanus. (p) al. quam. (q) al. docuimus. (r) al. exercitata. (s) al. cives. (t) al. discessit. (u) al. partes. (x) al. adfinis (y) al. factionibus.

rum (z), alterum triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverat. Et ſane Gracchis, cupidine victoriæ, haud ſatis animus moderatus fuit. Sed BONO vinci ſatius eſt, quam malo more injuriam vincere. Igitur ea victoria, nobilitas ex lubidine ſua uſa, mortalis (a) multos ferro aut fuga exſtinxit; PLUSQUE in reliquum ſibi timoris, quam potentiæ, addidit. Quæ res plerumque magnas civitates peſſumdedit: dum alteri alteros vincere quovis modo, & victos acerbius ulciſci volunt. Sed de ſtudiis partium, & omnibus civitatis moribus ſi ſingillatim, aut pro magnitudine parem diſſerere, tempus, quam res, maturius me deſeret (b). Quamobrem ad incœptum redeo.

CAP. XXXIX. Poſt Auli (c) fœdus, exercituſque noſtri fugam fœdam, Metellus, & Silanus Conſules deſignati, provincias inter ſe partiverant: Metelloque Numidia evenerat (d), acri viro: & QUAMQUAM adverſo populi partibus (e), fama tamen æquabili, & inviolata. Is ubi primum magiſtratum ingreſſus eſt; alia omnia ſibi cum collega communia ratus, ad bellum, quod geſturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites ſcribere (f), præſidia undique arceſſere (g): arma, tela, equos, & cetera inſtrumenta militiæ parare, ad hoc commeatum affatim, denique omnia, quæ in bello vario, & rerum multarum egenti, uſui eſſe ſolent. Ceterum ad ea patranda Senatus auctoritate, ſocii nomenque Latinum, & reges ultro auxilia mittendo (h) poſtremo omnis civitas ſummo ſtudio adnitebatur. Itaque, ex ſententia omnibus rebus paratis, compoſitiſque, in Numidiam proficiſcitur, magna ſpe civium, cum propter bonas artis (i), tum maxume quod advorſum divitias invictum animum gerebat: & avaritia magiſtratuum ante id tempus in Numidia noſtræ opes contuſæ, hoſtiumque auctæ erant.

Metellus & Silanus Coſs. U.C. 3890. U.C. 644. Ol. 167. a. C. N. 109.

Metellus bellum parat adverſus Jugurtham.

In Numidiam proficiſcitur.

CAP. XL. Sed, ubi in Africam venit, exercitus ei traditur à Sp. Albino (k) pro Conſule iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, lingua, quam manu, promptior, prædator ex ſociis, & ipſe præda hoſtium, ſine imperio, & modeſtia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus ſollicitudinis, quam ex copia militum auxilii, aut ſpei bonæ, accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam & æſtivorum tempus comitiorum mora imminuerat; &, exſpectatione eventus, civium animos intentos putabat; non prius bellum attingere, quam majorum diſciplina milites laborare coëgiſſet. Nam Albinus, Auli fratris, exercituſque clade perculſus, poſtquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis comitiorum æſtivorum in imperio fuit, plerumque milites in ſtativis caſtris habebat; niſi cum odos, aut pabuli egeſtas locum mutare ſubegerat. Sed neque more militari vigiliæ ducebantur. Uti cuique lubebat, ab ſignis aberat. Lixæ permixti cum militibus, diu, noctuque (l) vagabantur: & palantes agros vaſtare, villas expugnare, pecoris, & mancipiorum prædas certatim agere: eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio, & aliis talibus: præterea, frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari: poſtremo, quæcumque dici, aut fingi queunt ignaviæ, luxuriæque probra, in illo exercitu cuncta fuere, & alia amplius.

Exercitum licentia & ignavia corruptum ad militarem diſciplinam revocat.

CAP. XLI. Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hoſtilibus, magnum, & ſapientem virum fuiſſe comperior: tanta TEMPERANTIA inter ambitionem, ſævitiamque moderatum. Namque edicto primo (m) adjumenta ignaviæ ſuſtuliſſe, ne quiſquam in caſtris (n) panem, aut quem alium cibum coctum venderet; ne lixæ exercitum ſequerentur: ne miles gregarius in caſtris, neve in agmine ſervum, aut jumentum haberet: ceteris arte modum ſtatuiſſe: præterea tranſvorſis itineribus quotidie caſtra movere: juxta ac ſi hoſtes adeſſent, vallo, atque foſſa munire: vigilias crebras ponere, & eas ipſe cum legatis circuire: item in agmine in primis modo, modo in poſtremis, ſæpe in medio adeſſe, ne quiſquam ordine egrederetur: uti, cum ſignis frequentes incederent, miles cibum, & arma portaret. Ita prohibendo à delictis magis, quam vindicando, exercitum brevi confirmavit.

Metellus inter ambitionem & ſævitiam medium ſe gerit.

CAP. XLII. Interea Jugurtha, ubi, quæ Metellus agebat, ex nuntiis accepit; ſimul de innocentia ejus certior Romæ factus, diffidere ſuis rebus, ac tum demum veram deditionem facere conatus eſt. Igitur legatos ad Conſulem, cum ſuppliciis mittit, qui tantummodo ipſi, liberiſque vitam peterent, alia omnia dederent Populo Romano. Sed Metello jam antea experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum eſſe. Itaque legatos alium ab alio diverſos aggreditur: ac paullatim tentando, poſtquam omnes opportunos ſibi cognovit, multa pollicendo perſuadet, *uti Jugurtham maxume vivum, ſin id parum procedat, necatum ſibi traderent.* Ceterum palam, quæ ex voluntate forent, regi nuntiari jubet. Dein ipſe paucis diebus intento atque infeſto exercitu in Numidiam procedit. Ubi contra belli faciem, tuguria plena hominum, pecora, cultoreſque in agris erant: ex oppidis, & mappalibus, præfecti regis obviam (o) procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, poſtremo omnia, quæ imperarentur, facere. Neque Metellus idcirco minus, ſed pariter ac ſi hoſtes adeſſent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis ſigna oſtentui credere, & inſidiis locum tentare. Itaque ipſe cum expeditis cohortibus, item funditorum & ſagittariorum delecta manu apud primos erat: in poſtremo C. Marius legatus cum equitibus curabat: in utrumque latus equites auxiliarios tribunis legio-

Metelli innocentia. Jugurtha rebus ſuis diffidit.

Jugurthæ legati ad Metellum ſupplicatum miſſi.

Quos Metellus corrumpit.

Metelli prudentia militaris.

(z) al. tribunum plebis alterum. (a) al. mortales. (b) al. deſereret. (c) al. Albini. (d) al. obvenerat. (e) al. populi partium. al. populis partium. (f) al. milites eligere: ſcribere &c. (g) al. accerſere. (h) al. mittere. (i) al. artes. (k) al. traditur Sp. Albini, pro-Conſulis. (l) die nocteque. (m) al. edicto ſuo primum. (n) al. in caſtris, neve in agmine panem, aut &c. (o) al. obvii.

gionum, & præfectis cohortium dispertiverat: uti cum his permixti Velites, quocumque accederent, equitatus hostium propulsarent. Nam in Jugurtha tantus dolus, tantaque peritia locorum, & militiæ erat (p), ut, absens an (q) præsens, pacem an bellum gerens perniciosior esset: in incerto haberetur.

Similiter & Jugurthæ.

CAP. XLIII. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vacca, foro rerum venalium totius regni maxume celebratum; ubi & incolere, & mercari consueverant Italici generis multi mortales. Huc (r) Consul, simul tentandi gratia, &, si paterentur opportunitates loci, præsidium imposuit: præterea imperavit frumentum, & alia, quæ bello usui forent, comportare: ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum, & commeatum juvaturum exercitum, etiam pacatis rebus munimentum fore (s). Inter hæc negotia Jugurtha impensius modo legatos supplices mittere, pacem orare: præter suam, liberorumque vitam, omnia Metello dedere. Quos item, uti priores Consul illectos, ad proditionem domum mittebat (t). Regi pacem, quam postulabat, neque abnuere, neque polliceri, & inter eas moras promissa legatorum exspectare.

Vaccæ urbi, Metellus, tentandi caussa præsidium imponit.

CAP. XLIV. Jugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit, ac suis se artibus tentari animadvertit; quippe cui verbis pax nuntiabatur, ceterum re bellum asperrumum erat, urbs maxuma alienata, ager hostibus cognitus, animi popularium tentati; coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. Igitur, explorato hostium itinere, in spem victoriæ adductus, ex opportunitate loci, quam maxumas potest, copias omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiæ, quam Adherbal in divisione possederat (u), flumen oriens à meridie, nomine Muthul: à quo aberat mons ferme millia passuum viginti, tractu pari, vastus ab natura & humano cultu: sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertingens, vestitus oleastro, ac myrtetis, aliisque generibus arborum, quæ humi arido, atque arenoso (x) gignuntur. Media autem planicies deserta, penuria aquæ, præter fluminis propinqua loca. Ea consita arbustis, pecore atque cultoribus frequentabantur.

Jugurtha coactus, cum Metello armis certare statuit.

CAP. XLV. Igitur in eo colle, quem transvorso itinere porrectum, docuimus, Jugurtha extenuata suorum acie consedit: Elephantis, & parti copiarum pedestrium Bomilcarem præfecit; eumque edocet, quæ (y) ageret: ipse propior (z) montem cum omni equitatu, & peditibus delectis suos collocat: dein singulas turmas, & manipulos circumiens monet, atque obtestatur, *uti memores pristinæ virtutis, & victoriæ, sese, regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant: cum his (a) certamen fore, quos antea victos sub jugum miserint: ducem illis, non animum, mutatum: quæ ab imperatore decuerint, omnia suis provisa: locum superiorem, uti prudentes cum bello melioribus manum conserverent (b). Proinde parati, intentique essent, signo dato, Romanos invadere: illum diem, aut omnis (c) labores & victorias confirmaturum, aut maxumarum ærumnarum initium fore.* Ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia, aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui, & eum ipsum aliis ostentare: postremo, pro cujusque ingenio pollicendo, minitando, obtestando, alium alio modo excitare. Cum interim Metellus, ignarus hostium, monte degrediens (d), cum exercitu conspicatur (e). Primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet, (nam inter virgulta equi, Numidæque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, & tamen quidnam esset, incerti, cum natura loci, tum dolo ipsi, atque signa militaria, obscurati) dein, brevi cognitis insidiis, paullisper agmen constituit (f). Ibi commutatis ordinibus, in dextro latere, quod proxumum hostis (g) erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit. Inter manipulos funditores, & sagittarios dispertit: equitatum omnem in cornibus locat; ac pauca pro tempore milites hortatus (h), acie, sicuti instruxerat, transvorsis principiis in planum deducit,

Jugurthæ acies.

Ejus adhortatio ad milites.

Metelli acies.

CAP. XLVI. Sed, ubi Numidas quietos, neque colle degredi (i) animadvertit, veritus ex anni tempore, & inopia aquæ, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus & parte equitum præmisit ad flumen, uti locum castris ante caperet, existumans hostes crebro impetu, & transvorsis præliis iter suum remoraturos, & quoniam armis diffiderent, lassitudinem & sitim militum tentaturos. Dein ipse pro re, atque loco, sicuti monte descenderat, paullatim procedere: Marium post principia habere: ipse cum sinistræ alæ equitibus, esse, qui in agmine principes facti erant. At Jugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos suos prætergressum (k) videt, præsidio quasi duûm millium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat: ne forte cedentibus adversariis receptui, ac post munimento foret: dein, repente signo dato, hostis (l) invadit. Numidæ alii postremos cædere: pars à sinistra, ac dextera tentare: infensi adesse, atque instare; atque omnibus locis Romanorum ordines conturbare. Quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto prælio ipsi modo eminus sauciabantur, neque contra feriundi aut conserendi manum copia erat. Ante jam docti ab Jugurtha equites, ubicumque Romanorum turma insequi cœperat, non confertim, neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume diversi. Ita numero priores, si & persequendo hostes deterrere nequiverant, disjectos ab tergo, aut lateribus circumveniebant: sin opportunior fugæ collis,

Prælium committitur.

(p) al. inerat. (q) al. vel. (r) al. Huic. (s) al. munimento fore. (t) al. dimittebat. (u) al. in divisione orbis possederat. (x) al. humo arida & arenosa. (y) al. quid. (z) al. propius. (a) al. *iis.* (b) al. *conferrent.* (c) al. *omnes.* (d) al. digrediens. (e) al. conspicitur. (f) al. constitit. (g) al. hostibus. al. hostes. (h) al. cohortatus. (i) al. digredi. (k) al. prætergressos. (l) al. hostes.

lis, quam campi fuerant (*m*); ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere, nostros asperitas, & insolentia loci retinebat.

CAP. XLVII. Ceterum facies totius negotii varia, incerta, fœda, atque miserabilis. Dispersi à suis, pars cedere, alii insequi: neque signa, neque ordines observare: ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere, ac propulsare: arma, tela, equi, viri, hostes, atque cives permixti; nihil consilio, neque imperio agi: fors omnia regere. Itaque multum diei processerat, cum etiam tum eventus in incerto erat. Denique omnibus labore, & æstu languidis, Metellus, ubi videt Numidas minus instare, paullatim milites in unum conducit (*n*): ordines restituit: & cohortes legionarias quatuor advorsus pedites hostium collocat. Eorum magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare, & hortari milites, *ne deficerent, neu paterentur hostes fugientis* (*o*) *vincere: neque illis castra esse, neque ullum munimentum, quo cedentes tenderent: in armis omnia sita.* Sed nec Jugurtha quidem interea quietus erat; circuire hortari, renovare prælium, & ipse cum delectis tentare omnia: subvenire suis, hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

CAP. XLVIII. Eo modo duo Imperatores summi viri, inter se certabant. Ipsi pares, ceterum opibus disparibus (*p*). Nam Metello virtus militum erat, locus advorsus: Jugurthæ alia omnia, præter milites, opportuna. Denique Romani, ubi intelligunt neque sibi perfugium (*q*) esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri; & (jam diei vesper erat) advorso colle, sicuti præceptum fuerat, evadunt. Amisso loco Numidæ fusi, fugatique, pauci interiere: plerosque velocitas, & regio hostibus ignara, tutata sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis, & parti copiarum pedestrium præfectum ab Jugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius prætergressus est, paullatim suos in æquum locum deducit: ac, dum legatus ad flumen, quo præmissus erat, festinans pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat: neque remittit, quid ubique hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse jam, & animo vacuum accepit, simulque ex Jugurthæ prælio clamorem augeri; veritus, ne legatus cognita re, laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam diffidens virtuti militum arte statuerat, quo hostium itineri officeret, latius porrigit; eoque modo ad Rutilii castra procedit.

Jugurthæ exercitus funditur.

CAP. XLIX. Romani ex improviso pulveris vim magnam animadvertunt. Nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat. Et primo rati humum aridam vento agitari: post, ubi æquabilem manere, &, sicuti acies movebatur, magis magisque appropinquare vident; cognita re properantes arma capiunt, ac pro castris, sicuti imperabatur, consistunt. Dein, ubi propius ventum est, utrimque magno clamore concurritur. Numidæ tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant, postquam eos impeditos ramis arborum, atque ita disjectos circumveniri vident, fugam faciunt: ac plerique, abjectis armis, collis, aut noctis, quæ jam aderat, auxilio, integri abeunt. Elephanti quatuor capti, reliqui omnes, numero quadraginta, interfecti. At Romani quamquam itinere, atque opere castrorum, & prælio fessi, lassique (*r*) erant; tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi, intentique obviam procedunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi patiebatur. Ac primo obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu, veluti hostes adventarent (*s*), alteri apud alteros formidinem simul & tumultum facere: & pæne imprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque præmissi equites rem exploravissent. Igitur pro metu, repente gaudium exortum. Milites alius alium læti appellant, acta edocent, atque audiunt: sua quisque fortia facta ad cœlum fert (*t*). Quippe RES HUMANÆ ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet: advorsæ res etiam bonos detrectant.

CAP. L. Metellus in iisdem castris quatriduo (*u*) moratus, saucios cum cura reficit; meritos in præliis more militiæ donat, universos in concione laudat, atque agit gratias: hortatur, *ad cætera, quæ levia sunt, parem animum gerant: pro victoria satis jam pugnatum, reliquos labores pro præda fore.* Tamen interim transfugas, & alios opportunos, Jugurtha ubi gentium, aut quid agitaret, cum paucis ne esset, an exercitum haberet, uti sese victus gereret, exploratum misit. At ille sese in loca saltuosa, & natura munita receperat: ibique cogebat exercitum numero hominum (*x*) ampliorem, sed hebetem, infirmumque, agri ac pecoris magis, quam belli, cultorem. Id ea gratia eveniebat, quod præter equites regios nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur. Quo cujusque animus fert, eo discedunt. Neque id flagitium militiæ ducitur: ita se mores habent. Igitur Metellus, ubi videt animum regis etiam tum ferocem esse; bellum renovari: quod nisi ex illius lubidine geri non posset: præterea iniquum certamen sibi cum hostibus; minore detrimento illos vinci, quam suos vincere: statuit non præliis, neque acie, sed alio more (*y*) bellum gerundum. Itaque in loca Numidiæ opulentissima pergit: agros vastat: multa castella, & oppida, temere munita, aut sine præsidio, capit inceditque: puberes interfici jubet, alia omnia militum prædam esse. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides: frumentum, & alia, quæ usui forent, affatim præbita: ubicumque res postulabat, præsidium impositum. Quæ negotia multo magis, quam prælium male pugnatum ab suis, regem terrebant. Quippe cujus (*z*) spes omnis in fuga sita erat, sequi cogebatur; & qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex inopia, quod optumum videbatur, consilium capit: exercitum plerumque in iisdem locis opperiri jubet. Ipse cum delectis equitibus

Metellus exercitum suum recreat.

Jugurtha novum exercitum colligit.

Metellus Numidiam deprædatur.

Jugurtha Romanos vexat.

(*m*) al. quam campus fuerat. (*n*) al. constituit. al. restituit. (*o*) al. *fugientes.* (*p*) al ceterum omnibus dispares. (*q*) al. profugium. (*r*) al. fessi lætique. (*s*) al. adventare. (*t*) al. effert. (*u*) al. triduo. (*x*) al. omnium. (*y*) al. modo. (*z*) al. cui.

bus Metellum sequitur: nocturnis & aviis itineribus ignoratus, Romanos palantis (z) repente aggreditur. Eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur: nemo omnium intactus profugit: & Numidæ, prius quam ex castris subveniretur, sicuti jussi erant, in proxumos colles discedunt.

Gaudium Romæ ob Metelli bene gesta.

CAP. LI. Interim Romæ gaudium ingens ortum cognitis Metelli rebus: uti seque (a) & exercitum more majorum gereret; in advorso loco victor tamen virtute fuisset; hostium agro potiretur; Jugurtham, magnificum ex Auli socordia, spem salutis in solitudine aut fuga coëgisset habere. Itaque Senatus, *ob ea feliciter acta, diis immortalibus supplicia* (b) *decernere*: civitas trepida antea, & sollicita de belli eventu, læta agere: de Metello fama præclara esse. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare: cavere tamen, necubi hosti opportunus fieret: meminisse, POST GLORIAM invidiam sequi. Ita, quo clarior, eo magis anxius erat: neque post insidias Jugurthæ effuso exercitu prædari. Ubi frumento, aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu præsidium agitabant: exercitus partem ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis, quam præda, ager vastabatur. Duobus locis haud longe inter se castra faciebant. Ubi vi opus erat, cuncti aderant: ceterum, quo fuga, atque formido latius cresceret, divorsi agebant. Eo tempore Jugurtha per collis (c) sequi: tempus, aut locum pugnæ quærere: qua venturum hostem audierat, pabulum, & aquatum fontis (d), quorum magna pænuria erat, corrumpere: modo se Metello, interdum Mario ostendere; postremos in agmine tentare, ac statim in collis (e) regredi: rursus aliis, post aliis minitari: neque prælium facere, neque otium pati: tantummodo hostem ab incœpto retinere.

Supplicatio decreta.

Metellus caute agit.

Jugurtha Metellum dolis persequitur.

CAP. LII. Romanus Imperator ubi se dolis fatigari videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri: urbem magnam, & in ea parte, quæ sita erat, arcem regni, nomine Zamam, statuit oppugnare; ratus id, quod negotium poscebat, Jugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique prælium fore. At ille, quæ parabantur, à perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit: oppidanos hortatur, mœnia defendant, additis auxilio perfugis: quod genus ex copiis Regis, quia (f) fallere nequibat, firmissumum erat. Præterea pollicetur, in tempore semet cum exercitu affore. Ita compositis rebus, in loca quam maxume occulta discedit; ac paullo post cognoscit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam missum. Quod oppidum primum omnium post malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum delectis equitibus noctu pergit, & jam egredientibus Romanis in porta pugnam facit: simul magna voce Siccenses hortatur, *uti cohortes à tergo circumveniant: fortunam illis præclari facinoris casum dare: si id fecerint, postea sese in regno, illos in libertate sine metu ætatem acturos.* Ac ni Marius signa inferre, atque evadere oppido properavisset, profecto cuncti, aut magna pars Siccensium, fidem mutavissent. Tanta mobilitate sese Numidæ agunt (g). Sed milites Jugurthini paullisper ab rege sustentati, postquam majore vi hostes urgent, paucis amissis profugi discedunt. Marius ad Zamam pervenit.

Metellus Zamam oppugnat.

Sicca oppidum, primum à Jugurtha defecit.

CAP. LIII. Id oppidum in campo situm, magis opere, quam natura munitum erat. Nullius idoneæ rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco, paratis rebus, cuncta mœnia exercitu circumvenit: Legatis imperat, ubi quisque curaret. Dein, signo dato, undique simul clamor ingens exoritur. Neque ea res Numidas terret: infensi intentique, sine tumultu manent: prælium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare: evadere alii, alii succedere, ac murum modo suffodere, modo scalis aggredi; cupere prælium manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa volvere, sudes, pila, præterea pice & sulphure tædam mixta ardenti mittere (h). Sed ne illos quidem, qui procul manserant, timor animi satis muniverat. Nam plerosque jacula, tormentis, aut manu emissa, vulnerabant; parique periculo, sed fama impari; boni atque ignavi erant.

Metellus Zamam urget.

Oppidanorum resistentia.

CAP. LIV. Dum apud Zamam sic certatur, Jugurtha ex improviso castra hostium cum magna manu invadit: remissis, qui in præsidio erant, & omnia magis, quam prælium exspectantibus, portam irrumpit. At nostri, repentino metu perculsi, SIBI QUISQUE pro moribus consulunt: alii fugere, alii arma capere: magna pars vulnerati, aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta memores nominis Romani, grege facto locum cepere, paullo quam alii editiorem: neque inde maxuma vi depelli quiverunt: sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati (i) sin Numidæ propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere, & eos maxuma vi cædere, fundere, atque fugare. Interim Metellus, cum acerrume rem gereret, clamorem & tumultum hostilem à tergo accepit: dein, converso equo, animadvortit fugam ad se versum fieri. Quæ res indicabat popularis (k) esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere mittit (l), ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum, eumque lacrumans *per amicitiam, perque Rempublicam obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hostes inultos abire sinat.* Ille brevi mandata efficit. At Jugurtha munimento castrorum impeditus, cum alii super vallum præcipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes officerent, multis amissis in loca munita sese recipit (m). Metellus, infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.

Jugurtha castra Romanorum ex improviso invadit.

CAP. LV. Igitur postero die, prius quam ad oppugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro

(z) al. palantes. (a) al. sese. (b) al. *supplicationem.* (c) al. colles. (d) al. fontes. (e) al. colles. (f) al. quod. (g) al. gerunt. (h) al. præterea picem, & tædam mixtam cum ardenti sulphure mittere. (i) al. frustrari. (k) al. populares. (l) misit. (m) al. recepit.

pro caſtris agitare jubet: portas, & proxuma loca Tribunis diſpertit: dein ipſe pergit ad oppidum, atque, uti ſuperiore die, murum aggreditur. Interim Jugurtha ex occulto repente noſtros invadit. Qui in primo (*n*) locati fuerant, paulliſper territi perturbantur: reliqui cito ſubveniunt. Neque diutius Numidæ reſiſtere quiviſſent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congreſſu facerent (*o*): quibus illi freti, non uti equeſtri prælio ſolet, ſequi, dein cedere, ſed advorſis equis concurrere, implicare, ac perturbare aciem: ita, expeditis peditibus ſuis, hoſtes pæne victos dare.

Pugna ad Zamam.

CAP. LVI. Eodem tempore apud Zamam maxima vi certabatur. Ubi quiſque legatus, aut tribunus curabat, eo acerrume niti, neque alius in alio magis, quam in ſeſe ſpem habere: pariterque oppidani agere, pugnare (*p*), aut parare omnibus locis: avidius alteri alteros ſauciare, quam ſemet tegere. Clamor permixtus hortatione, lætitia, gemitu: item ſtrepitus armorum ad cœlum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui mœnia defenſabant, ubi hoſtes paullulum modo pugnam remiſerant, intenti prælium equeſtre proſpectabant. Eos, uti quæque Jugurthæ res erant, lætos modo, modo pavidos animadverteres: ac, ſicubi audiri à ſuis, aut cerni poſſent, monere alii, alii hortari, aut manu ſignificare, aut niti corporibus: huc & illuc quaſi vitabundi, aut jacientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum eſt, (nam is in ea parte curabat) conſulto lenius agere, ac diffidentiam rei ſimulare: pati Numidas ſine tumultu, Regis prælium viſere. Ita, illis ſtudio ſuorum adſtrictis, repente magna vi murum aggreditur: & jam ſcalis egreſſi (*q*), milites prope ſumma ceperant, cum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia præterea tela ingerunt. Noſtri primo reſiſtere: dein, ubi unæ, atque alteræ ſcalæ comminutæ, qui ſuperſteterant, afflicti ſunt; ceteri, quo quiſque modo potuere, pauci integri, magna pars confecti vulneribus, abeunt. Deinde (*r*) utrimque prælium nox diremit.

Metellus ab Zama diſcedit.

CAP. LVII. Metellus poſtquam videt fruſtra incœptum, neque oppidum capi, neque Jugurtham, niſi ex inſidiis, aut ſuo loco pugnam facere; & jam æſtatem exactam eſſe, ab Zama diſcedit: & in iis urbibus, quæ ab ſe (*s*) defecerant, ſatiſque munitæ loco, aut mœnibus erant, præſidia imponit. Ceterum exercitum in provinciam, quæ proxuma eſt Numidiæ, hyemandi gratia collocat. Neque id tempus ex aliorum more quieti, aut luxuriæ concedit. Sed, quoniam armis bellum parum procedebat, inſidias regi per amicos tendere, & eorum perfidia pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romæ cum Jugurtha fuerat, & inde clam, vadibus datis, de Maſſivæ nece, judicium fugerat, quod ei PER MAXUMAM amicitiam maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus aggreditur: ac primo efficit, uti ad ſe colloquendi gratia occultus veniat: Dein, fide data, *ſi Jugurtham vivum, aut necatum ſibi tradidiſſet, fore, ut illi Senatus impunitatem, & ſua omnia concederet.* Facile Numidæ perſuadet, cum ingenio infido, tum metuenti, ne, ſi pax cum Romanis fieret, ipſe per conditiones ad ſupplicium traderetur.

Jugurtham per Bomilcarem inſidiis aggreditur.

CAP. LVIII. Is, ubi primum opportunum fuit, Jugurtham anxium ac miſerantem fortunas ſuas accedit: monet, atque lacrumans obteſtatur, *uti aliquando ſibi, liberiſque, & genti Numidarum optume merenti* (*t*), *provideat: omnibus præliis ſeſe victos, agrum vaſtatum, multos mortalis* (*u*) *captos, occiſos, regni opes comminutas eſſe: ſatis ſæpe jam & virtutem militum, & fortunam tentatam: caveat, ne illo cunctante, Numidæ ſibi conſulant.* His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit. Mittuntur ad imperatorem legati, qui Jugurtham imperata facturum dicerent, ac ſine ulla pactione ſeſe, regnumque ſuum in illius fidem tradere. Metellus propere cunctos Senatorii ordines ex hybernis accerſiri jubet: eorum, atque aliorum, quos idoneos ducebat, conſilium habet. Ita more majorum, ex conſilii decreto, per legatos *Jugurthæ* imperat *argenti pondo ducenta millia, elephantos omnis* (*x*), *equorum, & armorum aliquantum.* Quæ poſtquam ſine mora facta ſunt, jubet omnis (*y*) perfugas vinctos adduci. Eorum magna pars, uti juſſum erat, adducti: pauci, cum primum deditio cœpit, ad regem Bocchum in Mauritaniam abierant. Igitur Jugurtha, ubi armis, viriſque & pecunia ſpoliatus eſt, dum ipſe ad imperandum Tiſidium vocaretur, rurſus cœpit flectere animum ſuum, & EX MALA conſcientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem conſumptis, cum modo tædio rerum adverſarum omnia bello potiora duceret; interdum ſecum ipſe reputaret, quam GRAVIS caſus in ſervitium ex regno foret; multis magniſque præſidiis nequicquam perditis, de integro bellum ſumit (*z*): & Romæ Senatus, de provinciis conſultus, Numidiam Metello decreverat.

Cujus perſuaſione perfida.

Jugurtha ad deditionem impellitur.

Qui imperata ſibi à Metello nihil cunctatus, exequitur.

Sed bellum iterum reſumit.

CAP. LIX. Per idem tempus Uticæ forte C. Mario, per hoſtias diis ſupplicanti, *magna, atque mirabilia portendi aruſpex* dixerat: *proinde, quæ animo agitabat, fretus diis ageret: fortunam quam ſæpiſſime experiretur; cuncta proſpere eventura.* At illum jam antea conſulatus ingens cupido exagitabat: ad quem capiundum, præter vetuſtatem familiæ, alia omnia abunde erant; induſtria, probitas, militiæ magna ſcientia, animus belli ingens, domi modicus, lubidinis, & divitiarum victor, tantummodo gloriæ avidus. Sed is natus, & omnem (*a*) pueritiam Arpini altus, ubi primum ætas militiæ patiens fuit, ſtipendiis faciundis, non Græca facundia, neque urbanis munditiis ſeſe exercuit: ita inter artis (*b*) bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergo ubi primum tribunatum militarem (*c*) à Populo petit, pleriſque faciem ejus ignorantibus, facile notus per omnes Tribus declaratur. Deinde ab eo magiſtratu, alium poſt alium ſibi peperit: ſemperque in poteſtatibus, eo modo agitabat,

C. Mario aruſpex felicia omnia portendit.

Ejus mores & natura.

Patria.

Honores.

(*n*) al. proxumo. (*o*) al. feciſſent. (*p*) al. oppugnare. (*q*) al. adgreſſi. (*r*) al. Denique. (*s*) al. ad ſe. (*t*) al. merite. (*u*) al. mortales. (*x*) al. omnes. (*y*) al. omnes. (*z*) al. reſumit. (*a*) al. & per omnem. (*b*) al. artes. (*c*) militum.

tabat, ut ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir (nam poſtea ambitione præceps datus eſt) conſulatum appetere non audebat. Etiam tum alios magiſtratus plebes, conſulatum nobilitas inter ſe per manus tradebat. Novus nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore, & quaſi pollutus haberetur.

Petundi conſulatus gratia miſſionem à Metello rogat.

CAP. LX. Igitur, ubi Marius aruſpicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur, ab Metello petundi gratia miſſionem rogat: cui quamquam virtus, gloria, atque alia optanda bonis ſuperabant, tamen inerat CONTEMPTOR animus, & ſuperbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum commotus inſolita re, mirari ejus conſilium, & quaſi per amicitiam monere, *ne tam prava inciperet, neu ſuper fortunam animum gereret:* NON OMNIA *omnibus cupienda eſſe: debere illi res ſuas ſatis placere: poſtremo caveret id petere à Populo Romano quod illi jure negaretur.* Poſtquam hæc, atque alia talia dixit, neque animus Marii flectitur; reſpondit, *Ubi primum potuiſſet per negotia publica, facturum ſeſe, quæ peteret.* Ac poſtea ſæpius eadem poſtulanti fertur dixiſſe: *Ne feſtinaret abire: ſatis mature illum cum filio ſuo conſulatum petiturum.* Is eo tempore, in contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter viginti. Quæ res Marium cum pro honore, quem affectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita CUPIDINE, atque ira peſſumis conſultoribus, graſſari: neque facto ullo, neque dicto abſtinere, quod modo ambitioſum foret. Milites, quibus in hybernis præerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticæ erat, criminoſe ſimul ac magnifice de bello loqui: *ſi dimidia pars exercitus ſibi permitteretur; paucis diebus Jugurtham in catenis habiturum: ab imperatore conſulto bellum trahi, quod homo inanis, & ſuperbiæ regiæ, imperio nimis gauderet.* Quæ omnia eo illis firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris (*e*) corruperant: (*f*) & ANIMO cupienti nihil ſatis feſtinatur.

Marii & Metelli inimicitiarum origo.

Gaudæ, Manaſtabilis filio.

CAP. LXI. Erat præterea in exercitu noſtro Numida quidam, nomine Gauda, Manaſtabilis (*g*) filius, Maſiniſſæ nepos, quem Micipſa teſtamento heredem ſecundum ſcripſerat, MORBIS confectus, & ob eam cauſam mente paullulum (*h*) imminuta. Cui Metellus petenti, more regum, uti ſellam juxta poneret, item poſtea cuſtodiæ cauſa turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat: honorem, quod eodem modo foret, quos Populus Romanus reges appellaviſſet: præſidium, quod contumelioſum in eos foret, ſi equites Romani, ſatellites Numidæ traderentur. Hunc Marius anxium aggreditur: atque hortatur, *uti contumeliarum in imperatorem cum ſuo auxilio pœnas petat:* hominem ob MORBOS animo parum valido, ſecunda oratione extollit: illum regem, virum ingentem, Maſiniſſæ nepotem eſſe: ſi Jugurtha captus, aut occiſus foret, imperium Numidiæ ſine mora habiturum: id adeo mature poſſe evenire, ſi ipſe Conſul ad id bellum miſſus foret. Itaque & illum, & equites Romanos, milites, & negotiatores, alios ipſe, pleroſque pacis ſpes impellit, uti Romam ad ſuos neceſſarios aſpere in Metellum de bello ſcribant, Marium imperatorem poſcant. Sic illi à multis mortalibus honeſtiſſuma ſuffragatione conſulatus petebatur. Simul ea tempeſtate plebes nobilitate fuſa (*i*), per legem Mamiliam (*k*) novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

Metellus regios honores negat.

Hinc Marius Gaudam adverſus Metellum incendit.

Ad Jugurtham bellum reſumentem.

CAP. LXII. Interim Jugurtha, poſtquam, omiſſa deditione, bellum incipit, cum magna cura parare omnia, feſtinare, cogere exercitum: civitates, quæ ab ſe defecerant, formidine, aut oſtentando præmia affectare: communire ſuos locos: arma, tela, aliaque, quæ ſpe pacis amiſerat, reficere, aut commercari: ſervitia Romanorum illicere, & eos ipſos, qui in præſidiis erant, pecunia tentare; prorſus nihil intactum, neque quietum pati: cuncta agitare. Igitur Vaccenſes, quo Metellus initio, Jugurtha pacificante, præſidium impoſuerat, fatigati regis ſuppliciis, neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter ſe conjurant: (nam VULGUS, uti plerumque ſolet, & maxume Numidarum, ingenio mobili, ſeditioſum, atque diſcordioſum, erat cupidum novarum rerum, quieti & otio advorſum). Dein, compoſitis inter ſe rebus, in diem tertium conſtituunt, quod is feſtus celebratuſque per omnem Africam, ludum, & laſciviam magis, quam formidinem, oſtentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones, tribunoſque militaris (*l*) & ipſum præfectum oppidi T. Turpilium Silanum, alius alium domos ſuas invitant: eos omnis (*m*) præter Turpilium, inter epulas obtruncant. Poſtea milites palantis, inermis (*n*), quippe in tali die, ac ſine imperio, aggrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti à nobilitate, alii ſtudio talium rerum incitati, quîs (*o*) acta, conſiliumque ignorantibus, tumultus ipſe, & res novæ ſatis placebant.

Vaccenſes à Metello deficiunt.

Romanorumque præſidium una die obtruncant.

CAP. LXIII. Romani milites, improviſo metu (*p*), incerti ignarique, quid potiſſumum facerent, trepidare ad arcem (*q*) oppidi, ubi ſigna & ſcuta erant: præſidium hoſtium, portæ ante clauſæ fugam prohibebant. Ad hoc mulieres, puerique pro tectis ædificiorum ſaxa, & alia, quæ locus præbebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque à fortiſſumis infirmiſſumo generi reſiſti poſſe: juxta boni, malique, ſtrenui, & imbelles (*r*) multi obtruncati. In ea tanta aſperitate, ſæviſſumis Numidis, & oppido undique clauſo, Turpilius præfectus unus ex omnibus Italicis profugit intactus: id miſericordia ne hoſpitis, an pactione, an caſu ita evenerit, parum compertimus; niſi quia illi in tanto malo, turpis vita,

Turpilius præfectus unus ex omnibus intactus evadit.

(*e*) al. familiares. (*f*) al. corruperat. (*g*) al. Maſtanabilis. (*h*) al. paullum. (*i*) al. perculſa. (*k*) al. Mamilliam vel Mamillam. (*l*) al. militares. (*m*) al. omnes. (*n*) al. palantes, inermes. (*o*) al. queis. (*p*) al. perculſi improviſo metu. (*q*) al. trepidare arcem. (*r*) al. imbecilles.

ta, integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur.

Metellus Vaccam festinat ulturus injurias.

CAP. LXIV. Metellus, postquam de rebus Vaccæ actis comperit, paullisper mœstus è conspectu abit: dein, ubi ira, & ægritudo permixta sunt, cum maxuma cura ultum ire injurias festinat. Legionem, cum qua hyemabat, & quam plurimos potest Numidas equites, pariter cum occasu solis expeditos educit: & postera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paullo superioribus circumventam. Ibi milites fessos itineris magnitudine, & jam abnuentes omnia, docet (*s*), oppidum Vaccam non amplius mille passuum abesse: DECERE illos reliquum laborem æquo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis, atque miserrumis, pœnas caperent. Præterea prædam benigne ostentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo latere, pedites quam arctissume ire, & signa occultare jubet.

CAP. LXV. Vaccenses ubi animadvertere (*t*) ad se vorsum exercitum pergere; primo, uti res erat, Metellum esse rati, portas clausere: dein, ubi neque agros vastari, & eos, qui primi aderant, Numidas equites vident, rursus Jugurtham arbitrati, cum magno gaudio obviam (*u*) procedunt. Equites peditesque repente signo dato, alii vulgum effusum oppido cædere; alii ad portas festinare; pars turres capere: ira, atque spes prædæ amplius, quam lassitudo, posse. Ita Vaccenses biduum modo ex perfidia lætati: civitas magna, & opulens (*x*) pœnæ cuncta, aut prædæ fuit. Turpilius, quem præfectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, jussus à Metello causam dicere; POSTQUAM sese parum expurgat, condemnatus, verberatusque capite pœnas solvit. Nam is civis ex Latio erat.

Vaccenses perfidiæ pœnas luunt.

Turpilius desertor præsidii à Metello necatur.

Bomilcar Jugurthæ insidias struit.

CAP. LXVI. Per idem tempus Bomilcar, cujus impulsu Jugurtha deditionem, quam metu deseruit, incœperat, suspectus regi, & ipse eum suscipiens, novas res cupere: ad perniciem ejus dolum quærere: diu noctuque fatigare animum. Denique, omnia tentando, socium sibi adjungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus (*y*) clarum, acceptumque popularibus suis: qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare, & omnis (*z*) res exsequi solitus erat, quæ Jugurthæ fesso, aut majoribus adstricto superaverant: ex quo illi gloria, opesque inventæ. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur: cetera, uti res posceret, ex tempore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hyberna Romanorum jussus habebat, ne ager inultis hostibus vastaretur. Is postquam, magnitudine facinoris perculsus (*a*), ad tempus non venit, metusque rem impediebat; Bomilcar simul cupidinibus (*b*) incœpta patrandi, & timore socii anxius, ne, omisso vetere consilio, novum quæreret; litteras ad eum per homines fidelis (*c*) mittit: in quîs mollitiem socordiamque viri accusare: testari Deos, per quos juravisset: monere, *ne præmia Metelli in pestem* (*d*) *converteret; Jugurthæ exitium adesse: ceterum, sua ne, an Metelli virtute periret, id modo agitari: proinde, reputaret cum animo suo, præmia an cruciatum mallet.*

Nabdalsa Bomilcaris in prodendo Jugurtha socius.

CAP. LXVII. Sed cum eæ (*e*) litteræ allatæ, forte Nabdalsa, exercito corpore fessus, in lecto quiescebat. Ubi, cognitis Bomilcaris verbis, primo cura (*f*), dein, uti ÆGRUM animum solet, somnus cepit. Erat ei Numida quidam negotiorum curator fidus, acceptusque, & omnium consiliorum, nisi novissumi, particeps. Qui postquam allatas litteras audivit, ex consuetudine ratus opera, aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introit (*g*): dormiente illo, epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit, ac perlegit; dein propere, insidiis cognitis, ad regem pergit. Nabdalsa, post paullo experrectus, ubi neque epistolam reperit, & rem omnem, uti acta erat, ex perfugis cognovit; primo indicem persequi conatus; postquam id frustra fuit, Jugurtham placandi gratia, accedit: quæ ipse paravisset, perfidia clientis sua facere præventum (*h*): lacrumans obtestatur *per amicitiam, perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.*

Proditis à familiari suo insidiis.

Earum suspicionem deprecatur.

CAP. LXVIII. Ad ea rex aliter, atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare, aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis, iram oppresserat, ne qua ex eo negotio seditio oriretur. Neque post id locorum Jugurthæ dies, aut nox ulla quieta fuit: neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori satis credere: civis (*i*), hostisque juxta metuere: circumspectare omnia, & omni strepitu pavescere: alio, atque alio loco sæpe CONTRA decus regium noctu requiescere: interdum somno excitus, arreptis armis tumultum facere: ita formidine, quasi vecordia, exagitari.

Jugurtha Bomilcarem cum insidiarum sociis interficit.

CAP. LXIX. Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris, & indicio patefacto ex perfugis cognovit: rursus tamquam ad integrum bellum cuncta parat, festinatque. Marium, fatigantem de profectione, simul & INVISUM (*k*) & offensum sibi parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romæ plebes, litteris, quæ de Metello ac Mario missæ erant, cognitis, volentia (*l*) de ambobus acceperant. Imperatori nobilitas, quæ antea decori fuerat, invidiæ esse: at illi alteri generis humilitas favorem addiderat: ceterum in utroque MAGIS studia partium, quam bona, aut mala sua, moderata (*m*). Præterea seditiosi magistratus vulgum (*n*) exagitare, Metellum omnibus concionibus capitis arcessere (*o*), Marii virtutem in majus celebrare. Denique plebes sic accensa, uti opifices, agrestis-

Metellus Marium dimittit.

(*s*) al. edocet. (*t*) al. animum advortere. (*u*) al. obvii. (*x*) al. magna, atque opulenta. (*y*) al. magnis operibus. (*z*) al. omnes. (*a*) al. percussus. (*b*) al. cupidius. (*c*) al. fideles. (*d*) al. *in pestem suam.* (*e*) al. hæ. (*f*) al. primo cura eum, deinde &c. (*g*) al. introiit. (*h*) al. accedit: dicit, quæ ipse paravisset facere, perfidia clientis sui præventa. (*i*) al. cives, hostesque. (*k*) al. invitum. (*l*) al. volenti animo. (*m*) al. moderari. (*n*) al. vulgus. (*o*) al. accersere.

agrestisque omnis (*p*), quorum res, fidesque in manibus sitæ erant, relictis operibus frequentarent Marium, & sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita perculsa nobilitate, post multas tempestates novo homini consulatus mandatur: & postea Populus à Tribuno plebis L. Manlio Mantino rogatus, quem vellet cum Jugurtha bellum gerere, frequens Marium jussit. Sed Senatus paullo ante Metello Numidiam decreverat. Ea res frustra fuit.

Mario novo homini consulatus mandatur. O. C. 3983. U. C. 646. Ol. 168. a. C. N. 107. Metello Numidia.

CAP. LXX. Eodem tempore Jugurtha, amissis amicis, quorum plerosque ipse necaverat, ceteri formidine (*q*), pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant (*r*); cum neque bellum geri sine administris posset, & novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri, periculosum duceret, varius incertusque agitabatur: neque illi res, neque consilium, aut quisquam hominum satis placebat. Itinera, præfectosque in dies mutare: modo advorsum hostes, interdum in solitudines pergere: sæpe in fuga, ac post paullo in armis spem habere: dubitare, virtuti popularium an fidei minus crederet. Ita, quocumque intenderat, res advorsæ erant. Sed inter eas moras repente sese Metellus cum exercitu ostendit. Numidæ ab Jugurtha pro tempore parati, instructique sunt: deinde prælium incipitur. Qua in parte rex pugnæ affuit, ibi aliquamdiu certatum; ceteri omnes ejus milites primo congressu pulsi, fugatique: Romani signorum, & armorum, & aliquanto numero hostium potiti. Nam ferme Numidas in omnibus præliis magis pedes quam arma tuta sunt (*s*).

Jugurthæ inquietus animus.

Jugurtha à Romanis vincitur & fugatur.

CAP. LXXI. Ea fuga Jugurtha impensius modo rebus suis diffidens, cum perfugis, & parte equitatus, in solitudines, dein Thalam pervenit, in oppidum magnum, & opulentum: ubi plerique thesauri, filiorumque ejus multus pueritiæ cultus erat. Quæ postquam Metello comperta sunt, quamquam inter Thalam, flumenque proxumum, in spatio millium quinquaginta, loca arida, atque vasta esse cognoverat; tamen spe patrandi belli, si ejus oppidi potitus foret, omnis (*t*) asperitates supervadere, ac naturam etiam vincere aggreditur. Igitur omnia jumenta sarcinis levari jubet, nisi frumento dierum decem: ceterum utres modo, & alia aquæ idonea portari. Præterea conquirit ex agris quam plurimum potest domiti pecoris: eoque imponit vasa cujusque modi, sed pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitimis imperat, qui se post regis fugam Metello dediderant, quamplurimum quisque aquæ portaret: diem, locumque, ubi præsto forent, prædicit. Ipse ex flumine, quam proxumam aquam oppido esse supra diximus, jumenta onerat. Eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. Dein ubi ad id loci ventum, quod (*u*) Numidis præceperat; & castra posita, munitaque sunt; tanta repente cœlo missa vis aquæ dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret. Præterea commeatus spe amplior, quia Numidæ, sicuti PLERIQUE in nova deditione, officia intenderant. Ceterum milites, religione, pluvia (*x*) magis usi: eaque res multum animis eorum addidit (*y*). Nam rati sese diis immortalibus curæ esse, dein postera die, contra opinionem Jugurthæ, ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos crediderant, magna atque insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare: idem nostri facere.

Metellus Thalam proficiscitur.

CAP. LXXII. Sed rex nihil jam Metello infectum credens, quippe qui omnia arma, tela, loca, tempora, (*z*) denique NATURAM ipsam, ceteris imperitantem industria vicerat, cum liberis, & magna parte pecuniæ, ex oppido noctu profugit. Neque postea in ullo loco amplius uno die (*a*), aut una nocte moratus, simulabat sese negotii gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat. Nam TALIA consilia per otium & ex opportunitate capi. At Metellus ubi oppidanos prælio intentos, simul oppidum & operibus & loco munitum videt, vallo fossaque mœnia circumvenit. Dein jubet locis (*b*) ex copia maxuma idoneis vineas agere: superque eas aggerem jacere, & super aggerem impositis turribus opus & administros tutari: Contra hæc oppidani festinare, parare; prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore, præliisque fatigati, post dies quadraginta, quam eo ventum erat, oppido modo potiti: præda omnis à perfugis corrupta. Hi postquam murum arietibus feriri, resque suas afflictas vident, aurum atque argentum, & alia, quæ prima ducuntur, in domum regiam comportant: ibique vino, & epulis onerati, illaque & domum, & semet igni corrumpunt; & quas victi ab hostibus pœnas metuerant, eas ipsi volentes pependere.

Jugurtha ex Thala profugit.

Metellus Thalam obsidet.

Et capit.

CAP. LXXIII. Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes (*c*) *uti præsidium, præfectumque eo mitteret: Hamilcarem quemdam, hominem nobilem, factiosum, novis rebus studere, advorsum quem neque imperia magistratuum, neque leges valerent: uti id festinaret, in summo periculo suam salutem, illorum socios fore.* Nam Leptitani jam inde à principio belli Jugurthini ad Bestiam Consulem, & postea Romam miserant, amicitiam, societatemque rogatum. Dein, ubi ea impetrata (*d*), semper boni, fidelesque mansere; & cuncta à Bestia, Albino, Metelloque imperata gnaviter fecerant (*e*). Itaque ab Imperatore facile, quæ petebant, adepti. Emissæ (*f*) eo cohortes Ligurum quatuor, & C. Annius præfectus.

Leptitani Romanis semper fideles.

Cuncta à Bestia Cos.

Et Metello Cos. impetrant.

CAP. LXXIV. Id oppidum ab Sidoniis conditum est, quos accepimus profugos ob discordias civilis (*g*), navibus in eos locos venisse; ceterum situm inter duas Syrtis (*h*), quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in

Leptis oppidi, à Sidoniis conditi, situs.

(*p*) al. agrestesque omnes. (*q*) al. formidine perculsi. (*r*) al. perfugerant. (*s*) al. tutati sunt. (*t*) al. omnes. (*u*) al. quo. (*x*) al. pluviæ. (*y*) al. addiderat. (*z*) al. tela, equos, locos, tempora. (*a*) al. una die. (*b*) al. duobus locis. (*c*) al venerant orare. (*d*) al. ubi ea impetrata fuere. (*e*) al. nave fecerant. (*f*) al. missæ. (*g*) al. civiles (*h*) al. Syrtes.

pe in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura (*i*): quorum proxuma terræ præalta sunt, cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse, & sævire ventis cœpit, limum, arenamque, & saxa ingentia fluctus trahunt; ita facies locorum cum ventis simul mutatur: Syrtes, ab tractu nominatæ. Ejus civitatis lingua, modo conversa connubio Numidarum: legum, cultusque pleraque Sidonica; quæ eo facilius retinebantur (*k*), quod procul ab imperio regis ætatem agebant. Inter illos, & frequentem Numidiam, inculti (*l*) vastique loci erant.

Leptitanorum lingua & leges.

CAP. LXXV. Sed, quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur, egregium, atque memorabile (*m*) facinus duorum Carthaginiensium memorare. Eam rem nos locus admonuit. Qua tempestate Carthaginienses pleræque Africæ imperitabant, Cyrenenses quoque magni, atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus una specie; neque flumen, neque mons erat, qui finis (*n*) eorum discerneret. Quæ res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit. Postquam utrimque legiones, item classes sæpe fusæ, fugatæque, & alteri alteros aliquantum attriverant; veriti, NE MOX victos, victoresque defessos alius aggrederetur, per inducias sponsionem faciunt, *uti certo die legati domo proficiscerentur; quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur.* Igitur duo fratres Carthagine missi, quibus nomen Philænis (*o*) erat, maturavere iter peragere; Cyrenenses tardius iêre. Id socordiane, an casu acciderit, parum cognovi. Ceterum solet in locis illis tempestas haud secus, atque in mari, retinere (*p*). Nam, ubi per loca æqualia, & nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea magna vi agitata, ora, oculosque implere (*q*), ita prospectu impedito, morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto posteriores se esse vident, & ob rem corruptam domi pœnas metuunt; criminari Carthaginienses, ante tempus domo digressos; conturbare rem; denique omnia malle, quam victi abire. Sed cum Pœni aliam conditionem, tantummodo æquam, peterent, Græci (*r*) optionem Carthaginiensium faciunt, *ut vel illi, quos finis* (*s*) *populo suo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem conditione sese, quem in locum vellent, processuros.* Philæni, conditione probata, seque, vitamque suam Reipublicæ condonavere: ita vivi obruti. Carthaginienses in eo loco Philænis fratribus aras consecravere; aliique illis domi honores constituti. Nunc ad rem (*t*) redeo.

Contentio Carthaginiensium & Cyrenensium de finibus.

Quibus conditionibus finita.

CAP. LXXVI. Jugurtha postquam, amissa Thala, nihil satis firmum contra Metellum putat; per magnas solitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gætulos, genus hominum ferum, incultumque, & eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit: ac paullatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Præterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus, & majoribus promissis ad studium sui perducit (*u*); quis adjutoribus regem aggressus, impellit, uti advorsum Romanos bellum suscipiat. Id ea gratia facilius, proniusque (*x*) fuit, quod Bocchus initio hujusce belli legatos Romam miserat, fœdus, & amicitiam petitum. Quam rem opportunissumam incœpto belli (*y*) pauci impediverant, CÆCI avaritia, quis omnia honesta, atque inhonesta vendere mos erat. Etiam antea Jugurthæ filia Boccho nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas, Maurosque levis ducitur: quia singuli pro opibus, quisque quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent; sed reges eo amplius. Ita ANIMUS multitudine distrahitur; nullam pro socia obtinet; pariter omnes viles sunt.

Jugurtha Gætulorum exercitum in unum cogit.

Jugurthæ filia Bocchi regis uxor.

CAP. LXXVII. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt: ibi (*z*), fide data, & accepta, Jugurtha Bocchi animum oratione accendit: *Romanos injustos, profunda avaritia, communes omnium hostis* (*a*) *esse: eandem illos causam belli cum Boccho habere, quam secum, & cum aliis gentibus;* LUBIDINEM *imperitandi, quis omnia regna advorsa sint: tum sese, paullo ante Carthaginienses, item regem Persen, post uti quisque opulentissumus videatur; ita Romanis, hostem fore.* His, atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum iter constituunt: quod ibi Q. Metellus prædam, captivosque, & impedimenta locaverat. Ita Jugurtha ratus, aut, capta urbe, operæ pretium fore: aut, si Romanus auxilio suis venisset, prælio sese certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere; ne, moras agitando, aliud, quam bellum, mallet.

Jugurtha Bocchum ad bellum Romanum compellit.

CAP. LXXVIII. Imperator postquam de regum societate cognovit, non temere, neque uti sæpe jam victo Jugurtha consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit: ceterum, haud procul ab Cirta castris munitis, reges opperitur; MELIUS esse ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hostis accesserat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per litteras fit certior, Mario provinciam Numidiam datam. Nam Consulem factum ante acceperat. Quibus rebus supra bonum atque honestum (*b*) perculsus, neque lacrumas tenere, neque moderari linguam; vir egregius in aliis artibus, nimis molliter ægritudinem pati. Quam rem alii in superbiam vortebant; alii BONUM ingenium contumelia accensum esse: multi, quod jam parta victoria ex manibus eriperetur. Nobis satis cognitum, illum MAGIS honore Marii, quam injuria sua excruciatum, neque tam anxie laturum fuisse, si adempta provincia alii, quam Mario traderetur.

Metelli mollities animi, ob datam Mario Numidiam provinciam.

CAP. LXXIX. Igitur eo dolore impeditus, & quia STULTITIÆ videbatur, alienam rem periculo suo curare, legatos ad Bocchum mittit,

Bocchum à bello desistere legati Metelli hortantur.

(*i*) al. pari tractu. (*k*) al. retinebant. (*l*) al. multi. (*m*) al. mirabile. (*n*) al. fines. (*o*) Philenes. (*p*) al. viatores retinere. (*q*) al. implere solet. (*r*) al. Cyrenenses. (*s*) al. *quo fines.* al. *qui fines.* (*t*) al. incœptum. (*u*) al. perlicit. (*x*) al. procliviusque. (*y*) al. bello. (*z*) al. ubi. (*a*) al. hostes. (*b*) al. aut honestum.

tit, postulatum, *ne sine causa hostis Populo Romano fieret; habere eum magnam copiam societatis (c), amicitiæque conjungendæ, quæ potior bello esset; quamquam opibus suis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare.* OMNE BELLUM *sumi facile, ceterum ægerrume (d) desinere: non in ejusdem potestate initium ejus, & finem esse: incipere cuivis etiam ignavo licere: non deponi, cum victores velint. Proinde sibi, regnoque suo consuleret: neu florentis (e) res suas cum Jugurthæ perditis misceret.* Ad ea Rex satis placide verba facit: *sese pacem cupere, sed Jugurthæ fortunarum misereri: si eadem illi copia fieret (f), omnia conventura.* Rursus Imperator, contra postulata Bocchi, nuntios mittit. Ille probare partim, alia abnuere (g). Eo modo, sæpe ab utroque missis remissisque nuntiis, tempus procedere, & ex Metelli voluntate bellum intactum trahi.

CAP. LXXX. At Marius, uti supra diximus, cupientissuma plebe Consul factus, postquam ei provinciam Numidiam Populus jussit, antea jam infestus nobilitati, tum vero multus, atque ferox instare: singulos modo, modo universos lædere, dictitare: *sese consulatum ex victis illis quasi spolia cepisse:* alia præterea magnifica pro se, & illis dolentia: interim, quæ bello opus erant, prima habere; postulare legionibus supplementum: auxilia à populis, & regibus, sociisque arcessere (h): præterea ex Latio fortissumum quemque, plerosque militia, paucos fama cognitos accire, & ambiundo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci. Neque illi Senatus, quamquam adversus erat, de ullo negotio negare (i) audebat: ceterum supplementum etiam lætus decreverat: quia, neque plebi militiam volenti (k) putabatur, & Marius, aut belli usum, aut studia vulgi amissurus. Sed ea res frustra sperata. Tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat: sese quisque præda locupletem fore, victorem domum rediturum, alia hujuscemodi animis trahebant: & eos non paullum oratione sua Marius atrexerat. Nam postquam, omnibus, quæ postulaverat, decretis, milites scribere vult, hortandi causa, simul & nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, concionem Populi advocavit. Deinde hoc modo disseruit.

Marius infestus nobilitati.

Exercitum colligit.

Marii oratio ad populum adversus nobilitatem.

CAP. LXXXI. *Scio ego, Quirites,* PLEROSQUE *non iisdem artibus imperium à vobis petere, &, postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplices, modicos esse; dein per ignaviam, & superbiam ætatem agere. Sed mihi contra videtur. Nam, quo* UNIVERSA RESPUBLICA *pluris est, quam consulatus, aut prætura, eo majore cura illam administrari, quam hæc peti debere. Neque me fallit, quantum cum maxumo beneficio vestro negotii sustineam. Bellum parare, simul & ærario parcere; cogere ad militiam eos, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare; & ea agere inter invidos, occursantis (l), factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc,* ALII SI DELIQUERE *vetus nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum & affinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitæ:* QUAS NECESSE *est & virtute, & innocentia tutari. Nam alia infirma sunt. Et illud intelligo, Quirites, omnium ora in me conversa esse, æquos, bonosque favere: quippe benefacta mea Reipublicæ procedunt nobilitatem locum invadendi quærere. Quo mihi acrius adnitendum est, uti neque vos capiamini, & illi frustra sint (n). Ita ad hoc ætatis à pueritia fui, uti omnis (o) labores, pericula consueta habeam. Quæ ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deseram, non est consilium, Quirites.* ILLIS DIFFICILE *est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere: mihi, qui omnem ætatem in optumis artibus egi,* BENEFACERE *jam ex consuetudine in naturam vertit (p). Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis: quam rem nobilitas ægerrume tulit. Quæso, reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit. Si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliquid tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, & nullius stipendii; scilicet ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii sui.* ITA PLERUMQUE *evenit; uti, quem vos imperare jussistis, is sibi imperatorem alium quærat. At ego scio, Quirites, qui, postquam Consules facti sunt, acta majorum, & Græcorum militaria præcepta* LEGERE *cœperint; homines præposteri. Nam gerere, quam fieri, tempore posterius, re, atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quæ illi audire, & legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi. Quæ illi litteris, ea ego militando didici. Nunc vos* EXISTUMATE, *facta an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam. Mihi fortuna, illis probra objectantur. Quamquam ego* NATURAM *unam, & communem omnium existumo, sed fortissumum quemque generosissumum esse. Ac si jam ex patribus Albini, aut Bestiæ quæri posset, me ne, an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis, nisi sese liberos quam optumos voluisse? Quod si jure me despiciunt; faciant idem majoribus suis; quibus, uti mihi ex virtute nobilitas cœpit. Invident honori meo: ergo invideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis: quoniam per hæc illum cepi. Verum homines corrupti superbia, ita ætatem agunt, quasi honores vestros contemnant: ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Næ* ILLI FALSI *sunt, qui diversissumas res pariter exspectant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis. Atque etiam cum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, pleraque oratione majores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese putant: quod contra est. Nam,* QUANTO *vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet.* MAJORUM *gloria posteris lumen est (q): neque*

(c) al. *magnam opportunitatem copiam &c.* (d) al. *acerrume.* (e) al. *florentes.* (f) al. *foret.* (g) al. Illa probare, partim abnuere. al. ille probare partim, partim abnuere. (h) al. accersere. (i) al. abnuere. (k) al. plebe militiam volente. (l) al. *occursantes.* (m) al. *in Rempublicam.* (n) al. *frustrati sint.* (o) al. *omnes.* (p) al. *venit.* (q) al. *posteris quasi lumen est.*

neque bona, neque mala eorum in occulto patitur. Hujuſce rei ego inopiam patior, Quirites. Verum id, quod MULTO *præclarius eſt, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui ſint. Quod ex aliena virtute ſibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: Scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi nova nobilitas eſt:* QUAM *certe peperiſſe melius eſt, quam acceptam corrupiſſe. Equidem ego non ignoro, ſi jam mihi reſpondere velint, abunde illis facundam, & compoſitam orationem fore. Sed in maxumo veſtro beneficio, cum omnibus locis me, voſque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis* MODESTIAM *in conſcientiam duceret. Nam me quidem, ex animi mei ſententia, nulla oratio lædere poteſt. Quippe vera, neceſſe eſt bene prædicet: falſam vita, moreſque mei ſuperant. Sed quoniam veſtra conſilia accuſantur, qui mihi ſummum honorem, & maxumum negotium impoſuiſtis: etiam atque etiam reputate, num eorum pœnitendum ſit. Non poſſum, fidei cauſa, imagines, neque triumphos, aut conſulatus majorum meorum oſtentare: at, ſi res poſtulet, haſtas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea cicatrices advorſo corpore. Hæ ſunt meæ imagines, hæc mea nobilitas, non hereditate relicta, ut illis (r): ſed quæ ego plurimis meis laboribus, & periculis quæſivi. Non ſunt compoſita verba mea. Parum (s) id facio.* IPSA SE VIRTUS *ſatis oſtendit: illis artificio opus eſt, uti turpia facta oratione tegant. Neque litteras Græcas didici. Parum placebat eas diſcere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optuma Reipublicæ doctus ſum, hoſtem ferire, præſidia agitare, nihil metuere, niſi turpem famam; hyemem & æſtatem juxta pati; humi requieſcere; eodem tempore inopiam, & laborem tolerare. His ego præceptis milites hortabor: neque illos arcte colam, me opulenter (t); neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc eſt utile; hoc civile imperium. Namque* CUM TUTE *per mollitiem agas, exercitum ſupplicio cogere, hoc eſt (u), dominum, non imperatorem eſſe. Hæc atque talia majores veſtri faciundo, ſeque & Rempublicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipſa diſſimilis moribus nos illorum æmulos contemnit; &* OMNIS *(x)* HONORES: *non ex merito, ſed quaſi debitos, à vobis repetit. Ceterum homines ſuperbiſſumi procul errant. Majores eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam ſui præclaram; virtutem non reliquere; neque poterant.* EA SOLÀ *neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me, & incultis moribus ajunt: quia parum ſcite convivium exorno, neque hiſtrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo. Quæ mihi lubet confiteri, Quirites. Nam & ex parente meo, & ex aliis ſanctis viris ita accepi,* MUNDITIAS *mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriæ, quam divitiarum eſſe: arma, non ſuppellectilem, decori eſſe. Quin ergo, quod juvat, quod carum æſtumant, id ſemper faciant: ament, potent: ubi adoleſcentiam habuere, ibi ſenectutem agant, in conviviis, dediti ventri, & turpiſſumæ parti corporis: ſudorem, pulverem, & alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora ſunt. Verum non ita eſt. Nam,* UBI SE OMNIBUS *flagitiis dedecoravere turpiſſumi viri, bonorum (y) præmia ereptum eunt. Ita injuſtiſſume luxuria, & ignavia, peſſumæ artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt, Reipublicæ innoxiæ cladi ſunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poſcebant, reſpondi: Pauca de Republica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam, quæ ad hoc tempus Jugurtham tuta ſunt (z), omnia removiſtis, avaritiam, imperitiam, ſuperbiam. Dein exercitus ibi eſt, locorum ſciens, ſed me hercule magis ſtrenuus, quam felix. Nam magna pars ejus avaritia, aut temeritate ducum attrita eſt. Quamobrem vos, quibus militaris ætas eſt, adnitimini mecum, & capeſſite Rempublicam, neque quemquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum ſuperbia metus ceperit. Egomet in agmine, in prælio conſultor idem, & ſocius periculi vobiſcum adero: meque voſque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto,* DIIS *juvantibus, omnia matura ſunt, victoria, præda, laus: quæ ſi dubia aut procul eſſent, tamen omnes bonos Reipublicæ ſubvenire decet (a). Etenim* NEMO IGNAVIA *immortalis factus: neque quiſquam parens liberis, uti æterni forent, optavit; magis uti boni, honeſtique vitam exigerent. Plura dicere, Quirites, ſi timidis virtutem verba adderent. Nam ſtrenuis abunde dictum puto.*

CAP. LXXXII. Hujuſcemodi oratione habita, Marius poſtquam plebis animos arrectos videt, propere commeatu, ſtipendio, armis aliiſque utilibus navis (*b*) onerat. Cum his A. Manlium legatum proficiſci jubet. Ipſe interea milites ſcribere, non more majorum, neque ex claſſibus, ſed uti cujuſque lubido erat, capite cenſos pleroſque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem Conſulis memorabant; quod ab eo genere celebratus auctuſque erat; ET HOMINI potentiam quærenti, egentiſſumus quiſque opportuniſſumus; cui neque ſua curæ (*c*), (quippe quæ nulla ſunt:) & omnia cum pretio honeſta videntur. Igitur Marius cum aliquanto majore numero, quam decretum erant, in Africam profectus, paucis diebus Uticam advehitur. Exercitus ei traditur à P. Rutilio legato. Nam Metellus conſpectum Marii fugerat; ne videret ea, quæ audita animus tolerare nequiverat.

Marius in Africam proficiſcitur.

Metellus Marii conſpectum fugit.

CAP. LXXXIII. Sed Conſul, expletis legionibus, cohortibusque auxiliariis, in agrum fertilem, & præda onuſtum proficiſcitur. Omnia ibi capta militibus donat: deinde caſtella, & oppida, natura & viris parum munita aggreditur: prælia multa, ceterum alia levia aliis locis facere. Interim novi milites ſine metu pugnæ adeſſe: videre fugientes capi, aut occidi: FORTISSUMUM quemque tutiſſumum: armis libertatem, patriam, parenteſque, & alia omnia tegi: gloriam, atque divitias quæri. Sic brevi ſpatio novi, vetereſque coalue- re,

Expeditionem aggreditur Marius.

(*r*) al. *ut illa illis.* (*s*) al. *Parvi.* (*t*) al. *colam, neque opulentiam.* (*u*) al. *id eſt.* (*x*) al. *omnes.* (*y*) al. *honorum.* (*z*) al. *tutata ſunt.* (*a*) al. decebat. (*b*) al. naves. (*c*) al. neque ſua cara.

re, & virtus omnium æqualis facta. At reges, ubi de adventu Marii cognoverunt, diversi in locos difficiles abeunt. Ita Jugurthæ placuerat, speranti, mox effusos hostis (*d*) invadi posse; Romanos, sicuti plerosque, remoto metu laxius, licentiusque futuros.

Metellus Romæ lætissimis animis excipitur.

CAP. LXXXIV. Metellus interea Romam contra spem suam lætissumis animis excipitur, Plebi, Patribusque, postquam invidia decesserat, juxta carus. Sed & Marius impigre, prudenterque, suorum, & hostium, res pariter attendere; cognoscere, quid boni utrisque, aut contra esset: explorare itinera regum, consilia, & insidias eorum antevenire: nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati. Itaque & Gætulos, & Jugurtham, ex sociis nostris prædas agentes, sæpe aggressus itinere (*e*) fuderat, ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quæ postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit (*f*), statuit urbes, quæ viris aut, loco pro hostibus & advorsum se opportunissumæ erant, singulas circumvenire: ita Jugurtham aut præsidiis nudatum iri, si ea pateretur, aut prælio certaturum. Nam Bocchus nuntios ad eum sæpe miserat; *velle Populi Romani amicitiam, ne quid ab se hostile timeret.* Id simulaverit ne, quo IMPROVISUS gravior accederet, an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est (*g*).

Marius Jugurtham armis exuit.

Castella Jugurthæ vi præmiisque tentat.

CAP. LXXXV. Sed Consul, uti statuerat, oppida, castellaque munita adire: partim vi, alia metu, aut præmia ostentando, avortere (*h*) ab hostibus. Ac primo mediocria gerebat, existumans Jugurtham ob suos tutandos in manus venturum. Sed ubi illum procul abesse; & aliis negotiis intentum accepit; majora, & magis aspera aggredi tempus visum est. Erat inter ingentis (*i*) solitudines oppidum magnum, atque validum (*k*) nomine Capsa: cujus conditor Hercules Libys memorabatur. Ejus cives apud Jugurtham IMMUNES, levi imperio, & ob ea fidelissumi habebantur: muniti advorsum hostes, non mœnibus modo, & armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate. Nam præter oppido propinqua, alia omnia vasta, inculta, egentia aquæ, infesta serpentibus: quarum VIS, sicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior. Ad hoc, natura serpentium ipsa perniciosa, siti magis, quam alia re accenditur. Ejus potiundi Marium maxima cupido invaserat, cum propter usum belli, tum quia res aspera videbatur: & Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm, munitumque: nisi quod apud Thalam non longe à mœnibus aliquot fontes erant. Capsenses una modo, atque ea intra oppidum jugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique, & in omni Africa, quæ procul à mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidæ plerumque lacte, & ferina carne vescebantur, & neque salem, neque alia gulæ irritamenta quærebant. CIBUS illis advorsum famem, atque sitim, non lubidini, neque luxuriæ erat.

Capsa oppidum magnum & validum.

Uti Thala.

Capsam oppugnare Marius aggreditur.

CAP. LXXXVI. Igitur Consul, omnibus exploratis, credo DIIS fretus, (nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat) quippe etiam frumenti inopia tentabatur, quod Numidæ pabulo pecoris magis, quam arvo, student, &, quodcumque natum fuerat, jussu regis in loca munita contulerant: ager autem aridus, & frugum vacuus ea tempestate: (nam æstatis extremum erat) tamen pro rei copia satis providenter (*l*) exornat: pecus omne, quod superioribus diebus prædæ fuerat, equitibus auxiliariis agendum attribuit. A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis oppidum Latis, ubi stipendium & commeatum locaverat, ire jubet: dicitque se prædabundum post paucos dies eodem venturum. Sic incœpto suo occultato, pergit ad flumen Tanam (*m*).

Iter ad Capsam urbem difficile

CAP. LXXXVI. Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas æqualiter distribuerat; &, ex coriis utres uti fierent, curabat: simul & inopiam frumenti lenire, &, IGNARIS omnibus, parare, quæ mox usui forent. Denique sexto die, cum ad flumen ventum est, maxuma vis utrium effecta. Ibi castris levi munimento positis, milites cibum capere, atque, uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse jubet. Omnibus sarcinis abjectis, aqua modo seque & jumenta onerare. Dein, postquam tempus visum, castris egreditur, noctemque totam itinere facto, consedit. Idem proxuma facit. Dein tertia multo ante lucis adventum pervenit in locum tumulosum, ab Capsa non amplius duûm millium intervallo: ibique quam occultissume potest cum omnibus copiis opperitur. Sed, ubi dies cœpit; & Numidæ nihil hostile metuentes, multi oppido egressi; repente omnem equitatum, & cum his velocissumos pedites cursu tendere ad Capsam, & portas obsidere jubet: deinde ipse intentus propere sequi, neque milites prædari sinere. Quæ postquam oppidani cognovere, res trepidæ, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra mœnia in hostium potestate, coëgere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum. Numidæ puberes interfecti, alii omnes venumdati. Præda militibus divisa. Id facinus CONTRA JUS BELLI non avaritia, neque scelere Consulis admissum: sed quia locus Jugurthæ opportunus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum, ante neque beneficio, neque metu coërcitum.

Capsa expugnatur.

Et incenditur.

Inde Marii Auctoritas & fama.

CAP. LXXXVIII. Postquam tantam rem Marius, sine ullo suorum incommodo patravit (*n*); magnus, & clarus antea, major atque clarior haberi cœpit. OMNIA non bene consulta in virtutem trahebantur. Milites modesto imperio habiti, simul & locupletes, ad cœlum ferre: Numidæ magis quam mortalem, timere: postremo omnes socii, atque hostes credere, illi aut mentem divinam esse, aut Deorum

rum

(*d*) al. hostes. (*e*) al. in itinere. (*f*) al. Quæ postquam gloriosa facta sunt, neque belli portandi copiam cognovit. (*g*) al. an mobilitate ingenii parum exploratum est. Nam pacem atque bellum mutare solitus erat. (*h*) al. avertere. (*i*) al ingentes. (*k*) al. valens. (*l*) al. provide. (*m*) al. Tanaim. (*n*) al. Postquam tantam rem peregit Marius, sine ullo suorum incommodo.

rum nutu cuncta portendi. Sed Consul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit. Pauca, repugnantibus Numidis, capit. Plura, deserta propter Capsensium miserias, igni corrumpit. Luctu, atque cæde omnia complentur. Denique multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento, aliam rem aggreditur, non eadem asperitate, qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem. Namque haud longe à flumine Mulucha, quod Jugurthæ Bocchique regnum disjungebat (o), erat inter ceteram planiciem mons saxeus, mediocri castello, satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu relicto. Nam omnis natura, velut opere (p), atque consulto, præceps. Quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa vi capere intendit: SED EA RES FORTE, quam consilio, melius gesta. Nam castello virorum, atque armorum satis magna vis, & frumenti, & fons aquæ: aggeribus, turribusque & aliis machinationibus locus importunus. Iter castellanorum angustum admodum, utrimque præcisum. Vineæ cum ingenti periculo frustra agebantur. Nam cum eæ paullo processerant, igni, aut lapidibus corrumpebantur. Milites neque pro opere consistere, propter iniquitatem loci; neque, inter vineas sine periculo administrare: optumus quisque cadere, aut sauciari ceteris metus augeri.

Alia oppida in potestatem suam adigit.

Marius Mulucham castellum aggreditur.

Sed maximo periculo.

CAP. LXXXIX. At Marius, multis diebus, & laboribus consumptis, anxius trahere cum animo suo, omitteret ne incœptum; quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua sæpe prospere usus fuerat. Quæ cum multos dies, noctesque æstuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod advorsum (q) præliantibus erat, animadvertit inter saxa repentes cochleas: quarum cum unam, atque alteram, dein plures peteret, studio legundi, paullatim prope ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem intellexit, MORE humanæ cupidinis ignara visundi (r) animum vortit. Et forte, in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paullulum modo prona, dein flexa (s), atque aut in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert: cujus ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus, castelli planiciem perscribit: quod cuncti Numidæ intenti præliantibus aderant (t). Exploratis omnibus, quæ mox usui fore ducebat, eodem (u) regreditur, non temere, uti ascenderat (x), sed tentans omnia, & circumspiciens. Itaque Marium propere adit: acta edocet: hortatur, *ab ea parte, qua ipse descenderat* (y), *castellum tentet: pollicetur sese itineris periculique ducem.* Marius cum Ligure, promissa ejus cognitum, ex præsentibus misit: quorum, uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem renuntiavere (z). Consulis animus tamen paullulum arrectus. Itaque ex copia tubicinum, & cornicinum, quinque numero, quam velocissumos delegit, & eum his, præsidio qui forent, quatuor centuriones: omnisque (a) Liguri parere jubet: & ei negotio diem proximum constituit.

Quod casu superatur.

CAP. XC. Sed ubi ex præcepto tempus visum; paratis, compositisque omnibus, ad locum pergit. Ceterum illi, qui centuriis præerant, prædocti ab duce, arma, ornatumque mutaverant (b). Capite, atque pedibus nudis, uti prospectus, nisusque per saxa facilior foret: super terga gladii, & scuta; verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia; simul & offensa, quo levius streperent. Igitur prægrediens Ligus, saxa, & si quæ vetustate radices (c) eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati milites, facilius escenderent (d): interdum timidos insolentia itineris levare manu: ubi paullo asperior ascensus erat singulos præ se inermos (e) mittere; dein ipse cum illorum armis sequi: quæ dubia nisui videbantur, potissumum tentare: ac sæpius eadem adscendens, ac descendens, dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu, multumque fatigati, tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte: quod omnes sicut aliis diebus, advorsum hostes aderant. Marius, ubi ex nuntiis, quæ Ligus egerat, cognovit; quamquam toto die intentos prælio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites, & ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere, & simul hostem tormentis, sagittariisque, & funditoribus eminus terrere. At Numidæ, sæpe antea vineis Romanorum subversis, item incensis, non castelli mœnibus sese tutabantur; sed pro muro dies, noctesque agitare; maledicere Romanis; *ac Mario vecordiam objectare; militibus nostris Jugurthæ servitium minari*; secundis rebus feroces esse. Interim, omnibus Romanis, hostibusque prælio intentis, magna utrimque vi, pro gloria atque imperio his, illis pro salute certantibus, repente à tergo signa canere: ac primo mulieres, & pueri, qui visum processerant, fugere; deinde, uti quisque muro proxumus erat, postremo cuncti armati, inermesque. Quod ubi accidit, eos acrius Romani instare, fundere, ac plerosque tantummodo sauciare, dein super occisorum corpora vadere, avidi gloriæ certantes murum petere (f); neque quemquam omnium præda morari. Sic FORTE correcta Marii temeritas, gloriam ex culpa invenit.

Et castellum expugnatur.

CAP. XCI. Ceterum, dum ea res geritur. L. Sylla quæstor, cum magno equitatu in castra venit: qui (g), uti ex Latio, & à sociis exercitum cogeret, Romæ relictus erat. Sed quoniam non tanti viri res admonuit; idoneum visum est de natura, cultuque ejus paucis dicere. Neque enim alio loco de Syllæ rebus dicturi sumus. Et L. Sisenna optume & diligentissume omnium, qui eas res dixere, persecutus, parum mihi libero ore locutus videtur.

L. Sylla Quæstor in castra Marii venit.

(o) al. dividebat. (p) al. opera. (q) al. aversum. (r) al. more ingenii humani, cupido difficilia faciundi. (s) al. deinde inflexa. (t) al. aberat. (u) al. eadem. (x) al. escenderat. (y) al. *escenderat.* (z) al. nuntiavere. (a) al. omnesque. (b) al. mutaverunt. (c) al. vetustæ radices. (d) al. adscenderent. (e) al. inermes. (f) al. ascendere. (g) al. quod.

Ejus genus, mores, ingenium & natura.

tur. Igitur Sylla gentis patritiæ nobilis fuit (*h*): FAMILIA prope jam exſtincta majorum ignavia. Litteris Græcis, atque Latinis juxta,(*i*) atque doctiſſume eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, ſed gloriæ cupidior: otio luxurioſo eſſe; tamen ab negotiis numquam voluptas remorata, niſi quod de uxore potuit honeſtius conſuli: facundus, callidus, & amicitia facilis: ad ſimulanda negotia altitudo ingenii incredibilis: multarum rerum, ac maxume pecuniæ largitor: atque illi, feliciſſumo omnium ante civilem victoriam, numquam ſuper induſtriam fortuna fuit; multique dubitavere, fortior, an felicior eſſet. Nam, poſtea quæ fecerit, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat diſſerere.

CAP. XCII. Igitur Sylla, uti ſupra dictum eſt, poſtquam in Africam, atque in caſtra Marii cum equitatu venit, rudis antea & ignarus belli, SOLERTISSUMUS omnium in paucis tempeſtatibus factus eſt. Ad hoc milites benigne appellare: multis rogantibus, aliis per ſe ipſe beneficia dare, invitus accipere; ſed ea properantius, quam æs mutuum, reddere; ipſe ab nullo repetere; magis id laborare, uti illi quam plurimi deberent: joca atque ſeria cum humillumis agere: in operibus, in agmine, atque ad vigilias multus eſſe: neque interim, quod ambitio prava ſolet, Conſulis, aut cujuſquam boni famam lædere; tantummodo neque conſilio, neque manu priorem alium pati: pleroſque antevenire. Quibus rebus & artibus brevi Mario, militibuſque cariſſumus factus.

Quomodo Mario & exercitui carus factus.

CAP. XCIII. At Jugurtha, poſtquam oppidum Capſam, alioſque locos munitos, & ſibi utilis (*k*), ſimul & magnam pecuniam amiſerat; ad Bocchum nuntios mittit, quam primum in Numidiam copias adduceret: prælii faciundi tempus adeſſe. Quem ubi cunctari accepit, dubium belli atque pacis rationes trahere: rurſus, uti antea, proxumos ejus donis corrumpit (*l*): ipſique Mauro (*m*) pollicetur Numidiæ tertiam partem, ſi aut Romani Africa expulſi, aut, integris ſuis finibus, bellum compoſitum foret. Eo præmio illectus Bocchus, cum magna multitudine Jugurtham accedit. Ita, amborum exercitu conjuncto, Marium jam in hyberna proficiſcentem, vix decima parte die (*n*) reliqua invadunt, rati noctem, quæ jam aderat, victis ſibi munimento fore; & ſi viciſſent, nullo impedimento, quod locorum ſcientes erant: contra Romanis utrumque caſum in tenebris difficiliorem fore. Igitur ſimul Conſul ex multis de hoſtium adventu cognovit; & ipſi hoſtes aderant: & priuſquam exercitus aut inſtrui, aut ſarcinas colligere, denique, antequam ſignum, aut imperium ullum accipere quivit, equites Mauri, atque Gætuli, non acie, neque ullo more prælii, ſed catervatim, uti quoſque fors conglobaverat, in noſtros incurrunt (*o*). Qui omnes trepidi improviſo metu, ac tamen (*p*) virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientis (*q*) alios ab hoſtibus defenſabant. Pars equos eſcendere, obviam hoſtibus ire pugna latrocinio magis, quam prælio ſimilis fieri: ſine ſignis, ſine ordinibus, equites peditesque permixti, cædere alios, alios obtruncare: multos contra advorſos acerrume pugnantes ab tergo circumvenire, neque virtus, neque arma ſatis tegere; quod (*r*) hoſtes numero plures, & undique circumfuſi erant. Denique Romani veteres, novique, & ob ea ſcientes belli, ſi quos locus, aut caſus conjunxerat, orbes facere (*s*): atque ita ab omnibus partibus ſimul tecti, & inſtructi, hoſtium vim ſuſtentabant.

Bocchus præmio illectus cum exercitu Jugurtham accedit.

Et Romanos ex improviſo aggrediuntur.

CAP. XCIV. Neque in eo tam aſpero negotio Marius territus, aut magis, quam antea, demiſſo animo fuit; ſed cum turma ſua, quam EX FORTISSUMIS magis, quam familiariſſumis paraverat, vagari paſſim; ac modo laborantibus ſuis ſuccurrere, modo hoſtis (*t*), ubi confertiſſumi obſtiterant, invadere: manu conſulere militibus, quoniam imperitare (*u*) conturbatis omnibus non poterat. Jamque dies conſumptus erat, cum tamen barbari nihil remittere; atque, uti Reges præceperant, noctem pro ſe rati, acrius inſtare. Tum Marius ex copia rerum conſilium trahit: atque, uti ſuis receptui locus eſſet, collis (*x*) duos propinquos inter ſe occupat. Quorum in uno, caſtris parum amplo, fons aquæ magnus erat: alter uſui opportunus, quia magna parte editus, & præceps, pauca munimenta quærebat (*y*). Ceterum apud aquam Syllam cum equitibus noctem agitare jubet. Ipſe milites diſperſos paullatim, neque minus hoſtibus conturbatis, in unum contrahit: dein cunctos pleno gradu in collem ſubducit. Ita reges, loci difficultate coacti, prælio deterrentur, neque tamen ſuos longius abire ſinunt, ſed, utroque colle multitudine circumdato, effuſi conſedere. Dein, crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari more ſuo lætari, exſultare, ſtrepere vocibus: & ipſi duces feroces, quod (*z*) non fugere, ac pro victoribus agere (*a*). Sed ea cuncta Romanis, ex tenebris, & editioribus locis facilia viſu, magnoque hortamento erant.

Qui fortiter reſiſtunt.

CAP. XCV. Plurimum vero Marius imperitia hoſtium confirmatus, quam maxumum ſilentium haberi jubet: ne ſigna quidem, uti per vigilias ſolebant, canere: dein, ubi lux adventabat, defeſſis jam hoſtibus, ac paullo ante ſomno captis, de improviſo vectigalis (*b*), item cohortium, turmarum, legionum tubicines ſimul omnis ſigna (*c*) canere, milites clamorem tollere, atque portis erumpere. Mauri, atque Gætuli, ignoto atque horribili ſonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere, aut providere quidquam poterant. Ita cunctos ſtrepitu, clamore, & nullo ſubveniente, noſtris inſtantibus, tumultu, terrore, formidine, quaſi vecordia ceperat. Denique omnes fuſi, fugatique:

Et utrumque Regem fundunt, fugantque.

(*h*) al. patritiæ gentis. (*i*) al. juſte. (*k*) al. utiles. (*l*) al. corrupit. (*m*) al. Boccho. (*n*) al. diei. (*o*) al. concurrunt. (*p*) al. attamen. (*q*) al. capientes. (*r*) al. quia. (*s*) al. fecere. (*t*) al. hoſtes. (*u*) al. imperare. (*x*) al. colles. (*y*) al. munimento egebat. (*z*) al. quia. (*a*) al. aut (vel ut) pro victoribus ſeſe agere. (*b*) al. vectigales. (*c*) al. omnis tuba.

que: arma, & signa militaria pleraque capta: pluresque eo prælio, quam omnibus superioribus, interempti. Nam somno, & metu insolito impedita fuga.

CAP. XCVI. Dein Marius, uti cœperat, in hyberna proficiscitur, quæ propter commeatum in oppidis maritumis agere decreverat: NEQUE TAMEN victoria socors, aut insolens factus; sed pariter, atque in conspectu hostium, quadrato agmine incedere. Sylla cum equitatu apud extimos (d), in sinistra parte A. Manlius cum funditoribus, & sagittariis, præterea cohortes Ligurum curabat: primos & extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Perfugæ, minime cari, & regionum scientissumi, hostium iter explorabant. Simul Consul, quasi nullo imposito, omnia providere: apud omnis (e) adesse, laudare increpare merentis (f). Ipse armatus, intentusque item milites cogebat: neque secus, atque iter faceret (g), castra munire, excubitum in porta (h), cohortis (i) ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere. Præterea alios super vallum in munimentis locare, vigilias ipse circuire, non tam diffidentia futuri (k), quæ imperavisset, quam voti (l) MILITIBUS exæquatus cum Imperatore labos (m) volentibus esset. Et sane Marius, illoque, aliisque temporibus Jugurthini belli, PUDORE MAGIS, quam malo, exercitum coërcebat: quod multi per ambitionem fieri aiebant; pars (n), quod à pueritia consuetam duritiam, & alia, quæ ceteri miserias vocant, voluptati habuisset. Nisi tamen Reipublicæ (o) pariter, ac sævissumo imperio, bene, atque decore gesta.

CAP. XCVII. Igitur quarto denique die haud longe ab oppido Cirta, undique simul speculatores citi sese ostendunt. Qua re hostis adesse intelligitur. Sed quia divorsi redeuntes, alius ab alia parte, atque omnes idem significabant; Consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, advorsum omnia paratus ibidem opperitur. Ita (p) Jugurtham spes frustrata, qui copias in quatuor partis (q) distribuerat, ratus ex omnibus æque aliquos ab tergo hostibus venturos. Interim Sylla, quem primum hostes attigerant, cohortatus suos, turmatim, & quam maxume confertis equis, ipse aliique Mauros invadunt. Ceteri in loco manentes, ab jaculis eminus emissis corpora tegere, &, si qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites præliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius ejus adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant, postremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos erat (r), quod ibi Jugurtha cum plurimis instabat. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit. Ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat, *nostros frustra pugnare: paullo ante Marium sua manu interfectum:* simul gladium sanguine oblitum ostendere (s) quem in pugna, satis impigre occiso pedite nostro, cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuntii, terrentur: simulque barbari animos tollere, & in perculsos Romanos acrius incedere. Jamque paullum à fuga aberant, cum Sylla, profligatis iis, quos advorsum ierat, rediens ab latere Mauros incurrit. Bocchus statim avertitur. At Jugurtha, dum sustentare suos, & prope jam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus dextra, sinistra, omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit. Atque interim Marius, fugatis (t) equitibus, accurrit auxilio suis, quos pelli jam acceperat. Denique hostes jam undique fusi. Tum spectaculum horribile in campis patentibus sequi, fugere; occidi, capi, equi, atque viri afflicti: ac multi, vulneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati; niti modo, ac statim concidere. Postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, & inter ea humus infecta sanguine.

Novum prælium Romanos inter & Mauros.

Sed iterum fugantur Mauri.

Et Jugurtha vix erumpit.

Clades Maurorum.

CAP. XCVIII. Postea loci Consul, haud dubie jam victor, pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus tenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati à Boccho veniunt: qui regis verbis ab Mario petivere, *duos quam fidissumos ad eum mitteret; velle de suo, & de Populi Romani commodo cum iis disserere.* Ille statim L. Syllam, & A. Manlium ire jubet. Qui quamquam acciti ibant; tamen placuit verba apud regem facere; ingenium aut advorsum (u) uti flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sylla, cujus facundiæ, non ætati, à Manlio concessum, pauca verba hujuscemodi locutus. *Rex Bocche, magna nobis lætitia est, cum te talem virum Dii monuere, uti aliquando pacem, quam bellum, malles; neu te optumum, cum pessumo omnium Jugurtha, miscendo commaculares; simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem, & illum sceleratissumum persequi. Ad hoc, Populo Romano jam à principio inopi;* MELIUS VISUM, *amicos, quam servos, quærere: tutiusque rati, volentibus, quam coactis, imperitare. Tibi vero* NULLA OPPORTUNIOR *amicitia nostra: primum quod procul absumus; in quo offensæ minumum, gratia par, ac si prope adessemus: dein, quod parenteis abunde habemus,* AMICORUM *neque nobis, neque cuiquam omnium (x) satis fuit. Atque hoc utinam à principio tibi placuisset! profecto ex Populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus esses. Sed quoniam* HUMANARUM *rerum fortuna pleraque regit, cui scilicet placuit, & vim, & gratiam nostram te experiri: nunc, quando (y) per illam licet, festina, atque, uti cœpisti, perge. Multa, atque (z) opportuna habes, quo facilius errata officiis superes. Postremo hoc in pectus tuum demitte, numquam Populum Romanum beneficiis victum esse. Nam, bello quid valeat,*

Legati à Boccho ad Marium mittuntur.

Syllæ ad Bocchum oratio.

Bbbbb

(d) al. extremos. (e) al. omnes. (f) al. laudare fortes, & increpare merentes. (g) al. facere. (h) al. portis. (i) al. cohortes. (k) al. futurorum. (l) al. quam uti. (m) al. labor. (n) al. alii. (o) al. Respublica. (p) al. Igitur. (q) al. partes. (r) al. agebat. (s) al. ostendens. (t) al. fatigatis. (u) al. aversum. (x) al. *hominum.* (y) al. *quoniam.* (z) alii τὸ *atque* omittunt.

Bocchi responsio.

at, tute ſcis. Ad ea Bocchus placide, & benigne, ſimul pauca pro delicto ſuo verba facit: *Se non hoſtili animo, ſed ob regnum tutandum arma cepiſſe. Nam Numidiæ partem, unde vi Jugurtham expulerit, jure belli ſuam factam, eam vaſtari à Mario, pati nequiviſſe. Præterea, miſſis antea (a) Romam legatis, repulſum ab amicitia. Ceterum vetera omittere, ac tum, ſi per Marium liceret, Legatos ad Senatum miſſurum.* Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Jugurtha, cognita legatione Syllæ, & Manlii, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.

Alii legati Bocchi ad Marium.

CAP. XCIX. Marius interea, exercitu in hybernis (*b*) compoſito, cum expeditis cohortibus, & parte equitatus proficiſcitur in ſola loca, obſeſſum turrim regiam, quo Jugurtha perfugas omnis (*c*) præſidium impoſuerat. Tum rurſus Bocchus, ſeu reputando, quæ ſibi duobus præliis evenerant, ſeu admonitus ab aliis amicis, quos incorruptos Jugurtha reliquerat, ex omni copia neceſſariorum quinque delegit, quorum & fides cognita, & ingenia validiſſuma erant. Eos ad Marium, ac dein, ſi placeat, Romam legatos ire jubet: agendarum rerum, & quocumque modo belli componendi licentiam ipſis permittit. Illi mature ad hyberna Romanorum proficiſcuntur. Dein à Gætulis latronibus in itinere circumventi, ſpoliatique, pavidi, ſine decore ad Syllam profugiunt (*d*); quem Conſul, in expeditionem proficiſcens, pro prætore reliquerat. Eos ille non pro vanis hoſtibus, uti meriti erant, ſed accurate & liberaliter habuit. Qua re barbari, & famam Romanorum avaritiæ falſam, & Syllam ob munificentiam ſeſe amicum rati. Nam etiam tum largitio multis ignota erat: MUNIFICUS nemo putabatur, niſi pariter volens: dona omnia in benignitate habebantur.

A Sylla excipiuntur.

Igitur Quæſtori mandata Bocchi patefaciunt: ſimul ab eo petunt, uti fautor, conſultorque ſibi adſit: *copias, fidem, magnitudinem regis ſui, & alia, quæ aut utilia, aut benevolentiæ eſſe credebant,* oratione extollunt. Dein, Sylla omnia pollicito, docti quo modo apud Marium, item apud Senatum verba facerent, circiter dies quadraginta ibidem opperiuntur.

A Mario Romam eundi impetrant.

CAP. C. Marius poſtquam (*e*) infecto negotio, quo intenderat, Cirtam rediit, de adventu legatorum certior factus, illosque, & Syllam venire (*f*) jubet, itemque L. Bellienum prætorem Utica, præterea omnis undique ſenatorii ordinis (*g*) quibuſcum mandata Bocchi cognoſcit: in quibus, legatis poteſtas eundi Romam fit: ab Conſule interea induciæ poſtulabantur. Ea Syllæ, & pleriſque placuere: pauci ferocius (*h*) decernunt, ſcilicet IGNARI humanarum rerum: quæ fluxæ, & mobiles ſæpius (*i*) in adverſa mutantur. Ceterum Mauri, impetratis omnibus tres Romam profecti ſunt cum Cn. Octavio Rufone, qui Quæſtor ſtipendium in Africam portaverat. Duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus cum cetera, tum maxume benignitatem, & ſtudium Syllæ accepit (*k*). Romæque legatis ejus, poſtquam, *erraſſe regem, & Jugurthæ ſcelere lapſum,* deprecati (*l*) ſunt, amicitiam & fœdus petentibus, hoc modo reſpondetur: *Senatus Populusque Romanus beneficii, & injuriæ memor eſſe ſolet. Ceterum Boccho,* QUONIAM *pœnitet, delicti gratiam facit. Fœdus & amicitia dabuntur, cum promeruerit.* (*m*)

Romani Boccho ignoſcunt.

Sylla à Mario ad Bocchum de communibus rebus agundis mittitur.

CAP CI. Quibus rebus cognitis, Bocchus per litteras à Mario petivit, uti Syllam ad ſe mitteret; cujus arbitratu de communibus negotiis conſuleretur. Is miſſus cum præſidio equitum, atque peditum, funditorum Balearium (*n*): præterea iêre ſagittarii, & cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi cauſa: neque his ſecus, atque aliis armis adverſum (*o*) tela hoſtium, quod ea levia ſunt, muniti. Sed in itinere, quinto denique die, Volux, filius Bocchi, repente in campis patentibus cum mille non amplius equitibus ſeſe re oſtendit: qui temere & effuſe euntes, Syllæ, aliiſque omnibus & numerum ampliorem vero, & hoſtilem metum efficiebant. Igitur ſe quiſque impedire; arma, atque tela tentare: intendere: timor aliquantus, ſed ſpes amplior, quippe victoribus, adverſum eos, quos ſæpe vicerant (*p*). Interim equites, exploratum præmiſſi, rem, uti erat, quietam nuntiant.

Volux, Bocchi filius, Syllæ obviam mittitur.

CAP. CII. Volux adveniens Quæſtorem appellat: dicitque, *ſe à patre Boccho obviam illis ſimul, & præſidio miſſum.* Dein per eum, & proxumum diem ſine metu conjuncti eunt. Poſt, ubi caſtra locata, & diei veſper erat; repente Maurus, incerto vultu pavens, ad Syllam accurrit; dicitque *ſibi ex ſpeculatoribus (q) cognitum, Jugurtham haud procul abeſſe; ſimul, uti noctu clam ſecum profugeret, rogat, atque hortatur.* Ille animo feroci negat, *ſe totiens fuſum Numidam pertimeſcere: virtuti ſuorum ſatis credere:* ETIAM SI *certa peſtis adeſſet, manſurum potius, quam, proditis quos ducebat, turpi fuga incertæ, ac forſitan paullo poſt morbo interituræ vitæ parceret.* Ceterum ab eodem monitus, *uti noctu proficiſcerentur,* conſilium adprobat: ac ſtatim milites cœnatos eſſe in caſtris, igneſque (*r*) quam creberrumos fieri, dein prima vigilia ſilentio egredi jubet. Jamque nocturno itinere feſſis omnibus, Sylla pariter cum ortu Solis caſtra metabatur; cum equites Mauri nuntiant, *Jugurtham, circiter duûm millium intervallo, ante eos (s) conſediſſe.* Quod poſtquam auditum eſt, tum vero ingens metus noſtros invadit: credere ſe proditos à Voluce, & inſidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent, *manu vindicandum, neque apud illum tantum ſcelus inultum relinquendum.*

Volux dubiæ fidei apud Syllam.

CIII. At Sylla, quamquam eadem exiſtumabat, tamen ab injuria Maurum prohibet: ſuos hortatur, *uti fortem animum gererent: ſæpe ante paucis ſtrenuis adverſus multitudinem bene pugnatum: quanto ſibi in prælio minus pepercſſent, tanto*

Syllæ magnanimitas.

(*a*) al. *ante.* (*b*) al. hybernaculis. (*c*) al. omnes. (*d*) al. pergunt. (*e*) al. poſtquam confecto. (*f*) al. ad ſe venire. (*g*) al. omnes... ordines. (*h*) al. pauci vero ferocius. (*i*) al. ſemper. (*k*) al. lubens accepit. (*l*) al. deplorati. (*m*) al. *meruerit.* (*n*) al. Baleariorum. (*o*) al. adverſus. (*p*) al. vicerant pugnaturis, (*q*) al. *à ſpeculatoribus.* (*r*) al. igniſque. (*s*) alii τὸ *eos* omittunt.

tanto tutiores fore. Nec quemquam DECERE, *qui (t) manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum, & cæcum corpus ad hostis (u) vertere.* Dein Volucem, quoniam hostilia faceret, *Jovem maxumum obtestatus, uti sceleris, atque perfidiæ Bocchi testis adesset;* castris (x) abire jubet. Ille lacrumans orare, *ne ea crederet: nihil dolo factum, ac magis calliditate Jugurthæ: cui videlicet speculanti iter suum cognitum esset. Ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet; & spes, opesque ejus omnes ex patre suo penderent; credere illum nihil palam ausurum, cum ipse filius testis adesset. Quare optumum factu videri, per media ejus castra palam transire; sese, vel præmissis, vel ibidem relictis Mauris, solum cum Sylla iturum.* Ea res, ut in tali negotio probata: ac statim profecti, quia de improviso accesserant, dubio, ac hæsitante Jugurtha, incolumes transeunt. Dein paucis diebus, quo ire intenderant, perventum est.

Sylla Volucem compellit.

Volucis expurgatio.

CAP. CIV. Ibi cum Boccho Numida quidam Aspar nomine, multum, & familiariter agebat, præmissus ab Jugurtha, postquam Syllam accitum audierat, orator, & subdole speculatum Bocchi consilia (y): Præterea Dabar, Massugradæ filius, ex gente Masinissæ, ceterum materno genere impar; (nam pater ejus ex concubina ortus erat) Mauro ob ingenii multa bona carus, acceptusque, quem Bocchus fidum esse Romanis multis antea tempestatibus expertus, illico ad Syllam nuntiatum mittit, *paratum sese facere, quæ Populus Romanus vellet: colloquio diem, locum, tempus, ipse deligeret: consulta (z) sese omnia cum illo integra habere: neu Jugurthæ legatum pertimesceret;* accitum esse, quo res communis licentius gereretur: nam ab insidiis ejus aliter caveri (a) nequivisse. Sed ego comperior, Bocchum magis Punica fide, quam ob ea, quæ prædicabat, simul Romanos, & Numidam spe pacis attinuisse (b): multumque eum animo suo volvere solitum, Jugurtham Romanis, an illi Syllam traderet: lubidinem advorsum nos, metum pro nobis suasisse.

Bocchi Punica fides.

CAP. CV. Igitur Sylla respondit, *pauca se coram Aspare locuturum. Cetera occulte, nullo, aut quam paucissumis præsentibus:* simul edocet, quæ responderentur. Postquam, sicuti voluerant congressi; dicit *se missum à Consule venisse, quæsitum ab eo, pacem, an bellum agitaturus foret.* Tum Rex, uti præceptum fuerat, post diem decimum redire jubet; ac nihil etiam nunc decrevisse, sed illo die responsurum. Dein ambo in castra sua digressi. Sed ubi plerumque noctis processit, Sylla à Boccho occulte accersitur: ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur. Præterea Dabar internuntius, sanctus vir, ex sententia jurat ambobus: ac statim sic rex incipit.

Sylla cum Boccho per interpretem agit.

CAP. CVI. *Numquam ego ratus sum fore, uti rex maxumus in hac terra, & omnium, quos novi, opulentissumus, privato homini gratiam deberem. Et hercule Sylla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum (d), quod ceteri dolere solent, ego lætor. Fuerit mihi pretium eguisse aliquando tuæ amicitiæ, qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri libet: arma, viros, pecuniam, postremo quidquid animo lubet, sume, utere: &, quoad vives, numquam tibi redditam gratiam putaveris. Semper apud me integra erit. Denique nihil me sciente frustra voles. Nam, ut ego existumo,* REGEM ARMIS, *quam munificentia, vinci, minus flagitiosum. Ceterum de Republica vestra, cujus curator huc missus es, paucis accipe. Bellum ego Populo Romano neque feci, neque factum umquam volui. Fines meos advorsum armatos armis tutatus sum. Id omitto; quando vobis ita placet, gerite, uti vultis, cum Jugurtha bellum. Ego flumen Mulucham, quod inter me & Micipsam fuit, non egrediar (e), neque id intrare Jugurtham finam. Præterea, si quid me, vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis.*

Bocchi ad Syllam oratio.

CAP. CVII. Ad ea Sylla pro se breviter, & modice; de pace, & de communibus rebus multis (f) disseruit. Denique regi patefecit, *quod polliceatur, Senatum & Populum Romanum quoniam amplius armis valuissent, non in gratia habituros: faciundum aliquid, quod illorum magis, quam sua retulisse videretur. Id adeo in promptu esse; quoniam copiam Jugurthæ haberet: quem si Romanis tradidisset, fore, ut illi plurimum deberetur: amicitiam, fœdus, Numidiæ partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram.* Rex primum negitare (g): *cognationem, affinitatem, præterea fœdus intervenisse: ad hoc metuere, ne fluxa fide usus, popularium animos averteret: quis & Jugurtha carus, & Romani invisi essent.* Denique sæpius fatigatus, lenitur, & *ex voluntate Syllæ omnia se facturum* promittit. Ceterum ad simulandam pacem, cujus Numida, defessus bello, avidissumus, quæ utilia visa, constituunt. Ita, composito dolo, digrediuntur.

Syllæ responsio.

CAP. CVIII. At rex postero die Asparem, Jugurthæ legatum, appellat; dicitque sibi per Dabarem ex Sylla cognitum, *posse conditionibus bellum poni.* Quamobrem regis sui sententiam exquireret. Ille lætus in castra Jugurthæ proficiscitur (h). Dein, ab illo cuncta edoctus, properato itinere, post diem octavum redit ad Bocchum, & ei nuntiat, *Jugurtham cupere omnia, quæ imperarentur, facere: sed Mario parum fidere: sæpe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam (i) frustra fuisse. Ceterum Bocchus, si ambobus consultum, & ratam pacem vellet, operam daret, ut una ab omnibus, quasi de pace, in colloquium veniretur, ibique Syllam sibi traderet: cum talem virum in potestatem habuisset (k), tum fore, uti jussu Senatus Populique Romani fœdus fieret; neque hominem nobilem non sua ignavia, sed ob Rempublicam in hostium potestate relictum iri.*

Bocchus Jugurthæ insidias tendit.

CAP. CIX. Hæc Maurus secum ipse diu volvens, tandem promisit. Ceterum dolo, an

(t) al. *quem.* (u) al. *hostes.* (x) al. ex castris. (y) al. consilia ierat. (z) al. *consulto.* (a) cavere. (b) al. detinuisse. (c) al. *mehercule.* (d) al. *Id esse immutatum mihi.* (e) al. *transgrediar* (f) al. multa. (g) al. *negare.* (h) al. venit. (i) al. *confectam.* (k) al. *in potestate haberet.*

an vere cunctatus, parum comperimus. Sed PLERUMQUE regiæ voluntates, uti vehementes, sic mobiles, sæpe ipsæ sibi advorsæ. Postea, tempore & loco constituto, uti in colloquium de pace veniretur, Bocchus Syllam modo, modo Jugurthæ legatum appellare: benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter læti, ac spei bonæ pleni esse. Sed ea nocte, quæ proxuma fuit ante diem colloquio decretum, Maurus adhibitis amicis, ac statim immutata voluntate, remotis ceteris, dicitur secum ipse multa agitavisse, vultu, colore, ac motu corporis pariter atque animo varius, quæ scilicet tacente ipso, occulta oris immutatio patefecisse. Tamen postremo Syllam accersiri (*l*) jubet: & ex illius sententia Numidæ insidias tendit. Deinde, ubi dies advenit, & ei nuntiatum est, Jugurtham haud procul abesse; cum paucis amicis, & Quæstore nostro, quasi obvius honoris causa, procedit in tumulum facillumum visu insidiantibus. Eodem Numida cum plerisque necessariis suis inermis, uti dictum erat, accedit; ac statim signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati, (*) Jugurtha Syllæ vinctus traditur, & ab eo ad Marium deductus est.

Tandem Jugurtham Romanis tradit.

CAP. CX. Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris Q. Cæpione, & M. Manlio male pugnatum. Quo metu Italia omnis contremuerat. Illique & usque ad nostram memoriam Romani sic habuere; alia omnia, virtuti suæ prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria certari (*m*). Sed postquam bellum in Numidia confectum, & Jugurtham Romam vinctum adduci nuntiatum est; Marius Consul absens factus est, & ei decreta provincia Gallia; isque Kalendis Januariis magna gloria Consul (**) triumphavit. Ex ea tempestate spes, atque opes civitatis in illo sitæ.


Cum Gallis Romani pro salute non pro gloria certant.

Marius de Jugurtha triumphat.
O. C. 3896.
U. C. 649.
Ol. 169.
a. C. N. 104.


(*l*) al. arcessi. (*m*) al. certare.

(*) Jugurtha Syllæ vinctus traditur & ab eo ad Marium deductus est) Huc refer numum hujus Tom. II. Tab. XVI. num. 1. in cujus aversa traditio hæc Jugurthæ à Boccho Mario facta exprimitur. Conf. OISEL. Thes. Numism. Antiqu. p. 229. Tab. XLIII. num. XII.


(**) Triumphavit) Ad hunc triumphum spectat denarius argenteus Tab. LXX. num. 7. in quo videtur Consul Marius in quadriga cum palmæ ramo, adscripto nomine: C. MARIUS C. F. CONSUL. ab una parte; ab altera parte Jovis Victoris laurea coronatum caput cum Syllæ nomine: L. CORNEL. SULLA P. Q. Conf. GOLTZIUS Fastorum Tab. 157.



C. SAL-



Tab. LXX
ad pag. 663. 669
675. 672. 683.
695. 748.
I
II
III
IV
V
VI
VII
COL. IVL. AVG. CASSANDREN.
S.C.
TVTOR.REG.
PON.MAX.
M.LEPIDVS
COL. AVG. TROA.
COL. DAMA. METRO.
IVPPITER CVSTOS
C.MARIVS
C.F.
COS.



C. SALLUSTII CRISPI HISTORIARUM FRAGMENTA

LIBER I.

REs Populi Romani, M. Lepido, Q. Catulo Cos. ac deinde militiæ, & domi gestas composui. *Donatus & Pomp. Messalinus.*

Cato Romani generis disertissimus multa paucis absolvit. *Servius & Acron.*

Fannius vere. *Victorinus.*

Nos in tanta doctissumorum hominum copia. *Servius.*

Neque me diversa pars in civilibus armis movit à vero. *Arusianus.*

Nobis primæ dissensiones vitio humani ingenii evenere: quod inquies, atque indomitum, semper in certamine libertatis, aut gloriæ, aut dominationis agit. *Priscianus.*

Nam à primordio Urbis ad bellum Persi Macedonicum. *Idem.*

Res Romana plurimum imperio valuit, Ser. Sulpicio & M. Marcello Cos. omnia Gallia cis Rhenum, atque inter mare nostrum, atque Oceanum, nisi quæ à paludibus invia fuit, perdomita. Optumis autem moribus, & maxuma concordia egit Populus Romanus inter secundum atque postremum bellum Carthaginiense. *Victorinus & Augustinus.*

At discordia, & avaritia, atque ambitio, & cetera SECUNDIS rebus oriri sueta mala, post Carthaginis exscidium maxume aucta sunt. Nam injuriæ validiorum, & ob eas discessio plebis à Patribus, aliæque dissensiones domi fuere jam inde à principio: neque amplius, quam regibus exactis, dum metus à Tarquinio & bellum grave cum Etruria positum est, æquo & modesto jure agitatum. Dein, servili imperio Patres plebem exercere: de vita atque tergo regio more consulere; agro pellere, &, ceteris expertibus, soli in imperio agere. Quibus sævitiis, & maxume fenoris onere oppressa plebes, cum assiduis bellis tributum simul & militiam toleraret, armata montem sacrum, atque Aventinum insedit. Tumque Tribunos plebis, & alia sibi jura paravit. DISCORDIARUM, & certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum. *Augustinus.*

Postquam, REMOTO metu Punico, simultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, seditiones, & ad postremum bella civilia orta sunt: dum pauci potentes, quorum in gratia plerique concesserant, sub honesto Patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, bonique & mali cives appellati; non ob merita in Rempublicam, omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissumus, & injuria validior, QUIA præsentia defendebat, pro bono ducebatur. Ex quo tempore majorum mores non paullatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati: adeo juventus luxu atque avaritia corrupta est, ut merito dicatur, GENITOS esse, qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati. *Agellius & Augustinus.*

Igitur venditis proscriptorum bonis, aut dilargitis. *Agellius.*

Id bellum excitabat metus Pompeji victoris Hiempsalem in regnum restituentis. *Idem.*

Maxumeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi. *Donatus & Arusianus.*

Quin lenones & vinarii laniique, quorum præterea vulgus in dies usum habet, pretio compositi. *Carisius.*

Genus armis ferox, & servitii insolitum. *Arusianus.*

M. Æmilii Lepidi Conf. ad P. R. Oratio contra Syllam.

Clementia & probitas vestra, Quirites, quibus per ceteras gentes maxumi, & clari estis, plurimum timoris mihi faciunt, advorsus tyrannidem L. Syllæ: ne aut ipsi, nefanda quæ æstumatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini: præsertim cum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit; neque se aliter tutum putet, quam si pejor, atque intestabilior metu vestro fuerit, quod captivis libertatis curam miseria eximat: aut si provideritis, in tutandis periculis magis, quam in ulciscendo teneamini. Satellites quidem ejus, homines maxumi nominis, non minus optumis malorum exemplis, nequeo satis mirari, dominationis in vos, servitium suum mercedem dant: & utrumque per injuriam malunt, quam optumo jure libere agere: præclara Brutorum, atque Æmiliorum & Lutatiorum proles, GENITI AD EA, quæ majores virtute peperere, subvertunda. Nam quid à Pyrrho, Hannibale, Philippoque & Antiocho defensum est aliud, quam libertas & suæ cuique sedes; neu cui, nisi legibus, pareremus? quæ cuncta sævus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet, non tot exercituum clade, neque Consulis, & aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus; sed tum crudelior, cum PLEROSQUE secundæ res in miserationem ex ira vertunt. Quin solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit: quîs prius injuria quam vita certa esset: pravissumeque PER SCELERIS immanitatem adhuc tutus furit; dum vos, metu gravioris servitii, à repetunda libertate terremini. Agendum atque obviam eundum est, Quirites: ne spolia vestra penes illum sint: non prolatandum, neque votis paranda auxilia: nisi forte speratis, per tædium jam, aut pudorem tyrannidis, esse eum per scelus occupata, periculosius dimissurum. At ille eo processit, uti nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia retinendæ dominationis honesta existumet. Itaque illa quies, & otium cum libertate, quæ multi probi potius, quam laborem cum honoribus, capessebant, nulla sunt. Hac tempestate serviundum, aut imperitandum: habendus metus est, aut faciundus, Quirites. Nam, quid ultro? quæve humana superant, aut divina impolluta sunt? Populus Romanus paullo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, jure, agitandi inops, despectusque ne servilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum, & Latii magna vis, civitate pro multis & egregiis factis, à vobis data, per unum prohibentur: & plebis innoxiæ patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, judicia, ærarium, provinciæ, reges, penes unum; denique necis civium, & vitæ licentia. Simul humanas hostias vidistis, & sepulcra infecta sanguine civili. Est ne viris reliqui aliud, quam solvere injuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem UNUM OMNIBUS finem natura vel ferro septis statuit: neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus, nisi muliebri ingenio, exspectat. Verum ego seditiosus, uti Sylla ait, quia jura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi, satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, scriba Cornelius, aliena bene parata prodegerint: nisi approbaveritis omnis proscriptiones innoxiorum: ob divitias: cruciatus virorum illustrium: vastam Urbem fuga, & cædibus: bona civium miserorum, quasi Cimbricam prædam, venum, aut dono datam. At objectat mihi possessionem ex bonis proscriptorum: quod quidem SCELERUM illius vel maxumum est, non me, neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quæ tum formidine mercatus sum, pretio soluto, jure, dominis tamen restituo: neque pati consilium est, ullam ex civibus prædam esse. Satis illa fuerint, quæ, rabie contracta, toleravimus, manus conferentes inter se Romanos exercitus, & arma ab externis in nosmet versa. Scelerum & contumeliarum omnium finis sit: Quorum adeo Syllam non pœnitet, uti & facta in gloria numeret, &, si liceat, avidius fecerit. Neque jam, quid existumetis de illo, sed quantum vos audeatis vereor: ne, alius alium principem exspectantes, ante capiamini, non opibus ejus, quæ futiles & corruptæ sunt, sed vestra socordia, quam captum iri licet, & quam audeat, jam videri felicem. Nam PRÆTER SATELLITES commaculatos, quis eadem vult? aut quis non omnia mutata, præter victoriam? scilicet milites: quorum sanguine, Tarrulæ, Scyrroque, pessumis servorum, divitiæ partæ sunt. An, quibus prælatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera & labores, nihil præter tyrannum quæsitum est. Nisi forte tribuniciam potestatem eversum profecti sunt per arma, conditam à majoribus suis: utique jura & judicia sibimet extorquerent: egregia scilicet mercede, eum relegati in paludes & silvam, contumeliam atque invidiam suam, præmia penes paucos intelligerent. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? quia SECUNDÆ RES mire sunt vitiis obtentui: quibus labefactatis, quam formidatus antea est, tam contemnetur: nisi forte specie concordiæ & pacis, quæ sceleri & parricidio suo nomina indidit. Neque aliter Populo Romano esse belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, præda civilis acerbissuma, jus, judiciumque omnium rerum penes se, quod Populi Romani fuit. Quæ, si vobis pax, & concordia intelliguntur, maxuma turbamenta Reipublicæ, atque exitia probate: annuite legibus impositis, accipite otium cum servitio: & tradite exemplum posteris ad Populum Romanum suimet sanguinis cæde circumveniendum. Mihi, quamquam per hoc summum imperium satis quæsitum erat nomini majorum, dignitati, atque etiam præsidio; tamen non fuit consilium, privatatas opes facere; POTIORQUE visa est periculosa libertas,

quieto

quieto servitio. Quæ si probatis, adeste Quirites; &, bene juvantibus Diis, M. Æmilium Consulem ducem & auctorem sequimini ad recipiundam libertatem.

Tunc vero & posci. Cum ceteri ejusdem causæ, ducem Senatus rati, maxumo gaudio bellum irritare. *Nonius, irritare, provocare.*

Curionem quæsivit, uti adolescentior, & populi suffragiis integer, ætati concederet Mamerci. *Priscianus Lib. X.*

Philippus, qui ætate & consilio ceteros anteibat. *Servius Lib. IX.*

Oratio L. Philippi contra Lepidum.

Maxume vellem, P. C. Rempublicam quietam esse, aut in periculis à promptissumo quoque defendi: denique prava incœpta consultoribus noxæ esse. Sed contra, seditionibus omnia turbata sunt, & ab iis, quos prohibere magis decebat. Postremo, QUÆ PESSUMI & stultissumi decrevere, ea bonis & sapientibus faciunda sunt. Nam bellum, atque arma, quamquam vobis invisa, tamen quia Lepido placent, sumenda sunt. Nisi forte cui pacem præstare, & bellum pati consilium est. Pro, dii boni, qui hanc Urbem, omissa cura, adhuc regitis; M. Æmilius omnium flagitiosorum postremus, qui pejor an ignavior sit, deliberari non potest; exercitum opprimundæ libertatis habet, & se è contempto metuendum effecit: vos mussantes: & retractantes verbis, & vatum carminibus, PACEM optatis magis quam defenditis: neque intelligitis MOLLITIA decretorum, vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id jure, quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob benefacta cœpisset, cujus sceleribus tanta præmia tribuistis? At scilicet, ii, qui ad postremum usque, legatos, pacem, concordiam, & alia hujuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperere. Immo despecti & indigni Republica habiti, prædæ loco æstumantur: quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem à principio, cum Etruriam conjurare, proscriptos accersiri largitionibus. Rempublicam lacerari videbam; maturandum putabam, & Catuli consilia cum paucis secutus sum. Ceterum illi, qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant, & ignoscendo Populi Romani magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum videbant; cum privata arma opprimundæ libertatis cœpisset, sibi quisque, opes, aut patrocinia quærendo, consilium publicum corruperunt. At tum erat Lepidus latro cum calonibus, & paucis sicariis; quorum nemo non diurna mercede vitam mutaverit: nunc est Proconsul cum imperio, non empto, sed dato à vobis, cum legatis adhuc jure parentibus: & ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissumi; flagrantes inopia & cupidinibus, SCELERUM conscientia exagitari; quibus quies, in seditionibus, in pace, turbæ sunt: hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt. Saturnini olim, post Sulpicii, dein Marii, Damasippique, nunc Lepidi satellites. Præterea Etruria, atque omnes reliquiæ belli arrectæ: Hispaniæ armis sollicitatæ: Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit: quin PRÆTER IDONEUM ducem, nihil abest ad subvertendum imperium. Quod ego vos oro, atque obsecro P. C. ut animadvertatis; neu patiamini licentiam scelerum, quasi rabiem, ad integros contactu procedere. NAM, UBI MALOS præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. An exspectatis, dum exercitu rursus admoto, ferro, atque flamma Urbem invadat? quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu, quam ex pace & concordia ad arma civilia: quæ ille advorsum divina & humana omnia cœpit, non pro sua, aut quorum simulat injuria, sed legum ac libertatis subvertundæ. ANGITUR enim ac laceratur animi cupidine, & noxarum metu, expers consilii, inquies: hæc atque illa tentans, metuit otium, odit bellum; luxu atque licentia carendum videt, atque interim abutitur vestra socordia. Neque mihi satis consilii, metum, an ignaviam, an dementiam eam appellem: qui VIDEMINI intenta mala quasi fulmen optare se quisque ne attingat, sed prohibere ne conari quidem. Et quæso considerate, quam conversa rerum natura sit. Antea malum publicum, occulte; auxilia palam instruebantur, & eo boni malos facile anteibant. Nunc pax & concordia disturbantur palam, defenduntur occulte. Quibus illa placent, in armis sunt; vos, in metu. Quid exspectatis? nisi forte pudet, aut piget recte facere. An Lepidi mandata animos movent? qui placere ait sua cuique reddi, & aliena tenet: belli jura rescindi, cum ipse armis cogat: civitatem confirmari, qui ademptam negat: concordiæ gratia plebei tribunitiam potestatem restitui, ex qua omnes discordiæ accensæ. Pessume omnium, atque impudentissume, tibi ne egestas civium, & luctus curæ sunt, cui nihil est domi, nisi armis partum, aut per injuriam? alterum consulatum petis, quasi primum reddideris: bello concordiam quæris, quo parta disturbatur: nostri proditor, istis invidus, hostis omnium bonorum, ut te neque hominum, neque Deorum, pudet, quos perfidia aut perjurio violasti! qui, quando talis es, maneas in sententia, & retineas arma, te hortor: neu prolatandis seditionibus inquies ipse, nos in solicitudine retineas. Neque te provinciæ, neque leges, neque Dii penates civem patiuntur. PERGE, qua cœpisti, ut quam maturrume merita invenias. Vos autem, P. C. quousque cunctando Rempublicam intutam patiemini, & verbis arma tentabitis? delectus advorsum vos habiti; pecuniæ publice, & privatim extortæ; præsidia deducta atque imposita; ex lubidine leges imperantur: cum interim vos, legatos & decreta paratis. Et, QUANTO mehercule, avidius, pacem petieritis, tanto bellum acrius erit; cum intelliget se metu magis, quam æquo & bono sustentatum. Nam, qui turbas, & cedem civium odisse ait, & ob id armato Lepido vos inermes retinet, quæ victis toleranda sunt, ea, cum facere possitis, patiamini potius censet. Ita illi à vobis pacem, vobis ab illo bellum suadent. Hæc si placent, si tanta torpedo animos oppressit, ut obliti scelerum Cinnæ, cujus in Urbem reditu, decus, atque ordines omnes

omnes interierunt, nihilo minus vos, atque conjuges, & liberos, Lepido permissuri sitis; quid opus decretis? quid auxilio Catuli? quinis & alii boni Rempublicam frustra curant. Agite, uti lubet, parate vobis Cethegi, atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas & incendia instaurare cupiunt, & rursum adversum Deos penates manus armare. Sin libertas & bella magis placent; decernite digna nomine, & augete ingenium viris fortibus. Adest novus exercitus, &, ad hoc, coloniæ veterum militum, nobilitas omnis, duces optumi, FORTUNA meliores sequitur. Jam illa, quæ collecta sunt socordia nostra dilabentur. Quare ita censeo, quoniam Lepidus exercitum privato consilio, paratum cum pessumis, & hostibus Reipublicæ contra hujus ordinis auctoritatem ad Urbem ducit; uti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo Proconsule, & ceteris quibus imperium est, Urbi præsidio sint; operamque dent, ne quid Respublica detrimenti capiat.

Uti Lepidus, & Catulus decretis exercitibus maturrume proficiscerentur. *Carisius Lib. II.*

M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso, segnior neque minus gravis, sed multiplex cura Patres exercebat. *Servius. Marius Victorinus in Ciceronem.*

Obviam ire, & commori hostibus. *Arusianus Messus.*

Lepidus pœnitens consilii. *Carisius Lib. III.*

Sic vero quasi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere. *Nonius, competere, rei cujusque meminisse, aut constanter valere.*

Prudens omnium, quæ Senatus censuerat. *Arusianus.*

Magnis operibus profectus, obsidium cepit, per L. Catilinam legatum. *Festus.*

Domitium Proconsulem ex citeriori Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, arcessivit. *Priscianus Lib. X. arcessivit & lacessivit.*

Sanctus aliter, & ingenio validus. *Carisius Lib. I. aliter, pro alias.*

Gens raro egressa finis suos. *Servius ad Lib. XI. Æneidos. Arusianus Messus.*

Nisi cum ira belli desenuisset. *Priscianus Lib. X*

Maturaverunt exercitum Dyrrachium cogere. *Arusianus Messus.*

Illo profectus, vicos, castellaque incendere, & fuga cultorum deserta, igni vastare: neque elato, aut securo esse animo, metu gentis ad furta belli peridoneæ. *Nonius. Servius ad XI. Æneidos.*

Liberis ejus avunculus erat. *Donatus ad Phormionem Terentii.*

Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros. *Arusianus Messus.*

Insanum aliter sua sententia, atque aliarum mulierum. *Carisius Lib. I.*

Recens scripsi: *Donatus Phorm. Act. V. Scena VIII.*

Solis viis. *Priscianus Lib. X. Servius II. Georg. Virg. Diomed. Lib. I. cap. IV.*

Jussu Metelli, cornicines occanuerunt. *Priscianus Lib. X. Servius II. Georg. Virg. Diomed. Lib. I. Cap. XV.*

Nexuit catenæ modo. *Priscianus Lib. X.*

Doctus militiam. *Arusianus Messus.*

Neque se recipere, aut instruere prælio quivere. *Priscianus Lib. X.*

Equi sine rectore exterriti, aut saucii consternantur. *Idem Lib. IV.*

Occupatusque collis editissumus apud Hilerdam: & cum multa opera circumdata. *Priscianus Lib. V.*

At inde nulla munitionis, aut requie mora, processit ad oppidum. *Priscianus Lib. XVIII. requie, pro requiei.*

Agreste. *Carisius Lib. I.*

Ardebat omnis Hispania citerior. *M. Fabius Victorinus invent. Ciceronis Lib. I.*

* & ponere validam urbem multos dies restantem pugnando vicit. *Nonius.*

Itaque Sertorius, levi præsidio relicto in Mauritania, nactus obscuram noctem, æstu secundo, furtivaque celeritate, vitare prælium in transgressu conatus est. *Agellius Lib. X. Cap. XXVI. Nonius Marcellus.*

Transgressos omnis, recipit mons Ballera, præceptus à Lusitanis. *Idem ibidem.*

Earum aliæ paullulum progressæ, nimio simul & incerto onere, cum pavor corpora agitaverat, deprimebantur. *Idem.*

Locum editiorem, quam victoribus decebat, capit. *Servius VIII. Æneidos, Arusianus Messus.*

Et mox Fufidius adveniens cum legionibus, postquam tantas asperitates, haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti quam suis opportuniora videt. *Nonius.*

Cum Sertorius neque erumperet, tam levi copia navibus fugam maturabat. *Servius Fuldanus. Messus.*

Itineris eorum Metellus per literas gnarus. *Arusianus.*

Itaque Servilius ægrorum Tarenti collegam prior transgressus, iter vortit ad Corycum urbem inclutam: pastusque nemore, in quo crocum gignitur. *Priscianus. Nonius.*

Ad Olympum atque Phaselida. *Priscianus.*

Apud Corycum. *Idem.*

Apud Læte oppidum, cui nomen oblivionis condiderant. *Idem. Servius ad I. Æneidos.*

Repulsus à Læte oppido. *Idem. Priscianus.*

Apud Mutinam. *Idem.*

Apud Præneste locatus. *Idem.*

Medio diei. *Messus.*

Quietam à bellis civitatem. *Idem.*

Militiæ peritus. *Idem.*

Sertorius portis turbam morantibus, & NULLO, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine per calonum corpora, ad medium quasi deinsuper adstantium manibus in murum attollitur. *Nonius. Servius.*

Neque detrusus aliquotiens terretur. *Priscianus Lib. XV.*

Dubitavit acie pars. *Idem.*

Quos inter maxume. *Carisius.*

Rumore primo. *Idem.*

Idem fecere Octavius & Q. Cæpio sine gravi cujusquam exspectatione, neque sane ambiti publici. *Servius ad Lib. IV. Æneidos: Ambire significat & rogare. Sallustius in Jugurtha: Quos ego audio ambire, fatigare vos singulos. Dicebatur & ambio illum, pro rogo. Sallustius Hist. I. Idem fecere, &c.*

Cum

Cum aræ & alia diis sacrata, supplicum sanguine fœdarentur. *Idem.*

Postremo ipsos colonos per miserias & incerta humani generis orare. *Idem ad illud XI. Æneidos.*

- - - - - *per eversæ genitor fumantia Trojæ Excidia obtestor.*

Ea paucis, quibus peritia & verum ingenium est, abnuentibus. *Idem.*

Perpenna tam paucis profectus vera est æstimanda. *Idem ad XII. Æneidos.*

C. SALLUSTII CRISPI
HISTORIARUM FRAGMENTA
LIBER II.

Sardinia in Africo mari facie vestigii humani, in orientem, quam in occidentem latior prominet. *Agellius Lib. XIII. Cap. XVIII. Nonius: Faciem totius corporis formam, πρόσωπον, id est, os, posuit antiquitas prudens; ut ab aspectu species, & à fingendo figura, ita à factura corporis facies. Sallustius Hist. Lib. II. Sardinia &c. Isidorus.*

Inde Ichnusa appellata. *Solinus.*

Dubium an insula sit, quod Euri, atque Austri superjactis fluctibus, circumlavit. *Nonius, lavit, prolavat.*

Nam Syllam Consulem de reditu ejus legem ferentem ex composito trib. pl. C. Herennius prohibuerat. *Agellius Lib. X. Cap. XX.*

Nam procul, & diversis ex regionibus. *Carisius. Asper, procul, inquit, est è loco.*

Obviam fuere. *Carisius ibidem. Asper, ait, vetuste* obviam fuere, *adverbio quam nomine uti maluit.*

Urbe, patriaque extorres. *Messus.*

Genus militum suetum à pueritia latrociniis. *Idem.*

Inter læva mœnium, & dextrum flumen Turiam, quod Valentium parvo intervallo præterfluit. *Priscianus Lib. V. & VI. Turiam dixit, qui accusativus generis masculini est, non neutri.*

Ita fiducia, quam argumentis, purgatiores dimittuntur. *Donatus Phorm. Act. I. sc. III. & Hecyr. Act. IV. sc. IV. Nonius. Fiducia est audacia. Servius*

Antequam regressus Sertorius instrueret pugnæ suos. *Arusianus.*

Ipse animo atrox. *Idem.*

Copiis integra. *Idem.*

Eodem anno in Macedonia C. Curio, principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit modis dictas pecunias coëgit. *Nonius, dicere est promittere.*

Post, ubi fiducia nimius. *Arusianus.*

Sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope littora regebat Corsa nomine Ligus mulier. *Priscianus Lib. VI.*

Nam quædam Corsa nomine Ligus mulier cum taurum ex grege, quem prope littora regebat, transnatare solitum, atque per intervalla corpore aucto remeare videret, cupiens scire incognita sibi pabula, taurum à ceteris degredientem usque ad insulam navigio prosecuta est. Cujus regressu insulæ fertilitatem cognoscentes Ligures, ratibus eo profecti sunt, eamque nomine mulieris auctoris & ducis appellaverunt. *Isidorus Lib. XIV. cap. 6.*

Ne illa tauro parata sint. *Donatus Act. IV. sc. II. Andriæ.*

Dædalum ex Sicilia profectum, cum Minois fugeret iram, atque opes. *Priscianus Lib. VI. Servius.*

Quem ex Mauritania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat. *Priscianus Lib. I.*

Quos advorsum multi ex Bithynia volentes occurrere, falsum filium arguituri. *Priscianus Lib. X.*

Ut actione desisteret. *Messus.*

Vespera. *Carisius Lib. II.*

Argentum mutuum arcessivit. *Priscianus Lib. X.*

Eam deditionem Senatus, per nuntios Orestis cognitam, approbat. *Priscianus Lib. VI.*

Nisi qua flumen Lurda Tauro monte defluens. *Idem ibidem.*

Frugum, pabulique lætus ager. *Arusianus. Servius Lib. I. Æneidos.*

Neque virgines nuptum à parentibus mittebantur, sed ipsæ belli promptissumos delegebant. *Messus.*

Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem, *Donatus Phorm. Act. I. Sc. II.*

Noctu, diuque stationes, & vigilias tentare. *Carisius Lib. II.*

At Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat. Multique commeatus interierant insidiis latronum. *Priscianus Lib. VII. & Nonius.*

Namque primum Jasonem novo itinere maris Æetæ hospitis domum violasse. *Priscianus Lib. VIII.*

Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadir habent. *Priscianus Lib. V.*

Neque subsidiis, uti solverat, compositis. *Priscianus Lib. X.*

Neque inermes ex prælio viros quemquam agnoturum. *Idem ibidem.*

Ea continentia vir gravis, & nulla arte cuiquam inferior. *Arusianus. Nonius in Gravis.*

Omnes qui circum sunt, præminent altitudine millium passuum duorum. *Arusianus.*

Et Pœni ferunt adverſus A. N. C. M. *Donatus.*

Quia corpore, & lingua percitum, & inquietem, nomine hiſtrionis vix ſani, Barbuleium appellabant. *Priſcianus Lib. VI.*

Audaciter. *Idem XV.*

Ibi Fimbriana ſeditione, qui regi per obſequelam orationis, & maxume odium Syllæ, graves, carique erant. *Nonius.*

Mœnibus deturbat. *Nonius, deturbare.*

E muris canes ſportis demittebant. *Idem.*

Ad hoc rumoribus, advorſa in pravitatem; ſecunda in caſum; fortunam in temeritatem declinando, corrumpebant. *Idem.*

At Metellus in ulteriorem Hiſpaniam poſt annum regreſſus; magna gloria concurrentium, undique virile & muliebre ſecus, per vias ac tecta omnium viſebatur; cum quæſtor C. Urbinus, aliique, cognita voluntate, eum ad cœnam invitaverant; ultra Romanorum, & mortalium etiam morem curabant, exornatis ædibus per aulæa & inſignia, ſceniſque ad oſtentationem hiſtrionum fabricatis: ſimul croco ſparſa humus, & alia, in modum templi celeberrumi. Præterea cum ſedenti tranſenna demiſſum Victoriæ ſimulacrum cum machinato ſtrepitu tonitruum coronam capiti imponebat: tum venienti thure quaſi Deo ſupplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat ei accumbenti: epulæ quæſitiſſumæ, neque per omnem modo provinciam, ſed trans maria, ex Mauritania volucrum & ferarum incognita antea plura genera. Quibus rebus, aliquantam partem gloriæ dempſerat, maxume apud veteres & ſanctos viros, ſuperba illa, gravia, indigna Romano imperio exiſtumantes. *Macrob. Saturnal. Lib. III. Cap.* 13. *Nonius Soſipater Lib. I.*

Ruuntque pars magna ſuiſmet, aut proxumorum telis, ceteri vice pecorum obtruncabantur. *Nonius.*

Occurrere duci, & prælium accendere, adeo uti Metello in ſagum Hirtulejo in brachium tela venirent. *Idem.*

Avidiſque ita, promptiſque ducibus, uti Metellus ictu tragulæ ſauciaretur. *Idem.*

Sed Metellus in vulnere. *Donatus Act. V. ſc. II. And.*

Primo incidit forte per noctem in renunculo piſcantis. *Nonius.*

Ad hoc pauca piraticæ adjungit actuaria navigia. *Idem in, Piraticæ naviculæ.*

Omnia ſacrata corpora in ratem impoſuiſſe. *Aruſianus.*

Suos equites hortatus vado tranſmittit. *Idem.*

Ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur. *Donatus Adelph. Act. III. ſc. II.*

Circumventi dextra, unde ferrum erat, ſaxa, aut quid tale capiti affligebant. *Aruſianus.*

Sed Metellus in ulteriore provincia. *Donatus ad Phorm. Act. I. ſc. IV.*

Immane quantum animi exarſere. *Nonius.*

At illi quibus res incognita erat, ivere cuncti ad portas incognita tendere. *Servius F. Urſini*

Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit. *Servius Fuldanus.*

C. SALLUSTII CRISPI
HISTORIARUM FRAGMENTA
LIBER III.

EXaudirique ſonus Bacchanaliorum. *Macrob. Lib. I. Cap.* 4. *Saturnal. Nonius.*

Diverſa, uti ſolet rebus perditis, capeſſunt. Namque alii fiducia gnaritatis locorum inoccultam fugam ſparſi: alii, globis eruptionem tentavere. *Priſcianus Lib. X. Nonius.*

Unus conſtitit in agro Lucano, gnarus loci, nomine Publipor. *Idem Lib. VI. Probus Catholicis.*

Male jam aſſuetum ad omnis vis controverſiarum. *Priſcianus Lib. VI.*

Conjuratione claudit. *Idem Lib. X.*

Quaſi par in oppido feſtinatio, & ingens terror erat, ne ex altere nova munimenta madore infirmarentur. Nam mœnia oppidi ſtagnabant, redundantibus cloacis adverſo æſtu maris. *Nonius in Mador.*

Equis, & armis decoribus cultus. *Priſcianus Lib. VI.*

Dedecores, inultiſque, terga ab hoſtibus cædebantur. *Idem.*

Contra ille calvi ratus, quærebat num ſomnio theſaurus portenderetur. *Idem Lib. VIII. Nonius in Calvitur.*

Parte conſumpta, reliqua cadaverum ad diuturnitatem uſus fallerent. *Priſcianus Lib. X.*

Epiſtola Cn. Pompeji ad Senatum.

Si advorſus vos, patriamque, & Deos penates, totiens labores & pericula ſuſcepiſſem, quotiens à prima adoleſcentia ductu meo ſceleſtiſſumi hoſtes fuſi, & vobis ſalus quæſita eſt: nihil amplius in abſentem me ſtatuiſſetis, quam adhuc agitis Patres Conſcripti; quem contra ætatem projectum ad bellum ſæviſſumum, cum exercitu optume merito, quantum eſt in vobis, FAME, miſerruma omnium morte, confeciſtis. Hac in ſpe Populus Romanus liberos ſuos ad bellum miſit? Hæc ſunt præmia pro vulneribus, & totiens ob Rempublicam fuſo ſanguine? Feſſus ſcribendo, mittundoque legatos, omnis opes & ſpes privatas meas conſumpſi: cum interim à vobis per triennium vix annuus ſumptus datus eſt. Per Deos immortalis, UTRUM CENSETIS me vicem ærarii præſtare, an exercitum ſine frumento & ſtipendio habere poſſe? equidem fateor, me ad hoc bellum majore ſtudio, quam conſilio, profectum: quippe qui nomine modo imperii à vobis

vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi; hostisque in cervicibus jam Italiæ agentis ab Alpibus in Hispaniam summovi. Per eas, iter aliud atque Hannibal, nobis opportunius patefeci. Recepi Galliam, Pyrenæum, Lacetaniam, Ilergetum: & primum impetum Sertorii victoris novis quidem militibus, & multo paucioribus sustinui: hiememque in castris inter sævissumos hostis, non per oppida, neque ex ambitione mea, egi. Quid dein prælia, aut expeditiones hybernas, oppida excisa, aut recepta enumerem? quando RES PLUS valent quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Durium, & dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia, & exercitu deleti, satis clara vobis sunt: pro quîs, ô grati Patres egestatem, & famem redditis. Itaque meo & hostium exercitui par conditio est. Namque stipendium neutri datur: victor uterque in Italiam venire potest. Quod, ego vos moneo, quæsoque, ut animadvortatis; neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere, Hispaniam citeriorem, quæ non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus; præter maritumas civitates, quæ ultro nobis sumptui, onerique. Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit: & nunc malis fructibus, ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi. Reliqui vos estis: qui nisi subvenitis, invito & prædicente me, exercitus hinc, & cum eo omne bellum Hispaniæ in Italiam transgredietur.

Namque his, præter solita, vitiosis magistratibus, cum per omnem provinciam infecunditate biennii proxumi grave pretium fructibus esset. *Nonius.*

Hi saltibus occupatis, tum externorum agros invasere: frumentique ex inopia gravi satias facta. *Idem, Sias pro satietas.*

Neque jam sustineri poterat immensum aucto mari, & vento gliscenti. *Idem.*

Ac tum maxume, uti solet EXTREMIS in rebus, sibi quisque carissumum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia sequi. *Idem, Munia, officia.*

Et forte in navigando cohors una, grandi faselo vecta, à ceteris deerravit, marique placido à duobus prædonum myoparonibus circumventa. *Idem in voce Faselus, & Myoparo.*

Eum, atque Metrophanem Senatus magna industria perquirebat, cum per tot scaphas, quas ad ostia cum paucis fidis percunctatum miserant. *Idem, & Carisius Lib. I.*

Duos quam maxumos utres levi tabulæ subjecit: qua super omni corpore quietus, invicem tractu pedis quasi gubernator existeret: ea inter molem, atque insulam mari vitabundus classem hostium, ad oppidum pervenit. *Idem.*

Nam qui enare conati fuerant, icti sæpe ferramentis navium, aut vulnerati à suis, aut afflicti alveos undarum vi, multato fœde corpore, postremo tamen periere. *Idem, Arusianus Messus.*

Nam tertia tunc erat, & sublima nebula cœlum obscurabat. *Nonius.*

Illum nautis forum. *Idem.*

Oratio M. Lepidi tribuni plebis ad plebem.

Si, Quirites, parum existumaretis, quid inter jus à majoribus relictum vobis, & hoc à Sylla paratum servitium interesset, multis mihi disserendum fuisset, docendumque, quas ob injurias, & quotiens à patribus armata plebes secessisset; utique vindices paravisset omnis juris sui tribunos plebis. Nunc hortari modo reliquum est, & ire primum via, qua capessundam arbitror libertatem. Neque me præterit, quantas opes nobilitatis, solus, impotens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam; quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. Sed præter spem bonam ex vobis, quæ metum vicit, statui CERTAMINIS advorsa, pro libertate potiora esse forti viro, quam omnino non certavisse. Quamquam omnes alii creati pro jure vestro vim cunctam, & imperia sua gratia, aut spe, aut præmiis in vos convortere; meliusque habent, mercede delinquere, quam gratis recte facere, Itaque omnes concessere jam in paucorum dominationem, qui per militare nomen, ærarium, exercitus, regna, provincias occupavere, & arcem habent ex spoliis vestris: cum interim more pecorum vos multitudo singulis habendos, fruendosque præbetis, exsuti omnibus, quæ majores reliquere: nisi quia vosmet ipsi per suffragia, ut præsides olim, nunc dominos destinatis. Itaque concessere illuc omnes: & mox si vestra receperitis, ad vos redibunt plerique. Rarus enim animus est ad ea, quæ placent, defendenda. Cetera validiorum sunt. An dubium habetis, ne officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos socordesque pertimuere? nisi forte C. Cotta ex factione media Consul, aliter quam metu jura quædam tribunis plebis restituit, & quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunitia loqui ausus, mussantibus vobis circumventus erat: tamen prius illi invidiam metuere, quam vos injuriæ pertæsum est. Quod ego nequeo satis mirari, Quirites. Nam spem frustra fuisse intellexistis. SYLLÀ MORTUO: qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis. Ortus est longe sævior Catulus. Tumultus intercessit Bruto, & Æmilio Mamerco Coss. dein C. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium, vidistis: quantæ denique nunc mihi turbæ concitantur! quæ profecto incassum agerentur, si, prius quam vos serviundi finem, illi dominationis facturi erant: præsertim cum his civilibus armis dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia, aut odio, aut avaritia in tempus arsere. Permansit una res modo, quæ utrimque quæsita est: & erepta in posterum vis tribunitia, telum à majoribus libertati paratum. Quod ego vos moneo, quæsoque ut animadvertatis: NEU NOMINA RERUM ad ignaviam mutantes, otium pro servitio appelletis. Quo jam ipso frui, si vera & honesta flagitium superaverit, non est conditio: fuisset; si omnino quiessetis, nunc animum aduortite: &, nisi viceritis, QUONIAM omnis injuria gravitate tutior est, arctius habebunt.

Quid censes igitur? aliquis vestrum subjecerit. Primum omnium, omittundum morem hunc quem agitis, impigræ linguæ, animi ignavi, non ultra concionis locum memores libertatis. Dein ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunis plebei mandando patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia majores vestri paravere: quamvis, Quirites, in vobis sit, uti; quæ jussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere, aut non agere certe possitis. Jovem aut alium quem Deum consultorem exspectatis? magna illa Consulum imperia & patrum decreta, vos exsequendo rata efficitis, Quirites: utroque licentiam in vos auctum, atque adjutum properatis. Neque ego vos ultum injurias hortor; magis uti requiem capiatis: neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens, jure gentium res repeto: &, si pertinaciter retinebunt, non arma, neque secessionem, tantummodo, ne amplius sanguinem vestrum præbeatis, censeo. Gerant, habeantque suo modo imperia; quærant triumphos: Mithridatem, Sertorium & reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis. ABSIT periculum & labos, quibus nulla pars fructus est; nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur. Qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstumavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carere. Namque ut illis exiguitate mors prohibetur; senescunt vires: sic neque absolvit cura familiari tam parva res: & ignavissumi quique tenuissuma spe frustrantur: quæ tamen quamvis ampla, quoniam servitii pretium ostentarentur, cujus torpedinis erat decipi, & vestrarum rerum ultro injuria gratiam debere? Namque alio modo, neque valent in universos, neque conabuntur. Cavendus tamen dolus est. Itaque simul comparant delenimenta, & differunt vos in adventum Cn. Pompeji: quem ipsum ubi pertimuere, sublatum in cervices suas, mox dempto metu lacerant. Neque eos pudet vindices, uti se ferunt, libertatis tot viros sine uno, aut remittere injuriam non audere, aut jus non posse defendere. Mihi quidem satis spectatum est, Pompejum tantæ gloriæ adolescentem, malle principem volentibus vobis esse, quam illis dominationis socium, auctoremque in primis fore tribunitiæ potestatis. Verum, Quirites, ANTEA SINGULI cives in pluribus, non in uno cuncti præsidia habebatis: neque mortalium quisquam dare, aut eripere, talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum est. Neque enim ignorantia res claudit. Verum occupavit vos nescio quæ torpedo, quia neque gloria movemini, neque flagitio; cunctaque præsenti ignavia mutastis: abunde libertatem rati: quia tergis abstinetur, & huc ire licet atque illuc, munere ditium dominorum. Atque hæc eadem non sunt agrestibus; sed cæduntur inter potentium inimicitias, donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur, & vincitur à paucis: plebes, quodcumque accidit, pro victa est: & in dies magis erit: si quidem majora cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.

Postquam egressus angustias. Messus.

Ad Cyzicum perrexit firmatus animi. *Ex eodem.*

Ut sustinere corpora plerique nequeuntes, fessi, arma sua quisque stantes incumberent. *Idem & Servius.*

Ac statim fugitivi, contra præceptum ducis, rapere ad stuprum virgines matronasque. *Nonius.*

Quibus à Sertorio triplices insidiæ per idoneos saltus positæ erant: prima, quæ fonte venientes exciperet.

Ingens ipse virium, atque animi. *Arusianus.*

Locum nullum, nisi in quo armati institissent. *Idem.*

At Oppius postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus, à Cotta, Vulscioque impeditur. *Nonius.*

Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. *Idem.*

Sed Pompejus à prima adolescentia, sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta, consultaque ejus quidem æmulus erat. *Nonius.*

Dubius consilii. *Arusianus.*

Post reditum eorum, quibus Senatus belli Lepidani gratiam fecerat. *Idem.*

Quod ubi frustra tentatum est, socordius ire milites occœpere; non aptis armis, uti in principio & laxiore agmine. *Nonius.*

Atque eum curio laudatum, accensumque præmiorum spe, quibus cum optavisset, ire jubet. *Idem.*

Eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo sanguine suorum defensus, postquam ex sarcinis paludamenta adstari, & delectæ cohortes intelligi cœpere. *Idem.*

Si nihil ante adventum suum inter plebem & patres convenisset, coram se daturum operam. *Priscianus Lib. XIV.*

Fine inguinum ingrediuntur mare. *Arusianus.*

M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus, vacuusque curis, nisi instantibus. *Idem.*

Muros successerant. *Idem.*

Saxaque ingentia, & axe vinctæ trabes per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum ericii militaris veruta binum pedum. *Nonius. Servius.*

Octavium mitem, & captum pedibus. *Arusianus.*

Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis, in summo Antonius, & infra, scriba Sertorii Versius: & alter scriba Mæcenas in imo; medius inter Tarquitium, & dominum Perpernam. *Nonius. Servius.*

Quarum unam epistolam forte cum servo nacti prædatores Valeriani scorpione in castra misere. *Nonius.*

C. SAL-

C. SALLUSTII CRISPI HISTORIARUM FRAGMENTA

LIBER IV.

At Cn. Lentulus patriciæ gentis, collega ejus, cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior, an vanior, legem de pecunia, quam Sylla emptoribus bonorum remiserat, exigunda, promulgavit: *Agellius Lib. XVIII. Cap. IV.*

Omnes, quibus ætas senecto corpore, animus militaris erat. *Priscianus Lib. IX. & X.*

Dein lenita jam ira, postero die liberalibus verbis permulcti sunt. *Idem Lib. IX.*

Implicitæ rates ministeria prohibebant. *Idem ibidem.*

Igitur legiones pridie in monte positas arcessivit. *Idem.*

Anxius animi, atque incertus. *Arusianus.*

Magnam exorsus orationem. *Idem.*

Impotens & nimius animi est. *Idem.*

Amisumque assideri sine præliis audiebat. *Priscianus Lib. VIII.*

Qui quidem mos, uti tabes, in urbem conjectus. *Festus.*

Castella custodias thesaurorum in deditionem acciperentur. *Servius. Carisius Lib. I.*

Reliqua cadavera salita. *Diomedes Lib. I. Cap. IV.*

Epistola Regis Mithridatis scripta ad Regem Arsacem.

REX MITHRIDATES REGI ARSACI S.

OMNES, QUI secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere. Deinde quod quæritur, satis ne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi, perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni, & sceleſtissumi. Egregia fama, si Romanos oppresseris futura est. Neque petere audeam societatem: & FRUSTRA mala mea cum tuis bonis misceri sperem. Atqui ea, quæ te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli, & meæ res parum prosperæ, si vera æstumare voles, maxume hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu voles, societatem accipiet: MIHI FORTUNA, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi: &, quod florentibus optabile est, ego non validissumus præbeo exemplum, quo rectius tua componas. Namque Romanis, cum nationibus, populis, regibus cunctis, una & ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii, & divitiarum: qua primum cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere. Dum à Carthaginensibus premebantur, amicitiam simulantes, ei subvenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum avertere: ac mox à Philippo Antiochus, omni cis Taurum agro, & decem millibus talentorum spoliatus est. Persen deinde Philippi filium, post multa & varia certamina, apud Samothracas Deos acceptum in fidem, callidi, & repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, in somniis occidere. Eumenem, cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere. Antiocho, pacis mercedem; post Attalum custodem acri captivi sumptibus, & contumeliis ex rege miserrumum servorum effecere: simulatoque impio testamento, filium ejus Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere: Asia ab ipsis obsessa est: postremo totam Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere, cum filius Nusæ, quam reginam appellaverant, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me appellem? quem disjunctum undique regnis, & tetrachiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem, neque serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt; sceleris eorum haud ignarum, & ea, quæ accidere, testatum antea, Cretenses soli omnium liberos ea tempestate, & regem Ptolemæum. Atque ego ultus injurias, Nicomedem Bithynia expuli; Asiamque spolium regis Antiochi recepi, & Græciæ dempsi grave servitium. Incœpta mea postremus servorum Archelaus, exercitu prodito, impedivit: illique, QUOS IGNAVIA aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissumas pœnas solvunt. Ptolemæus pretio diem belli prolatat. Cretenses impugnati semel jam, neque finem nisi exscidio habituri. Equidem cum mihi ob ipsorum interna mala dilata prælia magis, quam pacem datam intelligerem; abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat; te remoto procul omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum cœpi: Marcumque Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terra fudi: mari exui classe pulcherruma. Apud Cyzicum magno cum exercitu, in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circumadnitente: simul hyems mari prohibebat. Ita, sine vi hostium regredi coactus in patrium regnum, naufragiis apud Param & Heracleam, militum optumos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Cabira exercitu, & variis inter me atque Lucullum præliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego vastatis circum omnibus locis, in Armeniam concessi: secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvertendi, quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, IMPRUDENTIAM Tigranis pro victoria ostentant. Nunc quæso considera, nobis oppressis, utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes, virorum, armorum, & auri esse: &, ea re à nobis ad societatem, ab illis ad prædam

dam peteris. Ceterum consilium est Tigranis, regno integro, meis militibus belli prudentibus, procul ab domo, parvo labore, per nostra corpora bellum conficere: quando neque vincere, neque vinci sine tuo periculo possumus. An ignoras Romanos, postquam ad Occidentem pergentibus, finem Oceanus fecit, arma huc convertisse? Neque quicquam à principio nisi raptum habere, domum, conjuges, agros, imperium? Convenas, olim sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul juxtaque sitos, inopes potentisque trahant, exscidantque; omniaque non serva & maxume regna hostilia ducant. Namque PAUCI LIBERTATEM, pars magna justos dominos volunt: nos suspecti sumus æmuli, & in tempore vindices affuturi. Tu vero, cui Seleucia maxuma urbium, regnumque Persidis inclutis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in præsens, & postea bellum exspectas? Romani in omnis arma habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt; AUDENDO & FALLENDO, & bella ex bellis serendo, magni facti. Per hunc morem extinguent omnia, aut occident: quod difficile non est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitus sine frumento, sine auxiliis: fortuna autem nostris vitiis adhuc incolumis. Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo, hortorque, neu malis pernicie nostra unum imperium prolatare, quam societate victor fieri.

Curio Vulcanaliorum die ibidem moratus. *Noninus de mutata declinatione. Carisius Lib. I.*

Scalas pares mœnium altitudine. *Arusianus.*

Diffidere inter se cœpere, neque in medium consultare. *Idem.*

Multisque suspicionibus volentia plebi facturus videbatur. *Nonius, Volentia, quæ plebs vellet.*

Suspectusque fuit, incertum vero an per negligentiam, societatem prædarum cum latronibus composuisse. *Idem, componere, conjungere.*

Collegam minorem: & sui cultorem exspectans. *Arusianus.*

Quam maxumis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit, ad flumen Euphratem; qua in parte Cappadocia ab Armenia disjungitur. Et quamquam ad id naves codicariæ occulto per hyemem fabricatæ aderant. *Nonius.*

Qui prætergrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie. *Idem.*

Cum interim, lumine etiam tum incerto, duæ Galliæ mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem ascendunt. *Idem.*

Pluteosque rescindit, ac munitiones demolitur; locoque summo potitur. *Idem.*

Exercitum dimisit, ut primum Alpes degressus est. *Arusianus.*

Tetarchas, regesque territos animi firmavit. *Idem.*

Simul eos, & cunctos jam inclinatos laxitate loci, plures cohortes, atque omnes, ut in secunda re, pariter acre invadunt. *Nonius.*

Hi locorum perignari, & soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisque in formam parmæ equestris armabat. *Idem.*

De pecore coria recens detracta, quasi glutino adolescebant. *Carisius Lib. I. Servius.*

Auidior modo properandi factus. *Arusianus.*

Consilii æger. *Idem.*

Reversi postero die, multa, quæ properantes deseruerant in castris, nacti, cum se ibi cibo, vinoque læti invitarent. *Nonius.*

Atque hiavit humus multa, vasta, & profunda. *Idem.*

Rursus jumenta nacti ad oppidum ire contendunt. *Nonius.*

Ubi se laniata navigia fundo emergunt. *Arusianus.*

Tum vero Bithyni propinquantes jam amnem Tartanium. *Idem.*

Eos qui hoc malum publicum clandestinis consiliis comparaverunt. *Nonius.*

In quis notissumus quisque, aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore, improbo patibulo eminens affigebatur. *Idem.*

Ad Siliciam urgens faucibus, non amplius patet millibus V. & XXX. *Messus.*

Clausi lateribus pedem. *Idem.*

Naphthas. *Probus Catholicis.*

C. SALLUSTII CRISPI HISTORIARUM FRAGMENTA

LIBER V.

At Lucullus, audito Q. Marcium regem pro Consule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere. *Priscianus Lib. XVIII.*

Legiones Valerianæ comperto, lege Gabinia Bithyniam, & Pontum Consuli datam, missos esse. *Idem ibidem.*

Regem aversabatur. *Arusianus.*

Ceteri

Ceteri negotia ſequebantur familiaria legatorum, aut tribunorum; & pars ſua commeatibus mercatis. *Nonius.*

Et uxori ejus frater erat. *Aruſianus.*

Sæpe celebritatem nominis intelligo timentem. *Priſcianus Lib. XVIII.*

Video ingentia dona quæſitum ire properantem. *Idem ibidem.*

Nam ſi Pompejo quid humani eveniſſet. *Aruſianus.*

Quibus de cauſis Syllam in victoria dictatorem, equo deſcendere, ſibi uni aſſurgere de ſella, caput aperire ſolitum. *Nonius. Aruſianus. Servius.*

C. CRISPI SALLUSTII FRAGMENTA INCERTORUM LIBRORUM.

Ne inrumiendi po.... ſublicibus cavata.... ſent. *Feſtus.*

Cujus duas inſulas propinquas inter ſe, & decem ſtadium procul à Gadibus ſitas, conſtabat ſuopte ingenio alimenta mortalibus gignere. *Nonius.*

Serum bellum in anguſtiis futurum. *Junius Philarg. ad Georg. Virgil.*

Illi tertio menſe pervenere in Pontum multo celerius ſpe Mithridatis *Aruſianus.*

Ergo Senati decreto ſerviendum ne ſit. *Donatus Act. II. Sc. II.*

Pompejus oris improbi, animoque inverecundo. *Suetonius de claris Gram. Cap. XIV.*

Simulans ſibi alvum purgari. *Iſidorus Lib. XI. in voce Alvus. ad Lib. III. Æneidos.*

Fecit ut nuntiis confeſtim lugubribus. *Cariſius Lib. II.*

Communem habitum tranſgreſſus. *Priſcianus Lib. XIV.*

Inter arma civilia æqui boni famam petit. *Seneca Lib. XX. Epiſt. CXV.*

Haud impigre, neque inultus occiditur. *Donatus ad And. Terentii Act. I. Sc II.*

Feſtinantibus in ſumma inopia patribus. *Idem ad Eunuch. Act. IV. Sc. III.*

Hoſtes oppreſſi, aut delapſi forent. *Iſidorus Lib. XVIII.*

Exercitum argento fecit. *Seneca Lib. XX. Ep. CXV.*

Togam paludamento mutavit. *Iſidorus Lib. XIX. Servius.*

Hiero rex Syracuſanorum bellum fecit. *Seneca.*

Ibi triennio fruſtra trito. *Servius ad IV. Æneidos.*

Oratio C. Cottæ Conſulis ad Populum.

Quirites, multa mihi pericula domi, militiæ multa advorſa fuere; quorum alia toleravi, partim repuli Deorum auxiliis, & virtute mea: in quîs omnibus, NEQUE animus negotio defuit, neque decretis labos. Malæ, ſecundæque res, opes non ingenium mihi mutabant. At contra in his miſeriis cuncta me cum fortuna deſeruere. Præterea SENECTUS, per ſe gravis, curam duplicat: cui miſero, ſenecta jam ætate, ne mortem quidem honeſtam ſperare licet. Nam, ſi parricida veſtri ſum, & bis genitus hic Deos penates meos, patriamque, & ſummum imperium vilia habeo: quis mihi vivo cruciatus ſatis eſt, aut quæ pœna mortuo? cum omnia memorata apud inferos ſupplicia ſcelere meo vici. A prima adoleſcentia in ore veſtro, privatus, & in magiſtratibus egi: qui lingua, qui conſilio meo, qui pecunia voluere, uſi ſunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciendum exercui: avidiſſumus privatæ gratiæ MAXUMAS inimicitias pro republica ſuſcepi: qui victus cum illa ſimul, cum egens alienæ opis, plura mala exſpectarem; vos, Quirites, rurſus mihi patriam, Deos penates, cum ingenti dignitate dediſtis. Pro quibus beneficiis, vix ſatis gratus videar, ſi ſingulis animam, quam nequeo, conceſſerim. Nam VITA & MORS jura naturæ ſunt: uti ſine dedecore cum civibus, fama & fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur. Conſules nos feciſtis, Quirites, domi bellique impeditiſſuma republica. Namque imperatores Hiſpaniæ, ſtipendium, milites, arma, frumentum poſcunt: & id res cogit: quoniam poſt defectionem ſociorum, & Sertorii per montis fugam, neque manu certare poſſunt, neque utilia parare. Exercitus in Aſia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hoſtium eſt: nec minus Italiæ marituma, & provinciarum: cum interim vectigalia parva, & BELLIS incerta, vix partem ſumptuum ſuſtinent: ita claſſe, qua commeatus vehebatur, minore quam antea navigamus. Hæc SI DOLO aut ſocordia noſtra contracta ſunt, agite, &, uti lubet, ita ſupplicium ſumite: ſin communis fortuna aſperior eſt, quare indigna vobis, nobiſque, & republica incipitis? Atque ego, cujus ætati mors propior eſt, non deprecor, ſi quid ea vobis incommodi demitur: neque mox ingenuo corpori honeſtius, quam pro veſtra ſalute finem vitæ fecerit. Adſum en C. Cotta Conſul, facio quod ſæpe majores aſperis bellis fecere; voveo, dedoque me pro republica, quam deinde cui mandetis circumſpicite. Nam TALEM HONOREM bonus nemo volet, cum fortunæ, & pacis, & belli ab aliis acti, ratio reddenda, aut turpiter moriendum ſit. Tantummodo in animis habetote, non me ob

ſcelus,

ſcelus, aut avaritiam cæſum, ſed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dediſſe. Per vos igitur, Quirites, & gloriam majorum, tolerate advorſa, & conſulite reipublicæ. MULTA CURA ſummo imperio ineſt, multi ingentes labores: quos nequicquam abnuitis, & pacis opulentiam quæritis: cum omnes provinciæ, regna, maria, terræque aſpera, aut feſſa bellis ſint.

Germani intectum renonibus corpus tegunt. *Iſidorus.*

Unde pons in oppidum pertinens explicatur. *Aruſianus.*

Et ei voce magna vehementer gratulabantur. *Donatus.*

Et Marius victus duplicaverat bellum. *Servius.*

Atque eos à tergo incurrerunt. *Rufinianus.*

In hunc modum diſſeruit. *Priſcianus.*

Inde ortus ſermo percunctantibus utrimque, Satin ſalve, quam grati ducibus ſuis, quantis familiaribus copiis augerentur. *Donatus.*

Fugam noſtris fecere. *Seneca.*

Quæ audita Panormitanos dedere Romanis fecere. *Idem.*

Quo cupidius in ore ducis ſeſe quiſque bonum, & ſtrenuum oſtentantes. *Iſidorus. Servius X.*

Ventis per cava terræ citatis, rupti aliquot montes, tumulique ſedere. *Iſidorus. Servius.*

Ubi multa nefande caſu ſuper auſi atque paſſi. *Priſcianus.*

Saguntium. *Cariſius.*

Tota autem inſula modica, & cultoribus inanis eſt. *Martianus.*

Immodicus animi. *Aruſianus.*

Pugnam illam pro omine belli futuram. *Servius.*

Tantum antiquitatis, curæque majoribus pro Italica gente fuit. *Idem.*

Opprobrii gratia. *Agrætius.*

Maxumis ducibus, fortibus ſtrenuiſque miniſtris. *Diomedes Lib. II.*

Non repugnantibus modo, ſed ne deditis quidem A. B. C. M. *Donatus.*

In ſilva Sila fuerunt. *Servius.*

In nuda injecta corpora. *Diomedes.*

Apollinis filia & Cyrenes. *Probus.*

Ne ſimplici quidem morte moriebantur. *Servius.*

Cum prædixero poſitum inſulæ. *Donatus.*

Cujus adverſa voluntate, colloquio militibus permiſſo, corruptio facta paucorum, & exercitus Syllæ datus eſt. *Idem.*

A Graccho ſeditiones graves ortæ. *Auguſtinus.*

M. Atilius Palicanus humili loco, Picens, loquax magis, quam facundus. *Quintilianus Lib. IV. Cap. II.*

Inſolens vera accipiundi. *Donatus.*

Quæ pecunia ad Hiſpanienſe bellum Metello facta erat. *Idem.*

Curubis. *Probus.*

Tharros. *Idem.*

Camiſos. *Idem.*

Luces. *Sergius.*

Primam modo Japydiam ingreſſus. *Servius.*

Carbo turpi formidine Italiam, atque exercitum deſeruit. *Idem.*

Quæ pacta in conventione non præſtitiſſent. *Donatus.*

Crebritate fluctuum ut Aquilo ſolet. *Servius.*

Mithridates corpore ingenti perinde armatus. *Quintilianus Lib. VIII. Cap. III.*

Tyrannumque, & Cinnam appellantes. *Victorinus. Servius.*

Nomenque Danubium habet. *Acron.*

Cui niſi pariter obviam iretur. *Donatus.*

Septimium, neque animo, neque lingua ſatis compotem. *Idem.*

Vulgus amat fieri. *Quintilianus.*

Non pœniturum. *Idem.*

Pompejus cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat. Neque enim ille aliter potuiſſet par eſſe Sertorio, niſi ſe, & milites frequentibus exercitiis præparaviſſet ad prælia. *Vegetius Lib. I. Cap. IX. Johan. Saresb.*

Cicero caninam facundiam, ut Appius inquit, exercuit. *Lactantius.*

Primus Græcorum Achilles. *Servius.*

Cupientiſſumus legis. *Diomedes.*

Magna gloria tribunus militum in Hiſpania T. Didio imperante, magno uſu bello Marſico, paratu militum, & armorum fuit. Multaque tum ductu ejus curata, primo per ignobilitatem, deinde per invidiam ſcriptorum celebrata ſunt. Cominus faciem ſuam oſtentabat, aliquot advorſis cicatricibus, & effoſſo oculo. Quo ille dehoneſtamento corporis maxime lætabatur: neque illis anxius, quia reliqua gloriosius retinebat. *Agellius.*

Curetes, quia principes intelligendi divina fuerunt, vetuſtatem uti cetera in majus componentem altores Jovis celebraviſſe: inde Rhegium nominatum. *Lactantius & Iſidorus.*

Italiam conjunctam Siciliæ conſtat fuiſſe: ſed medium ſpatium aut per humilitatem obrutum eſt aquis, aut propter anguſtiam ſciſſum. *Iſidorus.*

Pompejus devictis Hiſpanis trophæa in Pyrenæis jugis conſtituit. *Servius.*

Atque edita undique tribus tamen cum muris, & magnis turribus. *Donatus.*

Et in præliis actu promptus. *Idem.*

Pactione amiſſo Publio legato. *Idem.*

Ipſum mare Ponticum dulcius quam cetera. *Servius. Priſcianus. Macrobius.*

Equis paria operimenta erant, quæ linteà ferreis laminis in modum plumæ advexerant. *Servius.*

Rebus ſupra modum fluentibus. *Idem.*

Ænum & Maroneam, & viam militarem. *Idem.*

Impediebant juſſa nautarum. *Idem.*

Nihil ſocordia claudebat. *Donatus.*

Ut tanta repente mutatio non ſine Deo videretur. *Idem.*

In ore gentibus agens, populo, civitati. *Idem.*

Preſſi undique multitudine. *Idem.*

Hunc igitur redarguit Tarquitius. *Idem.*

Dein campi Temyſcirii, quos habuere Amazones à Thanai flumine incertum quamobrem digreſſæ. *Servius.*

Ubi eum tota concione ab exercitu cogit diſcedere, dicit ſe ejus opera non uſurum; eumque ab armis dimittit. *Idem.*

Et

Et Metello procul agente longa ſpes auxiliorum. *Idem.*

More equeſtris prælii ſumptis tergis atque redditis, & egreſſi ad faciliores ictus loco cedebant. *Idem.*

Caſtra ſine vulnere introitum. *Idem.*

Multos tamen ab adoleſcentia bonos inſultavit. *Idem, & Donatus.*

Coſa. *Servius.*

Equis, atque armis inſignibus. *Idem.*

Feſſus in Pamphyliam ſe receperat. *Idem.*

Profectus quidam Ligus ad requiſita naturæ. *Quintilianus.*

Apud latera certos collocaverat. *Servius.*

Apertæ portæ, repleta arva cultoribus. *Idem.*

Hiſpaniam ſibi antiquam patriam eſſe. *Idem.*

Lyciæ, Piſidiæque agros deſpectantem. *Idem.*

Sorte ductos fuſti necat. *Idem.*

Omnis Italia coacta in anguſtias ſcinditur in duo promontoria, Bruttium, & Salentinum. *Idem.*

Italia plana ac mollis. *Idem.*

Qua tempeſtate ex Ponto vis piſcium erupit. *Idem & Scholiaſtes Juvenalis.*

Introrſus prima Aſiæ Bithynia eſt, multis antea nominibus appellata. Ipſa enim eſt & major Phrygia. *Servius.*

Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingreſſus, matre veneno interfecta. *Idem.*

Creta altior eſt qua parte ſpectat Orientem. *Idem.*

Se regibus devovent, & poſt eos vitam refutant: adeo, illis ingenita eſt ſanctitas regii nominis. *Idem, & Phylargyrius.*

Dum inferior omni via graſſaretur. *Johannes Grammat.*

Narbone Concilia Gallorum. *Pompejus in artem Donati.*

Poſt defectionem ſociorum & Latii. *Donatus.*

Ad Jovis mandem noſtra. *Idem.*

Morbi graves ob inediam inſolita veſcentibus. *Idem.*

Atque ea cogentes, non coactos, ſceleſtos, magis, quam miſeros diſtringi. *Idem.*

Graviori bello, quo prohibituri venerant ſocii, frigere. *Idem.*

Nam quidem Pyrrho, Hannibali, æquor & terra. *Idem.*

Nam Syllæ Dominationem audebat. *Idem.*

Neque eſt defenſus dominationum Syllæ. *Idem.*

Neu quis miles, neve pro milite. *Servius.*

Ex inſolentia avidus malefaciendi. *Idem.*

Tergis vinciebant. *Idem.*

Charybdis, quæ forte illata naufragia ſorbens gurgitibus occultis millia ſexaginta Tauromeritana ad littora trahit. *Idem.*

Saguntini fide atque ærumnis incluti per mortalium ſtudium majores quam opibus, quippe quîs etiam tum ſemiruta mœnia, domus intectæ, parieteſque templorum ambuſti manus punicas oſtentabant. *Hieronymus in Habacuc.*

Apud Corduennos amomum & alii leves odores gignuntur. *Philargyrius in IV. Georgicor. Virgil.*

Quem trans ſtagnum omnis uſque ad flumen. *Idem.*

Repente in cautos agros invaſit. *Idem.*

Belli ſane ſciens. *Acron.*

Namque omnium ferociſſumi ad hoc tempus Achæi atque Tauri ſunt, quod, quantum conjicio, locorum egeſtate rapto vivere coacti. *Gloſſæ Juvenalis.*

Atque ipſe cultus rei. *Acron.*

Triplici fluctu. *Servius Fuldanus.*

Charybdi mare vorticoſum. *Idem.*

Sed ubi tempore anni mare Claſſibus patefactum eſt. *Idem.*

Sane bonus ea tempeſtate contra pericula & ambitionem. *Idem.*

Simul immanis hominum vis ex locis invaſere patentes, cum & pacis modo effuſas. *Idem.*

Genua patrum advolvuntur. *Idem.*

Perrexere in Hiſpaniam an Sardiniam. *Idem.*

Quæ mapalia ſunt circumjecta civitati, ſuburbana ædificia. *Idem.*

Et onere turrium incertis navibus. *Idem.*

Traditur fugam in longinqua Oceani agitaviſſe. *Idem.*

Ad mutandum modo in melius ſervitium. *Servius ad primum Æneidos.*

Magna vis hominum convenerat agris pulſa aut civitate ejecta. *Idem ibidem.*

Cum murum hoſtium ſucceſſiſſet, pœnas dederat. *Idem ad Eclogam quintam.*

Quippe vaſta Italia rapinis, fuga, cædibus. *Idem.*

Hi ſunt qui ſecundum pocula, & alias res aureas Diis ſacrata inſtrumenta convivio mereantur. * *Idem ad VIII. Æneidos.*

In ſecunda feſtinans cohortes compoſuerat. *Idem ad IX.*

Jam repente viſus ſævire Taguns. *Idem ad X.*

Exuant armis equiſque. *Idem.*

Solas feſtinare. *Idem.*

Luſitaniæ gravem civitatem. *Idem.*

Ex parte cohortium præcipere inſtructa, & ſtationes locatæ pro caſtris. *Idem.*

Bellum quibus poſſet conditionibus deſineret. *Idem.*

In quis Longiſſumo ævo plura de bonis falſa in deterius compoſuit. *Idem.*

Cultu corporis ornata egregio. *Idem.*

At Sertorius vacaus hyeme augere copias. *Acro in Horatium.*

Sin vis obſiſtat, ferro quam fame æquius perituros. *Servius.*

Conſedit in valle virgulta, nemoroſaque. *Idem.*

Paullulum requietis militibus. *Idem.*

Qui nullo certo exilio vagabantur. *Idem.*

Nubes fœdavere lumen. *Idem.*

Sanctus alia. *Idem.*

Geronis. *Idem.*

Quæ cauſa fuerat novandis rebus. *Idem.*

Radicem montis exceſſit. *Statii interpres.*

Ut res magis quam verba gererentur, liberos parenteſque in muris locaverant. *Idem.*

Incerta eſt fortitudo dum pendet. *Idem.*

In quibus plauſtra ſedes ſunt. *Acro ad Horatium.*

Luxo pede. *Probus.*

Maurique vanum genus, ut alia Africæ, contendebant Antipodes ultra Æthiopiam cultu Perſarum

ſarum juſtos & egregios agere. *Priſcianus.*

Et Perpennam forte cognoſcit mulio redemptoris. *Acro in Horatium.*

Omnium fluminum, quæ in maria, qua Imperium Romanum eſt, fluunt, quam græci τὴν ἔισω θάλασσαν appellant, maxumum eſſe Nilum conſentitur, proxuma magnitudine eſſe Hiſtrum ſcripſit Salluſtius. *Agellius Lib. X. CAP. VII.*

Ex omnibus quæ tractavimus, Æbuti Liberalis, poteſt videri nihil tam neceſſarium, aut magis, ut ait Salluſtius, cum cura dicendum, quam quod in manibus eſt. *Seneca.*

Turbinum motus vagus eſt, & disjectus, &, uti Salluſtii verbis utar, vorticoſus; Cometarum autem, compoſitus, & certum iter carpens. *Idem.*

Salluſtius, Auctor certiſſumus, aſſerit Tigrim, & Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diverſa euntes longius dividantur, ſpatio medio relicto multorum millium; quæ tamen terra, quæ ab ipſis ambitur, Meſopotamia dicitur. *Idem.*

Pelorum promontorium Siciliæ reſpiciens Aquilonem, juxta Salluſtium dictum à Gubernatore Hannibalis illic ſepulto, qui fuerat occiſus per ignorantiam Regis, cum ſe ejus dolo crederet eſſe deceptum. *Servius & Iſidorus.*

Ariſtæus, uti Salluſtius docet, poſt laniatum à canibus Actæonem filium, matris inſtinctu Thebas reliquit, & Ceam inſulam tenuit, primo adhuc hominibus vacuam; poſtea, ea relicta, cum Dædalo in Sardiniam tranſivit, poſt delatus eſt Cumas. *Servius.*

Salluſtius Duces laudat, qui victoriam incruento exercitu deportarunt. *Idem.*

Cares inſulani populi fuerunt, piraticam exercentes, famoſi, victi à Minoë, uti Salluſtius, & Thucydides tradunt. *Idem.*

A Troja Capys Campaniam, Helenus Macedoniam, alii Sardiniam, ſecundum Salluſtium tenuerunt. *Idem.*

Dardania à Dardano Jovis & Electræ filio, aut ſecundum Salluſtium, à Mida Dardanorum Rege, qui Phrygiam tenuit. *Idem.*

Salluſtius ſcyllam ſaxum eſſe dicit ſimile formæ celebratæ procul viſentibus. *Idem.*

In Sicilia eſt Enceladus, Othus in Creta, ſecundum Salluſtium. *Idem.*

Salluſtius ait, Hiſpanorum morem fuiſſe, ut in bella euntibus juvenibus parentum facta memorentur à matribus. *Idem.*

Orion, juxta Salluſtium, oritur juxta ſolis æſtivi pulſum. *Idem.*

In Flaminia eſt civitas, quæ Cale dicitur & in Gallia hoc nomine, quam Salluſtius à Perpenna captam commemorat. *Idem.*

Getæ ſunt Myſii, quos Salluſtius à Lucullo dicit eſſe ſuperatos. *Idem.*

Trojanorum tempore invadendarum terrarum cauſa fuerat navigatio, uti Salluſtius meminit. *Idem.*

Curribus falcatis uſos eſſe antiquos, Livius & Salluſtius docent. *Idem.*

Vices ſignificant pugnum, quia per viciſſitudinem pugnabatur, ut inquit Salluſtius. *Idem.*

Creta medio jacet Inſula ponto, id eſt, ſecundum Salluſtium, procul à continenti. *Idem.*

Primo menſe Veris dicitur novum Ver, ſecundo Ver adultum, tertio præceps: ſicut etiam Salluſtius dicit ubique, nova æſtas, adulta, præceps. *Idem.*

Salluſtius in hiſtoriis tradit, Sertorium victum voluiſſe fugere ad Inſulas fortunatas. *Acron.*

Inſulas fortunatas Salluſtius inclutas eſſe ait Homeri carminibus. *Servius.*

Proximum dicebant veteres, non ſolum adhærens, & adjunctum, verum etiam longe remotum, ſi tamen inter duo diſcreta nihil medium extitiſſet. *Virg. Æneid. Lib. V.*

Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
inſequitur Salius.

Ita & Salluſtius in ſitu Ponti, de promontoriis Paphlagonum, & quod κριοῦ μέτωπον appellavit, poſuit. *Nonius.*

> *Interrogaſti, ſi tenes, Mæotici*
> *Situs quis eſſet æquoris. Salluſtium*
> *Noram id dediſſe, dicta & ejus omnibus.*
> *Præjudicatæ Authoritatis ducier,*
> *Non abnuebam.* Feſtus Avienus.

Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum. In arcus ſimilitudinem. Sic de Ponto Salluſtius, unde hic tulit colorem, nam ſpeciem efficit Scythici Arcus. *Servius ad III. Æneid.*

- - - - *freta lata relucent.*

Lata autem ideo, quia ſe anguſtiæ Pontici oris illic dilatant, uti dicit Salluſtius. *Servius.*

Teïa autem dicta eſt à Teïo Anacreontis, Poëtæ Lyrici oppido, quod in Paphlagonia eſſe Salluſtius indicat, cum de ſitu Pontico loquitur. *Comment. in Horatium.*

Porro Salluſtius Auctor certiſſumus, aſſerit tam tygris, quam Euphratis in Armenia fontes demonſtrari. *Hieronymus de locis Heb.*

Cum multi evaſerint Trojanum periculum, uti Capys, qui Campaniam tenuit; ut Helenus, qui ut alii Sardiniam, ſecundum Salluſtium. *Servius.*

Salluſtius Calpurnius. *Hieronym. adverſ. Ruf.*

Calpurniani diſcipuli. *Idem Ibidem.*

Tamen vulgata jam res eſt gentilium proprietatum. Comici Phrygas tumidos illudunt. Salluſtius vanos Mauros, & feroces Dalmatas pulſat. *Tertull. de anima.*

Sarcaſmus Chlevaſmo proxima eſt, & ſimilis figura, qua adverſariorum facta, cum exacerbatione admiſſi eorum laceſſimus. Ut apud Salluſtium de Syllæ crudelitate. Ut in M. Mario, cum fracta prius crura per artus expiraret. *Jul. Rufinianus de ſchematis lexeos.*

Meſopotameni homines effrenatæ libidinis ſunt, ut Salluſtius meminit, in utroque ſexu. *Gloſſæ in Juvenalem.*

Antonius ille trium Antoniorum corruptor, ille Salluſtius, qui oræ maritumæ, qua Romanum eſſet Imperium, contrarius piratis. Si omnes ſocios, & maxume Græcos Aſiaticos ac Siculos fortunis omnibus ſpoliaverunt. *Eædem gloſſe.*

Σαλλουστίου δὲ θαυμάζω, τότε πρῶτον ὦφθαι Ρ῾ωμαίοις καμήλους, λέγοντος, εἰ μήτε πρότερον τοὺς μετὰ Σκιπίωνος νικήσαντας Ἀντίοχον ᾤετο, μήτε τοὺς ἔναγχος πρὸς Ὀρχομένῳ καὶ περὶ Χαιρώνειαν Ἀρχελάῳ μεμαχημένους, ἐγνωκέναι κάμηλον.

μηλον. *Id est*: Sallustium demiror, qui autumat tum primum visos Romanis Camelos, quod neque olim illos, qui duce Scipione Antiochum devicerunt, neque hos, qui ad Orchomenum, & Chæroneïam certaverunt cum Archelao, nosse putaverit Camelum. *Plutarchus.*

Σαλλούστιος μὲν οὖν φησὶ, χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν, εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου, πρὸς Κυζίκῳ καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ δύο χειμῶνας ἑξῆς ἐν χάρακι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας. *Id est*: Ac Sallustius quidem fuisse milites jam inde à principio male ait in eum (Lucullum) animatos, quod ad Cyzicum, & iterum ad Amisum duas Hyemes eos in castris continuisset. *Idem.*

LECTORI.

Hactenus fragmenta florentissimi Rerum Romanarum scriptoris, quæ extare putamus. Cetera, quæ sequuntur, in Ms. Servio legi auctor est V. Cl. Andreas Schottus: in optima tamen illa Honorati Editione à Petro Daniele JC. procurata, non comparent.

(*m or Trequii præter S r ciem necessariam haud multo secus quam ferro noceri poterat. At Varinius, dum hæc aguntur à fugitivis, ægra parte militum autumni gravitate, neque ex postrema fuga, cum severo edicto juberentur, ullis ad signa redeuntibus, & qui reliqui erant, per summa flagitia detrectantibus militiam, Quæstorem suum C. Thoranium, ex quo præsente vera facillime noscerent. *** commiserant, & tamen interim quum volentibus numero quatuor.

(* ingre, tante setui debacrltur, nefandum in modum perverso vulnere & interdum lacerum corpus semianimum omittentes, alii in tecta jaciebant ignes, multique ex loco servi, quos ingenium socios dabat, abdita à dominis aut ipsos trahebant ex occulto, neque sanctum aut nefandum quicquam fuit iræ barbarorum, & servili ingenio: quæ Spartacus nequiens prohibere, multis precibus cum oraret, celeritate **** nuntios.

(Aliquot dies contra morem fiducia augeri nostris cœpit, & promi lingua. Qua Varinius contra spectatam rem incaute motus novos incognitosque & aliorum casibus perculsos milites, ducit tamen ad castra fugitivorum. Presso gradu silentes jam, neque tam magnifice sumentes prælium, quam postulaverant. Atqui illi certamini conscii inter se juxta seditionem erant. Crixo & gentis ejusdem Gallis atque Germanis obviam ire & ultro offerre pugnam cupientibus contra Spartacum.

ORATIO I.
AD
C. CÆSAREM,
DE
REPUBLICA ORDINANDA.

POpulus Romanus antea obtinebat, regna atque imperia, fortunam dono dare, item alia, quæ per mortalis avide cupiuntur: quia & apud indignos sæpe erant, quasi per lubidinem data; neque cuiquam incorrupta permanserant. Sed res docuit id verum esse, quod in carminibus Appius ait, FABRUM esse suæ quemque fortunæ: atque in te maxime, qui tantum alios prætergressus es, ut prius defessi sint homines laudando facta tua, quam tu laude digna faciundo. Ceterum UTI FABRICATA, sic virtute parta, quam magna industria haberi decet; ne incuria deformentur, aut corruant infirmata. NEMO enim alteri imperium volens concedit: & quamvis bonus atque clemens sit, qui plus potest; tamen, quia mala esse licet, formidatur. Id evenit, quia plerique rerum potentes perverse consulunt: & eo se munitiores putant, quo illi, quibus imperitant, nequiores fuere. At contra id eniti decet; CUM IPSE bonus, atque strenuus sis, uti quam optumis imperites. NAM PESSUMUS quisque asperrime rectorem patitur. Sed tibi hoc gravius est, quam ante te omnibus, armis parta componere. Bellum aliorum pace mollius gessisti: ad hoc victores prædam petunt, victi cives sunt. Inter has difficultates evadendum est tibi, atque in posterum firmanda Respublica, non armis modo, neque advorsum hostes, sed, quod multo majus, multoque asperius est, bonis pacis artibus. Ergo omnes magna mediocri sapientia res huc vocat: quæ quisque optima potest, uti dicat. Ac mihi sic videtur; qualicumque modo tu victoriam composueris, ita alia omnia futura. Sed jam, quo melius, faciliusque constituas, paucis, quæ me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, Imperator, cum homine claro, magnis opibus, avido potentiæ, majore fortuna, quam sapientia: quem secuti sunt pauci, per

per suam injuriam tibi inimici: item quos affinitas, aut alia necessitudo, traxit. Nam particeps dominationis neque fuit quisquam; neque, si pati potuisset: orbis terrarum bello concussus foret. Cetera multitudo vulgi, MORE MAGIS quam judicio, post alius alium, quasi prudentiorem, secuti. Per idem tempus maledictis iniquorum occupandæ Reipublicæ in spem adducti homines, quibus omnia probro, ac luxuria polluta erant, concurrere in castra tua: & aperte quietis mortem, rapinas, postremo omnia, quæ corruptus animus jubebat, minitari. Ex quîs magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te civibus sicuti hostibus, uti vident, defluxere: pauci restitere, quibus majus otium in castris, quam Romæ, futurum erat: tanta vis creditorum impendebat. Sed ob easdem caussas, immmane dictu est, quanti, & quam multi mortales postea ad Pompejum discesserint: eoque per omne tempus belli quasi sacro, atque inspoliato fano debitores usi. Igitur, quoniam tibi victori de bello, atque pace, agitandum est; hoc uti civiliter deponas, illa ut quam justissima, & diuturna sit: de te ipso primum, quia compositurus es, quod optimum factu est, existima. Equidem ego CUNCTA IMPERIA crudelia, magis acerba, quam diuturna, arbitror, neque quemquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum æternum atque anceps gerere: quoniam neque adversus, neque ab tergo, aut lateribus tutus sis, semper in periculo, aut metu agites. Contra QUI BENIGNITATE, & clementia, imperium temperavere, his læta & candida omnia visa, etiam hostes æquiores, quam aliis cives. An qui me his dictis corruptorem victoriæ tuæ, nimisque in victos bona voluntate prædicent? scilicet quod ea, quæ externis nationibus, natura hostibus, nosque, majoresque nostri sæpe tribuere, ea civibus danda arbitror; neque barbaro ritu cæde cædem, & sanguine sanguinem expiandum. An illa, quæ paullo ante hoc bellum in Cn. Pompejum, victoriamque Syllanam increpabantur, oblivio abstulit? interfecit Domitium, Carbonem, Brutum, alios item non armatos, NEQUE IN prælio belli jure, sed post ea supplices per summum scelus interfectos: plebem Romanam in villa publica pecoris modo conscissam. Heu quam illa occulta civium funera, & repentinæ cædes in parentum, aut liberorum sinum, fuga mulierum, & puerorum, vastatio domorum! ante partam à te victoriam omnia sæva, atque crudelia erant. Ad quæ te illi iidem hortantur: & scilicet id certatum esse utriusque vestrum arbitrio, injuriæ uti fierent: neque receptam, sed captam, à te Rempublicam, & ea causa exercitus stipendiis confectis, optimos, & veterrimos omnium, advorsum fratres, parentesque, alii liberos armis contendere; ut ex alienis malis deterrimi mortales ventri, atque profundæ lubidini sumptus quærerent; atque essent opprobria victoriæ, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. Neque enim te præterire puto, quali quisque eorum more, aut modestia, etiam tum dubia victoria, sese gesserit; quoque modo in belli administratione scorta, aut convivia, exercuerint nonnulli; quorum ætas ne per otium quidem tales voluptates sine dedecore attigerit. De bello satis dictum. De pace firmanda quoniam tuque, & omnes tui agitatis: primum id, quæso, considera, quale id sit, de quo consultas: ita, bonis, malisque dimotis, patenti via ad verum perges. Ego sic existumo, quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate Urbi Romanæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus consertu- ros: ita DEFESSOS, & exsangues regi, aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere, aut contundere queunt hoc imperium. Firmanda igitur sunt concordiæ bona, & discordiæ mala expellenda. Id ita eveniet, si sumptuum, & rapinarum licentiam dempseris; NON AD VETERA instituta revocans, quæ jam pridem corruptis moribus, ludibrio sunt; sed si suam cuique rem familiarem, & finem sumptuum statueris: quoniam is incessit mos, ut homines adolescentuli, sua, atque aliis rogantibus denegare, pulcherrumum putent; eam virtutem, & magnitudinem animi, pudorem, atque modestiam pro socordia æstiment. Ergo ANIMUS ferox, prava via ingressus, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo, modo in cives: movet composita, & res novas veteribus acquirit. Quare tollendus fœnerator in posterum; uti suas quisque res curemus. Ea vera, atque simplex via est, MAGISTRATUM populo, non creditori, gerere; & magnitudinem animi in addendo, non demendo Reipublicæ ostendere. Atque ego scio, quam aspera hæc res in principio futura sit, præsertim iis, qui se in victoria licentius liberiusque, quam artius, futuros credebant; quorum si saluti potius, quam lubidini, consules; illosque nosque & socios in pace firma constitues. Si eadem studia, artesque juventuti erunt: næ ista egregia tua fama simul cum Urbe Roma brevi concidet. Postremo SAPIENTES pacis causa bellum gerunt, laborem spe otii sustentant. Nisi illam firmam efficis, vinci, an vicisse, quid retulit? Quare capesse, per Deos Rempublicam, & omnia aspera, uti soles, pervade. Namque aut tu mederi potes; aut omittenda est cura omnibus. Neque quisquam te ad crudeles pœnas, aut acerba judicia, invocat, QUIBUS CIVITAS vastatur magis, quam corrigitur; sed ut pravas artes, malasque lubidines, ab juventute prohibeas. Ea vero clementia erit, consuluisse, ne immerito cives patria expellerentur; RETINUISSE ab stultitia, & falsis voluptatibus; pacem concordiamque stabilivisse: non, si flagitiis obsecutus, delicta perpessus, præsens gaudium cum mox futuro malo concesseris. Ac mihi animus; quibus rebus alii timent, maxime erectus est, negotii magnitudine: & quia tibi terræ, & maria simul omnia componenda sunt, (quippe res parvas tantum ingenium attingere nequit) MAGNÆ curæ magna merces est. Igitur provideas oportet, uti plebes, largitionibus, & publico frumento, corrupta, habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur: juventus probitati, & industriæ non sumptibus,

ptibus, neque divitiis, ſtudeat. Id ita eveniet, ſi pecuniæ, quæ MAXUMA omnium pernicies eſt, uſum, atque decus dempſeris. Nam ſæpe ego cum animo meo reputans, QUIBUS QUISQUE rebus clariſſumi viri magnitudinem inveniſſent; quæ res populos, nationesve magnis auctoribus auxiſſent; ac deinde quibus cauſis ampliſſima regna, & imperia, corruiſſent: eadem ſemper bona, atque mala reperiebam, omnesque victores divitias contempſiſſe, & victos cupiviſſe. Neque aliter quiſquam extollere ſeſe, & divina mortalis attingere poteſt, niſi, omiſſis pecuniæ, & corporis gaudiis, animo indulgens, non aſſentando, neque concupita præbendo, perverſam gratiam gratificans; ſed in labore, patientia, boniſque præceptis, & factis fortibus exercitando. Nam DOMUM, aut villam exſtruere, eamque ſignis, aulæis, aliisque operibus exornare, & OMNIA potius, quam ſemet, viſendum efficere; id eſt non divitias decori habere, ſed ipſum illis flagitio eſſe. Porro ii, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem ſine ſcorto quieſcere mos eſt; ubi animum, quem dominari decebat, ſervitio oppreſſere, nequaquam eo poſtea hebeti, atque claudo pro exercitio uti volunt. Nam imprudentia pleraque, & ſe præcipitant. Verum hæc, & omnia mala pariter cum honore pecuniæ deſinent, ſi neque magiſtratus, neque alia vulgo cupienda venalia erunt. Ad hoc providendum eſt, quonam modo Italia, atque provinciæ tutiores ſint: id quod factu haud obſcurum eſt. Nam iidem omnia vaſtant, ſuas deſerendo domos, & per injuriam alienas occupando. Item ne, uti adhuc, militia injuſta, aut inæqualis ſit: cum alii triginta, pars nullum ſtipendium faciet: & frumentum id, quod antea præmium ignaviæ fuit, per municipia, & colonias illis dare conveniet, cum ſtipendiis emeritis domos reverterint. Quæ Reipublicæ neceſſaria, tibique glorioſa ratus ſum, quam pauciſſumis abſolvi. Non prius videtur, pauca nunc de facto meo diſſerere. PLERIQUE mortales ad judicandum ſatis ingenii habent, aut ſimulant: veruntamen ad reprehendenda illorum facta, aut dicta ardet omnibus animus; vix ſatis apertum os, aut lingua prompta videtur, quæ meditata pectore evolvat: quibus me ſubjectum haud pœnitet, magis reticuiſſe pigeret. Nam ſive hac, ſeu meliore alia via perges; à me quidem pro virili parte dictum, & adjutum fuerit. Reliquum eſt, optare, uti, quæ tibi placuerint, ea Dii immortales approbent, beneque evenire ſinant.

ORATIO II.
AD
C. CÆSAREM,
DE
REPUBLICA ORDINANDA.

SCio ego, quam difficile, atque aſperum factu ſit, conſilium dare regi, aut imperatori; poſtremo cuiquam mortali, cujus opes in excelſo ſunt: quippe cum & illis conſultorum copiæ adſint; neque de futuro quiſquam ſatis callidus, ſatiſque prudens ſit. Quinetiam SÆPE PRAVA magis, quam bona conſilia proſpere eveniunt; quia pleraſque res fortuna ex lubidine ſua agitat. Sed mihi ſtudium fuit adoleſcentulo Rempublicam capeſſere: atque in ea cognoſcenda multam, magnamque curam habui: non ita, uti magiſtratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant: ſed etiam uti Rempublicam domi, militiæque, quantumque armis, viris, opulentia poſſet, cognitum haberem. Itaque mihi multa cum animo agitanti conſilium fuit, famam, modeſtiamque meam poſt tuam dignitatem habere, & cujus rei lubet, periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriæ accederet. Idque non temere, aut ex fortuna tua decrevi; ſed quia in te, præter ceteras, artem unam egregie mirabilem comperi, ſemper tibi MAJOREM in adverſis, quam in ſecundis rebus animum eſſe. Sed per ceteros mortales illa res clarior eſt, quod & prius defeſſi ſint homines laudando atque admirando munificentiam tuam, quam tu faciendo, quæ gloria digna eſſent. Equidem mihi decretum eſt, nihil tam ex alto reperiri poſſe, quod non cogitanti tibi in promptu ſit. Neque ego, quæ viſa ſunt, de Republica tibi ſcripſi, quia mihi conſilium, atque ingenium meum amplius æquo probaretur: ſed inter labores militiæ, interque prælia, victorias, imperium, ſtatui admonendum te de negotiis urbanis. Namque tibi ſi id modo in pectore conſilii eſt, uti te ab inimicorum impetu vindices, quoque modo contra adverſum Conſulem, beneficia populi retineas: indigna virtute tua cogites. Sin in te ille animus eſt, qui jam à principio nobilitatis factionem diſturbavit; plebem Romanam ex gravi ſervitute in libertatem reſtituit; in prætura inimicorum arma inermis diſjerit; domi militiæque tanta, & tam præclara facinora fecit, UTI NE INIMICI quidem queri quidquam audeant, niſi de magnitudine tua: quin accipe tu ea, quæ dicam de ſumma Reipublicæ quæ profecto aut tu vera invenies, aut certe haud procul à vero. Sed, quoniam Cn. Pompejus aut animi

 pravitate,

pravitate, aut quia nihil maluit, quam quod tibi obesset, ita lapsus est, ut hostibus tela in manus jaceret: quibus ille rebus Rempublicam conturbavit, eisdem tibi restituenda est. Primum omnium, summam potestatem moderandi, de vectigalibus, sumptibus, judiciis, senatoribus paucis tradidit; plebem Romanam, cujus antea summa potestas erat, nosque his quidem legibus in servitute reliquit. Judicia, tametsi, sicut antea, tribus ordinibus tradita sunt; tamen iidem illi factiosi regunt, dant, adimunt, quæ lubet: innocentes circumveniunt: suos ad honorem extollunt. Non facinus, non probrum, aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant: quod commodum est, trahunt, rapiunt: postremo, tamquam Urbe capta, lubidine, ac licentia sua, pro legibus utuntur. Ac me quidem mediocris dolor augeret, si virtute partam victoriam more suo per servitium exercerent. Sed homines inertissumi, quorum omnis vis, virtusque in lingua sita est, forte, atque alterius socordia dominationem oblatam insolentes agitant. Nam, quæ seditio, ac dissensio civilis tot tamque illustres familias ab stirpe evertit? aut quorum umquam victoria animus tam præceps, tamque immoderatus fuit? L. Sylla, cui omnia in VICTORIA lege belli licuerunt, tametsi à Sulpicio hostium patris muniri intelligebat; tamen, PAUCIS interfectis, ceteros beneficio, quam metu, retinere maluit. At hercule nunc cum Catone, L. Domitio, ceterisque ejusdem factionis, quadraginta senatores, multi præterea cum spe bona adolescentes, sicuti hostiæ, mactati sunt: cum interea opportunissuma genera hominum tot miserorum civium sanguine satiari nequiverunt: non orbi liberi, non parentes exacta ætate, non gemitus virorum, luctus mulierum immanem eorum animum inflexit: quin, acerbius in dies male faciendo, ac dicundo, dignitate alios, alios civitate eversum irent. Nam, quid ego de te dicam, cujus CONTUMELIAM homines ignavissumi vita sua commutare volunt? scilicet neque illis tantæ voluptati est, (tametsi insperantibus accidit) dominatio, quanto mœrori tua dignitas: qui optatius habent, ex tua calamitate periculum libertatis facere, quam per te Populi Romani imperium maxumum ex magno fieri. Quo magis tibi etiam atque etiam animo prospiciendum est, quonam modo rem stabilias, communiasque. Mihi quidem, quæ mens suppetit, eloqui non dubitabo. Ceterum tui erit ingenii probare, quæ vera, atque utilia factu putes. In duas partes ego civitatem divisam arbitror, sicut à majoribus accepi, in Patres, & Plebem. Antea in Patribus summa auctoritas erat, vis multo maxuma in Plebe. Itaque sæpius in civitate secessio fuit: semperque nobilitatis opes diminutæ sunt, & jus Populi amplificatum. Sed PLEBES eo libere agitabat; quia nullius potentia super leges erat; neque divitiis, aut superbia, sed bona fama, factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat: humillimus quisque in armis, aut militia, nullius honestæ rei egens satis sibi, satisque patriæ erat. Sed ubi eos paullatim expulsos agris, inertia, atque inopia incertas domos habere subegit: cœpere alienas opes petere, libertatem suam cum Republica venalem habere. Ita paullatim Populus, qui dominus erat, & cunctis gentibus imperitabat, dilapsus est: & PRO COMMUNI imperio, privatam sibi quisque servitutem peperit. Hæc igitur multitudo primum malis moribus imbuta, deinde in artes, vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capessendam Rempublicam. Ceterum, additis novis civibus, magna me spes tenet, fore, ut omnes expergiscantur ad libertatem: quippe cum illis libertatis retinendæ, tum his servitutis amittendæ cura orietur. Hos ego censeo, permixtos cum veteribus novos, in coloniis constituas: ita & res militaris opulentior erit, & plebes BONIS NEGOTIIS impedita, malum publicum facere desinet. Sed non inscius, neque imprudens sum, cum ea res agetur; quæ sævitia, quæve tempestates hominum nobilium futuræ sint, cum indignabuntur omnia funditus misceri, antiquis civibus hanc servitutem imponi, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit. Equidem ego sic apud animum meum statuo, MALUM facinus in se committere, qui incommodo Reipublicæ gratiam sibi conciliet: Ubi bonum publicum etiam privatim usui est: id vero dubitare aggredi, socordiæ, atque ignaviæ duco. M. Livio Druso semper consilium fuit, in tribunatu summa ope niti pro nobilitate: neque ullam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fierent homines factiosi, quibus dolus, atque malitia, fide cariora erant. Ubi intellexerunt, per unum hominem maxumum beneficium multis mortalibus dari: videlicet & sibi quisque conscius, malo atque de infido animo esse, de M. Livio Druso juxta, ac de se, existumaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eam nixi, sua ipsius consilia disturbaverunt. Quo tibi Imperator, majore cura fideque amici, & multa præsidia paranda sunt. HOSTEM adversum opprimere, strenuo homini haud difficile est: occulta pericula neque facere, neque vitare, bonis in promptu est. Igitur, ubi eos in civitatem adduxeris; quoniam quidem renovata plebes erit, in ea re maxume animum exercitato, UTI COLANTUR boni mores; concordia inter veteres, & novos coalescat. Sed multo maxumum bonum patriæ, civibus, tibi, liberis, postremo humanæ genti, pepereris, SI STUDIUM pecuniæ aut sustuleris, aut, quoad res feret, minueris. ALITER NEQUE privata res, neque publica, neque domi, neque militiæ, regi potest. Nam, UBI CUPIDO divitiarum invasit; neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum satis pollet: quin animus magis, aut minus mature, postremo tamen succumbit. Sæpe jam audivi, qui reges, quæ civitates, & nationes, per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant. Id adeo haud mirandum est. Nam, ubi bonus deteriorem divitiis magis clarum, magisque acceptum videt; primo æstuat, multaque in pectore volvit: sed ubi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit;

animus


ad voluptatem à vero deficit. QUIPPE gloria industria alitur: ubi eam dempseris, ipsa per se virtus amara, atque aspera est. Postremo UBI DIVITIÆ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. NAM ad virtutem una & ardua via est: ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur; & malis, & bonis rebus ea creatur. Ergo in primis auctoritatem pecuniæ demito: neque de capite, neque de honore ex copiis quisquam magis, aut minus judicaverit; si neque prætor, neque Consul, ex opulentia, verum ex dignitate, creetur. Sed de magistratu facile populi judicium fit. Judices à paucis probari, regnum est; ex pecunia legi, inhonestum. Quare omnes primæ classis judicare placet, sed numero plures, quam judicant. Neque Rhodios, neque alias civitates umquam suorum judiciorum pœnituit; ubi promiscue dives, & pauper, uticuique fors tulit, de maxumis rebus juxta, ac de minumis disceptat. Sed de magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat; ut ex confusis quinque classibus forte Centuriæ vocarentur. Ita COÆQUATI dignitate, pecunia, virtute anteire alius alium properabit. Nec ego magna remedia contra divitias statuo. Nam PERINDE OMNES res laudantur, atque appetuntur, ut earum rerum usus est: malitia præmiis exercetur. Ubi ea dempseris, nemo omnium gratuito malus est. Ceterum AVARITIA bellua fera, immanis, intoleranda est: quo intendit, oppida, agros, fana, atque domos, vastat: divina cum humanis permiscet: neque exercitus, neque mœnia obstant, quo minus vi sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales spoliat. Verum, si pecuniæ decus ademeris; magna illa vis avaritiæ facile bonis moribus vincetur. Atque hæc ita sese habere tametsi omnes æqui, atque iniqui memorent: tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est: cujus si dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt. Nam hi, si VIRTUTI satis valerent, magis æmuli bonorum, quam invidi, essent. Quia desidia, & inertia, & stupor eos, atque torpedo, invasit; strepunt, obtrectant, alienam famam suum dedecus existumant. Sed, quid ego plura, quasi de ignotis memorem? M. Bibuli fortitudo, atque animi vis, in consulatum erupit: hebes lingua, magis malus, quam callidus ingenio. Quid ille audeat, cui consulatus maxumum imperium maxumo dedecori fuit? An L. Domitii magna vis est, cujus nullum membrum à flagitio aut facinore vacat? lingua vana, manus cruentæ, pedes fugaces; quæ honeste nominari nequeunt, inhonestissuma. Unius tamen M. Catonis ingenium versutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur hæc disciplina Græcorum. Sed virtus, vigilantia: labos, apud Græcos nulla sunt. Quippe, CUM DOMI libertatem suam per inertiam amiserint, censesne eorum præceptis imperium haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissumi nobiles: in quibus, sicuti in statua, præter nomen, nihil est additamenti. L. Postumius, & M. Favonius, mihi videntur quasi magnæ navis supervacua onera esse, ubi salvi pervenire visi sunt: si quid adversi coortum est, de illis potissumum jactura fit; quia pretii minumi sunt. Quoniam nunc, uti mihi videor, de plebe renovanda, corrigendaque disserui: de Senatu, quæ tibi agenda videntur, dicam. Postquam mihi ætas ingeniumque adolevit, haud ferme armis, atque equis, corpus exercui, sed animum in litteris, quod natura firmus erat in laboribus, habui. Atque ego in ea vita multa legendo, atque audiendo ita comperi, OMNIA REGNA, civitates, nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubicumque gratia, timor, voluptas, ea corrupere; post paullo immunitæ opes: deinde ademptum imperium, postremo servitus imposita est. Equidem ego sic apud animum meum statuo; CUICUMQUE in sua civitate amplior, illustriorque locus, quam aliis est, ei magnam curam esse Reipublicæ. Nam ceteris, salva Urbe, tantummodo libertas tuta est: qui per virtutem sibi divitias, decus, honorem, pepererunt; ubi paullum inclinata Respublica agitari cœpit, multipliciter animus curis, atque laboribus fatigatur; aut gloriam, aut libertatem, aut rem familiarem, defensat; omnibus locis adest, festinat: QUANTO in secundis rebus florentior fuit, tanto in adversis asperius, magisque anxie agitat. Igitur, ubi plebes Senatui, sicuti corpus animo, obedit, ejusque consilia exsequitur: PATRES consilio valere decet, populo super vacanea est calliditas. Itaque majores nostri, cum bellis asperrimis premerentur, equis, viris, pecunia amissa, nunquam defessi sunt armati de imperio certare. Non inopia ærarii, non vis hostium, non adversa res, ingentem eorum animum subegit, quin, quæ virtute ceperant, simul cum anima retinerent. Atque EA MAGIS fortibus consiliis, quam bonis prœliis, patrata sunt. Quippe apud illos una Respublica erat, ei consulebant; factio contra hostes parabatur: CORPUS atque ingenium, patriæ, non suæ quisque potentiæ, exercitabat. At hoc tempore contra homines nobiles, quorum animos socordia, atque ignavia, invasit, ignari laboris, hostium, militiæ, domi factione instructi, per superbiam cunctis gentibus moderantur. Itaque Patres, quorum consilio antea dubia Respublica stabiliebatur, oppressi, ex aliena lubidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia, decernunt: UTI EORUM, qui dominantur, simultas, ac arrogantia fert, ita bonum, malumque publicum existimant. Quod si aut libertas æqua omnium, aut sententia obscurior esset; majoribus opibus Respublica & minus potens nobilitas esset. Sed, quoniam coæquari gratiam omnium difficile est; quippe cum illis majorum virtus partam reliquerit gloriam, dignitatem, clientelas: cetera multitudo pleraque inscia, fit sententia eorum à metu libera. Ita occulto sibi quisque alterius potentia carior erit. LIBERTAS juxta bonis, & malis, strenuis, & ignavis optabilis est. Verum eam plerique metu deserunt, stultissimi mortales, quod, in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se, quasi victi, recipiunt. Igitur duabus

bus rebus confirmari posse Senatum puto: si numero auctus per tabellam sententiam ferat. TABELLA obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine, & præsidii plus, & usus amplior est. Nam fere, his tempestatibus, alii judiciis publicis, alii privatis suis atque amicorum negotiis implicati, haud sane Reipublicæ consiliis adfuerunt: neque eos magis occupatio, quam superba imperia distinuere. Homines nobiles cum paucis senatoriis, quos additamenta factionis habent, quæcumque libuit probare, reprehendere, decernere, ea, uti libido tulit fecere. Verum ubi, numero senatorum aucto, per tabellam sententiæ dicentur; illi superbiam suam dimittent, ubi iis obediendum erit, quibus antea crudelissime imperitabant. Forsitan, Imperator, perlectis litteris decernes, quem numerum senatorum fieri placeat; quoque modo in multa, & varia officia distribuatur; & quoniam judicia primæ classis mittenda putem, quæ descriptio, qui numerus in quoque genere futurus sit. Ea mihi omnia generatim describere haud difficile factu fuit: sed prius laborandum visum est de summa consilii, idque tibi probandum verum esse. Si hoc itinere uti decreveris, cetera in promptu erunt. Volo ego consilium meum prudens, maximeque usui esse. Nam ubicumque tibi res prospere cedet: ibi mihi bona fama eveniet. Sed me illa magis cupido exercet, uti quocumque modo, & quamprimum Respublica adjuvetur. LIBERTATEM gloria cariorem habeo, atque ego te oro, hortorque, ne clarissumus Imperator, Gallica genere subacta, Populi Romani summum atque invictum imperium tabescere vetustate, ac per summam discordiam dilabi, patiaris. Profecto, si id accidat, NEQUE TIBI NOX, neque dies curam animi sedaverit; quin in somniis excitus, furibundus, atque amens alienata mente feraris. Namque mihi pro vero constat, OMNIUM mortalium vitam divino numine invisi: neque bonum, neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi: sed ex natura diversa præmia bonos, malosque sequi. Interea forte ea tardius procedunt: SUUS CUIQUE animus ex conscientia spem præbet. Quod si tecum patria, atque parentes possent loqui, scilicet hæc tibi dicerent: O Cæsar, nos te genuimus fortissumi viri, in optuma Urbe, decus, præsidiumque nobis, hostibus terrorem. Quæ multis laboribus, & periculis ceperamus, ea tibi nascenti cum anima simul tradidimus, patriam maxumam in terris; domum, familiamque in patria clarissumam; præterea bonas artes, honestas divitias; postremo omnia honestamenta pacis, & præmia belli. Pro his amplissumis beneficiis non flagitium à te, neque malum facinus, petimus; sed uti libertatem eversam restituas. Qua re patrata, profecto per omnes gentes fama virtutis tuæ volitabit. Namque hac tempestate, tametsi domi, militiæque præclara facinora egisti; tamen gloria tua cum multis viris fortibus æqualis est: si vero Urbem amplissumo nomine, & maxumo imperio, prope jam ab occasu restitueris; quis te clarior, quis major, in terris fuerit? Quippe SI MORBO jam, aut fato huic imperio secus accidat: cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes, oriantur? Quod si tibi bona lubido fuerit, patriæ, parentibus gratificandi; postero tempore, Republica restituta, super omnis mortalis gloria agnita, tuaque unius mors vita clarior erit. Nam VIVOS interdum fortuna, sæpe invidia, fatigat: ubi anima naturæ cessit, demptis obtrectatoribus ipsa se viitus magis magisque extollit. Quæ mihi utilia factu visa sunt, quæque tibi usui fore credidi, quam paucissumis potui, perscripsi. Ceterum Deos immortales obtestor, ut, quocumque modo ages, ea res tibi, Reique publicæ prospere eveniat.

C. SALLUSTII CRISPI
IN
M. TULLIUM CICERONEM
DECLAMATIO.

GRAVITER, & iniquo animo, maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem judicio magis, quam morbo animi, petulantia ista uti. Sed, quoniam in te neque modum, neque modestiam ullam animadverto, respondebo tibi: uti, si quam maledicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas. Ubi querar? quos implorem, Patres Conscripti, diripi Rempublicam, atque audacissumo cuique esse perfidiæ? an apud Populum Romanum, qui ita largitionibus corruptus est, uti sese, ac fortunas suas, venales habeat! an apud vos, Patres Conscripti, quorum Auctoritas turpissumo cuique, & sceleratissumo, ludibrio est? Ubi M. Tullius leges, judicia Populi Romani defendit, atque in hoc ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissumi, Scipionis Africani, ac non reptitius, accitus, ac paullo ante insitus huic Urbi civis. An vero, M. Tulli, facta, ac dicta tua obscura sunt? an non ita à pueritia vixisti, uti nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? Scilicet, istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiæ jactura perdidicisti? Itaque, MINIME mirandum est, si eam flagitiose venditas,

ditas, quam turpissime parasti. Verum, ut opinior, splendor domesticus tibi animos attollit; Uxor sacrilega, ac perjuriis delibuta; filia matris pellex, tibi jucundior, atque obsequentior, quam parenti par est. Domum ipsam tuam vi, & rapinis, funestam tibi ac tuis, comparasti: videlicet uti nos commonefacies, quam conversa sit Respublica, cum in ea domo habitas, homo flagitiosissime, quæ P. Crassi, viri consularis, fuit. Atqui hæc cum ita sint; tamen Cicero se dicit in consilia deorum immortalium fuisse; inde missum huic Urbi, civibusque custodem, absque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam suam ponit: quasi vero non illius conjurationis caussa fuerit consulatus tuus, & iccirco Respublica disjecta eo tempore, quo te custodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quæ post consulatum cum Terentia uxore de Republica consuluisti: cum legis Plautiæ judicia domi faciebas: ex conjuratis alios morte, alios pecunia condemnabas: cum tibi alius Tusculanum, alius Pompejanam villam ædificabat, alius domum emebat: QUI VERO NIHIL poterat, is erat calumniæ proximus, is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut insidias Senatui fecerat, denique de eo tibi compertum erat. Quæ si tibi falsa objicio; redde rationem, quantum patrimonii acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris, Tusculanum, & Pompejanum infinito sumptu ædificaveris. Aut, si retices; cui dubium potest esse, quin opulentiam istam ex sanguine, & visceribus civium paraveris? Verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex C. Marii familia, ejus virtutem imitatur; contemnit simultatem hominum nobilium; Populi Romani curam habet; neque terrore, neque gratia commovetur. Illud vero amicitia tantum ac Virtutis est animi? Immo vero homo levissumus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum, modo illarum partium, fidus nemini, levissumus Senator, mercenarius patronus, cujus nulla pars corporis à turpitudine vacat: lingua vana, manus rapacissumæ, gula immensa, pedes fugaces; quæ honeste nominari non possunt, inhonestissuma. Atque is, cum ejusmodi sit, tamen audet dicere: *O fortunatam natam me Consule Romam!* Te Consule fortunatam, Cicero? immo vero infelicem, & miseram, quæ crudelissumam proscriptionem civium perpessa est; cum tu, perturbata Republica, metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuæ cogebas, cum omnia judicia, omnes leges, in tua lubidine erant; cum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, omnium nostrum vitæ, necisque potestatem ad te unum revocaveras. Atque parum est, quod impune fecisti: verum etiam commemorando exprobras; neque licet oblivisci servitutis suæ. Egeris, oro te, Cicero, perfeceris, quod libet: satis est, perpessos esse: Ai amne aures nosteras odio tuo onerabis? Etiamne molestissumis verbis insectabere? *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Quasi vero togatus, & non armatus, ea, quæ gloriaris, confeceris; atque inter te, Syllamque dictatorem, præter nomen imperii, quidquam interfuerit. Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit, Jupiter Optumus Maxumus in consilio deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones, superasti; quem tandem locum in hac civitate obtines? quæ tibi partes Reipublicæ placent? quem amicum, quem inimicum, habes? cui in civitate fecisti insidias, ancillaris. Quo jure, cum de exsilio tuo Dyrrhachio redisti, eum sequeris? quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiæ faves? qui tibi ante optimates videbantur, eosdem nunc dementes, ac furiosos vocas? Vatinii causam agis: de Sextio male existumas: Bibulum petulantissumis verbis lædis: laudas Cæsarem: quem maxume odisti, ei maxume obsequeris: aliud stans, aliud sedens, de Republica sentis: his maledicis, illos odisti: levissume transfuga, neque in hac, neque in illa parte fidem habes.



SCRIPTORES HISTORIÆ ROMANÆ

TOM. III


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm